1923

SEBASTIANI

CARRADAS

OLYSSIPONENSIS

È SOCIETATE

IESV,

Doctoris Theologi, & in Eborensi Academia quondam Sacrarum litterarum Professoris;

ITINERARIVM FILIORVM ISRAEL EX ÆGYPTO

IN TERRA REPROMISSIONIS.

Opus varium, iucundum, & vtile.

PRODIT NVNC PRIMVM.

Quatuor Indicibus insignitum: vno librorum, & capitum, altero locorum sacræ Scripturæ, tertio materiarum Concionalium, nec non rerum notabilium quarto.



ANTVERPIÆ,
Apud Gulielmum à Tongris.
M. DC. XXI.

Cum Gratia & Priuilegio.

De el Col. de la Comp. de Jesus de Granada
1323

SEBASTIANI BARRADAS OLYSSIPONENSIS

É SOCIETATE IESV,

Doctoris Theologi, & in Eborensi Academia quondam Sacrarum litterarum Professoris;

ITINERARIVM FILIORVM ISRAEL EX ÆGYPTO IN TERRA REPROMISSIONIS.

Opus varium, iucundum, & vtile.

PRODIT NVNC PRIMVM.

Quatuor Indicibus insignitum: vno librorum, & capitum, altero locorum sacræ Scripturæ, tertio materiarum Concionalium, nec non rerum notabilium quarto.



ANTVERPIÆ,
Apud Gulielmum à Tongris.
M. DC. XXI.

Cum Gratia & Priuilegio.

ILLVSTRISSIMO D. D. IOANNI EMMANVELI, EPISCOPO VISENSI.

IACOB eximiæ ſanctitatis patriarcha Beniamin filium præ cæteris, PRÆSVL ILLVSTRISSIME, in delitiis habuit, vt ſacra narrat hiſtoria, non ſolùm virtutis inuitatus ſpecie, quæ in illo mirificè illuxit, ſed, authore Hieronymo, quia ipſum in ſenectute genuerat. Hunc Beniamin, filium dextræ appellauit. Quia, vt inquit Chryſoſtomus, mœrorem, quem ex morte Rachelis conceperat, mitigauit natus puer, & effecit, vt iuſtus magis æquo ferret animo. Hunc diſcedentibus in Ægyptum reliquis, ad ſenectutis ac dolorum ſolatium, quos extrema ætas afferre ſolet, domi retinuit. Sunt libri non corporis, ſed animi fœtus, quos propterea eorũ authores ardẽter amant, ardentiùs tamen, quos in ſenectute genuerunt, non ſolùm ſapientiæ inuitati pulchritudine, quæ fatiſcẽte corpore ſenectutis incõmodis latiùs ſolet, & ſpectatiùs radiare, ſed quia in ſenectute ediderunt. Quæ licèt multorum authoritate tradita non didiciſſem, meo poſſem teſtari exemplo, PRÆSVL ILLVSTRISSIME. Concordiam Euangeliſtarum quatuor comprehenſam voluminibus, ſuperioribus annis in lucem edidi, vtinam ea diuini nominis gloria, cui comparandæ inſudare debent ſerui, quibus talenta cum fœnore quondam exigenda Rex regum tradidit! In vltima verò ſenectute Iſraelitarum iter ex Ægypto in Paleſtinam toto hoc volumine ſequutus ſum, vt animus, qui fatiſcente corpore iter in patriam non ſolùm meditatur, ſed iam iam aggrediendum aſpicit, ea commenta-

tione incitatus, fortiùs se muniret, ac libentiùs pararet, dum illam lucem ante oculos habet, quæ quondam Israelitica in nube adumbrata, nunc cruci affixa, dum in hoc mundi deserto peregrinamur, viam nobis inter pericula tutam, & inter difficultates facilè sine errore ostentat. Hoc ergo extremum mortalium meorum opus, dextræ filium verè appellare possum. Dolorem enim, quem deficientibus corporis viribus extrema solet ætas afferre, mihi sæpe mitigauit, effecitque, vt molliùs ferrem. Hoc etiam reliquis vulgatis, diu apud me retinui ad senectutis solatium. Cumque modò vrgente eorum præcepto, quibus annuentibus renuere non possum absque piaculo, in lucem emittendum sit, charissimo pignori tutissimum præsidium quærendum putaui: statimque mihi occurristi, PRÆSVL ILLVSTRISSIME, cuius benignitatis est, vt velis, amplitudinis, vt possis, non solùm meum hunc laborem tuo nomini dicatum obtrectatorum morsibus liberare, sed sapientum oculis commendare. Ita mihi suadet illa humanitatis, & clementiæ plena voluntas, qua nostram Societatem amplexus, nouis in dies beneficiis augere non desistis: quibus nostros animos ita deuinxisti, vt omnes te Parentem ac Dominum non solùm ore fateantur, sed corde suspiciant, & venerentur. Quòd si oculis paterent animi, tot cerneres nominis tui monumenta, quot in hac minima Societate sub sanctissimo IESV nomine Deo militant homines: eaque non perituris erecta molibus, sed immortalia immortalibus infixa mentibus, vbi iucunda cum recordatione tua semper, PRÆSVL ILLVSTRISSIME, viuet beneuolentia: cùm nec morte deleri possint, quæ gratis animis debitorum nomina inscribuntur. Suadet etiam tui nominis amplitudo, quæ generis clarissimo splendore, litterarum amplissimis insignibus, & virtutum splendidissimis ornamentis comparata in Lusitanorum oculis meritò viuit. Inde enim ab Irene Isacij Angeli Constantinopolitani Imperatoris filia, & Philippo Germaniæ Imperatore, cui illa fœliciter nupsit, per Beatricem filiam, quæ Ferdinando III. Castellæ Regi matrimonio coniuncta in Hispaniam translata est, per Hispaniæ, ac Lusitaniæ Reges clarissimæ stirpis genus ducis, vsque ad Eduardum I. Lusitaniæ Regem atauum tuum. A quo Dominus Ioannes Emmanuel ortus, Dominum Nonium Emmanuelem edidit, qui iuncta sibi Domina Leonora à Mediolano Ducis Villæ Formosæ filia, quam Elisabetha Regina arctissima sibi sanguinis propinquitate coniunctam in Lusitaniam adduxerat, Dominum Federicum Emmanuelem auum tuum genuit: effecitque vt consanguineis sanctissimum Carolum Barromeum Cardinalem, & Mediolanensem Archiepiscopum fœliciter annumeres, PRÆSVL ILLVSTRISSIME, ne inter tot clarissima illustrissimi tui generis lumina, quæ suspicimus, eximia etiam sanctitatis

sanctitatis insignia deessent, quæ Christianus orbis veneraretur. Cuius, PRÆSVL ILLVSTRISSIME, consanguinei Præsulis sequutus vestigia proximè assequeris. Inter reliqua enim innocentis vitæ tuæ exempla, quæ fusiùs recenserem, si huius paginæ angustiæ capere possent, virtutis monumenta, quæ integram desiderant historiam: aut tantarum laudum narrationem tua pateretur modestia. Illud silere non possum, quòd amplissimos Visensis Ecclesiæ reditus ita liberaliter in pauperes distribuis, vt non solùm pauperum parentem communis omnium te vox appellet: sed etiam, quò largiùs illis indulgere possis, angustiùs viuas tam amplo auctus censu, quàm in augusta Parentum domo viuere solebas. Quamobrem in mentem mihi sæpe illud venit, quòd de Gilberto Londinensi Episcopo diuus Bernardus olim scripsit: *Non magnum fuit*, Dominum Ioannem Emmanuelem *Episcopum fieri, sed Episcopum pauperem viuere, id planè magnificum. Nec enim tanto nomini quidquam augere potuit sublimitas dignitatis, auxit autem plurimum amor paupertatis.* Auxit nimirum diuitias, quas per manus pauperum in cælo recondis, vbi nec ærugo, nec tinea demolitur. Auxit non hominum solùm amorem, in quo viuis, sed Christi pauperum socij, & parentis diuinam beneuolentiam, & amicitiam, quam perituris opibus sapienter anteponis, & ad reliqua pastoralis officij munera accuratissimè exequenda inuictum animum, quo sacris audiendis confessionibus sine fatigatione eximiæ dignitatis Præsul, & clarissimi generis Flos incumbere sæpe soles; sacramque Eucharistiam publicè ægrotis infimæ etiam sortis deferre, quin morborum timeas contagia, quæ panis ille cælestis suauiter depellit, aut miseram paupertatis speciem exhorrescas, quam profusis opibus liberaliter expellis. Hinc illa tuæ Familiæ in Christiana pietate tam accurata disciplina, vt sæpe ab his, qui curiosè obseruarunt, audierim, in aula Visensis Episcopi ea pietate, ac modestia omnes viuere, qua religiosorum hominum florent monasteria. Hinc ille in subditum tibi clerum effluxit diuini cultus amor, & pietatis ardor, quo Visensis Ecclesia mirificè floret, & omnium laudibus celebratur. Nec enim à recto salutis tramite errare possunt oues, quæ te ducem in æterna pascua, ac cæli fœlicitatem sequuntur: quibus iter expedis sanctissimis constitutionibus, quas nuper edidisti, PRÆSVL ILLVSTRISSIME, ita eruditas, ita sacrorum Canonum authoritati, & Patrum doctrinæ conformes, nihil vt eruditius ad Ecclesiasticam seueritatem retinendam, & morum integritatem conseruandam desiderari possit. Quòd si fœlix est Respubl. quæ bonarum legum authoritate instructa temporariam ciuium procurat pacem, ac malorum radices amputat, & euellit: fœlicissima Visensis Ecclesia dici potest, quæ sanctissimis instituta

legibus non temporariam, sed æternam illam exquirit suorum tranquillitatem, quam bonorum omnium nunquam defluxura ditat affluentia. Viue, PRÆSVL ILLVSTRISSIME, vt in te tua floreat Lusitania, vberioresque fructus tuo labore, ac industria cultos Christiano orbi vultu hilari ostendat, aliósque vbique gentium pastores ad nobile pastoralis vigilantiæ certamen iuuet, ac prouocet.

SEBASTIANVS BARRADAS.

COLLEGIVM

COLLEGIVM CONIMBRICENSE
SOCIETATIS IESV SVAVISSIMAM
P. D. SEBASTIANI BARRADII
in se defuncti memoriam Patribus, ac Fratribus eiusdem Societatis dedicat, & consecrat.

POSTHVMVM opus Israëliticarum mansionum D. SEBASTIANI BARRADII à nobis oculatis diu illustrium exemplorum testibus, nunc hæredibus exiturum admonet, vt vos, Patres, Fratresque charissimi, non ad imam ceram, sed ad totum assem ex æquo inuitemus, memores dictum à D. Ambrosio: *In aliis hæreditatibus hæredis esse damnum cohæredis ascriptionem; in hac non minui hæredi, quidquid à cohæredibus vendicatur, sed eò magis singulis crescere, quò pluribus fuerit impertitum.* Nec timemus, ne quisquam vestrûm nobis noxæ vertat, quòd natam apud nos eximiarum virtutum indolem, & istis sub penetralibus roboratam laudibus his funeralibus cohonestemus. Calletis enim dictum illud Theologi Nazianzeni: *Spectatæ virtutis decora, non quia domestica, ideo falsa, sed quia vera, ideo laudabiliter prædicantur.* Aliter, vt idem Pater argumentatur, *externo in lucrum cederet, quòd alienis & domesticis detrimento esset familiaritas, vitæq; consuetudo.* Neque putabimur gratiam aucupari, cùm iam vita functus sit ille, quem si vellemus viuum demereri, oporteret, vt affictis contumeliis oneraremus; verarum enim neque vmbram quisquam inuenire potuisset. Quamuis ergo ipse suo calamo, in iis, quos edidit, libris, velut Apellæo penicillo mores suos depinxerit, operæpretium est exiguas quasdam illius vitæ lineas ducere, ne luculentam hæreditatem auara claue signauisse arguamur.

Osee.14. in Psalm.118.

Orat.11. in obitu Gorgon. Ibid.

Fuit noster SEBASTIANVS nobilibus ortus parentibus Olyssipone in primaria vrbe Lusitaniæ. Quamquam veriùs dicere possimus, quod de fratre suo Basilio D. Gregorius Nyssenus: *Genus quidem illi, & necessitudo cum Deo, patria autem virtus*, in qua propemodum natus, & in cuius gremio videtur ita diligenter educatus, vt ab his, qui puerum anteà nouerant, cùm posteà esset Societati consecratus, diceretur, in religionis ingressu non mores pristinos, sed domum domo, vestes vestibus permutatas. In tenera illa ætate solida virtutis indicia, & ignei cuiusdam acuminis scintillæ non obscurè allucebant, quas dispexit Regina augustissima Catharina Ioannis III. vxor, elegans ingeniorum æstimatrix. Cùm enim à Magistris nostri Collegij Olyssiponensis non ita pridem inchoati in aulam deferrentur aliquot ephebi vix dum primis Grammaticæ litterulis imbuti nostris in Gymnasiis, tanquam præcoces laboris suscepti flosculos, Regi carmina recitaturi, cæteros vt honesta oris venustate, ita ingenua, & peracri in dicendo viuacitate SEBASTIANVS præuolauit, quem Regina digito designans, & præceptores intuens: *Hunc* (inquit) *mihi puerum curiosius expolite, nec virgis parcite; sic enim fiet, vt in virum præstantissimum erumpat.*

Orat. in laudem fratris sui Basilij.

Vanum præsagium non fuit: nam anno millesimo quingentesimo quinquagesimo octauo, cùm ætatis ageret decimum sextum, à Deo in Societatem vocatus est, B. Virgine, vt putatur, interprete. Inualuit enim apud externos, Deiparam ab scala, cuius ara est ad D. Dominici, SEBASTIANO adolescentulo, sibique addictissimo nostram Religionem singillatim designasse. Quam opinionem, vt non ausim temerè confirmare, ita neque descisceus à pietate conuellere. Tota deinceps vita medullitus fuit in eandem propensus, vt omnia ipsius scripta indicant, inter ea primus tomus in Concordiam Euangelicam. Id prædicabant publici, priuatique sermones, in quibus semper illius mentionem eo

Processus continens in virtute. Ingressus in Societatem B. Virginis.

calore ingerebat, vt sensibus humanis excessisse videretur. Hoc identidem consilium omnibus instillabat, B. Virginis accitu Religionem adiri, patrocinio ad extremam perseuerantiæ coronam retineri. Ergo plantatus in domo Domini, & Societate: in atriis, atque illius tyrocinio, & ibi, vt cõmentatur in eum Psalmum Theodoretus, agricolam habens Deum, viridarium verò diuinum templum, vt palma floruit, staturamque illi assimilem est consecutus, quod, teste D. Ambrosio, ille solus obtinet, qui seruat viriditatem pueritiæ, & illius innocentiæ naturalis, quam à primordio recepit. In qua permanens, & in tempestiuam perfectionem excrescens SEBASTIANVS palmariam de sua virtute peperit apud omnes existimationem, ob quam digito monstrabatur, & plurimi ex aliis Lyceis ad illius tunc etiam in Societate tyrunculi Gymnasium admirabundi ventitabant, vt mutuo illius tanquam emeriti in sanctitate magistri aspectu ad modestiam, & virtutis amorem erudirentur. Circinatus enim ad illius normam Religiosus (vt de Philosopho dixit Tertullianus) dum videtur, auditur, quòd scilicet exemplo eloquatur. Sic tempore adoleuit ea opinio, vt tota Lusitania consummatæ sanctitatis elogio celebraretur, & vndique ad illum spectandum plurimi confluerent, egregium itineris, ac laboris fructum arbitrati, si possent fimbriam vestimenti eius, vel capillos à tonsore impetrare; testabanturque omnes non minoris virtutis sibi videri, quidquid sacrum illud corpus, & perpetua afflictatione defœcatũ attigisset, quàm si esset aliquis ex eorum albo, qui sunt publica Ecclesiæ authoritate in Diuorum centurias relati. Extremis duobus, quibus concionatus est, diebus, cùm iam rarò, & ægrè propter senectutem se efferret in publicum, vidimus ipsum nunc ab opificibus, tunc ab scholasticis constipantibus in suggesti descensu oppressum, & Collegij pergulas deducentium, atque inhiantium multitudine æstuantes, cùm interim mirè esset occupatus in vestib. colligendis, ne contrectantiũ osculis vellerentur. In qua constanti vulgi consensione valet illud Tertullianicum: *Quod apud multos vnum inuenitur, non est erratum, sed ratum ac firmum*. Non tamen is erat, qui popularem auram consectaretur, aut inanis gloriæ rumusculos aucuparetur, quin potiùs ita sæcularium occursus defugiebat, vt illi, sicut D. Hieronymo, oppidum carcer esset: solitudo, & nostri Collegij silentium, paradisus. Cùm sacras literas Eboræ profiteretur, à ianitore ad quendam accersitus, respondit: vide, ne nomen aliud pro alio interuerteris; nouem enim sunt anni, ex quo à nemine ad ostium compellor. Et quia rebus maior est ex longinquo honor, authore Tacito, ex hoc secessu tanta viri erat apud omnes reuerentia, vt picturæ, quæ, vt in hanc rem dicit D. Petrus Damiani, si procul assistat, inhianter, & cum auiditate prospicitur: si iuxta sit, contemptibilis iudicatur.

Psalm. 91. versic. 14. Cantic. 7. versic. 7. Lib. 4. hexam. cap. 17.

Lib. de Pallio. Communis opinio de illius sanctitate in ipsa adolescentia.

Cum ætate creuit illa existimatio.

De præscript. adu. her. c. 28. Sæcularium conuiciũm quàm subterfugeret. Epist. 4. ad Rustic.

Cum aliorum egregia de se opinione certabat longè diuersum ipsius suffragium, quo se, atque sua comtemptim atterebat. Nec quidquam frequentius ex ipsius ore resonabat, quàm se primum esse peccatorum, hominum postremum. Suarum concionũ mentione aures perfricari non sinebat; vbi quisquam ipsius libros ardenter à doctis exquiri, laudari, & sæpiùs excudi diceret, multis de se conuiciis, & inscitiæ professione os loquentis obturabat. Non multum est, cùm Illustrissimus D. D. Ioannes Coutinius, nunc Episcopus Algarbiensis, tunc Rector Academiæ Conimbricensis, ab ipso petiit, vt ad Academicorum institutionem, atque exemplum in Regio ipsorum sacello verba faceret. Ille tamen, qui dictum nouerat à magno Basilio, *si quid fiat Superiore non annuente, id furtum, ac sacrilegium esse*: En asellum, inquit, (se ostendens) en qui agat, (aderat Collegij Rector) iubeat ille, vel ad virium defectionem vociferabor. Responsum lacrymas aliquibus excussit, & Rectori constantissimum testimonium, quo sæpe Academicis affirmabat, versus ipse in laudum prædicatorem, nullam se audiisse vnquam vehementiorem è SEBASTIANO concionem. Aliquando seriùs solito concessit

Abiecta ipsius de se opinio.

Homil. de obedientione rerum.

concessit in triclinium, quod cùm solitarium inuenisset, sub mensam se proiecit, caput ad saxea illius fulcra allidens, & hæc sæpius ingenti animi sensu, & pio quodam vltionis æstu emittens: itáne BARRADI? itáne? mula inuehi non abnuebas? eaque amplis instrata dorsualibus? in se vlteriùs sæuientem custos triclinij ex solo loco speculatus impediuit, ignorans quorsum illa tenderent, sed postea compertum est, eum illa die concionatum ad D. Claræ (è cuius parthenone, & longissimum est, & accliue, ne dicam, præruptum iter ad nostram domum) effœtique senis commiseratione ductum Rectorem Academiæ mulam succidaneam obtulisse, quam ille reiecit, non tamen curam castigandi alicuius studij, quod forsitan obrepsit, vt Rectori verbis vrbanè gratificaretur.

Faciliùs suum corpus ille extenuaret, qui ita gloriam contemnebat, cùm illud Philosophus præstiterit, qui genium suum multis discrucians incommodis, erat interim, vt ait D. Hieronymus, glorię animal, & popularis aurę vile mancipium. Sed quia corpus voluntaria maceratione, victus parsimonia, & vestis asperitate dedolatur, de his tribus paucula subtexemus.

Asperitas in tractãdo corpore. Epist. 34. ad Iulianum.

Afflictatio corporis tanta fuit, vt sæpe deprehensus sit in ipso mediæ noctis conticinio sese valida verberatione conterens, deinde per horam incumbens orationi, qua peracta ad flagella, & inde ad precationem reuertebatur, eamque post tertiam pulsationem tertia hora terminabat. Dum se flagellis contunderet aliquando, vt comprimeret aliquam inanis gloriæ titillationem, quæ ex concionibus oriebatur, auditus est ita secum ad singulos ictus dialogizare: sic te docet cõcionari. Iterum cùm ab oppidana expeditione se ad Collegiũ recepisset, lectum reperiens mollius compositum, quàm ipsius in se vindici animo æquum videbatur, vrticis totum expleuit, ne strato mitiori vteretur, quàm sancti illi confessores, quibus, vt testatur D. Cyprianus, humi cubantibus pœna non erat cum Christo iacere. Cùm vidisset Fratrem quendam insectantem importunos cimices, qui lectuli spondam obsidebant, & senilia membra crebris assultibus fatigabant: cessa (inquit) Frater, cessa: vermem vermes quæritant, nec malis modis conficient, nam mutua inter nos est notitia, & antiqua necessitudo.

Corporis maceratio.

Epist. 77.

In cibi potusque demenso monet D. Bernardus, ne corpus sic habeatur, tanquam propter quod viuamus, sed tanquam sine quo viuere non possumus. Illud tamen BARRADIVS ita defraudabat, quasi sine illo viuere potuisset. Ex his, quæ in mensa offerebantur, vilissima quæque, & palato ingratissima præferebat, nunc ita calida quasi ad os comburendum ex flamma cibum peteret, nunc ita frigida, vt omnis condituræ sapor aboleretur. Cùm ita imbecllo, & affecto esset corpore, vt semper lectioribus epulis egeret, frequenter à Superioribus exigebat, vt quando per valetudinem non licebat communi mensæ assidere, sed seriùs sumendus esset cibus, sibi daretur vesci aliorum fragmentis, & analectis. Quod cùm ab illis extorquere non posset, à se ipso impetrauit. Vbi enim panis, vel malum semel esset cultro incisum, frustula ad mensam redibant, nec manus ad aliud mittebatur, donec omnino absumerentur. Videns à ministro minutulas gallinæ à se semesæ quisquilias cum cæteris cõmisceri, quæ ad pauperes seponebantur ex aliorum ægrotantium cibo, illas per otium collegit, & papyro obuolutas reposuit in sequentem diem, sic differens: si mendicus in hoc epulum incidisset, quali gaudio triumpharet? Quidam certanti vrceum quo aquam hauriebat, vetustate obsoletum auellere, & confringere, dixit: nondum, Frater, Iobi paupertatem attigi, mihi enim integer est vrceus, quanuis sordidus, & vietus: ille testæ fragmento saniem radebat.

Epist. de vita solit. In cibo abstinentia, & paupertas.

Ambitioni perpetuum cauterem (vt volebat & loquebatur Tertull.) attrita veste inurebat. Si quid noui indumenti obtrudendum esset, oportebat vt vestiarius noctu, quasi fur balnearius grassaretur, quem si ille præsensisset, quiritabat, & latronem abigebat. Nec semper vestiario faustè suum processit artificium, etiam

Libro de Pallio. Vilitas vestitus.

etiam cùm dormientem expilabat; semel enim expergefactus, & fugientem insecutus ita cum stomacho conquerebatur: bone Frater, quid meum mihi pretium, measque delitias inclementi furto auertis? Non secus, quàm D. Gregorius Nazianzenus, paupertatem suas opes & copias dicebat. Respondente vestiario, ita fuisse à Superiore imperatũ, ad eum recta contendit, & à semisopito restituendi sibi suos pannos abstulit facultatem, Fratremq; admonuit deinceps à talibus fabricis abstineret, ni vellet sibi esse permolestus. Ille tamen iterum nocturno, furtiuoque accessu lineum thoracem rapuit, quem ad nullam aliam rem idoneum credidit, nisi vt addiceretur in euerriculum ad cineres in furno colligendos. Post somnum suo se thesauro, vt dicebat, spoliatum sentiens, largis perfusus fletibus, per Deum & Cœlites obtestatur, vt elegantem illum sibi thoracem redonaret, quem sibi commodiorem esse nouo quolibet multis rationibus suadebat. Vestiarius vt vrgentis animum desperatione recuperandi debilitaret, in furnum, inquit, amandaui. Vix dictum, cùm in furno volutabatur sanctus senex, & suspensum iam pertica paupertatis suæ vexillum, ac semiustulatum lætissimus, & flens iam præ gaudio reportat, atque iterum corpori coaptat. Iterum nescio quid indumenti in ipsius cubiculo repertũ est tot centonibus implexum, vt vix dignosci posset quis, cui pannus assueretur. Cùm nostrós anno ante mortem ad paupertatis amorem cohortaretur, dixit illis, se calceis vti ab octo annis, neque ideo inanis gloriæ flabello agitari. Lanea tibialia, quæ tunc gerebat, non minorem paupertatem referebant; nam vndique dissuta, discissaque erant, & vix paucis filis cohærentia. Cumque à Patre quodam amicè carperetur, dixit illis, se ventum admittentibus commodè perflari, sed quanuis tunc ferueret æstas, non prouidit cautiùs in hyemem. Absimilia non erant, quæ apud se habebat, quando extinctus est, nisi quòd erant ad genua ex orationis assiduitate detrita: totaque supellex ita vilis, & lacera, vt qui illam tunc oculis perlustrarunt, dixerint, se numquam incurrisse in mendicum pluribus centonibus infarcinatum.

Grat. 28. in Maximum.

Nota insignia paupertatis exempla.

Eadem erat in studiis paupertas, eadem erga se diritas, & qui cum Nepotiano apud D. Hieronymum, pectus suum bibliothecam Christi fecerat: diu nullum habuit librum ad manum, nisi diuinas literas, & earum Concordantias. Communi bibliotheca quasi priuata vtebatur, quæ cùm in hoc Collegio vastæ sit capedinis, mirum est, quàm algeat hyberno tempore, quàm ardeat æstiuo à meridie. Hæc palæstra SEBASTIANO, in qua totum tempus, quod reliquum erat ab exercitiis spiritualibus, cum libris colluctabatur. P. Franciscum Soarium, alteram huius Collegij, Lusitaniæ, Hispaniæ, atque Ecclesiæ columnam sæpius dicentem audiuimus, instar miraculi sibi esse libros ab illo editos in tanta aliorum penuria, & studij incommoditate. Commentationes nec paucæ, nec exiguæ post ipsius obitum inuentæ sunt in tergo chartarum epistolicarum, quas suis scriptionibus opistographas reddebat. Cùm ex præscripto nostrarum constitutionum proprium Professorum receptaculum sint domus viuentes stipe emendicata, vix poterat ipse suum, & P. Soarius illius animum religione liberare, vt patienter viueret in Collegiis, nec persuaderi suum in ipsis laborem cedere in euidentem eorum vtilitatem; Rectoresque Collegij acriter instimulabat, vt se iuberent in ciuitate concionari, aut domi nostros ad religiosam perfectionem cohortationibus exacuere; ne ignauo in otio (sic suarum scriptionum difficultates appellabat) veluti fucus alieno melle distenderetur.

Paupertas in studiis. epist. 1.

Huc referebatur ardens illud, quo æternùm flagrauit, desiderium missiones adeundi, in quibus variis incommodis conflictaretur. Quoties hac de re loquebatur (id autem creberrimum erat) concitatius quàm Græciæ Orator tonabat, fulgurabat, fulminabat. Hæc perpetua illius ratio, hæc oratio: quæ nos hic vincula, Fratres, detinent? quid non cum pera, & baculo pedestres oppidatim rusticamur? Cuidam verò obiectanti posse iis expeditionibus insignem inactu-

Missionum ardor ex amore paupertatis.

ram

ram edendis ipsius libris irrogari, respondit: si facultas daretur, eos se flammis vstulaturum, dum liceret missionibus exerceri. Indiæ tanta cupiditate distinebatur, vt reliquas occupationes posteriores faceret lectioni epistolarum, quæ inde in annos singulos mittuntur, & dixerit aliquando, si sibi, dum viribus, & ætate florens erat, persuasum foret, se in Indiam mittendum non esse, fore vt intercluso præ dolore spiritu animam exhalaret.

Præter alias quas subiit adolescens, altè infixa est Montanorum animis illa excursio, qua ante viginti annos, maximam Beiræ, & Herminij saltus partem pedes, & stipem vicatim corrogans lustrauit, vbi titulum sancti Apostoli ab hominibus cœlo etiam subscribente fuit adeptus. Quidam enim scelerum diuturnitate roboratus sensit se admoneri, stata die Sanctum affuturum, cui si illa aperiret, futurum erat, vt exsolueretur. Hoc cùm ille domesticis, amicisque narrasset, condicto tempore adstitit SEBASTIANVS. Præter Sancti famam Prophetæ quoque reliquit opinionem, quòd homini, quem ad rectam mentis sententiam precibus adducere non potuit, dixerit, citò venturum tempus, quo ipsum datæ sibi repulsæ pœniteret. Intra paucos dies ille interiit, tota ipsius domo excisa. Cùm prima nocte fæminam in globo multorum audientium catechesim ad exuendam inimicitiam pertrahere non posset, ignis de cælo repente lapsus consternauit, & in meliorem mentem recoxit quem præsentes credidere Patris meritis deuocatum. Huius expeditionis desideria ad mortem vsque protraxit, quin vnquam deponeret, nisi cùm sese ad spiritualia exercitia secludebat. Paulò ante mortem admonitus à quodam ipsius pedes intumuisse, exclamauit: heu me! si in missione nunc versarer, & baculum manu, peramque tergo gestarem, & pedibus, & corpore valerem.

In missionibus sanctus Apostolus dictus fuit.

Ad concionandum à Deo egregia naturæ præsidia accepit, quibus minimum artis, fuci nihil adhibebat, status corporis excelsus, & erectus, augusta facies, & canitie venerabilis, vox canora, insitus quidam lepor, quem natura, non industria cõmendabat. Hoc talentum sudario non alligauit, sed in audientium vsuram, eo zelo & spiritus energia proferebat, vt alter Paulus ab Academicis diceretur. De sæculi, rerumque contemptu tanta contentione agebat, vt cùm anno superioris sæculi nonagesimo secundo Conimbricæ concionaretur, dixerit Cœnobiarcha D. Antonij Lusitani ex Prouincia Pietatis (quæ inter Franciscanas in hoc regno austeritate disciplinæ eminet) aut Superiores Societatis BARRADIVM à pulpito dimouerent, aut eos, qui in suum Ordinem cooptari deposcebant, in Societatem admitterent: suam enim egestatem vix paucissimis allegandis sufficere. Is ardor illo anno Academiam inuasit, vt fama sit, sexaginta, & in iis nobilissimos iuuenes, & doctissimos cathedrarum candidatos fuisse sacri illius Ordinis petitores; cumque monasterium sit ad duo passuum millia extra vrbem, nocturno tempore fœlices illæ vmbræ sibi inter Oliueta occursabant, quæ ne agnoscerentur, diurnos arbitros effugiebant. Olyssipone adolescens, qui totam noctem sicarij habitu, animoque transegerat, in Professam domum D. Rochi se conferens, ad Sacrum illud audiendum, quod serò ad meridiem in remedium stertentium toto manè celebratur, offeneit P. SEBASTIANVM tanto ardore sub finem concionis omnes spiritus habenas effundentem, vt subitò mutatus fuerit in virum alterum, & inde perrexerit ad ambiẽdum Ordinem Capuccinorum ab Arabida. Cumque illi indiceretur, vt saccum in habitum deferret, mercatoris tabernam est ingressus, & frequentissima vrbis platea propriis humeris leuidensam asportauit.

Talentum, & fructus concionum.

Electa proculdubio Verbi sagitta, eaque acutissima fuit SEBASTIANVS, quæ vt illa, quam ait Nyssenus præclarum vulnus, & plagam infligebat, per quam vita ad interiora penetrabat. De nouissimis, de incertitudine salutis, aliisque aptis ad gignendam peccatorum detestationem materiis semper agebat. Nunquam

Zelus, & materia concionum. Homil. 4.

non

non illam sententiam inculcabat: *Vanitas vanitatum, & omnia vanitas.* & illam: *Momentum vnde pendet æternitas*; nonnunquam igneo quodam furore raptus, *æternitatem, æternitatem,* tota laterum, & argenteæ vocis, an tubæ contentione inclamabat, quod etiam nunc tonitruum videtur nostras aures personare. Amentatis hisce iaculis, aliisque meditationis officina expolitis audientium corda sic configebat, vt plurimi stupore deiecti dicerent, se magnopere vereri, ne ante diuini Iudicij tribunal in accusatorem is conuerteretur, qui ita nudam è suggesto veritatem sine phaleris, & pigmentis detonabat. Vir non fluxæ authoritatis, & nobilitatis amico enixè inuitanti ad illum audiendum assentiri noluit, eumque solitarium abire iussit, causam reddens: se non posse animum suum vincere, vt seculo nuntium remitteret, quod dum non faceret, perinde erat audire SEBASTIANVM, atque vocari in torturam, aut in restim collum induere. Et quia *illa vox* (vt tradit D. Gregorius) *libentiùs auditorum corda penetrat, quàm dicentis vita commendat*, testabantur multi, plus se vnico illius aspectu, quàm comptioribus aliorum sermonibus permoueri. Cùm ad Regium Sacellum denegaretur à P. Rectore, quòd illius ætas, & valetudo iam essent impares oneri concionum, respondebant Academici, sibi omnium maximè frugiferam futuram prædicationem, si tantùm in suggestum conscendat, præbitaque sui vultus copia mutus in Collegium regrediatur.

Pasf. par. 2. cap. 3.

Prædicatio erat illius aspectus.

Illius voci (quod frequentissimum esse docuit D. Bernardus) gratiam, & efficaciam oratio promerebatur, in qua sic assiduus erat, vt illud præceptum: *Sine intermissione orate*: ad vnguem impleuisse videatur. Extremis vitæ annis in ea, cæterisque spiritualibus exercitiis, certum est, horas duodecim singulis diebus collocasse. Aliquando meditationem abrumpens, & è cubiculo egressus, vni quem fortè primum reperit, dixit: gehennæ cruciatus mente expendebam, cui sic ad viuum sunt impressi, vt vita exuendus viderer, nisi tantillum supersederem. Non raro repertus est ita defixus in meditatione, aut Officij diuini pensitatione occupatus, vt introeuntium, concursantiumque intra priuatum cubile, aut sacella strepitum non persenserit. Anno mortem antecedente Frater, qui in domestico sacrario orantem ex occulto loco aucupabatur, illum vidit in solito spiritus œstro, ex scabello quo senile corpusculum fulciebat, exurgentem, & in media area subsistentem ante Christi è cruce pendentis effigiem, vbi postquam hæc verba sæpius ingeminauit: Ah Domine IESV, vnde promeritum huic peccatori, vt ad illius salutem eam crucem, eam mortem sustineres! Aliquantulo temporis spatio hæsit suspensis sensibus, & ab exteriori officio abductis (est quippe magis anima, vbi amat, quam vbi animat,) donec præceps in solum prouolutus est. Accurrit explorator, vellit, trahit, concutit, quin aliquid persentiscat. Post, vbi validè proprio nomine compellatus euigilauit, se deprehensum dolens, Fratrem ablegauit, & ostio pessulum obdidit, ne postea quisquam interturbator sua gaudia contaminaret.

Epist. 201. Orationis assiduitas.

1. Thess. 5. vers. 17.

Orationis attentio.

Cur mirum sit à Deo veteranum militem tot stipendiis exornari, si tyro non minora merebatur? iuuenis adhuc, nec sacris initiatus, post acceptam Eucharistiam externis sensibus ad tantum hospitem excipiẽdum ad interna euocatis penitus elanguit. Mira omnium ad lethargicum, vt putabant, pellendum solicitudo. Hi aquam affundere, illi confricare, alij medicinalium aromatum apothecas euoluere, & sorbitiones præparare. Accersitus tamen insignis Medicus Thomas Rodericus à Vega, cuius extant luculenta in artem suam scripta, cunctos metu liberauit. Vbi enim sopitam, & vix micantem venam tactu solertior explorauit: antidotis (inquit) abstinete, vtinam aliquot horum similia me occupent animi deliqua, vt à meis morbis conualescam!

Deliquium ex deuotione.

In horrenda, vt appellant SS. Patres, Missæ mysteria, incredibile est, quanta reuerentia duceretur. Ad illa se plerumque duabus, nonnunquam tribus horis deprecando, & animum excutiendo exercebat. In illis horam minimum, sæpe longius spatium collocabat. Tam largi temporis magna pars agebatur, cùm ante sacræ synaxis participationem illam præ manibus cunctabundus, & tremulus teneret, & hianti pectore, petitisque ex alto suspiriis, & colloquiis salutaret, totum se lacrymis madefaciens, quæ Deus à nobis in eo Sacramento vectigalia reposcit. Ibi sic humanis rebus terga obuertebat, vt opus esset ministrãti vestem prensare, & loci atque temporis admonere. Peractis Sacris per longissimum tempus gratiarum actionem ad prandium protrahebat, in quo, cùm sæpe iam exacta esset hora post rem diuinam, præ animi in eam attentione, ipsum expertus est minister, quid ederet, non dignoscere; neque scire vbi esset, brachiis nunc in crucem diductis, nunc ante pectora cancellatis. Vtque liberiùs mens suis epulis pasceretur, ministro indicebat, vt quidquid obsonij esset, simul in mensa proponeret, & aliò facesseret.

Reuerentia in sacris Missæ mysteriis.

In persoluendo diuini officij penso eâdem lentitudine morabatur. Cùm enim in eo semper antea cunctator fuisset, in senio quinque, sex, & aliquoties plures consumens horas, verba singula religiosè enunciabat, & attentissimæ considerationis trutina expendebat, *psallens spiritu, psallens & mente.* Somni importunitate vexatus in recitatione, nunc perfrigida hyeme fenestris patẽtibus totam auram diloricato pectore excipiebat, nunc oculos, & tempora aquæ suffusione excitabat. Medico submonenti, vt propter ægritudinem euoluendi Breuiarij curam deponeret, subridens dixit: *Siquidem cum hominibus confabulor, nec iubeor ad sanitatem eorum colloquia subterfugere, nemo tibi persuadeat, me non posse cum Deo familiarem texere sermonem.* Animaduersumque fuit illum, postquam imbecillior est redditus, si à Superiore, vel à Medico inuiseretur, velut de iudustria vocem, & statum corporis intendisse, ne à volutatione Horarum Canonicarum absolueretur.

Diuini officij solicita recitatio.

Aprili ineunte anni M. DC. XV. ætatis septuagesimum tertium agenti cœpit æternitatis aditus ingrauescente valetudine aperiri, doloresque vt instantis depositionis prænuntios agnoscens, orationem, & multiplicata desideria in cœlum præmittebat. Qui egregium virtutum viaticum tota vita præparauerat, biduo ante obitum se petiit diuino communiri, tanto animi sensu, vt præsentes solo aspectu in vberes lachrymas coniecerit. Antiqui Canonis licèt vsu abrogati religione ductus candidum amiculum cum stola sibi imposuit, vt illibatæ mentis puritatem vestis nitore profiteretur. Postquam ad supremam luctam sacræ Vnctionis oleo fuit auctoratus, deprecante P. Rectore, vt quando teste D. Augustino, *pro magno haberi solet verba nouissima parentis ituri ad sepulchrum*, aliquam sententiam altiùs tunc imprimendam assidentium, atque mœrentium filiorum animis proferret: cùm ad id punctum obtusa lingua, & voce intermortua vix hisceret, tunc spiritu ad obedientiæ nutum recalescente, & voce non minus contenta, & æquabili, quàm cùm olim virium integer concionabatur, dixit: *Humiliemini sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore tribulationis. Nihil aliud superest consilij. Simus omnes impensè humiles, Christum Dominum, Deumq; nostrum imitati, qui tota vita vnam à se disci voluit humilitatem*; & moriens inclinato capite emisit spiritum. Nec plura. In sinistrum brachium obnixè collum deflectens, vt magistrum suum plenè referret, intercluſa voce substitit, quousque fœlicissimam egit animam Aprilis die XIIII. eâdem hora, qua ille, nona scilicet, & in eâdem hebdomada, quæ maior erat, post annos quinquaginta septem ab inita Societate.

Fœlicissima illius obitus.

Ser. 6. lib. 1. homil.

Omnium, qui aderant, animos dolor ingens sauciauit, & ad exosculandam charissimi Parentis dexteram, lachrymisque abluendam prouoluit: eorumque manus ad piam sacrarum vestium rapinam, quo viliorum, eò pretiosiorum: vnguium, pilorum, & chartularum armauit. Sub vesperam cadauer magnificè amictum

Concursus omnium ad cadauer.

amictum infulis holofericis ex auro interrafili, & in penetrali Collegij facello, ſublimi loco expoſitum, ad ſe totam Academiam, & ciuitatem conciuit. Vbi poſtquam externorum, & noſtrorum lachrymis illi eſſet per totam noctem parentatum, die inſequenti elatum fuit ad templum, Rectoris Academici præſentia, Doctorum, & Collegarum pompa domeſticam adaugente, & Illuſtriſſimo D.D. Alfonſo à Caſtelbranco, Epiſcopo Conimbricenſi, & Comite Arganilenſi ad templi oſtium præſtolante. Vix irrumpere potuimus conglobatæ multitudinis examen, quòd ad pheretrum velut ad ſuum alueum, & aſylum conuolabat, áliis ſuper alios, ſacros pedes manuum tactu libantibus, his ſudariola, illis globulos precatorios ingerentibus. His & aliis pietatis ſignificationibus à vulgo & nobilitate præſtitis anteactę diei dolor ex recenti morte noſtris recruduit. Poſt longam cum populi ardore colluctationem, ad deſtinatam, ſed præoccupatam maioris adyti aream ventum eſt, cœptaque non vocibus, ſed eiulatibus, ac prope fœmineis lamentis decantari funebres precationes, quæ tamen irruentis populi fremitu opprimebantur, cùm certarent omnes aliquam ex ſacri cadaueris exuuiis ſibi vendicare, vel ſaltem ex ſuis veſtibus, ac rebus aliquam illius tactu conſecrare. Mappulas, piaculares pilulas precum B. Virginis, pioſque alios libellos noſtri excipiebant, & vnà cum ipſis cadaueri applicabat is, cui hanc ſaltem memoriam debemus, (quando parem gratiam reddere non poſſumus) Illuſtriſſimus Doctor Vaſcus de Soſa, Comitis à Miranda filius, Canonicus Braccarenſis, Florenſis, Conimbricenſis, noſtro nomini deditiſſimus, quem poſt annos quatuor allectum Academię Rectorem triumphauimus, ſed ante quatuor menſes à libato moderamine tumulatum in noſtro templo prope P. SEBASTIANI ſepulchrũ cum multis defleuimus. Primo nocturno euoluto duo alia increbreſcens vulgi ſtrepitus præcidit: tranſiliendumque fuit ad laudes, & Sacrum, gliſcente in ſingula momenta fremitu, multiſq; non ſine periculo luxandi aut diſſoluendi conſcendentibus in magnificum pegma, quo fulcienda erat honoraria thenſa, ex ſolemni Eccleſiæ ritu, ad Euchariſtiam ſequenti die (quæ erat feria quinta in Cœna Domini) publicè exponendam. Deo tamen reſpiciente, & ſancto viro exorante effectum eſt, ne quidquam damni inferretur. Sepulchrum excauatum erat prope aram: *Dignum enim eſt, vt ibi requieſcat ſacerdos, vbi offerre conſueuit*, vt ait D. Ambroſius. Eſt autem B. Virgini à Niuibus ara dicata, vbi illum Magna mater, quæ ad Societatem pertraxerat, *veluti ſinu quodam* (ita loquitur in re ſimili D. Cyprianus) *gremij amplectentis includit.*

Funus, & in eo omnium Ordinum deploratio.

Epiſt. 85.

Lib. de laude martyr.

Ægrè ſepulchro cadauer inducitur.

Cadauer in tumulum abſtrudere hoc opus, hic labor fuit, multitudine huc ſe totam addenſante: partim dolente, quòd cæleſti illo pignore orbaretur: partim expetente, vt aliquod ſibi ſpolium relinqueretur. Præeunte Illuſtriſſimo Rectore Academiæ, alij certatim labia pedibus, atque manibus frigentis appreſſerunt; nec rubori fuit, palam calceolos, tibialia, pileum, & linteamina expilare, & amicis ex rapto impertiri. Qui longiùs auulſi erant, quo non poterant corpore, clamoribus accedebant Sanctum turmatim proclamantibus, & mutuo conniſu impedientibus per longum ſpatium, ne ſepulchro inderetur; donec quà precibus, quæ tunc minùs valebant, quà vi obtentum eſt, vt inter lamenta dolentium tantam cladem, & plauſus expendentium ſtatim ab exitu illum à Deo ita honorari, qui de ſolo ſui contemptu cogitabat, in ligneum conditorium demitteretur, addita plumbi lamina, indice quondam inſculpti nominis, anni, dieique obitus futura.

Quid ſcripſerit, & quo animo.

Hæc ex plurimis, atque eximiis tanti herois virtutibus delibauimus exactiorem ſcriptionem concinnatoribus annalium relinquentes. Is enim fuit P. SEBASTIANVS BARRADIVS, cuius præſentiam admirabundè noſtrum ſeculum ſuſpexit, cuius memoriam gratanter excipient anni conſequentes. Illi enim laborauit præſtantiſſimis exemplis, quæ ad ſingula veſtigia nobis ſtupentibus ferebat, cùm ipſius *habitus, inceſſus, ſermo, vultus, doctrina virtutum eſſet*, qualem D. Hieronymus deſiderabat; iſtis, laborioſorum, & vtiliſſimorum voluminum excuſſione, de quibus edendis non per ſomniũ cogitabat, donec quinquagenarius iuſſus eſt à Superioribus Concordiam Euãgelicam exordiri. Quod munus ob honoris coniunctionem primò obſtinatè detrectauit; enitens ſe totum hominibus prædicatione conuertendis mancipare: ſed poſtea manus dedit, reputans ſe verbo paucis, ſcripto poſſe toti conſulere poſteritati; ſiquidem, vt prodit Tertullianus: *loquitur in ſtylo, auditur in cera manus omni ſono clarior, litera omni ore vocalior.* Hoc conſilio conciones ſuas Moralibus ſuorum librorum capitibus intexuit, in quibus videre licet in quem ſemper ſcopum dicendo collineauerit. In iis cum Dauide *lux eſt gentium*, & *Deum in omnibus populis confitetur.* Quia vt ille, authore Theodoreto, *in omnibus vrbibus & pagis, in terra, & in mari, in regione habitata, & in ſolitudine per piorum hominum linguas Deum decantat* ob pſalmos à ſe compoſitos, qui omnium ore circumferuntur; ſic vbique prędicat BARRADIVS, tam locupletẽ vbique prædicatoribus ſyluam exhibens. Sed quantus in litera? quantus in trium linguarum peritia? Quatuor edidit tomos in Harmoniam Euangeliorum, & minorem iſtum in Manſiones filiorum Iſrael, quem ſi Lector prioribus breuiorem repererit, veniam tribuat ſenectuti, & continentibus morbis, inter quos illum elucubrauit. Præterea, cùm propius optatam metam eſſet, plus temporis ſuffurabatur orationi, quàm lectioni; vnde forſan huic tomo plus ſuberit ſpiritus, qui ideo, vt arbitratur D. Petrus Chryſologus, in Ioanne Baptiſta fuit robuſtior, *quia natus eſt ſancto de corpore ſacerdotis, & ſumma ſenectute ab omnibus vitiis defœcato.*

Epiſt. 4. ad Ruſticu.

Lib. de Idololatr. cap. 23. Pſal. 7. 50. Quæſt. 45. in lib. 2. Reg. & in Pſalm. 17.

Serm. 88.

Multum illi debet Luſitania, quam multòs annos Grammaticam, Rhetoricam, Philoſophiam, & ſacras literas, ſemper intaminatam doctrinam erudiuit. Plurimum debet Societas, quam præclaris exemplis, & ſanctitatis fama nobilitauit. Præter cæteros P. Franciſcus Soarius eum ſemper ſanctũ ſenem appellabat, addens, maximo dolori ſibi eſſe, quòd ille ob ſenium auditu eſſet hebetiori, quo impediebatur, ne ſuas cum eo res, & animi queſtiones lentiùs, & frequẽtiùs conferret: ſæpiuſque admirabatur tantum gratiæ theſaurum, à Patre luminum, & Authore bonorũ in vaſe fictili corporis adeò inualidi repoſitum. Eadem mens, eadem vox erat omnium palam aſſerentium, ſi eadem nunc eſſent tempora, quæ olim cùm pia vulgi, & ſana doctiorum conſpiratio Sanctos Canoni aſcribebat, SEBASTIANVM ſtatim illis fuiſſe adnumerandum, in quo nihil diſſentaneum magnorum Confeſſorum, & Doctorum dictis, atque factis reperiretur. De illius in nos ante Deum patrocinio, Patres, Fratreſque chariſſimi, nulli ambigendum. Quamuis enim in ſe duriſſimus cenſor eſſet, ac ſatelles rigidiſſimus, erga quemlibet è Societate mitiſſimus, ac ſuauiſſimus fuit. Et qui veſtris in oculis tenues, in illius corde quàm maximi eratis. Faxit Deus, vt ſicut in ipſo habuimus in terris Doctorem integerrimum, & nunc in cœlo habeamus deprecatorem, ſic nos inde videat ſuarum virtutum imitatores, vt eum tandem videamus, ſicut de Cæſario ſuo dicebat Nazianzenus, *Non iam peregrinantem, nec qui iam ab aliis feratur, & lugeatur, ac miſerationi ſit, verùm clarum, illuſtrem & excelſum!*

Omnium de illo ante, & poſt mortem opinio.

Orat. 10.

LICENTIA R. P. PROVINCIALIS
Societatis IESV *in Prouincia Lusitana.*

EGO Franciscus Pereira Societatis IESV in Prouincia Lusitana Prouincialis potestate ad hoc mihi facta à Reuerendo admodum Patre Mutio Vitelleſco facultatem concedo, vt opus inscriptum, *Itinerarium filiorum Iſrael ex Ægypto in terram repromiſſionis*, compoſitum à Patre SEBASTIANO BARRADAS noſtræ Societatis Doctore Theologo, olim in Academia Eborenſi ſacrarum litterarum profeſſore, eiuſdémque Societatis Patrum iudicio approbatum, typis mandetur. Conimbricæ 6. Decembris, 1617.

FR. PEREIRA.

FACVLTAS R. P. PRÆPOSITI PROVINCIALIS
Prouinciæ Flandro-Belgicæ.

GVLIELMO A TVNGRIS ET CONSORTIBVS.

DEſideraſtis à me facultatem edendi *Itinerarium filiorum Iſrael ex Ægypto in terram repromiſſionis*, quod P. N. SEBASTIANVS BARRADAS compoſuit. Hanc ego ex Priuilegio Sereniſſimorum Archiducum noſtrorum circa impreſſionem auctorum Societatis noſtræ mihi facto lubens concedo; atque huic conceſſioni fidem manu mea & officij ſigillo facio. Antuerpiæ 6. Februarij anno 1621.

ANTONIVS SVCQVET.

APPROBATIO CENSORIS.

OPVS SEBASTIANI BARRADAS Olyſſiponenſis è Societate IESV cõtinens *Itinerarium filiorum Iſrael ex Ægypto in terram repromiſſionis*, plurimorum doctorum virorum iudicio approbatum digniſſimum iudico quod ad inſtructionem & conſolationem plurimorum, in lucem emittatur. Datum Antuerpiæ hac 21. Octobris, 1620.

Zegerus van Hontſum S. T. L.
Canonicus & Pœnitentiarius Antuerp.
nec non Librorum Cenſor.

SERIES LIBRORVM, ET CAPITVM HVIVS OPERIS.

LIBER PRIMVS.

CAP. I. *De terra Ægypti.* num. 1.
II. *De terra repromiſſionis.* 6.
III. *Morale. De Ægypto, & terra repromiſſionis.* 10.
IV. *De ingreſſu Iſraelitarum in Ægyptum, & mira propagatione.* 15.
V. *Morale. De ingreſſu Iſraelitarum in Ægyptum.* 17.
VI. *De oppreſſione Hebræorum in Ægypto.* 21.
VII. *Morale. De oppreſſione Hebræorum.* 27.
VIII. *De obſtetricibus, & paruulorum ſubmerſione in flumine.* 29.
IX. *Morale. De obſtetricibus, & ſubmerſione infantium.* 34.
X. *De Moſe Hebræorum liberatore in flumine expoſito.* 35.
XI. *Morale. Moſes à filia Pharaonis Regis tollitur.* 38.
XII. *Morale. De Moſe expoſito in flumine.* 40.
XIII. *Moſes Hebræos inuiſit Ægyptium occidit, ad Madianitas fugit.* 43.
XIV. *Morale. Hebræos inuiſit, Ægyptium occidit, ad Madianitas fugit.* 48.
XV. *Mittitur Moſes ad liberandum populum.* 51.
XVI. *Morale. De miſſione Moſis ad Pharaonem.* 58.
XVII. *Moſes ire recuſat ad Pharaonem.* 65.
XVIII. *Morale. Moſes ire recuſat ad Pharaonem.* 74.

LIBER SECVNDVS.

CAP. I. *Moſes, & Aaron ad Pharaonem ingrediuntur, & Dei mandatum nuntiant.* 79.
II. *Morale. Moſes, & Aaron Pharaoni mandatum nuntiant.* 82.
III. *An Deus nomen Iehoua Patribus manifeſtauerit?* 87.
IV. *Moſes incipit ſigna facere coram Pharaone.* 94.
V. *Morale. Moſes incipit ſigna facere coram Pharaone.* 97.
VI. *De plagis Ægypti. De prima plaga ſanguinis.* 106.
VII. *Morale. De prima plaga ſanguinis.* 110.
VIII. *De ſecunda plaga ranarum.* 111.
XI. *De tertia plaga ſciniphum.* 115.
X. *De quarta plaga muſcarum.* 119.
XI. *Morale. De tertia, & quarta plaga.* 122.
XII. *De quinta plaga peſtis animalium.* 127.
XIII. *De ſexta plaga veſicarum.* 129.
XIV. *De ſeptima plaga grandinis.* 131.
XV. *Morale. De quinta, ſexta, & ſeptima plaga.* 136.
XVI. *De octaua plaga locuſtarum.* 141.
XVII. *Morale. De locuſtis.* 144.
XVIII. *De nona plaga tenebrarum.* 147.
XIX. *Morale. De nona plaga tenebrarum.* 152.
XX. *De decima plaga, & vltima cædis primogenitorum.* 155.
XXI. *Morale. De decima plaga.* 163.
XXII. *De immolatione agni paſchalis.* 165.
XXIII. *Morale. De agno paſchali.* 177.
XXIV. *Morale. De agno paſchali, vt vmbra erat Chriſti.* 128.

LIBER TERTIVS.

CAP. I. *De ampla facultate data Hebræis, & de ſpoliatione Ægyptiorum.* 189.
II. *Morale. De ſpoliatione Ægyptiorum.* 192.
III. *De prima manſione, ex qua profecti ſunt Iſraelitæ.* 195.
IV. *Morale. De prima manſione.* 198.
V. *De initio itineris filiorum Iſrael.* 202.
VI. *Morale. De initio itineris filiorum Iſrael.* 207.
VII. *De ſecunda, tertia, & quarta manſione.* 211.

VIII. De

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA

VIII. *De secunda, tertia, & quarta mansione. Morale.* 213.
IX. *De submersione Pharaonis.* 215.
X. *De mari rubro.* 220.
XI. *De transitu maris rubri.* 223.
XII. *Morale. De maris rubri transitu.* 227.
XIII. *De cantico Mosis.* 235.
XIV. *De cantico Mosis.* 240.
XV. *Explicatur canticum de Christo summo triumphatore.* 244.
XVI. *De quinta mansione in Marah, & de sexta in Elim, & de septima iuxta mare rubrum.* 249.
XVII. *Morale. De Marah, & Elim.* 252.
XVIII. *De octaua mansione in deserto Sin.* 255.
XIX. *Morale. De manna.* 264.
XX. *De aliis mansionibus vsque ad Raphidim, & de flumine aquæ ex rupe dato.* 271.
XXI. *De prælio cum Amalecitis cõmisso.* 275.
XXII. *Morale. De mansione vndecima Raphidim.* 279.
XXIII. *De aduentu Iethro ad Mosem.* 289.
XXIV. *Morale. De aduentu Iethro ad Mosem.* 296.

LIBER QVARTVS.

CAP. I. *De mansione duodecima montis Sinai, & præparatione populi in aduentum Dei.* 301.
II. *De aduentu Domini in montem Sinai.* 305.
III. *Morale. De mansione duodecima montis Sinai.* 308.
IV. *De promulgatione legis.* 315.
V. *Morale. De promulgatione legis.* 320.
VI. *De promissione Messiæ.* 323.
VII. *De pacto inito cum Deo ab Israelitis.* 327.
VIII. *Morale. De pacto inito cum Deo ab Israelitis.* 330.
IX. *Moses, & Aaron, & seniores Deum in monte Sinai vident.* 333.
X. *De tabulis prioribus, quas Moses à Deo accepit.* 337.
XI. *Morale. De tabulis prioribus Mosi datis.* 341.
XII. *De fabricatione, & adoratione vituli.* 345.
XIII. *Morale. De fabricatione, & adoratione vituli.* 351.
XIV. *Descendit de monte Moses, & frangit primas tabulas, & vitulum comminuit.* 355.
XV. *Morale. De fractione tabularum, & vituli contritione.* 357.
XVI. *De supplicio sumpto ex cultoribus vituli.* 363.
XVII. *Morale. De supplicio sumpto ex cultoribus vituli.* 369.
XVIII. *De Mosis precatione pro populo.* 373.
XIX. *Morale. De Mosis deprecatione pro populo.* 377.
XX. *De pœnitentia populi.* 381.
XXI. *Morale. De pœnitentia populi.* 386.
XXII. *Petit Moses à Deo, vt populum præcedat, & gloriã suam ipsi Mosi ostendat.* 389.
XXIII. *Morale. Moses petit sibi ostendi gloriam Dei.* 397.
XXIV. *Morale. Moses petit sibi ostendi gloriam Dei.* 402.
XXV. *Apparet in monte Deus Mosi in corpore fulgenti, & tabulas secundas tradit.* 405.
XXVI. *Morale. De secundis tabulis Mosi datis.* 412.

LIBER QVINTVS.

CAP. I. *De tabernaculo, & iis, quæ oblata sunt ad illud construendum.* 419.
II. *Morale. De oblationibus Israelitarum ad construendum tabernaculum.* 422.
III. *De artificibus tabernaculi.* 425.
IV. *De tabulis tabernaculi.* 429.
V. *De operimentis tabernaculi.* 433.
VI. *De duabus domibus tabernaculi, & duobus velis.* 435.
VII. *De atrio, & paxillis tabernaculi, de altari holocaustorũ, & labro æneo.* 437.
VIII. *De sumptibus tabernaculi, & exemplari, & numeratione populi.* 443.
IX. *Morale. De tabernaculo.* 447.
X. *Morale. De iis, quæ erant in tabernaculo.* 454.
XI. *Morale. De iis, quæ erant in atrio tabernaculi.* 458.
XII. *Morale. Confertur religiosus status cum Sanctis sanctorum.* 462.
XIII. *De erectione, & vnctione tabernaculi.* 465.
XIV. *Morale. De erectione, & vnctione tabernaculi.* 469.
XV. *De consecratione sacerdotum.* 473.
XVI. *Morale. De consecratione sacerdotũ.* 478.
XVII. *De primis sacrificiis oblatis ab Aarone, & de filiorum duorum morte.* 487.
XVIII. *Morale. De primis sacrificiis, & morte Nadab, & Abiu.* 491.
XIX. *De consecratione, & ministerio Leuitarum.* 493.

LIBER SEXTVS.

CAP. I. *De sacrificiis.* 499.
II. *De holocausto.* 503.

III. *Morale.*

III. *Morale. De sacrificiis.* 507.
IV. *De oblationibus ex panibus & farina.* 513.
V. *Morale. De oblationibus ex panibus, & farina.* 516.
VI. *De hostia pacifica, de adipe, & sanguine.* 521.
VII. *Morale. De hostia pacifica, adipe, & sanguine.* 525.
VIII. *De hostia pro peccato, & delicto.* 533.
IX. *Morale. De sacrificio pro peccato, & delicto.* 538.
X. *De oblationibus principum, & aliis.* 547.
XI. *De profectione populi ex monte Sinai.* 557.
XII. *Morale. De profectione populi ex monte Sinai.* 561.

LIBER SEPTIMVS.

CAP. I. *De mansione decima tertia, quæ dicitur Sepulchra concupiscentiæ, & electione septuaginta seniorum.* 567.
II. *Morale. De electione septuaginta seniorum.* 575.
III. *De coturnicibus, quas Dominus in castra misit.* 579.
IV. *Morale. De coturnicibus populo datis.* 584.
V. *De Mansione decima quarta, & detractione Mariæ aduersus fratrem suum Mosen.* 589.
VI. *De numero, & ordine mansionum.* 597.
VII. *De missione exploratorum ex Cadesbarne.* 599.
VIII. *Morale. De missione exploratorum ex Cadesbarne.* 606.
IX. *De murmuratione populi post auditos exploratores.* 611.
X. *De supplicio Israelitarum.* 619.
XI. *Morale. De murmuratione, & supplicio Israelitarum.* 623.
XII. *Morale. De supplicio Israelitarum.* 628.

LIBER OCTAVVS.

CAP. I. *Numerantur mansiones vsque ad Cades, & reuertuntur Israelitæ in solitudinem.* 631.
II. *De seditione Core, Dathan, Abiron, & aliorum.* 635.
III. *Morale. De seditione Core, Dathan, & Abiron.* 642.
IV. *Morale. De Dathan, & Abiron.* 647.
V. *Morale. Aaron Deum iratum placat.* 651.
VI. *De virga Aaronis, quæ fronduit.* 653.
VII. *De mansione trigesima tertia, quæ dicitur Cades, in qua aquam ex rupe eduxit Moses.* 659.
VIII. *Morale. De aqua contradictionis, quæ ex rupe profluxit.* 664.
IX. *Rex Idumææ prohibet Hebræos iter facere per Idumæam.* 667.
X. *De mansione trigesima quarta montis Hor.* 669.
XI. *Morale. De morte Aaronis.* 672.
XII. *De rege Aradiorum victo, & anathemate vrbium illius.* 679.
XIII. *Morale. De anathemate vrbium Regis Arad.* 681.
XIV. *De serpente exaltato in deserto.* 682.
XV. *Morale. De serpente exaltato in deserto.* 684.
XVI. *Profecti filij Israel, castrametati sunt in Oboth, postea de torrentibus Arnon, & puteo.* 687.
XVII. *Regem Sehon, & Regem Basan vincit Moses, regnáque eorum in potestatem Israelitarum redigit.* 691.

LIBER NONVS.

CAP. I. *De postrema mansione. Balac vocat Balaam magum.* 699
II. *Balaam inuitus benedicit populo.* 705.
III. *Balaam inuitus benedixit populo.* 709.
IV. *Balaam populo inuitus benedicit.* 711.
V. *Consilio Balaam in fornicationem, & idololatriam præcipitatur populus, & punitur.* 717.
VI. *Puniuntur Madianitæ.* 721.
VII. *Morale. De Balaam.* 725.
VIII. *Morale. De benedictione Balaam.* 731.
IX. *Morale. De consilio Balaam, & supplicio Israelitarum.* 737.
X. *De numeratione populi, & electione Iosue in principem.* 739.
XI. *Morale. De numeratione populi, & electione Iosue in principem.* 743.
XII. *Tribui Ruben, Gad, & dimidiæ tribui Manasse datur terra, quæ trans Iordanem est.* 745.
XIII. *Morale. Tribui Ruben, Gad, & dimidiæ tribui Manasse datur terra, quæ trans Iordanem est.* 749.
XIV. *De cantico Mosis.* 753.
XV. *De cantico Mosis.* 766.
XVI. *Morale. De cantico Mosis.* 773.
XVII. *Morale. De cantico Mosis.* 779.
XVIII. *Morale. De cantico Mosis.* 787.
XIX. *Morale. De cantico Mosis.* 797.
XX. *Morale. De cantico Mosis.* 803.

LIBER

LIBER DECIMVS.

CAP. I. *De benedictionibus Mosis, & Iacob.* 805.
II. *De benedictionibus Mosis, & Iacob.* 809.
III. *De benedictionibus Iudæ, & Leui.* 813.
IV. *De benedictione Beniamin, & Ioseph.* 817.
V. *De benedictione Zabulonis, & Issachar.* 823.
VI. *De benedictione Gad, & Dan.* 825.
VII. *De benedictione Nephthali, & Aser.* 829.
VIII. *Morale. De benedictionibus Mosis, & Iacob.* 832.
IX. *De Ruben, & Iuda.* 835.
X. *Morale. De benedictione Leui.* 839.
XI. *Morale. De benedictione Beniamin.* 843.
XII. *Morale. De benedictione Ioseph.* 846.
XIII. *Morale. De benedictione Zabulonis.* 849.
XIV. *Morale. De benedictione Issachar, Gad, & Dan.* 852.
XV. *Morale. De benedictione Nephthali, & Aser.* 858.
XVI. *Morale. De vxoribus, & filijs Iacob.* 863.
XVII. *De morte Mosis.* 869.
XVIII. *De sepulchro Mosis, & prophetia.* 874.
XIX. *Morale. De morte Mosis.* 878.
XX. *Morale. De introitu in terram repromissionis.* 884.

FINIS.

ITINE-

ITINERARII FILIORVM ISRAEL EX ÆGYPTO IN TERRAM REPROMISSIONIS

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

De terra Ægypti.

1

PVS aggredimur vtile, varium, &, vt spero, iucundum; vota secundet Deus: videlicet ITINERARIVM FILIORVM ISRAEL, ea continens, quæ Israëlitis in longo illo acciderũt itinere, quod ab Ægypto, in terrã vsque repromissionis fecerunt spatio annorũ quadraginta. Illi verò Israëlitę typum gessere Christianorũ, vt Paulus docet 1. Corinth. 10. *Hæc*, inquit, *omnia in figura facta sunt nostri*. Item: *Hæc omnia in figura contingebant illis; scripta sunt autem ad correctionem nostra*. Ideo de Israëlitis sensu agemus literali; de Christianis, sensu mystico, ac morali. Complectitur iter Israëlitarum quatuor Mosis libros, EXODVM, LEVITICVM, NVMEROS, DEVTERONOMIVM, & quadraginta duas mansiones, siue castrametationes. Ex his libris ea explicabimus, quæ ad hoc iter spectant.

1. Cor. 10.

2 Tria sunt in itinere. Terminus, *à quo* iter fit (vt philosophicè loquamur.) Terminus, *ad quem* tendit: & Via inter hos duos terminos interiecta. Dicamus priùs de terminis *à quo*, & *ad quem*, postea de Via dicendum erit. Terminus, siue locus, *à quo* Israelitæ profecti sunt, Ægyptus est; habitabant enim in Ægypto. Terminus *ad quem*, est terra promissa, ad quam per solitudinem iter habuerunt.

3 Ægyptus autem Hebraicè מיצרים *Misraim* à Misraim, & eius posteris, qui hanc regionem primi incoluerunt; vnde Iosephus lib. 1. antiquit. cap. 6. Ægyptum, inquit, Mesren, & Mesræos Ægyptios vocamus, quotquot eam regionem incolimus, &c. Erat Mizraim filius Cham, filij Noë; quãobrem Ægyptus dicitur etiã terra Chã. Ps. 105. *Iacob accola fuit in terra Cham*; id est, in Ægypto. & Psal. 104. *Fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham*. Dicta autem est Ægyptus, vt Eusebius ait in chron. à Rege, qui Ægyptus vocabatur. Ante hunc Regem Aeria

Iosephus. Ægyptus dicitur Misraim & terra Chã.

Psal. 105. Psalm. 104. Vnde dicatur Ægyptus.

A est nominata. Ferax est frumenti, vt constat ex Iosepho lib. 5. de bello, cap. 11. Sciens, inquit, Vespasianus Ægyptum plurimam esse partem imperij propter frumentariam functionem, &c. Causa est Nilus fluuius, à quo tota irrigatur instar horti: Non est enim montosa, sed campestris, Deut. 11. *Terra ad quam ingrederis possidendam, nõ est sicut terra Ægypti, de qua existis; vbi iacto semine in hortorũ morem aquæ ducũtur irriguæ.* Philo lib. de Abraham: Ægypti, inquit, campi solemni stagnatione fluminis Nili rigati, copiosas segetes proferunt, auris tempestiuis nutritas, ac maturatas, &c. Non sunt in Ægypto pluuiæ, vt idem auctor docet lib. 1. de vita Mosis: Circa brumam (inquit) Ægyptus irroratur paruis, rarisque pluuiis; duntaxat in locis maritimis; supra Memphim autem Regiam nullas omnino sentit. Item: Ægyptus ex quatuor anni temporibus, vnam hyemem ignorat, &c. Pro pluuia Ægypti, Nilus est. Philo eodem libro: Quid aliud (inquit) est Nilus, quotannis arua inundans, & irrigans; quàm terrestris pluuia? &c. & lib. 1. de profugis: Quod cęlum per hyemem pręstat aliis regionibus; hoc Nilus Ægypto horis æstiuis exhibet; cælum supernè terram compluit: Nilus, quod mireris, infernè pluens atua irrigat, &c. In aliis regionibus, agricolæ pluuiam desiderantes, cælum aspiciunt: At in Ægypto (ait Seneca) nemo aratorum aspicit cælum, &c. Quid igitur aspicit? suum Nilum; illorum cælum fluuius est. Contingit Nili inundatio æstiuo tempore, Seneca lib. 4. natural. quæst. in præfat. Natura (inquit) ita Nilum disposuit, vt eo tempore inundaret Ægyptum, quo maximè vsta feruoribus terra, vndam altiùs traheret; tantum haustura, quantum siccitati annuæ sufficere possit. Nam in ea parte, quæ in Æthiopiam vergit, aut nulli imbres sunt, aut rari, & qui insuetam aquis cælestibus terram non adiuuent. Hæc ille. Stagnat effusus ex alueo, eoque stagnante, est Ægyptus altera forma maris. Illa (inquit Seneca) facies

Frumenti est ferax Ægyptus. Iosephus.

Ægyptus est terra campestris.

Nilo irrigatur. Deut. 11.

Philo.

Non sunt pluuiæ in Ægypto. Ignorat hyemem.

Nilus est pluuia terrestris Ægypti.

Seneca.

Nilus stagnat & terram Ægypti aquis operit.

Seneca.

pulcherrima est, cùm iam se in agros Nilus ingessit, latent campi operteque sunt valles, oppida insularum modo extant. Nullum in mediterraneis, nisi per nauigia commercium est, &c.

4 Ex hac inundatione pendet agrorum fertilitas; ideo ait Seneca: Maior est lætitia gentibus, quo minus terrarum suarum vident, &c. Lætantur enim cùm terras omnes aquis cernunt opertas, metiuntur præterea fluminis incrementum, & profunditatem cubitis, vnde Plinius lib.5.cap.9. Ægyptus, inquit, in duodecim cubitis crescentis Nili famem sentit; in tredecim etiamnum esurit; quatuordecim cubita hilaritatem afferunt; quindecim securitatem, sexdecim delicias, &c. Et Seneca citatus: Quantum creuit Nilus, tantum spei in annum est, &c. Item: Vnam Ægyptus in Nilo spem suam habet; proinde aut sterilis annus, aut fertilis est, prout ille magnus influxit, aut parcior, &c. Solinus cap. 34. nimium incrementum fluminis, Ægypto nocere scribit his verbis: Addunt, inquit, nonnulli pariter Nilum nocere, siue abundantiùs exæstuet, siue parciùs, quandoquidem exiguitas minimum fœcunditatis apporter; propensior copia diuturno humore culturam moretur, maximos eius exitus cubitos duodeuigiuti consurgere: iustissimos sexdecim temperari; neque in quindecim abesse prouentus fructuarios, sed quidquid intra sit, famem facere. Sic ille. Addit idem Solinus; Illud palam est, quòd solus ex amnibus vniuersis nullas expiret auras, &c. Plinius in panegyrico: Ægyptus (inquit) alendis, augendisque seminibus, ita gloriata est, vt nihil imbribus, cæloque deberet. Hæc inopina siccitate vsque ad iniuriam sterilitatis exaruit; quia piger Nilus cunctanter alueo sese, ac languidè extulerat, frustra tunc Ægyptus nubila optauit, cælumque respexit, &c. Affert autem fertilitatem Ægypto hic fluuius, quia eius aqua irrigat terram, & limum infert. Alij fluuij terras exedunt, vel arenis iniectis steriles reddunt: Nilus oblimat. Seneca: Mira, inquit, est natura Nili, quòd, cum cæteri amnes abluant terras, & euiscerent; Nilus adeò nihil exedit, nec abradit, vt contra adiiciat vires; illato limo, arenas saturat, ac iungit, &c. Ideo turbida est Nili aqua, Ieremias cap. 2. *Quid*, inquit, *tibi vis in via Ægypti, vt bibas aquam turbidam?* scilicet Nili. Hebraicè propter aquam turbidam dicitur שיחור *Sichor*, id est, niger. Iosue c. 13. *A fluuio*, inquit, *turbido, qui irrigat Ægyptum*, Hebraicè שיחור *Sichor*, qui irrigat, מיצרים *Misraim*, id est, *Ægyptum*. Nilus ergo fertilitatem efficit Ægypti. Quamobrem fame grassante in terra Chanaan, in Ægyptum abiit Abraham, Gen.12.

Ægyptij metiuntur Nili incrementum singulis annis.

Fertilitas Ægypti pendet ex inundatione magna Nili. Solinus.

Plinius.

Seneca.

Nilus nõ exedit agros, sed oblimat.

Ierem.2.

Iosue 13.

5 Neque solùm fertilitatem, sed ipsius etiam Ægypti agros qui à Nilo irrigantur, à Nilo factos esse illato limo, nonnulli ex antiquis scripserunt. Plinius lib.2. cap. 85. Nascuntur, inquit, nouæ terræ, fluminum inuectu, sicut maior pars Ægypti à Nilo congesta; in quem ab insula Pharo, noctis, & diei cursum fuisse, Homero credimus. Item lib.35.cap.2. Multus (inquit) alias in admiratione Circes Homerus, gloriam herbarum Ægypto tribuit: Cùm etiam Ægyptus illa, quæ rigatur, tunc non esset; postea fluminis limo inuecta, &c. Aristoteles lib. 1. Meteor. cap. 15. Tota, inquit, regio, id est, Ægyptus, quæ fluminis tantùm inuectu nata est, semper aridior effici videtur, &c. Item: Antiquitus tota Ægyptus vrbe constabat, quam Thebas vocabant, id quod & Homerus declarat; qui non adeo multo post eiusmodi mutationes floruit. Nam loci illius mentionem facit, tanquam nec dum, ait omnino, aut certè tanta existente Memphi. Sic Aristoteles. Herodotus lib. 2. ait se à Sacerdotibus Ægypti accepisse, sub Mene rege mortalium primo, præter Thebaicam plagam Ægyptum fuisse palustrem. Thebaica autem plaga, superior est Ægypti pars: ipse verò Herodotus ait, manifestum esse diligenter inspicienti, Ægyptum, ad quam Græci nauigabant, accessionem esse terræ, ac Nili fluuij donum. Addit: Delta defluxa humus est, ac nuper, vt sic dicam, extitit, &c. Dicitur verò Delta pars inferior Ægypti, à figura literæ Græcæ Δ triangulari; Vnde Plinius lib.5. cap. 9. Nilus, inquit, ita se findit, vt triquetram terræ figuram efficiat: ideò multi Græcæ literæ vocabulo Delta appellauere Ægyptum, &c.

Nouæ terræ fluminum inuectu nascuntur.

Sic nata dicitur pars Ægypti.

Aristot.

Herodot.

Thebaica plaga est pars superior Ægypti.

6 Sed falsam esse opinionē, probat peregrinatio Abrahæ in Ægyptum, vt famem fugeret; quæ ideò fertilissima erat, quia à Nilo irrigabatur. Irrigatam etiam à Nilo, ostendunt verba illa Deut. cap. 11. *In Ægypto iacto semine in hortorum morem, aquæ ducuntur irriguæ.* Idem ostendūt verba Iosue 13. citata: *A fluuio turbido, qui irrigat Ægyptum.* Ergo Ægyptus iam ante tēpora Iosue, & Mosis, & Abrahæ extabat; illa (inquam) Ægyptus, quæ Delta appellatur, & in illa filij Israel habitarunt. Abraham autem, Moses, & Iosue, ante bellum Troianum fuerunt; & filij Israel in Ægypto ante bellum Troianum habitarunt. bellum enim Troianum tempore Heli summi Sacerdotis, & Iudicis Hebræorum extitit. Homerus verò multo post bellum Troianum floruit. Vnde efficitur multo ante Homerum, & bellum Troianum extitisse Ægyptum à Nilo irrigatam, neque accessionem esse terræ, à Nilo congestæ. Lege Herodotum lib.2.

Deut. 11. Refutatur opinio.

7 Exortus est Ægypti principatus paulo post diluuium; quamuis Gerhardus cum ipsis penè primis hominibus ante diluuium extitisse scribat. Etenim Misraim, filius Cham, & nepos Noë, post diluuium Ægypto nomen dedit, vt perspicuum est; primusque fuisse videtur illius regionis princeps. Eusebius in Chronico, triginta numerat Ægypti dynastias, id est, potestates, siue principatus. A decima sexta sumit numerandi initium, atque ortum esse Abraham anno primo huius dynastiæ, & anno quadragesimotertio Regis Assyriorum Nini. Ante ortum igitur Abrahæ, præcesserant quindecim dynastiæ post diluuium in Ægypto, per annos 290. qui à diluuio vsque ad Abraham numerantur. Non longo singulæ durarunt tempore; ipsa decima sexta spatio 190. permansit.

Principatus Ægypti antiquissimus est.

Eusebius.

De dynastiis Ægypti.

8 Diuersis nominibus dicuntur triginta dynastiarum dynastæ, siue principes: videlicet Thebæi, & Pastores, & Polytani. Decima sexta dynastia 190. annorum fuit Thebæorum, vt ait Eusebius. Decima septima fuit Pastorum, quos Hycsos vocat Manethon apud Iosephum lib. 1. contra Appionem: ipse verò Iosephus nomen Hycsos interpretatur, Reges pastores; & ait *Hyc* Regem significare, *Sos* Pastorem. Addit se in aliis exemplaribus, *Hyc*, non Regem significare comperisse, sed captiuos declarari pastores. Eusebius coniicit, dynastas vocatos pastores, propter Ioseph & fratres. Decima octaua dynastia fuit Polytanorum: durauit annis 348. in

Pharaones reges Ægypti.

hac Reges fuere Pharaones. Vndecimus fuit Pharao Cenchres, is qui maris rubri fluctibus demersus est. Decimus quintus fuit Ægyptus, à quo nomen accepit Ægypti regio, dictus hic est alio nomine Ramesses. Quartus fuit Pharao Mephres, quem nonnulli aiunt fuisse Regem nouum, Exod. 1. sub quo Israëlitæ afflicti sunt. Alij Amenophim Regem fuisse nouum putant. Vigesima dynastia annis 177. permansit. Omitto reliquas vsque ad trigesimam. Tandem sub iugum Persarum missum est regnum Ægyptiorum. Legendus Eusebius, & Iosephus lib. 1. contra Appionem.

9 Floruisse apud Ægyptios sapientiam, ostendit locus ille Actor. 7. *Eruditus est Moses omni sapientia Ægyptiorum.* & ille 3.Reg.4. *Præcedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium, & Ægyptiorum.* Sapientia Salomonis confertur cum sapientia Ægyptiorum; quod indicat, Ægyptios insigniter fuisse sapiētes. Philo lib. de vita Mosis scribit, ab Ægyptiis Mosem accepisse numeros, & Geometriam, vniuersamque Musicam, & insuper occultam Philosophiam, descriptam literis hieroglyphicis. Abulensis Gen. 41. ait, primam orbis Academiam in Ægypti ciuitate Memphi extitisse. Illud quoque sapientiam Ægyptiorum indicat, quòd, vt ait D. Hieronym. in epist. ad Paulinum, Pythagoras Memphiticos vates, & Plato Ægyptum discendi gratia petiuerint. Erat Ægypti scientia maximè penes sacerdotes. hi enim aliorum contemplationi sub cælo illo nubibus vacuo, maximeque sereno, aliisque scientiis addiscendis, & docendis vacabant. De illis D. Hieron. lib. 2. contra Iouinianum: Cheræmon (inquit) Stoicus narrat de vita antiquorum Ægypti sacerdotum, quòd omnibus mundi negotiis, curisque postpositis, semper in templo fuerint, & rerum naturas, causásque, ac rationes syderum contēplati sint, &c. De idololatria Ægypti dictum est tomo 4. Concord. in fine. Præter alia bouem colebant, quem Apim vocabant; de quo Solinus cap. 34. sic scribit: Ægyptij præcipuè bouem mirantur, Apim vocāt. Hunc instar colunt numinis, insignem notæ albæ macula quæ dextero lateri eius ingenita corniculantis lunæ refert faciem. Statutum æui spatium est; quod, vt affuit principio, sacri fontis profundo immersus necatur, ne diem longius trahat, quàm licebit. Mox alter, nec sine publico luctu requiritur quem reperrum centum antistites Memphim prosequuntur, vt incipiat sacris ibi initiatus sacer fieri, &c. Hic est vitulus, cuius similitudinem in deserto Israëlitæ adorauerunt, vt infra dicendum est. Philo in libro de vita contemplatiua: Ægyptij (inquit) colunt bruta non solùm māsueta, sed & leuissima consecrando quæcumque sub luna sunt, leonem, crocodilū, miluium, ibim, &c. Barbarus populus dicitur Ægyptus, Psal. 113. *In exitu Israel de Ægypto, domus Iacob de populo barbaro.* Non ideo, quòd sapientia humana careret, sed quòd careret diuina, barbarísque esset moribus, & lingua. Nam barbarus is dicitur, qui peregrina lingua, & aliena loquitur; ideoque Aquila vertit, ἑτερόγλωσσον, id est, *diuersæ linguæ.* 1. Cor.14. *Si nesciero* (inquit Paulus) *virtutem vocis*, id est, significationem, *ero ei cui loquar barbarus, & qui loquitur mihi barbarus.* Psal. 80. *Linguam, quam non nouerat, audiuit.* hoc est, Ægyptiorum, vt aliqui interpretantur.

Actor. 7.

3. Reg. 4.

De sapientia Ægyptiorum.

Prima orbis Academia in Ægypto.

Sapientia Ægypti maximè penes sacerdotes erat. D. Hieron.

Solinus.

Apis bos cultus ab Ægyptiis.

Philo.

Psalm. 113.

Barbarus quis dicatur.

1. Cor. 14.

Psal. 80.

CAPVT II.

De terra repromissionis.

TOTIVS itineris Israëlitarum finis, regio fuit, quam repromissionis terram appellamus, ideoque de illa breuiter nunc agere operæ pretium erit. Vt legitur in Genesi, Noë tres genuit filios, Sem, Cham, & Iaphet, à quibus vniuersum hominum genus per totum orbem disseminatum est. Cham 4. genuit filios, videlicet Chus, Misraim, Phuth, & Chanaan. Chanaan genuit Hethæum, Iebusæum, Amorrhæum, Gergesæum, Heuæum. Ab iis verò originem illi duxerant, qui terram repromissionis incoluerunt. Quamobrem à Chanaan dicitur ea terra Chanaan; omnésque incolæ generali nomine Chananæi vocantur. August. serm. 105. de tempore traditionem quandam memorat, qua traditum est terram promissionis possessam à filiis Sem; exturbatos verò ab ea à filiis Cham. Tradunt maiores nostri, (ait Augustinus) quòd quando filij Noë omnem terram inter se diuiserunt, terra Chananæorum seniori filio Noë, id est, Sem, in possessionem obuenerit, & eam tempore non paruo possederit. Postea verò increscentes populi Chananæi, de illo filio, qui à patre fuerat maledictus, venerunt ad loca illa, & per violentiam expulsis filiis Sem, terram eorum more barbarico possederunt. Et quia Abraham de genere Sem legitur fuisse, filij eius Israëlitæ, non alienam terram peruaserunt; sed suam propriam, quam per violentiam patres eorum perdiderant, receperunt. Hæc August. Et Cassianus collat. 5. cap. 24. Quantum (inquit) docet vetus traditio, terras Chananæorum filij Sem fuerant sortiti in orbis diuisione. Quas posteritas Cham, per vim atque potentiam peruasionis iniquitate possedit, &c.

1

August.

Cassianus.

2 Appellatur autem terra repromissionis, quia patribus antiquis promissa est: Abrahamo Genes. 13. *Leua*, (inquit Dominus) *oculos tuos, & vide, a loco in quo nunc es ad aquilonem, & meridiem, ad orientem, & occidentem, omnem terram quā conspicis, tibi dabo, & semini tuo.* Gen. 15. *Pepigit Dominus fœdus cum Abraham dicens: semini tuo dabo terram hanc.* Promissa etiam est Isaac Genes. 26. *Tibi, & semini tuo dabo vniuersas regiones has; complens iuramentū, quod spopondi Abraham, Patri tuo.* Promissa quoque Iacob, Gen. 28. *Terram in qua dormis tibi dabo, & semini tuo.* Promissa autem est Abrahām, non nuda solùm promissione, sed inito fœdere, & suscepto iuramento, vt indicant verba citata; Et Moses Deut. 11. *Terram* (inquit) *quam sub iuramento pollicitus est Dominus patribus vestris, & semini eorum.* Lege Gen. cap. 15. quomodo Deus fœdus pepigerit cum Abrahamo. Promissa autem est veluti typus, & imago cælestis regionis, in quam tendimus. A Iudæis Iudæa est nominata. Palæstina quoque vocatur à Palæstinis, siue Philisthæis, qui loca ea coluerunt, quæ circa mare mediterraneum sunt.

Genes. 13.

Genes. 15.

Genes. 26.

Genes. 28.

Terra promissa patribus, typus fuit cælestis regionis promissæ iustis.

Deut. 11.

3 Fertilissimam fuisse docet Scriptura; lacte enim & melle manare prædicat Exod. c. 3. & 22. Leuit. 20. exploratores à Mose missi, id confirmant Numer. 15. *Terra* (inquiunt) *reuera fluit lacte, & melle, vt ex his fructibus cognosci potest.* nimirum ex botro, quem portabant duo viri in ve-

Fuit fertilissima terra promissionis. Num. 15.

cte, & ex malis granatis, & ficis. Deut. 8. *Dominus Deus tuus introducet te in terram bonam, terram riuorum, & aquarum, & fontium, in cuius campis, & montibus erumpunt flumiorum abyssi; terram frumenti, hordei, ac vinearum, in qua ficus, & malogranata, & olueta nascuntur; terram olei, ac mellis.* Deut. 8.

Ezechielis 20. *Terram quam prouideram eis fluentem lacte, & melle, quæ est egregiainter omnes terras.* Ezech. 20. Item: *Terram dedi eis fluctem lacte, & melle præcipuam terrarũ omniũ.* Magna sanè laus terræ promissionis; præcipua erat terrarum omnium. Septuaginta vertũt: κηρίον ἐστὶ παρὰ πᾶσαν τὴν γῆν, id est, *fauus est vltra omnem terram.* D. Hieron. Isaiæ 5. Reuera, inquit, nihil terra repromissionis pinguius; si non montana quæque atque deserta, sed omnem illius latitudinem consideres, à riuo Ægypti vsque ad Euphratem contra orientem, & Zephyrium Ciliciæ, quod mari imminet, &c. D. Hieron.

4 Dicitur præterea terra promissionis sancta, & omnium charissima Deo, Sapient. 12. *Illos antiquos inhabitatores terræ sanctæ tuæ.* id est, terræ promissionis, *quæ tibi omnium charior est terra.* Sapient. 12. *Terra promissionis dicitur sancta, & Deo charissima, & sacramentum Dei.* Græcè τιμιωτάτη, id est, *honoratissima, & pretiosissima.* Appellatur autem terra illa sancta, & Deo omnium terrarum charissima; quia in ea ritè Deus à fidelibus Iudæis colebatur, antequam idola venerarentur. Præterea propter Christum, qui eam vita sua, & sanguine charissimam Deo, & sanctissimam reddidit. Eodem loco Sap. 12. vt Lyranus vult, Carthusianus, & alij, dicitur terra promissionis *Sacramentum Dei*: illis verbis; *A medio sacramento tuo.* Dicitur autem *sacramentum Dei*, id est, sacrum mysterium; Græcè μυςαθεία; quia inaudita in illa mysteria Christus operatus est. Præterea quia lex Mosis, quæ in ea viguit, tota mysterium erat, & typus legis nouæ. De fertilitate terræ promissionis lege Iosephum lib. 5. antiq. & Borchardum part. 2. cap. 1. *Cur sic dicatur?* Lyran. Carthus. Iosephus.

5 Situs eius ferè in medio orbis est. Nã D. Hieron. & alij aiunt, Ierusalem in medio terræ esse. Vnde sequitur, terram quoque promissionis, cuius præcipua ciuitas est Ierusalem, in medio terræ esse. Quamobrem ab Ezechiele cap. 38. appellatur *ombilicus terræ*; terræ, inquam, tunc habitabilis. Illa etiam verba Psal. 73. *Operatus est salutem in medio terræ*; de Christo interpretatur Hieronymus. Ezech. 5. *Qui in medio terræ*, id est, in ciuitate Ierusalem, salutem toti orbi operatus est cruci suffixus. *Situs terræ promissionis in medio est orbis.* Ezech. 38. Psalm. 73. Ezech. 5.

6 Termini terræ promissionis assignantur, Genes. 15. Constituit Dominus terminos, *fluuium Ægypti, & fluuium Euphratem.* Fluuius autem hic Ægypti (ait Augustinus quæst. 21. in Iosue) non est Nilus, sed alius, & non magnus fluuius, qui fluit per Rhinocoruram ciuitatem. Et D. Hieron. epist. 129. ad Dardanum: Torrens, inquit, Ægypti, qui iuxta Rhinocoruram mari magno influit. Exod. 23. *Ponam* (ait Dominus) *terminos tuos à mari rubro, vsque ad mare Palæstinorum*, id est, vsque ad mare mediterraneum, *& à deserto*, scilicet Ægypti, *vsque ad fluuium Euphratem.* Mare rubrum constituitur terminus orientalis, vt nonnulli dicunt; mare mediterraneum terminus occidentalis. Desertum Ægypti australis. Euphrates aquilonaris. Iosue 1. *A deserto*, inquit, *& Libano, vsque ad fluuium magnum Euphratem, omnis terra Hethæorum, vsque ad mare magnum contra Solis occasum erit terminus vester.* Hoc loco mons Libanus ponitur terminus a- *Termini terræ promissionis qui sint.* Genes. 15. August. Hieron. Exod. 23. Iosue 1.

A quilonaris, solitudo Arabica terminus australis, Euphrates orientalis, mare mediterraneum occidentalis. Iidem termini ponuntur Deut. 11. *A deserto, & à Libano, à flumine magno Euphrate, vsque ad mare occidẽtale erũt termini vestri.* 3. Reg. 8. termini indicantur *ab introitu Emath vsque ad riuum*, siue *fluuium Ægypti.* Et Amos 6. *Conteret*, inquit, *vos ab introitu Emath, vsque ad torrentem deserti.* Est autem duplex Emath; altera quæ dicitur *magna*, Amos 6. *Ite*, inquit, *in Emath magnam.* & Antiochia nominatur, vt ait D. Hieronymus; altera *minor Emath*, quæ Epiphania Syriæ dicitur, cuius regio appellatur *Reblatha*, 4. Reg. 24. *Regem Sedechiam apprehensum, duxerũt ad Regem Babylonis in Reblatha.* Introitus huius Emath minoris, terminus est terræ promissæ, versus aquilonem & versus Syriam; ita vt egredientibus ex terra repromissionis in Syriam, aut Mesopotamiam, teste D. Hieron. prima mansio esset Emath. Lege Num. 34. Deut. 11. 3. Reg. 8. Amos 6. Duplex est Emath. 4. Reg. 24. B

Dubitatur, *an Hebræis sit tradita tota terra hæc?* D. Hieronymus conditionalem ait fuisse promissionem; neque possedisse Israelitas totam hanc terram, quia indignos se illius possessione reddiderunt. In epist. 129. ad Dardanum; Fatebor (ait) hæc repromissa, non tradita: si obseruasses mandata Dei, si non pro Deo coluisses Beelphegor, & Baal, & Beelzebub, & Chamos, quos quia prætulisti Deo, omnia quæ tibi promissa fuerant perdidisti. Et mihi in Eu- C angelio promittuntur Regna cælorum; sed si non fecero quæ præcepta sunt, nequaquam erit culpa in promittente; sed in me, qui promissum accipere non merui, &c. Non tamen caret probabilitate, tempore Salomonis totam promissam terram sub potestate fuisse Israelitarum, iuxta illud 3. Reg. 4. *Salomon erat in ditione sua, habens omnia regna secũ à flumine terræ Philisthiim*, id est, à Rhinocorura: *vsque ad terminum Ægypti. Ipse obtinebat omnem regionem, quæ erat trans flumen*, scilicet Euphratem, vel Iordanẽ, &c. Hæc est sententia D. Augustini quæst. 21. in Iosue. Opinatur, totam terram promissam esse traditam tempore Salomonis: Fuerat, inquit, constitutum filiis Israel, vt septem gentium, id est, Chananæorum, Iebusæorum, Amorrhæorum, & cæterorum, terras ipsi inhabitarent, illis exterminatis, & perditis: aliis autem gentibus regnarent subditis, & tributariis, vsque ad Euphratem. Et quamuis in hoc Deo non obtemperassent; quia etiam ex illis gentibus, quas penitus exterminare debuerant, aliquas sibi obedientes fecerant: Deus tamen tempore Salomonis, fidem suæ promissionis impleuit. Sic August. ait, Israelitas tempore Salomonis terram quidem Chanaan inhabitasse; reliquas verò prouincias sub potestatem redegisse; fuisseque tributarias, vsque ad Euphratem. Hæc opinio parum distat ab opinione D. Hieronymi: fatetur enim Hieronymus, Iudæos, tempore Salomonis, imperasse regionibus promissis, quę numerantur 3. Reg. 4. tam sero autem, breuique tempore imperasse, quia conditionem non expleuerunt, & idola coluerunt. Caietanus Gen. 15. opinatur, tempore Dauidis factam promissionis executionem; idem putat Oleaster eodem capite. Lege 2. Reg. 4. & 1. Paralip. 18. vbi sic legitur: *Perrexit Dauid vt dilataret imperium suum vsque ad Euphratem.* Lege Lyranum 3. Reg. 4. qui tempori Salomonis promissionis adimplectionem tribuit. Opinor, Dauide *An Hebræis sit tradita tota terra hæc?* 7 D. Hieron. 3. Reg. 4. D. August. 1. Paral. 18.

Dauide & Salomone regnantibus, vel totam, vel maiorem terræ promissæ partem Iudæis fuisse traditam, sed breui tempore illam possederunt propter idololatriam, in quam lapsi sunt. A

8 Non incoluerunt Israelitæ totã terram promissam; incoluerunt autem regionem trans Iordanem tribus Ruben, & tribus Gad, & dimidia tribus Manasse: regionem, quæ cis Iordanem sita est, incoluerunt reliquæ tribus. Regio quæ cis Iordanem est, teste oculato Hieron. in epist. ad Dardanum, à Dan vsque Bersabee, qui sunt eius termini, aquilonaris, & australis; vix centum sexaginta milliarum spatio in longum tenditur. Pudet dicere (ait ille) latitudinem terrę repromissionis. Ab Ioppe vsque ad viculum nostrum Bethlehem quadraginta sex millia sunt, cui succedit vastissima solitudo plena ferocium barbarorum. In longum à Dan vsque Bersabee. vix centum sexaginta millium spatio tenditur. Hæc ille. Hinc intelliges verba, quibus Scriptura sæpe vtitur, *à Dan vsque Bersabee*; cùm significare vult Iudææ amplitudinẽ, 1. Reg. 3. *Cognouit vniuersus Israël à Dã vsque Bersabee, quod fidelis Samuel propheta esset Domini.* 2. Reg. 17. *Congregetur ad te vniuersus Israël à Dã vsque Bersabee.* Iosephus lib. 4. contra Appionem ex Hecataeo; Penè, inquit, decies trecenta millia iugera terrarum optimarum, vberrimæ prouinciæ, Iudæi possidere noscuntur. Iudæa namque huius est C amplitudinis, &c. Iudæa fluuius celeberrimus, Christique baptismo nobilissimus, Iordanis est, à Dan oppido, id est, à Cæsarea Philippi, septentrionali exoriens, & in mare mortuum fluens. De illo egimus in Concord. Quæritur, *an Israëlitæ fuerint habitaturi in regionibus illis, quæ continentur Euphrate, & reliquis terminis terræ promissæ, si longo tẽpore illis imperassent?* Nõ fuisse habitaturos probatur, quia, vt in eis habitarent, oporteret habitatores antiquos extinguere, quẽadmodum extinxerunt Chananæos in terra, in qua habitabant: id verò prohibuerat Deus, Deut. 20. Iussit enim illis offerre pacẽ. Præterea eodem cap. sic iubet: *De his ciuitatibus, quæ dabuntur tibi, nullum omnino permittes viuere*, scilicet de ciuitatibus Chananæorum. Ergo ciuitates tantummodo Chananæorum datæ sunt Israelitis ad habitandum; non autem aliæ remotæ. Quæ videtur esse sententia Augustini verbis supra citatis. Pars verò affirmans, fuisse habitaturos in regionibus illis, probatur, quia Deus iubet, Deut. 19. 9. *tres ciuitates refugij* in illis regionibus constitui; *Cum dilatauerit*, inquit, *Deus terminos tuos, & dederit tibi cunctam terram, quam pollicitus est, addes tibi tres alias ciuitates*, scilicet refugij, *&c.* Quorsum ciuitates tres refugij in illis regionibus assignandæ fuerunt? Certè quia ab Israelitis fuerant inhabitandę, si Dei præcepta seruassent. Adiicitur enim eodem cap. 19. hæc conditio; *si tamen custodieris mandata eius.* Tres ciuitates trans Iordanem assignauit Moses, Deut. 4. Tres alias citra Iordanem iubet assignari, Deut. 19. Præterea alias tres, postquam totam promissam terram possederint. Itaque videtur dicendum, fuisse in illis regionibus habitaturos Israelitas, etiamsi non delerent habitatores. D. Hieron. *An Hebræi fuerint habitaturi in regionibus ad fluuiũ vsque Euphratem.* Deut. 20. Deut. 19. Deut. 19. B E

CAPVT III.

MORALE.

De Ægypto, & terra promissionis.

1 ALlegorico sensu, ac morali Ægyptus mundi typus est, vt Patres sentiunt. Hinc illa orta est Magni Antonij Eremitæ ad Macharium interrogatio; Venerunt huc fratres aliqui? Si Macharius respondebat: Venerunt fratres. Rursus interrogabat: De Ægyptóne venerunt hi fratres; an de Ierosolyma? Hoc est, suntne ex mundo, an ex cælo? Ecce magnus Anthonius, Ægypti nomine mundum intelligit; quæ significatio iam tunc vulgaris erat. Vtinam nulli essent ex Ægypto fratres, sed omnes ex Ierosolyma. D. Aug. Psal. 113. Ægyptus, inquit, sæpe in imagine ponitur huius sæculi, à quo spiritaliter recedendum est. Hic enim quisque Ierusalem cælestis fit ciuis idoneus cùm primum huic sæculo renuntiauerit, quemadmodum ille populus in terram promissionis duci non potuit, nisi prius ab Ægypto recederet, &c. Nomẽ Hebræum מִצְרַיִם *Misraim*, vt D. Hieron. docet Ezech. 29. tribulantem significat, & coangustantem. Ægyptus, inquit, Hebraicè *Misraim*, & in linguâ nostrâ vertitur ἐκθλιβόντα, *coangustias*, & *tribulans* eos, qui sibi subditi sunt. Videãt mundi amatores, quale nomen mundus habeat; nimirum non oblectantis, & obsequentis, sed tribulantis, & coangustantis. Vbi oblectamenta quærunt, ibi tribulationes, & angustias inuenient. Israelitas fames in Ægyptum duxit; ibi autem seruitutem, tribulationem, & angustias inuenerunt, Exod. cap. 1. *Affligebant Ægyptij filios Israel illudẽtes eis: atque ad amaritudinem perducebãt vitam eorum operibus duris luti, & lateris, omnique famulatu, quo in terra operibus premebantur.* Fames mundi amatores in Ægyptum ducit, & mundo mancipat: mundi enim caducas diuitias, honores, ac voluptates esuriunt, & sitiunt; sed seruitutem, & mille inueniunt amaritudines, curas, pericula, anxietates, timores, animique perturbationes. D. Ambros. lib. 2. de Iacob, & vita beata, cap. 6. Vita, inquit, iusti quieta est: Iniustus inquietudinis, & perturbationis plenus est. Itaque amplius suis suspicionibus affligitur animus eius, quàm alienis plerique verberibus; maioresque vibices vulnerum in eius animo sunt, quàm in eorum corpore, qui ab aliis verberantur, &c. D. Greg. 30. Moral. cap. 12. Magna, inquit, est seruitus sæcularium negotiorum, quibus mens atteritur vehementer, quamuis in eis spõte desudet. Quasi enim quodam iugo seruitutis premunt prospera dum appetuntur; & aduersa, dum formidãtur, &c. Item: Asperum & duræ seruitutis pondus est, subesse temporalibus, ambire terrena, retinere labentia, velle stare in non stantibus, &c. Inueniunt mundi amatores, vt D. Anselmus ait, in mundo suo grauem molam asinariam in vita; & grauissimum supplicium post mortem; in illa verba Matth. 18. *Expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum.* Per molam, inquit, asinariam sæcularis vitæ circuitus, & labor exprimitur, & per profundum maris, extrema damnatio, &c. Graues molę Ægypti sunt, quas mundi amatores, instar iumentorum oculis clausis, in circuitu agitant; iuxta illud Psalm. 11. *In* *Ægyptus est imago mũdi.* D. August. *Ægyptus Hebraicè Misraim significat tribulantem.* D. Hieron. *Mundus suos tribulat & affligit.* Exod. 1. D. Ambros. D. Greg. Matth. 18. *Molas Ægypti cæci homines agitant.* D. Anselm.

Psal. 11.

11. *In circuitu impij ambulant.* Vtinam aperirent oculos,& profundum maris,id est,tartari, viderent,in quod post impios circuitus precipitandi sunt,nisi impias deserant molas. D.August.serm. 1·.de verbis Dom. mundum cum mari confert, quod amatores suos absorbet:Amas,inquit,sæculum;absorbebit te. Amatores suos vorare nouit,non portare,&c.Eodem loco ait, cupiditates nostras in hoc mari tempestates excitare, quibus demergimur in profundum:Vnicuique,inquit,sua cupiditas tempestas est,&c. Ergo desere Ægyptum, desere mare procellosum, ne te absorbeat suis fluctibus:cohibe cupiditatem,ne excitet tempestatem.

D. August.

2 Nilus Ægypti terras oblimat, & fertiles reddit : mundi verò Nilus mundi amatores oblimat,hoc est,limo,& luto complet, & sic fertiles reddit luto opibusque lutosis : steriles verò reddit virtutibus,operibusque cælestibus. Alij fluuij,(vt ait Seneca supra citatus)terras euiscerãt, & exedunt: sic mundus amatores suos exedit,& euiscerat,hominũque viscera,& amorem rapit. O Christiane, *quid tibi vis in via Ægypti* (ait Ierem.citatus cap.2.)*vt bibas aquam turbidam?* Cur Ægyptum petis, & à Deo recedis? cur fontem relinquis aquæ viuæ,& turbidam Ægypti aquã concupiscis?cur te delectat Nili aqua mortua,te euiscerans,milleque perturbationibus turbida; non delectat Christi aqua viua visceribus tuis vitam afferens, crastillo purior, in vitam æternam saliens?

Seneca. *Ierem. 2.*

Nilus,id est, mundus,est plenus crocodilis.

3 Crocodilis immanibus plena est aqua Ægypti;immanibus lacertis,id est, peccatis,plena est aqua mundi.Numquid canibus insipientiores? illi vt crocodilos effugiant festinãter aquam Nili bibunt,& mox abeunt; vnde prouerbium ortum est;*sicut canis è Nilo.* O Christiane si opus est mundi aquam bibere,eiusque negotia tractare;bibe,sicut canis è Nilo,properanter,& attentè,caue latẽtes crocodilos, caue tartareos lacertos,Gedeonis imitare milites, Iud. 7. non illos, qui curuatis genibus aquam biberunt,sed illos, qui lingua lamberunt. Ne te in turbidas munds aquas effundas;ne flexo poplite eas adorans, bibas; Parcè bibe,& magna consideratione eas ori admoue.Heu ex militibus Gedeonis,vt legitur illo cap.7. *Trecenti tantum manu ad os aquas proiiciente biberunt : omnis reliqua multitudo flexo bibit poplite.* Sic ex hominibus, pauci caducis rebus parcè,& sobriè vtuntur; multi flectunt genua,easque veluti idola Ægypti adorant. Prosternuntur in terram homines,vt mundi turbidam potent aquam; quia mundus, non cælo, sed terræ,amatorum suorum oculos mentesque defigit. D.Hieron.loco citato Ezech. 29. Ægyptus, inquit, non dimittit oculos ad cælum leuare: sex iuxta exemplum mulieris illius, Luc.13. quam 18. annis diabolus incuruauerat, semper ad terrena demergit,&c.

Mundus Nilus plenus est crocodilis. *Attentione magna aqua illius sumenda,non flexo poplite.* *Iud.7.* *Mundus ad terrena demergit.* *D. Hieron.*

Seneca.

4 Cælum Ægyptiorum est Nilus; neque enim ex cælo pluuias,sed ex Nilo aquarum expectãt incrementa. Hinc illud Senecæ, supra citatum; In Ægypto nemo aratorum aspicit cælum, &c. similem in modum cælum mundi amatorum Nilus quidam est, voluptatibus illicitis,diuitiis, honoribusque affluens,in mundo iniquo nemo impiorum respicit cælum;omnes respiciunt cœnum.Pharao operibus luti occupabat Israelitas; Cacodæmon lutosis voluptatibus, lutosis diuitiis,& honoribus occupat cacomundi incolas. Est enim Ægyptus, id est, mundus impiorum, immundus, immundumque habet principem Pharaonem,id est,cacodęmonem,qui ad lutosa, & immunda opera seruos suos adigit.Quamobrem à Christo dicitur princeps huius mundi, Ioan.17.*Venit princeps huius mundi, & in me non habet quidquam.* A Paulo quoque dicuntur cacodæmones *rectores mundi tenebrarum harum.* Quæ verba exponens August.Psalm.54. qua significatione nunc mundum sumamus docet his verbis: Ne fortè, cùm dixisset Apostolus, *rectores mundi;* intelligeres dæmones esse rectores celi,& terræ,*mundi* dixit,*tenebrarum harum*; mundi dixit,amatorum mundi; mundi dixit, impiorum, & iniquorum; mundi dixit, de quo in euangelio dicit;*Et mundus eum non cognouit.* Ioan.1.Explicat egregiè Augustinus,quid significet mundus,cùm vituperatur. Non enim significat cælum,elementa,cæterasque Dei creaturas, maximè laudabiles; sed congregationem significat amatorum mundi,impiorum hominum, & iniquorum.Sumitur enim continens pro contento mundus pro habitatoribus hominibus carnalibus.Huius Ægypti rector, siue rex est Pharao,id est,cacodæmon, iuxta illud Iob 41. *Ipse est rex super omnes filios superbiæ.* Impios autem vocat Paulus tenebras;quia spiritali luce carent, vnde illud Ioan. 1. *In mundo erat, & mundus per ipsum factus est,& mundus eum non cognouit.* Erat Christus in mundo; illius opus erat ipse mundus: At mundus impiorum,& tenebrarum, eum non cognouit.

Cælum impiorum est Nilus mundi. *Mundus operibus lutosis homines occupat.* *Ioan. 17.* *D.August.* *Mundus quid nũc significet.* *Ioan. 1.* *Iob 41.* *Ioan. 1.* *Dæmon quomodo sit mũdi rector & princeps.*

1.Ioan. 2. *Mundus deserendus ex Ægypto,id est, mundo discedendum est.*

5 Hic est terminus *à quo* itineris nostri relinquendus, iuxta illud 1. Ioan. 2. *Nolite diligere mundum,neque ea,quæ in mundo sunt.* Si domum relinquimus, quæ ruinam minatur, ne nos opprimat;cur mundum non fugimus,ruinam semper minantem, ne nos conterat? si loca deserimus peste infecta;cur pestilentem mũdum non deserimus?Nónne dilectus discipulus 1 Ioan. 2. peste plenum esse prędicat?Quæ peior pestis esse potest,quàm concupiscentia?de qua ille;*Omne*, inquit, *quod in mundo est, concupiscentia carnis est,& cõcupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Hæc triplex pestis mundi habitatores inficit, & necat,iuxta illud Iacobi 1.*Concupiscentia, cum conceperit,parit peccatum;peccatum vero cum consummatum fuerit,generat mortem.* Sed mundani stultè mori malunt, quàm sapienter fugere. Mundi fuga sapientium est,& summo honore plena;vnde Gofredus lib.5.de vita D.Bernardi,de Gulielmo,viro nobilissimo,sic scribit:Magnificus vir fuit olim in sæculo;sed magnificentior in sæculi fuga.Pudet generosum militem fugere in bello hostes:At nos non pudeat,hostem fugere mundum,quoniam fuga hæc est gloriosa, vt ait D. Ambros.lib.de fuga sęculi,cap.4.Non erubescamus,inquit,fugere;gloriosa enim hæc fuga est, fugere à facie peccati. Psal. 113.*In exitu Israel de Ægypto domus Iacob de populo barbaro;facta est Iudæa sanctificatio eius, Israel potestas eius.* Cùm ex Ægypto,id est,mundo, discedimus, cùm Ægyptum fugimus;tunc à Deo sanctificamur; tunc ille potestatem maximam habet in nobis obedientibus illius mandatis. O fugam gloriosam; quę animi pedibus maximè fit,id est,affectibus, cùm à mundi voluptatibus auelluntur! Origenes homil. 3. in Exodum : Exeundum (ait) nobis est de Ægypto,relinquendus est mundus, si volumus Domino seruire; relinquendus autem dico, non loco, sed animo; non itinere proficiscendo, sed fide proficiendo. Hæc de Ægypto, id est, mundo, sint satis.

1.Ioan. 2. *Iacobi 1.* *D. Ambros.* *Fuga sæculi gloriosa est.* *Psalm. 113.* *Mundus animo relinquendus.*

Terra repromissionis est cœleste regnũ. *Matth.25.*

6 Terra autem repromissionis cœleste regnum adumbrabat, quod Deus ab origine mundi electis suis præparauit, iuxta illud Matth.25.*Venite benedicti Patris mei, possidete regnũ, quod vobis paratum est ab origine mundi.* Hic est terminus *ad quem* nostri itineris,toto conatu petendus; relicto mundo, qui est terminus *à quo*, toto conatu deserendus: ô beatissimum nostri itineris, laborumque omnium terminum! ô dulcissimam repromissionis terram, verè lacte & melle manantem! ô præcipuam terrarum! ô fauum vltra omnem terram! Verè lacte,& melle, nectareque, & ambrosia fluit terra nobis promissa; Quænam mella, quínam faui cum dulcedine cælestis patriæ conferri possunt? Flumina ibi sunt mellis, & nectaris, nulli permixta amaritudini: Est flumen vnum beatificæ visionis, est alterum flumen amoris,& tertium æternę oblectationis. Hæc tria flumina,animam in primis; deinde corpus, sensusque eius omnes, suauissimo complent inauditæ dulcedinis melle; ita vt nullus pateat, vel minimus locus, vlli amaritudini. *Super flumina Babylonis* (ait Vates Psal. 136.) *illic sedimus,& fleuimus.* Etenim super flumina Babylonis, id est,mundi, quæ plus aloës, quàm mellis habent;lacrymas fundimus. At super flumina Sionis, puro manantia melle,gaudio æterno exultabimus.Flumina Babylonis in amarissimum mare tandem deuoluuntur, fluereque desinunt.Flumina verò Sionis nostræ ex æterno oriuntur fonte, nempe Deo; nectareisque fluunt aquis, vsque in sempiternum. Horum fluminum melle diuinaque dulcedine,terræ illius promissionis incolæ inebriantur, id est,mirum in modum complentur, iuxta illud Psal.35.*Inebriabũtur ab vbertate domus tuæ:& torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te est fons vitæ,& in lumine tuo videbimus lumen.* Apud Deum fons est vitę æternæ,ex quo gloriæ emanant flumina, voluptatisque inauditæ torrentes. Et in lumine gloriæ creato, quod beatis largitur; vident illi lumen increatum, & immensum, id est, diuinitatem, in tribus personis; quæ visio amorem parit admirandum,admirandumque gaudium,atque æternum.

Cælestis patriæ flumina tria. *Psalm. 136.* *Flumina Babylonis amara,dulcissima sunt flumina Sionis.* *Psalm. 35.*

Psal.30. *Abscondita dulcedo gloriæ.*

7 Abscondita nobis est hæc magna dulcedo, iuxta illud Psalmi 30.*Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine,quam abscondisti timentibus te.* Abscondita, inquam, est in cœlo, non cernitur in terra carnis oculis; sed oculis cernitur fidei. Qui igitur mellis terræ promissæ guttas aliquot cupit degustare; attollat in cælum mentem, beatorumque gaudia admirabilia consideret. Admirandam profectò dulcedinem, Ægidius ille, D Francisci discipulus, mentem in cælestia gaudia attollens, experiebatur; siquidem audito Paradisi nomine, extra se ipsum rerum omnium sensum amittens, rapiebatur. Etenim potens est supernæ Sionis memoria ad rapiendum hominem extra mundum, extra carnem,extraque voluptates omnes. Qui verò vult ipsos mellis fauos manu capere;tartareum leonem vincat, proterat, & velut occidat.Samsonis meminerit viri fortissimi, ille leonem occidit, Iudic. 14. in ore verò occisi leonis fauum melle plenum reperit. Occide leonem, fauum cape: ne recuses pro faui dulcedine, laborum & calamitatum amaritudinem. Quis pro æterna mercede, paucis diebus libenter non sudet? quis pro æterno pretio, seipsum totamque vitam suam Deo non mancipet? quis vt æternos fugiat cruciatus, & æternam consequatur requiem,laborem vllum refugiat? Secári carnem & vri patiuntur homines, vt vitam breuissimo prorogent tempore, nos carnis voluptates non secabimus, vitia non vremus, vt vitam prorogemus in sempiternum? Milites sub armis, noctu diuque sudant, mercatores Oceani fluctus non formidant, ducti tantilli lucri spe: nos sudores, & labores immensi lucri spe proposita recusabimus? Non recusabat illos diuinus Franciscus, sub onere paupertatis, & pœnitentiæ sudabat, sudorem verò propositi lucri spe, veluti linteo gloriæ abstergebat. Vnde illa eius vox, magna prædicatione digna; *Totum sudorem meũ Domino meo vendidi magno pretio.* Quàm ingenti pretio vendidisset, vox ad eum è cælo aliquando emissa ostendit. Gaudere enim ea voce iubebatur, quòd per labores,ac sudores ingentem compararet thesaurum cui nullus in terra similis reperiri posset, etiam si tota terra in aurum, omnes lapides in gemmas, omnes aquæ in balsamum conuerterentur. Audiamus D. August. serm.2. de omnibus Sanctis : Si tormenta, inquit, quotidie nos perferre oporteret, si ipsam gehennam paruo tempore tolerare, vt Christum videre digni esse possemus in gloria venientem, & Sanctorum eius numero sociari : nónne erat dignum pati omne,quod triste est, vt tanti boni,tantæque gloriæ participes haberemur? Sic August. Non potest corona aurea fabricari, nisi sæpius tundatur, sæpiusque in igneam fornacem mittatur: vt terrestres coronæ tunsionibus, & fornacis igne; sic coronæ cælestes, laborum, persecutionumque ictibus, & flammis perficiuntur. Ne formides tunsiones, mi charissime lector; ne formides fornacem laborum;ex fornace corona mille radians pyropis exibit, tuo capiti imponenda, quam nulli in terram deiicere possint hostes. Eccles.10.*Labor stultorum affliget eos,qui nesciunt in vrbem pergere.* Stultorum labor est labor impiorum, quo in vita affliguntur, quia nesciunt in cælestem vrbem Hierusalem pergere. Affligit labor stultorum; labor autem iustorum,qui sciunt in vrbem Ierusalem tendere,animum consolatur, & spe æternæ gloriæ exhilarat. *Lætatus sum* (ait Vates Psal. 121.) *in his,quæ dicta sunt mihi : In domum Domini ibimus : stantes erant pedes nostri in atriis tuis Ierusalem.* Stent pedes mentis tuæ, videlicet intellectus, & voluntas, in atriis cælestis Ierusalem,& lætaberis.

Per laborem deserti peruenitur ad terram promissionis cœlestẽ. *D. Frãciscus.* *D. August.* *Eccles. 10.* *Psalm. 121.*

CAPVT IV.

De ingressu Israëlitarum in Ægyptum, & mira propagatione.

EXODI CAP. I.

1 HÆc sunt nomina filiorum Israël qui ingressi sunt in Ægyptum cum Iacob: singuli cum domibus suis introierunt: Ruben, Simeon, Leui, Iudas, Issachar, Zabulon, & Beniamin, Dan, & Nephthali, Gad, & Aser. Erant igitur omnes animæ eorum qui egressi sunt de femore Iacob, septuaginta: Ioseph autem in Ægypto erat. Quo mortuo, & vniuersis fratribus eius, omnique cognatione illa, filii Israël creuerunt, & quasi germinantes multiplicati sunt: ac roborati nimis, impleuerunt terram.

2 CVm Chananæi, inter quos Iacob habitabat, fame laborarent, vocatus ille à filio Ioseph, in Ægyptum se contulit. Ingressæ autem dicuntur in Ægyptũ Exod. 1. *Omnes animæ eorum, qui egressi sunt de femore Iacob, septuaginta.* Idem legitur, Genes. 46. Repugnare videntur LXX. interpretes, Genes. 46. quos sequitur D. Stephanus, Act. 7. sic dicens; *Ioseph accersiuit patrem suũ, & omnem cognationẽ in animabus septuaginta quinque.* Respondetur, si presse loquamur, Ægyptum ingressas esse sexaginta sex animas eorum, qui ex Iacob progeniti sunt. Genes. 46. *Cunctæ animæ quæ ingressæ sunt cum Iacob in Ægyptum, & egressæ sunt de femore illius absque vxoribus filiorum eius, sexaginta sex.* Si verò latiùs numeremus, septuaginta animæ ingressæ sunt; illis enim sexaginta sex addendus est Iacob, addendus etiam Ioseph, & duo eius filij, iam nati, Ephraim, & Manasses, idque significasse videtur Moses, cùm sic scripsit Gen. 46. *Animæ sexaginta sex. Filij autẽ Ioseph, qui nati sunt ei in terra Ægypti, animæ duæ, omnes animæ domus Iacob, quæ ingressæ sunt Ægyptum, fuere septuaginta.* Priori loco dixit, omnes animas, egressas de femore Iacob, fuisse sexaginta sex; postea meminit Ioseph, & duorum filiorum, quibus subintellexit addendum ipsum Iacob, quem ex numero sexaginta sex excludunt verba illa: *Animæ egressæ de femore Iacob*; non enim Iacob egressus est de suo femore. Hæ quatuor animæ si adiungantur sexaginta sex animabus, efficiũt animas septuaginta. Ideo addidit Moses, *omnes animæ domus Iacob, quæ ingressæ sunt Ægyptum, fuere septuaginta.* Nam etiam Ioseph ingressus est Ægyptum ante patrem; filij quoque Ioseph, lato quodam loquẽdi modo, Ægyptum dicuntur ingressi, quamuis in ea orti sint, quia iam nati erant, cùm cæteri sunt ingressi. D. Hieron. in tradit. Hebr. in Gen. Sexaginta sex (inquit) animæ cum Iacob ingressæ sunt; & repererunt in Ægypto tres animas, Ioseph scilicet, & duos eius filios; septuagesimus autem ipse fuit Iacob. Hæc ille. Præterea si latiùs adhuc loquamur, animæ ingressæ Ægyptũ dicuntur fuisse septuaginta quinque. LXX. interpretes scripserunt, quia non duos solùm filios Ioseph numerant, sed nouem; sic enim scribunt: *Filij Ioseph qui nati sunt ei in Ægypto anima nouem*, si animabus sexaginta sex adiicias nouẽ, numerũ efficies septuaginta quinque. Iidem tamen, Deut. 10. septuaginta animas ingressas esse Ægyptũ memorarunt sequentes aliam supputationem. D. Hieronymus: Ipsi (inquit) LXX. interpretes, qui hic posuerunt 75. animas per

Exod. 1. *Genes. 46.* *Act. 7.* *Genes. 46.* *De numero eorum, qui ingressi sunt in Ægyptum.* *D. Hieron.*

A πρόλαψιν, id est, per *anticipationem*, Ioseph, & posteros eius commemorantes: iidem in Deuteron. cap. 10. septuaginta tantùm animas intrasse memorarunt, &c.

3 Pauci Hebræi ingressi sunt in Ægyptum, id verò literis sacris commendatum est, vt cognoscamus, quanta fæcunditate hoc semen parauum diuina benignitate in Ægypto excreuerit. Simile fuit grano sinapis, quod minimum est, sed magnopere excrescit. Paucitas Israëlitarum ostenditur: mox subiicitur multiplicatio. *Filij Israël.* (ait Moses Exod. 1.) *creuerunt, & quasi germinantes multiplicati sunt.*

Pauci Hebræi in Ægyptum ingressi cum Iacob, sed admirabiliter à Deo sunt multiplicati. *Exod. 1.*

B Ingressi verò in Ægyptum Israëlitæ habitarunt, velut hospites, in terra Gessen. Est autem terra hæc in finibus Ægypti (vt ait Abulensis) versus terram repromissionis; Israëlitis ex terra Chanaan Ægyptum ingredientibus terra Gessen in primis occurrebat, vide descriptionem Ægypti apud Adrichomium, & alios; Itaque non ingressi sunt Ægypti penetralia, sed in ipso introitu Ægypti habitarunt, Genes. 47. *Ioseph patri, & fratribus suis dedit possessionem in Ægypto in optimo terræ loco Ramesses, vt præceperat Pharao.* Eodem. cap. sic præcipit Pharao Ioseph: *In optimo loco fac eos habitare, & trade eis terram Gessen.* Fratres verò Ioseph eodem cap. à Rege hanc terram petierunt: *Petimus*, inquiunt, *vt esse nos iubeas seruos tuos in terra Gessen.* Dicebatur terra Gessen, & terra Ramesses, fortè à Rege Ægypti, qui dictus est Ægyptus & Ramesses, vt supra diximus. Abulensis vult dictam esse Ramesses per anticipationem, à ciuitate Ramesses, quam postea Israelitæ seruitute oppressi exædificarunt Exod. 1. LXX. interpretes *terram Ramesses* appellant, Gen. 47. sic vertunt: *Vt occurreret ei ad vrbẽ Heroum in terrã Ramesses*, Hebraicè, *Gessen.* Nonnulli Iudæorum, vt ait D. Hieron. in tradit. Hebr. asseruerunt Gessen Thebaiden vocari vrbem Heroum, Philo lib. de Ioseph. appellat Heroopolim.

4 Habitarunt Israelitæ in terra Gessen, in Ægypti introitu.

Genes. 47. D. Hieron.

C

D

5 Non sine causa in finibus Ægypti Hebræi habitarunt; inde enim faciliùs erat in terram repromissionis reuerti, quàm ex interiori Ægypto; præterea fertilis erat, & alendis apta pecoribus. Neque verò soli in ea regione habitarunt, sed etiam Ægyptij, vt ostendit sanguis agni, ostia Hebræorum ab ostiis Ægyptiorum distinguens, Exodi 12. Initio quidem, cùm pauci erant, separati erant ab Ægyptiis; posteaquam sunt multiplicati, illis se permiscuerunt, quoniam maiori terræ spatio indigebant ad habitandum. Exercebant autem Hebræi in Ægypto

An Hebræi soli habitauerint in terra Gessen?

pro pastoralem artem, quietamque vitam pastoralem agebant. Pastores se esse professi sunt fratres Ioseph, Gen. 47. à Pharaone rogati. Vt verò hanc artem profiterentur coram Pharaone, admonuit Ioseph, Gen. 46. *Respondebitis*, inquit, *Viri pastores sumus seruitutis, &c. Hæc autẽ dicetis, vt habitare possitis in terra Gessen, quia detestantur Ægyptij pastores ouium.* Ex his verbis colligitur, terram Gessen separatam fuisse in finibus Ægypti, ab aula Regia & viris principibus ac nobilibus; siquidem pastoribus, quos Ægyptij detestabantur, data est. Ait enim Ioseph: *Dicite, vos esse pastores, quos Ægyptij execrantur, vt detur vobis terra Gessen*, vbi ab illis separati habitetis. Erant pauci tunc temporis Hebræi, nempe 70. poterant facilè habitare, velut hospites seorsum ab Ægyptiis, & eorum contemptum, detestationem, idololatriam, cæteraque vitia vitare.

Gen. 46. Hebræi pastores erant in Ægypto.

6 Quæret aliquis, *cur Ægyptij pastores detestabãtur?* Respondetur, quia colebant bouem Apim, & oues, quas pastores percutiunt, & occidunt. Hinc illud Exod. 3. *Abominationes Ægyptiorum immolabimus Domino: Quod si mactauerimus ea, quæ colunt Ægyptij coram eis, lapidibus nos obruent. Si mactauerimus* (inquiunt), id est, sacrificauerimus Deo animalia, quæ colunt Ægyptij, vt oues, arietes, *lapidabunt nos Ægyptij.* Philo in lib. de decalogo: Ægyptij, inquit, mutas animantes in Deorum numerum referunt, tauros, hircos, arieres, affingendo suas cuique fabulas.

Cur Ægyptij pastores detestarentur. Exod. 8.

7 Rursus si quæratur, *quot annis habitarunt in Ægypto Hebræi?* Respondetur, habitasse in Ægypto annos 210. vel 215. vt ostendimus primo tomo Concord. Euang. lib. 5. cap. 20. Horum annorum 215. spatio, mirum in modum creuerunt, ita vt ex Ægypto sexcenta bellatorum millia exierint, præter Leuitas; fæminas, & pueros, & senes. Lege Numer. cap. 1. & 2. & Exod. 12. Hæc autem multiplicatio diuinæ tribuenda est potentiæ, vt August. docet. lib. 18. de ciuit. cap. 7. Fauebat etiam ipsa Ægypti regio, in qua fæcundos partus fuisse ait Arist. lib. 7. de hist. animal. cap. 4. Quod plurimum, inquit, & locis plurimis agitur, mulieres singulæ singulos pariunt; verum sæpe, & locis plerisque geminos etiam edunt, vt in terra Ægypti fieri certum est. Ait autem Moses, multiplicatos esse Israelitas mortuo Ioseph, & fratribus eius, & omni illa fratrum cognatione. Iam ante mortem Ioseph, & fratrum, multiplicati erant; sed postea ita multiplicati sunt, vt horrori fuerint Ægyptio Regi.

Quot annis habitarunt Hebræi in Ægypto.

Mirũ in modum creuerũt Hebræi in Ægypto. Aristot.

CAPVT V.

MORALE.

De ingressu Israëlitarum in Ægyptum.

1 IN finibus terræ Ægypti, in terra Gessen, habitarunt velut hospites Hebræi; sic in finibus mundi, longè ab impiorum consortio habitant probi viri. Lib. 1. de vita D. Bernardi cap. 3. Sic (ait Abbas Gulielmus) obsidebant Bernardi animum sodalium dissimiles mores, & amicitiæ procellosæ, similem sibi efficere gestientes, &c. Sic animum probi viri obsident improborum mores, longè diuersi, & amicitiæ pro-

Probi virifugiunt improborum consortium. Gulielmus.

A cellosæ Ægyptiorum, si cum illis habites, & illis familiariter vtaris, obsidebunt te, tandemque animum capient, & virtutibus spoliabunt. Procellosæ rectè dicuntur improborum amicitiæ: siquidem vt procellæ pelago nauim, sic illæ homines vitiis demergunt. Fugit Ægyptios Bernardus; cogitans (inquit Abbas) & perpendens, quod vulgo dicitur, non esse tutum diu cohabitare serpenti, fugam meditari cœpit, &c. Meditatus est fugam ex Ægypto, Ægyptumque penitus dereliquit, ne cum serpente cohabitaret. Non est tutum cohabitare serpenti, fugam meditare, Ægyptum fuge penitus; quòd si fugere penitus non potes, saltem in finibus Ægypti, velut hospes consiste, fuge atram picem Ægypti: vt enim ait Eccles. 13. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* Mare mortuum, quod mundi typus est, pisces nullos gignit, gignit autem picem, siue bitumen: sic mundus plurimum procreat picis, siue bituminis, quo suos incolas inficiat. Vt ignis propinquus ignem gignit; sic vitium propinqui amici, vitium in amico solet parere. Similia animalia, alia sibi similia generant: sic similes amici mores, alios sibi similes in amico procreãt. Gulielmus citatus: Sodalium mores, & amicitia similem sibi Bernardum efficere gestiebant, &c. Eccles. 13. *Qui*, inquit, *communicauerit superbo, induet superbiam.* D. Hieronym. epistola 7. Procliuis, inquit, est malorum imitatio, &c. Sic procliuis est imitatio Ægyptiorum. August. 2. confess. cap. 9. Nimis (inquit) contagiosa res est, mali sodales, &c. Ad hæc, in finibus Ægypti illi habitant, qui mundi finem considerant. Est autem vnicuique mundi finis, vitæ finis. Tunc enim mundus nobis desinit, cùm morimur. Non miscet se Ægyptiis, qui miscet se mortis cogitationibus.

Amicitiæ improborũ procellosæ est. *Eccles. 13.* *Multum picis hærentis, siue bituminis, habet mundus.* *Eccles. 13.* *D. Hieron.* *D. August.*

B

C

2 Duxit in Ægyptum Hebræos ciborum fames: sic ducit in mundum Christianos fames rerum caducarum. At non saturant esurientes porri, alliaque, & cæpæ Ægypti, neque extinguunt sitim turbidæ Nili aquæ. Vt enim ait Arist. lib. 3. Ethic. cap. vlt. insatiabilis est rerum iucundarum appetitus, ipsaque concupiscentiæ exercitatione augetur, dum ei satisfacimus. Prouerb. 30. *Sanguisugæ duæ sunt filiæ dicentes, Affer, affer.* Cupiditas sanguisuga est, animæ sanguinem, id est, virtutes, sugens, & absumens. Duæ eius filiæ sunt libido, & auaritia, quæ nunquam saturantur Ægypti cibis, sed semper clamant; affer porros, affer cæpas, & ardentia allia. De clamoribus huius sanguisugæ Philo sic scribit lib. de temulẽtia: An non voluptatis intensi clamores sunt, per quos quidquid libet imperat; An non & concupiscentiæ ferrea vox, minaciter flagitantis ministeria cessantium? An non & aliorum affectuum multisonus est, & clamosus strepitus? &c. Sed hos clamores, affer, affer, non curat qui porros, & allia Ægypti fastidit, Ægyptumque fugit. Idcirco addit Philo: Etiam si centum ora, centumque linguas vnusquisque affectus habeat; ne sic quidem aures viri perfecti perturbare poterit, qui iã migrauit, nolens in eadem cum affectibus ciuitate habitare amplius, &c.

Fames ducit homines in Ægyptum. *Aristoteles.* *Prou. 30.* *Auaritia & libido sunt duæ sanguisugæ.* *Non saturantur mundi mancipia. Philo.* *Voces voluptatis, & clamores sanguisugæ, non audit vir iustus.*

D

E

3 Pauci illi Hebræi in finibus Ægypti habitarunt, tanquam hospites, & peregrini; sed posteà quàm creuerunt, ab Ægyptiis in seruitutem redacti sunt: similiter incipiunt aliqui inhabitare mundum, sicut hospites, & peregrini;

Spiritus nonnulli incipiũt, carne consummantur, & consumuntur. Ad Gal. 3.

grini; sed postquam crescunt diuitiis, & honoribus, ac numero, iugo illius se subiiciunt. Hinc illud Pauli ad Galat. 3. *Sic stulti estis, vt cùm spiritu cœperitis, nunc carne consummemini.* Caueant religiosi, ne cùm in Ægyptum descendunt velut hospites, & peregrini, Ægyptiorum moribus inquinentur, & seruitute mundi oppressi à Spiritu ad carnem deficiant, cumque spiritu cœperint, consummentur carne.

4 *Cur voluerit Deus Hebræos à terra repromissionis proficisci in Ægyptum.*

Sed, *cur Deus voluit Israëlitas in Ægyptum ex terra repromissionis discedere?* Respondet Rupertus lib. 2. in Exod ca. 2. ideo hoc voluisse Deum, vt peccatum fratrum Ioseph puniret, qui fratrem vendiderant. Fuerunt aliæ rationes, nimirum vt Iacob, & filiis cibum suppeditaret in fame, vt in Ægypto multiplicarentur Hebræi, ita vt possent terram repromissionis deuictis habitatoribus in suam potestatem redigere, vt Deus eos per desertum duceret, legem daret, & miranda miracula ederet, ex quibus Deus verus esse cognosceretur.

5 *Genes. 45.*

Gen. 45. Pharao præcipit Ioseph: vt dicat fratribus: *Ego dabo vobis omnia bona Ægypti, vt comedatis medullam terræ.* Equidem medullam terræ dedit magnus Ioseph Christus fratribus, & filiis, & discipulis, hoc est, Ecclesiam suam in orbe terrarum. Etenim Ecclesia Christi medulla est totius terræ. Italiam tradidit, Hispaniam, Galliam, & alias regiones, quæ medulla sunt orbis, si defecerunt ab Ecclesia suo malo hæretici, & schismatici; attamen adhuc medulla manet, extenditurque in Indiam orientalem, & occidentalem, & in totum terrarum orbem; est enim Ecclesia catholica: comedit quoque medullam cæli Ecclesia, videlicet panem; qui de cælo descendit, & dat vitam mundo, omnibus delitiis affluentem. Est etiam medulla terræ tartarus flammis, velut clibanus, incensus, quoniam in medio terræ est. Hanc medullam comedat Christianus, & consideratione velut dentibus proterat, si vult Ægyptum fugere. Qui tartareos considerat rogos igne flammantes, Ægypti porros & cæpas non curat: medulla hæc terræ est amara, sed si comedas, est salutaris.

Deus Christianis medullam terræ dedit; hoc est, regiones, quæ medulla terræ sunt, & medullam cæli.

Tartarus est medulla terræ, hanc dat diabolus.

6

Pastores fuerunt Hebræi, qui in Ægyptum descenderunt, esseque se pastores fassi sunt coram ipso Rege, & nobilibus; cùm tamen scirent apud Ægyptios contemptibiles, & detestabiles esse pastores; videlicet viri sancti, vt placeant Ægyptiis, non laborant, id est, mundi amatoribus: Deo maximè placere cupiunt; hominibus autem propter Deum. Rupertus lib. 9. in Genes. cap. 18. Sanctum (inquit) peregrinorum studium locus hic exprimit; scilicet quòd hominibus non solùm non placere, sed etiam displicere quæsierunt, &c. D. Hieronym. in consolat. ad Pammach. Prima, inquit, virtus est Monachi contemnere hominum iudicia, & semper Apostoli recordari dicentis ad Galat. 1. *Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.* Miror etiam Iosephi humilitatem, qui cùm princeps esset Ægypti, & secundus à Rege, proclamari in aula voluit patrem suum, & fratres pastores esse, Ægyptiis detestabiles. Apud Ægyptios honorem non curabat, sed apud Deum; sic Esther cap. 14. *Nosti*, inquit, *Domine quia oderim gloriam iniquorum. Tu scis necessitatem meam, quod abominer signum superbiæ, & gloriæ meæ, quod est super caput meum, in diebus ostentationis meæ.* Detestabilis erat Reginæ Esther corona ipsa, & gloria regia, inter idolorum cultores; sic ex Iosepho discant hoc ex loco illi, qui ad celsiores ascendunt dignitates, inopes parentes, & consanguineos non despicere, sed magni facere, tueri, & pascere. Ad summum Pontificatum ex humili genere euectus est Benedictus XI. inops mater ad filium sericis vestibus veluti diues adducitur; certior factus de matris aduentu rogauit, quibusnam vestibus esset induta? Vt verò audiuit indutam esse bombycinis, respondit: non est hæc mater mea; mater enim mea paupercula est, bombycinas ignorans vestes. Exuit vestes pretiosas mater, reuersa ad filium est, vili amicta indumento; tunc ille: hæc, inquit, est mater mea. Ingressam verò magna charitate excepit, & amplexus est. Lege D. Antho. 3. part. tit. 10. cap. 9.

Rupert.

D. Hieron. Humiles hominum mundanorum iudicia contemnunt.

Ad Galat. 1. Humilitas Ioseph.

Esther 14.

Pauperes consanguinei non sunt despiciendi à diuitibus.

Pastoralem artem in Iacob, & patriarchis commendari, docet D. Augustin. quæstion. 153. in Genes. Commendatur, inquit, in patriarchis, quòd pecorum nutritores erant; & meritò. Nam hæc est iusta seruitus, & iusta dominatio, cùm pecora homini seruiunt, & homo pecoribus dominatur; seruum autem hominem homini, vel iniquitas, vel aduersitas fecit, &c. Eandem artem commendat Philo in lib. de Ioseph, aitque, eam ad magistratum esse præludium: Qui, inquit, summus est in arte pecuaria, facile bonus Rex euadet, pulcherrimo gregi hominum præpositus, approbata industria in minore negotio. Siquidem quemadmodum futuro imperatori necessaria sunt exercitia venatoria; sic admouendis ad curam Reipubl. propriæ pastoralis ars congruit velut præludium quoddam magistratuum. Hæc ille. Et, lib. 1. de vita Mosis: Præfectura, inquit, mansueti pecoris, habet quiddam simile cum regno in subditos; ideò Reges cognominantur Pastores populorum, &c. Neque solum Reges, sed etiam Deus pastor appellatur, Psalm. 22. *Dominus regit me*, Græcè, ποιμένει, id est, *pascit me*, sicut Pastor: *in loco pascuæ ibi me collocauit.* Item: *Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Nam pastorale Dei pedum gregem consolatur. Philo in lib. de agricultura, Deum mundi docet esse pastorem; Sicut quendam, inquit, gregem, terram, aquam aerem, ignem; & quidquid in his continetur, vel stirpium, vel animalium, cæli naturam, solis, ac lunæ circuitus, & cæterorum syderum reuolutiones, Deus tanquam pastor regit, &c.

7 *D. August. Commendatur ars pastoralis.*

Philo.

Ars pastoralis præludium magistratuum.

Psal. 22. Reges dicuntur pastores, & Deus pastor. Philo.

8

Mirum in modum multiplicati sunt Israëlitæ in Ægypto. septuaginta ingressi sunt, & multa millia sunt egressi. Cœpit Dominus implere promissionem Abrahæ, factam de multiplicando semine, Genes. 22. *Multiplicabo*, inquit, *semen tuum, sicut stellas cæli, & velut arenam quæ est in littore maris.* Genes. 46. Deus ad Iacob: *Noli*, inquit, *timere, descende in Ægyptum, quia in gentem magnam faciam te ibi.* & Moses Deuteron. 10. ad Israelitas: *In septuaginta animabus descenderunt patres tui in Ægyptum; & ecce nunc multiplicauit te Dominus Deus tuus sicut astra cæli.* At verò Isaiæ 9. legitur: *Multiplicasti gentem, non magnificasti lætitiam.* Multiplicati sunt Iudæi, sed non est multiplicata lætitia, quia ex eis pauci Christum verum Messiam receperunt. Non est multiplicata

Genes. 22. Impleuit Deus promissionem de multiplicando semine Abrahæ. Genes. 46. Deut. 10.

Isaiæ 9. Multiplicasti eos, sed non est magnificata lætitia.

cata lætitia, quia plurimi arenæ sterili similes fuere, pauci similes astris cæli.

9

Mortuo Ioseph (ait Moses) *filij Israël creuerũt & quasi germinantes multiplicati sunt, ac roborati nimis impleuerunt terram.* Imaginem cernis filiorũ Israël secũdùm spiritum, id est, Christianorum. Mortuo Ioseph, id est, Christo, creuerunt Christiani, & quasi germinantes toto orbe multiplicati sunt, & roborati nimis impleuerunt terram, hoc est, quod Dominus dixit Ioan. 12. *Nisi granum frumenti, cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multũ fructum affert.* Quemadmodum postquam granum frumenti moritur, ex illo multiplicantur grana; sic postquam Christus est mortuus, & resurrexit, ex illius infinitis meritis multiplicati sunt Christiani. Origen. homil. 1. in Exod. Antequam, inquit, moreretur noster Ioseph, id est, Christus, valde pauci erant filij Israel, id est, Christiani. Cùm verò pro omnibus gustauit mortem, multiplicatus est fidelium populus, &c. Legendus August. serm. 84. de temp. multiplicandos autem dixit Deus Israelitas, Genes. 22. *Sicut stellas cæli, & sicut arenam maris.* nimis differt arena ab stellis cæli. Arena flagitiosos adumbrat Christianos; stellæ cæli, virtutibus ornatos: flagitiosi sterili arenæ absque succo vllo similes sunt; siquidem steriles sunt, bonisque operibus, succo charitatis, & gratiæ carent. Virtutibus ornati Christiani cum stellis conferuntur, quia excelsa vita præstant, splendoreque virtutum fulgent in terra, tandem in cælo, vt astra lucidissima collocandi. Quidnam illud est, quod arenam reddit infæcundam? maris sanè propinquitas; fuge maris, id est, mundi propinquitatem, quicumque infæcundæ arenæ similis esse non vis: cælo infige mentem, & cor, qui astris cæli similis esse desideras.

Ioan. 12.

Origen.

CAPVT VI.

De oppressione Hebræorum in Ægypto.

EXODI CAP. I.

1 SVrrexit interea rex nouus super Ægyptum, qui ignorabat Ioseph, & ait ad populum suum: Ecce, populus filiorum Israël multus, & fortior nobis est. Venite, sapienter opprimamus eum, ne fortè multiplicetur: & si ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis nostris, expugnatisque nobis egrediatur de terra. Præposuit itaque eis magistros operum, vt affligerent eos oneribus: ædificauerũtque vrbes tabernaculorum Pharaoni, Phithom & Ramesses. Quantoque opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur, & crescebant: oderantque filios Israël Ægyptii, & affligebant illudentes eis: atque ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti & lateris, omnique famulatu, quo in terræ operibus premebantur.

2 TOto illo temporis spatio, quo vixit Ioseph, Hebræi tranquillam egere vitam in Ægypto. Vixit autem Ioseph, vt dicitur vlt. cap. Genes. 110. annis, 30. annos natus in principatum Ægypti euectus est. 80. verò annis in principatu permansit. vsque ad mortem. Pater verò, & fratres, in Ægyptum venerunt anno secundo famis, vt dicitur Gen. 46. qui annus nonus erat imperij Ioseph. Nam 30. vitæ anno imperare cœpit, sequuti sunt septem anni nimiæ fertilitatis; & postea duo sterilitatis; qui nouem efficiunt annos principatus. Tunc autem venerunt fratres cum patre in Ægyptum. Natus verò erat Ioseph annos 39. itaque septuaginta annis viuente, atque imperante Ioseph, pacem cum Ægyptiis habuerunt Hebræi. Post mortem Ioseph, & fratrum, vehementer multiplicati sunt; accepitque regni gubernacula Rex nouus, qui nesciebat Ioseph; is Hebræos seruituto dura oppressit.

Quot annis absque oppressione vixerint Hebræi in Ægypto.

3 *Caietan.*

Quis fuerit iste Rex, quæritur? Caietanus putat, non fuisse Ægyptium, si quidem omnibus Ægyptiis notissimus erat Ioseph, hic autem Rex nesciebat illum. Coniicit fuisse Assyrium, ductus illis verbis Isaiæ 52. *In Ægyptum descendit populus meus, & Assur calũniatus est eum.* Fuisse Ægyptium credendum est; locus Isaiæ de duplici Hebræorum oppressione intelligitur, non de vna. *In Ægyptum* (ait Dominus) *descendit populus meus, vt esset colonus ibi*; & ab Ægyptiis oppressus est. Assyrij quoque illi calũniati sunt, quãobrem LXX. interpretes verterũt: *Et violẽter abducti sunt in Assyrios.* Omissis aliis non opinionibus, sed suspicionibus, dicendum est cum Abulensi Exod. 1. & aliis, Amenophim, siue Amenoptem Pharaonem fuisse hunc Regem nouum, quem ait Eusebius regnasse annis 31. fuisseque septimum in decima octaua dynastia, quæ fuit Polytanorum. Eo regnante natum esse Mosem colliges ex chronico eiusdẽ Eusebij.

Isai. 52. Quis appellatur rex nouus Ægypti.

Amenorhin Rex nouus.

4 Sed, *cur nouus dicitur? cur etiam dicitur ignorasse Ioseph, notum omnibus propter beneficium collatũ in Ægyptios, & imperiũ tot annorũ?* Iosephus lib. 2. antiq. cap. 5. ait regnum Ægypti in aliam familiam translatum fuisse, quamobrem nouus dici poterat Rex, quia ex familia noua erat. Forsitan dicitur nouus Rex, quia alij vita functo tunc nouiter successerat: sic enim loquimur, cùm Rex aliquis nouiter creatur, aliique succedit: *Regem habemus nouũ.* LXX. interpretes hunc sensum videntur secuti; sic enim vertunt, Βασιλεὺς ἕτερος, id est, *Rex alius*, surrexit. Vel dicitur nouus, quia post tempus vitæ Ioseph ortus erat; & ideo nesciebat Ioseph, quia illum non viderat, neque agnouerat. Vel dicitur nouus, quia nouo modo cum Hebræis egit. Alij enim Reges illis se beneuolos præbuerunt: hic se infensum exhibuit & crudelem. Nescisse dicitur Ioseph, quia Ioseph non nouerat, neque viderat; vel quia non curabat beneficia, quibus Ioseph

Rex nouus cur dicatur.

Ioſeph affecerat Ægyptios, quòd homo fuiſſet alienigena; Chaldæus vertit, *Surrexit Rex qui non confirmabat decreta Ioſeph.*

5 *Cur Deus ſit paſſus Hebræos opprimi ab Ægyptiis?*

Quæritur, *cur Deus populum ſuum dura ſeruitute affligi paſſus eſt?* Reſpondetur, idcirco paſſum eſſe, vt ex Ægypto cuperet diſcedere, in terram repromiſſionis, & à dura ſeruitute liberari, factis à Deo miraculis ſtupendis, quibus tum Hebræis, tum Ægyptiis, & reliquis populis verum ſe eſſe Deum demonſtraret. *Abulenſ.* Abulenſis Exod. 1. quæſt. 7. cauſam fuiſſe ait huius ſeruitutis idolorum cultum. Coluiſſe enim Hebræos idola in Ægypto exiſtimat, ideoque ſic afflictos, & punitos. At dubium eſt, an hæc fuerit cauſa Hebræis. Nam viuente Ioſeph, & imperante, eiuſque fratribus, Hebræi colere non poterant idola, prohibente Ioſeph, & fratribus; poſtea ſequuta eſt captiuitas; Ergo non eſt ſequuta propter idolorum cultum; nullus enim ante fuerat huiuſmodi cultus. Præterea Deus auxit Iſraelitarum numerum mirabiliter, roborauit, & defendit in Ægypto; ergo non colebant idola. Denique ſi colerent idola non haberentur odio ab Ægyptiis: Non ergo tribuenda illis eſt idololatria in Ægypto.

An Hebræi in Ægypto adorarint idola? Ioſue 24.

Reſpondetur, in Ægypto coluiſſe idola Hebræos, idque probatur ex Scriptura ſacra, Ioſue cap. 24. *Auferte*, inquit, *Deos, quibus ſeruierũt patres veſtri in Meſopotamia, & in Ægypto, ac ſeruite Domino.* Seruierunt ergo patres Hebræorum Diis alienis in Ægypto. *Ezech. 23.* Ezech. 23. loquitur de duabus ſororibus, id eſt, Samaria, & Ieruſalem, metaphoricè, nomine fornicationis indicans idololatriam. *Fornicatæ*, inquit, *ſunt in Ægypto*, id eſt, idola coluerũt; *in adoleſcentia ſua*. Item: *Fornicationes ſuas, quas habuerat in Ægypto non reliquit.* Item: *Recordans dies adoleſcẽtiæ ſuæ, quibus fornicata eſt in terra Ægypti.* Neque verò rectè intelliguntur Ezechielis verba de adoratione vituli; ſiquidem vitulus non in Ægypto, ſed in deſerto adoratus eſt. Cuius adoratio indicat, multos ex Iſraelitis in Ægypto coluiſſe vitulum Ægypti, id eſt, Apim. *Cur igitur Ægyptij oderant Hebræos, ſi Deos Ægypti adorabant?* Reſpondetur, propter inuidiam odio habuiſſe, vt infra dicetur. *Cur Deus idolorũ cultores Iſraëlitas multiplicabat, & beneficijs afficiebat?* Reſpondetur, vt ex Ægypto, & idololatria educeret, vniuſque Dei cultum in deſerto doceret.

Beneficia etiã malis Deus confert propter bonos.

Adde, non omnes fuiſſe idololatras, ſed aliquam partem; multos fuiſſe Dei vnius, & veri cultores, propter quos beneficia in illos conferebat. *Cur Ioſeph & fratres idololatriam non exterminabant ex populo ſuo?* Reſpondetur, quia non poterant. Rex enim idololatris fauebat, & Ægyptij. Præterea credi poteſt poſt mortem Ioſeph, & fratrum Hebræos idola coluiſſe. Nam poſt mortem Ioſeph & fratrum multiplicati ſunt nimis; multiplicati verò idolis diuinum tribuerunt honorem, antequam in ſeruitutem redigerentur.

6 *An Hebræi ſtatim poſt mortẽ Ioſeph redacti fuerint in ſeruitutem?*

Quæritur, *an ſtatim poſt mortem Ioſeph fuerint redacti in ſeruitutem?* Reſpondetur, mortuo Ioſeph, vt narratur 1. Exodi, & vniuerſis fratribus eius, omnique cognatione, Hebraicè, דור *dor*, id eſt, *generatione* illa, filios Iſrael valde eſſe multiplicatos; interea verò ſurrexiſſe Regem nouum, qui eos afflixit. Non igitur ſtatim poſt mortem Ioſeph afflicti ſunt, ſed poſt mortem Ioſeph & fratrum omnium, illiuſque primæ generationis, ſiue cognationis Ioſeph. Dubitatur, an mox poſt obitum omnium fratrum, & illius primæ generationis cœperit perſecutio Ægyptiorum; Scriptura enim ait poſt multiplicatos Hebræos ſurrexiſſe Regem nouum perſequutorem. Reſpondetur, veriſimilius eſſe, non ſtatim cœpiſſe. Nam poſt obitum Ioſeph, & cęterorum, multiplicati ſunt Iſraelitæ valde, antequam Rex nouus regnaret, & perſequutionem excitaret: Ergo per aliquot annos nulla fuit inſectatio Hebræorum, poſt interitum Ioſeph, & cæterorum, quo annorum ſpatio ita multiplicati ſunt, vt eos timeret Rex nouus. Hebræi in ſua Chronologia aiunt, Iſraelitas non eſſe oppreſſos ſeruitute vſque ad mortem Leui, fratris Ioſeph, qui Exod. 6. dicitur *vixiſſe* 137. *annis*. Vixit autem poſt obitum Ioſeph 23. His igitur 23. annis poſt mortem Ioſeph liberi fuerunt Iſraelitæ, & toto tempore, quo vixit Ioſeph poſt eorum aduentum in Ægyptum. Addunt Hebræi poſt obitum Leui cœpiſſe ſeruitutem: non tamen videtur cœpiſſe ſtatim poſt mortem Leui; ſed poſtquam ille & omnis illa prima generatio Iſraelitarum è vita exceſſit, & Hebræi multiplicati ſunt, vt colligitur ex cap. 1. Exod. Itaque libertas Hebræorum vno & ſeptuaginta durauit annis, quibus Ioſeph in vita manſit poſt aduentum fratrum. Præterea durauit 32. quibus Leui vixit poſt obitum Ioſeph. His addendi ſunt aliquot anni, in quibus prima illa generatio è vita migrauit, multiplicatique ſunt Iſraelitæ.

7 *Quot annis durauerit ſeruitus Hebræorum in Ægypto? Euſeb.*

Poſt libertatem ſecuta eſt ſeruitus. Si quæras, *quot annis durauerit?* Aiunt Hebræi duraſſe 87. annis. Euſebius in chronico duraſſe ait annis 144. Ioſeph (inquit) moritur anno 110. poſt cuius interitum Hebræi in Ægypto ſeruierunt annis 144. fuerunt autem in Ægypto annis 215. Sic ille. Paucioribus annis duraſſe oſtenditur hoc pacto, Manſerunt in Ægypto Iſraelitæ 215. annis, vt ait Euſebius, & alij. Ex his ſi tollas libertatis annos vſque ad mortem Leui 93. & aliquot alios annos addendos, de quibus ſupra diximus, 100. anni libertatis remanent, & ſeruitutis 115. Obiicies verba illa Dei ad Abraham, Geneſ. 15. *Geneſ. 15.* *Scito prænoſcens quod peregrinũ futurum ſit ſemen tuum in terra non ſua, & ſubiicient eos ſeruituti, & affligent quadringentis annis.* 400. ergo annis ſubiecti fuerunt ſeruituti Iſraelitæ in terra non ſua, id eſt, in Ægypto. Iam ſoluimus nodum hunc tomo 1. Concord. lib. 5. c. 20. Diximus, non eſſe numerandos hos annos ab ingreſſu in Ægyptum, ſed ab ortu Iſaac; vt numerant Hebræi in ſua Chronologia, Auguſt. in Exod. quæſt. 47. & alij. Senſus verò eſt, ſcito ſemen tuum, quod in Iſaac ſumet initium (iuxta illud, *in Iſaac vocabitur tibi ſemen*) peregrinaturũ 400. annis in terra non ſua; hoc eſt, partim in terra Chanaan, quam nondum poſſidebat, partim in terra Ægypti. Intra hos verò 400. annos affligent eos, & ſubiicient ſeruituti in terra Ægypti, non quidem per omnes annos 400. ſed per pauciores, videlicet 115. Lege quæ ſcripſimus loco citato, ſi libet.

8 *Seruitus Ægypti dicitur fornax ferrea. Deut. 4. 3. Reg. 8. Ierem. 11.*

Fornacem ferream appellat Scriptura Ægyptum propter duram & crudelem Hebræorum ſeruitutem, Deut. 4. ait Moſes. *Vos eduxit Dominus de fornace ferrea Ægypti.* 3. Reg. 8. ait Salomon: *Populus tuus eſt, & hæreditas tua, quos eduxiſti de terra Ægypti de medio fornacis ferreæ.* Ier. 11. ait Deus: *Eduxi eos de terra Ægypti, de fornace ferrea.* Dicitur fornax ferrea Ægyptus, quia afflixit Iſraelitas, & incendit, velut caminus, & fornax ferrum,

rum, iuxta illud Iſaię 48. *Iſai. 48.* *Ecce excoxi te, ſed nõ quaſi argentum, elegi te in camino*, id eſt, fornace, *paupertatis*, id eſt, excoxi te in fornace paupertatis, ſiue afflictionis, & captiuitatis, atque elegi. Ferrea autẽ fornax dicitur, in qua ferrũ incenditur; dici etiam poteſt ferrea, id eſt, ex ferro confecta.

9 Præterea, quia in Ægypto in fornace, ſiue fornacibus lateres coquebant Iſraelitæ, ſenſus eſſe poteſt: *Eduxi te de fornace ferrea*, hoc eſt, de ſeruitute, & labore duro, ac ferreo coquendi lateres. Fuit enim ſeruitus illa ferrea ac dura.

Quales lateres fuerint, quos Hebræi conficiebant.

At lateres illi non fuere cocti igne, ſed ſole; ergo non eſt intelligendus locus de fornace laterum. Etenim lateres illi ex luto permixtis paleis conficiebantur, Exod. 5. vocantur Luſitanè *adobes*, ſoliſque coquuntur radiis, non igne; paleæ autem luto permiſcentur, vt illud firment, ne diſſoluatur. *Ezech. 13.* Vnde illud Ezech. 13. *Ipſe ædificabat parietem, illi autem liniebant eum luto abſque paleis; dic quod caſurus ſit.* Non ergo conſtabant illæ vrbes præclaris admodum ædificiis, ſiquidem ex lateribus, id eſt, *adobes*, erant exædificatæ. Huiuſmodi lateres cogebantur Iſraëlitæ cõficere ſeruitute oppreſſi, *D. Bernard.* D. Bernardus ſerm. 34. ex paruis ſermonibus, paleis accenſis ait coctos fuiſſe lateres, ac ſolidatos: ſed tenuis eſt palearũ ignis ad coquendum & ſolidandum lutum, niſi velis dicere, magnam fuiſſe palearum ſiue ſtipulæ copiam, qua id fieret ob penuriam alterius rei. Cogebantur autem Hebræi vrbes Ægyptiis cõſtruere, præpoſitis magiſtris operum, vt oneribus luti, & laterum eos premerent, & labore velut ſeruos affligerent.

10 *De vrbibus quas Hebræi ædificauerunt in Ægypto.*

Ædificaſſe dicuntur Exod. 1. Pharaoni duas vrbes *Phithom*, & *Rameſſes*; addunt LXX. interpretes tertiam vrbem, quæ Hebraicè dicitur *On*, Græcè Ηλιοπόλις, id eſt, *ciuitas ſolis*. Erat alia Heliopolis in Ægypto, cuius ſacerdotem iidem LXX. interpretes Gen. 41. ſcribunt fuiſſe ſocerum Ioſeph: altera, vt reor opibus & ſtructura minor, eſt ab Iſraelitis ædificata: Rameſſes verò mentio fit Gen. 47. cum dicitur Ioſeph dediſſe fratribus habitationem, *& poſſeſſionem in optimo terræ ſolo Rameſſes.*

Rameſſes & regio fuit, & vrbs. D. Hieron.

Sed eo loco nomen eſt regionis, hic nomen eſt vrbis, Hieronymo teſte in lib. de locis Hebr. Rameſſes, inquit, vrbs eſt, quam ædificauerunt filij Iſrael in Ægypto; olim autem & vniuerſa prouincia ſic vocabatur, in qua habitauit Iacob vna cum ſuis liberis.

Vrbes tabernaculorum.

Appellantur autem vrbes, quas ædificarunt Hebræi *vrbes tabernaculorũ*, Hebraicè מסכנות *miſcenoth*, per Samech, quod nomẽ ſignificat *tabernacula* ſeu *apothecas frumenti, vini, & olei*, 2. Paral. 32. & 2. Paral. 8. ſignificat ciuitates *munitas*, & cap. 16. *vrbes muratas*.

11 LXX. interpretes vertunt πόλεις ὀχυρὰς, id eſt, ædificauerunt *ciuitates munitas*. Chaldęus, *vrbes theſaurorum*. Dicuntur etiam *vrbes tabernaculorum*, quia in illis tabernacula erant ad cuſtodiendum frumentum, & ſimilia. Abulenſis putat dici vrbes tabernaculorum, quia ædificatæ ſunt in locis, vbi antea erant parua tabernacula; *Ioſephus.* Ioſephus addit, in pyramidibus etiam Ægypti conſtruendis vexatos fuiſſe Hebræos: Inhumane, inquit, tractabant Ægyptij Hebræos, & variis laboribus conterebant. Nam & flumen in multas foſſas deducere iuſſi ſunt, & mœnia exædificare, & aggeres conſtruere, quibus inundationes fluminis arcerentur, pyramidum etiam inſanis ſubſtructionibus vexabant gentem noſtram, cogendo varias artes ediſcere, & laboribus ferendis aſſueſcere. Hæc ille. Lege etiam Philonem de vita Moſis. Eupolemus apud Euſebium de præpartione Euangelica, ait, Regem Pheraonem præcepiſſe, Iſraelitas diuerſa ab Ægyptiis veſte vti; denique elephantiaco morbo cruciatum è vita abiiſſe. Exod. 1. operibus quoque agriculturæ afflictos Hebræos traditur his verbis: *Ad amaritudinem perducebant vitam eorum operibus duris luti, & lateris, omnique famulatu, quo in terra*, Hebraicè, in agri *operibus premebantur*. Agri, vel terrę opera, agriculturæ opera appellantur.

Quæres, *cur Ægyptij Hebræos vexarint?* Reſpõdetur, cauſam fuiſſe metum, inuidiam, & odium. 12

Exod. 1. Cur Ægyptij Hebræos afflixerint.

Metum fuiſſe cauſam indicat Moſes Exod. 1. cùm refert Regem ſic alloquentem Ægyptios: *Ecce populus filiorum Iſrael multus, & fortior nobis eſt: venite, ſapienter opprimamus eũ, ne forte multiplicetur, & ſi ingruerit contra nos bellum, addatur inimicis noſtris, expugnatiſque nobis egrediatur de terra.* Dubitatur, cur nõ dixerit Rex, *expugnatiſque nobis poſſideat regnum noſtrum*, vel, *dominetur nobis*, ſed dixerit, *expugnatis nobis egrediatur de terra*.

Deſiderium terræ promiſſionis.

Reſpondetur, hoc dixiſſe, quia Hebræi ex Ægypto cupiebant diſcedere in terram, quam ſciebant promiſſam eſſe patribus, idque Ægyptiis ſignificabant. Rupertus: *Rupert.* Hic, inquit, intelligis filios Iſrael ſolitos fuiſſe ſuſpirare ad terram, quæ patribus eorũ repromiſſa fuerat, &c. Fuiſſe odium traditur cap. 1. Exod. *Exod. 1.* *Oderant*, inquit, *filios Iſrael Ægyptij, & affligebant illudentes eis, atque ad amaritudinem perducebant vitã eorum operibus luti, & lateris, omnique famulatu, quo in terra operibus premebantur.* Pſalm. 104. *Pſalm. 104.* *Auxit Deus populum ſuum vehementer, & firmauit eum ſuper inimicos eius*, id eſt, ſuper Ægyptios, *conuertit cor eorũ, vt odirẽt populũ eius, & dolum facerẽt in ſeruos eius.* Auguſt. *Auguſt.* Non cor eorum malum faciendo; ſed populo ſuo benefaciẽdo, &c. Item: In eo quòd Deus populum ſuum multiplicauit, hoc beneficio malos Ægyptios ad inuidentiã conuertit, &c. Fuiſſe cauſam inuidiam docet Ioſeph. lib. 2. antiquit. *Inuidia vis.* Ægyptij, inquit, gens delicata, & ad laborem ſegnis, voluptatibus tantùm, & captandis vndequaque lucris dedita, male volebat Hebræis, quòd per inuidiam ferre æquo animo illorum felicitatem non poterat: videntes gentem Hebræorum florere, & opibus labore, atque induſtria quæſitis abundare, non ſatis tuta ſibi eorum incrementa exiſtimauerunt. Cum itaque iam Ioſeph beneficiorum memoriam tẽpus obliteraſſet, regnumque Ægypti in aliam familiam tranſlatum eſſet, inhumanè tractabãt Hebræos, & variis laboribus atterebant. Sic ille. Adde his, Ægyptios idolorum fuiſſe cultores; Iſraëlitas verum, vnumque coluiſſe Deum; quæ diuerſitas religionis, fomes etiam fuit odij. Ioſephus aliam apponit cauſam loco citato: *Ioſeph.* Exortum, inquit, eſt aliud quiddam, cur genus Hebræorum magis etiam cuperent Ægyptij extinctum. Quidam ſacrorum ſcriba prænuntiauit Regi, naſciturum per id tempus apud Iſraëlitas quendam, res Ægyptiorum grauiter afflicturum; *Ioſephus.* Hebræorum contrà aucturum, ſi modò ad ætatem adultam perueniret. Nam & virtute fore pręcellentiſſimum, & gloria per omne æuum celeberrimum. Quo terrore percitus Rex edicit ex ipſius monitoris ſententia, quidquid maſculini ſexus inter Hebręos naſceretur, in flumen proiici, atque ita gentem Hebræam ſenſim, & per aſtum deleri. Sic Ioſephus.

CAPVT VII.

MORALE.

De oppressione Hebræorum.

Surrexit Rex nouus qui nesciebat Ioseph.

1 VÆ regno quod Regẽ habet, qui nescit Ioseph, id est, Christum, qui eius beneficia, legem fidéque ignorat, vel non curat! Eccl. 10. *Væ tibi terra, cuius Rex puer est.* Pueri sunt imperiti, atque ignari Reges, qui Deum ignorant. Væ terræ, cui imperant, vt insciusimperitusque nauarchus nauim scopulis allidit; sic nesciens Deum Rex, Rempubl. in syrtes impellit, & perdit. Prouerb. 29. *Cùm impij sumpserint principatum, gemet populus.* Cùm impius hic Pharao accepit gubernacula, valde gemuit populus Israëliticus, & instar nauis in periculosa vada impulsus est, vt periret. Psalm. 81. de iudicibus, & regibus loquens, ait Dominus: *Nescierũt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant*, hoc est, reges, & iudices nescierunt Deum, neque intellexerunt eius legem, & iustitiam; tetra caligine obcæcatum habent intellectum. Quid sequitur hanc nescientiam, has tenebras? *Mouebuntur*, inquit, *omnia fundamenta terræ*, sequitur has tenebras Reipublicæ labefactatio, & cõmotis fundamentis euersio. Ille Ægypti Rex, à quo Moses, Exod. 5. postulauit, vt dimitteret liberos Israëlitas, nesciebat Deum, sicque respondit: *Nescio Dominum, & Israël non dimittam.* Nesciuit, in tenebris ambulauit per horrendum mare rubrum, Ægypti fundamenta diruit, regnumque euertit, ac demersit. Psalm. 52. *Dixit insipiens in corde suo, non est Deus.* Nesciuit Dominum vir insipiens, Deum esse ignorauit. Vide quid sequatur: *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in iniquitatibus, non est qui faciat bonum.* Deinde optat Deus vt ipsum sciant homines impij, & populi sui persecutores: *Nõnne*, inquit, *scient omnes qui operantur iniquitatem, qui deuorant plebem meam, vt cibum panis?*

Eccl. 10. Rex & gubernator Reip. qui nescit Dominum, Rempub. euertit.

Prou. 29.

Psal. 81.

Exod. 5.

Psal. 52.

2 Surrexit nouus Rex in Ægypto nesciens Ioseph, qui infantes Hebræorum Nili aquis suffocauit: surrexit nouus Rex in Iudæa, videlicet Herodes, nouus alienigena, nesciebat ille Ioseph, id est, Christum ignorabat, eiusque regnũ temporale, & caducum esse existimabat; non Nili aquis, sed gladiorum acie Israëlitarum paruulos filios interemit. Surrexit item alius Rex nouus Ieroboam, 3. Reg. 2. nesciens Dominum, tribus decem in turpissimum vitulorum cultum precipitauit, & perdidit, 1. Reg. 2. *Filij Heli, filij Belial nescientes Dominum, neque officium sacerdotum ad populum; sed quicumque immolasset victimam, veniebat puer sacerdotis, dum coquerentur carnes, & habebat fuscinulam tridentem in manu sua, & mittebat eam in lebetem, vel caldariam aut in ollam, & omne quod leuabat fuscinula, tollebat sacerdos sibi.* Ecce opera hominum nescientium Dominum: filij Heli nescientes Dominum, neque officium sacerdotum, fuscinulam habebant tridentem, qua ex ollis carnes Deo immolatas extrahebãt: similem in modum sacerdotes, si qui sunt, qui nesciunt Dominum, neque officium sacerdotum, fuscinulam habent tridentem, id est, trium dentium, plusquam elephantinorum, nimirum concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ, de quibus Ioan. agit epist. 1. cap. 2. hac tridente fuscinula quidquid possunt trahunt. Denique Dei ignorantia omnium malorum causa est; homines etiam principes in cello dignitatis gradu constitutos in belluas conuertit, iuxta illud Psalm. 48. *Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Sunt in honore principes, sacerdotes, & alij; dent vehementer operam, vt sciant Dominum, & intelligant. Quòd si non intelligant, si Ioseph verum nesciant, iumentis comparabuntur, & iumentorum instar vitam traducẽt, audientque à magno Iosepho Christo Matth. 25. *Nescio vos*: cur Domine nescis nos? quia nescitis me, & nesciendo in belluas commutati estis. Ego vos per baptismum feci Dei filios, non video Dei filios, sed belluas; ideoque nescio vos.

Rex nouus Ægypti, & Herodes infantes occiderunt.

1. Reg. 2.

Deũ ignorare malorũ causa est.

Psalm. 48.

Matth. 25.

Nesciebat hic Rex nouus Ioseph, eiusque merita in Rempubl. ideo eius gentem afflixit; similem in modum Reges, prælatique qui merita subditorum nesciunt, quos præmio deberent afficere, eos vexant.

3 *Dant veniam coruis, vexat censura columbas.* Rex nouus Saul nesciebat Ioseph, id est, Dauidem, gigantem occisum, exercitum Philistinorum fugatum: Rempubl. liberatã, aliaque merita non curabat; inuidia percitus illum, qui omni amore, & beneficentia dignus erat, diuliter insectabatur. Sciant Ioseph principes, merita subditorum cognoscant, vt remunerent. Ad magnas enim difficultates pro Republ. exorbendas inflammantur, si sciant principem scire Ioseph, id est, subditorum merita non ignorare, sed debitis præmiis afficere. O illos beatos, qui Regi illi nouo secundùm humanitatẽ, sempiterno secundùm diuinitatem seruiunt, id est, Christo, scit ille Ioseph, & cognoscit merita singũlorum, nihilque relinquit irremuneratũ, vsque ad calicem aquæ frigidæ, Matth. 10. *Quicũque*, inquit, *potum dederit vni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ, tãtum in nomine discipuli: Amen dico vobis, non perdet mercedẽ suam.* Bernard. epist. 2. Si te Christus agnoscit in bello, recognoscet in cælo, &c. si aduersus stygios hostes bellũ fortiter gesseris, agnoscet te Rex tuus, in ipso bello præliantem: postea verò in cœlo agnoscet, decorabitque triumpho æterno. Non enim Rex est, qui nesciat subditos, eorumq; merita obliuioni tradat.

Principes merita subditorum cognoscant, eãque remunerent.

Christus Rex suorum merita omnia magno afficit honore, & gloria.

Matth. 10.

D. Bernard.

Iam considera, quid dicat Rex nouus, qui nescit Ioseph: *Ecce populus Israël multus, & fortior nobis est: venite, sapienter opprimamus eum.* Hoc est consilium sapientiæ carnalis, iustè opprimit, quos timet; sapiens sibi videtur Rex, si opprimat innocentes: *Venite, sapiẽter opprimamus eum*, sed diabolica est sapientia hæc, proditque ex tartaro. Ierem. 4. *Sapientes sunt, vt faciant mal.* 1. ô tartaream sapientiam! qualis sapiẽtia, tale consilium. At vt Salomon ait Prouerb. 21. *Non est sapientia, non est prudentia, non est consiliũ cõtra Dominum.* Nam etsi opprimebat Rex nouus Ægypti, populum Israëliticum; Rex tamen sempiternus cæli, ac terræ eum multiplicabat. Exod. 1. *Quanto opprimebant eos, tanto magis multiplicabantur, & crescebant.* Isaiæ 46. *Consilium meũ stabit* (ait Dominus) *& omnis voluntas mea fiet.* Isaiæ 19. *Sapientes consiliarij Pharaonis dederunt consilium insipiens.* Nunc verò ipsemet Pharao dat consilium, & imperium insipiens, appellatque consilium sapiens; *Venite, sapienter opprimamus eum.* Forsitan

4 *Exod. 1.*

Sapiẽtia carnalis innocẽtes opprimit.

Ierem. 4.

Prou. 21.

Exod. 1.

Isaiæ 46.

Isaiæ 19.

Pharao

Pharao cum suis sapientibus hac de re consilium inierat, & sapientes consiliarij Pharaonis dederunt hoc consilium insipiens. Reges nouj, qui nesciunt Deum, omnia se sapienter facere arbitrantur, omnia sibi licere putant, & quidquid libet, fas esse. Populum Dei, liberum in Ægypto hospitem, ac peregrinum, graui seruitute oppressit Pharao, vt ait, sapienter in construendis vrbibus, sibi seruire coegit sapienter. Ex stygia palude hæc nata est sapientia.

5 Sapientia ex styge nata opptimebat immeritò populum, vt perderet: sapientia verò cælestis opprimi permittebat, vt seruaret; magnaque cum gloria ex captiuitate liberaret. Scit enim Dominus ex hominum malis, magna elicere bona. Illam permittebat afflictionem, vt veluti stimulo compuncti ex Ægypto discedere, ollasque carnium, & Ægypti porros, cepas, & allia relinquere cuperent Israëlitæ. Eundem in modũ affligi nos vult, vt Ægyptum deseramus, peccatoque nuntium remittentes, ad terram promissionis properemus. Affligebat Ioseph fratres suos, sed amabat, Genes. 42. vnde illud D. Gregor. hom. 21. in Ezech. O tormenta misericordiæ! cruciat, & amat, &c. Huiusmodi sunt Dei tormenta, tormenta sunt misericordiæ, cruciat, & amat; & cruciat, quia amat, vt à barathro reuocet, & ad se trahat. Tribulatio enim expergo facit hominem, & diluculo facit consurgere, & reuerti ad Deum, Psal. 77. *Cum occideret eos, quærebant eum, & reuertebãtur, & diluculo veniebant ad eum.* Oseæ 6. *In tribulatione sua mane consurgent ad me.* Si spinis septa via iter facienti occurrit, in aliam declinat, quæ spinis careat; sic si homini iter in tartarum habenti tribulationum spinæ obueniunt, viam tartari mutat, in viam Dei tendit. Oseæ 2. *Sepiam*, inquit, *viam tuam spinis.* In quem locum D. Hieron. sic scribit. Ex quo intelligimus, quòd prouidentia Dei, sæpe nobis accidant mala; ne habeamus ea quæ cupimus; & variis calamitatibus huius seculi ad Deum redire cogamur, &c.

Affligit nos Deus, sed amat.

D. Greg.

Tormẽta misericordiæ.

Psal. 77.

Oseæ 6.

Tribulatio hominem reuocat ad Deũ.

Oseæ 2.

D. Hieron.

Erudit Deus nos, & docet tribulationis adhibita dura ferula, imò igne ardente, Thren. 1. *Misit ignẽ in ossibus meis, & erudiuit me Dominus.* Isai. 28. *Vexatio dabit intellectum auditui.* Felix est tribulatio, & vexatio, quæ aures aperit, quæ intellectum dat, quæ hominem erudit, & ex bellua in hominem reuocat. Nõnne bellua erat Rex Nabuchodonosor? quis ei intellectum dedit? quis erudiuit? quis in hominem restituit? sanè per tribulationem Deus, Dan. 4. Illud quoque obseruandum, in ipsamet vexatione multiplicatos esse Israëlitas: *Quanto*, inquit, *opprimebant eos, tanto magis multiplicabãtur, & crescebant.* Eundem in modum in ipsamet afflictione multiplicati sunt Christiani, oppressi & afflicti à Tyrannis multiplicabantur, & crescebant. Vnde illud Tertulliani in Apolog. Plures efficimur, quoties metimur à vobis. Psal. 4. *In tribulatione dilatasti mihi.* Cassiodorus, tribulatio, inquit, est quæ semper Ecclesiam dilatat, quando eodem tempore confessores fiunt, martyres coronantur, totaque turba iustorum contritionibus semper augetur.

6 *Thren. 1.*

Isaiæ 28.

Tribulatio erudit hominem.

In ipsa tribulatione multiplicati sunt Christiani.

Tertul.

Psalm. 4.

Cassiodor.

CAPVT VIII.

De obstetricibus, & paruulorum submersione in flumine.

EXODI CAP. I.

1 DIxit autem Rex Ægypti obstetricibus Hebræorum: quarum vna vocabatur Sephora, altera Phua, præcipiens eis: Quando obstetricabitis Hebræas, & partus tempus aduenerit: si masculus fuerit, interficite eum: si femina, reseruate. Timuerunt autem obstetrices Deum, & non fecerunt iuxta præceptum regis Ægypti, sed conseruabant mares. Quibus ad se accersitis, rex ait: Quidnam est hoc quod facere voluistis, vt pueros seruaretis? Quæ responderunt: Non sunt Hebrææ sicut Ægyptiæ mulieres: ipsæ enim obstetricandi habent scientiam, & priusquam veniamus ad eas, pariunt. Bene ergo fecit Deus obstetricibus: & creuit populus, confortatusque est nimis. Et quia timuerunt obstetrices Deum, ædificauit eis domos. Præcepit ergo Pharao omni populo suo, dicens: Quidquid masculini sexus natum fuerit, in flumen proiicite: quidquid feminini, reseruate.

2 CVm videret Rex Ægypti sub vexationis præsio multiplicari Israëlitas, irritumque suum fuisse consilium, aliud excogitauit: obstetricibus præcepit, vt Hebræorum infantes masculos, in ipso lucis aditu occiderent; feminis vitam darent. Duas vocauit, Phuam & Sephoram, iis secretò mandatum dedit, idque cæteris obstetricibus per eas nunciari iussit. Non enim duæ solùm, sed multæ erant obstetrices: nolebat verò Rex publicum fieri mandatum crudelissimum, hoc quoque eius consilium vanum fuit, & conatus inanis. Nã obstetrices crudeli mandato minimè obtemperarunt, omnesque infantes in vita conseruarunt.

3 Quæritur, *fuerintne Hebrææ hæ obstetrices, an Ægyptiæ?* Hebræi aiunt, fuisse Hebræas, quarum altera appellabatur Iochabed: hæc fuit mater Mosis, & Aaron; altera dicebatur Maria; hæc fuit eorum soror. D. August. in lib. contra mendacium c. 15. & seq. Hebræas appellat. Probatur opinio, quoniam non videtur verisimile Hebræas feminas Ægyptias habuisse obstetrices, ante hoc mandatum, sed Hebræas ex propria natione; has non mutauit Rex, quia, si id fecisset, mandatum vulgasset, quod volebat latere. Vocauit ergo eas, & mandatum dedit, terribiles adiiciens minas, vt id facerent, à quo maximè abhorrebant. Secundò, ait Moses, obstetrices timuisse Dominum, & propterea infantes non occidisse. Quòd si Ægyptiæ essent, non timuissent, sed gratissimam rem diis suis se facere existimassent, si hostes occiderent.

Sebast. Barradas Itiner. Israëlit.

An fuerint Hebrææ obstetrices.

Tertiò, ait idem Moses, Regem vocasse obstetrices Hebræorum, quasi diceret; vocauit obstetrices, quæ Hebræis feminis parturientibus adesse solebant. Hebraicè femininum nomen est, העבריות *hibriyoth*, id est, *Hebræarum*, vt Pagninus vertit; aliqui vertunt, *obstetrices Hebræas*. ergo Hebrææ fuisse videntur.

4 Iosephus scribit fuisse Ægyptias. Idē voluit Abul. Lyranus, & alij. Cōfirmatur, quia non est probabile, Regem Hebræis mulieribus præceptum de interficiendis infantibus Hebræorum dedisse, quas videbat naturali erga suam gentem amore, à tanto scelere reuocari. Sed responderi potest, præceptum Hebræis dedisse, vt diximus, maximis propositis suppliciis, quorum metu perterritas iussa esse facturas existimauit. Confirmant etiam hanc sententiam verba illa obstetricum, Exod. 1. *Nō sunt Hebrææ, sicut Ægyptiæ mulieres. Ipsæ enim obstetricandi habent scientiā, & priusquam veniamus ad eas, pariunt.* Sic illæ Regi responderunt interroganti, cur paruulos Hebræorum non occidissent, quasi dicerent: Hebrææ mulieres funguntur obstetricum officio, & antequam nos Ægyptiæ veniamus ad eas, pariunt. At quamuis Hebrææ essent obstetrices, sic potuerunt respondere, vt patebit rectè consideranti. Sciebant enim Hebrææ feminæ edictum Regis, & antequam obstetrices Hebrææ accederent, pariebant, ne infantes vita priuarentur. Ego in priorem opinionem propendeo. Secunda etiam probabilis est, quòd noster interpres dixit: ipsæ enim obstetricandi habent scientiam: Hebraicè sic dicitur, כי חיות הנה *ci cajoth hena*, id est, quoniā ipsæ *Hebrææ* mulieres *viuaces* sunt: viuaces, inquam, robustæ, alacres, atque agiles ad pariendum. Pagninus vertit: *obstetrices sunt ipsæ*, id est, scientiam habent obstetricandi, paraphrasis Chaldaica: *sapientes sunt*, scilicet ad pariendum. Significat etiam *cajoth*, animalia, & bestias; & erit sensus: mulieres Hebrææ sunt animalia, siue bestiæ, pariunt vt bestiæ absque vlla ope obstetricum.

Exod. 1.

5 *An obstetrices dixerint mēdacium.*

Quæritur preterea, *an mendacium dixerint Regi obstetrices?* Non dixisse mendacium probatur, quia Deus peccata non remunerat; remunerauit autem obstetrices ob hoc dictum; siquidem ædificauit eis domos. Ergo non fuit illud mendacium & peccatum. Mendacium dixisse recepta est sententia. Argumento respondetur, Deū non remunerasse dictum, sed factum, id est, infantium viuificationem. August. in lib. contra mendacium cap. 10. Quod (inquit) scriptum est, bene Deum fecisse Hebræis obstetricibus, non ideo factum est, quia mentitæ sunt; sed quia in homines Dei, misericordes fuerunt. Non est in eis remunerata fallacia, sed beneuolentia, benignitas mentis, non iniquitas mentientis, &c.

D. August.

6 *Quanā fuerit obstetricū remuneratio.*

Quæritur tertiò, *quanam fuerit obstetricum remuneratio?* Respondetur, Deum ædificasse illis domos: domus verò non solùm significat habitationem, sed etiam liberos, familiam, dignitatem, & opes, hæc enim omnia pertinent ad domum, vnde Salomon 3. Reg. 2. ait: *Dominus fecit mihi domum, sicut locutus est.* Et Dominus lib. 1. Paralip. cap. 17. *Annuntio tibi, quod ædificaturus sit tibi*, id est, Dauidi, *Dominus domū*. Pro misericordia ergo qua vsæ sunt in paruulos, obstetricibus ædificauit Deus domos, id est, dedit eis in populo Israel liberos, amplam familiam, honores, & diuitias. Hebræi putant, vnam fuisse Iochabed matrem Mosis, & Aaron; alteram Mariam, eorundem sororem maiorem natu. Aiunt verò Deum ædificasse eis domos, quòd earum posteris contulerit domum regiam, & sacerdotalem, sed nugas huiusmodi omittamus. Lyranus, qui obstetrices vult fuisse Ægyptias, ædificasse ait Deum illis domos, eò quòd in populum Hebræum fuerint receptæ, nupserintque viris primariis, fuerintque illustrium familiarum capita. D. Hieron. Isai. 65. domos interpretatur cælestes. Rupertus, domos æternas. Theodoretus sic: Ædificauit illis domos, id est, copiam bonorum eis largitus est. August. lib. 2. locut. Exod. Diuitias eis dedit, vel potius aliquas rei familiaris idoneas facultates. D. Hier. in tradit. Hebr. in Gen. cap. 16. Dedit eis liberos. Ait enim eo loco D. Hieron. procreationem filiorum in Hebræo dici ædificationem, iuxta illud Gen. 16. *Ingredere ad ancillam meam, si quomodo ædificer ex ea.* Sic ex Hebræo vertitur, quod noster interpres clariùs dixit: *Ingredere ad ancillam meā, vt habeam filios ex ea.* Et quidem בן *ben* dicitur *filius* Hebraicè, à verbo בנה *banah*, quod significat *ædificare*, quia ædificium parentum est filius, & ædificare domum non solùm significat præbere liberos, sed etiam, vt diximus, domum stabilem reddere bonorū temporalium copia, & filiorum successione, ac nepotum. Psal. 126. *Nisi Dominus ædificauerit domū, in vanum laborauerunt, qui ædificant eam.* Dei enim est domum facere, & liberos donare. Præterea sequitur eodem Psalmo: *Ecce hæreditas Domini, filij merces, fructus ventris.*

3. Reg. 2. — *1. Paral. 17.* — *Hebræi aiunt, duas obstetrices fuisse Iochabed, & Mariam.* — *Quid significet, ædificare alicui domū.* — *Genes. 16.* — *Psal. 126.*

7 *Abulens.*

Abulensis Exod. 1. verisimile putat, Deum fidem illam, & virtutes quæ in lege naturæ necessariæ erant, contulisse Ægyptiis obstetricibus, illisque salutem tribuisse æternam. D. Gregor. lib. 18. Moral. Benignitatis (inquit) obstetricum merces, quæ eis potuit in æterna vita retribui, pro admissa culpa mendacij, in terrenam recompensationem declinata est. Existimat Gregorius, mendacij culpam in causa fuisse, cur sua illa benignitate vitam æternam non promeruerint: At verò opus bonum obstetricum præcessit mendacium veniale, ergo meritum terrenæ vitæ non impediuit; si fortitan illæ erāt in gratia; quod de Hebræis facilius est credere, quàm de Ægyptiis. Lege D. Thomam 2.2. quæst. 110. art. vlt. Noster Vasquez per ignorantiam inuincibilem putat posse excusari obstetrices, quòd existimarint, licere mendacium dicere officiosum, quod nunquam licet. Denique sententiam Dionysij Carthusiani audiamus: Creduntur (inquit) hæ obstetrices fuisse Ægyptiæ, sed Deo illuminante acceperunt veri Dei notitiam, & per suam pietatem adeptæ gratiam tantam creduntur, quòd ad cultum vnius Dei conuersæ sunt ac promotæ in populo Hebræorū; sicut de Rahab legitur Iosue 2. & de Achior in lib. Iudith. Si Rahab consecuta est à Domino tantam remunerationem in bonis vitæ præsentis, ac in spiritalibus bonis, quoniam duos Hebræorum exploratores piè tractauit, & à mortis discrimine liberauit, quanto magis obstetrices, quæ circa tam multos infantulos, innocentes, & eorum parentes, fuerunt tam piæ, & gratiosæ. Sic ille.

D. Gregor. — *Diony. Carth. sententia de obstetricibus.*

8 Frustra Rex per obstetrices machinatus est necem paruulis Hebræorum. Quamobrem ad aliud se vertit atrocius mandatum; præcepit populo suo, id est, Ægyptiis, vt masculos infantes

Præcepit Rex vt infantes in flumine demergerentur.

fantes flumine demergerent, fæminas reseruarent. Ægyptij ergo notabant prægnantes fæminas, & cogebant tradere fœtum post partum: si masculus erat, in flumen proiiciebant; si fæmina, matri alendam relinquebant. Obiicitur Exod. 2. Mater abscondit Mosem infantem *tribus mensibus*, non ergo notabant Ægyptij prægnantes, & fœtum statim tradere cogebant, siquidem matrem Mosis non notarunt. Nam si notassent, abscondere infantem ausa non fuisset. Iosephus refert, matrem tam facile peperisse Mosem, vt obseruatores fefellerit. Latuit autem obseruatores, & ante partum, quia vterum ferre non videbatur, & ideo non est notata; & in partu, tribusque mensibus post partum, Deo ferente opem. Atrocis huius edicti causam Iosephus fuisse ait, prædictionem cuiusdam Ægyptij sacrorum scribæ: Prænunciauit (inquit) is Regi nasciturum per id tempus apud Israëlitas quendam, res Ægyptiorum aliquando grauiter afflicturum, Hebræorum contra aucturum, si ad ætatem adultam perueniret. Quo terrore percitus Rex edicit ex ipsius monitoris sententia quidquid masculini sexus, inter Hebræos nasceretur, in flumen proiici, &c.

Exod. 2. — *Ioseph. Quomodo latere potuit Moses infans tribus mensibus.*

9 *Caietani opinio de submersione infantium.*

Caietanus vult infantes proiectos esse non in flumen, vt morerentur, sed in riuos, vt inde assumerētur. Conijcere (inquit) licet, quòd non præcipiebatur proiectio infantuli in riuum ad hoc, vt moreretur; sed ad hoc, vt vel nutriretur ad aliquod commune bonum, puta ad vitam militarem; vel vt ex iis deligerentur idonei ad militiam; vel ad hoc, vt omnes in vnum conuenirent, sublata differentia paternarum instructionum; vel aliquo alio colore. In riuum itaque exponendi mādantur, deputatis in riuo susceptoribus expositorum. Hæc Caietan. Sed aduersatur veræ, & communi sententiæ; ea est, proiectos esse in flumen infantulos, vt occiderētur, Sap. 18. *Cùm cogitarent*, inquit, *iustorum occidere infantes* Hebraica verò dictio *jeor*, quam Caietanus in riuum vertit, etiam flumen significat, vt est perspicuum.

Sap. 18.

10 *Quando cœperit infantiū in flumine occisio.*

Dubium est, *quando cœperit hæc infantiū in flumen iactatio.* Respondetur, cœpisse post ortum Aaronis paulo ante natiuitatem Mosis; quòd probatur, quia Aaron non est proiectus in flumen, sed liberè à parentibus nutritus, vnde colligitur, eo tempore, quo Aaron in lucem editus est, nondum fuisse promulgatum Regis mandatum, de infantulis in flumen iactandis. Fuit autem Aaron maior natu, quàm Moses, tribus annis, vt traditur Exod. 7.

11 Quæret aliquis, *an toto tēpore, quo Moses vixit, durarit hoc crudele Regis edictum?* Moses autem vsque ad exitum populi Hebræi ex Ægypto vixit octoginta annis; Quòd si omnes pueri in flumen proiiciebantur, illis octoginta annis nullus puer erat, cùm ex Ægypto Israëlitę egressi sunt, quod falsum est, quia multa puerorum, & iuuenum millia ex Ægypto exierunt. Respondetur, crudele Regis edictum ab alio Rege esse reuocatum, concessumque Hebræis filios alere; alioqui nulli fuissent pueri, imò neque viri, sed senes omnes, in exitu de Ægypto.

Reuocatū est mandatum.

Sebast. Barradas Itiner. Israëlit.

CAPVT IX.

MORALE.

De obstetricibus, & submersione infantium.

1 Qvemadmodum Rex Ægypti Pharao masculis Hebræorum necem inferre conabatur, fæminas reseruabat: sic princeps huius mundi, id est, hominum impiorum, diabolus, masculas virtutes, masculumque Christiani hominis robur, nititur interimere; feminis verò, id est, carnis cupiditatibus, vitam dare. Heu quot sunt Christiani, in quibus nihil reperitur masculum, nihil forte, nihil robustum! Quidquid habent, femineum est, carnale, nullius roboris. Cùm leones aduersus tartareum hostem esse deberent; arietes sunt, omni carentes fortitudine, eo tendentes, quò hostis ducit, iuxta illud Thren. 1. *Facti sunt velut arietes non inuenientes pascua, & abierunt absque fortitudine ante faciē subsequentis.* Origenes homil. 2. in Exod. Cùm videris inquit, homines in voluptatibus, & deliciis vitam ducere, luxu fluitare, epulis, vino, conuiuiis, cubilibus, & impudicitiis operam dare; in istis scias, quòd Rex Ægypti masculos necat, & viuificat feminas. Si verò rarum quemque videas, vnum ex mille, ad Dominum conuerti, oculos sursum erigere, quæ æterna sunt quærere, contemplari non ea, quæ videntur, sed quæ non videntur, odisse delicias, amare continentiam, luxuriam fugere, excolere virtutes: istum quasi masculum, quasi virum necari cupit Pharao, id est, diabolus istum persequitur, insectatur, mille aduersus illum machinis pugnat. Hæc Origen.

Thren. 1. — *Diabolus quod masculum est, in homine extinguere cupit.* — *Origen.*

2 *Masculos, id est, fortes timet diabolus.* — *D. Anton.*

Masculos Hebræos timebat Ægyptius Pharao, non feminas; sic stygius Pharao, masculos non sexu, sed virtute timet; feminas irridet. Magnus ille eremi cultor Antonius, aiebat. Mihi credite, fratres, pertimescit Satanas piorum vigilias, orationes, ieiunia, voluntariam paupertatem, misericordiam, & humilitatem; maximè verò ardentem amorem in Christum, &c. Quemadmodum leo ignem timet, sic diabolus, Dei amore igneum timet hominem. D. Greg. lib. dialog. Si, inquit, hostis à mente cœperit expelli, ex diuina largitate hoc plerunque agitur, vt non solùm non timeatur, sed & ipse viuentium virtute terreatur. D. Cyrill. lib. 4. de adoratione: Gratissimus, inquit, est diabolo muliebris ille sensus effæminatus, & imbellis, inimica, & odiosa ad fortitudinem alacritas, &c.

D. Gregor. — *D. Cyril.*

3 Obserua, obstetrices magis timuisse Deum, quàm Regem, magnum quidem timorem incutit viris potentia Regis; maiorum feminis. At hæ feminæ plus quam viriles animos assumentes, timorem Regis timore vicerunt Dei. Regibus autem terræ obtemperandum est, dūmodo nihil contrarium præcipiant legi Regis cæli, & terræ. Quod egregiè docuit Machabæus ille Martyr Machab. lib. 2. cap. 7. his verbis: *Non obedio præcepto Regis, sed præcepto legis.* Idē docuit Tobias cap. 2. *Tobias plus timens Deum, quàm Regem, rapiebat corpora occisorū, & occultabat in domo sua, & mediis noctibus sepeliebat ea* Vt clauus clauo truditur; sic truditur timor mundi timore Dei. D. Bern. serm. 13. in Psal. *Qui habitat.* Solet inquit, timor timore depelli: repleat nos spiritus timoris Domini, & timor alienus locum non habe-

Machab. 2. cap. 7. — *Timor mūdi, timore Dei repellitur, & vincitur.* — *Tob. 2.* — *D. Bernard.*

Luca 12. bit in nobis,&c.Luc.12. *Ne terreamini* (ait Dominus) *ab iis,qui occidũt corpus,& post hæc non habent amplius,quid faciãt: ostẽdã autem vobis quem timeatis: Timete eum,qui postquã occiderit,habet potestatem mittere in gehennam.* Docet Dominus timorem tyrannorum timore Dei repellendum. Pellite, inquit, minorem timorem alio multo maiore,ne timeatis tyrannos, quorum tormenta solam breuem vitam vobis possunt eripere. Timete Deum, qui & breuem corporis vitam auferre, & animam æternis cruciatibus mancipare potest.

4 Obserua præterea, Deum temporario munere obstetrices affecisse, & ædificasse eis domos. Infidelium bona opera moralia Deum remunerare ostendit D.Hieron. Ezech.29. quo capite Deus Ægyptum se daturum ait Nabuchodonosori, quia Tyrum expugnauit: *Rex*, inquit, *Babylonis seruire fecit exercitũ suũ seruitute magna aduersus Tyrum; omne caput decaluatũ, & omnis humerus depilatus est, & merces nõ est reddita ei, neque exercitui eius de Tyro pro seruitute, qua seruiuit mihi aduersus eam.* Et infrà: *Dedi ei terram Ægypti pro eo, quod laborauerit mihi, ait Dominus.* D.Hier. eodem capite: Ex eo, inquit, quod Nabuchodonosor accepit mercedem boni operis, intelligimus etiam ethnicos, si quid boni fecerint, non absque mercede Dei iudicio præteriri, &c. Vide quomodo expẽdat Deus laborem ethnici exercitus in expugnanda Tyro: *Omne*, inquit, *caput decaluatum, omnis humerus depilatus.* Onerũ enim pondere, & humeri militum, & capita decaluata sunt; & cùm sic laborauerit, merces non est reddita ei: si ethnicorum labores sic expendit Dominus, qua cura expendet laborem Christiani, maximè illius qui multa pro eo tolerat, virtutumque operibus insudat? Liberalissimus Dominus etiam improborum remunerat bona opera moralia, nihil omittere vult irremuneratum. Quemadmodum nullum malum relinquit, quod non puniat; sic nullum bonum præterit, quod non afficiat præmio. Cùm igitur Mahometanos, ethnicosque, & viros impios caducis bonis cernimus affluere, Dei laudemus liberalitatem, qui caducis bonis opera remunerat bona moralia. Floruerunt Romani opibus, potentia, & imperio. Caduca hæc bona, bonorum operum, & imperfectarum virtutum fuere munera, vt docet D. August. lib.5. de ciuit. Dei, cap.18. Per illud, inquit, imperium, tam latum, tamque diuturnum, virorumque tantorum virtutibus præclarum, atque gloriosum, Romanorum intentioni merces, quam quærebant, est reddita, &c. Et cap.15. Romani honorati sunt in omnibus ferè gentibus; imperij sui leges imposuerunt multis gentibus, hodieque literis, & historia gloriosi sunt penè in omnibus gentibus. Non est quod de summi, & veri Dei iustitia conquerantur? perceperunt mercedẽ suam, &c.

Ezech.29. Deus bona opera moralia etiam Ethnicorum remunerat. D.Hieron. Romani receperunt mercedem suam.

5 Necesse est (vt ait Paulus) eum, qui ad Deum accedit, eius liberalitatem cognoscere in remunerando, ad Hebr.11. *Credere*, inquit, *oportet accedentem ad Deum, quia est, & inquirentibus se remunerator sit.* Etenim remunerationis diuinæ fides, ac memoria, hominem ad præclara gerenda maximè excitat. Hac fide excitatus *Moses* (vt ait eod.ca. Apostolus) *negauit se esse filiũ filiæ Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, quã temporalis peccati habere iucunditatem; maiores diuitias æstimãs thesauro Ægyptiorum improperium Christi.* Addit Paulus; *Aspiciebat enim in remunerationem.* Magnum erat, esse filium adoptiuum filiæ Pharaonis, opibus abundare, honoribus, & diliciis regiis affluere; hæc verò omnia despexit Moses, aspiciens in remunerationem. Huc etiam illud Dauidis spectat, Psal.118. *Inclinaui cor meũ ad faciẽda iustificationes tuas propter retributionẽ.* Qui retributionem Dei ante oculos proponit, is nullam refugit difficultatem, vt Dei seruet mandata. Deesse poterunt terrenis Regibus honores, vel opes, quibus suorum præclara facta remunerent; sed supremo Regi Christo deesse non poterunt; paratissimam enim semper habet mercedem, Apoc.22. *Merces*, inquit, *mea mecum est, reddere vnicuique secundẽm opera sua.* Semper Rex noster auro, & gemmis plenum secum fert marsupium, opes semper secum habet, gloriam & honores, & reliqua omnia, quibus remunerare possit seruos suos, Isai.62. *Ecce saluator tuus venit, ecce merces eius cũ eo.* Cum eo est, & ex eo est; non habet opus terræ, vel cæli opibus qui cælo & terræ ex se, velut thesauro omnes opes, quas habet, largitur. Denique obstetricibus fecit domos terrenas, & temporales: nobis verò, si præclara virtutum opera præstemus, domos faciet cælestes, & sempiternas, de quibus Ioan.14. *In domo*, ait, *Patris mei mansiones multa sunt.*

Ad Heb. 11. Remunerationis memoria hominem excitat ad bona opera. Psal.118. Apoc. 22. Merces cum Christo est. Isai. 62. Ioan.14. D.August.

CAPVT X.

De Mose Hebræorum liberatore in flumine exposito.

EXODI CAP. II.

1 EGressus est post hæc vir de domo Leui: & accepit vxorem stirpis suæ, quæ concepit, & peperit filium: & videns eum elegantem, abscondit tribus mensibus. Cumque iam celare non posset, sumpsit fiscellam scirpeam, & liniuit eam bitumine ac pice: posuitque intus infantulum, & exposuit eum in carecto ripæ fluminis, stante procul sorore eius, & considerante euentum rei. Ecce autem descendebat filia Pharaonis vt lauaretur in flumine: & puellæ eius gradiebantur per crepidinem aluei. Quæ cùm vidisset fiscellam in papyrione, misit vnam è famulabus suis: & allatam aperiens, cernensque in ea paruulum vagientem, misserta eius, ait: De infantibus Hebræorum est hic. Cui soror pueri: Vis, inquit, vadam, & vocem tibi mulierem Hebræam, quæ nutrire possit infantulum? Respondit: Vade. Perrexit puella & vocauit matrem suam. Ad quam loquta filia Pharaonis: Accipe, ait, puerum istum, & nutri

nutri mihi: ego dabo tibi mercedem tuam. Suscepit mulier, & nutriuit puerum: adultumque tradidit filiæ Pharaonis. Quem illa adoptauit in locum filii, vocauitque nomen eius Moyses, dicens: Quia de aqua tuli eum.

2 CVM Hebræi ab Ægyptiis sic vexarentur, vt dictum est, liberatorem eorum Mosem in lucem edidit Deus. Fuit autem Moses ex tribu Leui. Etenim Leui filius Iacob filium habuit Caath, à quo familia dicitur Caathitarũ: Caath genuit Amram, Amram genuit Mosem ex vxore Iochabed, Exod.6. *Accepit Amram vxorem Iochabed patruelem suam, quæ peperit ei Aaron, & Mosem*, Nomen Hebræum *Dod* significat *amitam, patruum, & patruelem*; noster interpres vertit *patruelem*, vnde efficitur Iochabed matrem Mosis fuisse patruelem Amram viri sui, id est, fuisse filiam auunculi, vel patrui Amram. At Hebræi arbitrantur, Iochabed filiam fuisse ipsius Leui, sororem Caath, & viri sui Amram amitam. Quam sententiam sequuntur Abulensis, Burgensis, Oleaster, & alij. Illam refutat Lyranus. D. Hieron. eam refert in quæst. Hebraic. ex lib.1. Paralipom. Traditur, inquit, Mosem post acceptam legem in eremo patri iniunxisse, vt matrem dimitteret, eo quòd illius amita esset; filia enim fuit Leui, post cuius diffidium duxisse Amram aliam vxorem, &c. Sequenda est nostra versio, quę non *amitam* habet, sed *patruelem*, id est filiam patrui; Chaldaica etiam paraphrasis habet, *filiam sororis patris sui.* & LXX. interpretes Exod.6. vertunt, *filiam fratris patris sui.* Illud obiicitur Num.26. *Caath genuit Amrã, qui habuit vxorem Iochabed, filiã Leui, quæ nata est ei in Ægypto.* En dicitur Iochabed filia Leui, & nata ipsi Leui in Ægypto: ergo non erat patruelis, sed amita. Respondetur, dici filiam Leui, & ipsi Leui natam in Ægypto, quia erat ex tribu Leui orta, & Leui proneptis. numerat enim Moses eo loco Hebræos ex tribu Leui, sic Elisabeth dicitur à D. Luca cap.1. *de filiabus Aaron*, cùm tamen ab ipso Aarone non esset genita. LXX. interpretes sic interpretantur, Num.26. *nomen vxoris eius*, id est, Amram Iochabed filia Leui, quæ peperit hos Leui in Ægypto, & peperit Amram, Aaron, & Mosen, & Mariam, &c. Chaldæus sic: *Iochabed filia Leui, quæ nata est ei in Ægypto, & peperit ex Amram, Aaron & Mosem, & Mariam, &c.*

Exod. 6. Iochabed mater Mosis, an fuerit patruelis Amram. Num.26. Luca 1.

3 Natus est Moses, cùm Regis vigebat præceptum, de infantibus in flumine demergendis: Iochabed autem mater, cùm vidisset infantis nati pulchritudinem, iniquo præcepto obtemperare noluit, occultauitque eum tribus mensibus; cumque diutius non posset occultare, in ripa fluminis exposuit. Dubitatur, quæ causa fuerit, cur mater aula fuerit infantem celare, & Regis furorem non pertimescere, Exod.2. Pro causa redditur infantis pulchritudo: *Videns*, inquit, *eum elegantem, abscondit tribus mensibus.* Hebraicè dictio est, טוב, *tob*, id est, videns eum *bonum*, siue *pulchrum*, siue *elegantem*. LXX. interpretes verterunt, ἀστεῖον, id est, *vrbanum, elegantem*. D. Stephanus Act.7. de eodem Mose loquens: Fuit (inquit) ἀστεῖος τῷ θεῷ, &c. noster interpres eo loco Act.7. vertit, *fuit gratus Deo*. Fuit enim Moses pulcher, vrbanus, & elegans, & placens Deo, & parentibus. Non fuit hæc sola causa, cur parentes Mosem absconderunt sed etiam fides in Deum, vt Paulus docet ad Hebr.11. *Fide*, inquit, *Moses natus occultatus est mensibus tribus à parentibus suis, eo quod vidissent elegantem infantem; & non timuerunt Regis edictum.* Videntur parentes à Deo aliquod accepisse oraculum de Mose, ideoque videntes infantis singularem quandam pulchritudinem, propter oraculum ausos esse illum occultare; De hoc oraculo sic scribit Iosephus: Deus, inquit, supplicis Amram precibus, ad misericordiam flexus, astitit ei per quietem, & dixit: Puer iste, cuius natiuitatis metu, Ægyptij fœtus vestros ad necem damnauerunt, tibi nascetur. Hic neque deprehendetur ab obseruatoribus, & postquam euaserit, præter opinionem educatores nactus, ex Ægyptiaca seruitute gentem suam liberabit, &c. *Fide itaque* (vt Paulus ait) *parẽtes occultarũt Mosem, tribus mẽsibus*; Deus autem populi sui liberatorem voluit exponi, vt à filia Regis Pharaonis in filium adoptaretur, & in aula regia educaretur.

Exod. 2. Cur mater Mosis aula fuerit infantem abscondere. Moses pulcher erat. Ad Heb. 11. Iosephus.

4 Expositus est infans in fiscella scirpea, bitumine & pice illita, in carecto ripæ Nili fluuij. Fiscella vas est vimineum, siue scirpeum, id est, ex scirpis, siue iuncis contextum; Hebraicè legitur, תבה, *thebah*, quod nomẽ *arcam* significat. LXX. interpretes nomen Hebræum *thebah* retinentes, & Græcum facientes verterunt, θίβην, significat autem *arcam*. Complutenses legunt, βίκην, id est, *thecam*, sed codices emendati θίβην habent. Carectum locus est caricibus plenus, qualis erat ripa illa fluminis: carex verò herba esse dicitur dura, & acuminata; alij arundinem esse volunt in locis palustribus nascentem. Dicitur etiam infans positus in papyrione, id est, in loco papyris consito, vel in carecto. Idem enim nomen Hebræum, סוף, *suph*, transtulit interpres in *carectum*, & in *papyrionem*. Videtur *carectum* sumpsisse pro loco fluminis, quibuscunque fruticibus consito, vt papyris, caricibus & similibus. De Papyro lege Plinium lib.3. cap.11. frutex est, siue arbuscula, ex qua olim chartæ præparabantur, vnde papyri nomen chartæ nostræ inuenerunt. His arbusculis ripæ Nili abundabant; erant etiam arbores magnæ papyri, siquidem ex illis fiebant naues, iuxta illud Isai.18. *Qui mittit in mare legatos, & in vasis papyri, super aquas.*

Quid sit fiscella. Expositus est Moses in Nilo. Quid sit Carectum. Isai. 18.

CAPVT XI.

MORALE.

Moses à filia Pharaonis Regis tollitur.

1 EXpositum infantem non omnino reliquit mater, sororem eius Mariam, velut in specula manere præcepit, & rei euentum expectare. Euenit autem, vt Regis filia Thermutis, tunc temporis in illum fluminis locum diuina prouidentia ducente descenderet, vt laueretur. Fiscellam conspicata, vni ex pedissequis ad se eam afferri iussit; Cùm verò infantem pulcherrimum vidisset, Hebræum esse cognouit, propter Regis edictum proiectum in fluuium, misericordiaque permota vitam illi statuit donare, id vbi intellexit Maria, rogauit, num vellet vocari Hebræam mulierem, cui traderetur nutriendus puer? Annuente Thermute, matrem suam adduxit. Itaque Deo summa prouidentia populi sui liberationem disponente, matri suæ nutrien-

nutriendus traditus est Moses, iussu filiæ Regis. A Quamobrem ab omni periculo, tum puer, tum parentes erant liberi, nutritus est Moses, & ablactatus ad filiam Regis adductus, in filiumque ab ea est adoptatus. Imposuit verò illi hoc nomen, Moses, eò quòd ex aqua fluminis illum extraxerat.

Pharaonis filia Mosem liberat.

2 Dubium est, *cur ausa fuerit filia Pharaonis edictum Regis violare, & infantem in flumen proiectũ liberare?* Respondetur, per summam Dei prouidentiam hæc esse facta. Deus Thermutem, filiam Pharaonis permouit, vt Mosem ex aqua extraheret, daretque nutriendum; ille metum ademit, & suggessit, vt in filium adoptaret; ille B Pharaonis animum, furoremque placauit viso infante pulcherrimo. Philo in lib. 1. de vita Mosis ait, Thermutem grauidam se finxisse, fecisseque sibi Mosem filium suppositititium; iuxta hanc sententiam virum habebat filia Regis, alioqui non esset ausa grauidam se fingere. Putabat ergo vir illius Mosem filium esse suum, si vera est hæc sententia Philonis, cuius Iosephus non meminit, imò contrariam sequitur, his verbis: Thermutis Mosem allatum, patri ostentabat, dicens de successore se cogitare. Hunc puerum, inquit, ego educaui non minus indole, quàm pulchritudine diuina excellentem: quem Nilus ipse in sinum meum tradidisse videri potest; quem ego decreui adoptare mihi in filiũ; C tibi verò in principatum, atque imperium successorem; atque hæc dicens patri infantem in manus tradit, &c. Ait Iosephus, filiam Pharaonis dixisse patri, se decreuisse adoptare infantem in filium; ergo non finxerat se grauidam, vt Philo vult, sed fassa est, se illum reperisse in Nilo fluuio. Deus autem Regis permouit cor, vt filiæ morem gereret, tum filiæ amore, tum infantis eximia pulchritudine inductus. Si autem verum est, quod Iosephus eodem loco scribit, à summo periculo Deus puerum liberauit. Etenim cùm tradidisset infantem Thermutis in manus Regis, Rex (vt ait Iosephus) ad pectus D illum appressit suum, filiæ gratificaturus; comiterque diadema suum capiti eius imposuit. Puerulus autem detractum capiti, & prolapsum in terram, pedibus conculcauit. id quod visum est ominosum. Præterea aderat ille vaticinator, quem supra diximus ex Iosepho dixisse, ex Hebræis nasciturum quendam, qui Ægyptum euerteret. Cùm ergo vidisset puerum Mosem Ægypti diadema conculcasse, interficere illum volebat, vociferabaturque, dicens: Rex puer iste vaticinium meum confirmabit, dum puer insultat regno tuo, & diadema conculcat. Hoc interempto Ægyptiis metum Hebræis spem, & fiduciam adime. At verò periculum diuina ope euasit puerulus. Regis E filia (ait Iosephus) confestim puerum eripuit, rege quoque non reluctante, cui Deus talem mentem, animumque indiderat, Mosis saluti prouidens, &c.

Philo.

An filia Pharaonis grauidam se finxerit?

Iosephus.

Moses puerulus diadema regis cõculcat

3 Præterea dubitatur, *an Moses futurus fuerit Regis successor, Ægyptoque imperaturus.* Iosephus id vult, sic enim, vt dictum est, loquentem facit Regis filiam: Hunc ego decreui adoptare mihi in filium, tibi verò in principatum, atque imperium successorem, &c. Philo quoque lib. 1. de vita Mosis: Moses (inquit) euectus in summum rerum fastigium, nepos tanti regis habitus, spe omnium destinatus successor auiti soli, neq; aliud quàm Rex iunior appellatus, &c.

Moses successor regis Ægypti.

A Iuxta hanc sententiam vnicam illam filiã habebat Pharao præter eam nullum filium. Tertiò dubitatur, *cur filia Regis hoc nomen Moses, imposuerit infanti?* Respondetur, idcirco imposuisse, quia ex aqua fluminis Nili eum eduxerat; sic enim legitur Exod. 2. *Vocauit nomen eius Moyses, dicens: quia de aqua tuli eum.* Est autem nomen ductum à nomine *Mos*, quod (vt ait Philo) *aquam* significat Ægyptiorum lingua. Et Iosephus: Aquam, inquit, Ægyptij vocant mos, ises verò seruatus, quare composita voce ex vtrisque nomen infanti fuit inditum, &c. Clemens Alex. lib. 1. strom. scribit ab Ægyptiis appellari Mo- B sem eum, qui ex aquis emersus respirauerit. Constat ergo vocem *Moses* esse Ægyptiacam; filia enim Pharaonis voce patria vsa est, non peregrina. Probabilior est hæc opinio, quàm illa Abulensis Exod. 2. Oleastri, & aliorum, qui nomen *Moses* Hebræum esse volunt, deductum à verbo *Massah*, quod significat *extrahere*. Quòd si illud obiicias filiam Regis, suæ linguæ notæ, non ignotæ Hebrεæ nomen imposuisse infanti, respondet Abulensis, à puellis Hebræis didicisse Hebræam linguam. sed non facit mihi satis. Clemens Alex. ait Mosem fuisse à parentibus circumcisum, & vocatum Ioachim, postea autem à Thermute appellatus est Moses.

Exod. 2.

CAPVT XII.

MORALE.

De Mose exposito in flumine.

VIderunt parentes elegantem puerum, & absconderunt eum. Sicut Mosis parentes pulchrum filium abscõderunt, ne flumine mergeretur: sic viri sancti pulchra abscondunt opera, ne inanis gloriæ flumine obruantur. Origen. homil. 2. in Exod. Si, inquit, facio eleemo- D synam, quia opus Dei est, masculum filium genero. Sed si ita faciam, vt hominibus innotescat, & ab hominibus laudem quæram, & non eam occultauero; rapta est ab Ægyptiis eleemosyna mea, & in flumen demersa est, &c. Fugienda ergo inanis gloria. Quòd si oportet opera pulchra coram hominibus facere, ne fiãt vt ab illis videamur, laudemque capremus, sed vt Deo placeamus. D. Greg. hom. 11. in Euangel. Per hoc, inquit, quod agimus, laudes exteriùs non quæramus: sic autem opus sit in publico, quatenus intentio maneat in occulto, &c. Confert Origenes inanem gloriam, & superbiam cum duabus filiis Lot, quæ patrem in montem vsque secutæ sunt, eumque inebriarunt. Et- E enim inanis gloria, & superbia ab homine natæ veluti filiæ, hominem honoris cupiditate inebriant, & à mentis statu deturbant, homil. 5. in Gen. Vide (ait ille) ne tibi insidientur duæ filiæ istæ, id est, vana gloria, & superbia; quæ à te non discedunt, sed sequuntur te, etiam cùm ascendis in montem, &c. Illos sequitur inanis gloria, qui in altissimum virtutum montem ascendunt. Etenim, vt ait August. epist. 109. alia quæcunque iniquitas in malis operibus exercetur, vt fiant; superbia verò bonis operibus insidiatur, vt pereant, &c. Quasi dicat, alia vitia exercentur in vallibus; superbia, & inanis gloria in montibus, & celsis operibus insidiantur. Hæ duæ filiæ hominem inebriant, vt Chrysost. homil.

1

Fugienda gloria inanis.

Origen.

D. Gregor.

Origen.

Superbia & inanis gloria inebriant hominem.

Inanis gloria bonis operibus insidiatur.

D. August.

D. Chrysost.

homil. 2. in Ioan. Intolerabilis, inquit, quædam A ebrietas est inanis gloria, &c. Meritò ergo parentes elegantem infantem abscondunt. Absconde opera saltem intentione; absconde infantem, ne fascinetur.

Nescio quis teneros oculos mihi fascinat agnos, dixit Poëta. At nos scimus, quis teneros oculos nobis fascinet actus; hominum oculi magnam habent vim ad fascinandum opera, vnde Chrysost. homil. citata: Homines, inquit, nihil nobis vtilitatis afferre possunt, sed tantùm inspicere quæ facimus, atque inspiciendo lædere, & laborem nostrum inanem reddere, &c. Non fascinat elegantem puerum Dei oculus, sed ab B insidiis gloriæ inanis liberat, donatque illi incrementum. Quamobrem Dei solum oculum intueamur, cùm operamur, qui operibus nostris incrementum affert, & præmium; hominum oculos non curemus, qui ea deprauant, tetroque odore inficiunt. Chrysost. Deum, inquit, operum nostrorum, & laudatorem, & spectatorem adhibeamus; nihil nobis cùm humano iudicio, &c.

Oculi hominũ fascinãt bona opera.

D. Chrysost.

2 Elegans erat Moses infans, & pulcher, de eo Iosephus sic scribit lib. 2. antiquit. Admirãdam gratiam infanti Deus addidit: nemo enim erat adeò tetricus, vt visa eius pulchritudine non obstupesceret: ita vt, dum gestaretur, obuios quosque in se conuerteret; qui relictis seriis nego- C tiis, præcellenti eius forma contuenda satiari non poterant, &c. Apud Eusebium lib. 9. de præparat. Euangel. cap. vlt. traditur fuisse statura longum, & flauum, prolixiore capillo, & barba, ac denique statura, & facie permagnæ dignitatis. En tibi Christi Opt. Max. typum. Pulcher fuit Moses, multo pulchrior Christus. De eo enim scriptum est, Psal. 44. *Speciosus forma præ filiis hominum.*

Moses pulcher.

Iosephus. Euseb.

Psalm. 44.

3 Triplicem habuit Christus pulchritudinem; Primam *diuinitatis*, alteram *animæ* sanctissimæ; tertiam *corporis*. Si de pulchritudine diuinitatis agamus, infinito interuallo Mosem, omnesque D homines, & angelos post se relinquet; vt enim ait D. Hieron. epist. 140. ad Princip. diuinitas non habet comparationem, &c. Pulchritudo creaturæ cum pulchritudine infinita creatoris comparari nequit, si de animæ decore sit sermo: similem in modum Mosis & creaturarum omnium pulchritudinem, animæ Christi præcellentissima pulchritudo superat. Si verò de pulchritudine corporis loquamur, existimabit forsitan aliquis, eximiam, ac præcellentem pulchritudinem non decuisse Christum, siquidem feminarum potius est, quàm virorum. Sed tamen credendum est, Christum speciosum fuisse forma ipsa corporis præ Mose, & reliquis fi- E liis hominum; hoc enim postulabat tum dignitas filij Dei, tum corporis sanctissimi ab Spiritu sancto efformatio perfectissima. D. Hieron. Matth. 9. Fulgor, inquit, & maiestas diuinitatis, occultè etiam in humana facie relucebat, &c. Et epist. 140. ad Princip. ait, Christum in vultu, & oculis syderium quiddam habuisse. D. Bernard. serm. 1. de omnibus sanctis: Prædicantem (inquit) Dominum, de ciuitatibus, & castellis, sequebantur populi, & adhærebant ei affatu pariter, & aspectu illius delectati, cuius nimirum vox suauis, & facies decora; sicut scriptum est: *Speciosus forma præ filiis hominũ, diffusa est gratia in labiis tuis.* D. Chrysost. homil. 28. in Matth. Quis (inquit) ab auctore talium signorum non rece-

Triplex pulchritudo Christi.

D. Hieron.

D. Bernard.

De pulchritudine Christi.

D. Chrysost.

A deret inuitus? aut quis, vel solam faciem aspicere, atque ipsum, ex quo diuina præceptorum instituta profluebant, ingenti desiderio non arderet? Nam vt faciendis signis erat mirabilis, sic visu gratiosissimus traditur fuisse; idque propheta multo ante clamauerat, *speciosus forma.* Hæc ille. Fuit Moses typus Christi, vt dictum est, statura longus, prolixiore capillo, & barba, ac denique statura, & facie permagnæ dignitatis; Christus quoque statura corporis fuit procera, & facie virili quadam pulchritudine maximè veneranda, prolixo capillo, atque barba; sed pulchritudo hæc ornamentis externis care- B bat; ieiuniisque, & vigiliis, vitæque asperitate erat extenuata in terra: at nunc in cælo tanta est, vt nullius beati pulchritudo cum ea conferri possit.

4 Pulchrum Mosem repetit Pharaonis filia, eius capta decore rem fecit admirabilem, Hebræum videlicet infantem in flumen iussu Regis abiectum nutriri iussit, & in filium adoptauit. Si Mosis infantis pulchritudo corporis tantam habuit vim ad capiendam Regis filiam, quantam vim habere debet triplex pulchritudo Christi, ad capienda corda nostra, videlicet pulchritudo *diuinitatis* infinita, pulchritudo *animæ* perfectissima, & pulchritudo *corporis* omnibus numeris absolutissima? Cant. 5. *totus* dicitur C *desiderabilis*, quia totus est pulcherrimus, nihil in eo est, quod animum non alliciat, quod amorem non flagitet hominum, totus est desiderabilis, totus amabilis. Quæ in eo aliena à pulchritudine fuisse videntur, nimirum effusus sanguis, flagella, alapæ, ignominiæ, mors, hæc summæ pulchritudinis summa fuere ornamenta, hæc cor magis inflammant, hæc reddunt amabiliorem, Cant. 5. *Dilectus meus candidus, & rubicundus.* Quemadmodum rubeus color pulchritudinem efficit: sic Christi rubeus sanguis pro nobis effusus, illum efficit pulcherrimum, & maximè amabilem. In flumen proiectum Mo- D sem reperit Pharaonis filia; nos in mare passionis pro nobis proiectum reperimus Christum; illius enim illa verba sunt Psal. 68. *Veni in altitudinem maris, & tempestas demersit me.* Suscipiamus illum, vultumque pulcherrimum sanguine cruentatum semper intueamur, vt amoris sui ignem in corde inflammet nostro. Psal. 139. *Habitabunt recti cum vultu tuo.* ô felicem illum, qui cum vultu Christi semper habitat! hoc est, semper per fidem, & considerationem, Christi vultum pulcherrimum intuetur in terra, vt cum eodem vultu habitet in cælo, illumque intueatur in sempiternum.

Pulchritudo Christi corda rapit.

Cant. 5.

Cant. 5.

Psalm. 68.

Intuẽda semper est Christi pulchritudo.

Psalm. 139.

5 Præter hæc, abiecit mater paupercula Mosem in flumen, assumpsit eum Regis filia opu- E lentissima, ac nobilissima: eundem in modum abiecit inops synagoga Iudæorum Christum in mare passionis, assumpsit eum Ecclesia gentium ditissima, atque illustrissima. In carecto inuenit filia Regis Mosem, infantisque pulchritudine mirum in modum capta est; in præsepio inuenerunt tres Reges Christum, infantisque illius diuino, humanoque decore capti, Regem suum esse, ante ipsum procidentes atque adorantes testati sunt. Rex Pharao omnes Hebræorum in Ægypto infantes iussit occidi; similiter & Rex Herodes omnes infantes Bethlehemiticos iussit vita priuari. Regis filia Thermutis Mosem morti eripuit: Regis cælestis filia Virgo Deipara, in Ægyptum fugiens, Christum ab Herodis

Inops synagoga Christum repudiauit, filia Regis Ecclesia suscepit.

Herodis furore liberauit: In aqua inuenit Thermutis Mosem: sic Ecclesia in aqua Baptismi inuenit Christum: *De aqua*, inquit, *tuli eum*. Moses nomen inuenit ab aqua fluminis Nili, quia ex aqua est extractus: Christus nomen Iesu accepit ab aqua, & mari passionis, quam pro nobis subiit, & à sanguine, quem copiosè pro mundi salute effudit, vt alibi diximus.

6 Adumbrat etiam Thermutis gentilitatem, & Moses libros Mosis, quemadmodum Thermutis Mosem in aqua excepit; ita gentilitas excepit libros Mosis in aqua Baptismi, eisque fidem infallibilem præstat. Pulcher erat Moses, pulchri sunt eius libri; tectus erat Moses in arca, tecti etiam sunt libri Mosis, quia sensus habent absconditos. Mater Hebræa Mosem nutriuit: matrix lingua Hebræa, Mosem & prophetas nutrit, hoc est, eorum libros Hebraicè conscriptos alit, atq; illustrat; ideoque ab Scripturæ sacræ explanationibus vocanda est, & discenda:

Ecclesia libros Mosis recipit, & sic Mosem in aqua Baptismi suscepit, id est, eiusdem libros.

CAPVT XIII.

Moses Hebræos inuisit, Ægyptium occidit, ad Madianitas fugit.

EXODI CAP. II.

1 IN diebus illis postquam creuerat Moses, egressus est ad fratres suos, viditque afflictionem eorum, & virum Ægyptium percutientem quendam de Hebræis fratribus suis. Cumque circumspexisset huc, atque illuc, & nullum adesse vidisset, percussum Ægyptium abscondit sabulo. Et egressus die altero conspexit duos Hebræos rixantes, dixitque ei, qui faciebat iniuriam: Quare percutis proximum tuum. Qui respondit, quis te constituit principem, & iudicem super nos? num occidere me tu vis, sicut heri occidisti Ægyptium? Timuit Moses, & ait: Quomodo palam factum est verbum istud? Audiuitque Pharao sermonem hunc, & quærebat occidere Mosem: qui fugiens de conspectu eius, moratus est in terra Madian, & sedit iuxta puteum. Erant autem sacerdoti Madian septem filiæ, quæ venerunt ad hauriẽdam aquam, & impletis canalibus adaquare cupiebant greges patris sui. Superuenere pastores, & eiecerunt eas: surrexitque Moses, & defensis puellis adaquauit oues earum. Quæ cùm reuertissent ad Raguel patrem suum dixit ad eas: Cur velociùs venistis solito? Responderunt: Vir Ægyptius liberauit nos de manu pastorum: insuper & hausit aquam nobiscũ, potúmque dedit ouibus. At ille: Vbi est inquit, quare dimisistis hominem? vocate eum, vt comedat panem. Iurauit ergo Moses, quòd habitaret cum eo. Accepitque Sephoram filiam eius vxorem, quæ peperit ei filium quem vocauit Gersam, dicens: Aduena fui in terra aliena. Alterum verò peperit, quem vocauit Eliezer, dicens: Deus enim patris mei adiutor meus eripuit me de manu Pharaonis.

2 VT scriptum extat Deuter. capite extremo, Moses annos vixit centum, & viginti. tota eius vita in tres partes, id est, in tres quadragesimas annorum distribuitur. Quadraginta annis in aula Pharaonis versatus est; quadraginta annis apud sacerdotem Madian mansit; quadraginta annis in deserto vixit, quibus in terram promissionis iter fecit. Ab infantia versatus est in aula regia, à filia Pharaonis adoptatus, vsque ad anuum quadragesimum. Cùm autem annum ageret quadragesimum, filios Israël ab Ægyptiis vexatos visitauit, cumque vidisset Ægyptium percutientem Hebræũ quendam, supplicium de Ægyptio sumpsit, interfectumque abscondit in sabulo, id est, sub arena. Rursum die sequenti cùm duos Hebræos rixãtes conspexisset, ei qui iniuriam inferebat, dixit: *Quare percutis proximum tuum?* is verò respõdit: *Quis te constituit principem, & iudicẽ super nos? num occidere me tu vis, sicut heri occidisti Ægyptiũ?* Miratus est Moses, quòd nota facta esset cædes Ægyptij hominis, quem clam interfecerat, timoreque correptus est. Regi quoque Pharaoni manifesta facta est cædes, & Mosem conabatur vita priuare; at ille fuga vitæ suæ consuluit.

Moses vita in tres quadragesimas annorum distribuitur.

Moses quadraginta annis in aula Pharaonis vixam egit, & quadraginta in terra Madian, quadraginta alios in deserto.

3 Quadraginta illis annis, quos in aula transegit, quid fecerit non narrat Scriptura. D. Stephanus Act. 7. ait eum literis dedisse operam:

Act. 7.

A *Eruditus*, inquit, *est Moyses omni sapiẽtia Ægyptiorũ, & erat potens in verbis, & in operibus suis.* Vnde constat, non fuisse otiosum, aut vacasse deliciis, & ludis, sed rebus seriis, bonisque operibus fuisse potentem. At obstat id quod Moses affirmat, Exod. 3. *Non sum eloquẽs, impeditioris, & tardioris linguæ sum.* Huic obiectioni infra respondebimus. Iosephus narrat, eo tempore Æthiopes Ægypto intulisse depopulationem: Mosem Ægyptiorum ducem creatum fugatos, ac profligatos in Saban, siue Meroëm, vrbem inexpugnabilem compulisse, obsedisseq; vrbem. Cùm verò capere eam non posset, Tharbis filia Regis Æthiopum eius admiratione, & amore capta vrbem tradidit, hac conditione, vt ipsam duceret vxorem. Hanc nonnulli volunt esse

Moses literis dedit operam in aula. Exod. 3.

Moses duxit Æthiopas vicit.

Tharbis filia Regis Æthiopum.

B vxorem Æthiopissam, propter quam Aaron, & Maria cõtra Mosem murmurauerunt, Num. 12. Artapanus antiquus auctor huius meminit expeditionis apud Eusebium, lib. 9. de preparat. Euangel. cap. vlt. Auctor historiæ scholast. addit, Mosem annulum dedisse filiæ Regis Æthiopum, qui vim haberet oblitionem inducendi, cœpisseque Tharbis ipsius obliuisci, potuisseque liberè in Ægyptum parta victoria regredi. Verùm hoc fabulosum videtur.

4 Agebat Moses iam annum quadragesimum in aula Pharaonis, clarus eloquio, & operibus, tunc Hebræos ab Ægyptiis vexatos ab aula egressus

Moses post quadraginta annos inuisit Hebræos.

Act. 7. egressus inuisere placuit, vt D. Stephanus docet Act. 7. his verbis: *Cùm impleretur ei quadraginta annorum tempus, ascendit in cor eius, vt visitaret fratres suos filios Israël.* Erat Moses in aula, & vrbe regia; Israelitæ verò, vt vult Abulensis, aliis in locis operabantur: Egressus ergo est Moses ex vrbe regia in alium locum, vbi fratres laborabant. Forsitan in ipsa vrbe regia, vel eius agris, aliqui operabantur, & ad hos iuit Moses. Sed *nunquid nunc primo inuisit fratres Moses post quadraginta annos? tã sero afflictos respexit?* Respondetur tunc commodum tempus reperisse ad inuisendos fratres, quibus pro vtribus in aula ferebat opem. Dici etiam potest, ante hoc tempus sæpius inuisisse, sed huius tantùm visitationis meminit Scripturam, propter cædem Ægyptij, quæ causa fuit fugæ in Madian. Quòd autem ante hoc tempus sæpius inuiserit, suadent verba illa Act. 7. *Existimabat intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipsius daret salutem illis. At illi non intellexerunt.* Quia enim Moses Hebræos inuisebat, & cum illis colloquebatur, eisque fauebat, existimare debuerant Hebræi, Deum defensorem, & patronum illis misisse; at id non intellexerunt. Philo. Moses, inquit, Hebræos oppressos, verbis, quantùm poterat, subleuabat, præfectos admonens, vt moderarentur laxarentque nimiam in vrgendo duritiam, operarios verò, vt præsentem statum ferrent fortiter, sicut viros decet, neque animis deficerent, & sperarent mutationem in melius, &c.

Act. 7.

5 Quæritur, *vnde nam nouerit Moses, quòd Deus per manũ ipsius daret salutem Hebræis?* sic enim ait D. Stephanus: *Existimabat intelligere fratres*, id est, Hebræos, *quoniã Deus per manum ipsius daret salutem illis.* Respondent Lyranus, & alij, cognouisse per reuelationem. Obiicitur, si Mosi à Deo in Ægypto fuisset reuelatum, ipsum Hebræos liberaturum, cùm à Deo postea missus est ex rubo, ad eos liberandos ire non recusasset; at maximè recusauit, Exod. 3. vnde sequitur, reuelationem à Deo non accepisse: si enim accepisset reuelationem, & sanè ei adhibuisset fidem, & Deo assensum tunc præbuisset, & obedientiam, neque postea quod Deus iusserat, vehementer refugisset. Respondetur, Mosem, cùm esset in aula Regis, plurimique ab omnibus fieret, reuelationem à Deo accepisse, vt princeps esset, & iudex populi sui, eique in omnibus opitularetur, & salutem daret: non tamen perspicuè declarauit Dominus, quomodo salus hæc danda esset: præstitit igitur tunc obedientiam. Postea verò ex rubo, Exod. 3. missus est ad Regem Pharaonem, post quadraginta annos, multum mutatus ab illo, qui in aula versabatur, factus ex principe pastor, iussus præterea est educere populum ex Ægypto in terram repromissionis, inuito, ac repugnante Pharaone; quæ res difficillima erat; ideò tunc ire recusauit. D. Basilius Isai. 6. Moses, inquit, cognoscens causam, cur mitteretur, extrahebat tempus deprecando, & recusando, respiciens videlicet superbum, & pertinacem, & inexorabile cor Pharaonis, contumax ingenium, & instabilem animum, & duram ceruicem Hebræorum; ideo dicebat, *quis ego sum, vt vadam ad Pharaonẽ?* Et de Hebræis: *Non credent mihi, neque audient.* Hæc Basilius. Forsitan etiam maximus erat amor, quo Moses solitariam vitam, Deique in desertis locis, in quibus oues pascebat, contemplatricem complectebatur; atque ideò ne eam

Moses cõsolabatur Hebræos.

Moses in Ægypto reuelatione habuit.

D. Basilius.

Moses amor solitaria vita.

A desereret, negotiorum, & hominum turbis se immittere refugiebat. Placebat vita illa pastoritia, quæ Iacob, patribusque placuerat.

Quæritur præterea, *an licuerit Mosi Ægyptiũ percutientem Hebræum occidere, cùm nullam eo tẽpore haberet legitimam potestatem?* D. Aug. lib. 22. contra Faustum, cap. 70. peccasse putat, quia potestate carebat. At in lib. quæst. in Exod. quæst. 2. iustè occisum Ægyptium existimat, habuisseque Mosem à Deo potestatem, ad patrandam cædem: Sicut, inquit, in Actis Apostolorum dixit Stephanus: *Putauit tunc Moses intelligere fratres suos, quòd per ipsum Deus daret illis salutem.* videturque ita per hoc testimonium Moses iam diuinitus admonitus, (quod scriptura in Exodo tacet) iustè facinus illud audere potuisse. Hæc August. Cuius sententia vera videtur, & ex dictis colligitur. Diximus enim Mosem reuelationem à Deo habuisse, per quam iudex, ac liberator populi est constitutus. D. Thom. 2. 2. quæst. 60. art. vlt. Videtur, inquit, Moses occidisse Ægyptium, tanquam ex inspiratione diuina auctoritatem adeptus, Act. 7. &c. Lyranus Exod. 2. Moses, inquit, ex diuina electione ad liberandos Hebræos, habebat auctoritatem vindicandi iniurias ei factas, & hoc sciebat per reuelationem diuinam, & hoc est quod dicitur Act. 7. *Existimabat intelligere fratres, quod per manum ipsius Deus daret salutem illis.* Sic Lyranus, & alij. Vrgebis, & confirmabis, iniustam fuisse necem, eò quòd pro sola percussione non erat dignus morte Ægyptius. Hebræi aiunt, esse occisum pro percussione & pro adulterio, quod fraudulèter cum vxore Israelitæ percussi commiserat; sed non probant adulterium. Respondemus, Mosem iustum fuisse iudicem, & iustè iudicasse causam; ac censuisse Ægyptium dignum esse morte propter percussionem, & alia quæ tacet scriptura. Forsitan enim Mosem insiliuit Ægyptius, ille verò se defendens inuadentem interfecit. D. Thom. Potest (inquit) dici, quòd Moses occidit Ægyptium defendẽdo fratrem suum Hebræum cum moderamine inculpatæ tutelæ, &c. Philo vult, hunc Ægyptium fuisse præfectum operum: Erant, inquit, inter præfectos quidam efferati rabie, belluæ specie humana, ex his vnum immanissimum Moses interemit, &c. Priusquam illum aggrederetur, huc atque illuc circumspexit Moses, cumque neminem adesse vidisset, occidit. Quæritur, *nonne Moses vir princeps erat in Ægypto?* Magno ergo cum comitatu incedebat Ægyptiorũ, adeantque eius stipatores, cùm cædem fecit. Respondetur, absque stipatore vllo, & comite Mosem inuisisse tunc Hebræos, vt obseruauit Abulensis, fortè ea mente, vt de iniuriis, quas Hebræi ab Ægyptiis tolerabant, pœnas meritas sumeret, fratribusque clam ferret auxilium. Altera quoque die inuisit, duos Hebræos reperit

6 *An licuerit Mosi occidere Ægyptium? D. August.*

Act. 7.

D. Thom.

Lyranus.

Act. 7. Cur Moses Ægyptium occiderit?

D. Thom.

Philo. Ægyptius occisus dicitur fuisse præfectus operum.

D

E rixantes, quos Hebræi aiunt, fuisse *Dathan.* & *Abiron*, de quibus agitur Numer. 16. sed nihil habet firmamenti eorum dictum.

7 Denique nota facta est cædes Regi, Mosique mortem machinabatur; idcircò fugit in terram Madianitarum. Dicti autem sunt Madianitæ à Madian, filio Abrahæ, ex Cethura vxore; Regio verò Madian propinqua erat mõti Sinai, qui in Arabia est. Nam Moses cùm soceri sui Madianitæ oues pasceret, ad montem Sinai venit. Obserua hoc loco, Regem Pharaonem, quem nunc fugit Moses, non esse patrem Thermutis, à qua *mutis* est

De fuga Mosis ad Madianitas.

Madianitæ qui sint?

An Moses fugerit Regẽ patrem Thermutis?

est adoptatus. Nam fuga hæc contigit anno Mosis quadragesimo, quo iam ille Rex obierat. Vt enim ait Eusebius in chronico, annis tantum 31. regnauit.

8 Quęritur *quot annis vixerit Moses in terra Madian, & quid ibi egerit?* Respondetur, vixisse annis quadraginta. Nam quadraginta annos agebat, cùm Pharaonem fugit; alios quadraginta egit in terra Median, siquidem cùm rediit in Ægyptum, octoginta annorum erat, Exod. 7. *Erat Moses octoginta annorum, & Aaron octoginta trium cùm locuti sunt ad Pharaonem.* Actor. 7. ait D. Stephanus: *Moses factus est aduena in terra Madian, vbi generauit filios duos, & expletis annis quadraginta apparuit illi in deserto mōtis Sinai Angelus.* In terra Madian, duxit vxorem Madianitem Sephoram, filiam sacerdotis cuiusdam Madianitæ, genuitque ex ea filios duos; alterum appellauit Gersam, *guer* Hebraicè significat *peregrinum*, & *aduenam*, *sam* ibi, significat nomen, *fui peregrinus ibi*, id est, in terra Madian. Imposuit autem hoc nomen filio, eo quòd peregrinus erat in regione illa, Exod. 3. *Quem vocauit Gersam, dicens: Aduena fui in terra aliena: Alterum appellauit Eliezer, dicens: Deus enim patris mei, adiutor meus, eripuit me de manu Pharaonis.* Priorem perigrinū, siue aduenam vocauit, vt peregrinationem in terra Madiā indicaret: posteriorem nominauit Eliezer, id est, Dei mei auxilium. Eli, significat, *Deus meus*, ezer, *auxilium.* Hoc nomen impositum est puero, vt memoriæ proderet auxilium, quod Deus tulerat Mosi.

Exod. 7. — Actor. 7. — Duo filij Mosis geniti in terra Madian, Gersam, & Eliezer. — Exod. 3.

9 Præter hæc, illis quadraginta annis pauit Moses oues soceri sui, &, vt ait Eusebius in chronico, philosophabatur. At verò apud Arabes etiam nobiles greges pascebant, Philo lib. 1. Arabes, inquit, exercent pecuariam, pascuntque greges promiscuè viri, mulieres, iuuenes, & virgines, nō plebei solùm, sed & nobiles, &c. Socer autem Mosis tribus nominibus dicitur in Scriptura, Exod. 2. *Raguel.* Exod. 3. & 4. & 18. vocatur *Iethro.* Iud. 4. appellatur *Cinæus.* Hebraicè legimus fuisse *Cohen Madian*; vox autem *Cohen*, *sacerdotem* significat, & *principem*; quāobrem Chaldaica paraphrasis vocat eum *principem Madian*, & Artapanus apud Eusebium lib. 9. de præparat. Euang cap. vlt. eum appellat Regem Arabiæ. 2. Reg. 8. filij Dauid dicuntur *Cohanim*, vertit interpres. *sacerdotes*, nomen sacerdotum pro aulæ principibus sumens. Sic LXX. verterūt, ἀυλάρχας, id est, *aulæ principes*. & noster 1. Paralip. 18. sic vertit: *Filij Dauid erant primi ad manum Regis.* Cur igitur nō dicemus *interpretē, vt 2. Reg. 8. sic hoc loco sacerdotis nomē pro principe sumpsisse, fuisséque socerum Mosis principem Madianitarum?* Respōdemus, 2. Reg. 8. non posse sumi nomen sacerdotum, pro iis, qui erant propriè sacerdotes; filij enim Dauid non erant ex tribu Leui, atque adeò sacerdotes propriè esse non poterant, loquitur ergo pro principibus sumere. At hic nihil cogit. LXX. interpretes sacerdotem, non principem interpretantur, Philo quoque, & Iosephus. Est ergo sacerdos non princeps Madian. Neque enim princeps homini aduenæ, & ignoto filiam suam dedisset vxorem, generumque suum ouium suarum fecisset pastorem; neque principis gener Moses, cùm in Ægyptum est reuersus, vxorem principis filiam, Exod. 4. & duos filios, asino impositos duxisset. *Fuitne sacerdos veri Dei socer Mosis, an idolorū?* Aben Esdra Hebræus veri Dei sacerdotem fuisse vult, sed dicendum, fuisse sacerdotem idolorum. Erat enim sacerdos Madianitarum, qui colebant idola; ab eis electus, vt idolis offerret sacrificia, postea ad Deum verum conuersus videtur, Exod. 18.

Arabes etiam nobiles pascūt greges. Philo. — An socer Mosis fuerit princeps Madian. — 1. Paral. 18.

CAPVT XIV.

MORALE.

Moses Hebræos inuisit, Ægyptum occidit, ad Madianitas fugit.

1 FVIT Moses in aula Pharaonis princeps. Philo lib. 1. de vita Mosis, de eius agit virtutibus: Frugalitatem, inquit, colebat, vt nemo alius, in vniuersum abhorrens à deliciis. Animo enim viuere malebat, quàm corpore. Philosophiæ præcepta quotidie factis repræsentabat, mentem verbis exprimens, facta dictis accommodans, vt cum sermone vita congrueret. In summa qualis erat vita, talis & oratio, cùm nihil discreparet, non aliter quàm in instrumento musico. Hæc ille; & alia, D. Stephanus Act. 7. *Eruditus*, inquit, *est Moyses omni sapientia Ægyptiorum, & erat potens in verbis, & in operibus suis.* Habes principum, & prælatorum imaginem quandam. Oportet illos frugalitatem colere, à deliciis abhorrere, animo viuere magis quàm corpore, virtutem factis repræsentare, dictis opera accommodare, vt sermo vitæ congruat, denique musicum instrumentum esse omnium virtutum personans concentu. Oportet item prælatos, omni sapientia Christianorum præditos esse, siquidem Reipubl. sunt oculi. Quemadmodum oculi luce indigent, vt videant: sic principes sapientiæ splendore opus habent, vt Rempubl. rectè administrent. Præterea instar Mosis oportet potentes esse verbis, vt populum doceant, & operibus, vt exemplo ad virtutem alliciant. Potentes sunt Reges, & principes, opibus, viribus, armis, militumque copiis: potentes quoque sint verbis, & operibus. Armorum potentia vincunt hostes, verborum & operum potentia vincant subditos. Eximia res est, potentem esse operibus bonis; detestanda res, potentem esse operibus prauis, Psal. 51. *Quid gloriaris in malitia, qui potens es in iniquitate.* O gloriationem, ô potentiam diabolicam! Diabolus enim potens est in iniquitate, & in sceleribus, quæ perpetrat, gloriatur. Imitantur illum multi eius asseclæ. Christi autem sectatores ducem suum sequuntur, de quo scriptum est Lucæ vlt. *Qui potens fuit in opere, & sermone, coram Deo, & omni populo*; immenso interuallo hac potentia Mosem superans.

Moses bonū principis, & prælati magō Philo. — Act. 7. — Psalm. 51. — Luca 24.

2 Versabatur Moses in aula Regis, Israelitæ autem ab Ægyptiis valde affligebantur. Non tamen est ille fratrum oblitus, sed ab excelso honoris maximi culmine descendit, afflictosque inuisit, absque vllo comitatu. Mirum sanè est, virum Regis filiæ filium stipatorum dimisisse cateruam, solumque, & incomitatum Hebræos inuisisse. 1. Reg. 21. *Venit Dauid in Nobe ad Achimelech sacerdotem, & obstupuit Achmelech, eo quòd venisset Dauid, & dixit ei: quare tu solus, & nullus est tecum?* Obstupuit Achimelech in aduentu Dauid, quem nulli famuli comitabantur: sic meritò obstupescere debuerunt Hebræi cernentes Mosem Regis potentis nepotem incomitatum. Verùm ille parui faciebat stipatorum turbam, & aulæ honores alienos à se existimabat, affligique malebat cum populo Dei, quam

1. Reg. 21. — Dauid solus venit ad sacerdotē Achimelech; sic Moses solus venit ad Hebræos inuisendos.

quàm momentaneis oblectamētis perfrui. vnde Paulus ad Hebr. 11. *Fide*, inquit, *Moses grandis factus negauit se esse filium filiæ Pharaonis, magis eligēs affligi cum populo Dei, quā temporalis peccati habere iucūditatem, maiores diuitias æstimās thesauro Ægyptiorum improperium Christi: Aspiciebat enim in remunerationem.* Mira sanè res fuit, negasse Mosem se filium esse filiæ Pharaonis, maluisseque pauperis, & afflicti Hebræi filium nuncupari, quàm filiæ Regis. Mira res, magis elegisse affligi cum populo Dei Hebræo, quàm summæ dignitatis iucunditate oblectari. Mira res, maiores diuitias existimasse thesauro, & principatu Ægypti, improperium Christi, sed aspiciebat ille fidei oculis, in Christi venturi improperium, & in futuram remuneratione. Qui enim Christi improperia fidei oculis aspicit, omnia facilè despicit, affligi mauult, quàm breuissimi huius tēporis voluptatibus frui. pro Christo improperia tolerata, omnibus mundi opibus antepōit.

Ad Heb. 11. — Moses despexit Ægypti honores, & opes, propter Christum, & remunerationem.

3 Visitauit autem Moses Hebræos ab Ægyptiis vexatos, opemque tulit, quā potuit: Hebræum ab Ægyptio percussum liberauit, aliosque rixantes in pacem reducere conatus est. O principem, Dei cultorem egregium, qui proximi curat salutem, & commoda! Iacobi 1. *Religio*, inquit, *munda, & immaculata apud Deum, & Patrem hæc est, visitare pupillos, & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum se custodire ab hoc seculo.* Immaculatum se custodiuit Moses ab hoc seculo; siquidem negauit se esse Regis nepotem, Ægyptiorumque mores non est sectatus. Visitauit Hebræos fratres suos afflictos, veluti pupillos, & viduas in tribulatione eorum. Hæc est religio munda, id est, Dei cultura. Discat Christianus, Christianæ religionis præstare opera, afflictos visitare, consolari mœstos, eleemosynis, misericordiæque aliis operibus iuuare, Eccles. 7. *Non desis*, inquit, *plorantibus in consolatione, & cum lugentibus ambula. Non te pigeat visitare infirmum; ex his enim in dilectione firmaberis.* Cōsidera, quæso, quid Elephantes agant, de quibus sic scribit Clemens Alexand. lib. 1. stromat. Cùm in cœnum ceciderit Elephas, & clamauerit, præsens aliquis alius id contemplatus reuertitur paulo post, & secum ducit gregem Elephantum, & eum seruat, qui ceciderit, &c. Si animantia rationis expertia sui generis animantibus opem ferunt; quid Oportet Christi facere cultorem! Iam verò expēde studium Mosis fratres ab iniuriis vindicandi; Vidit duos Hebræos rixantes, eum monuit, qui iniuriam inferebat, pacemque inter eos conciliare conatus est. Conemur & nos iurgio contendentes prudenter pacificare, fratresque vindicare ab iniuriis, & monita illis salutis dare; sic Tobias faciebat, Tob. 1. *Pergebat ad omnes, qui erāt in captiuitate, & monita salutis dabat eis.* Neque solùm monita dabat, sed eleemosynas etiam impertiebat. Ibid. *Tobias quotidie pergebat per omnem cognationē suā, & cōsolabatur eos, diuidebatque vnicuique, prout poterat; de facultatibus suis, esurietes alebat, nudisque vestimenta præbebat, & mortuis, atque occisis sepulturā sollicitus exhibebat.* Eleemosyna quædam in corpus cōfertur, alia in animam; vtraq; Deo maximè placet. Præstantiorē eam ait esse Chrysostomus, quæ animo tribuitur, hom. 3. in Gen. Vt anima, inquit, corpore melior est; ita ij, qui admonendo, & cōtinue docendo, in viā rectam supinos, & desides inducunt, monstrando eis virtutum fragrantiam, & vitiorum maleolentiam; maioribus præmiis digni sunt, quàm hi qui indigentibus pecunias, & facultates suppeditant, &c.

Iacob 1. — Iuuandi proximi studiū. — Eccles. 7. — Tob. 1. — D. Chrysost. — Eleemosyna tribuitur corpori, & etiam animo.

4 Ad hæc Moses vt princeps, & iudex à Deo constitutus Ægyptium percutientem Hebræum pœna affecit, iustitiæ ductus zelo: sic princeps, iudexque, iustitiæ amator, impios meritis afficit suppliciis, Remque publicam ab impiis, & sceleratis expurgat hominibus, iuxta illud Psal. 100. *In matutino interficiebā omnes peccatores terræ, vt disperderē de ciuitate Domini omnes operātes iniquitatem.* Summam adhibebat Rex Dauid diligentiam, vt ciuitatem expurgaret, iustitiæque zelo flagitiosos homines exscindebat. Percutiētem Ægyptium occidit Moses; Hebræum liberauit. A percussionibus impiorum liberādi sunt innocētes, Prou. 24. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses.*

Iudex Rempub. expurgat sceleribus. — Psal. 100. — Prou. 24.

5 Peruenit ad aures Pharaonis Regis cædes Ægyptij, cumq; occidere moliretur Mosem, fugit in terram Madian, & per annos 40. soceri sui oues humiliter pauit. In desertis autem morabatur locis, & vt Euseb. ait in Chron. philosophatur. Philo: Exercebat, inquit, se Moses in virtutis stadio sub ratione magistra, parans se ad optima vitæ genera actiuum, contemplatiuumque simul, euoluens Philosophiæ dogmata, atque etiam expedite diiudicans, recondensque in memoriam, &c. D. Basil. hom. 1. in Hex. Moses, inquit, ad Æthiopiam profectus, ibique liberrimum nactus otium; totos 40. annos contemplationi rerum indulsit, &c. Et Isai. 6. Moses arrepta occasione pascendi greges, turbas ciuitatum fugitabat, & hominum frequentiam, &c. Abul. Exod. 3. ad illa verba: *Cum minasset gregem Moses.* Moses, inquit, erat iam vir deueniēs ad perfectionem; ideo vacabat contemplationi, cùm pastorale officium ad hoc valde conueniat, &c. Carthusianus: Puto, inquit, quòd Moses officium pastoris libenter assumpsit, atque exercuit, vt separatus ab idololatris Madianitis, aptius Deo vacaret in cāpis, & locis eremi solus; & etiam, quia Iacob, & filij eius ouium erant pastores, &c. D. Greg. Nysse. in lib. de vita Mosis: Moses, inquit, ad contemplationem impellitur; ciuitatum turbationibus omnino relictis, secum viuere maluit, &c. Item: Moses montanam, ac solitariam viuendi rationem elegit: vbi à turbatione procul remotus, in ouium cura sibi in deserto attendebat, &c. Is, qui solitariam agit vitam, sibi attendit, & Deo: qui negotiorum se implicat perturbationibus, neque se agnoscit, neque Deum. Vt in aqua turbata nemo vultum suum valet cernere; sic in mente negotiorum tumultu agitata, nemo seipsum potest, aut Deum, cognoscere. Necessaria est mentis quies, vt te ipsum agnoscas, & Dei maiestatem, & voluntatem intuearis. Lege D. Greg. Iob 33. ad verba: *Dormiunt in lectulo:* Moses, inquit, extincto Ægyptio postquam in desertum fugit, ilic dū 40. annis degit, quasi ab inquietis terrenorum desideriorū tumultibus obdormiuit; atque idcirco diuinam vocem percipere meruit: quia per supernam gratiam, quanto magis ab appetendis exterioribus torpuit, tantò verius ad cognoscenda interiora vigilauit, &c. Cant. 5. *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Tūc enim cor, & mens vigilat, Deoque & sibi vacat, cùm sensus carnis, & desideria dormiunt: tunc verò mens sibi, Deoque dormit, cùm sensus terrenis rebus inuigilant. D. Greg. ibidem hæc ver-

Moses pastor cōtemplationi vacabat in terra Madiā. Eusebius. Philo. — D. Basilius. — Abulensis. Exod. 3. — Carthus. — D. Gregor. Nyssenus. — Iob 33. — D. Gregor. Magnus. — Cant. 5.

Sebast. Barradas Itiner. Israëlit.

D. Greg. Cum anima dormit mūdo; tunc vigilat Deo. Exod. 4.

ba Cant. sic exponit: Dum exteriores sensus ab huius vitæ solicitudinibus sopio, vacāte mente, viuaciùs interna cognosco, foris dormio, sed intus cor vigilat, quia dū exteriora quasi non sentio, interiora solerter apprehendo, &c. Exod. 4. *Cùm minasset gregem Moses ad interiora deserti, apparuit ei Dominus.* Si volumus Deum nobis apparere, cogitationum nostrarum gregē ad interiora deserti impellamus, egregia ibi reperiemus pascua. Quòd si quempiam officij necessitas ab interioribus deserti auocat, officij necessitati postquam satisfecerit, in desertum mentis suæ reuertatur. Vnde Greg. Sancti (inquit) viri, qui exterioribus ministeriis deseruire officij necessitate coguntur, studiosè semper ad cordis secreta refugiunt, ibique cogitationis intimæ cacumen ascendunt, & legem quasi in monte percipiunt, (vt Moses) dum postpositis tumultibus actionum temporalium, in contemplationis suæ vertice, supernæ voluntatis sententiam perscrutantur, &c. Item: Boni rectores vt exterioribus officiis inoffensè deseruiant, ad secreta cordis recurrere incessabiliter curant, &c.

D. Gregor. Ab exterioribus, ad interiora reuerti oportet.

A

Consideranda etiam est Mosis beneficentia, profugus in terrā Madian venit, & sedit iuxta puteum. Cùm verò filiæ sacerdotis Madian ex puteo hausissent aquam, canalesq; iam replessent, vt adaquarent patris greges, & à pastoribus quibusdā repulsæ essent à puteo & à canalibus, nō tulit hoc beneficus Moses, qui iuxta puteum sedebat, surgēs puellis tulit auxilium, pastores repulit, hausit aquā, earumq; ouibus potum præbuit. Ignotis puellis homo profugus, & ignotus ausus est in terra aliena auxiliari, aduersus pastores. Solum enim ius, & Deum spectabat, non familiaritatem, aut sanguinis coniunctionē, vt beneficentiam exerceret. Non est prętereunda sacerdotis Madian gratitudo, cùm à puellis, quid factum esset, resciuisset, Mosem quæri iussit, hospitio excepit, denique filiā suam illi vxorem tradidit. Videlicet, prouidit Mosi Dominus in terra aliena vxorem, & ea, quæ ad traducendam vitam in tranquillitate, & rerum diuinarum contemplatione opus erant.

6

Mosis beneficētia in filias sacerdotis Madian.

B

Sacerdotis gratitudo.

CAPVT XV.

Mittitur Moses ad liberandum populum.

EXODI CAP. II.

1 POst multum verò temporis mortuus est Rex Ægypti, & ingemiscentes filii Israel propter opera vociferati sunt, ascenditque clamor eorum ad Deum ab operibus. Et audiuit gemitum eorum, ac recordatus est fœderis, quod pepigit cum Abraham, Isaac, & Iacob. Et respexit Dominus filios Israël.

EXODI CAP. III.

2 MOyses autem pascebat oues Iethro soceri sui, sacerdotis Madian, cumque minasset gregem ad interiora deserti, venit ad montem Dei Horeb. Apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat, quòd rubus arderet, & non comburetur. Dixit ergo Moyses: Vadam, & videbo visionem hanc magnam, quare non comburatur rubus. Cernens autem Dominus, quòd pergeret ad videndum, vocauit eum de medio rubi, & ait: Moyses, Moyses. Qui respondit: Adsum. At ille: Ne appropies, inquit, huc: solue calceamentum de pedibus tuis. Locus enim in quo stas, terra sancta est; & ait: Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob. Abscondit Moyses faciem suam. non enim audebat aspicere contra Deum. Cui ait Dominus: Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audiui, propter duritiam eorum, qui præsunt operibus, & sciens dolorem eius descendi, vt liberem eum de manibus Ægyptiorum, & educam de terra illa, in terram bonam, & spatiosam, in terram quæ fluit lacte, & melle, ad loca Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi, & Pherezæi, & Heuæi, & Iebusæi. Clamor ergo filiorum Israël venit ad me, vidique afflictionem eorum, qua ab Ægyptiis opprimuntur. Sed veni, & mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum filios Israël de Ægypto. Dixitque Moyses ad Deum: Quis sum ego, vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Israël de Ægypto? Qui dixit ei: Ego ero tecum, & hoc habebis signum, quòd miserim te, cùm eduxeris populum meū de AEgypto, immolabis Deo super montem istum. Ait Moyses ad Deum: Ecce ego vadam ad filios Israël, & dicam eis: Deus patrum vestrorum misit me ad vos. Si dixerint mihi: Quod est nomen eius? quid dicam eis? Dixit Deus ad Moysem: Ego sum qui sum. Ait: Sic dices filiis Israël: Qui est, misit me ad vos. Dixitque iterum Deus ad Moysem: Hæc dices filiis Israël: Dominus Deus patrum vestrorū, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob misit me ad vos: hoc nomen mihi est in æternum, & hoc memoriale meum in generationem, & generationem. Vade, & congrega seniores Israël & dices ad eos: Dominus Deus patrum vestrorum apparuit mihi, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, dicens: Visitans visitaui vos, & vidi omnia quæ acciderunt vobis in Ægypto, & dixi, vt educam vos de afflictione Ægypti in terram Chananæi, & Hethæi, & Amorrhæi & Pherezæi, & Heuæi, & Iebusæi, ad terram fluentem lacte, & melle; & audient vocem tuam, ingredierisque tu, & seniores Israël ad Regem Ægypti, & dices ad eum: Dominus Deus Hebræorum vocauit nos: ibimus viam trium dierum in solitudinem, vt immolemus Domino Deo nostro. Sed ego scio quòd non dimittet vos Rex Ægypti, vt eatis, nisi per manum validam. Extendam

dam enim manum meam, & percutiam Ægyptum in cunctis mirabilibus meis, quæ facturus sum in medio eorum: post hæc dimittet vos. Daboque gratiam populo huic coram Ægyptiis, & cùm egrediemini, non exibitis vacui, sed postulabit mulier à vicina sua, & ab hospita sua vasa argentea, & aurea, ac vestes, ponetisque eas super filios, & filias vestras, & spoliabitis Ægyptum.

3 CVM Moses in terra Madiā profugus, octoginta annos natus esset, & quadraginta ea in regione iam egisset, Ægypti Rex ex vita discessit. Rege mortuo Hebræi afflicti à Deo tot malis opem postularunt; eorum clamorem audiuit Deus, misitque liberatorem Mosem. Pascebat ille soceri sui gregem: *Minauit autem*, id est, duxit illum, *in interiora deserti, venitque in mōtem Dei Horeb*, ibique in rubo inflāmata Deum vidit. Cur in interiora deserti gregem duxerit, causam reddit Lyranus; nimirum, quia ibi meliora erant pascua, præterea quia à terra culta volebat recedere, ne oues segetes alienas depascerent. Iosephus autem lib. 2. ait montem Sinai fuisse pascuis valde commodū, quia herba abundabat. Abundabat autem herba, quoniam pastoribus inaccessus erat ob loci religionem, siquidē rumor vulgatus erat habitare illic Numen: Abulēsis aliam addit causam: Moses (inquit) vacabat cōtemplationi, & quia attētio, quæ requiritur in contemplatione, deperibat, quando manebat inter alios pastores, ideo vt liberius Deo vacaret, abscōdita loca, & inaccessa, vel nō frequētata hominibus requisiuit. Sic ille.

Moses ad interiora deserti ducit gregē.

Abulensis.

A

4 In interiori illo deserto mons erat Horeb, ad quem peruenit Moses. Est autem mons Horeb mons Sinai ex sententia D. Hieronymi, quamuis Eusebius in lib. de locis Hebraic. Sinai, & Horeb diuersos mōtes esse arbitretur, sed propinquos. Horeb (inquit) mons Dei est, in regione Madian, iuxta mōtem Sinai, supra Arabiam in deserto, cui iungitur mons, & desertum Saracenorum, quod vocatur Pharan, &c. His verbis subiungit D. Hieron. Mihi autem videtur, quòd duplici nomine idem mons nunc Sinai, nunc Horeb vocetur, &c. Iosephus quoque hoc loco ait, Mosem oues duxisse in montem Sinai, quia credebat Sinai, & Horeb eundem esse mōtem. Appellatur verò mons Dei, non à rumore illo vulgato, quòd Deus ibi habitaret, sed quia in eo Deus apparuit Mosi; quamobrem Chaldæus sic interpretatur: *Venit in montem Horeb, vbi reuelata est gloria Dei.* Rubus Hebraicè dicitur *Sene*, vnde nomen *Sina* ductum est, vel quod rubis mons abundaret, & sentibus; vel quod in rubo ibi Deus Mosi apparuerit.

Eusebius.

Mons Sinai, & Horeb.

D. Hieron.

Sinai significat rubum.

C

5 In hoc monte apparuit illi Deus in rubo ardente, quæ tamen non exurebatur, sed integra, atque illæsa permanebat. Videtur autem verus fuisse ille ignis à Deo productus, cuius tamen combustionem suspenso concursu prohibebat; quemadmodum in fornace Babylonica. Cùm pergeret ad rubum stupens Moses, quod igne nō absumeretur, calceos iussus est exuere: *Solue* (inquit Angelus) *calceamentū de pedibus tuis: locus enim in quo stas, terra sancta est.* Terra sancta dicitur illa, in qua Deus apparebat, ideoq; reuerentiæ causa nudis pedibus iubetur Moses accedere. Idem præcipit angelus Iosue cap. 5. cùm esset in agro vrbis Iericho: *Solue* (inquit) *calceamentū tuū de pedibus tuis: locus enim in quo stas, sanctus est.* Hac externa ceremonia volebat Dominus homines vti venerationis, ac reuerētiæ causa; ea etiam vtebantur in templo sacerdotes Hebræi: nudis enim pedibus ministrabant. Theodoretus in quæst. in Exod. Arbitror, inquit, duo per hoc significari. Primum quidem, vt religiosiorem hac ratione Mosem redderet; deinde vero, vt prædoceret eū, qua ratione oporteret sacerdotes in tabernaculo deseruire. Nudis enim pedibus illi sacrificia diuina peragebāt. Sic ille. Ad eādem reuerentiam, Deique venerationem, & timorem pertinet, quod Moses vultū pallio operuerit: *Abscondit*, inquit *factē suam. Non enim audebat aspicere contra Deū.* Rogabit aliquis, *fuerítne Deus, an angelus, is qui visus est Moysi:* Respōdetur, fuisse angelum. Hebraicè enim angelus dicitur; à LXX. quoque interpretibus, & Chaldæo. Et D. Stephanus Act. 7. *Apparuit*, inquit, *illi*, id est, Mosi, *in deserto montis Sina, angelus in igne flammæ rubi.* De hac re iam egimus tomo 1. Concord. lib. 1. cap. 15. vbi ostendimus, legem veterem per angelos datā esse. Quod si obiicias verba illa: *Ego sum Deus Abraham*, non conuenire angelo, sed soli Deo, loco citato respōdimus, dicta esse ab angelo personam Dei gerente; ita loquitur ac si loqueretur Deus, atque ita mittit Mosem, vt Deus mitteret, qui præsens occultata maiestate aderat, & per angelū loquebatur. Si roges, *qua forma apparuerit angelus?* Respondet Caietanus, apparuisse in forma flāmæ ignis, non in forma hominis. Sed dicendum, in forma hominis visum esse, ipsa flamma ignis circumdatum; flāma autem rubum inflammabat, sed non exurebat, Exod. 3. *Apparuit ei Dominus in flama ignis de medio rubi.* hoc est, apparuit angelus, Dei personam sustinēs ignis flāma circumseptus de medio rubi. Inde Mosem sic est allocutus:

An fuerit angelus is, qui Mosi apparuit in rubo.

Actor. 7.

Exod. 3.

B

Apparet angelus Mosi in rubo ardente.

Iosue 5.

Calceos exuit Moses, & caput texit reuerētiæ causa. Theodoret.

D

Clamorem audiui populi mei, vidique afflictionē, ex cæloq; descendi, vt grauissimum Pharaonis iugum ex ceruicibus eius excutiam, & in terram patribus repromissam ducā. Tu eris ductor, veni ad me, & mittam te ad Pharaonem, vt populum in libertatē asseras. Miratus est Moses, respōditq; Deo humiliter: *Quis sum ego*, vt tantum onus humeris meis imponas Domine? Respondit Dominus: & si onus sit grauissimū, quod tuis impono humeris, tu vero imbecillis sis pastor, efficies tamen omnia, quia ego ero tecum: ego enim tibi ferā auxilium, teq; velut instrumento potentiæ meæ vtar. Ne dubites, populū ex potestate Pharaonis liberabis; hoc tibi certissimū signū exhibeo, quod testabitur te à me missum: postquam populum ex Ægypto liberaueris, in montem hunc Sina illum duces, & in eo mihi immolabis, Hebraicè תעבדון *tahabdun*, id est, *seruietis, coletis*: LXX. λατρεύσετε. Multa alia signa & miracula exhibuit Deus Mosi, quæ testabantur; illum à Deo esse missum, ante hoc signum, hoc est, antequam populū liberaret, & in montem Sina duceret, in eoq; Deo victimas immolaret. Sed quia in monte Sina nunc loquebatur Dominus cum Mose, hoc signum voluit prædicere, ex quo certissimè sciret Hebræos ex Ægypto educendos, & à Deo missum esse agnosceretur. Aliter sic possunt explicari verba hæc: *Ego ero tecum*, mea ope fultus perages omnia. Hoc autem signum habebis, quod ego Deus verus miserim te. Postquam eduxeris ex Ægypto populum, in hoc monte Sinai victimas

Loquitur Deus cū Mose ex Rubo.

E

mihi Deo vero immolabis, ostendesque toti populo hoc signo, quòd ego, cui immolabis miserim te. Deo enim vero, qui te misit, tunc sacrificium exhibebis. Caietan. Seruitus, inquit, Deo exhibita signum est, quòd Moses non malis artibus, sed à Deo missus eduxit populũ de Ægypto, &c. Aliqui verba illa: *Hoc habebis signũ, quod miserim te.* referunt ad apparitionem Dei in rubo, hoc sensu: hoc signum quod cernis apparitionis meæ in rubo ardente, neque combusta, erit tibi signũ, quòd miserim te. Deinde quod sequitur præceptũ Dei est: *Cùm eduxeris populum meum de Ægypto, immolabis Deo super montẽ istũ.* præcipit, vt super montem Sina immolet. At recepta sentẽtia non de signo apparitionis, sed de signo immolationis hæc verba interpretatur:

Ego sum, qui sum.

7 Nondum Moses Dei imperata se facturum ait, sed Dei nomen postulat, siquidem in Dei nomine ad Hebræos legatus mittebatur. Ecce ego, inquit, legatus ibo ad filios Israël, dicamq; me à Deo patrum ipsorum, & in nomine eius missum. Si rogauerint quónam modo vocetur Deus patrum nostrorum, quodnam responsum eis reddam? At Deus: *Ego*, inquit, *sum, qui sum. Sic dices filiis Israël: Qui est misit me ad vos.* Dices præterea, *Dominus Deus Patrum vestrorum, Deus Abrahã, Deus Isaac, & Deus Iacob misit me ad vos; hoc nomen mihi est in æternũ, & hoc memoriale meũ in generationẽ, & generationem.* Hebraicè legitur, אהיה אשר אהיה *Ehieh aser ehieh*, id est, *ero qui ero.* Sed idẽ significat *ero, qui ero*, &, *sum, qui sum.* sumitur enim futurũ pro præterito, idcirco noster interpres vertit: *Ego sum, qui sum*, & ἐγώ εἰμι ὁ ὤν, id est. *ego sum ens.* Infra quoque dicitur: *Qui est misit me ad vos.* Hebraicè, *ehieh*, id est; dices Hebræis, *ero misit me ad vos*, vel *sum misit me ad vos.* Perspicuitatis causa interpres eodem sensu vertit: *Qui est misit me ad vos.* Caietan. Hebræa verba sic interpretatur: *Ero, qui ero*, hoc est, ego sum ille, qui suapte natura conuenit perseuerare in esse. Proprietas enim diuinæ naturæ, est perseuerantia in ipso esse; creaturæ verò omnes nisi à Deo contineãtur, in esse perseuerare nequeũt. Oleaster vult Deum significare, se æternũ esse, & longè ab idolis, falsisque Diis distare, Idola namque falsique Dij noui sunt, & recentes, ab hominibus inuenti, iuxta illud Mosis Deut. 32. *Noui, recentesque venerũt, tandem vero peribũt, esseque desinent.* At Deus verus æternus est, neque principium habens, neque finem. Ait igitur, *ero qui semper ero*; hæc dices filiis Israël. qui semper erit, misit me ad vos. Paulus Burgensis Exod. 3. sic explicat: Dixerat supra Mosi Dominus: *Ego ero tecum*, nunc pollicetur cum Israëlitis quoque se futurũ, hoc sensu: *Ero, qui ero.* hoc est, ero cum filiis Israël, qui ero tecum. Ego dixi tibi, quòd ero tecum in liberatione populi, similiter dico, quòd ero cum populo, sicut tecũ. Dices igitur illi: Qui erit vobiscum, & liberabit vos, misit me. Eodem loco ait, antiquos Hebræos verba hæc non exposuisse de aliquo nomine diuino, sed dixisse, Deũ promisisse his verbis, quòd esset cum filiis Israël in afflictione Ægyptiaca, & in alia, si contingeret. Est sensus Hebræorum: ô filij Israel, ero vobiscum in hac afflictione, quam toleratis, qui ero. subaudi, vobiscum, deinceps in omni vestra tribulatione.

Deo nomine Dei, ens, vel ego sum qui sum.

Caietan.

Oleaster.

Deut. 32.

Burgensis.

8 Dicendum est his verbis, infinitum, essentiale, atque independens, Dei esse significari. *Ego* (inquit) *sum qui sum.* Ego sum ens ipsum per essentiam ab æterno, & in æternum existens, ego sum ens à me ipso, totius esse fons, & principiũ. D. Hieron. ad Ephes. 3. Loquitur, inquit, Dominus Mosi, *ego sum, qui sum.* Numquid solus Deus erat, & cætera non erant? Vtiq; angeli, cælum, terra, & maria erant. Quomodo igitur nomen commune substantiæ, sibi proprium vendicat Deus? Ob eam profectò causam, quòd cætera, quod sint, Dei sumpsere beneficio; Deus verò qui semper est, neq; habet aliunde principium, non potest intelligi aliunde habere; quod subsistit, &c. Luc. 18. ait Christus: *Nemo bonus nisi solus Deus*, cùm tamẽ Gen. 1. legamus: *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erãt valde bona*: valde quidẽ bona erant omnia, sed bonitate à Deo accepta, & finita. Nemo verò nisi solus Deus est bonus bonitate non accepta, atque infinita: eundem in modum vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant entia. Erant quidem: & sunt entia entitate à Deo impertita, & terminata: Deus autem est ens entitate à nullo data, immensa, & semper eodem modo perseuerante. August. Psal. 9. In Dei, inquit, natura non erit aliquid, quasi nondum sit; nec fuit aliquid, quasi iam non sit, sed est tantum id, quod est, & ipsa est æternitas, &c. D. Gregor. lib. 18. Moral. cap. 34. Solus, inquit, Deus veraciter est, cuius essentiæ comparatum esse nostrum, est non esse, &c. D. Gregor. Nazianz, in orat. de natiuit. Dom. Erat, inquit, & erit, nostri temporis, fluxæque naturæ segmẽta sunt, Deus autem semper est. Atque hoc modo se ipsum nominat, cùm oraculum Mosi edidit. Vniuersum enim id, quod est, in se complectitur, neque principiũ habens, neque finem habiturum, quasi pelagus quoddã essentiæ immensum, & interminũ: omnem tum temporis, tum naturæ cogitationem superans, &c. D. Gregor. Nyssenus lib. de vita Mosis: Mihi, inquit, videtur Moses in ea visione didicisse, nihil earum rerum, quæ aut sensu comprehenduntur, aut mente perspiciuntur, præter supremam essentiam, quæ omnium causa est, & à qua omnia depẽdent, verè subsistere. In nullo enim cæterorum independentia perspici potest; ita quod absque participatiooe veri entis possit esse. Solum id verum ens eodem modo semper se habet, nunquam augetur, nunquam minuitur, ad omnem mutationem immutabile. Sic ille. Iustin. Martyr in exhortatione ad Gentes ait, Deum dixisse Mosi, ego sum ens, vt Deũ se verum ostẽderet, qui semper est; falsos vero Deos non esse Deos, quia nõ sunt; extirparetque idololatriam: Cùm, inquit, Deus Mosem mitteret ad Hebræos, non se appellauit aliquo nomine, sed participatio quodam, quo se vnũ solumque Deum esse significaret, dicens, ego sum ens ille; videlicet ad differentiam eorum, qui vocantur, & non sunt alij, vt scirent, qui per idololatriam seducti fuerant, se non veris diis fuisse deditos, sed iis, qui non sunt, &c. Item Deus extirpaturus sopinionẽ de multis diis ante omnia, Moysi se ostendens dixit ei? Ego sum ille ens, ἐγώ εἰμι ὁ ὤν, &c. Beda in Exodum, sic interpretatur: Ego sum, id est, qui cũ patribus vestris fui, qui sunt; id est, vobiscum. vel: Ego sum, qui sum; id est, sine præterito, & futuro. Sic ille. Hugo Victorinus ita: Ego sũ qui sum tecũ, id est, quo iuuãte, facies miracula; vel, ego sum, qui immutabiliter sum, cuius nomen proprium est ens, &c.

D. Hieron.

Luc. 18.

Deus est ipsũ ens independens, & à quo omnia entia pẽdent.

D. August.

D. Gregor.

Nazianz.

Nyssenus.

Iustinus.

Beda.

Hugo Vict.

9 Quæritur, *an*, qui est, *sit nomen Dei?* Non esse nomen Dei sentit Burgẽsis: Hebræi quoq; vt ex tradita

An, qui est, sit nomẽ Dei.

tradita eorum interpretatione colligitur, & Burgensis docet, idem opinati sunt. Idem sentire videtur S. Iustinus citatus, & Philo, qui sic scribit: Dic Moses Hebræis, ego sum, qui sum, vt discant differentiam inter ens, & non ens, & nullum nomen de me dici propriè, cui soli esse competit, &c. At verò D. Thomas 1. par. q. 13. art. 11. ait: Qui est, esse maximè proprium nomen Dei. Quem sequũtur alij Theologi; idque probatur, quia Moses à Deo petiuit nomen, quod diceret filiis Israël. Ergo Deus nomen tradidit, cùm dixit: *Sic dices filiis Israel, qui est misit me ad vos.* Hebraicè, *Ero* misit me ad vos, vel: *Sũ* misit me ad vos, vel, vt LXX. interpretes vertũt: ὁ ὤν, *ens*, misit me ad vos. Itaque *qui est, sum*, & *ens*, nomina sunt Dei.

Philo.

D. Thom.

10 Quæritur præterea, *an nomen*, qui est, *& nomen* Iehoua *tetragrammaton, sint idem nomen?* Idẽ esse putant Pagninus in Lexico, Galat. lib. 2. cap. 10. Lippomanus, & Eugubinus, Exod. 3. & Genebr. lib. 1. de Trinitate, & Iosephus lib. 2. antiquit. ca. 12. existimant hoc loco, Deum nomen ineffabile Mosi indicasse: Aperit, inquit, Deus suum nomen Mosi, nunquam antea homini vlli auditum, aut cognitum; quod mihi eloqui fas esse non arbitror, &c. Nomen *qui est*, Hebraicè dicitur אהיה *ehieh*, id est, *ero*, & est prima persona futuri verbi היה *haiah*, quod significat *fuit*; Aleph prima litera nominis *ehieh* mutatur in Iod, tertia verò litera Iod mutatur in Vau & fit יהוה *Iehouah*, nomẽ quadriliterum, à verbo *haiah*, quod significat *sum es, fui*, &c. significatque nomen Iehouah, *esse diuinum.* est autem *ehieh* prima persona futuri, id est, *ero, jehieh*, est tertia persona, id est, *erit.* vnde fit nomen *Iehoua.* Sumpsisse verò dicitur puncta à nomine *Adonai*, quia nomen *Iehoua* ineffabile erat, neque à quoquam excepto sacerdote proferebatur, cùm benedicebat populo, & loco illius legebatur nomen *Adonai.* Duo ergo puncta cholẽ, & patach, id est, o & a, à nomine *Adonai* vicario suo accepit. Quomodo autem proferendum sit, id est, quibus punctis, siue vocalibus, ignorant tam Hebræi, quàm nostri. D. Thom. loco citato diuersa nomina esse arbitratur, *qui est*, & nomen *Iehoua* tetragrammaton, & magis proprium Dei nomen esse tetragrammaton, quàm *qui est.* D. etiam Hieronymus epist. 1. 6. ad Marcellam de nominibus Dei, sextum Dei nomen ait esse אשר אהיה *aser ehieh*; vel. *qui est*, nonum verò tetragrammaton *Iehouah*; non ergo idem nomen esse existimat. Respondetur, hæc duo nomina non omnino esse idem voce, sed vtrumque ab eodem verbo היה *haiah*, deriuari, quod est, *sum*, & idem penè esse significatione, quoniam vtrumque diuinum *esse* significat. De nomine *Iehoua* in Concord. diximus, infra quoque aliquid dicemus cap. 6. ad illa verba: *Nomen meum Adonai non indicaui eis.* Addam hoc loco, quòd Lyranus Exod. 6. affert ex Rabbi Mose: Dicit, inquit, Rabbi Moses loquens de diuinis nominibus, quòd aliqua nomina de Deo dicuntur per respectum ad creaturas, vt *creator, Dominus*, & similia: alia dicuntur de Deo per modum qualitatum circa diuinam essentiam, vt *sapiens, bonus, omnipotens*, & similia: alia per modũ quantitatum, vt *immensus, incircumscriptus*, & per modum aliarum proprietatum, licet transeant in diuinam substantiam, quantum ad rem significatam. Sed nomen tetragrãmaton significat diuinam essentiam puram, & nudam, prout in se exist it circumscripto omni alio, & ideo est nomen incommunicabile appropriatum soli Deo; quia significat veritatem diuinæ essentiæ in se. Sic ille.

An nomen, qui est, sit nomẽ Iehouah. Ioseph.

D. Hieron.

Exod. 6. Rabbi Moses de nominibus Dei.

Dominus Deus patrum vestrorum, Deus Abraham.

Addit Dominus nomini, *qui est*, & nomini *Iehoua* aliud nomen magis perspicuum, & Hebræis iucundissimum. *Hæc*, inquit, *dices filiis Israël: Dominus Deus*, Hebraicè *Iehouah elohe, patrũ vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, misit me ad vos: Hoc nomen mihi est in æternũ, & hoc memoriale meum in generatione, & generationẽ.* Quasi dicat: aliud nomen tibi indico, quo me facies notum filiis Israël. Nouerunt illi quidem Patres suos Abraham, Isaac, & Iacob, à quibus originem ducunt; dic ergo eis, te missum esse à Iehoua Deo, quem coluerunt Patres eorum; quemque ipsi Israëlitæ colunt, qui solus est verus Deus. Verba illa: *Hoc nomen mihi est in æternũ, & hoc memoriale meum*, nonnulli referunt ad nomen, *qui est*; quasi dicat Dominus, *qui est*, est meũ nomen, & memoriale in æternum. Alij referunt ad *Deus Abraham.* Hæc secunda sententia mihi magis placet, estque sensus: Deus Abrahã, Deus Isaac, Deus Iacob, est mihi nomen in æternum, & memoriale. Volebat autem Dominus ostendere Hebræis, quantopere patres eorum diligeret; ideoque hoc sibi nomen esse asserit. Quomodo ex hoc loco Christus Matth. 22. probet mortuorum resurrectionem, ostendimus tomo 3. Concord.

Vade & congrega seniores Israël.

Ostẽso nomine pergit Dominus docere Mosem, quid sit facturus, postquam in Ægyptum peruenerit: *Vade*, inquit, *in Ægyptum, postquam vero eo peruenieris, congrega seniores* populi Israelitici, qui cæteris præsunt, & dicito Deum patrum Abraham, Isaac, & Iacob apparuisse tibi, velleque tot malis finem imponere, populumque in terram patribus promissam educere. Seniores verò fidem tibi habebunt hæc dicenti, postea illis comitatus ad Regem Pharaonem ingredieris, dicesque ei: *Dominus Deus Hebræorum vocauit nos, ibimus viam trium dierum in solitudinem, vt immolemus Domino Deo nostro.* At Pharao nõ patietur vos ad sacrificandum descedere ex Ægypto in solitudinem, nisi manu coactus potentia. Potentiam itaque meam exerã, percutiãque Ægyptum plagis mirabilibus, percussusque Pharao tandem vos dimittet. Neque verò vacui, & inopes discedetis, Ægyptum spoliabitis auro, argento, & vestibus; qua de re infrà agitur cap. 13.

CAPVT XVI.

MORALE.

De missione Mosis ad Pharaonem.

PAVISSE dicitur Moses oues Iethro soceri sui Exod. 3. nulla verò fit mentio ouiũ ipsius Mosis; non dicitur pauisse oues soceri, & suas, sed soceri. Nunquid oues non habebat Moses? Nonne quadraginta annos iam egerat in terra Madian? Cur igitur tot annorum spatio oues nõ habebat, quas pasceret? Respondetur, verisimile esse Mose aliquas habuisse oues, quas permixtas ouibus soceri pasceret; dici vero pauisse oues Iethro soceri sui; quia multo plures erant. Verisimile quoque est, Mosem rerũ cadu-

Moses ab omni cupiditate diuitiarum alienus.

carum possessionem parum curasse, rebusque cælestibus intentum soceri sui sumptibus cum vxore, quadraginta illos annos vixisse ab omni auaritia, & diuitiarum cupiditate alienum. Quamobrem missus à Deo in Ægyptum nihil habuit auri, vel argenti, vel gregum, quod secum ferret; solam enim vxorem, & filios duxisse legitur, Exod. 4. Peregrinum se esse in terra arbitrabatur, nolebat rerum caducarum pondere onerari; idcirco filium suum *Gersam* appellauit, id est, *peregrinum ibi*. Qui se peregrinos in terra esse cõsiderant, non onerant se diuitiarum luto, atque inquinãt; sed veluti lutum animum onerans, & contaminans fugiunt. Habacuc 2. *Væ ei, qui multiplicat non sua; vsquequo & aggrauat contra se densum lutum? Nũquid non repente consurgent qui mordeant te, & suscitabũtur lacerantes te, & eris in rapinam eis?* Vę auaro, qui opes per iniquitatem, & iniustitiam congregat, quique contra se densum diuitiarũ lutum in dies magis auget, & grauius facit, diei illius oblitus, quo omnibus spoliabitur. Repente enim cõsurgent morbi ac dolores, qui eum mordeant, & lacerent, eritque morti in rapinam. Lutum autem appellari diuitias, docet D. Hieronym. Habac. 2. Considera, inquit, quàm eleganter multiplicatas diuitias appellauerit densum lutum, &c. Quemadmodum lutum aggrauat, sic diuitiæ grauant animũ, si diues auarus sit, & superbus. D. Gregor. lib. 34. Moral. cap. 9. Denso, inquit, se luto aggrauat, qui per auaritiã terrena multiplicans, peccati sui se oppressione coangustat, &c. Et 3. par. pastor. admonit. 21. Auaro cõtra se lutum densum aggrauare est, terrena lucra cum pondere peccati cumulare. Præterea lutum inquinat, sic argenti cupiditas animum peccatis contaminat; oculos coniice in Giezi lepra fædatum turpissima, 4. Reg. 5. quisnam eum fædauit, nónne argenti cupiditas? accepit à Naaman *argentũ, vt emeret oliueta, & vineas, & oues, & boues, & seruos, & ancillas*; at miser emit eo leprã. Argenti cupiditas lepra corpus Giezi cotaminauit; sic multorum animum turpiori peccatorum lepra inquinat. 4. Reg. 5. *Naaman erat vir fortis, & diues, sed leprosus*. multi sunt viri fortes, & diuites, sed leprosi; multorum enim criminum lepra diuitiæ illos inficiunt. Beatus ille, qui in terra est *Gersam*, id est, *peregrinus*, nihil ex ea concupiscens, longè ab hac lepra abest.

Exod. 4. Moses filium peregrinum vocauit, & peregrinus erat in terra.

Habac. 2.

Diuitiæ sunt lutum.

D. Hieron.

D. Gregor.

Cupiditas diuitiarum hominem inquinat

4. Reg. 5.

4. Reg. 5.

Minauit Moses gregem ad interiora deserti, & apparuit illi Deus. Gregem habemus turbulentissimum, summáque vigilantia pascendum, nimirum turbulentissimas cogitationes, & cupiditates nostras. Is grex minãdus est ad interiora deserti, & à mundo, peccatique occasionibus, atque illecebris abstrahendus; in interioribus deserti, apparet nobis Deus, nobiscumque loquitur, cũ ad illum cogitationes, desideriaque nostra impellimus ipso ducẽte, iuxta illud Oseæ 2. *Ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor eius.* D. Gregor. lib. 28. Moral. ca. 20. Moses postquam in desertum fugit, dum illic quadraginta annis degit, quasi ab inquietis desideriorum terrenorum tumultibus obdormiuit: Et ideo diuinam vocem percipere meruit, quia per supernã gratiam, quanto magis ab exterioribus appetendis torpuit; tantò verius ad cognoscenda interiora vigilauit, &c. Ad interiora, & intima deserti nos minat Christus, Matth. 6. cùm sollicitudines nostras, cogitationes, & desideria à mundi curis auocat, & ad quærẽda cælestia prouocat. *Ne solliciti*, inquit, *sit is animæ vestræ, quid manducetis, neque corpori vestro, quid induamini.* Itẽ: *Nolite solliciti esse, dicentes: quid manducabimus? aut quid bibemus? aut quo operiemur? hæc enim omnia Gentes inquirũt. Respicite volatilia cæli, quoniam nõ seruant, neque metũt, neque congregãt in horrea, & Pater vester cælestis pascit illa. Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius.* Ad hoc desertum mina gregem tuum, in eo illum pasce, & apparebit tibi Deus non in rubo, sed in cælesti gloria. Greg. Nazianz. in apologetico: Nihil, inquit, mihi reuera videtur hominis præstantius ad beatã vitam, quàm clausis carnalibus sensibus, extra carnem, mũdumque effectum, sibi soli, & Deo loqui. Vt cunctis visibilibus altior factus, mentem suam diuinis sensibus repleat, & cælestibus formis absque admixtione terrena; verè speculũ immaculatum effectus imaginis Dei, & ex ipsius lumine semper lumen accipiens; auspicia quædam vel initia futuri sæculi in eo ferens, atque in terris positus, consortio angelorum quodammodo perfruens, despecta, & derelicta fragilitate terrena, ad superna Spiritus sancti superuentione transferatur. Sic ille.

2 *Habemus gregẽ pascendũ, id est, cogitationes, & cupiditates. Ducẽdus grex ad interiora, & ad Deum.*

Osea 2.

D. Gregor.

Matth. 6.

Apparuit Deus Mosi in rubo, quam ignis inflammabat, sed non consumebat, quin potiùs illustrabat; quæ imago ostẽdebat illam afflictionem Hebræorum non consumpturam, sed illustraturam Dei populum. Nam proborũ hominum flammæ, id est, afflictiones, illos non consumunt, sed summæ gloriæ splẽdore illuminãt, quod in Martyribus satis perspicuum est. Non consumpsit Iob diaboli vexatio, sed summoperè toto orbe illustrauit; non cõsumpsit Tobiam cæcitatis afflictio, sed magno splendore decorauit; non cõsumpsit tres pueros Babylonicę fornacis flamma, sed magnã illis gloriam peperit. Indicabat præterea Deus in igne conspectus. Hebræorum se iniurias vlturum, & Ægyptios, instar ignis, vastaturum. D. Hieron. epist. 127. ad Fabiolam, mansione 8. rubo Ecclesiam significari ait; ardet rubus, & non comburitur, inflammatur persecutionibus Ecclesia, & non perit: Videbimus, inquit Hieronymus, ardere rubum, & non comburi; inflammari Ecclesiam persecutionibus, & eam, loquente in illo Domino, non perire, &c. Isai. 43. *Cùm transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te: cum ambulaueris in igne, non comboureris.*

Probi homines afflictionibus illustrantur, non cõburuntur.

D. Hieron. Ecclesia persecutionũ igne inflãmatur, non cõburitur sed illustratur.

Isaiæ 43.

D. Gregor. in initio lib. 28. Moral. igne igneã legem datam Iudæis significari scriplit, rubo spinosa significari Iudæos, spinis peccata. Quemadmodum rubus incensa igne erat; ignis autem spinas non absumebat: sic Iudæi lege velut igne inflammati erant. Dicitur enim, lex ignea Deut. 33. *In dextera eius ignea lex.* ea tamen peccatorum spinas non comburebat. D. Gregor. Per succensam (inquit) rubum Mosem alloquens Deus, quid aliud ostendit, nisi quòd eius populi ductor fieret, qui & legis flammam perciperet, & tamen peccati spinam nequaquam vitaret? &c. Idem de multis Christianis dici potest, in quibus Christi lex ignea, hoc est, charitatis incensa flammis, peccatorum spinas non absumit. Præterea ait D. Gregorius, ignem vmbram fuisse diuinitatis Christi, rubum humanitatem designasse, rubi spinas dolores, quos Christus est perpessus. Vt rubum, eiusque spinas ignis non exurebat: sic diuinitatis flamma humanitatem Christi non consumebat, neque etiam consumebat dolores; sed illam cruciatus, doloresque

4 *D. Greg.*

Deut. 33.

D. Greg. Lex ignea non combussit spinas peccatorũ.

Rubus humanitatẽ Christi, spinæ rubi, humanitatis dolores indicant.

D. Gregor.

doloresque mirabiles tolerare sinebat. Vel significauit Deus, (inquit Gregorius) quòd ex illo populo exiret Christus, qui igne deitatis, carnis nostræ dolores, quasi rubi spinas, susciperet: & in consumptam humanitatis nostræ substantiam, etiam in ipsa diuinitatis flamma seruaret, &c.

5 *Rubus incombustus Deiparæ virginitatem adũbrat. D. Greg. Nyssenus.*

Ad hæc adumbrat rubus incombustus, Deiparæ Virginis virginitatem in conceptione, & partu Domini fuisse conseruatam. D. Gregor. Nyssen. in vita Mosis: Mysterium, inquit, virginitatis figuratum est. Ab ea namque diuinitatis lux assumpta carne, illuxit hominibus; eamque omnimodo incorruptam seruauit, virginitatis viriditate nullo pacto commutata, &c. Idem docet Theodoretus in quæst. Exod. Nota etiam est Ecclesiæ antiphona: *Rubũ, quem viderat Moses incombustum*, conseruatam agnouimus tuam laudabilem virginitatem, sancta Dei genitrix, &c.

Theodoret.

6 *Apparet Deus meditãtibus, in flãma amoris, & inter spinas dolorũ.*

Apparuit Deus Mosi in interioribus deserti, in flamma ignis, de medio rubi spinosi; sic nobis apparet, cùm ad interiora deserti cogitationum, & desideriorũ gregem ducimus, meditando: apparet, inquam, in flamma ardentissimi amoris, & de medio spinarum, hoc est, dolorum, & tormentorum. Eamus ergo sæpe ad interiora deserti; intellectus oculis videamus visionem hanc magnam, & quæramus, quare Deus spinis sit cruentatus? si causam quæsiuerimus, ardentissimi amoris flammam esse reperiemus. Non enim exurebat amoris flamma spinas, hoc est, cruciatus, imò augebat: Non exussit autem flamma amoris Christi spinas Christi, ac tormenta, vt alias graiiores exureret spinas, videlicet peccata nostra. Accedamus ad hanc flammam vehementissimam, Christi amorem animo voluamus, & concipiamus. Exuret ignis hic corda, exuret peccata nostra. Accedamus, dicentem audiemus. *Vidi afflictionem populi mei: sciens dolorem eius descendi, vt liberem eum: & educam in terram, quæ fluit lac, & mel.* hoc est, vidi populi mei peccata, debitamque pro illis afflictionem sempiternam; & amore inflammatus descendi ex cælo vsque ad has spinas, id est, tormenta, vt liberem eum, & à peccatis omnibus, tormentisque sempiternis sanguine meo redimam, atque in cælestem illam regionem lacte, & melle fluentem ducam.

Psalm. 64.

7 *Reuerentia magna tẽplis debetur.*

Obseruanda etiam est reuerentia, quam à Mose postulauit: *Ne appropies*, inquit, *huc: solue calceamẽtum de pedibus tuis; locus enim in quo stas, terra sancta est.* Si tantam reuerentiam postulat Deus in loco, in quo Angelus eius nomine apparet, locumque illum terram sanctam appellat: quantam reuerentiam postulabit in loco, id est, in templo, in quo ipsemet Deus in Eucharistia præsens adest, atque adoratur? Si locus, in quo angelus cernitur in flamma ignis, terra sancta est, quanto erit sanctior locus, in quo Deus in Eucharistia videtur, & colitur? Non tamen postulat hæc reuerentia, & loci sanctitas, vt calceos deponamus, sed vt mortua opera, id est, peccata similia mortuis mortuorum animalium pellibus, superbiam, loquacitatem, & cogitationes noxias exuamus, gratiamque, cogitationes sanctas, humilitatem, & silentium induamus, Psal. 64. *Te decet hymnus, Deus in Sion.* In Sion, id est, in templo Ecclesiæ, vbi Dominus adest, non decent cogitationes prauæ, colloquia vana, inflatio; non decent peccata; decet coram Deo humilitas, timor, hymnus, laus, & oratio. *Te decet hymnus, Deus in Sion.* Cùm ergo in templum conueniunt Christiani, Deum laudent, & orent in silentio magno. Decet enim maximè templum silentium. D. Hieron. vertit: *Tibi silentium laus, Deus in Sion*, Etenim laus Dei est silentium in templo, ostendit namque summum adesse Regem, qui maiestate sua linguas astantium ad otiosa verba compescit, ad hymnos, & laudes aperit.

Silentium seruandum in templo.

8 Moses, vbi primùm audiuit: *Ego sum Deus Patris tui, faciem suam abscondit. Non enim audebat aspicere contra Deum.* Nonne dixerat; *Vadam, & videbo visionem hanc magnam?* Nonne magna videndi cupiditate flagrabat? Cur igitur non intuetur, quod cupit? cur faciem velat? cur oculos frenat, & tegit: Nimirum quia scit in illo loco adesse Deum. Qui bene nouit, & considerat in Eucharistia adesse Deum, is frenat in templo linguam, frenat oculos. Moses oculos velauit, ne videret Deum in rubo: at nostri oculi non sunt velandi, ne videant in Eucharistia: imò aperiendi maximè. Velandi verò sunt, ne aut impudicè, aut vanè, leuiterque huc, atque illuc aspiciant. Iam verò quid ego de reuerentia dicam, quam debent illi adhibere, qui augustissimam Eucharistiam percipiunt? Si Moses iubetur nudis pedibus accedere ad rubum; si terra illa, in qua angelus videtur, terra sancta est, quid dicemus de ea reuerentia, quæ adhibenda est ab illis, qui Christum Deum Opt. Max. in terra sancta templi ore ipso excipiunt? Expendat hoc prudens lector. Caueat, qui Deum excipit, ne calceos, pelles mortuas, mortuorum deferat animalium: hoc est; ne opera deferat mortua, id est, mortalia peccata, vt appellat D. Paul. ad Hebr. 6. & 9. *Sanguis*, inquit, *Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis.* Theodor. Mortalia, inquit, opera appellauit maleolentia & improba, &c. Et Chrysost. Si quis tangebat mortuum, polluebatur; & si quis tetigerit opus mortuum, contaminatur per conicientiam, &c. Item: Mortua opera sunt, quæ vitam non habent, quæ putorem spirant, &c. Hæc omnia opera abiicienda sunt per pœnitentiam, & confessionem, nudisque pedibus, id est, nudis ab omni scelere affectibus, ad Deum est accedendum; pedes enim animæ, quibus illa graditur, affectus sunt: *Velauit faciem Moses, & oculos; nõ enim audebat aspicere cõtra Deum.* Eundem in modum velet oculos intellectus homo, non audeat aspicere contra Deum: Curiosè, ac superbè Dei existentiam imperscrutabilem, in augustissimo Sacramento non perscrutetur, sed humili, & reuerenti corde credat, ne fortè, dum nimium huius solis splendorem intuetur, incidat in cæcitatem. Mam Prouerb. 25. *Qui scrutator est maiestatis, opprimetur a gloria.* Nonne hæreticos malos huius maximi Sacramenti scrutatores ab immenso maiestatis eius pondere, & splendore oppressos in cæcitatem incidisse cernimus? Cant. 6. *Auerte oculos tuos à me, quia ipsi me auolare fecerunt.* In Eucharistia est semper Dominus, sed à mente eorum, qui superbè, Ecclesiæ sensu repudiato, illam perscrutari volunt, auolat: videlicet, oculi hæreticorum superbi, Ecclesiæ, & Patrum iudicium, fidemque contemnentium, auolare faciunt ex mente sua Christum, propter incredulitatem, qui in augustissima Eucharistia semper est.

Summa cum reuerentia suscipienda Eucharistia. Ad Heb. 6. & 9.

Opera mortua dicuntur peccata mortalia.

Non est perscrutandum superbè summum mysterium. Prou. 25.

Cant. 6.

6 Expendenda quoque sunt verba illa, *Ego ero tecum*. Mittebat Dominus Mosem ad liberandos ex captiuitate Ægyptiaca Israelitas; non poterat res tanta à fragili homine effici; idcirco ait Moses: *Quis sum ego, vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Israël de Ægypto?* Eam ob rem pollicetur Deus auxilium suum ad res omnes, etsi difficillimas faciendas, potentissimum. *Ego*, inquit, *ero tecum*: eundem in modum, cùm discipulos misit ad liberandos homines ex captiuitate tartarea, præsidium illis suum promisit, dicens, Matth. 28. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* Misit Ieremiam cap. 1. ad Israelitas, & ait: *Bellabunt aduersum te, & non prævalebunt: quia ego tecum sum, vt liberem te.* Item: *Ego dedi te hodie in ciuitatẽ munitam, & in columna ferream, & in murũ æreum super omnem terrã Regibus Iuda, principibus eius, & sacerdotibus, & populo terræ.* Vnde tanta Ieremiæ fortitudo orta est? ex auxilio Dei. *Non prævalebunt*, inquit, *quia ego tecum ero.* O illum beatum, cum quo Deus est! omnia pericula euadit feliciter. Psal. 90. *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum.* Psal. 22. *Etsi ambulauero in medio vmbræ mortis, nõ timebo mala, quoniã tu mecum es.* Isai. 43. *Cùm transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te; cùm ambulaueris in igne, non comburieris, & flamma non ardebit in te.* Erat Deus in rubo: quamuis verò incensus esset igne, tamen non exurebatur. Eundem in modum in viro iusto Deus est, & cum viro iusto est; quamuis tamen tentationum, & calamitatum igne inflammatus sit, non comburitur. *Ego ero tecum* (ait Dominus Mosi) vt sum in hoc rubo: si te ignis ardentissimus complectatur, nihil tibi afferet detrimenti.

Deus est cum iis quos mittit. *Matth. 28.* *Ierem. 1.* *Psal. 90.* *Psal. 22.* *Isaiæ 43.*

10 Illa autem Dei verba, *Ego sum, qui sum*, animo sæpè sunt voluenda, vt intelligamus Deum solum ex se esse, mundum verò & creaturas omnes à se non esse, sed ex Deo perpetuò pendere. O homo, tibi attende, opes tuæ, honores, salus, vitæ bona omnia, quæ possides, à te non sunt, sed à Deo; ille est, qui est, à quo creata omnia esse habent; tu es, qui non es neque tu es à te, neque bona, quæ habes; à Deo sunt omnia atque ita ab eo pendent, vt si temporis momento te, tuaque conseruare desinat, in nihilum tu redigaris, & tua. *In ipso* (ait Paul. Act. 17.) *viuimus, & mouemur, & sumus.* Si te diligis & tua, dilige multo magis eum, qui te tibi dedit, & tua; qui omnibus temporis momentis, te conseruat, & tua; qui si conseruatricem manum remoueat: tu peribis, & tua; dilige eum, in quo viuis, vt Paulus ait, & moueris, & es; sine quo neque viuere, neque moueri, neque esse potes. Dilige, & quære eum, qui est, contemne ea, quæ non sunt. *Filij hominum*, clamat vates Psal. 4. *vsquequò graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium.* Heu diligunt filij hominum, non Deum, qui est, sed vanitatem. hoc est, res caducas, quæ non sunt; quia paulò post euanescunt. *Vanitas enim vanitatũ, & omnia vanitas*, ait Ecclesiast. 1. Adhæreamus Deo, qui est, solidissimumque habet esse infinitum, & sempiternum; spernamus res perituras, quæ non sunt; quia vanitas sunt, habentque esse temporis puncto euanescens. Qui adhæret Deo, perpetuo perfruitur illo; qui opibus, voluptatibus, cæterisque euanescentibus rebus sese tradidit, illis euanescentibus perit.

Deus est, cætera res caducæ sunt. *Actor. 17.* *Psalm. 4.* *Deus diligendus, qui est, caducæ res spernendæque non sunt.* *Eccles. 1.*

Denique Dominus Deum se esse dicit Abraham, Isaac, & Iacob, quibus promiserat terram, quæ dicitur promissionis, quasi dicat: dic filiis Israel, me esse Deum verum, qui terram promissionis promisi Abraham, Isaac & Iacob: illis illam promisi, sed illam non possederunt. Nunc tempus adest possessionis. Sed oportet eos qui terram promissionis possessuri sunt, ex Ægypto exire: surgite exite ex Ægypto, ego vos educam, & præibo, vos me sequimini. Promiserat Deus terram his Patribus, sed illi illius possessionẽ minimè acceperunt, iuxta illud D. Stephani Act. 7. *Non dedit illi*, id est, Abrahamo, *hæreditatem, in ea*, id est, in terra promissionis, *nec pessum pedis.* Et D. Paul. ad Hebr. 11. *Abraham*, inquit, *fide demoratus est in terra repromissionis, tãquam in aliena in casulis habitando cum Isaac, & Iacob, cohæredibus repromissionis eiusdem.* Eodẽ loco ait Apostolus, hos tres Patres, in terra repromissionis fuisse peregrinos, cælestemque desiderasse & exspectasse ciuitatem; atque ideo Deũ non erubescere, quod trium virorum Deus appelletur, cùm sit Deus omnium hominum, & angelorum. Nõnne cernis Abraham, Isaac, & Iacob peregrinos, in ipsa terra sibi promissa in casulis habitantes, quæ fundamentum nullum habebant, more viatorum, in alieno solo, nihil ædificantes, & expectantes cælestem ciuitatem habentem æterna fundamenta. Addit Paulus: *Confitentes quia peregrini, & hospites sunt super terram. Qui enim hæc dicunt, significant se patriam inquirere, & siquidẽ ipsius meminissent, de qua exierunt, habebant vtique tempus reuertẽdi: nunc autem meliorem appetunt*, id est, cælestem. *Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum, paravit enim illis ciuitatem.* Hęc Apostolus. Deus Cherubinorum, Seraphinorum, cælestisque, atque terrestris machinæ non confunditur, id est, non erubescit vocari trium hominum Deus. Ingentis populi instar sunt hi tres tanto Regi, quia peregrini sunt, Deumque, & cælestem patriam quærunt. Deus verò eximium illis æternũ præparauit habitaculum, nempe ciuitatem cælestem, cuius artifex, & conditor ipse Deus est, vt Paulus ait. Nullus enim vel hominum, vel Angelorum potuit huiusmodi extruere ciuitatem, opus hoc est omnipotentiæ Dei. Ille cælũ empyreum fulgentissimam Beatorum patriam fabricatus est, ille exuberantibus gaudiis illud compleuit, ille veluti fons vberrimus voluptatis & gloriæ sempiternæ ex se emittit flumina. O felicissimos peregrinos, quibus artifex Deus talem extruxit ciuitatem, æterna fundamenta habentem! In casulis hic habitabamus fundamento carentibus; omnes enim, & si amplissimæ ciuitates, omniaque sæculi regna fundamento carent, ideoque solo æquabuntur. Quatuor orbis monarchias vidit Rex ille Nabuchodonosor statua adumbratas; at carebat illa fundamento, siquidem pedes habebat ferreos ac fictiles, quos lapis ex monte absque manibus abscissus, cùm percussisset, in fauillam æstiuæ areæ redacta est. Vides orbis monarchias, regna, ciuitates, fundamento carere? At de ciuitate, cuius artifex est Deus, Apoc. 21. legitur: *Murus ciuitatis habẽs fundamenta duodecim*: Æternis fulcitur fundamentis, ruere non potest; hic finis est felicissimus peregrinorum, quorum Deus non confunditur vocari Deus. Huiusmodi peregrini fuerunt Apostoli, Martyres, reliquique omnes sancti, quorum Deus non confunditur vocari Deus. Confunditur autem vocari

Ad Hebr. 11. *Peregrinis fabricauit Deus ciuitatem sempiternam.* *Fundamenta carent res caducæ.* *Apoc. 21.*

cari Deus hominum raptorum, libidini, cæterisque vitiis seruientium; quemadmodum confunditur homo probus vocari Dominus seruorum latrocinantium, & scortantium. Audiamus Chrysostomum homil. 24. ad Hebr. Simus (inquit) nos quoque nunc hospites; ne erubescat Deus vocari noster Deus; pudor enim ipsi est, quando vocatur malorum Deus, & ipsum malorum pudet. Sicut glorificatur, quando dicitur Deus proborum, & virtutum colentium: simus nos quoque hospites, ne Deum nostri pudeat, pudeat, inquam, & nos tradat gehennæ. Hæc Chrysostomus, & alia. *Hoc nomen* (ait Deus) *est memoriale meum.* Viri virtutibus exculti in hac vita peregrini, memoriale Dei sunt; reuocant enim Deum in memoriam hominum, operibusque inclyti ad illius laudem eos excitant: Reuocant etiam in memoriam res cælestes. Cùm enim à terrenis rebus abstracti vitam ducant, eos qui caducis bonis sunt mancipati, res esse alias multo sublimiores docent. Quanti verò momenti sit peregrinum in hac vita esse, indicat Chrysostomus homil. citata his verbis: Prima est virtus, atque adeò vniuersa virtus, huius mundi esse hospitem, & peregrinum, & cum his, quæ hic sunt rebus, & negotiis, nihil habere commune; sed ab eis pendere tanquam ab externis, &c.

Confunditur Dominus vocari Deus impiorum. *D. Chrysost.* *Viri iusti sunt memoriale Dei.* *D. Chrysost. Magna virtus est, esse in hoc mundo peregrinum.*

CAPVT XVII.

Moses ire recusat ad Pharaonem.

EXODI CAP. IV.

8 Respondens Moses ait: Non credent mihi, neque audient vocem meam, sed dicent: Non apparuit tibi Dominus. Dixit ergo ad eum: Quid est, quod tenes in manu tua? Respondit; virga. Dixitque Dominus: Proiice eam in terram. Proiecit, & versa est in colubrum, ita vt fugeret Moses. Dixitque Dominus: Extende manum tuam, & apprehende caudam eius. Extendit, & tenuit, versaque est in virgam. Vt credant, inquit, quòd apparuerit tibi Dominus Deus Patrum suorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Dixitque Dominus rursum: Mitte manum tuam in sinum tuum, quam cùm misisset in sinum, protulit leprosam instar niuis. Retrahe, ait, manum tuam in sinum tuum, retraxit, & protulit iterum, & erat similis carni reliquæ. Si non crediderint, inquit, tibi, neque audierint sermonem signi prioris, credent verbo signi sequentis. Quòd si nec duobus quidem his signis crediderint, neque audierint vocem tuam: sume aquam fluminis, & effunde eam super aridam, & quidquid hauseris de fluuio, vertetur in sanguinem. Ait Moses: obsecro Domine non sum eloquens ab heri, & nudiustertius, & ex quo locutus es ad seruum tuũ, impeditioris, & tardioris linguæ sum. Dixit Dominus ad eum: Quis fecit os hominis? aut quis fabricatus est mutum, & surdum, videntem, & cæcum, nonne ego? Perge igitur, & ego ero in ore tuo, doceboque te quid loquaris. At ille: Obsecro (inquit) Domine, mitte, quem missurus es. Iratus Dominus in Mosem ait: Aaron frater tuus Leuites, scio quòd eloquens sit: ecce ipse egreditur in occursum tuũ, vidensque te lætabitur corde, loquere ad eum, pone verba mea in ore eius: & ego ero in ore tuo, & in ore illius, & ostendam vobis, quid agere debeatis. Ipse loquetur pro te ad populum, & erit os tuum: tu autem eris ei in his, quæ ad Deum pertinent. Virgam quoque hanc sume in manu tua, in qua facturus es signa.

Abiit Moses, & reuersus est ad Iethro socerum suum, dixitque ei: vadam, & reuertar ad fratres meos in Ægyptum, vt videam, si adhuc viuant. Cui ait Iethro: vade in pace. Dixit ergo Dominus ad Mosem: In Madian vade, & reuertere in Ægyptum: mortui sunt enim omnes, qui quærebant animam tuam. Tulit ergo Moyses vxorem suam, & filios suos, & imposuit eos super asinum, reuersusque est in Ægyptum, portans virgam Dei in manu sua. Dixitque ei Dominus reuertenti in Ægyptum: Vide vt omnia ostenta quæ posui in manu tua, facias coram Pharaone: Ego indurabo cor eius, & non dimittet populum. Dicesque ad eum. Hæc dicit Dominus: Filius meus primogenitus Israël. Dixi tibi, dimitte filium meum, vt seruiat mihi, & noluisti dimittere eum: ecce ego interficiam filium tuum primogenitum. Cumque esset in itinere, & in diuersorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum. Tulit illico Sephora acutissimam petram, & circumcidit præputium filii sui, tetigitque pedes eius, & ait: Sponsus sanguinum tu mihi es, & dimisit eum, postquam dixerat: sponsus sanguinum ob circumcisionem. Dixit autem Dominus ad Aaron: Vade in occursum Moysi in desertum. Qui perrexit obuiam ei in montem Dei, & osculatus est eum, narrauitque Moyses Aaron omnia verba Domini, quibus miserat eum, & signa quæ mandauerat. Veneruntque simul, & congregauerunt cunctos seniores filiorum Israël: locutusque est Aaron omnia verba, quæ dixerat Dominus ad Moysen, fecit signa coram populo, & credidit populus

pulus. Audieruntque quòd visitasset Dominus filios Israël, & quòd respexisset afflictionem illorum, & proni adorauerunt.

Non credent mihi.

3 NONDVM assentitur Domino Moses, sed adhuc renuit, & obsistit. Misit illum Deus ad filios Israël, vt libertatem nuntiaret; ille opponit populi incredulitatem: *Non credent* (inquit) *mihi, neque audient, sed dicent: Non apparuit tibi Dominus.* At verò Deus cap. 3. dixerat: *Et audient vocem tuam. Quo ergo modo dicente Deo audient*; dicit Moses, *Non audient*? Nunquid Deo non credit? Respondet Lyranus, Abulensis, & alij; Deum de senioribus fuisse locutum? *Vade* (inquit) *congrega seniores Israël, & audient vocem tuam.* Mosem verò loquutum de populo. Dici etiam potest, Mosem, cùm dixit: *Non credent mihi, neque audient*: non aduertisse animum ad verba illa Dei: *audiet vocem tuam*; neque intellexisse se illis repugnare. Rupertus verba Mosis sic interpretatur: *Non credent mihi*: subauditur, inquit, nisi signa viderint.

Moses renuit ire ad Pharaonem, & liberare populũ.

Proiice eam in terram.

4 Miraculis adducuntur homines ad credendum; ideo Deus Mosi dicenti: *Non credent, neque audient me*: dedit potestatem faciendi miracula, quibus populum adduceret ad credendũ, ipsum à Deo esse missum. Iussit virgam, id est, baculum pastoralem, quem manu tenebat, in terrã mittere, missa verò virga in terram, conuersa est in colubrum eiusdem longitudinis, cuius ipsa virga erat, adeò metuendum, vt fugeret Moses territus. At illum iussu Dei, cauda apprehendit apprehensusque coluber cauda, reuersus est in virgam. Indicabat verò hoc signum, virgã Dei conuertendam esse in colubrum, qui Ægyptios morderet & occideret, vnde secundum addidit miraculum: *Mitte*, inquit, *manum tuam in sinum tuum.* Manum in sinum suum misit Moses, proferre eandem iussus est ex sinu; protulit verò leprosam quam miserat sanam. Rursus præcepit in sinum inferre manum lepra infectam, & ex sinu educere, eduxitque illam lepra omnino expurgatam. Manus leprosa Hebræos significabat veluti lepra infectos, squalidos, & afflictos. Eadem manus sanitati restituta eosdem Hebræos adumbrabat in libertatem redactos. His duobus tertium Dominus apposuit: *Hauri* (ait) *aquam fluminis, & in terram effunde*, protinus *in sanguinem conuertetur*; Ostendebat hoc tertium signum, Deum aquis rubri maris occisuram Ægyptios, quemadmodum Pharao aquis fluminis Nili occidit infantes Hebræorum. Conuersio enim aquæ in sanguinem, necem indicat Ægyptiorum. *Nunquid Moses fecit hoc miraculum in solitudine illa, in qua loquebatur cum Deo?* Ita sibi persuasit Iosephus lib. 2. antiquit. Iussus, inquit, Moses aquam è propinquo haustam humi effundere, videt eam in colorem sanguineum versam, &c. Existimat Mosem non ex Nilo, sed ex aliquo loco propinquo aquam hausisse, quã verteret in sanguinem. Philo arbitratur hoc signum non esse factum à Mose in solitudine: Tertium (ait) prodigium, neque circumferre secum, neque prædiscere potuit Moses, quod Ægypto seruabatur, &c. Hoc probabilius est. ait enim Dominus: *Sume aquam fluminis*, id est, Nili; in solitudine verò illa non erat Nilus. Duo

Moses dat Deus potestatẽ miracula faciẽdi corã populo, vt illi fidẽ habeat.

Virga in colubrum conuersa significatio.

Iosephus.

Philo.

A reliqua miracula effecta sunt in solitudine, in rebus, quæ in promptu erant, videlicet virga, & manu Mosis. Tertium non est effectum, quia non erat in promptu aqua Nili, in qua erat efciendum, reseruatumque est Ægypto, & factum coram Hebræis. Si in solitudine esset patratum, Scriptura id indicasset, quemadmodum de duobus reliquis indicauit.

Obsecro Domine, non sum eloquens.

Aliud impedimentum opponit Moses suæ legationi ad Pharaonem. Domine, inquit, legatum oportet esse eloquentem, ego autem *non* 5
B *sum eloquens*; non sum ergo idoneus huic legationi, siquidem *impeditioris linguæ sum, & tardioris.* Quæritur, *an Moses eloquentia caruerit, fuerit que impeditæ, & tardæ linguæ*? Quòd enim eloquẽs fuerit, & expeditæ linguæ videtur probare verba D. Stephani Act. 7. *Erat*, inquit, *Moses potens in verbis, & in operibus suis.* Potens in verbis non dicitur homo carens eloquentia, & impeditæ linguæ; ergo Moses eloquens fuit, & linguæ expeditæ. Ex Hebræo si verbum reddamus verbo, sic vertemus: *Obsecro Domine: Non vir verborum ego sum, etiam ab heri, etiã à nudiustertius, etiam ex nunc, quo locutus es ad seruum tuum; quia grauis ore, & grauis lingua sum.* LXX. vertunt: *Gracili voce, & tarda lingua ego sum.*

Act. 7.

An Moyses non fuerit eloquens.

C Hebræi nonnulli aiunt, Mosem impiditam habuisse linguam, eo quòd ore prunas ardentes excepisset, quæ linguæ extremam partem combusserant. Cùm enim infans, vt supra dictũ est cap. 10. diadema à Pharaone sibi impositum ex capite deiecisset, & pedibus conculcasset; ex consilio sapientis cuiusdam prunæ ori eius sunt appositæ, vt si eas ore exciperet, factum illud tribueretur infantili inscitiæ, & innocens censeretur. Si verò eas repelleret, sciens, & prudens fecisse crederetur, ac puniretur. At figmentum videtur. Aliquorum opinio est, Mosem eloquẽ- 6
D tem fuisse; postquam verò cum Deo cœpit loqui, ex comparatione Dei, visum sibi esse indisertum, & infacundum: Origen. homil. 3. in Exod. Donec, inquit, esset Moses in Ægypto, & eruditetur omni sapientia Ægyptiorum, non erat gracili voce, nec tardus lingua, nec profitetur se esse ineloquentem. Erat enim, quantum ad Ægyptios, & sonoræ vocis, & eloquentiæ incomparabilis. Vbi autem cœpit audire vocem Dei, & eloquia diuina suscipere, tunc sensit exilem, & gracilem vocem, tardamque, & impeditam esse intelligit linguam suã. Tunc se pronuntiat mutum, cùm cœpit agnoscere verum illud *Verbum*, quod *erat in principio apud Deum.* D. Greg. homil. 8. in Ezechielem sic legit:
E *Obsecro Domine, non sum eloquens ab heri, & nudiustertius. Ex quo enim locutus es ad seruum tuũ, impeditioris, & tardioris linguæ sum.* Deinde hæc addit, ac si apertè Moses diceret: postquam à te verba vitæ audio, confusum me in verbis prioribus agnosco, &c. Hugo Victor. sic exponit: *Non sum eloquens, ab heri, & nudiustertius*; nõ sum eloquens in comparatione Dei, &c. Rupertus hoc pacto: Antequam loquereris ad seruum tuum, videbar mihi eloquens, & velocis linguæ, & expeditæ; nunc autem ex quo loqui cœpisti, & occulta sapientiæ tuæ manifestare mihi, hoc de

Vade sit ortũ impedimentũ linguæ Mosis.

Origen.

Moses ex cõparatione Dei visus est sibi infacundus.

D. Gregor.

Hugo Vict.

Rupert.

de me didici, & sensi, quòd eloquens non sim, A neque tam expeditæ linguæ, vt ea, quæ nunc agenda intelligo, dignè valeam coram hominibus eloqui. Sic ille. idem Rupertus existimat, colloquium Dei cum Mose tribus diebus durasse; Claret, inquit, quia cuncta hæc non vno die dicta, vel acta sunt, ex eo videlicet, quòd ait Moses, *ab heri, & nudiustertius.* Idem putat Hugo Victorinus: Nota, inquit, quòd per interualla temporis loquebatur Deus ad Mosem, &c. Seu probabilius est, vno eodemque die expletum colloquium. Philo hac de re sic scribit: Deprecabatur Moses logationis functionẽ, causatus exilitatem vocis, & linguæ tarditatem, neganſque sibi adesse facundiam, præsertim B postquam Deum audierat loquentem. Ratus enim mutam esse humanam eloquentiam cum diuina veritate collatam, & verecundo præditus ingenio, subtrahebat se grauiori, vt putabat, viribus suis oneri, rogabatque, vt alius magis idoneus eligeretur. Sic ille. Consentit sententia hæc Origenis, & aliorum, cum nostra versione, quæ est huiusmodi: *Obsecro Domine, non sum eloquens, ab heri, & nudiustertius*, hoc est, à tempore antecedente, sic Genes. 31. *Animaduertit Iacob faciem Laban, quòd nõ esset erga se, sicut heri, & nudiustertius*, hoc est, sicut tempore antecedente. Exod. 21. *Si bos cornupeta fuerit ab heri, & nudiustertius.* id est, à tempore præterito. Addit Moses: *Et ex quo locutus es ad seruum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ sum*, id est, postquam locutus es mecum, impeditiorem, & tardiorem linguam habere me existimo, si te attendo. *Nunquid tanta verborũ copia vtebatur angelus cum Mose loquens, vt eius cõparatione videretur sibi indisertus Moses, & impeditæ linguæ*? Dici potest, angelum non esse vsum eloquentia; Mosem verò non contulisse eloquentiam suam cum eloquentia, qua angelus vtebatur; sed cum eloquentia, quam in Deo esse nouerat. Sed rectiùs potest responderi, hæc verba: *Postquã locutus es mecum, sum linguæ impeditioris, & tardioris*: esse dicta à Mose perterrito visione. Timor enim videtur impediuisse, & tardam illius linguam reddidisse. Lege Dan. 10. D. Greg. legit: *Non sum eloquens ab heri, & nudiustertius; ex quo enim locutus es ad seruum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ sum.* Quæ versio manifestè significat, Mosem impedimentum linguæ contraxisse ex colloquio Dei.

Quot diebus duraverit colloquium Dei cum Mose ex rubo.

Hugo Vict.

Philo.

Exod. 21.

Daniel. 10.

D. Gregor.

7 Alij volunt, Mosem aliquod linguæ naturale impedimentum habuisse: quam sententiam confirmat lectio Hebræa, sic enim habet: *Non sum vir verborum, etiã ab heri, etiam à nudiustertius, etiam ex nunc, quo locutus es ad seruum tuum; quia grauis ore, & grauis lingua sum.* Hoc est, non sum vir verborum copia abundans, atque hæc infacundia non est in me noua; sed ab heri, & nudiustertius, id est, à multo tempore antecedente; & est adhuc in me, postquam mecum E locutus es; quoniam graue os habeo, & grauem linguam, hoc est, non expeditam, & promptam ad loquendum. Eundem sensum efficit versio LXX. interpretum: *Non sum idoneus ante hesternam, neque ante nudiustertianam diem, neque ex quo cœpisti loqui famulo tuo: Gracili voce, & tarda lingua ego sum.* Paraphrasis quoque Chaldaica: *Non vir sermonum ego sum, etiam ab heri, nudiustertius; sed & à tempore, quo locutus es cum seruo tuo; quoniam grauis loquela, profundæque linguæ ego sum.* Nostra versio in hanc sententiam explicari sic

An Moses habuerit aliquod naturale linguæ impedimentum?

8 potest: *Non sum eloquens ab heri, & nudiustertius*, A id est, à tempore præcedente, & ex quo locutus es ad seruum tuũ, non sum eloquens. Nã impeditioris & tardioris linguæ sum; naturale habeo linguæ impedimentum. Comparatiua illa, *impeditioris, & tardioris*, pro positiuis sumuntur, *impeditæ, & tardæ linguæ sum.* Vtraque opinio videtur probabilis. Theodoretus concedit, habuisse Mosem exilem vocem, & tardiorem linguam; & causam reddit: Cùm Deus (inquit) vsurus esset ministerio Mosis, cur eum exilis vocis, & tardioris linguæ fecit? Quoniam istud potentiam Dei magis illustrabat. Quemadmodum enim piscatores, prædicatores veritatis creauit; sic per vocem infirmam, & linguam tardam confudit sapientes Ægypti, &c. At verò linguæ Mosis impedimentum, ipsi legationis aduersabatur prædicationi. Præterea Deus impedimentum Apostolorum sustulit; id est, imperitiam, & ignorantiam per aduentum spiritus; ergo si Moses impedimentum habuisset, abstulit et illud.

Theodoret.

Crediderim, Mosem nullum linguæ vitium naturale habuisse. Quod confirmatur, quia ideo illum pulcherrimum Deus effecit, vt à filia Regis eius pulchitudine illecta in filium adoptaretur: Non igitur impedimentum linguæ naturale habuit: id enim si habuisset, à filia Regis fuisset repulsus, velut indignus, qui filius eius vocaretur. Adde à D. Stephano appellari *potentem in verbis*; quis autem appellet potentem in verbis, hominem linguam habentem impeditam, ac tardam, qui ab auditoribus contemni solet, non verò audiri? Obseruandum est, Mosem quadraginta annorum spatio traduxisse vitam in terra Madian; hoc longo tem- *Moses ait se tardam & impeditam habere linguã, ad proferenda verba Ægyptiacã.*
pore aliqua ex parte linguam Ægyptiacam oblitus est: timebat præterea, ne illam inelegan- C
ter proferret. Hoc igitur vitium est, quod ille Deo opponit his verbis: *Non sum eloquens*: videlicet lingua Ægyptiaca, quæ necessaria est ad hãc legationem ad Pharaonem Ægypti regem; quia ipsam aliqua ex parte obliuioni mandaui, *ab heri, & nudiustertius*, id est, à tempore antecedente multorum annorum, quibus vixi in terra D Madian: *& ex quo locutus es ad seruum tuum*, id est, vsque ad hanc horam, vel tempus, quo mecum loqueris, non sum eloquens: *impeditioris, & tardioris linguæ sum*, ad loquendum lingua Ægyptiaca, quam sum oblitus, quamque lingua Madianitica inquinaui. Ad hanc verò legationem is legatus est necessarius, qui Ægyptiaca lingua sit eloquens. Fortè Chaldæus hanc sententiam est secutus, cùm sic vertit; *Grauis loquela, profundæque linguæ ego sum*, id est, linguæ sum barbaræ, Madianiticæ. Nam barbara lingua *profunda* dicitur Ezechiel. 3. *Non ad populum profundi sermonis, & ignotæ linguæ tu mitteris.* Huius opinionis meminit Hugo Victor. in Exod. Qui- *Hugo Vict.*
dam (inquit) dicunt, Mosem propterea non esse E eloquentem, quia diu moratus fuerat in terra Madian; vnde oblitus erat aliquantulum linguæ Ægyptiacæ. Aaron autem semper in Ægypto morabatur, quare datur Mosi interpres ad Pharaonem. Sic ille. Obiicitur, *Mosem* Exod. 6. *appellare se incircũcisum labiis: En*, inquit, *incircũcisus labiis sum, quomodo audiet me Pharao*? Respondetur, Mosem appellare se incircumcisum labiis, quia lingua Ægyptiaca inquinatè loquebatur; inquinauerat enim illam Madianitica.

Ezech. 3.

Quis

Quis fecit os hominis?

9 Reſpondet Dominus Moſi, eloquentiam ſe poſſe ipſi tribuere: *Quis*, inquit, *fecit os hominis, quis fabricatus eſt mutum, & ſurdum, videntem, & cæcum? Nónne ego?* Si ego os hominis creaui, ſi mutum hominem, & ſurdum, videntem ac cæcum feci; potero hominem rudem, & omni eloquentia carentem, facere eloquentem. Perge ergo ad Pharaonem, ego virum verborum te faciam, & eloquentem lingua Ægyptiaca neceſſaria ad legationem; ero in ore tuo, & verba tibi ſuggeram, quæ loquaris lingua expedita.

Mitte, quem miſſurus es.

Moſes alium mitti poſtulat ad liberandũ populum.

10 Cùm videret Moſes, nihil ponderis habere impedimenta, quæ oppoſuerat legationi, ad preces ſe conuertit, poſtulatque, vt mittatur alius: *Obſecro*, inquit, *Domine, mitte quem miſſurus es.* hoc eſt, mitte alium, qualem te decet mittere, ad hoc munus idoneum. Chaldæus ſic vertit: *Obſecro Domine, mitte nunc per manum illius, qui dignus eſt; vt mittatur.* LXX. ſic: *Obſecro Domine, elige alium potentem, quem mittes.* Hebraicè ad verbũ ita legitur; *Obſecro Domine, mitte nunc in manu, mittes.* Eſt ſenſus; mitte Domine nunc *in manu*, id eſt, per manum, per operam, & miniſterium; *mittes*, id eſt, quem mittes, quem miſſurus es, quem mittere debes. Lyranus putat, Moſem his verbis petiuiſſe, vt mitteretur Aaron frater eius, quia eloquens erat, & ſenior. Multi patres arbitrantur poſtulaſſe, vt mitteretur Meſſias, quem Deus miſſurus erat. Sic arbitratur Iuſtinus, Tertull. Cyprian. & Euſeb. aduerſus Iudæos, & Baſilius Iſai. 6. & Rupert. in Exod.

Cur Moſes recuſarit onus.

11 Quæritur, *cur Moſes tantopere recuſarit onus?* Reſpondet Rupertus, vt eo recuſante Meſſias mitteretur: Tandem, inquit, nobis aperuit Moſes, quid vellet, & quò tenderet toties excuſando ſe: *Mitte*, inquit, *quem miſſurus es.* Quem enim erat Dominus miſſurus, cùm hæc diceret, niſi illum, qui miſſus eſt? id eſt, *Meſſiam.* Theodoretus cauſam fuiſſe ait timorem Pharaonis, eadem eſt ſententia Diodor. & D. Baſilius Iſai. 6. Moſes, inquit, cognoſcens cauſam, cur mitteretur, extrahebat tempus deprecando, & recuſando: reſpiciens videlicet ſuperbum, & peruicax, & inexorabile cor Pharaonis, contumax ingenium, & inſtabilem animum, & duram ceruicem Hebræorum, ideo dicebat: *Quis ego ſum, vt vadam ad Pharaonem?* Et de Hebræis: *Non credent mihi, neque audient.* Sic D. Baſilius. D. Gregor. lib. 35. moral. cap. 13. cauſam vult fuiſſe humilitatem: Quia, inquit, apud ſe mente humilis Moſes extitit; oblatam protinus tanti regiminis gloriam expauit, moxque ad infirmitatis patrocinium recurrit, dicens; *Obſecro Domine, non ſum eloquens.* & ſe poſtpoſito alium depoſcit, dicens; *Mitte, quem miſſurus es.* Sic ille. Forſitan amor ſolitudinis Moſem retinebat, & vitæ contemplatricis. Nolebat ſe perturbationibus immiſcere, quales poſtea expertus eſt.

Chriſti deſiderium. — *Moſis humilitas.* — *Solitariæ vitæ amor.*

Iratus eſt Dominus.

12 Cùm Moſes nondum à Deo impoſitum onus vellet ſuſcipere, *iratus eſt Dominus*, ſed non magnopere; ſociumque illi legationis dedit eloquentem, fratrem Aaronem. *Ipſe*, inquit, *loquetur pro te ad populũ, & erit os tuum: tu autem eris ei in his, quæ ad Deum pertinent.* Iuſſit deinde virgã, ſiue baculum portare ad facienda miracula. Rupertus iratum Deum interpretatur, quia Moſi ad poſtulata non reſpondit; & quia noluit Moſis deſiderium explere, & Meſſiam mittere vel tempus aduentus aperire: Multum, inquit, Deus iraſci viſus eſt, quia tenerum eius pietatis deſiderium valde afflixit in eo, quod ad poſtulata non reſpondit. Nimirum præ ira humano generi debita, Chriſtum ſuum differens, de illo ſiluit, & alia pro aliis dixit. Iratus itaque Moſi, id eſt, non ita propitius ei fuit, vt non differret implere deſiderium obſecrantis, & dicentis; *Mitte, quem miſſurus es*, vt ſaltem diceret ei: mittam poſt tot annos, vel illo tempore. Sic Rupertus.

Rupert. Chriſti deſiderio affligebatur Moſes vehementer.

Tulit ergo Moſes vxorem, & filios.

Moſes in Ægyptum proficiſcitur cum vxore, & filiis.

13 Dato ſocio Aarone, acquieuit Domino Moſes abiitque domum, & petita à ſocero facultate, cum filiis duobus, & vxore Sephora profectus eſt in Ægyptum. Cùm verò in diuerſorio quodam eſſet, ſubitò apparuit ei angelus, gerens Dei perſonam, volebatque eum occidere. Dubitatur, *quænam cauſa fuerit, cur vellet angelus Moſem occidere?* Nonnulli (vt Theodoretus ait) cauſam fuiſſe tradunt, quòd, cùm ad liberãdum populum miſſus eſſet, tulerit ſecum vxorem, quæ impedimento eſſe poterat, & filios. Huius ſententiæ eſt Euſebius in catena Lippomani: Propterea, inquit, angelus Moſem volebat interficere, quòd ſecum vxorem, ac liberos ferret; quaſi egreſſionem ex Ægypto non crederet, ſed auditis angeli comminationibus, ad ſocerum illam remiſit, &c. Theodoretus arbitratur, angelum mortem intentaſſe Moſi, vt timorem Pharaonis animo pelleret, timore Dei. Quia Moſes, inquit, Pharaonem formidabat, idcirco ſupplicium illi angelus comminatur, timore timorem expellens, minorem maiori; ac ſi diceret; Pharaonem times? magis me time, qui nemine cernente plagam tibi facilè inferre poſſum. Hæc ille. Item Diodorus in catena: Hoc (ait) ea de cauſa factum eſt, vt Moſes tanquam ab angelo interficiendus, mortis ſuæ diſcrimen, quod euaſerat, ſecum in mente circumferret; & timor vehemens, quem illi angelus incuſſerat, Pharaonis timorem, vt clauus clauum, truderet, &c.

Cur Angelus voluerit Moſem occidere in diuerſorio. — *Theodor.* — *Timor mundi timore Dei repellitur.*

Propter filium incircũciſum voluit angelus occidere Moſem.

14 Vera cauſa fuit filius incircumciſus; quam Sephora vxor intellexit: Vbi filium circumcidit, angelus Moſem liberum reliquit. Obiicies, *vtrumque filium nõ fuiſſe circumciſum; Angelum vero vno tanto circumciſo abiiſſe.* Reſpondetur, alterum fuiſſe circumciſum; minorem verò natu non fuiſſe. Quæres, *cur Moſes vir optimus filiũ non circumciderit?* Reſpondet Thargum Ieroſolym. Moſem voluiſſe circumcidere filium, ſocerum verò non permiſiſſe; vel fortè prohibebat vxor; fortè ægrotauerat infans, & negilgentia aliqua interuenerat, propter quam angelus Moſi minabatur necem. Dubitatur, *quónam modo angelus voluerit occidere Moſem?* Rabbi Dauid ait morbo affectum graui. Probabilius exiſtimat Theodoretus, diſtricto gladio viſum angelũ, & Moſem inuaſiſſe. Intellexit Sephora cauſam intentatæ necis eſſe, quòd filius non eſſet circumciſus, arreptaque petra acutiſſima confeſtim illi præputium abſcidit, abſciſſumque ad pedes Moſis proiecit, eoque illos tetigit, dolore ſaucia, dicens: *Sponſus ſanguinum tu mihi es*, id eſt, es mihi ſponſus, ſiue vir, qui me cogis filij mei ſanguinem effundere, vt te morti eripiam; ſanguine filij mei vitam tuam emi hodie. Sequitur, *& dimiſit eum*, hoc eſt, poſt circumciſum infantem, dimiſit angelus Moſem, nihilque mali illi intulit. Rupertus, Lyranus, & Gloſſa interlin. aliter interpretantur hunc in modum: *& dimiſit eum*, id eſt, Sephora vxor dimiſit Moſem, & reuerſa eſt ex itinere ad patrem ſuum cum filiis. Reuerſam autem eſſe ad patrem, ſcribitur Exod. 18. Sed verbum Hebræum, *iyrepho*, maſculini generis eſt, ideoque ad angelum, non ad Sephoram referendum eſt. Præterea verbum ipſum Hebræum, *rapha*, ſignificat *laxare*, & angelo congruit, qui laxauit Moſem in anguſtias redactum. Ad hæc, Sephora non dimiſit Moſem irata, vel exterrita, ſed ab eo dimiſſa eſt; Cap. enim 18. citato ſic legitur: *Moſem dimiſiſſe vxorem Sephoram, & duos filios*, quo loco non eſt verbum *rapha*, ſed *ſalach*, quod *mittere* ſignificat. Quo autem ex loco miſerit, non conſtat, forte ex hoc loco illam cum filiis remiſit ad patrem.

Quomodo angelus apparuerit ad interficiendum Moſem? Sephora præputio filij ſui tetigit pedes Moſis. — *Vxor Moſis reuerſa eſt ad patrem ſuum, cum duobus filiis.*

Tetigit pedes eius.

Cuiuſnam pedes tetigerit Sephora. Lyranus. Caietan.

15 Dubium eſt, *de quónam tactu ſint exponenda hæc verba.* Lyranus de tactu ſanguinis intelligit: Tetigit (inquit) Sephora pedes eius, id eſt, filij ſui circumciſi; ad cuius pedes manauit ſanguis ex inciſione, &c. Caietanus ait, Sephoram ad pedes angeli procidiſſe orantem, ne Moſem occideret; atque ita interpretatur; *Tetigit pedes eius*, id eſt, angeli Sephora. LXX. interpretes fauent huic interpretationi; ſic enim vertunt, *procidit ad pedes ipſius.* Chaldæus paraphraſtes cenſuit, Sephoram ad pedes angeli proſtratam, præputium obtuliſſe, quod abſciderat, vt illum placaret. Sic ille transfert: *Amputauit Sephora præputium filij ſui; & obtulit coram eo*, id eſt, angelo, dicens: *Propter ſanguinem circumciſionis iſtius, detur ſponſus meus mihi.* Rupertus ait, Sephoram tetigiſſe pedes Moſis, id eſt, ſupplicaſſe illi, vt dimitteretur, vnde ſequitur: *& dimiſit eum*; probabilior cæteris explanatio eſt ſupra poſita; *Tetigit Sephora præputio filij pedes Moſis.* Præputium in eum iniecit, qui cauſa fuerat circumciſionis, & ſanguinis effuſionis; & dixit ei: *Sponſus ſanguinum tu mihi es*, vt eſt explicatum.

Chaldæus. — *Rupert.* — *Explanatio probabilior cæteris.*

Vade in occurſum Moſi.

Aaron occurrit fratri ſuo. Veniunt ad populum, & ſigna facit Moſes.

16 Dixerat Dominus daturum ſe Moſi ſocium Aaronem, qui tunc in Ægypto erat. Iuſſit ergo illi, vt Moſi reuertenti in Ægyptum occurreret; quod libenter fecit. Peruenit vſque ad montem Sinai, fratremque magna cum beneuolentia, & gaudio ibi excepit. Poſtquam in Ægyptũ venerunt, cunctos ſeniores ex filiis Iſraël congregarunt; quæ Moſi dixerat Deus, expoſuit Aaron; Moſes miracula fecit coram populo tria, quæ Deus facere iuſſerat. Virgam conuertit in colubrum; apprehenditque illum cauda; & conuerſus eſt in virgam. Miſit manum ſuam in ſinum, & ex ſinu leproſam protulit: rurſus leproſam in ſinum miſit, ſanamque & mundam extraxit; tandem aquam Nili fluminis in ſanguinem commutauit. Credidit populus, pronique Deum adorauerunt Iſraëlitæ omnes, & gratias egerunt.

Sebaſt. Barradas Itiner. Iſraëlit.

CAPVT XVIII.

MORALE.

Moſes ire recuſat ad Pharaonem.

Virga conuerſa eſt in colubrum.

1 PERCVTIT nos Deus aliquando non magnis plagis; tunc autem virga in draconem conuertitur, cùm graui ſupplicio afficimur. Percuſſit Deus Ægyptios initio plagis leuioribus; creuerunt plagæ vſque ad necem primogenitorum. Tandem conuerſa eſt virga in ſerpentem, deuorauitque Pharaonem, illiuſque exercitum in mari rubro. Nónne virga Dei tunc conuerſa eſt in colubrum, cùm totum terrarum orbem diluuij aquis obruit, omneſque homines, relicto in Arca modico ſeminario, morte affecit? Nónne tunc in ſerpentem eſt commutata, cùm Sodomitas, cæteroſque nefando ſcelere contaminatos, igne è cælo miſſo inflammauit? Nónne vides virgam Dei in ſerpentem, imò in ſerpentes verſam, Num. 21. cùm Dominus ignitos in populum ſerpentes immiſit? Matth. 23. *Implete* (ait Dominus) *menſuram patrum veſtrorum, vt veniat ſuper vos omnis ſanguis, qui effuſus eſt ſuper terram.* Impleuerunt menſuram Iſraëlitæ peccatorum; impleuit Deus menſuram iræ ſuæ; virga conuerſa eſt in colubrum: per Romanorum exercitum illorum Rempublicam omnino deleuit: denique tunc maximè virga Dei vertitur in draconem, cùm homo in Orcum præcipitatur, qui Dei ſuppliciis, & beneficiis ductus, ad meliorem ſe frugem noluit recipere. *Virgam vigilantem videt* Ierem. cap. 1. *& ollam ſuccenſam.* Vigilat enim Dei ira ad peccata debito afficienda ſupplicio, flagitioſoſque homines in ollam illam horribilem, æterno ſuccenſam igne, id eſt, in tartarum præcipitandos. Conuerſus eſt coluber Moſis in virgam; at draco, id eſt, tartarus, numquam conuertetur. Poſtquam enim ſemel virga Dei in ſerpentem ſtygium commutatur; æternus ſerpens eſt, non recipit mutationem. Cùm afficimur virgæ percuſſionibus, ad Deum conuertamur, ne virga Dei in colubrum conuertatur.

Virga Dei in draconem conuertitur, cùm grauiter punit. — *Num. 21. Matth. 23.* — *Ierem. 1. Vigilat Dei ira. De tartareo ſupplicio.*

Virga Dei adumbrat crucem.

2 Ad hæc virga Dei crucem adumbrabat; fragile quidem lignum erat virga illa, ſed in ſerpentem verſa, dracones deuorauit Magorum. Sic crux fragile erat lignum; ſed aduerſus tartareos principes draco fuit, draconeſque eorum, id eſt, peccata, deuorauit.

Virga impij iudicis vertitur in draconem.

3 Virga quoque iudicis impij conuertitur in colubrum; cùm iudex eſt auarus, vitiiſque aliis, & rapinis mancipatus. Tunc enim illius virga, non eſt virga, ſed coluber ſæuus. Proiecit Moſes virgam in terram, & verſa eſt in colubrum; ſimilem in modum, ſi iudex proiiciat in terram, id eſt, terrena com-

commoda, terrenasque cupiditates virgam suam, in serpentem illa commutabitur. Videat huiusmodi iudex, quod vidit Ieremias, *virgam vigilantem & ollam succensam*. Videat virgam Dei super virgam omnium iudicum vigilantem, & omnium opera expendentem, videat præterea ollam bullientem, id est, tartareos rogos sibi paratos, tunc colubrum in virgam vigilantem conuertet, quæ commodis subditorum, non detrimentis inuigilet, floresque, & fructum pariat operum bonorum, sicut virga Aaron Numer. 17.

Ierem. 1. Super virgas iudicum Deus inuigilat, & eorum opera expendit.

4 Manum intulit in sinum Moses, leprosamque protulit: eandem iterum in sinum immisit, B lepraque omni expurgatam eduxit. Inferat manum in sinum suum, id est, conscientiam suam peccator, leprosam proferet: id est, opera sua perscrutetur, multa peccata reperiet si doleat, & contritione, ac confessione peccata deleat, mittatque iterum in sinum manum, ab omni lepra emundatam emittet. Mittamus sæpe manum in sinum nostrum, id est, conscientiam; si lepra ibi aliqua lateat inuestigemus; mittimus autem manum in conscientiam, cùm opera, cogitationes, verbaque nostra, in mentem reuocamus, & qualia sint expendimus. Hoc consulit D. Chrysostomus Psal. 4. Ne prius (inquit) dormieris, o homo, quàm mente versaueris, quæ à te interdiu perperam acta sunt, & C sequenti eris omnino tardior ad ea ipsa rursus aggredienda. Repetunt domini à famulis rationem pecuniæ; sic nos oportet exigere ab anima rationem operum, cogitationum, & verborum. Chrysost. eodem Psal. Quod facis in pecunia, nec finis, vt duo dies prætereant, quin cum famulo rationem ineas, ne confusionem inducat obliuio; hoc etiam fac in actionibus, singulis diebus vesperi, ab anima rationem exige. Sic ille.

Infertur manus in sinum, cum conscientiam perscrutamur.

Quid sit, manum in conscientiam mittere.

D. Chrysost.

Examen conscientia.

Post adeptam manus, id est, operum, sanitatem, *aquæ vertuntur in sanguinem*; quod est magnę salutis signum, hoc est, mundi huius dulces voluptates in amaritudinem transmutantur homini sano. Aquæ enim mundi adumbrant voluptates: sanguis autem potari non potest. Sanguinis instar sunt omnes mundi deliciæ homini Deum amanti, potare eas nequit. Præterea manus Mosis leprosa, hominum leprosa opera, leprososque animos indicat: eadem sanitati reddita homines significat per Christum sanatos. Significat etiam manus in sinũ missa, otiositatem. Otiosus & piger homo manũ in sinum mittit, fitque leprosa; quia multis flagitiis otiosus & piger completur, qui manum suam ad laborem, & virtutis actiones non profert. Quòd si manum ex sinu ad opera proferat, discedit vitiorum lepra. Prouerb. 19. *Abscondit piger manum suam sub ascella, nec ad os suũ applicat eam.* Ille manum sub ascella, vel in sinu abscondit, qui laborem fugit; manum autem *non applicat ad os suum*, quia cibum nec corpori quærit, neque animo; egestateque opprimitur tam corporis, quàm animæ. Prouerb. 6. *Vsquequo piger dormies? veniet tibi quasi viator egestas, & paupertas quasi vir armatus.* At verò is, qui manum ex sinu profert, bonis corporalibus, & spiritalibus abundat, vnde sequitur eodẽ cap. *Si impiger fueris, veniet vt fons messis tua, & egestas longè fugiet à te.* Fugit egestas, & lepra eos, qui manum ex sinu extrahunt, & magno conatu virtuti operam nauant: eos autem opprimit, qui manum in sinum

Aqua in sanguinem versa quid indicet. Mundi delitiæ amanti Deum sunt instar sanguinis.

Prou. 19.

Prou. 6.

A mittunt, leprosa est manus in sinum missa; sana est manus ex sinu ad laborem producta.

6 Recusauit Moses honorem magnum, quem Deus tribuebat, sicque recusauit, vt iram prouocaret Dei. pauci sunt qui recusent honores, siue onera honorata; multi sunt qui ad ea currant, humerorum suorum imbecillitatem minimè attendentes, vnde illud D. Bernardi epist. 42. Curritur ad Ecclesiasticas curas, tanquam sine curis iam quisque victurus sit, cùm ad curas peruenerit, &c. D. Greg. 1. par. pastoral. cap. 7. Moses (inquit) suadente Domino trepidat, & infirmus quisque, vt honoris onus suscipiat, anhelat, & qui ad casum valde vrgetur ex propriis, humerum libenter opprimendum oneribus submittit alienis. Quæ egit ferre non valet; & auget quæ portat. Sic Gregor. Oneris grauitatem ponderabat Moses, & humerorum suorum imbecillitatem; ideo dicebat Exod. 3. *Quis sum ego, vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Israël de Ægypto?* Quasi dicat, grauissimum pondus habet hæc missio Domine, impar est meis viribus. Audit à Deo: *Ego ero tecum*, ego tibi vires suppeditabo ad ferendum tantum onus; neque acquiescit. Accipit potestatem ad facienda miracula, eloquentiam sibi deesse opponit: *Non sum eloquens; impeditioris, & tardioris linguæ sum. Obsecro Domine, mitte, quem missurus es.* Vtinam Mosem ij imitarentur, qui ad Reipublicæ dignitates anhelant; vtinam & vires suas, & suscipienda onera, rectè ponderarent. Aquilæ (vt scribit Plinius lib. 10.) rapta non protinus ferunt, sed primò deponunt; expertæque pondus, tunc demum abeunt. Hoc facit aquila, quid par est facere hominem? vires suas ponderant aquilæ, ad ferendum onus: homines verò cæco impetu ambitionis, & cupiditatis ducti nec vires suas metiuntur, neque dignitatum grauitatem attendunt. Cùm facilius sit descendere, quàm ascendere, illi quod difficilius est, eligunt; quod facilius est, reiiciunt. O peruersitas (ait Bernardus sermone 2. de Ascensione) filiorum Adami! quia, cùm ascendere difficillimum sit, descendere autem facillimum, ipsi & leuiter ascendunt, & difficiliùs descendunt parati ad honores, & celsitudines graduum Ecclesiasticorum, ipsis etiam angelicis humeris formidandos.

D. Bernard.

D. Gregor. Honores non sunt ambiendi.

Exod. 3.

Plinius.

Exemplum aquilarum.

D. Bernard.

7 Egregium nobis præbet documentum D. Gregor. lib. 35. Moral. cap. 13. ex facto Mosis depromptum; nimirum vt cùm res prosperæ imperantur, nihil ex suo habeat obedientia nostra; & cùm imperantur res aduersa, ex voluntate habeat multum: Debet, inquit, obedientia & in aduersis ex suo aliquid habere, E & in prosperis nihil omnino ex suo habere. Quatenus & in aduersis tanto sit gloriosior, quantò diuino ordini, etiam ex desiderio iungitur: & in prosperis tanto sit verior, quantò à præsenti gloria, quam diuinitus percipit, funditus ex animo separatur. Moses ad prospera de suo nihil habet, quia precibus renititur, ne Israëliticæ plebi præferatur. Idem D. Gregor. 1. par. pastoral. cap. 7. Moses, inquit, præesse populo Hebræo & noluit, & obediuit. superbus enim fortasse fuisset, si ductum plebis innumeræ sine trepidatione suscepisset: & rursus superbus extitisset, si autoris imperio obedire recusasset. Vtrobique ergo humilis, vtrobique subiectus, & præesse popu-

D. Gregor. Quomodo obedientia in prosperis & aduersis sit exhibenda.

populis semetipsum metiendo inoluit; & tamen de imperantis Dei viribus præsumendo, consensit lege, quæ diximus supra cap. 13. & cap. 17. de causis, cur Moses abnuerit onus suscipere.

8 Socium dat Mosi Dominus fratrem Aaronem. Nam vt scriptum est Prou. 18. *Frater, qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firmæ.* Et Eccles. 4. *Melius est, duos esse simul, quàm vnum; habent enim emolumentũ societatis suæ, si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli, quia cum ceciderit, non habet subleuantem se; funiculus triplex difficile rumpitur.* Vtilissima est probi, & prudentis viri societas; munit enim hominem, ac firmat in virtute, sicut ciuitatem muniunt muri: si verò ceciderit, à B probo socio fulcitur, & à casu sustollitur. Væ illi, qui solus est, & probo socio caret; quoniam si cecideret, socium non habet, à quo subleuetur. Quemadmodum funiculus triplex difficilè rũpitur; sic difficilè rumpitur proborum hominum societas: difficilè, inquam, irrumpitur, & rumpitur à tentationibus, & peccatis: difficilè etiam rumpitur ipsa societas, hoc est, difficilè dissoluitur; constans perseuerat charitas inter eos, & permanet. Luc. 10. *Binos misit Dominus discipulos*, non solos & sine socio illos misit: sic etiam binos misit ad populum Hebræum, & Pharaonem, Mosem, & Aaronem. Fratres duos misit, vt indicaret magnam oportere esse fraternitatem, & consensionem in rebus agendis. Idcirco enim & exercitus aliquando, & victoriæ, & negotia, quæ à multis aguntur, vel detrimentum magnum accipiunt, vel omnino pereunt; quia ij, qui ea agunt, concordia, & intellectu fratres non sunt. Amos 3. *Nunquid ambulabunt duo pariter nisi conuenerit eis?* Ambulare non possunt duo, vel aliquid bene agere, nisi eorum voluntates consentiant. Si dux à duce dissentiat, si milites à duce, prosperum exitum habere non potest bellum.

Prou. 18. Eccles. 4. Societas proborum.

Luca 10.

Seruanda cõcordia in rebus agendis.

Amos 3.

9 *Vadam, & reuertar ad fratres meos in Ægyptum*, ait Moses socero suo, *vt videam si adhuc viuant.* Non aperuit Moses socero, quid in deserto vidisset, arcana Dei occultauit; non dixit, vidisse se Deum in rubo, ab eoque iussum proficisci in Ægyptum, vt educeret Israelitas in terram repromissionis; quæ signa in virga, & manu facta fuerant, tacuit; facultatem solùm petiuit reuertendi in Ægyptum, & inuisendi fratres suos, post quadraginta annos. Hinc collige, arcanas reuelationes non esse temerè manifestandas. Considera præterea, quàm humilem ducem mittat Dominus ad euertendam Ægypti potentiam. Exod. 4. *Tulit Moses vxorem suam, & filios suos, & imposuit eos super asinũ, reuersusque est in Ægyptum.* Ecce currus, ecce equites, ecce armatum exercitum, quem Dominus ad profligandum Pharaonem mittit. Sed vide, quid addatur: *Portans virgam Dei in manu sua.* Videlicet, satis virga vna erat, quam portabat Moses ad flagellandum veluti puerum insensatum, impium Regem. Virga erat, sed virga Dei, quæ in draconem conuersa Pharaonem, eiusque exercitũ deuorauit. Iud. 7. *Gedeon pane subcinericio, & hordeaceo* adumbratur, qui in castra Madianitarũ volui, tabernaculumque subuertere videbatur. Quis vnquam vidit, panc tabernacula, exercitumque hostium prosterni? Omnipotentiæ Dei est hoc per ea quæ imbecilla sunt ea profligat, quæ sunt fortia: per Gedeonem Madianitas, per Mosem Ægyptios, veluti per duos panes hordeaceos subuertit: per Apostolos, homines imbecillos, mundum superat.

Deus infirma eligit, vt confundat fortia.

Illud non est prætereũdum, minari Deum, & percutere, vt mores corrigamus. Minatus est Mosi, & districto gladio mortem intentauit. Vbi præcepto circuncisionis obsecutus est, gladium in vaginam reduxit: sic nobis minatur, distringitque gladium; si tamen mores emendamus, vagina recondit. D. Hieron. Ezech. 14. Manus, inquit, Dei extenta minatur plagas; nolente qui eam extendit, & subleuat, peccantes percutere, sed extensione terrere, & territos conseruare. Thren. *Non humiliauit ex corde.* id C est, non affligit Deus homines ex corde, sed peccatis quodammodo coactus. Sap. 1. *Deus moriẽ non fecit, neque lætatur in perditione viuorum.* Vt nõ pereant viui, ideo eos punit, & virga ad se reducit, Psal. 77. *Cũ occideret eos, quærebant eum, & reuertebantur, & diluculo veniebant ad eum.* Pœna enim hominem redire facit ad Deum, & diluculo ad eum festinanter reuerti. Non curant improbi peccata sua, post tergum ea reiiciunt: vt curent, vt ante oculos ea ponant, vitamque corrigant, Deus minatur, gladiumque distringit. Egregiè ait D. Gregor. lib. 25. Moral. cap. 9. Nunquam culpam suam reprobi, nisi in pœna cognoscunt. Item: Quia pœna differtur, culpa D despicitur. Magnum ergo beneficium est Dei punitio, ne quia pœna differtur, culpa despiciatur, sed in pœna ipsa, culpa ab impio cognoscatur. His adde, Deum voluisse Mosem interficere, quia filium incircuncisum ad populum Hebræum ferebat, vt exemplum illud malum tolleret, ne esset offendiculo Israelitis. Ad hæc qui seruos habet, & filios, aut famulos, diligenter curet, vt circuncidant vitia, ne pœnas ipse luat negligentiæ.

10 *Minatur Deus, vt mores corrigamus.*

D. Hieron.

Deus coactis homines punit. Thren. 3.

Sapient. 1.

Psalm. 77. pœna hominem reducit ad Deum.

D. Gregor. Improbi culpam in pœna cognoscunt.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

Moses, & Aaron ad Pharaonem ingrediuntur, & Dei mandatum nuntiant.

EXODI CAP. V.

1 POst hæc ingressi sunt Moses, & Aaron, & dixerunt Pharaoni; hæc dicit Dominus Deus Israël: Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi in deserto. At ille respondit: Quis est Dominus, vt audiam vocem eius, & dimittam Israël, nescio Dominum, & Israël non dimittam. Dixeruntque: Deus Hebræorum vocauit nos, vt eamus viam trium dierum in solitudinem, & sacrificemus Domino Deo nostro, ne fortè accidat nobis pestis aut gladius. Ait ad eos Rex Ægypti: Quare Moses, & Aaron solicitatis populum ab operibus suis? Ite ad onera vestra. Dixitque Pharao: multus est populus terrę, videtis quòd turba succreuerit: quanto magis si dederitis eis requiem ab operibus? Præcepit ergo in die illo præfectis operum, & exactoribus populi, dicens: nequaquam vltra dabitis paleas populo ad conficiẽdos lateres, sicut priùs, sed ipsi vadant, & colligant stipulas, & mensuram laterum, quàm priùs faciebant, imponetis super eos, nec minuetis quidquam. Vacant enim, & idcirco vociferantur, dicentes: eamus, & sacrificemus Deo nostro. Opprimantur operibus, & expleant ea, vt non acquiescant verbis mendacibus.

2 Igitur egressi præfecti operum, & exactores ad populum dixerunt: sic dicit Pharao: Non do vobis paleas: ite, & colligite sicubi inuenire poteritis: nec minuetur quidquã de opere vestro. Dispersusque est populus, per omnem terram Ægypti ad colligendas paleas; præfecti quoque operum instabant, dicentes: complete opus vestrum quotidie, vt priùs facere solebatis, quando dabantur vobis paleæ. Flagellatique sunt qui præerant operibus filiorum Israël, ab exactoribus Pharaonis dicentibus: quare non impletis mensuram laterum, sicut priùs, nec heri, nec hodie? Veneruntque præpositi filiorum Israël, & vociferati sunt ad Pharaonem, dicentes: cur ita agis contra seruos tuos? Paleæ non dantur nobis, & lateres similiter imperantur: en famuli tui flagellis cędimur, & iniustè agitur contra populum tuum. Qui ait: vacatis otio, & idcirco dicitis: eamus, & sacrificemus Domino. Ite ergo & operamini: paleæ non dabuntur vobis, & reddetis consuetum numerum laterum. Videbantque se præpositi filiorum Israël in malo, eo quòd diceretur eis: Non minuetur quidquam de lateribus per singulos dies. Occurreruntque Mosi, & Aaron, qui stabant ex aduerso, egredientibus à Pharaone, & dixerunt ad eos: videat Dominus, & iudicet, quoniam fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone, & seruis eius, & præbuistis ei gladiũ, vt occideret nos. Reuersusque est Moses ad Dominũ, & ait: Domine, cur afflixisti populum istum? quare misisti me? Ex eo enim quo ingressus sum ad Pharaonem, vt loquerer in nomine tuo, afflixit populum tuum, & non liberasti eos.

3 *Moses Dei mandatum Pharaoni nũtiat de dimittendo populo.*

POstquam Moses in Ægyptum peruenit, simul cum Aarone fratre, Pharaonis regiam petiuit, eique Dei mandatum nunciauit, quod huiusmodi erat: *Hæc dicit Dominus Deus Israël,* (Hebraicè: hæc dicit *Iehoua Elohe*) *dimitte populum meum, vt sacrificet mihi in deserto.* Extat autẽ hoc præceptum à Deo datum Mosi Exod. 3. *Ingredieris,* inquit, *tu, & seniores Israël ad Regem Ægypti, & dices ad eum: Dominus Deus Hebræorũ vocauit nos, ibimus viam trium dierum in solitudinẽ, vt immolemus Domino Deo nostro.* Respõdit Pharao: *Quis est Dominus?* (Hebraicè; *Quis est Iehoua*) *vt*

Exod. 3.

A *audiã vocem eius, & dimittam Israël? Nescio Dominum* (Hebraicè, *nescio Iehoua,*) *& Israël non dimittam.* Hæc ille. At Moses & Aaron rursus mandatũ protulerunt: *Deus Hebræorũ vocauit nos, vt eamus viam trium dierum in solitudinem, & sacrificemus Domino Deo nostro, ne fortè accidat nobis pestis, aut gladius.*

Pharao non vult populum dimittere.

4 *An seniores simul cũ Mose, & Aarone ad Pharaonẽ iuerint.*

Dubium primum hoc loco est, *an Moses tantum, & Aaron Pharaonem adierint, an adierint etiã seniores.* Respondetur, adiisse etiam seniores; sic enim præcepit Deus, Exod. 3. *Ingredieris tu, & seniores Israël ad Regem Ægypti.* Hoc capite quin-

quinto id omissum est. Sic opinatur Lyranus. Abulensis putat non iuisse seniores, quia præceptum illud datum est Mosi, antequam illi daretur socius Aaron. Postquam datus est socius Aaron, cessauit præceptum de comitatu seniorum. Caietan. vtramque responsionem adhibet.

5 *An Pharaoni fuerit notum nomẽ Iehoua.*

Dubium secundum, *an Pharaoni fuerit notum nomen* Iehoua? Respondetur, non fuisse notum, vt ipsemet testatur: *Quis,* inquit, *est Iehoua:* Item: *Nescio Iehoua.* Cur igitur *Moses, & Aaron nomine ignoto Dei vsi sunt?* Respondetur, quia ex consequentibus intelligere Rex poterat, nomen illud esse Dei Hebræorum, additur enim *Elohe,* quod erat notum Pharaoni; pręterea, quia Deus B in verbis præcepti illo nomine vsus fuerat: *Dices,* inquit, *ad Pharaonem: Iehoua Deus Hebræorum vocauit nos.* poteratque Regi id manifestare. Vide quæ cap. 6. Exod. dicuntur ad illa verba: *Nomen meum Adonai non indicaui eis.* Responderi etiam potest, Aaronem lingua Ægyptiaca loquutum esse, Deumque non appellasse Iehoua, sed nomine alio illa lingua verum Deum significante; Mosem autem cùm scriberet Exodum Hebræa lingua, Ægyptiacæ linguæ nomine omisso, nomen *Iehoua* Hebræum vsurpasse. Forsitan Pharao ab Hebræis ipsis didicerat, nomen Dei, quem colebant, esse Iehoua. Respondit autem Pharao; *Quis est Deus, & nescio Deũ,* de Deo Hebræorum loquens in hunc sensum; Quis est C Deus vester? nescio Deum vestrum: alios Deos colo, Israël non dimittam.

Exod. 6.

6 *Quis fuerit hic Pharao.*

Dubium tertium est, *quisnam fuerit hic Pharao, quem adiit Moses, & Aaron?* Respondetur, omnes Reges Ægypti, vt Eusebius in chronico docet, Pharaones esse nominatos; quemadmodum Romanorum Imperatores omnes dicuntur Cęsares; idem ait Iosephus lib. 8. antiquit. cap. 6. quo loco addit nomen hoc (*Pharao*) lingua Ægyptiaca significare Regem.

Pharao significat Regem.

7 Hic autem Pharao, cum quo Moses agit quique tandem maris rubri aquis demersus est, non est Pharao ille Amenophis, siue Amenoptes, cuius filia Mosem adoptauit. Erat enim Moses infans, cùm ille regnaret, nunc verò an- D norum erat 80. Fuit Amenoptes Rex septimus ex dynastia Politanorum, vt Eusebius scribit. Vndecimus fuit Pharao Cenchres; hunc, ait Eusebius, mari rubro obrutum. Hic ergo est Pharao, cum quo Moses, & Aaron agunt. Iosephus lib. 1. contra Appionem Themusim ait, Regem fuisse, quando Hebræi ex Ægypto sunt egressi. Ex Iustino in orat. parænetica ad Gentes colligitur, appellatum fuisse Amasim.

Pharao Cenchres mari rubro obrutus.

8 *Cur Moses viam trium dierum petierit.*

Dubium quartum est, *cur petierint Moses, & Aaron trium dierum spatium,* vt in desertum abiret populus ad immolandum Deo, cùm populus nunquam esset reuersurus in Ægyptum, sed in terram repromissionis abiturus? Respondetur, id petiuisse, quod facilius erat; id tacuis- E se, quod erat difficilius, vt Pharaoni facilius esset postulatum concedere, videlicet, ire viam trium dierum ad immolandum Domino. Caietanus autem sic obseruat: Non interuenit, inquit, hîc mendacium, sed silentium integrę veritatis. Ituri enim erant itinere trium dierum, & longiore etiã itinere; sed hoc tacuerunt sacrificaturi Deo, ituri erant, & hoc dixerunt. Sic ille.

Res paruæ facilius conceduntur, quàm magnæ.

Caietan.

Sebast. Barradas Itiner. Israëlit.

A *Quare solicitatis populum ab operibus suis? ite ad onera vestra.*

9 *Pharao mittit Mosem, & Aaronem ad opera.*

Arguit Pharao Mosem, & Aaronem, quòd Hebræos solicitarent, & ab operibus, quibus inseruiebant, auocarent ad sacrificium, & otiũ, iuberque illos ad onera sua abire, hoc est, ad opera perficienda illis imposita ab exactoribus. Caietanus arbitratur hæc verba, *ite ad onera vestra,* dicta senioribus populi, qui cum Mose, & Aarone fuerant ingressi ad Regem. Nam Mosem, & Aaronem putat liberos fuisse oneribus. Lyranus & Abulensis arbitrantur, à Pharaone missos fuisse ad opera. (neminem enim ille excipiebat) sed Hebræos eorum laborem in se recepisse, vt illi vacarent. Verumtamen puto illos opera sua confecisse, præbendi exempli causa, vt supra dictum est, lib. 1. cap. 6.

Exemplum maiorum.

Nequaquam vltra dabitis paleas populo.

Lateres ex luto faciebant Hebræi, permixtis paleis, vt firmarentur; has autem paleas Ægyptij dabant. Nunc Pharao, vt magis eos labore 10 conterat, negari iubet paleas, & ab Hebræis per agros Ægypti quæri; quod magnum fuit onus, cùm nihil de reliquis operibus remitteretur. *Complete* (inquiunt præfecti operum) *opus vestrum quotidie, vt prius facere solebatis, quando dabantur vobis paleæ.* Non valebant illi opus complere; dispergebãtur enim per agros, in quibus messis fuerat, ad colligendas paleas; idcirco Israëlitæ præfecti operũ flagellati sunt ab exactoribus Regis. Conquesti verò sunt apud Pharaonẽ, sed ille nihil de solito opere diminuit, dicens: *Vacatis otio, & idcirco dicitis; Eamus, & sacrificemus Domino, paleæ non dabuntur vobis; & reddetis consuetũ numerum laterũ.* Præterea cùm occurrissent Mosi, & Aaroni à Pharaone egrediẽtibus, cum illis expostulauerunt his verbis: *Videat Dominus, & iudicet quoniã fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone, & seruis eius, & præbuistis ei gladium, vt occideret nos.* Hoc est, hoc vestro nuntio, quod attulistis ad Pharaonem de D populo dimittendo, Regem ad iram in nos prouocastis odoremque nostrum fœtere coram illo fecistis, ita vt veluti rem fœtidam nos execretur, & abiiciat; gladium illi præbuistis, quo nos interficiat. Hic enim nuntius instar gladij erit. *Fœtere coram aliquo,* idem est, quod veluti fœtidam rem displicere, abiici, & execrabilem esse, ac molestam: cõtra *bonum odorem efflare,* est placere, oblectare, bonam famam habere, iuxta illud 2. Cor. 2. *Christi bonus odor sumus.* Moses Israelitarum cernens afflictionem, ad Deum conuersus cum eo expostulauit animo humili; *Domine,* inquiens, *cur afflixisti populum istum, quare misisti me?*

Negantur paleæ Hebræis, & distinguũtur, vt eas colligant, & præfecti flagellantur.

Conquerũtur Hebræi de Mose, & Aarone.

2. Corint. 2.

E

CAPVT II.

MORALE.

Moses, & Aaron Pharaoni mandatum nunciant.

Vt eamus viam trium dierum.

1 DEI mandatum datum Hebræis hoc erat; *Vocauit nos Dominus, vt eamus viam trium dierum in solitudinem, & sacrificemus Domino*

 Deo

Deo nostro. Vocat Deus eos, qui in peccatis veluti in Ægypto sub Pharaone, id est, sub diabolo, vitam traducunt, iubet, vt Ægyptum, Pharaonisq; imperium relinquant, & in desertum abeant, viam trium dierum. Prima dies est contritio, secunda dies confessio, tertia satisfactio. Post viam trium dierum confectam in deserto, ab omnibus criminibus expurgati, sacrificio Domini assistunt, & suauissimo epulo sanctissimæ Eucharistiæ excipiũtur. Origen. hom. 3. in Exod. Exeũdum (inquit) nobis est de Ægypto, relinquendus est mundus, si volumus Domino seruire. Relinquẽdus autem mundus, dico, non loco, sed animo; non itinere proficiscendo, sed fide proficiendo, &c. Iden Origen. *viam trium dierum*, moraliter alio modo explicat, ita vt prima dies sit purificatio verborum, secunda purificatio operum, tertia purificatio cogitationum. Qui enim verba, opera, & cogitationes purificat, is mundus est. Tridui iter (ait Origen.) de Ægypto proficiscimur, si purificantes in nobis dicta, facta, vel cogitata, (tria sunt enim hęc, per quæ homines peccare possunt) efficiamur mundi corde, vt possimus Deum videre, &c. Hæc trium dierum via ne conficiatur, dat operam diabolus, Origenes: Non vult, inquit, satanas longè à se fieri populum Dei, si non in facto, vult eum in sermone, vult in cogitatione delinquere; nõ vult, vt totum à se triduum proficiscantur; vult in nobis vel vnum diem suum habere, in aliis duos, in aliis totum triduum ipse possidet: sed illi beati, qui integrum triduum ab eo secedunt. Sic Origen.

Quæ sit moraliter via triũ dierum. — *Origen.* — *Origenes docet, quæ sit via trium dierum.* — *Diabolus conatur impedire viam triũ dierum. Origenes.*

Nescio Dominum, & Israël non dimittam.

2 Superbè respondet Pharao, & Domini præcepto parere non vult, sed nesciebat Dei Hebræorum potentiam, ideoque respondit: *Nescio Dominum, & Israel non dimittam.* Postquã Dei potentiam sciuit, maximisque affectus plagis illam expertus est, tunc præcepto obtemperauit, & Israëlitas inuitus dimisit. Nesciebat Dominum; plagis indicauit Deus, se esse Dominum. Sic Ezech. 6. plagis se esse Dominum indicat: *Scietis, quia ego Dominus, cũ fuerint interfecti vestri in medio idolorũ vestrorũ, in circuitu ararum vestrarũ, in omni colle excelso.* Et cap. 22. *Scietis, quia ego Dominus, cùm effuderim indignationem meam super vos.* Et cap. 35. *Vrbes tuas demoliar, & tu desertus eris, & scies, quia ego Dominus.* Psalmo 82. *Imple facies eorum ignominia, & quærẽt nomen tuum Domine.* Item: *Erubescant, & conturbẽtur in sæculum sæculi, & confundantur, & pereant, & cognoscant, quia nomen tibi Dominus.* Tunc homines impij oculos aperiunt ad agnoscendum Dominum, cùm eorum facies ignominia, & eorum corpora suppliciis implet. Oculos enim quos culpa claudit, pœna aperit. Tobiæ oculos hirundinum stercus clausit, fel verò amarum aperuit: eundem in modum impiorum oculos caducarum rerum stercus claudit, amarum verò supplicij fel aperit, vt cognoscant Deum. Dan. 4. vocem ex cęlo huiusmodi audiuit Nabuchodonosor: *Regnum tuum transibit a te, fœnum quasi bos comedes, & septem tempora mutabũtur super te, donec scias, quòd dominetur excelsus in regno hominũ, & cuicunque voluerit, det illud. Eadẽ hora sermo cõpletus est super Nabuchodonosor.* Euenerunt hæc Nabuchodonosori, & cognouit Dominum, aperuitque oculos pœna, quos clauserat superbia. Ex pœna etiam illata cuidam superbissimo Regi Ægypti, qui superbissimè insano dicebat ore: *Ego me ipsum feci*, Ezechielis 29. cognouerunt Ægyptij Dominũ: *Hæc dicit Dominus Deus: Ecce ego ad te, Pharao Rex Ægypti, draco magne, qui cubas in medio fluminũ tuorũ, & dicis: Meus est fluuius, & ego feci memet ipsum.* Deinde suppliciũ prædicit: *Bestiis terræ, & volatilibus cœli dedi te, ad deuorandũ.* Addit: *Et scient omnes habitatores Ægypti, quia ego Dominus.* Diuitiæ, potentia, principatus, honores, inflant hominem eousque, vt se Deum faciat, Deumque verum non agnoscat. Ideò Salomon rogat Dominũ, Prouerb. 30. *Diuitias ne dederis mihi, ne forte satiatus illiciar ad negandum, dicam: Quis est Dominus?* D. Bernard. epist. 237. Homo cùm in honore esset, non intellexit, quia honor absorbuit intellectum, &c. Absorbet honor, & potentia intellectum, & ita absorbet, vt dicat homunculus: *Ego feci memet ipsum.* Prou. 1. *Prosperitas stultorum perdet illos*, eò eos deducit, vt Deum nescire videantur.

Ezech. 6. — *Ezech. 22.* — *Ezech. 35.* — *Supplicia indicat Deus improbis se esse Dominum.* — *Psal. 82.* — *Tobiæ 2.* — *Daniel. 4.* — *Ezech. 29.* — *Prou. 30.* — *D. Bernard. Honor, & potentia absorbent intellectum.* — *Prou. 1.*

3 Summopere necessarium est Regi, & principibus, Reique publicæ gubernatoribus, Deum scire, ac venerari; si enim Reipublicæ capita cæca sint, cæcus quoque erit populus; & si cæcus cæcum duxerit, ambo in foueam cadent. *Et nunc Reges intelligite*, cernite, ne sitis cæci (ait vates Psalmo 2.) *erudimini, qui iudicatis terrã, seruite Domino in timore, & exultate ei cũ tremore, apprehendite disciplinã, ne quando irascatur Dominus, & pereatis de via iusta.* A Regibus intelligentiam postulat, vt Deum sciant, eiusque potentiam, & maiestatem agnoscant. Qui enim Deum scit, & intelligit, seruit illi cum timore, & tremore, apprehenditque disciplinam, id est, legis doctrinam, ne ab irato Domino æternis afficiatur tormentis. Regum, & principum ingens gloria est, scire Deum, fideque magna, & Dei cognitione præcellere: eorundem verò ignominia magna est, ac dedecus, Deum nescire, hæreses amplecti, atque tueri, Ierem. 9. *Hæc dicit Dominus: Non glorietur sapiẽs in sapientia sua, & non glorietur fortis in fortitudine sua, & non glorietur diues in diuitiis suis, sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire, & nosse me, quia ego sum Dominus, qui facio misericordiam, & iudicium, & iustitiam in terra, &c.*

Psalm. 2. — *Deũ scire est regum gloria.* — *Ierem. 9.*

Quare Moses, & Aaron solicitatis populum ab operibus suis?

4 Psalmo 80. *Manus eius in cophino seruierunt;* Israëlitici populi opera lateres erant ex luto, portabant autem lutum, & lateres in cophinis; ideò dicuntur manus eorum in cophinis seruiisse. Eundem in modum manus improborum hominum, qui in Ægypto, id est, peccato, sub Pharaone tartareo vitam agunt, in cophino, luteisque, & sordidis mundi operibus seruiunt. Ab iis operibus ne auellantur, cauet Pharao tartareus, nõ vult auerti populum suum ab operibus immũdis. *Quare* (ait Pharao tartareus) *solicitatis populũ ab operibus suis.* O cõcionatores, confessarij, Ecclesiæq; rectores, quare solicitatis plebem meam, quare opera, quibus vacat, relinquere suadetis? quietè sub mea potestate vitam traducunt, cur illos à suis operibus auertitis, ac perturbatis? Luc. 11. *Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quæ possidet.* Cùm satanas in potestate habet homines, in pace omni bello peiore degunt; hanc fœdissimam pacem interrumpi non vult Pharao stygius. Simile illud est 1. Reg. 26. Somnum capiebat Saul in tentorio; Dauid verò extra tentorium clamabat voce intenta. At Abner: *Quis, inquit, es tu, qui clamas, & inquietas Regem?* eundem in modum concionatores clamant, vt homines sub potestate diaboli dormientes excitent: at Abner tartareus impedire nititur; non vult clamoribus inquietari in pace dormientes.

Psalm. 80. — *Peccatores Pharaoni, id est, dæmoni seruiunt, in sordium, & luti operibus.* — *Luca 11.*

Diabolus non vult solicitari homines ad deserendum lutum, & sordes mundi. — *1. Reg. 26.*

5 Lege D. Cyrillum lib. 1. de adorat. Nónne, inquit, ô Palladi, verissimum esse dices, vbi cœperit quis diaboli iugum excutere, vacareque, & cognoscere eum, qui verè est Dominus, tum fore, vt diabolus in huiusmodi negotio, ocium, ac studium, tanquam impietatem quandam, nobis vitio vertat, & insurgat, immaniterque cogat, vt carnali vitæ, & sæculi curis adhæreamus? &c. Item: Simul ac cupiditas nos excitauit laudabilis ad ea amplectenda, quæ Deo placẽt; diabolus nos ad ea, quæ nocent, peiùs impellit. Eripit tamen Deus, & liberat; itaque ait ad Mosem: *Vade, dic filiis Israël: Ego Dominus, & educam vos de potestate Ægyptiorum.* Sic Cyrillus.

D. Cyrill. Diabolus grauius tẽtat eos qui Ægyptũ volunt relinquere.

6 Quemadmodum Deus Mosem, & Aaronem misit, vt Israëlitas ex potestate eriperent Pharaonis; sic concionatores, confessarios, Ecclesiæque gubernatores mittit, vt homines eripiant ex potestate satanæ. Non destiterunt illi ab incœpto, quousque, quod aggressi erent, perficerent, populumque in libertatem vendicarent: sic non desistant ab incœpto hi, donec id, quod cœperunt, ad finem optatum perducant, Orcique iugum, ex ceruicibus hominum repellant. Clament, impiorum conscientias stimulent, à diabolo corda hominum auertant, & in Deum conuertant. Magnum illum Paulum imitentur, cuius hæc extant verba, Act. 20. *Nec facio animam meam pretiosiorem quàm me, dummodo consummẽ cursum meũ, & ministerium verbi, quod accepi à Domino Iesu.* Item: *Vigilate*, inquit, *memoria retinentes, quoniam per triennium nocte, & die non cessaui cum lacrymis monens vnũquemque vestrũm.* Item: *Vos scitis, quomodo nihil subtraxerim vtilium, quò minus annũtiarem vobis, & docerem vos publicè, & per domos.* Nónne cernis Pauli ardorem in excutiendo iugo satanæ à ceruicibus hominum? Ardorem eundem in aliis Apostolis considera, quos Deus in totum terrarum orbem misit, vt ex imperio stygij Pharaonis mortales liberarent. Obsistebant Pharao, & Ægyptij, id est, sacerdotes, & scribæ, Act. 4. *Vocantes eos denuntiauerunt, ne omnino loquerentur, neque docerent in nomine Iesu.* Nunquid destiterunt ab incœpto? Addit Lucas: *Petrus verò, & Ioannes respondentes dixerunt ad eos: Si iustum est in conspectu Dei vos potius audire, quàm Deum, iudicate. Non enim possumus quæ vidimus, & audiuimus, non loqui.* Pharaones illi dicebant: *Quare solicitatis populum ab operibus suis?* At Apostoli responderunt: Via ibimus, qua ire cœpimus, Deo, qui nos misit, obtemperabimus; dimittite populum, vt seruiat Christo.

Prælati, cõcionatores, & cæteri mittũtur vt populum educant ex Ægypto, nullis cedãt difficultatibus. — *Act. 20.* — *Actor. 4.*

Dispersus est populus per vniuersam terram Ægypti ad colligendas paleas.

7 Disperguntur homines per vniuersam terram ad colligendas paleas, cùm ad quærenda caduca bona totum terrarum orbem circumeunt. paleis enim similes sunt diuitiæ, cęteraque bona huiusmodi. Ex his tamen paleis triticũm nascitur, cùm in eleemosynas impenduntur, & bona alia opera. Oseæ 4. *Quasi vacca lasciuiens declinauit Israël.* LXX. interpretes vertunt: *Sicut vacca œstro percussa, insaniuit Israël.* Est autem *Oestrus*, vt Theodoretus ait, muscæ genus, quolibet stimulo vehementiùs boues exagitãs: sic diuitiarum cupiditas homines stimulat, & veluti boues œstro percussos exagitat, perque totum terrarum orbem dispergit. Qui autem diuitiarum caret cupiditate, in pace dormit, & requiescit, Genes. 25. *Factus est Esau vir gnarus venandi, & homo agricola: Iacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis.* similem in modum sunt multi similes Esau, qui venationi diuitiarum, honorum, voluptatumque student, per terram, corpore, animoque dispersi. Alij verò similes sunt Iacob, simplices, vnum summum quærentes bonum, habitantque, & requiescunt in tabernaculo, & corde suo. Lege Aug. & Chrysost. Psal. 4. ad illa verba: *A fructu frumenti, vini, & olei sui multiplicati sunt. In pace in idipsum dormiam, & requiescam.*

Paleis similes sunt diuitiæ. — *Oseæ 4.* — *Theodor.* — *Disperguntur homines per orbẽ ad colligẽdas paleas, id est, diuitias.* — *Genes. 25.* — *Psal. 4.*

8 Bernardus serm. 34. ex paruis ser. ait, significari paleis leues cogitationes, & diaboli tentationes, quæ facilè & incenduntur, si negligentes sumus, & extinguuntur, si vigilemus. A Pharaone (ait Bernardus) dantur paleæ, id est, leues cogitationes. Palearum est leuiter accendere, & in momento consumi: sic & malæ cogitationes à diabolo immissæ, citò in mentibus nostris accenduntur, sed si viriliter studeamus resistere, Deo iuuante, protinus extinguuntur, &c. Palearum, id est, leuium cogitationum ignem, ne negligas; si enim neglexeris, ignis fiet totius domus, id est, totius animæ. D. Gregor. lib. 1. Regum cap. 15. ad illa verba: *Percute Amalec, & demolire vniuersa eius.* Quid (inquit) est libido, nisi ignis? & quid de carne & mente exortæ virtutes, nisi flores? Quid item turpes cogitationes, nisi paleæ? quis etiam nesciat, quia si in paleis ignis negligẽter extinguitur, ex parua scintilla, quæ remanet, omnes paleæ accenduntur? Qui ergo virtutum flores in mente non vult exurere; ita debet libidinis ignem extinguere, vt per tenuem scintillam nunquam possit ardere; carnalium etiam cogitationum stipulas auferat ne dum is, qui extingui non potest, calor naturalis accenditur, virores virtutum, qui per se accendi nequeunt, quasi per admixtas paleas exurãtur. Sic Gregorius. Significat etiam *palea* occasionem peccati, vt indicauit sanctus ille Presbyter, qui, vt scribit idem D. Greg. lib. 4. dialog. cap. 11. cùm in extremo esset spiritu, fœminam ad se prope accedentem his verbis repulit: Recede à me mulier, adhuc igniculus viuit, paleam tolle, &c. Pharao paleas vult nos quærere, id est, peccandi occasiones, Exod. 5. *Dispersus est populus ad colligendas paleas.* Dispergit nos diabolus per terram Ægypti, id est, mundi, ad colligendas peccandi occasiones. Qui enim mentem, sensusque colligere non curãt, multas inueniunt paleas. Ignis verò, quibus accendantur, non deest.

D. Bernard. — *Paleis significantur cogitationes.* — *D. Greg. 1. Reg. 15.* — *Palea significant occasiones peccati.* — *D. Gregor.* — *Exod. 5.*

9 De operibus captiuorum, qui sub Pharaonis, id est, dæmonis iugo sunt, agit D. Cyril. li. 1. de adoratione, versus medium libri: Principes (inquit) sæculi, vbi sub ditionem suam hominum animos ceperint, in luto, ac lateritiis operibus,

D. Cyril.

Operaeorum, qui Pharaonis tartarei serui sunt. *D. Bernard.*

iis (inquam) quæ in terra, & circa terram sunt, eos conterunt, & ad laboriosas, inutilesque occupationes distentos, ærumnis plenam, & acerbam vitam degere cogunt, &c. Et D. Bernard. serm. 34. citato, ait: Sub iugo Pharaonis fiunt lutea opera, id est, dissoluta, & sordida, &c. Quid sordidius libidine, auaritia, superbia, inuidia, furto? Hæc seruorum Pharaonis sunt opera lutea, atque sordida: ipsi quoque serui lutum sunt sordidissimum, in quo immundus Pharao velut sus volutatur. Illud deplorandum valde, quòd aliquando aurum conuertatur in lutum, id est, quòd viri probi auro similes, commutentur in viros improbos, similes luto, iuxta illud Iob 41. *Sternet tibi aurum quasi lutum.* Tartareus porcus aurum conuertit in lutum, eique incubat. D. Gregorius in hæc verba: Quia, inquit, Leuiathan, id est, diabolus, multos, qui fulgore iustitiæ splendere videbantur, sibi subiicit, ideò aurum sibi quasi lutum sternere dicitur. &c.

In lutum cõuertitur aurũ aliquando, id est, probi. *Iob 41.*

D. Gregor.

Domine, cur afflixisti populum istum?

10 Cùm Hebræi Ægyptum deserere moliuntur, tunc à Pharaone grauiùs afflíguntur: eundem in modum, qui peccato, mundoque nuntium remittunt, à diabolo grauius tentantur. D. Bernard. serm. 18. de conuersione ad clericos: Quotidianis, inquit, discimus experimẽtis, eos, qui conuerti ad Deum deliberant, tentari acrius à concupiscentia carnis, & vrgeri grauius in operibus luti & laterum, qui Ægyptum egredi, & Pharaonis imperium effugere moliuntur, &c. Et D. Gregor, lib. 29. moral cap. 14. Post illuminationem, inquit, diuini numinis, tentationis certamen augetur, &c. Item: Hostis, quos iustitiæ luce splendescere conspicit, eorum mentes illicitis desideriis inflammare contendit, vt plerumque plus se vrgeri tentationibus tunc sentiant, quàm cùm lucis internæ radios non videbant, &c. Hinc illud Eccles. 2. *Fili, accedens ad seruitutem Dei sta in iustitia & timore, & præparа animam tuam ad tentationẽ.* Orig. hom. 3. Certum (inquit) est, quia antequã sermo Dei audiatur, antequam prædicatio diuina nascatur, non est tentatio. Quia nisi buccinet tuba, non committitur bellum, vbi verò signũ belli, tuba prædicationis ostenderit, ibi tribulationum turba consurgit, &c.

D. Bernard. Qui mundo nuntium remittunt, & peccato, eos diabolus tentationibus conatur ad se trahere. *D. Greg.*

Eccles. 2.

Origen.

11 Sed caueat miles, ne armis abiectis terga vertat, stet intrepidus; Deus enim adiutor eius est, tentationesque ita moderatur, vt, si velit, tentatus omnes possit vincere, iuxta illud Pauli

A 1. Cor. 10. *Fidelis Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cũ tentatione prouentũ, vt possitis sustinere.* D. Greg. loco citato: Spiritus sancti, inquit, gratia, cùm luce sua mentes nostras irridiat, etiã diaboli tentationes dispensando modificat, vt simul multæ non veniant, aut ipsæ tantùm, quæ ferri possunt, illustratam iam à Deo animam tangant, vt cùm tactus sui ardore nos cruciant, perfectionis incendio non exurant, &c. Lib. 2. Dialogor. cap. 2. ait Petrus: Laboriosum est valde, atque terribile, contra inimici insidias semper tendere, & continuè quasi in acie stare. Respondet D. Gregor. Laboriosum nõ erit, si custodiam nostram, non nobis, sed gratiæ supernæ tribuimus, ita tamen, vt & ipsi, quantum possumus, sub protectione Dei vigilemus, &c. Audiamus Origen. hom. 3. Stemus, inquit, ante Pharaonem, id est, obsistamus ei in certamine, sicut Petrus dicit; *Cui resistite fortes in fide.* Si enim fortiter steterimus, consequetur illud, quod orabat Paulus pro discipulis, dicens: *Quia Deus conteret Satanã sub pedibus vestris velociter.* Quãto enim nos constantiùs, & fortiùs steterimus, tanto infirmior, & inualidior erit Pharao. Sic ille. & D. Greg. loco citato dialog. Si, inquit, hostis à mente cœperit expelli, ex diuina largitate plerumque agitur, vt non solùm iam timeri non debeat, sed ipse etiam bene viuentium virtute terreatur, &c. Tobiæ 6. *Exiuit Tobias, vt lauaret pedes suos, & ecce piscis immanis exiuit ad deuorandum eum, quem expauescens Tobias clamauit voce magna, dicens: Domine, inuadit me. & dixit ei angelus: apprehẽde brãchiam eius, & trahe eum ad te. quod cũ fecisset, attraxit eum in siccum, & palpitare cœpit ante pedes eius.* Idẽ nobis euenit, si abluere animi pedes, id est, affectus cupimus; immanis, tartareusque piscis exit ad deuorandũ nos, nosque inuadit. Audendum est, fortiter inuadendus ipse hostis, & velut branchia apprehendendus, trahendusque in siccum, incipietque immanitas illa, & terror ante nos palpitare. Seneca lib. 4. natur. quæst. de Crocodilis, qui in Nilo versantur, sic scribit: Fugax est animal Crocodilus audaci, audacissimum timido. Nec illos Tentyritæ generis, aut sanguinis proprietate superant, sed contemptu & temeritate. Vltro enim illos insequuntur, fugientesque iniecto trahunt laqueo, plerique pereunt, quibus minùs præsens animus ad persequendum fuit. Sic Seneca. Crocodilo similis est diabolus, fugax audaci, audax timidis. Iacob. 4. *Subditi, inquit, estote Deo; resistite autem diabolo, & fugiet à vobis.*

1. Cor. 10. Deus in tentationibus adiutor noster est. *D. Greg.*

Origenes.

Diaboli tentationibus resistendum.

Terretur hostis, si fortiter resistimus.

Tob. 6.

Seneca.

Iacob. 4.

CAPVT III.

An DEVS *nomen* IEHOVA *Patribus manifestauerit?*

EXODI CAP. VI.

DIxit Dominus ad Moysen: Nunc videbis, quæ facturus sum Pharaoni: per manum enim fortem dimittet eos, & in manu robusta eiiciet illos de terra sua. Locutusque est Dominus ad Moysen dicẽs: Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac, & Iacob in Deo omnipotente, & nomen meũ Adonai, non indicaui eis. Pepigique fœdus cum eis, vt darem illis terrã Chanaan, terram peregrinationis eorum, in qua fuerunt aduenæ. Ego audiui gemitum filiorum Israël, quo AEgyptii oppresserunt eos, & recordatus sum pacti mei. Ideo dic filiis Israël

Israël: Ego Dominus qui educam vos de ergastulo Ægyptiorum, & eruam de seruitute, ac redimam in brachio excelso, & iudiciis magnis. Et assumam vos mihi in populum, & ero vester Deus, & scietis quòd ego sum Dominus Deus vester, qui eduxerim vos de ergastulo Ægyptiorum, & induxerim vos in terram, super quam leuaui manum meam, vt darem eam Abraham, Isaac, & Iacob: daboque illam possidendam vobis, ego Dominus. Narrauit ergo Moyses omnia filiis Israël, qui non acquieuerunt ei, propter angustiam spiritus, & opus durissimum. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Ingredere & loquere ad Pharaonem Regem Ægypti, vt dimittat filios Israël de terra sua. Respondit Moyses coram Domino: Ecce filii Israël non audiunt me, & quomodo audiet Pharao, præsertim cùm incircuncisus sim labiis? locutusque est Dominus ad Moysen, & Aaron, & dedit mandatum ad filios Israël, & ad Pharaonem Regem Ægypti, vt educeret filios Israël de terra Ægypti.

2 Isti sunt principes domorum per familias suas. Filii Ruben primogeniti Israëlis. Henoch, & Phallu, Hesron, & Charmi. Hæ cognationes Ruben, filii Simeon, Iamuel, & Iamin, & Ahod, & Iachin, & Soar, & Saul filius Chananitidis: hæ progenies Simeon. Et hæc nomina filiorum Leui per cognationes suas, Gerson, & Caath, & Merari. Anni autem vitæ Leui fuerunt centum triginta septem. Filii Gerson: Lobni, & Semei per cognationes suas. Filii Caath, Amram, & Isaar, & Hebron, & Oziel. anni quoque vitæ Caath, centum triginta tres. Filii Merari: Meholi, & Musi: hæ cognationes Leui per familias suas. Accepit autem Amram vxorem Iochabed patruelem suam, quæ peperit ei Aaron, & Moysen, & Mariam; fueruntque anni vitæ Amram centum triginta septem. Filii quoque Isaar, Core, & Nepheg, & Zechri. Filii quoque Oziel, Misael & Elisaphan, & Sethri. Accepit autem Aaron vxorem Elisabeth filiam Aminadab, sororem Naason, quæ peperit ei Nadab, & Abiu, & Eleazar, & Ithamar. Filii quoque Core, Aser, & Elcana, & Abiasaph. hæ sunt cognationes Coritarum. At verò Eleazar filius Aaron, accepit vxorem de filiabus Phutiel, quæ peperit ei Phinees. Hi sunt principes familiarum Leuiticarum per cognationes suas. Iste est Aaron, & Moyses, quibus præcepit Dominus, vt educerent filios Israël de terra Ægypti per turmas suas; hi sunt qui loquuntur ad Pharaonem, Regem Ægypti, vt educant filios Israël de Ægypto. Iste est Moyses, & Aaron in die, qua loquutus est Dominus ad Moysen in terra Ægypti. Et locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Ego Dominus; loquere ad Pharaonem Regem Ægypti omnia, quæ ego loquor tibi; & ait Moyses coram Domino: en incircumcisus labiis sum, quomodo audiet me Pharao?

De filiis Leui, & Mose, & Aarone hic agitur.

Per manum fortem dimittet eos.

3 PHarao paleas Israëlitis negauit, nihil verò de operis penso minuit, & vt dicitur ca. 5. Exod. flagellati sunt præfecti Hebræi ab exactoribus Ægyptiis, quòd pensum non redderent, afflictusque populus: expostulauit cum Deo Moses; respondit Dominus, Pharaonem non nisi coactum diuina potentia dimissurum populum: se autem vi diuina effecturum, vt dimittat, imò eiiciat; *Per manum*, inquit, *fortem dimittet eos, & in manu robusta eiiciet illos de terra sua.* Per manum enim fortem Dei, & in manu robusta Dei, dimisit Pharao populum, diuina manu plagis admirandis affectus, quæ à sola Dei manu, & potentia effici potuerunt. Ait ergo Dominus Mosi: Ne miteris, si Pharao nolit dimittere populum. Nondum virgam tuam expertus est, non dimittet populum, nisi priùs acerrimè verberetur, iam videbis admirandas plagas, quas illi infligam.

Apparui Abraham, Isaac & Iacob in Deo omnipotente.

4 Apparuisse Deum his patribus perspicuum est ex Genesis libro. Cur dicatur *apparuisse in Deo omnipotente*, dubium est. Hebraicè legitur, *be el Sadai*, באל שדי *in Deo Sadai.* significat autem nomen שדי *omnipotentem*, vt vertit noster interpres. D. Hieronymus in epistola ad Marcellam, vertit *robustum*, & *sufficientem* ad omnia perpetranda. D. etiam Epiphanius hæresi 40. interpretatur *sufficientem.* Sufficiens autem ad omnia perpetranda omnipotens est. Duplicem sensum habere possunt verba hæc. Prior est: *Apparui patribus in Deo omnipotente.* hoc est, cùm illis apparebam, appellabam me *Sadai*, id est, omnipotentem. Nam Genes. 17. cùm apparuit Abrahã, sic fatur: *Ego Deus omnipotens:* Hebraicè, *el Sadai*, & Gen. 35. cùm apparuit Iacob: *Ego*, inquit, *Deus omnipotens*, Hebraicè, *el Sadai*, & cap. 28. Isaac sic alloquitur eundem Iacob: *Deus omnipotens benedicat tibi.* Hebraicè, *el Sadai.* Verùm cùm Deus apparens his patribus, sæpius se *Iehouah* appellauit; non videtur hic sensus verus. Est ergo posterior sensus: *Apparui patribus in Deo omnipotente.* hoc est, apparui illis Deus omnipotens, & sufficiens ad omnia facienda; idque illi cognouerunt.

Quid significet nomen Sadai.

D. Hieron.

D. Epiphan.

Genes. 17.

Genes. 35.

Genes. 28.

Et nomen meum Adonai non indicaui eis.

5 Difficile est explicare verba hæc. Hebraicè legitur: Nomen meum *Iehouah* non indicaui eis. Quia enim nomen *Iehoua* ineffabile erat, ideo pro illo nomen *Adonai* ponitur, quod significat *Dominum.* Quæstio est, *an Deus nomen suum* Iehouah, de quo supra diximus; *Abrahamo, Isaac, & Iacob indicauerit?* Paulus Burgensis additione 1. in Exod. respõderi posse existimat, Deum

An Deus indicauerit patribus nomen Iehoua. *Burgensis.*

Deum his patribus nomen *Iehoua*, neque secundùm vocem, neque secundùm significationem indicasse. Non inconuenienter, inquit, diceretur, quòd nomen tetragrammaton, etiam secundùm vocem non fuit patribus reuelatum, &c. Huius sententiæ videtur fuisse Iosephus lib.2.antiquit.cap.12. his verbis: Aperit Deus Mosi nomen suum, nunquam antea hominum vlli auditum, aut cognitum, &c. Scholiastes quoque Caietani Exod.6.& Iansenius Prouerb. 30.Nomen, inquit, illud, quod Deo quasi proprium erat, ac naturam eius vrcumque explicat, (id est, nomen Iehoua) & antiquis patribus incognitum fuit, iuxta illud Exod. 6. *Nomen meum Adonai non indicaui eis*; & post reuelationem eius Iudæis fuit ineffabile, &c.

Ioseph. *Iansen.* *Exod. 6.*

6 Sed probatur, patribus fuisse notum Iehoua. Nam Genes.4.de Enos dicitur: *Iste cœpit inuocare nomen Domini*. Hebraicè, nomen *Iehoua*, & Chaldæus vertit: Tunc incœperunt filij hominum *orare in nomine Domini Iehoua*. Ergo multo ante diluuium notum fuit hominibus nomen *Iehouah*, & iam ante diluuium ab hominibus proferebatur; neque erat ineffabile, sed postea reuerentiæ causa factum est ineffabile. Et quidem si fuisset ineffabile tempore Mosis, ille in libris, quos scripsit, alio nomine vsus fuisset, & nomen ineffabile tacuisset; at passim eo vtitur. Præterea Genes.15.sic loquitur Deus ad Abraham: *Ego Dominus*. Hebraicè ego *Iehouah, qui eduxite de Vr Chaldæorum*. & cap.31. *Inuocauit ibi nomen Domini*. Hebraicè, *Iehoua*. Item Genes. 26. *Apparuit Dominus Isaac*, Hebraicè, *Iehoua*, & Isaac ipse: *Dilatauit*, inquit, *nos Dominus* Iehoua, Gen. 28. *Vidit Iacob Dominũ Iehoua, innixum scalæ*. Eodem ca. dixit illi Deus: *Ego sum Dominus Iehoua*. Ipse verò Iacob: *Verè*, inquit, *Dominus Iehoua est in loco isto*. Idem eodẽ capite: *Si fuerit Deus* Iehoua *mecum*. Responderi potest ex sententia Burgensis, his locis citatis non fuisse vsum Deum, vel patres, nomine *Iehoua*, sed alio, quia erat ignotum hominibus: Mosem autem postquam illi patefactum est, cùm libros scripsit, illo vsum.

Genesi. 4. Patribus fuit notum nomẽ Iehoua. *Genes. 15.* *Genes. 31. Gen. 26.* *Genes. 28.*

7 Aliter respondetur quæstioni, nomen *Iehoua* esse quidem indicatum patribus secundùm vocem, vsosque illo patres secundùm vocem, sed non esse indicatum secundùm significationem. Eritque sensus verborum Dei: *Nomen meum Adonai non indicaui eis*. Id est, apparui patribus Deus omnipotens *Sadai*, sed magnum nomen meum *Iehoua*, non indicaui eis secundùm significationem: tibi verò, Moses, indicaui. Etenim cap. indicauit Dominus Mosi nominis *Iehoua* significationem, cùm dixit: *Ego sum, qui sum*. Et: *Qui est, misit me ad vos*. Sic Caietanus putat patribus indicatum esse nomen *Iehoua* secundùm vocem; sed Mosi secundùm significationem cùm Deus dixit; *Ego sum, qui sum*. Lyranus quoque, & Abulensis idem dicunt, sed addunt, manifestatum etiam nomen Mosi, cùm diuinam vidit essentiam; quod minimè placet.

Patribus non fuit indicatũ nomen secundum significationem. *Exod. 3.*

8 Tertiò dici potest, Deum apparuisse Abraham, Isaac, & Iacob in Deo *Sadai*, omnipotente, sed nomen suum *Iehoua* non indicasse eis, hoc est, non indicasse eis suam constantiam, & immutabilitatem in promissis implendis. Nam nomen *Iehoua*, quod significat, *ego sum, qui sum*, significat immutabilitatem Dei, qui semper est, & mutari nullo modo potest, aut promissa non præstare, iuxta illud 2.Cor.1. *Christus non fuit, est, & non, sed est, in illo fuit; Quotquot enim promissiones Dei sunt in illo, est*. Est sensus: *Nomen meum Iehoua non indicaui eis*. hoc est, non ostendi illis facto meam in promissis immutabilitatem, nõ ostendi illis, quòd sum, qui sum, idem semper, & immutabilis in essentia, & in promissis: tibi verò, & populo Israelitico hoc ostendam. Apparui enim Abraham, Isaac, & Iacob in Deo omnipotente, & promisi eis terram Chananæorum, nec tamen illis viuentibus illam tradidi: nunc promissa complebo, educam populum meum ex Ægypto, & in terram promissam illum introducam. Vnde sequitur: *Pepigi fœdus cum eis, vt darem eis terram Chanaan*. Item: *Educam vos de ergastulo Ægyptiorum, & scietis, quòd ego sum Iehoua Deus vester, qui eduxerim vos de ergastulo Ægyptiorum, & induxerim in terram, super quã leuauit manum meam, vt darem eam Abraham, Isaac, & Iacob, Adhoque illam vobis possidendam ego Dominus*. Hebraicè. *ego Iehoua*. Apud Lyranum Rabbi Salomon opinionem hanc sequitur paucis mutatis.

Iehoua significat immutabilitatem Dei. *2. Cor. 1.*

A B

Quarta interpretatio huius loci hæc sit; Quemadmodum Apostoli in nomine *Iesu* miracula faciebant: sic Moses miracula in Ægypto fecit in nomine *Iehoua*. Nam quando miracula patrabãt, nomen *Iehoua* inter cætera verba proferebant. Ait ergo Deus: Nomen meum *Iehoua* non indicaui patribus, quia Abraham, Isaac, & Iacob miracula non fecerant in nomine *Iehoua*: Moses verò multa facturus erat. Lege Burgensem Exod.6.qui Exod.3.putat pertinere ad Deum, facere miracula, prout consideratur significari per nomen *Iehoua*, quia significat hoc nomen substantiam diuinam, prout est pelagus substantiæ infinitæ. Sed probabilius videtur ad Deum pertinere, facere miracula sub quocunque voluerit nomine; in Ægypto verò voluisse facere sub nomine *Iehoua*. Huc spectat, quod aiunt Hebræi, virgam Mosis, qua fiebant miracula, quatuor habuisse latera, & in his virgæ quatuor lateribus incisas fuisse quatuor literas nominis tetragrammaton, siue quadriliteri *Iehoua*; sed quod dicunt non probant.

9 *Moses in nomine Iehouæ fecit miracula.*

C D

Rupertus sic interpretatur: *Nomen meum non indicaui eis*, quantæ esset potentiæ, vel virtutis. Magnalia namque & terribilia facturus, hæc loquitur Deus, ad ostensionem gloriæ nominis sui, qualia non fecit in diebus Abraham, Isaac, & Iacob, &c. Erit sensus probabilis: *Nomen meũ Iehoua*, id est, nominis mei potentiam, non manifestaui patribus; manifestabo eam tibi stupendis miraculis editis.

10 *Rupert.*

Quinta interpretatio est Oleastri, radicem nominis *Iehoua* vult esse non *haja*, id est, *esse*, sed *houa*, quæ vox *contritionem*, aut *malum euentum* significat, atque nomen *Iehoua* significare *Deum*, quatenus conterit, & vastat, aut ab eo est malus euentus. Si hanc nominis interpretationem sequamur, sensus huius loci erit: *Nomen meum Iehoua*, id est, nomen conterentis, & vastatoris non indicaui patribus, propter eos nullam nationem contriui, & vastaui; at nunc ostendam tibi hoc nomen, quia vt filios Israël in terram promissam introducam, conteram Ægyptios, nationemque Chananæorum, & alias vastabo. Quia tamen hæc nominis *Iehoua* interpretatio non est recepta, sensus hic mihi non probatur.

11 *Oleaster.*

E

Dic filiis Israël.

Mittit Dominus Mosem ad afflictos filios Israël,

12

Israël, polliceturque se illos de ergastulo Ægyptiorum eductum, & redempturum in brachio excelso, & iudiciis magnis. Filij autem Israël, cùm essent vehementer laboris onere oppressi, & in magnas angustias redacti, nuntio Dei noluerunt acquiescere.

13 *Deus in brachio excelso & extento eduxit populũ ex ergastulo Ægypti.*

Ergastulum locus dicitur, vel carcer, in quo serui operantur; Græcè enim ἐ ργάζομαι significat *operor*, & ἔργον, *opus*. Eduxit verò Deus filios Israël in brachio excelso, dictio Hebrça, נטויה *netujah*, signat *extẽtum*, vel *excelsum*. Dicitur brachium Dei extentum ad puniendos Ægyptios, & excelsum, id est, potens, & cæleste, ac diuinum; quod ex superiori, & excelsa parte ferit. Præterea eduxit Deus illos in iudiciis magnis, hoc est, in magnis suppliciis, quibus diuinis suis iudiciis meritò Ægyptios affecit. Hæc duo ad puniendum requiruntur, brachium excelsum, hoc est, superior autoritas, & iudicium, ac iustitia. Eduxit Deus Israëlitas in brachio excelso, quia suprema potestas est in brachio extento, quia potentiam suam ad illos vastandos extendit. *Induxit illos in terram, super quam leuauit manum suam, vt daret eam Abraham, Isaac, & Iacob*. hoc est, quam iurauit se daturum patribus. Nam *leuare manum* est iurantis; quia olim eleuata in cælum manu iurabant antiqui, Deum in cælo esse testantes. Genes. 14. *Leuo* (inquit Abraham) *manum meam ad Deum possessorem cœli, & terræ*. Et Deus in Cant. Mosis, Deut. 32. *Leuabo ad cœlum manum meam, & dicam: Viuo ego in æternum*, id est, iurabo.

Leuare manum est iurantis.

A

Isti sunt principes domorum per familias suas.

Hoc loco Moses genealogiam suam, & Aaronis interserit. Quia verò Mosis, & Aaronis parentem Leui præcedebant natiuitate Ruben, & Simeon, Gen. 29. idcirco horum filios ascripsit. Postea ad tribum Leui ordine descendit, reliquas verò tribus omisit; quia de genealogia sua, & Aaronis tantùm agere decernebat. Erant autem tribus Israël diuisæ in domos, siue familias; singulæ verò familiæ principem suum habebant. Principes familiarum tribus Ruben, erãt filij Ruben; principes familiarum, siue domorum tribus Simeon, erant filij Simeon; principes domorum tribus Leui, erant filij Leui.

14 *Genealogia Mosis, & Aaron.*

B

Loquere ad Pharaonem Regem Ægypti.

Reuertitur Moses ad missionem Dei, ait se à Deo ad Pharaonem missum esse, & respondisse: *En incircũcisus labiis sum, quomodo audiet me Pharao?* Antequam verò genealogiam describeret, scripsit se ad Pharaonem missum à Deo respondisse: *Ecce, filij Israël non audiunt me, quomodo audiet Pharao*, præsertim cùm *incircumcisus sim labiis?* Forsitan eadem est missio, & responsio; quia enim interposuerat genealogiam, repetere voluit, quòd antè dixerat. Cur se dicat *incircumcisum labiis* supra diximus.

CAPVT IV.

Moses incipit signa coram Pharaone.

EXODI CAP. VII.

1 Dixitque Dominus ad moysen: Ecce constitui te Deum Pharaonis, & Aaron frater tuus erit Propheta tuus, & tu loqueris ei omnia, quæ mando tibi, & ille loquetur ad Pharaonem, vt dimittat filios Israël de terra sua, sed ego indurabo cor eius, & multiplicabo signa, & ostenta mea in terra Ægypti, & non audiet vos: immittamque manum meam super Ægyptum, & educam exercitum, & populum meum, filios Israël de terra Ægypti, per iudicia maxima, & scient Ægyptii, quia ego sum Dominus, qui extenderim manum meam super Ægyptum, & eduxerim filios Israël de medio eorum. Fecit itaque Moyses, & Aaron sicut præceperat Dominus, ita egerunt. Erat autem Moyses 80. annorum, & Aaron 83. quando locuti sunt ad Pharaonem. Dixitque Dominus ad Moysen, & Aaron: Cùm dixerit vobis Pharao: ostendite signa, dices ad Aaron: Tolle virgam tuam, & proiice eam coram Pharaone, ac vertetur in colubrum. Ingressi itaque Moyses, & Aaron ad Pharaonem, fecerunt sicut præceperat Dominus. Tulitque Aaron virgam coram Pharaone, & seruis eius, quæ versa est in colubrum. Vocauit autem Pharao sapientes, & maleficos: & fecerunt etiam ipsi per incantationes Ægyptiacas & arcana quædam similiter. Proieceruntque singuli virgas suas, quæ versæ sunt in dracones: sed deuorauit virga Aaron virgas eorum, induratumque est cor Pharaonis, & non audiuit eos.

2 Mittit Dominus Mosem ad Pharaonem magna cum potestate ad liberandum populum, suam illi communicat potentiam: *Constituo te*, inquit, *Deum Pharaonis*: Hebraicè non est hoc nomen *Iehoua*, sed *Elohim*: Constitui te *Elohim* Pharaonis. Hoc autem nomen creaturis tribuitur in Scriptura. Iudices enim dicuntur dij, Psal.81. *Deus stetit in synagoga Deorum, in medio autem Deos*, id est, iudices, *diiudicat*. Hebraicè, *Elohim stetit in synagoga el, in medio autem Elohim diiudicat*. Item eodem loco: *Ego dixi, Dij*, Hebraicè, *Elohim, estis*. Exod.22. *Diis non detrahes*, id est, iudicibus. *Ad Deos*, id est, iudices *vtriusque causa peruenet*. Item eodem capite, *Applicabitur ad Deos*, id est, iudices. Exod.21. *Offerret cum Dominus diis*; id est, iudicibus, &c. Dicuntur autem iudices dij, quia loco Dei iudicant. Angeli quoque Dei dicũtur Psalmo 37. *In conspectu angelorum*

C

Psal. 81.

rum psallam tibi, Hebraicè, *Elohim*, Psal. 8. *Minuisti eum paulo minus ab angelis.* Elohim. Psal. 96. *Adorate eum omnes angeli eius.* Elohim. Significat etiam *principem*, ideo Chaldæus vertit Exod. 7. *Constitui te principem Pharaonis.* Sed rectiùs noster interpres: *Constitui te Deum Pharaonis.* Dicuntur autem iudices, & principes, dij, quia vices agunt Dei in iudicando: eundem in modum Moses dictus est & constitutus Deus Pharaonis, quia erga Pharaonem vices agebat Dei. Habet Deus suos Prophetas, atque interpretes, per quos loquitur ad homines: eumdem in modum Mosi Prophetam dedit, & interpretem, per quem loqueretur ad Pharaonem; is autem fuit Aaron, Exod. 4. *Loquere ad eum, & pone verba mea in ore eius, & ego ero in ore tuo, & in ore illius, & ostendā vobis, quid agere debeatis, ipse loquetur pro te ad populum, & erit os tuum, tu autem eris ei in his, quæ ad Deum pertinent.*

Moses quomodo sit constitutus Deus Pharaonis.

Ego indurabo cor eius.

3 Prædicit Dominus Mosi Pharaonis obdurationem, & obstinationem, propter quam populum non dimisit, nisi grauissimis percussus plagis: quomodo autem *Deus Pharaonem, aliosque peccatores induret*, dubium est. Primæ interpretationis meminit August. in Exod. quæst. 18. *Ego indurabo cor Pharaonis*, hoc est, scire faciam homines, quàm durum fuerit cor Pharaonis. Notam enim fecit Dominus cordis illius duritiam, cùm toties monuit, vt populum dimitteret, totque plagis illum attriuit; neque tamen Dei voluntati obtemperauit. Similem in modum exponitur illud Genes. 22. *Nunc cognoui, quod timeas Dominum*, id est, nunc cognoscere feci. Secunda interpretatio est eiusdem August. quæst. 36. in Exod. ad illa verba Exod. 10. *Ego indurauì cor Pharaonis.* Sic (inquit August.) intelligendum est, ac si diceret: Ego patiens fui super Pharaonem. Quia patientia Dei obstinatior fiebat eius malus animus: ideo pro eo quod est, *patiens fui cum eo*, dicitur *grauari cor eius.* Et serm. 88. de tempore: Hoc, inquit, sine dubitatione credamus, quòd Pharaonem non tam Dei potentia, quàm Dei patientia fecerit obdurari. Quam rem etiam circa vernaculos nostros exercere consueuimus, quos nimis delicatè, aut satis remissè nutrimus, vel quibus frequenter peccātibus indulgemus. Cùm enim ipsa indulgentia, & remissione peiores redduntur, solemus exprobrantes illis dicere: ego te talem feci, ego tibi parcendo, proteruiam tuam & negligentiam nutriui. Idem factum est in Pharaone; quia dum ab illo pro bonitate sua Deus plagas suspendit, ille obdurato corde contra Deum se superbus erexit. Sic August. Lege eundem quæst. 36. in Exodum. Similiter Origen. lib. 3. περὶ ἀρχῶν, ait, Deum non aliter obdurare quàm patienter tolerando, tropo illo communi, quo herus dicit seruo; ego te perdidi, ego te insolentem feci. D. quoque Hieron. epist. 150. ad Hedibiam, quæst. 10. patientia Dei induratum Pharaonem scribit.

August. — Genes. 22. — D. August. — De induratione hominum. — Peccatores Dei patientia obdurantur. — Origen. — D. Hieron.

Tertia interpretatio hæc est: *Indurabo cor Pharaonis*, hoc est, deseram Pharaonem, hoc est, auxiliis meis priuabo eum propter peccata; vnde sequetur cordis illius durities. Cor. enim Dei auxilio, & gratia emollitur, eo sublato induratur. Hæc est sententia D. Thomæ 1.2.q.79. art. 3. & aliorum. D. August. epist. 105. ad Sixtum: Deus, inquit, non obdurat impertiēdo malitiam, sed non impertiendo gratiam, &c. Et in lib. de prædestinatione, & gratia, cap. 4. Indurare (inquit) dicitur eum, quem illuminare noluerit, & repellere dicitur eum, quem vocare noluerit, &c. D. Greg. lib. 11. moral. cap. 8. De Pharaone dixit Deus, *ego indurabo cor eius*: obdurare quippe Deus per iustitiam dicitur, quando correprobum per gratiam non emollit, &c. Hęc sententia placet. Dicitur ergo Deus obdurasse Pharaonem Regem iniquum, propter peccata, quia auxiliū suum efficax illi non tribuit, quòd cor illius emolliret. Adde etiam Dei patientiam obdurationis causam esse, esse etiam causam beneficia Dei, vt opes, sanitatem, & alia beneficia, ipsaque aliquando supplicia: beneficia verò & supplicia Deus non confert, vt obduret, sed vt conuertat, vtiturque patientia, vt à sceleribus peccatorem reuocet, ille autem sua culpa omnibus malè vtitur, & causam facit obdurationis, iuxta illud Apostoli ad Rom. 2. *Ignoras, quoniam benignitas Dei ad patientiam te adducit. Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ.* Benignitas Dei, & patientia, beneficia, & supplicia, ad pœnitentiam peccatorem adducunt: ille verò duro resistit corde: auxilia verò sua denegat illi Deus ad emolliendum cor, iustitia exigente. Vnde citatus D. Gregor. Obdurare (inquit) dicitur Deus per iustitiam, quando cor reprobum per gratiam non emollit, &c. Si roges, *an Deus auxilium sufficiens neget obdurato homini?* Respondetur, omnibus Deum auxilium sufficiens concedere, vt, si velint, possint peccatorum pœnitentiam agere. *Benignitas Dei* (ait Paulus) *ad pœnitentiam te adducit*, adducit (in quā) offerens auxilia sufficientia, & plusquam sufficientia, longanimiter, ac benigniter te expectans.

D. Thom. — D. August. — D. Gregor. — Rom. 2. — D. Gregor. — Omnib. Deus auxilia sufficiētia præbet.

Tulit Aaron virgam coram Pharaone.

Iam incipit Moses coram Pharaone, & Ægyptiis signa facere, quibus probat se à Deo missum. Etenim Pharao signa postulauit, quod colligitur ex illis verbis Dei cap. 7. Exodi; *Cum dixerit vobis Pharao: Ostendite signa, dices ad Aaron: Tolle virgam tuam, & proiice eam coram Pharaone, ac vertetur in colubrum.* Tulit igitur Aaron, velut Propheta Mosis, virgam, & in terram proiecit, versaque est in colubrum. Vocauit Pharao sapientes Ægypti, ac magos, virgasque in terra proiecerunt, sicut Aaron fecerat, versæque sunt in dracones, siue in colubros. Nam idem nomen Hebræum, *tanin*, vtrobique est. sed virga Aaron conuersa in colubrum, siue draconem, virgas magorum, & dracones deuorauit. Cùm autem vidisset Pharao à magis quoque mutatas esse virgas in dracones, magicis artibus signum tribuit à Mose factum, & cor indurauit, noluitque Dei præcepto obedire de dimittendo populo Israëlitico. Magi videntur fuisse duo illi, quorum meminit Paul. 2. Timoth. 3. qui Mosi restiterunt: *Quemadmodum*, inquit, *Iannes, & Mābres restiterunt Mosi: ita & hi resistunt veritati.* Si quæras, *an verè cōuerterint virgas in dracones, an fuerit oculorum ludificatio?* Respondet Caietanus, verè conuersas esse virgas in serpentes dæmonum opera applicantium actiua passiuis. Sed, vt Abulensis ait Exod. 7. quæst. 20. virga non est in tali dispositione, vt à dæmone possit velociter conuerti in serpentem: quia oportet per multas

5 — Exod. 7. — Moses virgā conuertit in colubrum. — 2. Tim. 3. Magi conuertunt virgas in colubros, & quomodo id fecerint.

multas hoc fieri transmutationes. Responderi tamē potest, dęmones aliquot antè diebus sciuisse Mosem hoc signū facturū, operamq; dedisse transmutationi virgarum in serpentes. Lege August. lib. 3. de Trinit. c. 8. & lib. 83. qq. quæst. 79. Abulensis arbitratur, dęmones per motū localē velocissimum virgas à magis in terrā proiectas abstulisse, & loco earum dracones apposuisse, ita vt viderentur virgæ in dracones conuersæ, cùm tamē sublatę essent, & dracones veri aliunde à dæmonibus allati, & in conspectu Pharaonis collocati. Probabilis est hæc sententia. Quòd autē sola fuerit oculorum ludificatio, ait D. Iustinus ad 27. quæst. orthodox. Quæ (inquit) ab incantatoribus facta sunt, dæmonū opera facta sunt, qui spectantiū oculis eas pręstigias offuderunt, vt qui serpens nō esset, eū viderent quasi serpentem; & non sanguinem, quasi sanguinem; & non ranas, quasi ranas. Sic ille.

D. Iustinus.

Deuorauit virga Aaron virgas eorum.

Virga Aaron conuersa in draconē deuorauit virgas magorum conuersas etiā in dracones, id est, deuorauit dracones, quos aliunde attulerāt magi. Hebræi volunt virgam Aaronis, postquā cōuersa est in draconē, conuersam esse in virgā: similiter etiā virgas magorum, virgā verò Aaronis virgas deuorasse maleficorū: ait enim scriptura: *Deuorauit virga Aaron virgas eorū.* Probabilior est superior explicatio: draconū enim est deuorare, nō virgarū. Virga ergo Aaronis in draconē trāsmutata, virgas magorū fallaciter trāsformatas in dracones, deuorauit. Adde, scripturā solum dixisse, virgam Aaron conuersam esse in serpentem, & virgas magorum transmutatas in dracones; neque dixisse, virgam Aaron, & virgas magorum rursus conuersas esse in virgas. Itaq; mutatæ sunt in dracones, vnus draco Mosis, & Dei pugnauit cùm draconibus magorū, illosq; dęuorauit. Draconū pugna fuit, nō virgarum. Potuerunt quidē magi cōuertere virgas in serpentes, dęmonū viribus, id quod indurauit Pharaonem, credentem Mosem magorū arte vti, sed non potuerunt suos liberare dracones. Ostēdit Deus potētiā suā; Draco Dei magorū dracones deuorauit, quod debuerat Pharao aduertere, sed omnia tribuit magię, nō Deo. Cōuersa virga Mosis in draconē, qui dracones Ægyptiorū deuorauit, indicabat Mosē omnes Ægypti dracones, scilicet Pharaonē, eiusq; principes vastaturū.

Draco dracones deuorauit.

CAPVT V.
MORALE.
Moses incipit signa facere coram Pharaone.

Nomen meum ADONAI *non indicaui eis.*

1 EX his verbis colligit D. Gregorius cognitionē Dei per incremēta temporū creuisse, homil. 16. in Ezech. Sciendum (inquit) est quòd per incrementa temporum creuit scientia spiritualium patrum; plus enim quàm Abraham, & plus Prophetæ, quàm Moses, & plus Apostoli, quàm Prophetæ in Dei sciētia eruditi sunt. Quis nesciat, quòd Abraham locutus est cùm Deo, & tamē Mosi dixit: *Nomen meū Adonai nō indicaui eis.* Ecce plus Mosi, quā Abrahę innotuerat, qui illud de se Mosi manifestauit, quod Abrahæ non reuelauerat. Dauid porro ait Psal. 118. *Super omnes docentes me intellexi.* Et iterū: *Super senes intellexi.* Quibus verbis maiorē se diuinorū eloquiorum scientiam accepisse, quàm Mosem manifestat. De Apostolis verò, Veritas ipsa dicit Luc. 10. *Multi reges & Prophetæ voluerunt videre, quæ videtis, & audire, quæ auditis, sed non viderunt.* Plus ergo quàm Prophetæ de diuina scientia nouerunt Apostoli; quia quod illi solo spiritu viderant, ipsi etiā corporaliter videbāt. Sic D. Gregorius.

D. Gregor. — D. Gregorij sententia de scientia Patrum. — Psal. 118. — Luca 10.

Constitui te Deum Pharaonis.

2 D. Gregor. homil. 8. in Ezech. In scriptura (inquit) aliquando Deus nuncupatiuè, aliquando verò essentialiter dicitur. Nuncupatiuè Deus appellatus est Moses, cui dictum est: *Constitui te Deum Pharaonis.* Hæc ille. Itaque essentialiter vnus tantùm Deus est; cæteri autem qui dij appellantur in scripturis, solùm nuncupatiuè dij nominātur. 1. Corinth. 8. *Scimus* (inquit Paulus) *quia nihil est idolum in mundo, & quod nullus est Deus, nisi vnus. Nam & si sunt, qui dicantur dij, siue in cœlo, siue in terra, siquidem sunt dij multi, & Domini multi. Nobis autē vnus est Deus.* Sunt quidem dij multi nuncupatiuè, vnus tātùm est, qui est essentialiter: cæteri nomen habent, numen non habent & diuinitatem. Poëta ait:

Nullum numen habes, si sit prudentia, sed nos
Te facimus fortuna Deam, cœloque locamus.

Idola à cęcis idololatris dij appellātur falsò. Appellantur etiam nuncupatiuè dij, pontifices, sacerdotes, iudices, magistratus, quia vices Dei gerunt, obedientiaq; illis debetur, quasi dijs vicē Dei veri gerentibus. Psal. 81. *Ego* (inquit) *dixi; dij estis.* Constituit Dominus Mosem Deū Pharaonis; cōstituit etiā in Ecclesia multos deos populi sui. Vnum pontificem summū, multósq; sub eo minores pontifices, ac sacerdotes, multos Reges, principes, iudices, magistratus; sed aduertant hi dij, Mosem cōstitutum esse Deum Pharaonis, vt ex seruitute eius populum Israëliticū eriperet, & in terram manantem lacte, & melle introduceret. Ita etiam ipsos constitutos esse deos non solùm populi, sed etiā tartarei Pharaonis, id est, diaboli, vt à potestate eius populū sibi traditū liberent, & in terram omnibus delicijs affluentem, id est, cælum, intromittant. Duo igitur postulat officium huiusmodi deorum, videlicet vt pugnent, & vt liberent: vt pugnent cū tartareo Pharaone, & vt liberent populum, qui sub eius iugo est. Ad hæc duo pręstanda virga Dei traditur. Idcirco Regi sceptrum, pontificibus baculus, magistratibus aliis virgæ dantur, vt cum Pharaone certent, populumque liberent.

D. Gregor. Nomen Dei tribuitur nuncupatiuè, & essentialiter. — 1. Cor. 8. — Psal. 81. — Prælati & iudices sunt dij nuncupatiuè.

3 Ad liberandū populū à potestate Pharaonis cùm mitteretur Moses, tantū onus recusauit, vt supra vidimus. Qui enim honores, & diuitias fugiunt, hi cum Orci principe fortiùs pugnant; populūq; in libertatē asserunt. *Potestatem nobis dedit*, (2. Corinth. 10. ait Paulus) *in ædificationē, non in destructionē vestram*, &c. Datur virga Mosis Ecclesiæ principibus, non in destructionem, sed in ædificationem, & libertationē populi: in destructionē verò datur Pharaonis, id est, diaboli. Destruitur autē Pharao tribus rebus; *verbo, exēplo, oratione.* Hæc est virga triplex, qua Moses, id est, qui Rempublicam administrat, Pharaonem demergit; ideoque D. Bern. lib. de cōsideratione ad Eugenium: Manēt (inquit) tria hæc, verbum exemplū, & oratio. maior autē horum est oratio Nam etsi voci virtus, id est, fortitudo, sit opus, operi tamen, & voci gratiam, efficiētiāq; promeretur oratio, &c. Nonne vides triplicem virgam, siue baculum necessarium pastori ouium Christi; verbū cōcionis & adhortationis, exemplum, & orationē? Vtinam pontifices, sacerdotesque omnes, ac Reipublicæ principes, verbo

Quodnam sit officiū horum Deorum. — 2. Cor. 10. — D. Bernard. — Oratio fortior est verbo & exemplo.

Populũ suum prelati gubernent oratione, exemplo, & verbo. Isaiæ 11.

improbis medicinã adhibere curarent. Magna est enim vis verbi, id est, adhortationis, & correctionis pontificis, & principis, ad extirpandũ peccatorum scandalũ; magna est vis concionũ: magna vis orationis. Isa. 11. *Percutiet terrã virga oris sui, & spiritu labiorũ suorum interficiet impiũ*, &c. Quemadmodũ Christus virga oris sui terram percussit, & spiritu labiorum suorum impiũ interfecit; sic Ecclesiæ principes oris sui adhortationibus, tã priuatis, quã publicis, veluti virga Mosis, populum suũ percutiant, & spiritu labiorũ suorum, id est, orationibus, & gemitibus ore prolatis, siue etiam mente solùm ante Deum propositis, impiorũ peccata extinguãt. Deut. 9. ait Moses: *Procidi ante Dominũ quadraginta diebus, & noctibus panẽ non comedens, & aquã nõ bibens, propter omnia peccata vestra, quæ gessistis contra Dominũ & eum ad iracundiam prouocastis.* Ecce tibi exẽplũ boni principis, qui ante Deũ prostratus, oratione populũ suum à peccatorum supplicio defendit. Longum esset de exẽplo dicere, quod ij subditis debẽt, qui in excelso loco sunt collocati. Quantũ cælũ excelsum humili terræ præstat, tantũ illos subditis decet prestare. quãto celsiores sunt loco, tantò altiores sint exẽplo. Vt enim ait D. Fulgentius epist. 6. Fit, vt qui sunt in sęculi culmine cõstituti, aut plurimos secum perdant, aut secum multos in via salutis acquirant, &c. Dan. 3. ad adorandam statuam aureã Rex Nabuchodonosor principes imperij aduocat, vt populi sequantur suos principes. D. Hieron. eodẽ capite. Principes (inquit) congregantur ad adorandũ statuã, vt per principes seducãtur & gentes. Qui enim diuites sunt, & potentes, dũ timent carere diuitiis, & potẽtia, faciliùs supplantantur; seductis autẽ magistratibus, subditi populi maiorũ exemplo pereũt. Sic Hieron. Regina Vasthi ab Assuero Rege vocata ad cõuiuiũ, vt ostenderet cunctis populis illius pulchritudinem, venire contempsit. rogauit Rex cõsiliarios suos, qua pęna digna esset Regina? vnus ex illis sic respondit: *Non solũ Regẽ læsit Vasthi, sed & omnes populos, & principes, qui sunt in cunctis prouincijs Regis Assueri. Egredietur enim sermo Reginæ ad omnes mulieres, vt cõtẽnant viros suos, & dicant: Rex Assuerus iussit, vt Regina Vasthi intraret ad eũ, & illa noluit. Atque hoc exemplo omnes principum coniuges Persarũ, atq; Medorum, paruí pendent imperia maritorũ.* Vide quæso, quid principũ faciant exempla vitiosa; videntes illa, vel etiã audientes lædunt. D. Hieron. Dan. 3. iã citat. Seductis (inquit) magistratibus, subditi populi maiorũ exemplo pereunt &c. Nónne cernimus, seductis Regibus, seduci eorum ductu, & exemplo magistratus fallacia hæreseon, seductisq; regibus, & magistratibus, seduci populum? Idẽ in reliquis vitijs videbis. Regina Vasthi propter hoc exemplum priuata est corona & regno. Caueant ergo Principes, ne malis exẽplis subditos lædãt; ne corona, regnoque cælesti priuẽtur. D. Fulgent. epist. 6. Magna (inquit) eos, qui sunt in sęculi culmine cõstituti aut pœna manet, si multis prębeãt malæ imitationis laqueũ: aut gloria, si multis ostẽdant sanctæ cõuersationis exemplũ, &c. D Greg. lib. 24. moral. c. 30. Necesse (inquit) est, vt is, qui præest, quæ exẽpla subditis præbeat, solerter attẽdat, & tantis se sciat viuere, quantis præest, &c.

Deut. 9. — D. Fulgent. De exemplo principũ, & prælatorum. — Daniel. 3. — D. Hieron. — Esther 1. — D. Hieron. — D. Fulgent. — D. Gregor.

4. Quamuis autẽ peccatores prælatum statim non audiãt, quemadmodũ populus Israëliticus Mosem nõ audiebat, Exod. 6. *Ecce* (inquit Moses) *filij Israël nõ audiunt me*, ne abiiciat ille animũ

Exod. 6.

A sed suum munus fideliter exequatur, & omnia, quæ debet, remedia ad peccata tollenda adhibeat, iuxta illud Isa. 5. *Quid est quod debui vltra facere vineæ meæ, & nõ fecit ei?* & illud D. Bernard. ad Eugenium: Planta, riga, fer curam, & tuas explicuisti partes. Incrementum Deus, quãdo voluerit, dabit: Deus (inquam) non tu. Quod si fortè noluerit, tibi deperit nihil, &c. Lege Chrysost. homil. 1. ad pop. Antioch.

Isaiæ 5. — D. Bernard.

Constitui te Deum Pharaonis.

5. Constituti sunt multi, vt diximus, dij terræ, hic autem titulus humilitatem rectè meditantibus afferre potest, si intellexerint honorem, B quẽ à populo recipiunt, eis tribui, non quod dij sint, sed quòd Dei vices gerant, ad quem omnis honor gloriaque referenda est. Huc spectat Emblema 7. Alciati:

Humilitas prælatii.

Isidis effigiem tardus portabat asellus,
Pando verenda dorso habens mysteria.
Obuius ergo deam quisquis reuerenter adorat
Piasq; genibus concipit flexis preces.
Ast asinus tantum præstari credit honorem
Sibi, & intumescit admodum superbiens,
Donec eum flagris compescens dixit agaso:
Non es Deus tu aselle, sed Deum vehis.

Caueant hi, qui Deũ portãt id est, Dei vices in C terris gerunt, ne instar huius iumenti intumescant, cũ vident se à cæteris hominibus magnĩ fieri & honoribus extolli: quin potius intelligãt honores in Deũ esse referendos, quẽ portant, & cuius locũ tenent. Illud regij Prophetę in illos nõ quadret. Psal. 48. *Homo cùm in honore esset, nõ intellexit, cõparatus est iumẽtis insipientibus, & similis factus est illis.* Bern. epist. 236. Homo (inquit) cùm in honore esset, nõ intellexit; quia scilicet honor absorbuit intellectũ, &c. O miserum, & insipientẽ intellectum, quem honor absorbet! Legatur D. Gergor. lib. 24. moral. c. 29 Plerique (inquit) qui pręsunt, inordinatũ sibi metum à subditis exigunt, & non tam propter Dominũ, D quã pro Domino, venerari volunt. Intus enim se tumore cordis extollunt, subditosq; cunctos in sui comparatione despiciunt, singularitate gaudent culminis, & non æqualitate conditionis, &c. Et cap. 30. Is (inquit) qui pręest, vigilanter inspiciat, ne in eo, quòd prælatus est, intumescat, &c. Itẽ: Magnopere curandũ est, vt qui regẽdis hominibus præfertur, apud se intra secretariũ mentis in cathedra præsideat humilitatis. Hæc ille. Seneca in lib. de vita beata. c. 25. Me (inquit) hominem esse, tunc maximè cogitabo, cùm Deus vndique salutabor, &c.

Psal. 48. — D. Bernard. — D. Gregor. — Seneca.

6. Intelligant etiam pręsides se deos vocari, vt E Deum imitentur, hominesq; iustè, ac sapienter, & absque vlla auaritia gubernent. Orbẽ terrarum Deus gubernat iustissimè, & sapientissimè, absque vlla auaritia, & pecuniæ cupiditate, magnaque cum mansuetudine: sic dij terræ, Dei & cæli vicarij, Rempublicã administrent. *Ego dixi; dij estis, & constitui vos deos populi mei*, (ait Dominus) non solùm nomen vos habere volo, sed meam quoque imitari iustitiam, meam mãsuetudinem, meam sapientiam, meã largitatem, & argenti, aurique despiciẽtiam. Estote dij, iusti, sapientes, mites non furore perciti, prudentes, non auari, ac raptores, ne populi gemẽtes illud Dauidis ingeminent, Psal. 65. *Imposuisti homines super capita nostra* Nõ habemus, Domine, gubernatores deos, id est, vitijs carentes, sed homines humanis vitijs ac cupiditatibus refertos, Psal. 71 *Deus iudicium tuũ Regi da, & iustitiam tuam filio Regis, iudicare populum tuum in iudicio, & pauperes*

Prælati sint Dij, per imitationẽ Dei. — Psal. 65. — Psal. 71.

tuos

tuos in iustitia. suscipiant montes pacẽ populo, & colles iustitiam. En vobis, ô orbis rectores, regem, & iudicem, cuius sequamini vestigia. Ille egregius rector est populi, cui Deus iudicium dat, & iustitiam, vt populum iustè gubernet, pauperumq; præcipuè causas tueatur. Pacem de bono iudice populo dandam montes excelsi suscipiũt, iustitiã suscipiũt à terra eleuati colles. Vt ergo pax, vt iustitia in Repub. sit, sint in Repub. montes, hoc est, celsi sapientia & virtute iudices; vt sit iustitia, sint à terrenis cupiditatibus eleuati colles. Additur in Psalmo: *Descendet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram.* Vide iudicis mansuetudinem; nõ descendit in tribunal sicut tonitruum, omnibus terrorẽ incutiens magno cũ fastu, ac superbia; nõ sicut grauis, ac procellosus imber, paruis cymbis scaphisq; minitãs, sed descẽdit mitis, & humilis, sicut pluuia in vellus, tacito ore, atq; humili animo, & sicut stillicidia placidè super terram, magnáque cum vtilitate stillantia: quidquid enim agit, ad commodum Reip. Deiq; gloriam humiliter dirigit.

Indurabo cor Pharaonis.

7. Pharaonis tartarei, id est, dæmonis, cor induratũ est, neque vnquam ad pœnitentiã emollietur; Iob 41. *Cor eius indurabitur quasi lapis, & stringetur quasi malleatoris incus*, &c. In hæc verba sic scribit D. Gregor. Cor antiqui hostis vt lapis indurabitur, quia nulla vnquã cõuersionis pœnitẽtia mollietur, &c. Simile fuit cordi dęmonis cor Pharaonis Ægyptij, vt lapis, & incus induratum est. Similia quoq; fiunt corda iniquorum, quę obdurantur, & conuerti ad Deum nolunt. Impij se obdurant peccata committendo: Deus verò obdurare dicitur, eos peccare permittẽdo. Nullam autem duritiem cordi infundit. Ecquis credat, nisi cæcus, Deũ, qui peccatum summopere odit, peccatorum cordibus duritiẽ infundere? Psal. 5. *Nõ Deus volens iniquitatem tu es, odisti omnes, qui operantur iniquitatẽ.* Si Deus peccatũ odio summo prosequitur, quomodo fieri potest, vt hominẽ ad peccandũ induret? Iacobi 1. *Deus intentator malorũ est, ipse autẽ neminem tentat.* Quẽadmodum Deus intentator est ad peccandum, & neminem tentat ad malũ: ita neminem indurat, vt in peccato perseueret, Ecclesiast. 15. *Non dicas: Ille* (id est, Deus) *me implanauit*, (id est, fecit me errare) (*non enim necessarij sunt ei homines impij*, &c. Non ergo facit Deus errare homines duritiẽ cordi afferẽdo. Quod si Isai. 63. legitur: *Quare errare nos fecisti, Domine, de vijs tuis?* dicitur Deus errare facere de vijs suis metaphoricè, quia in pęnam peccatorum nõ præbet auxilia, quibus peccator in viam rectã reuertatur: duritiem verò nullã cordi apponit. Ipse peccator fallacia peccati induratur, vt Paulus ait ad Hebr. 3. *Adhortamini*, inquit, *vosmetipsos per singulos dies, vt nõ obduretur quis fallacia peccati.* Fallit peccatũ hominẽ sua fallaci dulcedine, ligat, & veluti vinculis cõstrictum retinet, Deoq; permittente sic indurat. Audiamus aliquot patres. D. Chrysost. homil. 67. in Ioan. Dicitur, inquit, Deus quosdã indurasse, & alios tradidisse in reprobũ sensum; nõ quòd hęc à Deo fiant, quippe cùm à propria hominis malitia proueniant: sed quia Deo homines iustè deserente, hęc illis contingant, &c. D. Damascenus lib. 4. fid. c. 20. Mos, inquit, est, scripturæ permissionem Dei actionẽ vocare, ad Rom. 11. *Cõclusit omnia in incredulitate.* Item: *Dedit illis spiritũ cõpunctionis, vt oculis non videant, &*

Iob. 41. — D. Gregor. Diabolus, vt lapis. — Psal. 5. Deus nõ immittit duritiem in cor, sed priuatiuè dicitur indurare. — Iacob. 1. — Eccles. 15. — Isaia 63. — Ad Hebr. 3. — D. Chrysost. — D. Damasc. — Ad Rom. 11.

A *auribus non audiant.* et alia similia, quæ omnia, non vt Deo agente acccipienda sunt, sed vt Deo permittente. Hæc ille. August. serm. 88. de tempore: Quid est, quod dixit Deus, *Ego indurabo cor Pharaonis?* nisi cùm absfuerit ei gratia mea, obduret illum iniquitas sua. Rem similitudine sic illustrat: Aqua nimio frigore constringitur: sed calore solis superueniente resoluitur, & discedente eodem sole, iterum obduratur. Similiter peccatorũ frigore refrigescit charitas hominũ, & veluti glacies obduratur; cumque eis iterum calor diuinæ misericordiæ superuenerit, resoluuntur. &c. D. Thom. 12. q. 79. art. 3. Sol, inquit, B licèt quantũ est ex se omnia corpora illuminet si quod tamen impedimentũ inuenit in aliquo corpore, relinquit illud tenebrosum; sicut patet in domo, cuius fenestræ sunt clausæ: sed tamen illius obscurationis causa, non est sol. Nõ enim suo iudicio agit: Deus autem proprio iudicio lumen gratiæ nõ immittit illis, in qubus obstaculum inuenit: vnde causa subtractionis gratiæ est non solùm ille, qui ponit obstaculũ gratiæ, sed etiã Deus, qui suo iudicio gratiam nõ apponit, &c. D. Aug. in lib. ad artic. sibi falsò impos. ad art. 14. Fieri, inquit, non potest, vt per quẽ à peccatis surgitur, per eũ in peccata decidatur. Si à Deo recęditur, & ad peccata transitur, nihil ibi C Deus malæ tẽtationis immittit. A Deo est, quòd statur, & nõ est ab illo quòd ruitur. Hęc August.

D. August. — D. Thomas. — D. August.

8. Indurant se peccatores, quia Dei clemẽtia, & patientia abutũtur, vt Patres suprà citati aiunt. Vt enim, ait Salomon Eccles. 8. *Quia nõ profertur cito contra malos sentẽtia, absque timore vllo filij hominum perpetrant mala* Si Deus, vbi primũ peccator peccatũ perpetrat, fulgure illum percuteret, quis auderet in peccato indurari? Quia verò Deus differt supplicium, differunt insipientes homines pœnitentiam, peccata peccatis addunt, & indurantur. At sapientes nõ expectant fulgura à Deo mitti, quibus aboleantur, sed Dei inspirationibus obediũt, & peccatis nuntiũ remittunt. D D. Hieron. epist. 150. ad Hebidiã q. 10. Non Dei (inquit) accusanda est patientia, & infinita clementia, sed eorum duritia, qui bonitate Dei in perditionem suam abusi sunt. Alioqui vnus est solis calor, & secũdùm essentias subiacentes alia liquefacit, & alia indurat. Liquatur enim cera, & induratur lutũ, & tamen caloris non est diuersa natura: sic & bonitas, & clementia Dei vasa iræ indurat, vasa autem misericordiæ saluat. Sic ille. Qui patiẽtiã Dei indurãtur, quia fulguribus nõ percutiũtur, aut mortiferis morbis, hi vile lutũ sunt. Qui Dei inspirationibus, & cõcionibus liquefiũt, cera sunt. Nemo sit lutũ. Vt cera omnes Dei inspiratione audita liquefiamus, iuxta illud Cãt. 5. *Anima mea liquefacta est, vt locutus est.*

Ecclesiast. 8. — D. Hieron. — Cant. 5.

9. Multa homini affert mala cordis duritia. Facit cor impœnitens, & iram Dei thesaurizat, E Rom. 2. *Benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit, secundùm autem duritiam tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram, in die iræ.* Impœnitens autẽ est cor hominis durum, quia pęnitẽtiam agere non vult, cùm tamẽ possit. Est enim illi propter peccandi consuetudinem admodum difficile. Secundò, cor durum hominem cupiditatibus, ac vitiosis voluptatibus subiicit, Psal. 80. *Non audiuit populus meus vocem meam, & Israel non intendit mihi. Dimisi eos secundùm desideria cordis eorum, ibunt in adinuẽtionibus suis.* Sequuntur indurati homines desideria carnis suæ, adinuentiones suas Dei præceptis repugnãtes exequuntur.

Rom. 2. — Durum cor multa affert mala. — Psal. 80.

Rom.

Rom.1. Rom.1. *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorũ* A *in immunditiam*, &c. Maximè enim immunda sunt duri cordis desideria. Psal.72. Psal.72. *Transierunt in affectum cordis.* Recedunt à Deo duri corde, & veluti transfugæ ad hostes, id est, ad affectus cordis prauos transeunt. Tertiò, cor durũ Deo Actor.7. resistit, Act.7. *Duraceruice, & incircuncisi corde & auribus, vos semper Spiritui sancto restitistis?* Quẽadmodum quòd molle est, facilè cedit: sic quod durum est, resistit. Iaque durus homo, inspirationibus, concionibus, adhortationibus, minis, precibus, Deique flagellis resistit, quibus cor D.Bernard. molle acquiescit. D.Bernard.lib.1.de consider. Cor, inquit, durũ est, quod neque compunctio- B ne scinditur, nec pietate mollitur, nec mouetur precibus, nec cedit minis, quin etiam flagellis Philo. Mala duri cordis. duratur magis, &c. Philo.in lib. cui titulus: *Quis diuinarũm rerũ hæres:* Anima, inquit, ceræ more, vt priscus quidam ait, si dura sit, formas respuit, nec sibi sinit imprimi; sin autẽ sit obsequens, aut mediocriter facilis, profũdè sigilla recipit, &c. Quintò, cor durum hominem in profundum Prouerb.18. demergit peccatorũ, Prouerb.18. *Impius cùm in profundum venerit peccatorũ, contẽnit* In hoc pro- Prouerb.10. fundo peccata contemnit, iuxta illud Prou.10. *Quasi per risum stultus operatur scelus.* Prçterea cõtemnit omnia peccatorũ remedia, pœnitentiam nõ curat, monita, conciones, Dei inspirationes, & alia similia, difficillemeq; emendatur, Ier.13. C Ierem.13. *Si mutare potest Æthiops pellem suam, aut pardus varietates suas, & vos poteritis benefacere, cũ didiceritis malum.* Neque Æthiops pellem nigrã, neque pardus varias pellis suæ maculas mutare potest: attamen durum cor, Deo miserante, & molliente, si nõ resistat, mutare potest impro- Ecclesiast.7. bos mores. Est ergo similitudo hyperbolica, Eccl.7. *Cõsidera opera Dei, quòd nemo possit corrigere,* D.Bernard. *quẽ ille despexerit.* D.Bern. loco citato: Nemo, inquit, duri cordis salutem adeptus est, nisi quem fortè miserans Deus abstulit ei cor lapideum, & dedit ei cor carneum, &c. Sextò, cordis durities hominem impudentẽ ad peccandũ reddit; vnde D Ezechiel.3. illud Ezech.3. *Omnis domus Israel attrita frõte est,* D.Gregor. *& duro corde.* D.Greg. hom.10.in Ezech. Frontẽ (inquit) cordis in impudentiam atterit culpa frequens, vt quo crebriùs cõmittitur, eò de illa committẽtis animus minùs verecundetur. Atque ideo ad tantam cordis duritiam quandoq; peccator peruenit, vt iam in correptione sensibilis non sit. Quia qui vsu peccandi indurauit, nullo modo corripientis verbum, id est, manum Ierem.3. palpãtis sentit; sicut Iudææ crebriùs delinquẽti dicitur, Ierem.3. *Frons meretricis facta est tibi, noluisti erubescere.* sic Greg. Septimò, cordis durities voluntatẽ à Deo ita auertit, vt nolit ad eum Ierem.5. reuerti. Ierem.5. *Indurauerunt facies suas supra petram, & noluerunt reuerti.* Octauò, cordis durities E 2.Timoth.3. in peius semper hominem prçcipitat, 2.Tim.3. *Mali homines, & seductores proficient in peius errãtes, & in errorem mittentes.* Vides depictũ hominem hæreticum in hæresi obstinatũ; proficit in peius, corde duro errans, & alios in suos mittens errores. Nonò, homines duri cordis, mẽtis oculos cæcos habent, & aures obturatas, neque illa considerant, neq; audiunt, quæ illos possint ad Matth.15. pœnitentiam adducere, Matth.15. ex versione LXX. interpretũ: *Incrassatum est cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos clauserunt, ne quando videant oculis, & auribus audiãt, & corde intelligant, & conuertantur, & sanẽ eos.* Decimò homo, qui durum habet cor, lethargo graui laborat, in periculis dormit, ad voluptates vigilat, Prouerb.23. *Eris sicut dormiẽs in medio mari,* Prouerb.23. *& quasi sopitus gubernator amisso clauo, & dices: Verberauerunt me, sed nõ dolui: traxerunt me, & ego non sensi: Quãdo euigilabo, & rursus vina reperiã?* Dormit impius in mediis maris fluctibus, quasi ebrius, neque furibundas animaduertit procellas, à quibus in profũdũ tartari demergitur; verberatur à Deo, & trahitur, sed nõ sentit: deniq; ad vina, id est, voluptates vigilat: *Quãdo,* inquit, *euigilabo, & rursus vina requiram?* Audiamus Magnũ Gregor. Gregoriũ 3. parte pastoral. admonit.32. In medio (inquit) mari dormit, qui in huius mundi tẽtationibus positus prouidere motus irruentium vitiorum, quasi imminentes vndarum cumulos negligit, & quasi clauum gubernator amittit, quãdo mens ad regendam nauem corporis, studium solicitudinis perdit; clauũ quippe in mari amittere, est, intentionẽ prouidã inter procellas huius sæculi non tenere, &c. Itẽ: Vigilare optat, vt rursum vina repetiat, quia vigilare ad sæculi curas nititur, vt semper voluptatibus deebrietur, & cũ ad illud dormiat, in quo solerter vigilare debuerat, ad illud vigilare appetit, ad quod laudabiliter dormire poterat, &c. Vndecimò, cor durũ ac lapideum, scopulus est, & durũ saxum, ad quod anima alliditur, facitq; naufragium, & perit. D.Chrysost.2.Timoth.hom.9. Nõ sit, in- D.Chrysost. quit, tibi lapideũ cor, atq; tenebrosum. Ne illic allidas plenã mercibus nauem, &c. Eccles.3. *Cor* Eccles.3. *durum habebit malè in nouissimo.* Nã in nouissimo vitę die plena diuitijs, & voluptatibus nauis, ad scopulũ durissimũ allisa peribit in sempiternũ.

10\. Deniq; audiamus regij Vatis præclarã illam adhortationem, Psal.49. *Hodie si vocẽ eius audie-* Psal.49. *ritis, nolite obdurare corda vestra.* Audiamus etiã diuinum Paul. ad Hebr.3. *Adhortamini,* inquit, Ad Hebr.3. *vosmetipsos per singulos dies, donec hodie cognominatur; vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.* Caueamus peccatorũ fallaciã, quæ nos in duri Fugiẽda cordis durities. cordis scopulũ, veluti Syrenes fallaces pertrahũt. Peccatorũ pęna scopulus hic est. Quia enim homo emendari non vult, & multa scelera perpetrat, hac pœna afficitur, vt corde obdurescat. D.Isid.lib.2.de summo bono, c.19. Pęna, inquit, D.Isidorus. peccati peccatũ admittitur, quando pro merito cuiusq; peccati, Deo deserente, in aliud peccatũ deterius itur, de quo amplius qui admiserit, sordidetur. Præcedẽtia itaque peccata sequentium criminũ sunt causa, vt illa, quæ sequũtur, sint præcedentiũ pœna. Præcedentiũ verò peccatorũ pęna ipsa vocatur induratio, veniens de diuina iustitia. Sic ille. Ierem. c.51. *Curauimus* Ierem.51. *Babylonẽ, & non est sanata, derelinquamus eam.* Tribuuntur verba hæc angelis, Orig.homil.2. Vide Origenes. (ait) ne quando angelis præcipiat Deus, vt ad languorem animæ tuæ medicaminũ emplastra cõficiant, & respondeant angeli: *Curauimus Babylonem, & nõ est sanata.* Non scientiam artis suę, neque resinæ vim criminãtur; sed te, qui eorum præceptis obsequi noluisti. Caue, ne derelinquat te medicus. Si enim te dereliquerit, manifestũ, quia abscessio eius, cõdemnatio tua sit, vt irremediabilis, & curari nolentis. Hęc ille. Non desunt Babyloni, id est, peccatrici animę, medicinę Dei variæ: sed Babylõ duro corde respuit omnes, curari nõ vult, oblectat eam morbus; ideóque iusto iudicio deserit illam Deus; semper ta- Deus sufficientia auxilia semper præbet. men sufficiẽtia præbens auxilia, quibus cõuerti possit: si nõ conuertatur, illud fit, quod legitur Apocal.18. *Sustulit vnus angelus fortis lapidẽ,* Apoc.18. *quasi*

quasi molarem magnum, & misit in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon ciuitas illa magna, & vltra iam non inuenietur. Eundem in modũ duri cordis Babylon, id est, anima obstinata, velut lapis molaris, in profundissimũ tartari pelagus mittetur, & nõ inuenietur vltrà in hoc orbe. Moses in Cantico de Pharaone, & eius militibus sic Ierem.18. canit: *Descenderunt in profundum quasi lapis.* In profundũ orci quasi duri lapides descendunt, qui dum viuunt, saxa sunt dura, emolliriq; ad pœnitentiam agendam nolunt. Ier.18. *Descendi in domum figuli, & ecce ipse faciebat opus super rotã: & dissipatũ est vas, quod ipse faciebat è luto manibus suis: Cõuersusq; fecit illud vas alterum sicut placuerat in oculis eius vt faceret.* Dissipatũ est vas ex mol- A li luto, sed quia molle & incoctum lutum erat, rursus in rota reparatum est: si autem durum fuisset lutũ, & igne coctum, figulus vas proiecisset. Similem in modum si frangitur luteum vas, id est, homo; si molle est lutum, rotæ, id est, pœnitentiæ imponitur, ibique reficitur: si verò durum est, & rotã fugit proiicitur. Psal.2. *Reges* Psal.2. *eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.* Quænam quæso vasa confringuntur virga ferrea? Non sanè mollia, ac facilè flexibilia, sed quæ iã igne cocta sunt, & dura. Quinam homines virga ferrea iustissimi iudicis Christi confringuntur? Non equidem illi, qui ad agendam pœnitentiã molles sunt, facileq; flexibiles, sed qui sunt duri, noluntque ad pœnitẽtiam flecti.

CAPVT VI.

De plagis Ægypti.

De Prima plaga sanguinis.

EXODI CAP. VII.

1\. Dixit autem Dominus ad Moysen: Ingrauatum est cor Pharaonis, non vult dimittere populum. Vade ad eum manè, ecce egredietur ad aquas: & stabis in occursum eius super ripam fluminis: & virgam, quæ conuersa est in draconem, tolles in manu tua. Dicesque ad eum: Dominus Deus Hebræorum misit me ad te, dicens: Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi in deserto: & vsque ad præsens audire noluisti. Hæc igitur dicit Dominus: In hoc scies quòd sim Dominus: ecce percutiam virga, quæ in manu mea est, aquam fluminis, & vertetur in sanguinem. Pisces quoque, qui sunt in fluuio, morientur, & computrescent aquæ, & affligentur Ægyptii bibentes aquam fluminis. Dixit quoque Dominus ad Moysen: Dic ad Aaron: Tolle virgam tuam, & extende manum tuam super aquas Ægypti, & super fluuios eorum, & riuos, ac paludes, & omnes lacus aquarum, vt vertantur in sanguinem, & sit cruor in omni Terra Ægypti, tam in ligneis vasis quàm in saxeis. Feceruntque Moyses & Aaron sicut præceperat Dominus: & eleuans virgam percussit aquam fluminis coram Pharaone & seruis eius: quæ versa est in sanguinem. Et pisces, qui erant in flumine, mortui sunt: computruitque fluuius, & non poterant AEgyptii bibere aquam fluminis, & fuit sanguis in tota Terra AEgypti. Feceruntque similiter malefici AEgyptiorum incantationibus suis: & induratum est cor Pharaonis, nec audiuit eos, sicut præceperat Dominus. Auertitq; se, & ingressus est domum suam nec apposuit cor etiam hac vice. Foderunt autem omnes AEgyptii per circuitum fluminis aquam vt biberent: non enim poterant bibere de aqua fluminis. Impletique sunt septem dies, postquam percussit Dominus fluuium.

2\. HActenus actum est tantùm verbis, ostenso vno signo virgæ conuersæ in draconem; iam venitur ad verbera; iam virga in draconem conuersa, Ægyptios, & Pharaonem Exod.7. mordere incipit, Exod.7. *Vade* (ait Dominus Mosi) *ad Pharaonem mane: Ecce egredietur ad aquas, & stabis in occursum eius super ripam fluminis.* Accommodatus erat plagæ locus iuxta flu- Psal.77. uium Nilum, in quem Rex manè fuerat egressus, vt animum recrearet, Psal.77. *Corã patribus* Vrbs Ægypti Tanis. *eorum fecit mirabilia in terra Ægypti in campo Taneos.* Tanis vrbs est Ægypti ad ostium Nili, quod Isaia 19. Taniticũ vocatur, Hebraicè dicitur צוען, *sogã.* De illa mentio fit Isaiæ 19. velut de vrbe regia: *Stulti,* inquit, *facti sunt principes Tanceos, emarcuerunt principes Mempheos.* Pars itaq; illa fluuij, ad quam egressus est Pharao, videtur ad Tanim pertinuisse, in cuius campo latè patente, & Nili aquis irrigato, mirabilia signa à Deo patrata canit Vates. Occurrit igitur Moses Pharaoni, in campo Taneos iuxta flumen, plagamque infligendam, priusquã infligeret, prædixit: *Hæc,* inquit, *dicit Dominus: In hoc scies, quod sim Dominus:* B *Ecce percutiam virga.* postea inflixit, Exod.7. *Ele-* Exod.7. *uans virgam percussit aquam fluminis coram Pharaone & seruis eius, quæ versa est in sanguinem, & pisces, qui erant in flumine, mortui sunt, computruitq; fluuius, & non poterant Ægyptij bibere aquam flu-* Moses prædicit plagam antequam illam inferat. *minis.* Cur autem prædiceret plagas Moses, causam reddit Theodor. quæst.20. Prædicebat, inquit, supplicia Moses, quæ illaturus erat, ne exi- Theodoret. stimare possent casu cõtigisse: sed intelligerent esse plagas, ipsis propter ipsorum peccata à Deo illatas, &c. Obserua, Aaronem eleuasse virgam, non Mosem: sic enim eodem capite Exod.7. imperat Deus Mosi: *Dic ad Aaron: Tolle virgam tuam, & extende manum tuam super aquas* C *Ægypti, & super fluuios eorum, & riuos, ac paludes, & omnes lacus aquarum, & vertantur in sanguinem; & sit cruor in omni terra Ægypti, tam in ligneis vasis, quàm in saxeis,* &c. Duo fecit Aaron virgã eleuauit, & percussit Nilum. Aaron; virgam eleuauit, postea illa percussit fluuium Nilum; Deus verò infinita potentia sua omnes Ægypti aquas conuertit in sanguinem, etiam illas, quæ in ædibus erant, tam *in vasis,* inquit, *ligneis, quàm lapideis.* Dubium est *an*

Sebast. Barradas Itiner. Israelit.

 aqua,

aquæ quæ erant in vasis testeis, vel æreis, cõuersæ sint in sanguinem, siquidem scriptura solùm meminit vasorum ligneorũ, & lapideorum. Respondetur, parem esse de cæteris vasis rationem. Caietanus tamen arbitratur, aquam, quæ erat in vasis æreis, vel testeis, exceptam esse, nec conuersam in sanguinem, sed eam tantùm quę erat in lapideis, & ligneis. Hebraicè sic legitur: ובעצים ובאבנים, *Vbagesim, vba abanim*, id est, *sit cruor* in omni terra AEgypti *tam in lignis, quàm in lapidibus*. Vnde hic colligitur sensus: nõ solùm sit cruor in aquis; sed ligna etiam, & lapides sanguine perfundantur, vt illi qui fluuij sanguinem nõ vident, videant ligna, arbores, & lapides madentes sanguine. At verò rectè interpres intellexit ligna, & lapides sumi pro vasis ligneis, & lapideis; sic etiam vertit Chaldæus. Caietani scholiastes putat, non solum Nilum fluuium, sed mare etiam rubrũ, AEgypto adiacens, conuersum esse nunc in sanguinem, rubrumque vocatum esse, fortè propter hanc conuersionem in sanguinem rubrum. Genebrardus Psal. 104. aquas etiam marinas conuersas ait in sanguinem. Non placent hæ coniectationes, Psal. 77. sic Vates canit: *Cõuertit in sanguinem flumina eorum, & imbres eorum, ne biberent*, &c. Dubium verò est, *quosnam imbres Deus cõuerterit in sanguinem*, siquidem in AEgypto non sunt imbres, vt lib. 1. diximus cap 1. Respondetur, in Psalmo imbres vsurpari pro aquis terrestribus, quia aquæ terrestres sunt imbres Ægypti, vt loco citato dictum est. Lege August. Psal. 77. Fortè illis diebus pluit sanguine; sed non videtur verisimile, Mosem id fuisse prætermissurum. Sap. 11. legimus; *Pro fonte sempiterni fluminis, humanum sanguinẽ dedisti iniustis.* Numquid *sanguis Nili humanus erat sanguis*? Respondetur, fuisse valde similem humano sanguini; ideoque humanũ appellari. Græcè αἵματι λυθρώδει, id est, *sanguine cruento, & sanioso*. Nilus autem flumen dicitur sempiternum, id est, perenne, perpetuoque fluens. Quæret aliquis, *an totus fluuius Nilus versus sit in sanguinem*? Philonem id affirmare nonnulli aiunt; sic enim scribit: In sanguinem fluuius vertitur, quàm longus est ad mare vsq; ab AEthiopia, &c. Præterea si aquæ superiores non essent conuersæ in sanguinem, inferiores aquas in eas ingressæ diluerent, sanguinisque minuerent colorem. Verisimilius est, cõuersum esse in sanguinẽ in sola terra AEgypti; sic enim scriptura ait: *Fuit sanguis in tota terra Ægypti*, & Dominus Mosi: *Dic ad Aaron: Tolle virgam tuã, & extende manum tuã super aquas Ægypti: & sit cruor in omni terra Ægypti.* Excipiuntur igitur aquę, quæ AEgypti non sunt, quales sunt Nili fluuij aquæ, alias regiones præterlabentis. Itaque aquæ superiores ante AEgyptum fluentes, vbi primùm AEgyptum perueniebant, in sanguinem commutabãtur; neque verò inferiores diluebãt. Philonis verba indicant, fluuium non quidem totum esse conuersum in sanguinem: sed quàm longus est ad mare vsque ab AEthiopia, id est, ab AEthiopiæ finibus versùs AEgyptum, vsq; ad mare. Quantum igitur longitudinis habebat Nilus à finibus AEthiopiæ per Ægyptum fluens vsque ad mare; tantum in sanguinem versum est.

Caietani opinio. — *Aqua Ægypti vertitur in sanguinem* — *An mare rubrum sit conuersum in sanguinem? Psal. 77.* — *Sap. 11.* — *Philo. An totus Nilus sit cõuersus in sanguinem?* — *Exod. 7.* — *Philo.*

Feceruntque similiter malefici.

3. *Magi aquam conuerterunt in sanguinẽ.*

Magi Pharaonis aquam, etiam in sanguinẽ, dæmonum viribus, conuerterunt; ideoque induratum est cor Pharaonis, neque obediuit præcepto Domini. Quæritur, *vndenam magi aquam habuerint, quam conuerterent in sanguinem*, siquidẽ omnes aquę AEgypti à Deo in sanguinem conuersæ erant? Respondet Caietanus, Deum non subitò conuertisse totam AEgypti aquam in sanguinem, sed per aliquod temporis spatium: in quo spatio magi aquam nondum conuersam potuerunt conuertere. D. August. quæst. 23. in Exodum: Intelligendum (inquit) est, regionem, in qua filij Israel habitabant, plagis talibus non fuisse percussam; & inde potuerunt incantatores aquam haurire, quam in sanguinem verterent. Augustinum secuti sunt alij Doctores, de quibus Lyranus: Nostri (inquit) Doctores cõmuniter dicunt, quòd aqua fuerit portata ad magos de terra Gessen, & quòd prędicta plaga non fuit ibi, &c. Abulensis tamen quæst. 8. & alij volunt, etiam in terra Gessen versam esse aquam in sanguinem. Quando autem Hebręi illam potare volebant, in propriam naturam, colorem, & saporem reuersam, iuxta illud Philonis: Fluuius conuersus erat in sanguinem; sed non Hebræis. His enim haurientibus, fiebat potabilis, &c. Responderi ergo potest secundò, in terra Gessen, quam incolebant Israelitæ non fuisse hanc plagam, & ex illa potuisse à dæmonibus afferri aquam. Quòd si obiicias, scripturam dicere: *Fuit sanguis in omni terra Ægypti*; ergo etiam fuit in terra Gessen. Respondebitur, fuisse sanguinem in omni terra impiorum AEgyptiorum; nõ autẽ populi Dei: ipsum enim à plagis omnibus liberauit. Dices, ergo AEgyptij ex terra Gessen afferrent aquam ad bibendum. Respondetur, si afferrent, in sanguinem illis vertebatur. Iosephus sic scribit: Si quis siti coactus aquam gustaret, acri dolore confestim corrumpebatur. Eratque talis aqua solis AEgyptiis, Hebręis verò dulcis, ac potabilis, & omnino pristinam naturam retinens, &c. Tertiò, respondet Iustinus quæst. 26. à gentibus proposita, magos sanguinem effecisse ex ea aqua, quam AEgyptij ex puteis hauriebãt, quos circum flumen foderunt. Quartò, respondet Theodoretus quæst. 20. in Exod. hoc pacto: Incantatoribus (inquit) proximum erat mare: licebat igitur illis aquam ex mari allatam in domum regiam, in colorem sanguineum conuertere, &c. Quintò, respondent Hebręi apud Lyranũ, fuisse aliquas fontium aquas in AEgypto quæ non sunt conuersę in sanguinem, atque inde esse adductas ad magos. At non videtur vero simile, fluuium, plaudes, & lacus esse conuersos in sanguinem; fontes autem minimè, quamuis scriptura eorum non meminerit. Præterea si fontes habebant aquarum AEgyptij, quorsum iuxta fluuium puteos fecerunt, vt aquam potabilem possent reperire? His adde Iosephi hęc verba lib. 2. antiquit. Amnis (inquit) id est, Nilus, sanguineis fluentis prolabens ad potus inopiã AEgyptios redegit, cùm pręter aquam fluminis nullum fontem habeant, &c. Ait Iosephus, nõ ignarus, vt credo, rerũ AEgyptiarum, terram AEgypti nullum habere fontem; instar enim omnium fontium illi est Nilus, sed Philo in AEgypto satis versatus, fontes ait AEgypti versos in sanguinem. Sextò respondet Lyranus, & Abulensis quæst. 8. aquam ad magos clam mira celeritate à dęmonibus allatam ex aliquo loco extra AEgyptum, & in sanguinem transmutatam. Eligat Lector quod placuerit,

Vndenã magi habuerint aquam? — *Caiet.* — *D. August.* — *Lyranus.* — *Abulensis.* — *Philo.* — *An aqua in terra Gessen cõuersa sit in sanguinem?* — *Iosephus.* — *D. Iustinus.* — *Theodoret.* — *Iosephus.* — *An Ægyptus habeat fontes?* — *Lyranus.* — *Abulensis.*

Præterea

4. *An magi conuerterint aquam in verum sanguinem?* *D. August.* *D. Iustinus.*

Præterea illud dubium est, *an magi in verum sanguinem aquam conuerterint*? D. Aug. lib. 3. de Trinit. cap. 8. & lib 83. quæst. quæstione 79. & alij, aiunt verum fuisse sanguinem, opera dæmonum factum. Sed vt aqua in sanguinem transmutetur, difficillimis, & longi temporis indiget dispositionibus, quas dæmones tam breui tempore præparare non potuerunt. Itaque Abulensis quæst. 8. arbitratur, aquam à maleficis in sanguinis speciem esse conuersam. Et D. Iustinus, quæstione 26. Orthod. Ea, inquit, miracula, quæ magi ediderunt, dęmonum opera edita sunt, qui faciebant, vt oculi eorum, qui cernebant serpentem, sanguinem, & ranas, quæ non erant, videre viderentur, &c. At videtur hoc scripturæ aduersari, in qua habetur: *Fecerunt similiter magi*: ergo vt Deus verum sanguinem fecit ex aqua, ita & illi. Respondetur, verba illa sic explicari posse iuxta hanc probabilem sententiam: *Fecerunt similiter.* id est, fecerunt ex aqua sanguinem, spectantium opinione. Denique dici potest, dæmones aliunde attulisse mira celeritate aquam, & verũ sanguinem. Deinde sublata subitò aqua, loco eius reposuisse in vasis sanguinem, ita vt conuersio videretur aquæ in sanguinem. Dicuntur autem magi fecisse similiter; non quòd aquam verè conuerterint in sanguinem, sed quòd visi sint id facere, quod Moses fecerat.

Foderunt autem omnes Ægyptij per circuitum fluminis aquam.

5. *Ægyptij puteos fecerunt circa Nilum.*

Vnde ad potandum aquam habuerint Ægyptij, indicat Moses. Etenim foderunt puteos, circum flumen Nilum, vt illa aqua se suaque animalia sustentarent. Dubium est, *an aquam potabilem ex puteis hauserint*? Respondet sic D. Augustinus Psal. 77. Foderunt (inquit) Ægyptij, & sanguinem pro aquis inuenerunt, &c. Et Philo lib. 1. de vita Mosis: Deficiente (inquit) aqua potabili ripas fluminis nemo petebat, & nouas venas aperientibus, pro limpido liquore sanguis emicabat, tanquam ex vulnere, &c. Abulensis quæst. 9. arbitratur, aquam, quam reperiebant Ægyptij in circuitu Nili, fuisse sanguinem; sed colatum per terræ meatus, & extenuatum colore, saporeque sanguinis aliqualiter mutato. Sed obiicitur, *sanguinem crassum tarde, maleq; colari per arenas.* D. Iustinus in quæst. à gentibus propositis, quæst. 26. scribit, Ægyptios fodisse puteos, & aquam inuenisse, qua se, suaque animalia sustentarent. Coacti (inquit) sunt AEgyptij circum flumen puteos fodere, & aquam haurire, eaque & se, & animantia sua, & pecora aquare, &c. Obiicies, *non sunt igitur Ægyptij siti maxime afflicti.* Concedet aliquis, non esse ita afflictos, vt vita priuarentur. Ad alias enim plagas reseruabantur. Philo tamẽ in vita Mosis: Hominum, inquit, magnus numerus siti enectorum iacebat in triuiis, &c. Et Sap. 11. legitur: *Qui cũ minuerentur in traductione infantium occisorum*, Græcè, ταραχθέντες εἰς ἔλεγχον νηπιοκτόνου διατάγματος, id est, *turbati in redargutionẽ præcepti occisoris infantiũ.* De Ægyptiis à recẽtioribus locus exponitur: *Turbati enim sunt valde*, aqua conuersa in sanguinẽ, in redargutionem & castigationem impij occisoris infantium, Regis AEgypti, qui præceptum dedit de infantibus proiiciendis in fluuium. Nostra versio indicat, turbatos AEgyptios propter eos, qui siti moriebãtur, sic enim habet: *Qui cùm minuerẽtur in traductione infantium*, hoc est, qui AEgyptij cùm minuerentur, id est pauciores fierent, propter traductionem, & proiectionẽ infantium: pauciores verò fiebant, quia moriebantur. Antiquiores verba hæc de Hebræis exponunt: *Qui minuebantur in traductione infantiũ*, id est quia infantes traducebantur aperta iniuria & exemplo. Item Sap. 11. *Ostendens per sitim, quæ tunc fuit, quemadmodum tuos exaltares, & aduersarios eorum necares*, &c. Græcè, ἐκόλασας, id est, *castigasti*. Castigauit antè necãdo multos siti.

D. August. — *Philo.* — *Abulensis.* — *D. Iustinus.* — *Philo.* — *Sap. 11.* — *Sapient. 11.*

Impletiq; sunt septem dies postquam percussit Dominus fluuium.

Post plagam primam, ait Moses, pertrãsisse dies septem antequam flagellaretur Pharao secunda plaga. Non ait durasse septem dies plagã primam, sed elapsos esse dies septem, sicq; Eusebius intellexit, citatus in catena Lippomani. Neq; verò eo loco habet, vna tantùm die hanc plagam durasse. Philo putat plagam hanc fuisse septem dierum. Plusquam vnius diei fuisse indicant facti ab Ægyptiis putei, ad reperiendam potabilem aquam. Septem dierum fuisse innuit scriptura, cùm ait: *Impleti sunt septem dies, postquam percussit Dominus fluuium.* Quorsum enim Deus sine plaga Pharaonem induratum, sex vel quinque diebus, degere pateretur? Iosephus videtur existimasse, plagã sanguinis non solùm his septem diebus durasse, sed simul etiam cum plaga ranarum permansisse, & simul cum illa euanuisse; sic enim scribit: Euanuerũt ranæ, terraque simul, & flumen in pristinam naturam sunt restituta, &c. 6.

Quot diebus durarit plaga sanguinis. — *Exod. 7.* — *Iosephus.*

Sed *cur Pharao his septem diebus Mosem non vocauit, vt in plaga secunda, & precatus est, vt aquã Ægypto largiretur?* Respõdetur, quia induratus erat. Præterea quia non maximè illum plaga premebat. Non enim illi vina deerant, & succi herbarum, atque ex floribus expressæ aquæ. Philo ait, à Mose postulasse Ægyptios, vt tam diram plagam auerteret: Per septem (inquit) dies hoc malum durauit, donec Ægyptijs suppliciter Mosem inuocantibus, & illo deprecante, Deus misertus est pereuntium, mutauitque sanguinem in aquam dulcem. Sic ille. Forsitan Pharaone indurato, populus à Mose misericordiam flagitauit. Iosephus quoque: Rex (inquit) inops cõsilij permisit Hebræos abire, cùmque malum cessasset, ad pristinam mẽtem rediit, &c. At in scriptura nulla huius rei fit mentio. 7.

Cur Pharao Mosem non vocauit in prima plaga — *Philo.* — *Iosephus.*

CAPVT VII.

MORALE.

De Prima plaga sanguinis.

EGressus est domo manè Pharao Rex, flumenque petiit, relaxandi animi gratia, sed Dominus ientaculum ei misit amarum valde, videlicet sanguinem. Omnes enim aquas in sanguinẽ cõuertit, omnes pisces occidit. Computruit Nilus, tetroque fœtore Regem, & comites abegit. Digna fuit pœna factis; dignus erat virgæ Dei verberibus fluuius, qui innocentes Hebræorum infantes demerserat; dignus erat, qui verteretur in sanguinem fluuius, qui paruulos carentes crimine peremerat, Sap. 11. *Cùm minuerentur in traductione infantium*, &c. quę verba paulò ante explanauimus, significãt

Nilus, in quo infãtes occisi sunt, in sanguinem conuersus est. Sap. 11.

 minutos

minutos esse Ægyptios, sitiq́ue enectos, propter infantes in flumẽ proiectos. Origen. hom. 4. Satis conuenienter, inquit, aquæ fluminis verturtur in sanguinem, vt is fluuius, cui Hebræorum paruulos crudeli nece tradiderant, autoribus sceleris poculum sanguinis redderet, &c. Theodoretus quæst. 19. Intulit (inquit) aquæ plagam Deus, propter pueros Iudæorum in fluuium demersos. Fluuius enim ille mutatus in sanguinem velut conquerebatur de cæde puerorum per AEgyptios commissa, &c. D. August. in tract. de decem plagis. tomo 9. Iusto, inquit, Dei iudicio factum est, vt de illo fluuio sanguinem biberent, in quo infantium Hebræorum sanguinem fuderant, &c. Similem in modum Apocal. 16. *Angelus effudit phialam iræ Dei super flumina, & super fontes aquarum, & factus est sanguis, & dixit angelus: Iustus es Domine, qui es, & qui erat, qui hoc iudicasti, quia sanguinem sanctorum & prophetarum effuderunt, & sanguinem eis dedisti bibere, digni enim sunt*, &c. Philo lib. 1. de vita Mosis ait, aquam adhibuisse Deum primam ad castigandos Ægypti incolas, & terrendos, q̃uia illi aquam honorabant præ cæteris, tanquam rerum omnium principium. Et Theodoretus quæst. 19. in Exod. Intulit, inquit, Deus primam aquę plagam, quia valde gloriabantur Ægyptii de flumine suo, & hunc pro Deo habebant, vt qui parem illis vsum præberet atque nubes cæli, &c.

Origenes. *Theodor.* *D. August.* *Apoc. 16.* *Philo.* *Theodor.*

28 Hebræorum liberatoribus Mosi atq; Aaroni opposuerunt se malefici: sic hæretici se opponunt his maximè, qui ex seruitute diaboli, hæreseosq; iugo homines conantur eripere. Vnde Paul. 2. Timoth. 3. *Quemadmodum Iannes, & Mambres restiterunt Moysi ita & hi resistunt veritati; homines corrupti mente, & reprobi circa fidẽ: sed vltra non proficient, insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit.* D. August. epist. 119. ad Ianuarium, cap. 16. Hæreticos, inquit, habere conatum magorum Pharaonis declarat Apostolus, dicens: *Sicut Iannes, & Mãbres restiterunt Mosi, ita & hi resistunt veritati.* Restiterunt magi Mosi signis mendacibus: resistunt hæretici veritati mendacibus doctrinis. A dæmonibus magi agitabantur aduersùs Mosem, & Aaron: sic hæretici ab iisdem stimulantur aduersùs Doctores veritatis Catholicę. Magi homines erant impij, idolorúmque cultores: hæretici (vt Paulus ait) *homines sunt corrupti mente, & reprobi circa fidem.* Quemadmodum Ægypti aqua corrupta est, & in sanguinem cõuersa: sic hæreticorum mens corrupta est, & in carnẽ, & sanguinem trãsmutata. Eorum enim fides carnalis est, carniq́ue & sanguini seruiens. Fœtebat Ægypti aqua: fœtent toto orbe hęreticorum dogmata; at verò virga Mosis magorũ falsos dracones deuorauit: sic Ecclesiæ virga, & data à Deo potestas omnia hæreticorum falsa dogmata deglutiet. Nónne vidimus, dracones Arij ab Ecclesia deuoratos, qui orbis magnam impleuerant partem? Vbi sunt Sabellij dracones, id est, falsa dogmata? vbi sunt dracones Manichæi, Nestorij, Nouatiani, Eutychetis, & aliorum, qui Catholicæ veritati, vt Pharaonis magi restiterunt? A virga Dei deuorati enanuerunt. Lutheri, Caluiniq; & aliorũ hęreticorum dracones nunc permittit Deus, ob peccata nostra, tartareo veneno homines incautos perimere, sed tandem, vt cæteri, deuorabuntur.

2. Timoth. 3. *Hæretici similes sunt magis Ægypti.* *D. August.*

Virga Ecclesiæ deuorat dracones hæreticorum.

Sed quænam causa est, *cur Deus permiserit maleficos Pharaonis, Mosi, & Aaroni resistere, & falsa illa signa facere?* Respondet D. Chrysostomus homil. 46. in Acta Apostol. Permisit (inquit) Deus aliquid magis contra Mosem, ne magus putaretur esse Moses. Permisit magorũ exemplo discere omnes, quantum ars magica imponat sensibus: sed non permisit vltra eos progredi, ne ab illis deciperentur homines: sed ipsimet se victos esse à Mose confessi sunt, &c. Duas causas reddit Chrysostomus. Prima est, permisisse Deum magos resistere Mosi, ne Moses, cui illi resistebant, ex eorũ ordine esse existimaretur. Secunda, vt ostẽderet, quàm sit falsa magorum ars. Theodoretus quoque quæst. 18. in Exod. Concessit, inquit, Deus incantatoribus, vt quędam facerent similia eorum, quæ faciebat Moses, quo magis vtrorumque discrimen patesceret. Mutabant quidem magi virgas in serpentes, sed virga Mosis eorum virgas deuorabat; mutabant aquam in sanguinem, sed sanguinem in priorẽ aquæ naturam reducere non poterant. Produxerunt ranas; sed ranarum molestiam Ægyptijs auferre non poterãt, sicut fecit Moses. Sic ille. Tertia ratio, permittit Deus etiam nunc maleficos, & dæmonum opera, vt intelligant homines sensibus dediti, & si qui sunt athei, non omnia esse corporalia, & sensibilia, sed spiritus esse insensibiles, qui magnas habeant vires, indeq́ue ad summum, atque infinitum spiritum, scilicet Deum, assurgant, intelligantq́ue Deum & spiritum esse, & infinitam potentiam habere. Homines carnei à sensibus difficilè auelluntur; quæ sub sensum non cadunt, difficilè intelligũt. Permittit ergo Deus dæmones per maleficos mira operari, vt fateãtur homines, naturas esse spirituales, quæ sub sensum nõ cadunt. Quartò, permittit Deus maleficos, vt intelligamus multa videri miracula, quę tamen non sunt miracula, sed Dæmonis opera, quęq; examen postulent seuerũ. Quintò, permittit Dominus maleficos, vt hominum fidelitatem probet, & liberum arbitrium liberè operari sinat.

3. Cur Deus permiseris magos signa illa facere? D. Chrysost. *Teodor.*

CAPVT VIII.

De Secunda plaga ranarum.

EXODI CAP. VIII.

1. DIxit quoque Dominus ad Moysem: Ingredere ad Pharaonem, & dices ad eum: Hæc dicit Dominus: Dimitte populum meum, vt sacrificet mihi: sin autem nolueris dimittere, ecce ego percutiam omnes terminos tuos ranis, & ebulliet fluuius ranas, quæ ascendent, & ingredientur domum tuam, & cubiculum

culum lecturi tui, & super stratum tuum, & in domos seruorum tuorum, & in populum tuum, & in furnos tuos, & in reliquias ciborum tuorum: & ad te, & ad populum tuum, & ad omnes seruos tuos intrabunt ranæ. Dixitq́ue Dominus ad Moysen: Dic ad Aaron: Extende manum tuam super fluuios ac super riuos & paludes, & educ ranas super Terram Ægypti. Et extendit Aaron manum super aquas Ægypti, & ascenderunt ranæ, operueruntq; Terram Ægypti. Fecerunt autem & malefici per incantationes suas similiter, eduxeruntq́ue ranas super Terram Ægypti. Vocauit autem Pharao Moysen & Aaron, & dixit eis: Orate Dominum vt auferat ranas à me & à populo meo: & dimittã populum vt sacrificet Domino. Dixitq́ue Moyses ad Pharonem: Constitue mihi quando deprecer pro te, & pro seruis tuis, & pro populo tuo, vt abigantur ranæ à te & à domo tua & à seruis tuis & à populo tuo: & tantùm in flumine remaneant. Qui respondit: Cras. At ille: Iuxta, inquit, verbum tuum faciam: vt scias quoniam non est sicut Dominus Deus noster. Et recedent ranæ à te, & à domo tua, & à seruis tuis, & à populo tuo: & tantùm in flumine remanebunt. Egressiq́ue sunt Moyses & Aaron à Pharaone: & clamauit Moyses ad Dominum pro sponsione ranarum quam condixerat Pharaoni. Fecitque Dominus iuxta verbum Moysi: & mortuæ sunt ranæ de domibus, & de villis, & de agris. Congregaueruntq́ue eas in immensos aggeres, & computruit terra.

2. SEptem diebus durauit prima plaga sanguinis, sequuta est secũda ranarum, propter duritiem Pharaonis. Priùs tamen iussu Dei Rex admonitus est à Mose, vt populo permitteret facere sacrificium in deserto; priùs plaga ei renuntiata est ranarum, ne fortè casu eueniisse putaret. Surdo tamen renuntiata est. Cùm igitur Mosem non audisset, extulit Aaron, iubente Mose, virgam super Ægypti aquas, indeq́ue exeuntes ranæ admirabili multitudine Ægyptum compleuerunt; ipsum palatiũ Regis ingrediebantur, & lectos, domosq́ue Ægyptiorum. Exod. 8. prædicit Moses Pharaoni sic: *Si nolueris dimittere populum, ecce ego percutiã terminos tuos ranis, & ebulliet fluuius ranas, quæ ascendent, & ingredientur domum tuam, & cubiculum lecturi tui, & super stratum tuum, & in domos seruorum tuorum, & in populum tuum, & in furnos tuos, & in reliquias ciborum tuorum*, &c. De hac plaga sic cecinit Vates Psalm. 104. *Edidit terra eorum ranas in penetralibus Regum ipsorum.* Quæritur, *nonne satis erat claudere ostia & fenestras, ne ranæ ingrederentur in penetralia Regis, & in lectum eius?* Genebrardus Psalmo citato ait, per penetrationem dimensionum ranas illuc penetrasse. Satiùs est respondere, ostia, & fenestras, angelis prohibentibus, claudi non potuisse; quòd si clauderentur, ranarum impetu, & angelis impellẽtibus reserabantur. Molestissima fuit plaga hæc, de qua sic Iosephus: Ranæ domesticum victum fœdabant, in esculentis, atque poculentis nusquam non repertæ, & in cubilibus quoque passim oberrantes, ita vt omnia fœterent, putore infecta ex ranis mortuis exhalante, &c. Et Philo: Ranarum, inquit, tanta vis prorepsit, vt non solùm fora compleret, ac loca subdiualia, verùm & domos, & villas, & cuncta ædificia, tam sacra, quàm profana, tam priuata, quàm publica. Itaque cùm neque foras progredi possent homines, vijs oppletis, neque intus manere, refertis etiam intimis penetralibus, & ad summas quoque contignationes ranis obrepentibus, ad extremam desperationem redacti sunt, &c. Adde musicam molestissimam, ranarum coaxationes. Quænam, quæso, aures tot ranarum voces insuauissimas ferre possent, sine molestia maxima? Ait Plinius, præter vulgares ranas esse venenatas, quæ rubetæ appellantur, quòd in rubetis, & dumetis viuant; alias calamitas, quæ inter calamos, arundines, & frutices versantur. Non videntur ex iis fuisse illę quæ Ægyptum compleuerunt: vulgares enim fuisse & aquatiles, indicant verba illa: *Extendit Aaron manum super aquas Ægypti, & ascenderunt ranæ, operueruntq; terram Ægypti*, &c. Abulensis vult, multas ranas à Deo creatas esse cęteris turpiores colore & forma. Obstiterunt magi in hac etiam plagã Mosi: *Fecerunt* (inquit) *maleficisimiliter, eduxeruntq; ranas super terram Ægypti*, &c. Nunquid *præstigiose fuere facta à magis, an verè?* Iustinus quæst. 26. Orthod. ait, fuisse prętigiosas ranas, & fallaces, cùm non essent ranæ, videbantur ranæ. Verisimilius est, quod ait Abulensis Exod. 8. quæst. 4. veras ranas iussu magorum dæmons in Ægyptum adduxisse.

Exod. 8. *Ægyptum ranis compleuerunt molestissimis.* *Psal. 104.* *Iosephus.* *Philo.* *Plinius.* *Ranæ rubetæ, & calamitæ.* *Abulens.* *Magi ranas fecerunt.* *Iustin.*

Vocauit Pharao Moysen, & Aaron.

Prima plaga sanguinis affectus Pharao, Exod. 7. *Auertit se, & ingressus est domum suam, neque apposuit cor*; at secunda ranarũ percussus, indoluit grauiter, Mosemq́ue, & Aaron ad se vocauit, petiuitq́ue, vt Deum orarent & ranas ex Ægypto expellerent: addidit, *Et dimittam populum, vt sacrificet Domino.* Libenter Moses id se facturum recepit, tempusq́ue precationis ab ipso Rege assignari voluit: *Constitue* (inquit) *mihi, quando deprecer pro te.* Rex respondit: *Cras.* Moses constitutus erat Deus Pharaonis, idcircò magna cum fiducia certum petit tempus, & promittit ad abigendas ranas ex terra Ægypti: sciebat enim Deum illo tempore preces auditurum, & ranas expulsurum. Quorsum à Rege petit, *vt certum designet tempus?* Respondetur, vt intelligeret Rex, Mosem non esse magũ, qui ex temporibus, & constellationibus penderet, sed Dei esse legatum, qui omni tempore posset Domini operari virtute.

Exod. 7. *Pharaonem vexat plaga ranarum, populum se dimissurũ ait.*

Qui respondit: Cras.

Rogatus Pharao, vt certum tempus assignaret ad pellendas ranas, in sequentem diem distulit, & respondit: *Cras.* Nónne *ranarum plaga maximè Ægyptios affligebat?* cur ergo non respondet, *hodie* statim orate Dominum, vt molestissimas abigat ranas? Respondet Lyranus, & Abulensis, voluisse Regem experiri, an essent ranæ præstigiosæ, & magica arte factæ, si illa die deficerent: verùm iam ille expertus erat, plagam sanguinis non defecisse. Potest ex hoc loco colligi, plagam ranarum non tam fuisse acerbam,

4. *Cur Pharaonẽ petiit abigi continuò ranas?*

bam, vt eam breui tempore ferre non poſſet Pharao, exiſtimauit ergo ſe vſque ad diem ſequentem poſſe ſuſtinere plagam adhibitis hominibus, qui ranis obſiſterẽt, eaſque pellerent, ideo reſpondit: *Cras.* Vel forſitã noluit in anguſtum tempus redigere Moſem, & Aaronem, voluitque ſpatium longius ad deprecandũ Deum concedere, quia id putabat neceſſarium. Eo tẽpore, quod Rex conſtituerat, id eſt, die ſequẽti, deprecatus eſt Dominum Moſes, mortuæque ſunt ranæ omnes. Congregauerunt autem eas Ægyptij in immenſos aceruos, computruitque terra propter illarum fœtorem, ac corruptionẽ; quia acerui illi peſtilentes igne ſubiecto non ſunt conſumpti.

Mortua ſunt ranæ.

Ingrauauit cor ſuum.

5. Dixerat Pharao Moſi, & Aaron: *Orate Dominum, vt auferat ranas, & dimittam populum vt ſacrificet Domino*, &c. Poſtquam verò ablatas vidit, cor ſuum indurauit, populumque noluit dimittere. O ſtultum hominem, quem experientia non docuit, poſt plagam ſecundam poſſe ſequi aliam, quæ eum magis vexaret! Non habuit Rex hic verbum Regis, ſiquidem promiſſis non ſtetit. Regum eſt, verba ſua conuertere in facta, & quod ſe facturos dicunt, re ipſa facere. hic populum Hebræum ſe dixit dimiſſurum nec dimiſit.

Pharao indurat cor ſuũ poſt ablatam plagam.

Morale plagæ ſecundæ.

6. D. Auguſt. in lib. de conuenientia decẽ præceptorum cum decem plagis, hæreticos ait ſignificari ranis Ægypti: Hæretici, inquit, ranæ ſunt clamantes in limoſis paludibus. Per ſuperbiam, & inanes contentiones, ſtrepitum vocum habere poſſunt, doctrinam veræ ſapientiæ non poſſunt inſinuare, &c. Cerne huius temporis ranas, id eſt, nouatores, nónne ſunt ab Auguſtino depicti? Ranæ ſunt vocibus, libriſque perſtrepentes ex paludibus limoſis, hoc eſt, limoſa, & cænoſa vita. Coaxant, ſtrepitum edunt, (vt ait Auguſtinus) doctrinam veræ ſapientiæ non curant. Pro ſapientia vera falſam & vanam hæreſeon loquacitatem complectuntur, vtinã Deus plagam hanc properè abigat.

D. Auguſt. Hæretici ſimiles ſunt ranis Ægypti.

Illud obſeruandum, Pharaonem plaga ranarum vexatum Moſem vocaſſe, & Aaronem pro ranis pellendis Deum vt orarent, rogaſſe; populum ſe dimiſſurum dixiſſe. *Sola vexatio* (ait Iſaias cap. 28.) *dabit intellectum auditui.* En vexatio ranarum intellectum dedit Pharaoni. Vexatio quoque intellectum dedit Nabuchodonoſori. Dan. 4. *Laudo*, inquit, *& magnifico, & glorifico Regem cæli.* Vexatio intellectum dedit Antiocho, 2. Machab. 9. *Cœpit ex graui ſuperbia deductus, ad agnitionem ſui venire, diuina admonitus plaga, per momenta ſingula doloribus ſuis augmẽta capientibus, & cùm nec ipſe iam fœtorem ſuum ferre poſſet, ita ait: Iuſtum eſt ſubditum eſſe Deo, & mortalem non paria Deo ſentire. Orabat autem Dominum.* Præterea vexatio intellectum dedit Pharaoni Regi Ægypti, illi qui vxorem Abraham ad ſe adduci iuſſit, putans eſſe ſororem, Gen. 12. *Flagellauit Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum eius propter Sarai vxorem Abraham.* Non induratum eſt cor huius Pharaonis, intellectum dederunt plagæ; protinus vxorẽ reſtituit. Pharao vero alter, de quo nunc ſermo eſt, vexatus emolliuit cor; poſtquam deſiit vexatio, cor indurauit. Dixerat ſe dimiſſurum populum, ſi ranæ abigerentur: non ſtetit promiſſis, ceſſante plaga, Exod. 8. *Videns Pharao, quod data eſſet requies, ingrauauit cor ſuum*, &c. Multos habet Pharao imitatores, qui plagis à Deo affecti, vitam moreſque ſe emendaturos aiunt: poſtquã plagæ ceſſant, videntes quòd data eſt requies morbi vel afflictionis, cor indurant, ſed quod differtur (vt aiunt) non aufertur; multas habet plagas Deus: multa ſunt flagella peccatoris. Si ceſſante vna plaga mores non corrigit impius, venient aliæ, Apocal. 9. *Væ vnum abiit: Ecce duo væ poſt hæc*, &c. Si abiit vnũ væ, ſequuntur alia; niſi ſe ad meliorem recipiat frugem peccator.

7.

Iſai. 28.

Daniel. 4.

2. Mach. 9.

Vexatio dat intellectum.

Gen. 12.

Exod. 8.

Ablata vexatione indurator cor ingratum.

Apoc. 9.

CAPVT IX.

De Tertia plaga ſciniphum.

EXODI CAP. VIII.

1. DIxitque Dominus ad Moyſen: Loquere ad Aaron: Extende virgam tuam, & percute puluerem terræ: & ſint ſciniphes in vniuerſa terra Ægypti. Feceruntque ita. Et extendit Aaron manum, virgam tenens: percuſſitque puluerem terræ, & facti ſunt ſciniphes in hominibus, & in iumentis: omnis puluis terræ verſus eſt in ſciniphes per totam Terram Ægypti. Feceruntque ſimiliter malefici incantationibus ſuis, vt educerent ſciniphes, & non potuerunt: erantque ſciniphes tam in hominibus, quàm in iumentis. Et dixerunt malefici ad Pharaonem: Digitus Dei eſt hic. induratúmque eſt cor Pharaonis, & non audiuit eos ſicut præceperat Dominus.

2. APocalypſis 11. *Væ ſecundum abiit, & ecce tertium veniet citò*, &c. Id ipſum nunc dicere poſſumus: abiit væ ſecundum, hoc eſt, plaga ſecunda ranarum, & ecce væ tertium, hoc eſt, plaga tertia veniet citò. Cùm Pharao nollet populum dimittere, præcepit Dominus Moſi, vt iuberet Aaronem virga puluerem terræ percutere. Cùm verò Aaron terram virga percuſſiſſet, Exod. 8. *Omnis puluis terræ verſus eſt in ſciniphes per totam terram Ægypti, erantq; ſciniphes tam in hominibus, quàm in iumentis*, &c. Hæc tertia fuit plaga, hoc tertium væ. Quæritur, *quinam dicantur ſciniphes?* Hebriacè dicuntur כנים *cinim.* Ioſephus lib. 2. antiquit. pediculos fuiſſe putat: Pediculorum, inquit, magna vis ex corporibus Ægyptiorum ſcatebat, à quibus mali malè perdebantur, &c. Eſt hæc ſententia Caietani, Oleaſtri, & Hebræorum. Obiicitur, pediculi ex hominum corporibus gignuntur: ſciniphes autem ex puluere terræ ſunt procreati: nequ

Apocal. 11.

Exod. 8.

Ioſephus.

ti: neque verò ſolis hominibus, ſed iumentis etiam nocebant. Facilè reſponderi poteſt, puluerem conuerſum eſſe in pediculos, corporibuſque hominum, & iumentorum adhæſiſſe: erant enim magni, & valde pungentes corpora, ac fœdantes. LXX. interpretes vertunt σκνῖφες, *ſciniphes*, ſic legit Philo. aliqui codices habent κνῖφες. Noſter vertit *ſciniphes.* Videtur vocabulum deductum ab Hebræo, כנים *cinim.* Philo volatilia animalia eſſe ait minutiſſima. Tot, inquit, ſciniphes profuſi ſunt ex terra, vt velut extenſa nubes totam obtineret Ægyptum. Id animal eſt moleſtiſſimum, quanuis ſit minutiſſimum. Nam non ſolùm ſuperficiem cutis lædit pruritu noxio, verumetiam interiora per aures, nareſque penetrat; inuolat in oculos, niſi quis caueat. Sic ille. D. Auguſt. in lib. de conuenientia plagarum, & mandatorum, ſcribit, fuiſſe muſcas minutiſſimas, inquietiſſimas, & in oculos irruentes, non permittentes homines quieſcere. Origenes quoque minutiſſima fuiſſe ait animalia, per aërem volantia, quę corpora grauiter ſtimulent. D. Hieron. Ioel. 2. Sciniphes, inquit, tam parui ſunt culices, vt vix cernantur oculis, &c. Sic etiam Rupertus ſentit, Lyranus, Abulenſis, Carthuſianus, & alii communiter. Pererius Exod. 8. exiſtimat ſciniphes vel fuiſſe noua animalia tunc primùm à Deo producta, aut nobis incomperta, ſed talia prorſus, qualia ſupra à Philone deſcripta ſunt, infeſtiſſima videlicet, & nocentiſſima hominibus. Non deeſt, qui putet, fuiſſe pulices. Obiicier aliquis, *non fuiſſe hanc plagam animalium volantium*, vel muſcarum minutiſſimarũ, eò quòd ſequẽs plaga quarta fuit muſcarum omnis generis. Sanè ſi ſequens plaga fuit muſcarum omnis generis, has etiam minutiſſimas muſcas, ſiue paruos culices, complexa eſt. Reſpondetur, præceſſiſſe in tertia plaga minutiſſimas quaſdam muſcas, ſiue culices, poſtea in quarta plaga immiſſum omne muſcarum genus. Non igitur cõprehendit quarta plaga culices. Aliter reſponderi poſſet, fuiſſe pediculos animalia illa tertiæ plagæ, vt Hebræi volunt, diſſimiles valde muſcis, vel alia animãtia ignota nobis. Si obiicias, in noſtra verſione appellari ſciniphes, quamobrem eſſe culices, reſpõdebitur, culices appellari cyniphes, per *c.* & *y* Græcum; in noſtra autẽ verſione non eſſe hoc nomen: ſed ſciniphes per *ſc.* Itaque videtur nomen deriuatum à nomine Hebræo *cinim.* LXX. interpretes dixerunt σκνῖφες, ſiue κνῖφες. Noſter interpres dixit *ſciniphes.* Quòd ſi nomen *cinim*, vnde cætera deducta videntur, Hebræis *pediculos* ſignificat, idem ſignificabit nomen *ſciniphes.*

Quinam dicantur ſciniphes.

Philo.

D. Auguſt.

Origenes.

D. Hieron.

Digitus Dei eſt hic.

3. Magi, qui Moſi reſiſtebãt, dæmonũ vi conati ſunt ſciniphes ex puluere terræ efficere; ſed nõ potuerũt ſciniphes efficere veros, vel præſtigioſos; nec potuerũt ex aliis locis eos in Ægyptum adducere, quoniam non permiſit Deus; nihil enim dæmones poſſunt, niſi permiſſi. Oſtendit Deus potentiam ſuam, magorumque, & dæmonum fallaciam, & imbecillitatem, in animalibus minutiſſimis. Itaque magi exclamarunt: *Digitus Dei eſt hic.* id eſt, potentia Dei eſt quæ animalia hæc efficit, noſtraſque artes, & dæmones ligat, ne operari poſſint. Hebræi, vt aiunt Lyranus, & Abulenſis, aiunt, dæmones non potuiſſe facere ſciniphes, quia poteſtatem non habent in corpus minus grano hordei. Sed non placet opinio; quia facilius eſt in rebus naturalibus minora facere quàm maiora. Præterea ſi Deus permiſiſſet, facile erat dæmones magnam ſciniphum copiam ex alijs locis in Ægyptum adducere. Lyranus putat magos, cùm dixerunt: *Digitus Dei eſt hic*: non ſignificaſſe diuinam potentiam, ſed potentiam dæmonis alicuius ſuperioris qui inferiores impediret. Non enim videtur magi cognouiſſe Dei potentiam; ſiquidem poſt hanc plagã reſiſtere Moſi non deſtiterunt. cap. enim 9. dicitur, *Non poterant ſtare coram Moſe*, &c. Quamobrem Caietan. eodem capite 9. ſic ſcribit: Hinc apparet perſeuerãtia magorũ aduerſùs Moſem, & quòd non credebant ſummum Deum, qui eſt fons eſſendi, facere hæc mirabilia; ſed aliquos dæmones, &c.

Magi confeſſi ſunt Dei potentiam.

Dicendum, magos tunc confeſſos eſſe Dei Hebræorum potentiam; neque tamen Deo ſe ſubieciſſe, ſed in nequitia perſeueraſſe. *Digitus* (inquiunt) *Dei Hebræorum eſt hic*, qui noſtris artibus potẽtior eſt. Hęc fuit tertia plaga; in ea defecerunt magi, quia ſciniphes facere nõ potuerunt. D. Auguſtinus quæſt. 25. in Exod. ait, magos in tertio ſigno, vel plaga defeciſſe, vt indicaretur Philoſophos ethnicos defeciſſe in tertia Trinitatis perſona; quod myſticum eſt. Commendatur, inquit, fortaſſe Trinitas, & quòd ſummi Philoſophi gentium, quantum in eorũ literis indagatur, ſine Spiritu ſancto philoſophati ſunt, quamuis de Patre, & Filio non tacuerint: quod etiam Didymus in libro ſuo meminit, quem ſcripſit de Spiritu ſancto. Sic Auguſt. lege, ſi placet, quæ de Philoſophis diximus tomo 1. Concordiæ, lib. 4. cap. 3. D. Hieronym. Matth. 12. ad illa verba Domini: *Si in digito Dei eijcio dæmonia.* Iſte, inquit, eſt digitus, quem confitentur & magi, qui contra Moſem, & Aaron ſigna faciebant, dicentes: *Digitus Dei eſt hic.* Hoc digito Dei tabulæ ſcriptæ ſunt in monte Sinai. Si igitur manus, & brachium Dei Filius eſt, & digitus eius Spiritus ſanctus, Patris & Filij, & Spiritus ſancti, vna ſubſtantia eſt. &c. Ait Hieronymus, Filium ſignificari manu Dei, & brachio, Spiritum verò ſanctum digito. De quo verba magorum interpretatur, quod etiã Rupertus, & alij faciunt. Cur digitus Dei Spiritus ſanctus dicatur, indicauimus Matth. 12. ad verba citata.

D. Auguſt.

Cur magi defecerint in tertio ſigno.

D. Hieron.

Spiritus ſanctus digitus Dei dicitur.

Induratum eſt cor Pharaonis.

4. Neque emolliuit duriſſimum Pharaonis cor magorum imbecillitas, confeſſioque potentię Dei, dicentium: *Digitus Dei eſt hic.* neque emolliuit moleſtiſſima ſciniphum plaga. Quid hac plaga percuſſus egerit, non aperit ſcriptura; ſolùm ait, induratum eſſe cor eius; maluit ſciniphum aculeos tolerare, quàm populum dimittere. Heu quàm difficile eſt aliena reſtituere!

Induratur Pharao.

Difficile eſt aliena reſtituere.

CAPVT

CAPVT X.

De Quarta plaga muſcarum.

EXODI CAP. VIII.

1. DIXIT quoque Dominus ad Moyſen: Conſurge diluculo, & ſta coram Pharaone: egredietur enim ad aquas: & dices ad eum: Hæc dicit Dominus: Dimitte populum meum vt ſacrificet mihi. Quòd ſi non dimiſeris eum, ecce ego immittam in te, & in ſeruos tuos, & in populum tuum, & in domos tuas, omne genus muſcarum: & implebuntur domus Ægyptiorum muſcis diuerſi generis, & vniuerſa terra in qua fuerint. Faciamque mirabilem in die illa Terram Geſſen, in qua populus meus eſt, vt non ſint ibi muſcæ: & ſcias quoniam ego Dominus in medio terræ. Ponamque diuiſionem inter populum meum, & populum tuum: cras erit ſignum iſtud. Fecitq; Dominus ita. Et venit muſca grauiſſima in domos Pharaonis & ſeruorum eius, & in omnem Terram Ægypti: corruptaque eſt terra ab huiuſcemodi muſcis. Vocauítque Pharao Moyſen & Aaron, & ait eis: Ite & ſacrificate Deo veſtro in terra hac. Et ait Moyſes: Non poteſt ita fieri: abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo noſtro. quòd ſi mactauerimus ea quæ colunt Ægyptii coram eis, lapidibus nos obruent. Viam trium dierum pergemus in ſolitudinem, & ſacrificabimus Domino Deo noſtro, ſicut præcepit nobis. Dixitque Pharao: Ego dimittam vos vt ſacrificetis Domino Deo veſtro in deſerto: verumtamen longiùs ne abeatis, rogate pro me. Et ait Moyſes: Egreſſus à te, orabo Dominum: & recedet muſca à Pharaone, & à ſeruis ſuis, & à populo eius cras: verumtamen noli vltrà fallere, vt non dimittas populum ſacrificare Domino. Egreſſuſque Moyſes à Pharaone, orauit Dominum. Qui fecit iuxta verbum illius: & abſtulit muſcas à Pharaone, & à ſeruis ſuis, & à populo eius: non ſuperfuit ne vna quidem. Et ingrauatum eſt cor Pharaonis, ita vt nec hac quidem vice dimitteret populum.

2. QVarta plaga ſimilis eſt tertiæ, tertia ſciniphum fuit, qui dicuntur fuiſſe minutiſſimæ quædam muſcæ. Quarta muſcarum eſt omnis generis. Ad induratum Pharaonem diluculo, quo tempore Rex in Nilum relaxandi animi gratia veniebat, miſit Dominus Moſem, vt peteret Hebræi populi dimiſſionem; quod ſi dimittere populum nollet, quartã prænuntiaret plagam muſcarum. Obtemperauit Moſes Domino: Pharaonis cor induratum obtemperare noluit; induratũ cor ſecuta eſt plaga: immiſitque Dominus in Ægyptum omne genus muſcarum. Implete ſunt domus Regis, & Ægyptiorum muſcis diuerſi generis, corruptaque eſt terra à muſcis. Hebraicè legitur, גרוב garob, quod nomen *mixtionem* ſignificat, quorũ ſit animalium mixtio non indicat. Hebræi dicunt ſignificare *commixtionem animalium, & ſerpentum* venenatorum, aſpectuque terribilium. Chaldæus ita vertit: *Mittam in te, & in ſeruos tuos mixtionem beſtiarum.* Ioſephus lib. 2. antiquit. Varias (inquit) & multiformes beſtiarum ſpecies immiſit, quales nemo ante eam diem vnquam viderat, &c. Pagninus vertit: Immittam *omne genus ferarum.* Caietanus putat, non fuiſſe mixtionem muſcarũ, ſed paruorum animalium agreſtium, terram Ægypti comedentium, atque deſtruentium. Dicendum eſt, mixtionem fuiſſe omnis generis muſcarum, vt noſter interpres intellexit. Sunt enim varia muſcarum genera: ea omnia in Ægyptũ irruerunt, maximeque nocuerunt Ægyptiis. Sap. 16. muſcas multis Ægyptiis attuliſſe interitum dicitur his verbis: *Illos*, id eſt, Ægyptios, *locuſtarum, & muſcarum occiderunt morſus, & non eſt inuenta ſanitas animæ ipſorum, quia digni erant ab huiuſmodi exterminari.* & Pſal. 77. *Miſit in eos cœnomyiam, & comedit eos*, venit cœnomyia, id eſt, *non communis muſca, ſed omnis generis muſca*, & comedit Ægyptios. Aquila etiam, teſte D. Hieronymo. epiſt. 134. ad Suniam, & Fretellam in fine epiſtolæ interpretatus eſt παμμυῖαν, id eſt, *omnimodam muſcam.* In Græcis libris legitur κυνόμυιαν, id eſt, *muſcam caninam*; quam verſionem agnoſcunt Philo in vita Moſis, Origenes, Theodoretus, Auguſtinus, & alij. Sed D. Hieronymus epiſtola citata: Cœnomyia (inquit) non vt Latini interpretati ſunt, muſca canina dicitur per υ Græcam literam, ſed iuxta Hebraicam intelligẽtiam per, æ, diphthongum debet ſcribi, vt ſit κοινόμυια, id eſt, *omne genus muſcarum.* Hæc ille. Sententiam Hieronymi ſecuti ſunt, qui iuſſu Pontificis ſummi vulgatam verſionem emẽdarunt, Pſalmo 77. & 104. in quibus non cynomyia, id eſt, muſca canina, ſed cœnomyia, id eſt, omnis generis muſca, legitur.

Completur Ægyptus muſcis. — Ioſephus. — Pagninus. — Sap. 16. — Pſal. 77. — D. Hieron. Muſcæ diuerſi generis erant.

Faciam mirabilem in die illa terram Geſſen.

Terra Geſſen, terra erat Ægypti, in qua Hebræi habitabant; mirabilem illam Dominus fecit, quia à plaga hac muſcarum liberauit. In tota Ægypto muſcæ erant: in terra Geſſen ne vna quidem apparebat. Quæritur, an Dominus non ſolùm *ab hac quarta muſcarum plaga, ſed à cæteris quoque omnibus Hebræos liberos* eſſe voluerit? Reſpondetur, liberauit quoque eos à quinta plaga, Exod. 9. *Mortua ſunt omnia animantia Ægyptiorum, de animantibus vero filiorum Iſrael nihil omnino periit.* Liberauit etiam à ſeptima grandinis, Exod. 9. *Tantum in terra Geſſen, vbi erant filij Iſrael, grando non cecidit.* Liberauit à plaga nona tenebrarum, & decima primogenitorum, Exod. 10. *Vbicunque erant filij Iſraël, lux erat.* Exod. 12. *Tranſibo vos, neque erit in vobis plaga.* Videlicet primogenitorum. Idem in cæteris plagis factum docet D. Auguſtinus, quæſt. 26. in Exod. Quod (inquit) hîc, id eſt, in quarta plaga, aperuit Scriptura, ne vbique diceret, intelligere nos noluit, idem & in poſterioribus, & in prioribus ſignis factum eſſe, vt terra quam habitabant Hebræi, nullis plagis talibus vexaretur. Hæc ille. Et Philo lib. 1. de vita Moſis: Tot, inquit, plagis Ægyptus caſtigata eſt, quarum tamen nulla Hebræos attigit, quamuis cohabitantes in eiſdem oppidis, vicis, domibus, &c.

D. Hiron. An Deus Iſraëlitas è plagis liberauerit. — Exod. 9. — Exod. 9. — Exod. 10. — Exod. 12. — D. Auguſt. — Philo.

Vocauitq́ Pharao Moſem, & Aaron.

4 Quò ſe verteret Pharao, tot plagis percuſſus, neſciebat, nullum aliud aſylum reperiebat præter Moſem & Aaronem. Quarta igitur muſcarum plaga percuſſus, ad Moſem & Aaronem confugit. *Ite*, (inquit) *ſacrificate Deo veſtro in terra hac*; facultatem dedit ſacrificandi, ſed non abeundi extra Ægyptum, ſacrificandi vobis do poteſtatem, dummodo in terra hac ſacrificia offeratis.

Dat Pharao facultatẽ ſacrificandi in Ægypto.

Abominationes Ægyptiorum immolabimus Deo noſtro.

5 Reſpondit Pharaoni Moſes, non poſſe Hebræos in Ægypto Deo offerre ſacrificium: *Non poteſt*, inquit, *ita fieri: Abominationes enim Ægyptiorum immolabimus Domino Deo noſtro?* Per interrogationem hæc verba leguntur in emendatis libris, hoc ſenſu: Non poteſt fieri, vt in Ægypto, in oculis Ægyptiorum ſacrificium Deo offeramus. Numquid enim abominationes Ægyptiorũ, Deo immolabimus? ſed ſi fecerimus, lapidibus nos obruent. Dubitatur, Ægyptij non abominabantur, imò colebant animalia, quæ Hebræi erant immolaturi, nimirum oues, & boues, cur igitur Moſes ait: *Nunquid animalia, quæ abominantur AEgyptij, immolabimus?* Dixiſſet potiùs: numquid animalia, quæ colunt Ægyptij, in cõſpectu eorum immolabimus, vt lapidibus nos cædant? Reſpondetur, Moſem oues, boues, capras, & hœdos appellare abominationes Ægyptiorum, quia hæc animalia venerabantur. Quemadmodum Deut. 32. in Cantico, idola, quæ Iſraëlitæ coluerunt, appellat abominationes: *Prouocauerunt*, inquit, *eum*, id eſt, Deum, *in dijs alienis, & in abominationibus ad iracũdiam prouocauerunt*, &c. Eſt igitur ſenſus: numquid coram Ægyptiis abominationes eorum immolabimus, id eſt, animalia, quæ illi abominãdo cultu colunt? *Quod ſi ea mactauerimus in terra hac coram eis, lapidibus nos obruent.* Cõcede igitur Rex, vt via trium dierum pergamus in deſertum, & ſacrificabimus Deo extra Ægyptum, vt ipſe nobis præcepit. Obiicies, *nimium fuiſſe audacem Moſem*, qui coram Pharaone, & AEgyptiorum primatibus, auſus eſt, animalia quæ illi colebãt, appellare *abominationes AEgyptiorum.* Reſpondetur, fortiſſimum fuiſſe Moſem potius, quàm audacem. Quid mirum? Conſtitutus erat Deus Pharaonis, eius furorem, aut AEgyptiorum non pertimeſcebat. Timebat Rex Moſem, non Moſes Regem. Chaldæus ita vertit ſine interrogatione: *Animal, quod AEgyptij colunt, nos immolabimus*; vt ſacrificemus Domino, coram Deo noſtro. Quòd ſi immolauerimus animal, quod ipſi colunt, ipſis videntibus, nónne lapidabunt nos? L X X. quoque ſine interrogatione interpretantur, hoc modo: *Abominationes* enim AEgyptiorum *immolabimus* Domino Deo noſtro. Si enim immolauerimus abominationes AEgyptiorum coram ipſis, lapidabimur, &c. Caietanus, & alij ſic exponunt: *Abominationes AEgyptiorum*, id eſt, animalia, quæ AEgyptij abominantur occidi, *immolabimus Domino*, ita vt abominationes AEgyptiorum dicantur animalia, quia ea ſacrificari, & mactari, abominatio illis erat.

Deut. 32. Quænam appellētur abominationes Ægyptiorum. — Sebaſt. Barradas Itiner. Iſraëlit. — Caietan.

Ego dimittam vos, vt ſacrificetis in deſerto.

Reſpondit Moſi corde molliori Pharao: *Dimittam vos*, vt extra AEgyptum *in deſerto* Deo ſacrificium offeratis: cauete tamen, ne longiùs abeatis, & rogate pro me Deum. At inconſtans homo, & Proteo mutabilior, poſtquam plaga muſcarum amota eſt, cor indurauit, noluitque dimittere populum. 6

Induratur Pharao.

CAPVT XI.

MORALE.

De Tertia, & Quarta plaga.

TErtia plaga, ſiue tertium vę fuit ſciniphum; quarta omnis generis muſcarum. Expendat, quæſo, lector quàm exiguis animalibus potentiſſimum AEgypti Regem Deus debellet, non leones, vel tigrides, pardos, & vrſos, horribileſque alias feras, aut dracones, ſed ſciniphes, & muſcas, veluti milites, immittit; ſatis enim ſuperque ſunt hi milites tanto Imperatori, ad ſuperandum orbem. Philo lib. 1. de vita Moſis, rationem reddit cur Deus vilia immiſerit animalia. Ea verò fuit, quia noluit omnino AEgyptios delere, ſed caſtigare; ſi enim delere voluiſſet omnino, peſtem, vel famem immiſiſſet. Quæret (inquit ille) aliquis, cur Deus tam vilibus animalibus vti maluerit, quàm vrſis, leonibus, pardis, cæteriſque feris carniuoris? aut ſi hæ non placebant, ſaltem familiaribus AEgypto aſpidibus, quarũm morſus ſine mora necat. Is ſi neſcit, diſcat, Deum voluiſſe incolas caſtigare, non tollere. Nam ſi eos omnino delere voluiſſet, non opus erat animalium opera, ſed diuinitus immiſſa fame ac peſtilentia. Hæc Philo. Eundem in modum Deus nos caſtigare vult, & emendare, non tollere omnino; idcirco aliquando ſuppliciis nos afficit, non mortiferis; aquæ caſtigent, & emendent, non tollant, quòd ſi mores corrigere noluerimus, caueamus ne grauiora immittat, quibus vitam auferat. Egregius locus eſt in hanc ſententiam Sapientiæ 12. *O quam bonus* (inquit Sapiens) *& ſuauis eſt, Domine, ſpiritus tuus in omnibus, ideoque eos qui exerrant, partibus corripis, & de quibus peccant, admones, & alloqueris, vt relicta malitia credant in te Domine*, &c. Summa eſt Dei bonitas, ideò non extinguit homines, ſubitò leones immittens, & tigrides, ſed parua animalia, & morbos, qui ſpatium tribuant ad agendam pœnitentiam: *Eos (inquit) qui exerrant, partibus corripis.* Græcè κατ' ὀλίγον ἐλέγχεις, id eſt, *paulatim ex parte*, vel

Philo. — Per parua animalia Deus homines punit. — Sapient. 12. Deus ſupplicio ducit homines ad pœnitentiam.

F

vel *parvo supplicio corripis*, & de quibus peccant admones, vt pœnitentiam agant. Proponit Sapiens huius rei exemplum, bonitatem Dei, qua vsus est in habitatores terræ promissionis, in quos feras non immisit, sed vespas. *His*, inquit, *tanquam hominibus pepercisti, & misisti antecessores exercitus tui vespas, vt illos paulatim exterminarent. Nō quia impotens eras in bello subiicere impios iustis, aut bestijs sævis, aut verbo duro simul exterminare, sed partibus.* Græcè κατὰ βραχὺ; id est, *paulatim, iudicans dabas locum pœnitentiæ*, &c. Eundem in modum Ægyptios muscis percussit, non terribilibus feris, vt pœnitentiam agerent, Sapient. 11. *Non impossibilis*, inquit, *erat omnipotens manus tua immittere illis multitudinem vrsorum, aut audaces leones, aut noui generis ira plenas ignotas bestias.* Subiicit: *Sed misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam.* Item cap. 12. *Inimicos*, inquit, *seruorum tuorum, & dignos morti cum tanta cruciasti attentione, dans tempus & locum, per quæ possent mutari à malitia.* Flagellat Deus homines cum attentione misericorditer, & paulatim attendens ad peccatorum merita, & tempus largiens pœnitentiæ. Addit Philo aliam rationem his verbis: Homines, quando bella gerunt, auxilia sibi asciscunt potentissima, quibus suam infirmitatem suppleant: Deus verò omnipotens, & nullius opera egens, si quando vult, tanquam instrumentis quibusdam vti ad exigēda supplicia, non eligit valida, sed vilia, paruaque instruit inuictis viribus, atque ita noxios plectit. Sic ille. Huc illud spectat D. Hieronymi Ioëlis 2. Per parua, inquit, &, vt ita dicam, puncta corporum ostendit Deus humanam fragilitatem, &c. Eodem loco ait, vilia animalcula, pulices, cimices, & similia, facta vt nos morderēt, & fragilitatem nobis nostram indicarent. Illud (inquit Hieronymus) solemus respondere Marcioni, & cæteris hæreticis, qui vetus lacerant Testamentum, quod pulices, & culices, & cimices, & huiusmodi animantia idcirco fecerit Deus, vt fragilitatem nostræ carnis ostenderet, quæ in tantum nihil est, vt ab iis, quæ parua sunt, vulneretur, &c. Aliam causam habemus capite iam indicato. Vilibus animalibus Deus Ægyptios percussit, quia vilia animalia colebant, vt similis esset pœna peccato. Sapient. 11. *Pro cogitationibus insensatis iniquitatis eorum, quòd quidam errantes colebant mutos serpentes, & bestias superuacuas* (id est, inutiles, & viles) *immisisti illis multitudinem mutorum animalium in vindictam, vt scirent, quia per quæ peccat quis, per hæc & torquetur.* Animalia muta Græcè dicuntur ἄλογα, quia verò λόγος, & *rationem* significat, & *sermonem*, noster vertit, *animalia sine sermone, muta*; alij, animalia *sine ratione, irrationalia*; vtrumque verum est. Sapient. 12. *Illis* (inquit) *qui insensatè, & iniustè vixerunt, per hæc, quæ coluerunt, dedisti summa tormenta. Etenim in erroris via diutius erraverunt, Deos æstimantes hæc, quæ in animalibus sunt superuacua.* (Græcè ἕρπα, id est, *vilia*, infantium insensatorum more viuentes.) *Propter hoc tanquam pueris insensatis iudicium in derisum dedisti.* Iudicium autem, & pœnam tribuit in derisum Ægyptiis Deus, cùm eos per vilia animalcula puniuit; Chananæis verò cum eis vespas immisit. Plinius lib. 8. cap. 29. paruis animalibus euersa aliquod oppida commemorat: Exitij, inquit, documenta sunt è contemnendis animalibus. Vt cum à cuniculis suffossum est in Hispania oppidum, à talpis in Thessalia, à ranis ciuitas in Gallia pulsa, à locustis in Africa, à muribus incolæ ex Gyario Cycladum insula fugati, in Italia Amyclæ à serpentibus deletæ, à scorpionibus & solpingis gens Æthyopum citra cynamulgos sublata, à scolopendriis Otricretes abacti. Sic ille.

Sap. 11.

Deus cruciat cum attentione.

Philo.

D. Hieron.

Pulices, & cimices admonent nos fragilitatis nostræ.

Pœna peccato similis. Sap. 11.

Per quæ quis peccat, per hæc punitur.

Sap. 12.

Plinius.

Digitus Dei est hic.

Permisit Deus magos decipere Pharaonem, & Ægyptios in prima, & secunda plaga, vt quid illi possent, cernerent. Non permisit vlteriùs progredi, vt illorum fraudes, & imbecillitatem palam indicaret. Qua in re obseruandū est: Primò, absque permissione Dei nihil facere posse dæmones, quorum opera magi vtuntur. Potuerūt permissi in prima & secūda plaga Ægyptios ludificare; in tertia minimè; quia Deus non permisit. Facile erat sciniphes ex aliis regionibus adducere, facere nequiuerunt, quia noluit Deus. Secundò, vlteriùs præstigiæ illorum non potuere progredi, sed defecerunt eorum artes impiæ, manifestaque fuit eorum insipientia, iuxta illud Apost. 2. ad Timoth. 3. *Quemadmodum Iannes, & Mambres restiterunt Mosi: ita & hi resistunt veritati, homines corrupti mente, reprobi circa fidem, sed vltra non proficient: insipientia enim eorum manifesta erit omnibus, sicut & illorum fuit.* Magi Iannes, & Mambres Mosi restiterunt, sed vltra non profecerunt, quia in plaga tertia defecerunt, patuitque omnibus Ægyptiis, & Hebræis eorum insipientia, & imbecillitas. Similes his, ait Paulus, fore hæreticos, de quibus eo capite loquitur; *vltra non proficient*, eritque eorum *manifesta insipientia*, & impudentia. Vltra non profecit Lutherus, aut Caluinus, cæterique assecla, abierunt in locum suum, id est, tartarum, vbi acerbissimas dant pœnas, *manifesta* est toto orbe eorum *insipientia*, manifesta hæreseon, quæ effinxerunt, monstra. Sanè si huc redire possent, magnis gimitibus palinodiam miseri canerent: ipsi defecerunt, deficient quoque eorum sectæ tempore à Deo constituto, quemadmodum omnium superiorum temporum hæreticorum sectæ defecerunt. Ecclesia verò nunquam deficiet. Fundata est enim super firmam petram, & *portæ inferi non præualebunt aduersus eam.* Tertiò coacti cognouerunt potentiā Dei Hebræorum, & exclamarunt: *Digitus Dei hic est*, Sapient. 12. *Virtus tua iustitiæ initium est, & ob hoc, quod omnium Dominus es, omnibus te parcere facis; virtutem enim ostendis tu, qui non crederis esse in virtute consummatus, & horum qui te nesciunt, audaciam traducis.* Hoc est, ô Domine Deus, solet potentia hominum sæpè iniustitiæ esse causa: at potentia tua iustitiæ est initium, & fons; & quia omnium hominum Dominus es potentissimus, non operaris iniustitiam, vt homines multi, qui domini sunt; sed clementer, vt misericors Dominus, omnibus pœnitentiam agentibus parcis, (Glossa interlin. *Vt qui præes potentia, mitescas natura.*) Potentiam verò tuam in homines audaces, & impios exeris, à quibus non crederis esse in potentia consummatus, atque perfectus. Ostendis illis puniendo potentiam tuam, vt eius perfectionem, & magnitudinem agnoscant, & puniendo eorum, qui te, potentiamque tuam ignorant, *audaciam traducis*, id est, ante omnium oculos proponis. Græcè ἐξελέγχας, id est, *redarguis.* Hoc maleficis Pharaonis contigit. Non

Non permisit Deus magos facere sciniphes.

2. Timoth. 3.

Hæretici deficient.

Coacti magi cognouerunt Dei potentiā. Sap. 12.

Deus potentiam suam ostēdit impios puniendo.

Non credebant illi Deum Hebræorum in virtute, id est, potentia, esse consummatum, ac perfectum. Ostendit illis Deus potentiam suam, & audaciam eorum, qui Mosi restiterunt, traduxit, ac redarguit, quamobrem exclamarunt: *Digitus Dei est hic.*

Quartò, plagæ hæ à digito Dei fuere, quia leuiores quàm aliæ, quibus Deus potuisset Ægyptios, veluti manu, punire. vnde Philo: Quid (inquit) sciniphe vilius? tamen tantum effecit, vt tota Ægyptus deficiens exclamare cogeretur, hunc esse *digitum Dei.* Manus enim ne à tota quidem terra, quanta est, sustineri potest, imò neque à mundo vniuerso, &c. Sunt etiam plagæ huius vitæ digiti Dei, at plagæ tartari, manus sunt Dei, nempe multo grauiores.

Philo.

Plagæ Ægypti digiti Dei fuere.

Venit musca grauissima in domos Pharaonis, & seruorum eius.

Muscæ Ægypti, mundi significant inquietudinem, ac molestiam. Quemadmodum enim muscæ Ægyptios pungebant, & quiescere non patiebantur: sic mundi desideria, ac negotia, mundo mancipatos homines quiete frui non sinunt. Populus Dei sabbatum festum diem colebat, significat autem sabbatum cessationem à labore, & quietem; Ægyptus verò muscis pungitur, & perturbatur. Eundem in modum viri Dei, qui se Deo mancipant, rebusque diuinis vacant, sabbatum festum, id est, cordis tranquillitatem festam habent, ab anxio desiderio rerum terrenorum labore liberam. Quid enim laboriosius (ait Gregorius loco citando) quàm terrenis æstuare desideriis? Aut quid quietius quàm huius sæculi nihil appetere? &c. At Ægyptij mundi mancipia muscis, hoc est, desideriis huius sæculi vexantur, atque stimulantur. D. Gregor. Iob 28. ad illa verba: *Mare dicit; Non est mecum sapientia.* Populus (inquit) Dei cultor, accipit sabbatum, id est, requiem mentis, vt nullo in hac vita desideriorum carnalium appetitu fatigetur: Ægyptus verò, quia mundi huius figuram tenet, muscis percutitur. Musca enim nimis insolens, & inquietum animal est; in qua quid aliud, quàm insolentes curæ desideriorum carnalium designantur? Ægyptus ergo muscis percutitur, quia corda eorum, qui terrenam vitam diligunt, dum suorum desideriorum inquietudinibus feriuntur, turbis cogitationum carnalium ad ima depressa sunt, vt ad quietis intimæ desiderium non leuentur. Sic D. Gregor. eodem loco, inquietam vitam hominum, qui terrenis atque inquietis rebus se addicunt, cum inquieto mari confert, quod apud Iob ait: *Sapientia non est mecum.* Non enim est diuina sapientia cum huiusmodi hominibus. Quid (inquit Gregorius) maris nomine, nisi sæcularium mentium amara inquietudo signatur? Item: Mare vita sæcularium dicitur, quia dum procellosis actionum motibus concitatur, ab internæ sapientiæ quiete, atque stabilitate disiungitur, &c. Caueamus Ægypti muscas; sabbatum, id est, mentis tranquillitatem semper quæramus, abigamus molestas mundi muscas, hoc est, mundi desideria, quæ sursum sunt, quæramus, quæ sursum sunt, sapiamus.

Muscæ Ægypti mundi inquietudinem, & molestiam indicant.

D. Gregor.

Iob 28.

Sebast. Barradas Itiner. Israëlit.

Sacrificate Deo vestro in terra hac.

Quemadmodum Pharao Israëlitis suadebat, vt in Ægypto sacrificarent Deo, vel saltem ne longè abirent; sic satanas nobis suadet, vt Deo seruiamus, imperfectè tamen, & tepido corde, in mundo manentes, vel ne longè recedentes. D. Cyrill. lib. 1. de adorat. Conatur (ait) satanas persuadere nobis, vt Deo cultum non accuratè admodum exhibeamus, neque penitus ab eius seruitute recedamus. Non enim extra suam regionem, sed intra illius fines sacrificare Iudæos iubet. Sed sapiēntissimè Moses: *Non potest*, inquit, *sic fieri.* Nemo enim potest duobus dominis seruire; oportet enim Deo purum exhibere cultum, omnisque culpæ expertem, egressos in totum ab ea vita, quæ sub diaboli ditione est, &c. Item D. Cyrill. eodem loco: Plurimi sunt, (inquit) qui sola fide Deum colunt, hos esse dicimus, qui in Ægypto sacrificāt, aut certè paulùm egressi. At qui perfectè se ad virtutem transferunt, & Deo placere student, & in totum à sæculari confusione discedunt; hi ex Ægyptiorum finibus excedunt, dæmonisque potestatem effugiunt, & in vacua soluataque curis vita, tanquam in deserto puri, ac purè Deo sacrificant, &c. Item: Si quis omnino sit egressus, ac priscis moribus valedixerit; is in deserto sacrificat, vitamque summa laude dignam agit. Sic Cyrillus.

D. Cyrillus.

Diabolus vult nos non discedere ab Ægypto.

In deserto sacrificat, qui priscos mores mutat.

Abominationes Ægyptiorum sacrificabimus Domino.

D. Bernardus in serm. de verbis Petri: *Ecce nos reliquimus omnia.* versus finem, latera duo esse ait scalæ, per quam ad Deum ascendimus, nimirum humilitatem, & laborem, siue vilitatem, & asperitatem: has, ait, abominationes esse Ægyptiorum, quia vilitatem fugiunt, honores ambiunt; ab asperitate vitæ abhorrent, delicias complectuntur: has abominationes illorum, nos debemus veluti gratissimum sacrificium Deo offerre, hæc scalæ fabricare latera, vitæ asperitatem, & vilitatem, siue humilitatem: deinde reliquas virtutes, quasi gradus scalæ lateribus inserere. Hæ (inquit D. Bernardus) sunt abominationes Ægyptiorum, quas nos immolamus Domino Deo nostro, & totum quod à via vitæ deterret filios huius sæculi: totum quod interim exercet seruos Dei, in his duobus est, quæ Propheta commendat Psalm. 24. *Vide*, inquiens, *humilitatem meam, & laborem meum.* Hæc sunt latera scalæ, vilitas, & asperitas, quibus deinceps internæ virtutis, & gratiæ gradus firmiter inserantur. Vbi sic firmaueris in corde tuo, asperitatem corporalis abstinentiæ, & laboris amplecti, & omni vilitate, & extremitate esse contentus, bona sunt latera, securus iam insere gradus. Sic ille. Legendus D. Gregorius Iob 12. ad illa verba: *Deridetur iusti simplicitas.* Quod, inquit, abominantur Ægyptij, hoc Israëlitæ Deo offerunt, quia simplicitatem conscientiæ, quam iniusti despiciunt, hanc iusti in virtutis sacrificium vertunt, &c. Abominationes idola significant. Viri religiosi abominationes Ægyptiorum immolant, cùm idola eorum, videlicet opes, voluptates, honores, Deo in holocaustum offerunt pauper-

Quæ sint abominationes Ægyptiorum, id est, seruorum mundi.

D. Bernard.

Psalm. 24.

Iusti Deo sacrificant abominationes impiorum.

D. Gregor.

paupertatem vouentes, castitatem, & obedientiam. Sunt enim vitia idola dæmonum, quæ magnificaiunt, hæc immolanda sunt omnia, & mortificanda. Præterea virtutes sunt abominationes dæmonum, has Deo velut sacrificia iusti
D. Cyril. offerunt. D. Cyrill. lib. 1. de ador. Carnis, inquit, vitia magnificaiunt dæmones, quia per illa nos perdimur, & in eorum potestatem ducimur vincti. Hæc si mortificauerimus, & mactauerimus in odorem suauitatis erimus Deo. Singula quæ in nobis sunt vitia, Ægyptiorum, id est, dæmonum, abominationes sunt, id est, præcipuus eorum cultus. Nam scriptura id quod idoli vice est, *abominationē* appellat. Quòd si quis abominationē intilligere voluerit rem exosam, ne is quidē à vera intelligētia aberrarit. Quę enim dæmones semper odisse, & abominari consueuerunt, ea à nobis Deo in odorē suauitatis offeruntur, & hostiæ spiritales sunt, fides, mansuetudo, continentia, temperantia. Hæc D. Cyrillus.

Faciam mirabilem terram Gessen, in qua populus meus est.

A Facit Deus mirabiles religiones, in quibus religiosi viri idola Ægyptiorum ei immolant. Mundi amatores muscis, vt supra diximus, id est, terrenis desideriis exagitantur; at in terra Gessen, id est, in religione, quæ patrum suorum documenta obseruat, muscæ non sunt, quia terrena desideria abiguntur. Mundi amatores in tenebris viuunt crassissimis, quæ palpari possunt: Dei amatores in luce manent, Exod. 9. *Factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Ægypti, vbicunque autem habitabant filij Israël, lux erat.* Denique sicut filij Israël à plagis Ægypti liberati sunt; ita Dei amatores à peccatis mortiferis
B Dei munere liberantur; hæc enim plagæ sunt Ægypti, & quidem maximæ.

Mirabiles facit Deus religiones. — *Exod 9.*

Exod. 8. *Ponam* (ait Dominus) *diuisionem inter populum meum, & populum tuum*, id est, populum Pharaonis. Magna est diuisio, magnumque discrimen inter seruos Dei, & seruos mundi, illi humiles sunt, hi insolentes; illi castitate fulgent, hi libidini fœdantur; illi charitate inflammati sunt, hi odiis dissident; illi caduca despiciunt, hi magnificiunt.

Exod. 8. Magnum discrimen inter seruos Dei, & seruos mūdi.

CAPVT XII.

De *Quinta plaga pestis animalium.*

EXODI CAP. IX.

1 DIxit autem Dominus ad Moysen: Ingredere ad Pharaonem, & loquere ad eum: Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: Dimitte populum meum vt sacrificet mihi. Quòd si adhuc renuis, & retines eos: ecce manus mea erit super agros tuos: & super equos, & asinos, & camelos, & boues, & oues, pestis valde grauis. Et faciet Dominus mirabile, inter possessiones Israël, & possessiones Ægyptiorum, vt nihil omnino pereat ex his quæ pertinent ad filios Israël. Constituitque Dominus tēpus, dicens: Cras faciet Dominus verbum istud in terra. Fecit ergo Dominus verbū hoc altera die: mortuaque sunt omnia animantia Ægyptiorum: de animalibus verò filiorum Israël nihil omnino periit. Et misit Pharao ad videndem: nec erat quidquam mortuum de his quæ possidebat Israël. Ingrauatumque est cor Pharaonis, & non dimisit populum.

2 INdurauit cor Pharao quarta percussus plaga, Deus verò clementissimus monere illum iubet, vt populum dimittat, prædicitque illi Moses quintam plagam, ea fuit animalium pestis. *Ecce*, inquit Dominus, *manus mea erit super agros tuos, & super equos, & asinos, & camelos, & boues, & oues, pestis valde grauis.* Aduerte pestem hanc occidisse ea tantùm animalia, quæ in agris erant.
Peste animalia occiduntur in agris. *Ecce*, inquit, *manus mea erit super agros, & super equos, & cætera animalia.* Subintellige, quæ in eis fuerint. Hoc versio LXX. interpretum indicat, quæ est hujusmodi: *Ecce manus Domini erit in iumentis tuis, quæ in campis, in equis*, &c. Chaldęus verò sic interpretatur: *Ecce plaga à facie Domini*
D *erit in pecoribus tuis quæ sunt in agro, in equis*, &c. Ita factum est, mortuaque sunt omnia animātia Ægyptiorum, quæ erant in agris. Forsitan aliqui ex Ægyptiis, quia Moses prędixit in crastinū diem plagam hanc, animalia sua domum adduxerunt, & seruarunt, quod etiam fecerunt, cùm prædixit plagam septimam. Primas tres plagas, sanguinis, ranarum, & sciniphum immisit Dominus ministerio Aaronis & virgę, quarta muscarum per quem sit facta, non aperit scriptura. Probabiliter Caietanus putat, Deum quartam fecisse plagam, neque per Mosem, neque per Aaronem, neque mediante virga ad
C tollendam occasionem suspicandi, quòd in virga esset virtus faciendi mirabilia per magicas artes. Similiter in scriptura hæc plaga quinta pestis animalium per quem sit facta, non ostenditur. Idem Caietan. ait neque per Mosem, aut Aaronem, aut virgam esse plagam excitatam, propter causam supra assignatam in quarta plaga. Aduerte tamen, angelorum ministerio vsum Deum in plagis inferendis, iuxta illud Psalm. 77. *Misit in eos iram indignationis suæ, indignationem & iram, immissiones per Angelos*
malos. id est, per dæmones. Possunt etiam angeli sancti dici mali AEgyptiis eò quòd malum
D AEgyptiis inferebant, ab effectu, vt Euthymius ait. de hoc postea.

Psal. 77. — *Angeli mali qui dicuntur.*

De animalibus filiorum Israel nihil omnino perijt.

Israelitas plaga hæc minimè attigit, nullum enim animal, & si in agro esset, periit; idque sic futurum prædixit Moses. Verumtamen noluit Pharao populum dimittere, ingrauatumque est cor eius; quia graue illi erat Israelitis facultatem dare discedēdi ex AEgypto. Exod. 9. *Misit Pharao ad videndum, nec erat quidquam mortuum de ey s, quæ possidebat Israel, ingrauatumque est cor Pharaonis,*

Exod. 9.

Pharaonis, & non dimisit populum, &c. In hæc verba August. sic scribit: Quomodo ex contrariis causis facta est hæc ingrauatio cordis Pharaonis? si enim pecora Israëlitarum mortua fuissent, tunc videretur causa competens. Nunc verò vnde debuit ad timendum, & credendum moueri, videns nullum pecus mortuum, ex pecoribus Hebræorum; hinc magis ingrauatus est,
D. August.
A & hucusque ingrauatio eius progressa est. Hæc ille. Sed Pharaonem dicimus non ingrauasse cor, quòd viderit nullum pecus mortuum ex pecoribus Hebræorum; verba enim illa: *Ingrauatum est cor eius*, ad omnia præcedentia referuntur, quasi dicat; non fuit satis plaga hæc, & diuisio inter Ægyptios, & filios Israël, vt Pharao cor suum emollirer.

CAPVT XIII.

De *Sexta plaga vesicarum.*

EXODI CAP. IX.

1 ET dixit Dominus ad Moysen & Aaron: Tollite plenas manus cineris de camino, & spargat illum Moyses in cælum coram Pharaone. Sitque puluis super omnem Terram Ægypti: erunt enim in hominibus & iumentis vlcera, & vesicæ turgentes, in vniuersa Terra Ægypti. Tuleruntque cinerem de camino, & steterunt coram Pharaone, & sparsit illum Moyses in cælum: factaque sunt vlcera vesicarum turgentium in hominibus, & iumentis: nec poterant malefici stare coram Moyse propter vlcera quæ in illis erant, & in omni Terra Ægypti. Indurauitque Dominus cor Pharaonis, & non audiuit eos, sicut locutus est.

Facta sunt vlcera vesicarum turgentium.

2 HÆc est plaga sexta; Moses autem Pharaonem induratum non monuit, antequam illam inferret, sed iussu Dei ipse, & Aaron de camino quodam cinerem, vt videtur, calidum tulerunt, veneruntque ad Regem. Moses sparsit illum in cælum, excitatusque est super terram Ægypti puluis, & longè lateque dispersus; inde ortæ sunt in hominibus & iumentis vlcera vesicarum turgentium. Nam puluis in homines,
Vesicis percutiuntur Ægyptij, & vlceribus.
iumentaque cadebat, vesicasque tumentes efficiebat, & vlcera. Ardens erat ille puluis, significatus cinere sumpto ex camino, & in cælum iactato ardentes efficiebat vesicas, & vlcera in hominibus, & iumentis, non tamen in omnibus, vt obseruat Caietanus. Primùm à puluere ardente gignebantur vesicę ardentes, ac tumentes, postea ex vesicis fiebat vlcus ardēs; ideo interpres vertit: *Facta sunt vlcera vesicarum turgentium in hominibus, & iumentis.* Hebraicè legitur שחין *sechin*, significat nomen, *vlcus*, & *scabiem.* Chaldæus vertit: *Et fuit scabies, & vesicæ multæ in hominibus, & pecoribus.* LXX. Interpretes: *Facta sunt vlcera vesicæ feruentes in hominibus, & quadrupedibus.* Vesicæ Hebraicè dicuntur, אבעבעות *abagbugoth.*

Nec poterant malefici stare coram Moyse propter vlcera.

3 Cecidit ardens puluis super maleficos, qui Mosi resistebant, vesicas ardentes, ac tumentes in illis effecit, & vlcera sanniosa, ac dolore plena: iam illorum artes impiæ defecerant, iam Dei potētiam intellexerunt; Pharaonem tamen comitabantur, sed coram Mose stare non poterant, depressi enim erant valde, atque deiecti, ita vt coram illo, cum quo certabant, & cui resistebant, stare non possent, vlceribus vesicarū pleni. Scit Deus superbos de celso gradu deiicere, etsi aliquo tempore permittat superbia extolli,
Psal. 54. Magi victi sunt à Mose, & humiliati.
Psal. 54. *Exaudiet Deus, & humiliabit illos, qui est ante sæcula*, &c. Rupertus Exod. 9. Ecce, inquit, tertiò magi victi sunt, vnde & deinceps nulla maleficorum fit mentio, periit enim memoria eorum. Ter autem à Mose victos ostendit Ru-
Sebast. Barradas Itiner. Israëlit.
B pertus his verbis; Primò, virgis suis non sine cōfusione sunt exarmati, quia virga Aaron deuorauit virgas eorum. Secundò, confusi, quia non potuerunt sciniphes educere, dixerunt: *Digitus Dei est hic.* Tertiò, sic superati sunt, vt non possent respirare spe vllius victoriæ; vlcerosi quippe & ipsi, nec iam poterant stare coram Mose. Hæc ille. *Ruperti.*

Indurauit Dominus cor Pharaonis.

4 Grauis fuit hæc plaga vesicarum, & vlcerum, potens sanè ad emollienda pectora adamantina: at cor Pharaonis induratum est, quia durum erat illi dimittere populum. Indurasse autem
C Dominus dicitur eius cor; non apponendo duritiē aliquā, sed auxilia subtrahendo, vt meritus erat. qua de re supra iā locuti sumus. Dubitabit aliquis, *an hæc vlcera, & vesicæ Pharaonem innaserint?* Etenim si ille vesicis, atque vlceribus saniosis, & dolore plenis fuisset affectus, sanè cor de blandiori Mosem orasset pro sanitate; at ne verbum quidem Mosi dixisse legitur. Præterea scriptura magos dixit non potuisse stare coram Mose propter vlcera: si Pharao vlcera quoque habebat, quomodo potuit stare? Respondetur, Pharaonē orasse Mosem, vt plagam pelleret, sed post pulsam plagā indurasse cor, vt aliis in plagis. Hoc autē scriptura prætetiuit, quia ex aliis plagis cognosci poterat. Magorum autē meminit scriptura, eosque ante Mosem stare non potuisse retulit; quia illi resistebāt, & eius miracula facere nitebātur, vt ostenderet eorū imbecillitatem. Pharaonis non meminit, qui abiisse etiā videtur domū vlceribus medicinā abhibiturus. Forsitā dici posset, hanc plagā non tetigisse Pharaonem, atq; idcirco dixisse scripturā: *Indurauit Dominus cor Pharaonis*; quia scilicet eū vesicis, & vulneribus nō percusserat, vel paucis affecerat;

An vesicæ & vlcera innaserint Pharaonem?

Non audiuit eos, sicut locutus est Dominus ad Moysen.

Cap. 8. legitur post plagam ranarum: *Non audiuit eos, sicut præceperat Dominus*: idem legitur post plagam sciniphum, & cap. 7. post conuersionem virgæ in colubrum, & post plagam sanguinis. Verbum autē, *præceperat*, idem significat,

ficat, quod hoc loco locutus est. Nam Hebraicè his locis verbum est דבר *dabar*, quod significat *loqui*. sensus est: Non audiuit Pharao Mosen, & Aaron, sicut Dominus Mosi præceperat, & prædixerat, siue locutus fuerat, cùm ei præcepit, vt ad Pharaonem iret. Cap. 7. *Ego* (ait) *indu-*

A *rabo cor eius, & multiplicabo signa, & ostenta mea in terra Ægypti, & non audiet vos*, videlicet Pharao; hæc fuit prædictio Dei. Est alius sensus: *Non audiuit eos Pharao*, videlicet, vt dimitteret populum, sicut præceperat, vel locutus est Dominus Mosi, vt nuntiaret ei, vt dimitteret.

CAPVT XIV.

De *Septima plaga grandinis.*

EXODI CAP. IX.

1 DIxitque Dominus ad Moysen: Manè consurge, & stà coram Pharaone, & dices ad eum: Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: Dimitte populum meum vt sacrificet mihi. Quia in hac vice mittam omnes plagas meas super cor tuum, & super seruos tuos, & super populum tuum: vt scias quòd non sit similis mei in omni terra. Nunc enim extendens manum percutiam te & populum tuum peste, peribisque de terra. Idcirco autem posui te, vt ostendam in te fortitudinem meam, & narretur nomen meum in omni terra. Adhuc retines populum meum: & non vis dimittere eum? En pluam cras hac ipsa hora grandinem multam nimis, qualis non fuit in Ægypto, à die qua fundata est, vsque in præsens tempus. Mitte ergo iam, nunc, & congrega iumenta tua, & omnia quæ habes in agro: homines enim, & iumenta, & vniuersa quę inuenta fuerint foris, nec congregata de agris, ceciderit que super ea grando, morientur. Qui timuit verbum Domini de seruis Pharaonis, fecit confugere seruos suos & iumenta in domos: qui autem neglexit sermonem Domini, dimisit seruos suos, & iumenta in agris. Et dixit Dominus ad Moysen: Extende manum tuam in cælum, vt fiat grando in vniuersa Terra Ægypti, super homines, & super iumenta, & super omnem herbam agri in Terra Ægypti. Extenditque Moyses virgam in cælum, & Dominus dedit tonitrua, & grandinem, ac discurrentia fulgura super terram: pluitque Dominus grandinem super Terram Ægypti. Et grando & ignis mixta pariter ferebantur: tantæque fuit magnitudinis, quanta antè numquam apparuit in vniuersa Terra Ægypti ex quo gens illa condita est. Et percussit grando in omni Terra AEgypti cuncta quæ fuerunt in agris, ab homine vsque ad iumentum: cunctamque herbam agri percussit grando, & omne lignum regionis confregit. Tantùm in Terra Gessen, vbi erant filii Israël, grando non cecidit. Misitque Pharao, & vocauit Moysen & Aaron, dicens ad eos: Peccaui etiam nunc: Dominus iustus: ego & populus meus, impii. Orate Dominum vt desinant tonitrua Dei, & grando: vt dimittam vos, & nequaquam hîc vltrà maneatis. Ait Moyses: Cùm egressus fuero de vrbe, extendam palmas meas ad Dominum, & cessabunt tonitrua, & grando non erit: vt scias quia Domini est terra: noui autem, quòd & tu, & serui tui, necdum timeatis Dominum Deum. Linum ergo & hordeum læsum est, eò quòd hordeum esset virens, & linum iam folliculos germinaret: triticum autem & far non sunt læsa, quia serotina erant. Egressusque Moyses à Pharaone ex vrbe, tetendit manus ad Dominum: & cessauerunt tonitrua & grando, nec vltrà stillauit pluuia super terram. Videns autem Pharao quòd cessasset pluuia, & grando, & tonitrua, auxit peccatum: & ingrauatum est cor eius, & seruorum illius, & induratum nimis: nec dimisit filios Israël, sicut præceperat Dominus per manum Mosi.

In hac vice mittam omnes plagas meas super cor tuum, & super seruos tuos.

2 INduratum cor Pharaonis percussit Dominus septima plaga; prius tamen moneri iussit, vt populum dimitteret, sin minus, *in hac vice*, id est, nunc; LXX. vertunt, *in nunc tempore, mittam omnes plagas meas super cor tuum, & super seruos tuos, & super populum tuum, vt scias, quòd non sit similis mei in omni terra.* Nunc enim extendens manum percutiam te, & populum tuum peste, peribisque de terra. *Mittam* (ait Dominus) *omnes plagas meas in cor tuum*; Erat cor Pharaonis induratum, volebat Deus cor eius emollire, ideoque plagas suas ait in cor in-

B duratum missurum, velut in scopum sagittas; *Plagis percutit Dominus cor impiorũ.* significat hic loquendi modus, magnum Regi dolorem attulisse plagas: dubitatur tamen, quid significent hæc verba: *In hac vice mittam omnes plagas meas super cor tuum, & super seruos tuos.* Nam hac vice Deus non misit omnes plagas suas super Pharaonem, & super seruos eius, sed solam misit septimã plagam grandinis. Respondetur cum Abulensi: *In hac vice* significare, *continuè*, quasi dicat Dominus: Non cessabo te percutere, donec cõsummentur omnes plagæ meę, quas in te mittere decreui, vt cognoscas potentiam meam. Sicque factum est: non enim desiuit punire Dominus, quousque Pharao populum dimisit, tandemque maris rubri aquis obrutus periit. Responderi quoque potest, *in hac vice* signifi-

Quid significaces, in hac vice.

significare tempus omnium plagarum, quasi dicat Dominus: Dimitte populum meum, quia nunc, & in hac vice, & in hoc tempore toto, quo plagæ durant, omnes plagas meas decem in te mittam, quas mittere decreui. Misit autem Dominus omnes plagas suas decem, illo tempore præterito, & sequenti: quia paulo ante sex plagas miserat, nunc aliæ quatuor pro foribus aderant. LXX. interpretes hoc pacto vertunt: *In nunc tempore ego mitto omnia occurrentia mea in cor tuum, & seruorum tuorum.* & Chaldæus: In hac vice ego mitto omnes plagas meas in cor tuum, & in seruos tuos.

3 *Quanã peste Deus Ægyptũ percusserit.*

Dubitatur secundò, *quánam peste* dicat Dominus, *se percussurum Pharaonem, & populum?* Sic enim ait: *Nunc extendens manum percutiam te, & populum tuum peste, peribisq; de terra.* Quænam pestis est hæc? Etenim plaga pestis animalium fuit quinta: sexta fuit vesicarum, septima grandinis, octaua locustarum, nona tenebrarum, decima mortis primogenitorum. Nulla hîc est plaga pestis. Respondet Abulensis, plagam pestis fuisse plagam mortis omnium primogenitorum; peste enim percussa mortua sunt omnia primogenita, tam hominum, quàm iumentorum. Addit Dominus, *peribisq; de terra.* Pharao autem non periit hac peste percussus. Respondetur, sensum esse; mittam pestem primogenitorum, tuque Pharao tandem de terra peribis, maris rubri demersus fluctibus. Obiicitur, ait Dominus: *Percutiam te, & populum tuum peste*, &c. ergo Pharao percussus est peste. Respondetur, dici percussum peste, non in se, sed in filio primogenito, qui percussus peste mortem obiit; vel forsitan in se ipso Pharao tunc percussus est, cùm primogenita sunt percussa, sed sanitatem recuperauit. Id tamen, vt multa alia, scriptura prætermisit.

Idcirco autem posui te, vt ostendam in te fortitudinem meam.

4 *Deus malis hominum voluntatibus bene vtitur.*

Deus optimus malis voluntatibus hominum vtitur optimè, vt Augustinus docet lib. 11. de Ciuit. cap. 17. Deus, inquit, malarum voluntatum est iustissimus ordinator, vt cum malè illæ vtuntur naturis bonis; ipse bene vtatur, etiam voluntatibus malis, &c. Et cap. 18. Nullum (inquit) Deus Angelum, aut hominem crearet, quem malum futurum esse præsciuisset; nisi pariter nosset, quibus eos bonorum vsibus commodaret, &c. Præsciuit Pharaonem futurum impium, & induratum cor habiturum; creauit tamen eum, quia nouit, cui vsui bono illum commodaret. Dura, ferreaque Pharaonis voluntate bene vsus est, ad demonstrandam potentiam suam toti terrarum orbi. Totus enim terrarum orbis Dei potentiam ex plagis in Ægyptum immissis cognoscit. Neque verò necessaria erat Pharaonis dura voluntas, vt Deus potentiam suam declararet; illam enim cæli enarrant, terra, & plenitudo eius. Sed cùm præsciuisset Deus eius duritiem, bene ea vti voluit, ad finem hunc optimum. Sensus ergo est: omnes plagas meas in te immittam; extendam manum meam, & peste te, populumque tuum percutiam: idcirco autem constitui te, & creaui, quamuis præsciremem ferreum cor tuum, & peccata tua; vt tua mala voluntate bene vterer, & in te ostenderem fortitudinem meam toti orbi, alioqui te non creassem, si nulli bono

Deus dura voluntate Pharaonis bene vsus est.

A vsui deseruites. Hebræum verbum est דבר *gamad*, quod significat *stare*: idcirco, inquit, *stare feci te.* D. Paulus ad Roman. 9. vertit: *In hoc ipsum excitaui te.* LXX. interpretes: Propter hoc seruatus es. Chaldæus; Propter hoc sustinui te, hoc est, propter hoc nolui te occidere; sed seruatus es, & sustinui te, vt in te potentiam meam ostenderem.

En pluam cras hac ipsa hora grandinem multam nimis.

Prædicit misericors Deus per Mosem, Pharaoni plagam grandinis matutino tempore venit Moses ad Regem: sequenti die, matutino 5
B tempore, ait Dominus se missurum plagam grandinis: *En*, inquit, *cras hac ipsa hora*, id est, tẽpore matutino, *pluam grandinem multam nimis, qualis non fuit in Ægypto, à die quo fundata est, vsque in præsens tempus.* Dubium exoritur hoc loco, *in Ægypto*, vt supra diximus, *non est pluuia, aut grando.* Lege Plinium lib. 2. cap. 50. Philonem lib. 1. de vita Mosis, & Iosephum lib. 2. antiq. cur igitur ait Dominus; *Mittam grandinem in Ægyptum, qualis in ea nunquam fuit, postquam fundata est?* Respõdetur ex Lyrano, Abulensi, & alijs; in aliquibus Ægypti locis rarò *An in Ægypto grãdo fuerit?*
pluuiam, & grandinem generari, quia calida regio est, & nubibus caret. Id colligitur ex hoc loco. Si enim in Ægyptum nunquam ceceddisset ex cælo grando, non dixisset Dominus;
C *Pluam grandinem, qualis nunquam in AEgypto fuit.* Fuerat ergo aliquando in Ægypto grando. Verumtamen, etiam si nunquam in Ægypto fuisset grando, vera sunt verba Domini. Verè enim dicam: Afferam Olisiponem balsamum, quale nunquam natum est in ea, quamuis Olisipone nunquam oriatur balsamum, ita verum est dicere; *Mittam grandinem in AEgyptum, qualis in ea nunquam fuit*; quamuis in ea grando nunquam fuerit. Verisimilius est, ante illud tempus Pharaonis in Ægypto fuisse grandinem, idque confirmatur his verbis eiusdem cap. 9. *Tantæque fuit magnitudinis grando, quanta antè nunquam apparuit, in vniuersa terra AEgypti.*
D Confert magnitudinem grandinis, quæ tunc cecidit, cum magnitudine grandinis, quæ iam ceciderat. Hebraicè legitur, *grando non fuit sicut hac in terra AEgypti.* Additur; *à die, quo fundata est*, scilicet Ægyptus. Posset esse sensus: A tempore, quo fundata est à Deo, & creata simul cum aliis terræ partibus. Non hic est sensus, sed hic; A die, quo habitari cœpit à Misraim, & aliis incolis, vt supra dictum est. Infra eodem cap. 9. hic sensus indicatur, cùm dicitur: *Tanta fuit magnitudinis*, (grando) *quanta antè nunquam fuit in vniuersa terra AEgypti, ex quo gens illa condita est.* LXX. vertunt. Ex quo facta est in ipsa Ægypto gens. Chaldæus sic: A tempore, quo fuit in ea populus.

Congrega iumenta tua.

Obserua misericordiam Dei, non indurat homines, qui sic monet, nisi illi clementia abutantur, & indurent cor suum. Pharaoni prædixit grandinis plagam, iam monet, velut amicus, 6 *Cum Deus punit, clemẽtia sua non obliuiscitur.*
vt iumenta sua, & quæcunque in agro erant, quibus grando, & ignis nocere poterant, domum deferat, ne pereant. Nonnulli ex Ægyptiis Mosi fidem adhibuerunt, quæ in agro

 habe-

habebant, domum attulerunt: alij post tot plagas increduli, sermonem Domini neglexerunt, dimiseruntque seruos in agris, & iumenta, quæ omnia perierunt, dederuntque incredulitatis suæ pœnas meritas.

Extenditque Moyses virgam in cælum.

7 *In terram Ægypti misit Dominus grãdinem, fulgura, & ignem, & tonitrua.*

In prioribus plagis Aaron virgam eleuabat, in hac plaga sexta eleuat Moses, & plagam per eum efficit Dominus. Fuit autem huiusmodi plaga hæc: *Dominus*, inquit, *dedit tonitrua, & grãdinem, ac discurrentia fulgura super terram, pluitq; Dominus grandinem super terram Ægypti. Et grando, & ignis mixta pariter ferebantur.* Non solũ grandinem misit Dominus, sed grandinem, fulgura, ignem, & tonitrua horrenda. In Hebræo *fulgura* appellantur *ignis*, hoc pacto: *Dominus dedit voces, & grandinem, & discurrebat ignis super terram.* Dedit Dominus voces, id est, tonitrua; dicitur enim tonitruum vox Dei, Psalm. 28. *Vox Domini super aquas, Deus maiestatis intonuit*, &c. Ex tonitruis fulgura exoriebãtur, vel etiam absque tonitruis, quæ in terram discurrebant, mixta grandini; *Grando*, (inquit) *& ignis mixta pariter ferebantur.* Contrarius est ignis grandini, sed in hac plaga miscebantur mirabiliter, vt obseruat Sapiẽs Sap. 16. *Negantes*, inquit, *te nosse impij, per fortitudinẽ brachij tui flagellati sunt nouis aquis, & grandinibus, & pluuis persecutionem passi, & per ignem consumpti. Quod enim mirabile erat, in aqua, quæ omnia extinguit, plus ignis valebat.* Ex his verbis quæstio nascitur, *an in hac plaga fuerit aqua pluuia?* Fuisse pluuiam aquæ probatur; *Flagellati* (inquit) *sunt nouis aquis, & grandinibus, & pluuis persecutionem passi*, &c. Duo enumerat tanquam diuersa, nouas aquas, & pluuias, Ægypto nouas, & grandines. Item eodem cap. 16. *Nix, & glacies sustinebant vim ignis, & non tabescebant, vt nesciret, quoniam fructus inimicorum exterminabat ignis ardens in grãdine, & pluuia coruscans.* Et Psal. 77. *Occidit in grandine vineas eorum, & moros eorũ in pruina.* Adiungit vates grandini pruinam. Responderi posset fuisse in hac plaga grandinem, non pluuiam aquæ; verba autem Sapientis sic explicãtur; Persecutionẽ passi sunt nouis aquis, scilicet grandinis; grando enim aqua fuit noua Ægypto; & pluuiis, quia fuerũt pluuiæ grandinis, itaque nouas aquas grandinis, & pluuias appellat pluuias grandinis, iuxta illud Psal. 104. *Posuit pluuias eorum grandinem*, &c. Niuem autem, & glaciem appellat eandem grandinem, quæ vim ignis sustinebat, & non dissoluebatur. In Psalmo vero 77. *Pruina* dicitur minor grando; nomen enim Hebræum חנמל *chanamal*, speciem grandinis significare dicunt Hebræi. Probabilius tamen est, simul cũm grandine cecidisse pluuiam aquarum, niuem, & pruinam. In Exodo autem pluuiam, & pruinam prætermisit Moses.

Grando igni mixta erat. Sapient. 16.

Psalm. 28.

Psalm. 77.

Psal. 104.

Et percussit grando in omni terra Ægypti omnia quæ fuerunt in agris.

8 Quid damni intulerit plaga hæc, docet Moses: omnes homines, quos in agro reperit, omniaque iumenta occidit; omnem herbam disperdidit; omnes arbores confregit: linum, & hordeum læsit; triticum vero, & far non læsit, quia serotina erant, neque poterant lædi. Fuit autem hæc plaga in Ægypto, non tamen in terra Gessen, vbi Hebræi habitabant; à grandine, tonitruis, & igne libera fuit, vt Dei potentiam & erga eos beneuolentiam intelligerent Israëlitæ.

Dei in suos beneuolentia.

Misit Pharao, & vocauit Moysen.

Terruerunt valde tanitrua, horrenda fulgura, grandoque igne mixta Pharaonem, idcirco durum cor mollius effectum est. Vocauit itaque Mosem, & Aaron, peccatumque & Dei iustitiam confessus, dixit; *Peccaui etiam nunc: Dominus iustus, ego & populus meus, impij.* Post confessionem petiuit, *Orate, vt desinant tonitrua Dei, & grando.* Præterea addidit se dimissurum populum. O stupendam Regis inconstantiam! modò ait, modò negat. Orauit Deum Moses: siluerunt tonitrua, euanuit grando, disparuerunt fulgura; duities occupauit cor Pharaonis, & seruorum eius, populum Israëliticum noluit dimittere.

9 *Impiorum cor terroribus emollitur.*

Exod. 9.

CAPVT XV.

MORALE.

De quinta, Sexta, & Septima plaga.

Mortua sunt omnia animantia Ægyptiorum.

C Quinta plaga pestis fuit animalium ratione carentium. Pestis hæc libidinem adumbrat, quæ in homines animantium brutorum more viuentes grassatur. D. August. in lib. de decem præceptis, & decem plagis: More, inquit, pecorum viuit, ac moritur, qui ratione, ac lege diuina contempta, illicitas sectatur libidines, neque audit, quod ei dicitur Psalmo 31. *Nolite fieri sicut equus, & mulus, quibus non est intellectus.* & item illud Psal. 48. *Homo cùm in honore esset, non intellexit: comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* His addit August. Si viuere vt pecus non times, saltem vt pecus nõ time, &c. Ioëlis 1. *Computruerunt iumenta in stercore suo*, &c. similem in modum libidine mancipati homines, in stercore libidinis computrescunt. D. Greg homil. 10. in Euangelium. Iumenta, inquit, in stercore suo putrescere est carnales homines in fœtore luxuriæ vitam finire, &c. O mortem horrendam! Ierem. 22. *Sepultura asini sepelietur putrefactus, & proiectus extra portas Ierusalem*, &c. Hæc est libidinosi iumẽti mors, hæc sepultura; quia in asinum se conuertit, sepultura asini sepelietur, libidine putrefactus, & proiectus extra portas Ierusalem cælestis in tartarum. Libido homines in iumenta, tartarea quadam metamorphosi cõmutat, quia intellectum excæcat, & carnalem concupiscentiam, quæ iumẽtis nos similes reddit, excitat. D. Gregor. lib. 4. Dialog. ca. 36. Carnalis, inquit, delectatio, mentem, quam inficit, obscurat, vt veri luminis claritatem non videat, sed vnde delectatur infectiùs, inde caliginem supernam patiatur, &c.

1 *Libido pestis est brutorum hominum.*

D. August.

Psalm. 31.

Psalm. 48.

Ioël. 1.

D. Gregor.

Ierem. 22.

Libido homines conuertit in iumenta.

D. Greg.

Facta sunt vlcera vesicarum turgentium.

2 Sexta plaga vesicarum turgentium, turgentem indicat superbiam, eiusque vlcera, quibus animos superborum afficit. Origenes: Videtur (inquit) mihi, quòd in vesicis arguatur tumens & inflata superbia, &c. Ex puluere in altum elato ortæ sunt turgentes vesicæ; ex puluere, id est, homine, in dignitates, & honores sublato oritur,

Vesicæ turgentes superbiam significant. Origenes.

oritur turgens superbia. Attende, ô homo, quid sis, *Puluis es, & in puluerem reuerteris*, Gen. 3. Ne coniice oculos in celsum locum, sed in puluerem. Audi Ecclesiasticum, cap. 10. *Quid* (inquit) *superbit terra, & cinis?* Caue, ne Pharaonem imiteris, caue, ne ad cor durum, & impœnitens te superbia ducat, & diuina monita spernas. D. Bernardus in sermon. de fallacia præsentis vitæ: Superbiam, inquit, impœnitentia comitatur: elatum enim cor durum, & expers est pietatis, ignarum compunctionis, siccum ab omni rore gratiæ spiritualis, quia superbis Deus resistit, *humilibus autem dat gratiam*, &c. Caue ergo turgentes vesicas, earumque vlcera; caue turgentia verba, ac superba, turgentes cogitationes, turgentia opera, fastum & arrogantiam. Vesicas tumentes sequebantur vlcera; sic superbiam sequuntur diuina supplicia.

Gen. 3.

Eccles. 10.

D. Bernard.

Pluam grandinem, congrega iumenta tua.

3 Septimam plagam grandinis prædixit Dominus Pharaoni, monuitque eũ amicè, vt quecunque in agris erant, sub tecto protegeret. O Dei singularem bonitatem! Prædicit plagam veluti amicus, non corripit hominem contumeliosis verbis, amicè monet. Impletur illud Habacuc 3. *Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis.* Sap. 12. *Tu dominator virtutis, cum tranquillitate iudicas*, &c. Nonne vides, quanta cum tranquillitate iudicet Deus, & puniat, & moneat Pharaonem, absque vociferationibus, & conuiciis? Item eodem capite: *Inimicos seruorum tuorum, & debitos morti cum tanta cruciasti attẽtione*, &c. Cum attentione punit Deus inimicos, monet, vt quæ in agris sunt, domum reducant, ne igne, & grandine percussa pereant; quid de amicis dicendum est? si Deus aliqua in nos aduersa immittit, animo voluamus hæc verba Sapientiæ eodem capite; *Si inimicos seruorum tuorum, & debitos morti cum tanta cruciasti attentione dans tempus, & locum per quæ possent mutari à malitia, cum quanta diligentia iudicasti filios tuos?* Cũ attentione punit Dominus, attendit tempus, vnde illud Gen 15. *Nec dum cõpletæ sunt iniquitates Amorrhæorum*, &c. Attendit mensuram, Matth. 23. *Implete mẽsuram patrum vestrorũ*, &c. Attendit numerum, & pondus, vnde illud Sapientiæ 16. *Vno spiritu poterant occidi, persecutionem passi ab ipsis factis suis, & dispersi per spiritum virtutis tuæ: sed omnia in mensura, & numero, & pondere disposuisti*, &c. Poterant quidem Ægyptij vno spiritu, id est, vno flatu oris Dei, occidi propter facta, & peccata sua; & dispergi per vnicum flatum potentiæ infinitæ: At Deus omnia disponit in mensura, & numero, & pondere; sic etiam in mensura supplicia sumit, & cruciat, & in numero, & pondere. Deut. 25. *Secundum mensuram delicti erit & plagarum modus.* Quod Dominus iussit seruari à Iudæis, id seruat; secundùm mensuram peccatorum, plagarum est mensura. Hoc igitur attendamus, cùm à Deo cruciamur vel morbo, vel aliqua alia calamitate; attendamus, inquam, Deum cum attentione in mensura, numero, & pondere castigare, Isaiæ 28. *Ponã in pondere iudicium, & iustitiam in mensura.* Apocal. 15. *Vnum de quatuor animalibus dedit septem angelis septem phialas aureas plenas iracundiæ Dei viuentis.* Iracundia Dei quæ in suppliciis sumendis cernitur, phialis aureis fertur, quia Dei summi est, quia purissima, quia iustissima, quia tranquillissima est, & sanctissima: præterea quia aurea ira est illis, quos supplicia corrigunt.

Deus plagam inferendam prædixit.

Habac. 3.

Sapient. 12.

Deus cũ attentione punit, & cum trãquillitate.

Genes. 15.

Matth. 23.

Sap. 16.

Deus omnia in mensura disponit, & numero, & pondere.

Deut. 25.

Isaiæ 28.

Apoc. 15.

En pluam cras grandinem.

4 Prius prædixit plagam Pharaoni, postea quia cauere sibi noluit, intuixit. Eundem in modum prius prædixit nobis extremam illam, & æternam plagam, videlicet æternas orci flammas. Si cauere nolumus, absque dubio illa nos percutiet. Ex Ægyptiis, *qui timuerunt verbum Domini*, ea quæ in agris periculo erant exposita, sub tectum intulerunt; alij qui sermonem Domini neglexerunt, seruos suos, & iumenta in agris reliquerunt; omniaque perierunt. Timeamus verbum Domini, quo tartareos cruciatus nobis prænunciauit; animum, corpusque nostrum periculo eripiamus, si sapimus. Qui despit, sermonem Domini negligit, in ipsumque periculum, æternamque damnationem incurrit. Origenes homil. 5. in Exodum: Deus, inquit, non cum silentio verberat, sed dat voces, & doctrinam cælitus mittit, per quam possit culpam suam castigatus mundus agnoscere, &c. Neminem Deus in tartarum mittit cum silentio, tonitrua multa iam misit, multasque voces, quæ flammas tartareas prædixerunt. qui neglexerit minas Dei, incidet in flagella. Ad Rom. 2. *Ignoras, quod benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit?* Videlicet Dei benignitas, qua prædicit nobis, & minatur supplicia, ad pœnitentiam nos vocat. Caueamus id, quod subiicit Apostolus; *Secundum autem duritiã tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ.* Benignitatem Dei agnoscamus, eius suauitate in pœnitẽtiam ducamur; peccatisque omnibus nuntium æternum remittamus, Sapientiæ 12. *O quàm bonus*, inquit Sapiẽs, *& suauis est, Domine, spiritus tuus in omnibus!* *Ideoque eos, qui exerrant, paribus corripis, & de quibus peccat, admones, & alloqueris, vt relicta malitia credant in te, Domine.* Bonitati ac suauitati Dei tribuit Sapiens admonitiones, & allocutiones, quibus Deus peccatores à cor reuocat, vt malitiam relinquant. Quos corripit *ex partibus*: Græcè κατ' ὀλίγον, id est, *paulatim*,

Deus prædixit nobis tartarea tormenta, vt caueamus illa. Origen.

Ad Rom. 2.

Admonentur peccatores, & flagellantur.

Sap. 12.

Idcirco posui te, vt ostendam in te fortitudinem meam.

5 Non est Deus causa peccati vllius, vt ratio ipsa, veraque docet Theologia, & fides, verissimumque est illud D. Augustini in libro, quo respondet ad articulos falsò sibi impositos, in responsione ad 14. articulum: Fieri, inquit, non potest, vt per quem à peccatis surgitur, per eum in peccata decidatur. Si in sanctitate viuitur, si in virtute proficitur, si in bonis studiis permanetur, manifestum est munus Dei. Si autem ab his receditur, & ad peccata transitur, nihil ibi Deus malæ tentationis immittit, & recessutum ipse non deserit, antequam ille deserat. Hæc August. D. Gregor. lib. 29. Mor. cap. 21. Dominus, inquit, autor est naturæ, non culpæ, &c. & homil. 9. in Ezechiel. Mala nostra solummodo nostra sunt, bona autem nostra & Dei sunt, & nostra, &c. Non facit Deus peccata, (absit) sed solùm permittit summa cum sapientia, quia scit ex peccatis maxima bona educere. Vt enim ait August. in enchiridio, cap. 27. melius iudicauit Deus de malis benefacere, quàm mala nulla esse permittere, &c. Permisit Adamum peccare, sed

Deus non est causa peccati.

D. Greg.

Deus ex malis, quæ permittit, bona elicit.
D. Leo.

sed ex eius peccato sciuit maximum Incarnationis bonum elicere. D. Leo serm. 3. de Pentecoste: Si homo à lege sibi posita non deuiasset, creator mundi creatura non fieret, &c. Permisit peccare Iudæos, crucique affigere verũ Messiam suum; sciuit ex illo peccato bonum elicere maximum, videlicet orbis totius redemptionem. Permisit peccare Iudam, quia nouit eius malo vti bene, ad salutem hominum, vt Augustinus ait in lib. de corrept. & gratia, cap. 7. Ab illo, inquit, electus est Iudas, qui nouit bene vti etiam malis; vt per eius opus damnabile, opus venerabile compleretur, id est. Redemptio. Denique permisit Pharaonem peccare, & indurari, vt potentiam suam in eo ostenderet. Ostendit autem potentiam suam in flagellandis impijs; plagæ enim admirandæ, admirandam indicabãt potentiam. Voluit Deus potentiam suam hominibus indicare, non solum in creatione cæli, & terræ, sed etiam palpabiliter in rebus ipsis terrenis, quas manibus palpant: in aqua versa in sanguinem, in ranis, locustis, peste, grandine, & cæteris, voluit potentiam suam, quam habet ad puniendum scelera, demõstrare, vt sibi caueant peccatores; omnipotentem Deum peccatis ad iracundiam non prouocent, qui omnes creaturas ad vltionem inimicorum armare subitò potest, iuxta illud Sap. 5. *Armabit creaturam ad vltionem inimicorum*, &c. Et illud Sap. 16 *Vindex est orbis iustorum*. hoc est, mundus ipse, ipsę creaturæ vindices sunt hominum iustorum. Græcè ὑπέρμαχος κόσμος, id est, *propugnator mundi* dicitur. Cùm enim Deus vult, creaturæ pro iustis pugnant contra impios vt pugnarunt contra Pharaonem, voluit Deus, vt cognoscerent homines se habere virgam terribilem, qua illos, si sceleribus se contaminarent, acerrimè puniret, ideo cum virga Mosem misit in AEgyptum, & virga horribili Pharaonem, populumque flagellauit, Prou. 19. *Pestilente flagellato, stultus sapientior erit*. Videlicet, quoniam flagella similia timebit.

D. August.
Potentiam suam Deus ostendit impios puniendo.
Sap. 5.
Sap. 16.
Prou. 19.

Ingrauatum est cor eius.

6 O cæcum hominem Pharaonem! Deus in eo potentiam suam ostendebat toti orbi, & omnibus sæculis, ille ostensam à Deo potentiam non cernebat, nisi dum flagellabatur. Postea cæcitatem incurrebat, perinde ac si nullis plagis esset percussus, nullasque plagas post illas Deus posset inferre. Cor indurabat, nolebatque populum dimittere, quasi Deo posset repugnare, & tranquillam absque verberibus vitam agere, Iob 9. *Quis restitit ei*, id est, Deo, & *pacem habuit?* Restitit Lucifer; numquid habuit pacem? ille cum asseclis in ignem deturbatus est æternum. Primi parentes mandato Dei restiterunt; miserandum in bellum incurrerunt, quod inter carnem, & spiritum tota vita geritur. Restiterunt Mosi, & Deo, Numer. 16. *Dathan*, & *Abiron*; pace frui non potuerunt; aperiens os suum terra deuorauit illos. Resistit Pharao, numquid pacem habebit? ad mortem vsque sagittæ Domini illum vulnerabunt, tandemque in mari rubro vita priuabunt. Actor. 9. ait Dominus Paulo: *Durum est tibi contra stimulum calcitrare*. Durum sanè fuit Pharaonis duro cordi, contra stimulum Dei calcitrare. Bos qui contra stimulum calcitrat, seipsum vulnerat, ac cruentat: Sic Pharao contra stimulum Domini calcitrauit, quo eum ad pœnitentiam stimulabat, id est, contra plagas; sed quantò duriùs duro corde calcitrabat, tantò se grauiùs vulnerabat. Ne calcitremus contra stimulos Dei, id est, morbos, dolores, cruciatus, aliasque molestias, quæ solent hominibus contingere. Stimuli sunt, quibus nos Deus ad pœnitentiam, & patientiam stimulat. Stimulati ergo patientiam seruemus, pœnitentiam agamus, propter Deum pati non recusemus, contra stimulum ne calcitremus.

Iob 9.
Qui Deo resistit, pacem non habet.
Actor. 9.

A

Mittam omnes plagas meas super cor tuum.

7 Induratum erat cor Pharaonis; plagas suas Deus in cor illud induratum mittebat, vt illud emolliret, & ad pœnitentiam adduceret. Emolliebatur cor eius, cùm plagis afficiebatur, Exod. 9. hac plaga grandinis percussus: *Peccaui*, inquit, *etiam nunc, Dominus iustus, ego & populus meus impij*. at cùm cessabant plagæ, indurabatur. Quemadmodum ferrum, cùm in igne est, molle fit, sed postquam ex igne extrahitur, ad duritiem suam reuertitur: sic Pharaonis cor, cùm in plagis erat, mollius fiebat; at postquam ex illis extrahebatur, ad pristinam duritiem reuertebatur. Ferrum si durescit, in ignem iterum mittitur, vt mollescat. sic Pharaonis cor cùm indurescebat, in plagam immittebatur, vt mollesceret. *Mittam*, inquit Dominus *omnes plagas meas super cor tuum*. Pharaonis cor scopus erat Domini, in quem sagittas suas dirigebat, iuxta illud Psalmi 44. *Sagittæ tuæ acutæ (populi sub te cadent) in corda inimicorum Regis*. Acutæ sunt Dei sagittæ, diriguntur autem in corda inimicorum Dei, caduntque sub illo populi, sagittis percussi acutis. Acutæ fuere sagittæ, quibus Deus percussit Pharaonem, in cor illius direxit illas. Noluit sub Deo cadere in bonum Rex impius veniamque petere, & populum omnino dimittere: cecidit sub eo tandem in malum in mari rubro, eisdem sagittis vulneratus.

B C D

Exod. 9.
In cor peccatoru sagittas mittit Deus, cùm eum punit.
Psalm. 44.

Pluit Dominus grandinem super terram AEgypti.

8 Adumbrat ex Augustino plaga hæc grandinis damnum, quod illis contingit, qui res furantur alienas. Nam vt ait D. Augustinus lib. iam citato de decem plagis: Qui suo malo forinsecus furantur, iusto iudicio Dei intrinsecus grandinantur, &c. Qui res alienas possident, neque dominis restituunt, intrinsecus grandine mixta igne percutiuntur. Est autem grando mixta igni peccatum mortiferum, mixtum igne tartareo. Hæc grando animam furis percutit, & bonis spiritalibus, ac cælestibus priuat. Vnde August. loco indicato sic scribit: O si possent fures, aut latrones, aut raptores inspicere aguam cordis sui; profectò lugerent, dum ibi non inuenirent, quod in os animæ mitterent, &c. Non potest inuenire rei alienæ possessor in agro cordis sui fructus gratiæ, & virtutum, quos in os animæ mittat, id est, quibus pascatur anima, quia omnes fructus grando peccati consumpsit. Lucrari se existimat raptor, dum alienam rem, scilicet vestem, aut pecuniam rapit, & possidet, at ingens damnum sibi comparat. Sit lucrum vestis rapta, at ingens damnum est, amissa gratia, mortiferum peccatum, tartareæ pœnæ meritum. D. August. eodem loco: Nemo (inquit)

Fures grandine percutiuntur.
D. August.

E

(inquit) habet lucrum iniustum, sine iusto damno. Vbi lucrum, ibi damnum; visibiliter lucrum, inuisibiliter damnum, &c. Denique hos raptores, siue fures, ait August. in viuis corporibus animas portare mortuas, ac fœtidas, Mortui, inquit, ambulant, & viuentes portant funera sua. Viuere quidem videntur in corpore, sed mortui probantur in corde. Hæc ille.

A

Anima mortua est in corpore viuo peccatoris.

CAPVT XVI.

De Octaua plaga locustarum.

EXODI CAP. X.

1 ET dixit Dominus ad Moysen: Ingredere ad Pharaonem: ego enim indurauì cor eius, & seruorum illius: vt faciam signa mea hæc in eo, & narres in auribus filii tui, & nepotum tuorum, quoties cõtriuerim Ægyptios, & signa mea fecerim in eis: & sciatis quia ego Dominus. Introierunt ergo Moyses & Aaron ad Pharaonem, & dixerunt ei: Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: Vsquequò non vis subiici mihi? dimitte populum meum, vt sacrificet mihi. Sin autem resistis, & non vis dimittere eum: ecce ego inducam cras locustã in fines tuos, quæ operiat superficiem terræ, ne quidquam eius appareat, sed comedatur quod residuum fuerit grandini. corrodet enim omnia ligna quæ germinant in agris. Et implebũt domos tuas, & seruorum tuorum, & omnium Ægyptiorum: quantam non viderũt patres tui, & aui, ex quo orti sunt super terram, vsque in præsentem diem. Auertitque se & egressus est à Pharaone. Dixerunt autem serui Pharaonis ad eum: Vsquequò patiemur hoc scandalũ: dimitte homines, vt sacrificent Domino Deo suo. nónne vides quòd perierit Ægyptus? Reuocaueruntque Moysen & Aaron ad Pharaonem, qui dixit eis: Ite sacrificate Domino Deo vestro: quinam sunt qui ituri sunt? Ait Moyses: Cum paruulis nostris & senioribus pergemus, cum filiis & filiabus, cum ouibus & armentis: est enim solemnitas Domini Dei nostri. Et respondit Pharao: Sic Dominus sit vobiscum, quomodo ego dimittam vos, & paruulos vestros. cui dubium est quòd pessimè cogitetis? Non fiet ita, sed ite tantùm viri, & sacrificate Domino: hoc enim & ipsi petistis. Statimque eiecti sunt de conspectu Pharaonis. Dixit autem Dominus ad Moysen: Extende manum tuam super Terram Ægypti ad locustam, vt ascendat super eam, & deuoret omnem herbam quæ residua fuerit grandini. Et extendit Moyses virgam super Terram Ægypti: & Dominus induxit ventum vrentem tota die illa & nocte, & manè facto ventus vrens leuauit locustas. Quę ascenderunt super vniuersam Terram Ægypti: & sederunt in cunctis finibus AEgyptiorum innumerabiles, quales ante illud tempus non fuerant, nec postea futuræ sunt. Operueruntque vniuersam superficiem terræ, vastantes omnia. Deuorata est igitur herba terræ, & quidquid pomorum in arboribus fuit, quæ grando dimiserat: nihilque omnino virens relictum est in lignis & in herbis terræ, in cũcta AEgypto. Quam ob rem festinus Pharao vocauit Moysen & Aaron, & dixit eis: Peccaui in Dominum Deum vestrum, & in vos. Sed nunc dimitte peccatum mihi etiam hac vice, & rogate Dominum Deum vestrum, vt auferat à me mortem istam. Egressusque Moyses de conspectu Pharaonis, orauit Dominum. Qui flare fecit ventum ab occidente vehementissimum, & arreptam locustam proiecit in mare rubrum: non remansit ne vna quidem in cunctis finibus AEgypti. Et indurauit Dominus cor Pharaonis.

2 POstquam tonitrua, grando, & ignis cessarũt, restitit Deo Pharao duro corde. Cælum pacem illi dedit; ille pacem cum Deo habere noluit; ad bellum igitur Dominus reuersus est. *Quis enim illi restitit, & pacem habuit?* Iob 9. Prius tamen pacem obtulit; Mosem & Aaronem misit, Exod. 10. *Et dixerunt ei: Hæc dicit Dominus Deus Hebræorum: Vsquequò non vis subiici mihi? dimitte populum meum, vt sacrificet mihi. Sin autem resistis, & non vis dimittere eum, ecce ego inducam cras locustam in fines tuos, quæ operiat superficiem terræ, ne quidquam eius appareat, sed comedatur, quod residuum fuerit grandini. corrodet enim omnia ligna, quæ germinant in agris. Et implebunt domos tuas, & seruorum tuorum, & omnium Ægyptiorum.* Resistebat Pharao Domino, neque volebat illi, tanquam potenti Domino, subiici. *Vsquequò*, inquit Dominus, *non vis subiici mihi, resistens, & non dimittens populum?* Resistenti, & nolenti se subiicere bellum denuntiat, iuxta illud Poëtæ:

Iob 9.
Exod. 10.

B

Parcere subiectis, & debellare superbos.

Parceret Dominus subiecto Pharaoni, superbum autem & resistentem debellauit.

Dixerant autem serui Pharaonis.

Moses bello denuntiato auertit se, & discessit à Pharaone; serui autem Pharaonis tot plagis iam affecti, & sequentem plagam, ac denuntiatam horrentes, Pharaonem monuerunt, vt populum ad sacrificandum dimitteret. Itaque Mosem & Aaronem discedentes, ad Pharaonem reuocauerunt. Pharao verò: *Ite*, inquit; *sacrificate Domino Deo vestro*. Sed rogauit, quinam sunt qui ituri sunt? Respondit Moses: *Cum paruulis nostris, & senioribus pergemus, cum filiis, & filia-*

C

Induratur Pharao.

filiabus, cum ouibus, & armentis, &c. Abnuit Pharao, pessimè illos cogitare respondit, & Ægyptum fugere velle. Potestatem verò fecit solis viris abeundi, ad sacrificandum, statimque Moses, & Aaron à conspectu Regis eiecti sunt.

Dominus induxit ventum vrentem tota die illa, & nocte.

4 Resistenti Pharaoni admirabile prælium intulit Dominus, nempe locustarum; parui erant milites, & inermes, sed victoriam reportarunt. Quade re supra iam diximus in quarta & tertia plaga sciniphum, & muscarum. Extendit virgam flagellantem Moses super terram Ægypti: Deus verò tota illa die, & nocte, flare fecit ventum calidissimum, qui matutino tempore locustarum infinitam multitudinem in Ægyptum intulit, operueruntque vniuersam superficiem terræ, vastantes omnia, Exod. 10. *Deuorata est herba terræ, & quidquid pomorum in arboribus fuit, quæ grando dimiserat. Nihil omnino virens relictum est in lignis, & in herbis terræ, in cunctis Ægypto.* Præter hæc ingrediebantur locustæ domum Pharaonis, & Ægyptiorum, magnamque illis molestiam inferebant, morsibusque mortem, Sapient. 16. *Illos, id est, Ægyptios, locustarum, & muscarum occiderunt morsus.* Et Pharao locustas appellat *mortem*, Exod 10. *Rogate*, inquit, *Dominum Deum vestrum, vt auferat à me mortem istam*, id est, plagam locustarum. Vērum excitauit Dominus vrentem, id est, calidissimum. Chaldeus vertit *ventum orientalem*, Philo austrum fuisse ait, LXX. interpretes, *notum*, id est, austrum vertunt. Hebraicum nomen est, קדים *cadim*, id est, *orientalis ventus*. Oriēs enim dicitur Hebraicè קדם *cedem*. Sed vtrumque ventum significat nomen, vt constat ex LXX. interpretibus, qui tam hoc loco, quàm Psalmo 77. *austrum* vertunt. *Transtulit austrū de cælo*, &c. Vrens verò siue calidus ventus erat, quia in calore locustæ vigent. De locustis legendus Plinius lib. 11. cap. 29.

Exod. 10 Locusta complent terram Ægypti.

Sap. 16.

Exod. 10.

Festinus Pharao vocauit Mosem.

5 Iam festinat Pharao, *festinus Mosem vocat*, peccatum fatetur, veniam supplex petit, & vt locustas depellat Ægypto: *Peccaui*, inquit, *in Dominum Deum vestrum, & in vos, sed nunc dimittite peccatum mihi, etiam hac vice, & rogate Dominum Deum vestrum, vt auferat à me mortem istam.* Annuit Moses, Dominumque orauit, vt locustas exterminaret. Deus verò qui vento eas in Ægyptum adduxerat, vento alio ex Ægypto expulit, Exod. 10. *Flare fecit ventum ab occidente vehementissimum, & arreptam locustam proiecit in mare rubrū; non remansit, ne vna quidem in cunctis finibus Ægypti.* Hebraicè ventus occidentalis dicitur ventus ים *iam*, id est, *maris*, quia ex mari occidētali flauit. Expulit verò locustas in mare orientale, id est, in mare rubrum, eiusque obruit aquis, adumbrans alias locustas, id est, Pharaonem & Ægyptios, non multo post eiusdem maris rubri vndis demergendos. Sed videamus, quidnam festinus fecerit Pharao supplex, peccatumque confitens, & veniam petens. Nunquid ea festinatio, & confessio attulit obedientiam Dei ac subiectionem? minimè. Postquam locustas, quas mortem appellauit, Deus expulit, induratum correuersum est ad contumaciam.

Plaga festinare faciunt in confessione, & ad sanctorum preces.

Locustæ à vento sunt adductæ, & à vento expulsæ. Exod 10.

CAPVT XVII.

MORALE.

De *locustis*.

B Ellum intulit Deus Ægyptiis per parua animalia, muscas, sciniphes, ranas, vt supra iam diximus, nunc infert per locustas; qua de re bene sic scribit Rupertus: Ecce (inquit) quales Deus instruxit acies, quibus ex ordinibus sua castra compleuit pugnando pro Israele; ranæ, sciniphes, muscæ, & locustæ, fuerunt castrorum eius acies: & ex huiusmodi cohortibus, totas contra fortes Ægyptios composuit legiones. singuli milites secundum se breues quidem & infirmi, verùm pro exercitibus Pharaonis satis valentes fuerunt, duce imperio Dei. Nempe quod multus hominum exercitus facere nō potuisset, istæ phalanges locustarum strenua peregere militia. Sic ille. Paulò infra in illud Ioëlis 2. *Reddam vobis annos, quos comedit bruchus, locusta, & eruca, fortitudo mea magna, quā misi in vos.* Fortitudo (inquit Rupertus) mea magna, non supernarum fortitudinum, & cælestium comparatione, sed imbecilliū hominum, in imbecillitate sua superbientium, &c. Hæc minima animalia per quæ Deus hominem punit fortitudinem Dei appellari ait, non comparatione angelorum, quibus nocere nequeunt, sed comparatione hominum superborum, quos possunt debellare Deo duce. Non prēteribo verba, quibus hæc concludit: Homines, inquit, in infirmitate sua superbientes, ceruicē erigunt contra Deum, quam pulici subiiciunt, &c. Non solùm Ægyptios per parua animalcula, sed nos etiam pungit Dominus. Vnde illud D. Hieron. Ioel. 2. iam supra citatum: Illud solemus respondere Marcioni, & cæteris hæreticis, qui vetus lacerant Testamentum, quòd pulices, & culices, & cimices, & huiusmodi animantia, idcirco fecerit Deus, vt fragilitatem nostræ carnis ostenderet; quæ in tantum nihil est, vt ab iis, quæ parua sunt, vulneretur, &c. Denique vt Rupertus ait, superbi ceruicem erigunt contra Deum: eam verò pulicibus, & culicibus, aliisque vilissimis animalculis subiectam habent.

Rupert.

Parua animalcula fuerunt Dei castra & milites.

Superbi homines ceruicē erigūt, superbam pulici subiectam habent.

Quoties contriuerim Ægyptios.

LXX. interpretes vertunt: *Quæcunque illusit Ægyptiis.* & interpres Caietani sic: *Quod illusi in Ægypto.* volebat Dominus narrari ab Hebræis signa in Ægypto facta, & memoriæ tradi posterorum Ægypti euersionem per ranas, locustas, & similia animalcula. Quæcumque (inquit) illusi Ægyptiis; quia videtur Dominus illusisse Ægyptiis, cùm eos per minima animalia domuit. Vnde Caietanus: Ad similitudinem, inquit, illudentis manifestat Deus se facere hęc signa, hoc est, tanquam iocoso contemptu Pharaonis feci hæc in Ægypto. Et verè signa vsque ad mortem primogenitorum exclusiuè relata ad diuinam omnipotentiam, similitudinem habent illusionis; quasi non serio sed ioco afflixerit Deus Pharaonem. Leuia enim omnia effecit, modò lædendo, & quasi statim tollendo læsionem. Sic Caietanus. Oleaster vertit; *Vt narres, quod racemauerim Ægyptios.* Etenim Deus Ægyptum racemauit, quia Ægypti fructus, herbam, iumenta,

Caietan.

Velut ioco Dominus Pharaonē percussit, per parua animalia.

iumenta, pecudes, cæteraque, velut racemans collegit euertens.

Ventus vrens leuauit locustas.

Quemadmodū ventus calidus locustas eleuauit, quæ terræ Ægypti herbam, & arbores corroserant; sic vanitatis ventus homines eleuat impios, qui Reipublicæ corrodunt germina, at post ventum vanitatis expectent ventum ex occidente, id est, morte, flantem. Quemadmodum locustæ, cùm terræ germina corroderent, repentè à vento flante ex occidente arreptæ sunt, & in mari rubro demersæ: sic impij, cùm Reipublicæ germina corrodunt, subitò à vento ex occidente spirante, id est, à morte, arripiuntur, & tartareis fluctibus demerguntur. Adumbrant locustæ homines auaros, & diuitiarum cupidos, qui diuitias vt comparent, aliorum bona, instar locustarum, iniustè arrodunt. D. Gregor. lib. 31. moral. cap. 20. locustis significatos ait adulatores, qui ore suo, vt locustæ, virtutem in herba, & bona opera hominum terrenorum prauè laudando corrodunt. Quid (inquit) locustæ portendunt, quæ frugibus nocent, nisi linguas adulantium, quæ terrenorum hominum mentes, si quando bona aliqua proferre conspiciunt, hæc immoderatius laudando corrumpunt, &c.

Rupertus in Exodum putat locustis adumbrari hæreticos. Locustas has ventus leuauit: sic hæreticos superbiæ ventus eleuat; neque enim volatum habent nisi à vento. Vnde Rupertus: Volare (inquit) se putant pennis scientiæ, sed proculdubio per inane tolluntur, vento diabolicæ superbiæ ad subuersionem audientium, &c. De hæreticis quoque illud intelligit Apocal. 9. *Ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ, & obscuratus est sol, & aër de fumo putei, & de fumo putei exierunt locustæ in terram.* Eundem locum exponunt de hæreticis Beda, D. Anselmus, & alij. Et quidem ex profundo tartari puteo fumus magnus in terram ascendit, cùm hæreses exoriuntur. Obscurat autem hic fumus, si non repellitur, solem, & aërem, hoc est, principem populi; siue rectorem, & populum. Cùm enim sol, id est, princeps, obscuratur, obscuratur quoque populus. Præterea obscurat fumus hæreseon solem hominis, id est, rationem, & superiores hominis potentias, quæ inferioribus lumen præbent, sicut sol aëri. Obscurat quoque aërem, id est, inferiores hominis potentias, quæ à superioribus, veluti à sole, illuminantur. Exeunt ex hoc tartareo fumo locustæ, id est, hæretici. Ex fumo exeunt, id est, ex cæcitate, & ignorantia superba. Nam fumus & oculis lucem eripit, & in sublime ascendit. Superbiæ illos ventus eleuat, & ad Ægyptios ducit; AEgyptios enim vincunt hæ locustæ, hoc est, homines carnales, leues, inobedientes, mendaciorum amatores, ac sæcularis libertatis. Israelitas, hoc est, solidos, & constantes in vera fide Christianos, Deo iuuante superare nequeunt. Hæretici verò ipsi similes sunt locustis, ventrosæ sunt locustæ; hæretici ventri indulgent, saltant, non volant locustæ; sic hæretici existimant quidem se volare ingenio, & scientia, at miseri, instar locustarum, non volant, sed saltitant. Agrorum viriditatem, fructusque terræ corrodunt locustæ: hæretici viriditatem corrodunt animarum, fructusque omnes. Prouerb. 30. *Locusta Regem non habet*, ait Salomon: sic hæretici Regem non habent, hoc est, non habent Pontificem vnum, cui omnes obediant, ἀκέφαλοι sunt, vno capite carentes: at Catholici omnes suum Regem habent, Christi vicarium, summum Pontificem; caput vnum visibile habent, cui Deus oues suas omnes tradidit: *Pasce* (inquit) *oues meas.* Est vnum ouile Catholicorum, & vnus pastor inuisibilis in cælo Christus, & vnus pastor visibilis in terra summus Pontifex; saltitent locustæ, vagentur, terrę fructus arrodant, aderit tandem tempus, quo Deus ventum ab occidente immittet vehementem, qui arreptas has pessimas locustas in tartareum præcipitet pelagus.

Tempē à vento vanitatis veluti locusta eleuati, à vēto occidentali mortis expelluntur. D. Gregor.

Locustæ auaros significāt, & adulatores.

4. Rupertus. Locusta hæreticos adumbrant.

Apoc. 9.

Hæresis fumus tartareus est obscurās solem.

Prouerb. 30.

Dixerunt autem serui Pharaonis.

Mirum est Pharaonis consiliarios, & viros nobiles illi hactenus non consuluisse, vt populum Israeliticum ad sacrificandum dimitteret, cùm tot plagis AEgyptum euerti cernerent: at qualis Rex, tales consiliarij, & serui erant, iuxta illud Ecclesiastici 10. *Secundum iudicem populi, sic & ministri eius: & qualis rector est ciuitatis, tales & inhabitantes in ea.* Placere volebant consiliarij Regi, ideo Reipublicæ damna tolerabant; similes erant Regi serui. Rex induratum cor habebat, serui quoque. Nam postquam septima plaga grandinis cessauit, ait Moses Exod. 9. *Ingrauatum est cor Pharaonis, & seruorum illius, & induratum nimis; nec dimisit filios Israel.* Addit eodem capite Ecclesiasticus; *Rex insipiens perdet populum suum.* Insipiens Rex Pharao populum suum perdidit. Tandem serui Pharaonis octauam locustarum timentes plagam, exclamarunt, Exod. 10. *Vsquequo patiemur hoc scandalum? Dimitte homines, vt sacrificent Domino Deo suo. Nonne vides quod perierit Ægyptus?* Dedit intellectum vexatio seruis Pharaonis.

Ecclī. 10.

Exod. 9.

Dat intellectum vexatio seruis Pharaonis.

Exod. 10.

Festinus vocauit Moysen & Aaronem.

Vexatus plaga locustarum Pharao festinus Mosem vocauit, peccatum confessus est, dicens: *Peccaui in Dominum.* Veniam petiuit, dicens: *Nunc dimittite peccatum mihi etiam hac vice.* Post plagam amotam, ad pristinam rediit duritiem. Similis Pharaoni ille est, qui plaga aliqua cruciatus festinus confessarium vocat, peccata confiteturr, veniamque petit: *Dimitte* (inquit) *Domine peccatum mihi etiam hac vice.* At postquam abscedit morbus, vel quælibet alia plaga, in eadem peccata relabitur. Caueat sibi huiusmodi homo, ne finem Pharaonis sortiatur, & in tartareum pelagus deturbetur.

Plaga festinare facit ad Deū, & sanctos inuocare.

Flare fecit ventum ab occidente.

Obserua, quæso, quàm facilè Deus annuat, & Moses precibus Pharaonis, in amouendis plagis. Orat Mosem; Moses non tergiuersatur, non renuit, non repugnat, statim Deum orat: Deus statim plagam dispellit, sed Pharao tanta misericordiâ abutebatur. Facilè Deus annuit, & confessarius, precibus supplicis

supplicis hominis; sic peccata ritè confitearis, nec Deus, nec confessarius tergiuersabitur, non renuet, statim te absoluet. Caue ne misericordia abutaris Dei. *Ex tanta multitudine locustarum* (ait Moses) *non remansit, ne vna quidem in cunctis finibus Ægypti.* Similiter de muscis ait cap. 8. *Non superfuit, ne vna quidem.* Perfectè

A Deus Ægyptum à plaga liberabat; sic perfectè liberat hominem à peccatis, ne vnum quidem peccatum mortiferum manet, post rectam confessionem, peccatorum mortalium omniũ culpa omnino remittitur, & æterna pœna. Aliqua tamen pœna temporalis ferè semper soluenda manet.

Deus veruè pœnitentem statim à culpa absoluit, & cõfessarius eius administer non procrastinat veniam.

CAPVT XVIII.

De Nona plaga tenebrarum.

EXODI CAP. X.

1. DIxit autem Dominus ad Moysen: Extende manum tuam in cælum: & fiat tenebræ super Terram Ægypti tam densæ vt palpari queant. Extenditque Moyses manum in cælum: & factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa Terra Ægypti tribus diebus. Nemo vidit fratrem suum, nec mouit se de loco in quo erat: vbicunque autem habitabant filii Israël, lux erat. Vocauitque Pharao Moysen & Aaron, & dixit eis: Ite, sacrificate Domino: oues tantùm vestræ & armenta remaneant, paruuli vestri eant vobiscum. Ait Moyses: Hostias quoque & holocausta dabis nobis, quæ offeramus Domino Deo nostro. Cuncti greges pergent nobiscum: non remanebit ex eis vngula, quæ necessaria sunt in cultũ Domini Dei nostri: præsertim cùm ignoremus quid debeat immolari, donec ad ipsum locũ peruenianus. Indurauit autem Dominus cor Pharaonis, & noluit dimittere eos. Dixitque Pharao ad Moysen: Recede à me, & caue ne vltra videas faciem meam: quocunque die apparueris mihi, morieris. Respondit Moyses: Ita fiet vt locutus es, non videbo vltra faciem tuam.

Extende manum tuam in cælum, & sint tenebræ super terram Ægypti.

2. HAec est nona plaga tenebrarum, non ministerio Aaronis, sed Mosis imposita Ægypto, Exod. 10. *Extendit Moyses manum in cælũ, & factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Ægypti tribus diebus. Nemo vidit fratrem suum nec mouit se de loco, in quo erat.* Dicuntur hæ tenebræ *palpabiles*; sic enim Dominus eodẽ capite Mosem alloquitur: *Extende manum tuam in cælum, & sint tenebræ super terram Ægypti tam densæ, vt palpari queant.* Fuit igitur plaga nona caligo palpabilis, & horribilis, quæ tribus diebus permansit. Quæritur, *quonam modo tenebræ hæ factæ fuerint?* Philo solem tunc defecisse ait, ideo tenebris oppletam Ægyptum: Sereno (inquit) die repente offusę sunt tenebrę, siue ob defectũ solis maiorem solito, &c. Sed non est probabilis hæc opinio, quia solis eclipsim tribus diebus durasse non est verisimile. Præterea, si sol eclipsim incurrisset, non solis Ægyptiis, sed multis alijs tenebras intulisset: Solis autem AEgyptijs tenebras incubuisse probatur ex lib. Sapient. cap. 17. *Omnis* (inquit) *orbis terrarum limpido illuminabatur lumine, & non impeditis operibus cõtinebatur, solis autem illis superposita erat grauis nox.* Ex his verbis apertè colligitur, non fuisse tunc eclipsim solis. Responderi tamen posset, illam plagam mirabiliter Dei omnipotẽtia esse factam, ideoque omnia, quæ obiici possunt, nullam vim habere. Voluit enim diuina potẽtia solis radios subtrahere AEgyptiis tribus diebus, non aliis nationibus: Respondendum est probabilius, tam densas, crassasque nubes, tam crassos, densosque vapores, Deum in AEgyptum immisisse, & ita aërem densasse, vt omnem cælestem lucem omnino eriperet oculis. Hanc opinionem adiecit Philo illi superiori:

Exod. 10.

Caligo palpabilis plaga Ægypti.

Sap. 17.

An sol sit passus eclipsim.

B Sereno, inquit, die repentè offusæ sunt tenebræ, siue ob defectum solis, siue cõtinuis, densisque nubibus cælum subtexentibus, & nimia constipatione interclusis radiis, vt dies nihil differret à nocturna caligine, &c. Sapient. 17. legitur sic: *Nec syderum limpidæ flammæ illuminare poterant noctem illam horrendam,* &c. Sydera videtur appellare Sapiens stellas ipsas, & lunam: solẽ verò syderum nomine nõ intellexisse; si enim de sole loqueretur, solis nomen vsurpasset, vt fieri posset. Videtur ergo diuina potentia non solum crassissimis Ægyptum nubibus oppleuisse, verũ

C etiam solis radios, ne AEgyptum illuminarent, subtraxisse; alioqui non dixisset Sapiens: *Syderum flammas non potuisse illuminare noctem illam horrendam*; cùm vellet tenebras exaggerare, sed dixisset potiùs, solis radios non potuisse nocti illi afferre lucem, si solis radij in AEgyptum influebant. Responderi potest, Sapientẽ de stellis solùm esse locutum, & luna, quia tenebras AEgypti noctem appellauit. Noctem autem non illuminat sol, sed luna, & stellæ. Aliter dici potest, nomine syderum intelligi etiam solem.

Philo.

Quomodo factæ fuerint tenebræ Ægypti.

Sint tenebræ tam densæ vt palpari queant.

3. *Cur dicantur palpabiles tenebræ Ægypti.*

D *Cur dicantur palpabiles* hæ AEgypti tenebræ, dubitatur, tenebrę enim sunt priuatio luminis; priuatio autem luminis non palpatur manibus. Philo quidem ait, AEgyptios tenebris circumfusos, si necessitas vrgeret more cæcorum ambulasse palpando parietes; non tamen ait propterea dici tenebras palpabiles, quia ipsi parietes palpabant. Glossa interlinearis ait hyperbolicè appellatas tenebras palpabiles, vt magnitudo earum intelligeretur, quæ sententia est probabilis. Alij existimant, tenebras palpabiles

Philo.

pabiles dici propter multitudinẽ, & crassitudinẽ vaporũ; sic enim vaporũ crassorũ permixtione aer densatus erat à Deo, vt manibus posset palpari.

Nemo vidit fratrem suum.

4. Sic lucem eripuerunt tenebrę crassissimæ, vt nullus Ægyptiorum illis tribus diebus, quibus durarunt, aliquẽ alium cernere potuerit. Caietanus existimat sic hoc intelligendum: Nemo vidit fratrẽ suum beneficio lucis cælestis. Neq; enim sol, neque sydera Ægyptiis afferebant lucem. Attamen lucernarũ beneficio, alij alios videbant, cibum sumebant, & alia agebant, quæ opus erant. Aduersantur Caietano alij interpretes, ipsa quoque scriptura, Sapient. 17. *Ignis* (inquit) *nulla vis poterat illis lumen præbere*, &c. Si ignis non poterat Ægyptiis lumen præbere; ergo neque poterant lucernę, siue faces. Præterea, si lucernarum lumine vsi sunt Ægyptij, sanè leuissima fuit tenebrarum plaga. Facilè enim domos omnes, & vrbes illuminare ignis & lucernarum luce potuerunt. LXX. Interpretes sic vertunt: *Factæ sunt tenebræ, obscuritas, & tẽpestas, super omnem terram Ægypti, tribus diebus.* Aiunt præter obscuritatem, fuisse quoque tempestatẽ. Tempestas ergo ventorum, & imbrium, lucernas inflammare non patiebatur; vnde Philo: Ignis, inquit, aëre turbato extinguebatur, &c. Obiicitur, lignorum ingentes strues, & incensos rogos non potest ventus, & tempestas extinguere: potuissent igitur Ægyptij pyras magnas extruere, earumque flammis noctem horrendam illuminare. Respondetur, tantam fuisse vim tempestatis, à Deo excitatæ, vt id facere nequiuerint. Philo ait, crassissimas illas tenebras omnem vim ignis superasse: Ignis (inquit) vel aëre turbato extinguebatur, vel vincebatur crassissimis tenebris, &c. Sic ille. Tam crassæ enim erant tenebræ, vt à luce penetrari non possent. Burgensis: Aër (inquit (diuina virtute sic fuit densatus quòd perdidit diaphanitatem, sic vt non esset capax lucis, &c. Obiicitur, aër valdè crassus, & densatus respirationem impedit: ergo non erat valde densatus aër; alioqui Ægyptij respirare nequirent, & morerentur omnes. Respondetur, Deum ita aërem densasse, vt respirationi esset accommodatus. Abulensis existimat ignem, qui tunc apud Ægyptios erat, à tempestate fuisse extinctum, aut nihil lucis præbuisse, eò quòd Deus ignisilluminationem suspenderet. Præterea aduerte, noctem illam horrendam Ægyptios oppressisse subitò, eosque veluti carcere continuisse, ita vt loco se mouere non possent. Cùm ergo carcere continerentur, nec mouere se loco possent, ligna ad extruendas pyras congregare, strues lignorum adaptare, & ignem quærere, vel lucernas, non potuerunt. Tenebras autem illas iustar carceris Ægyptiis fuisse, indicatur Sapient. 17. his verbis: *Vinculis tenebrarum, & longa noctis compediti, inclusi sub tectis.* Et infrà: *Vna catena tenebrarum omnes erant colligati.*

Caietanus. Quomodo nemo viderit fratrẽ suum? An lucernarũ lux Ægyptijs præuersit

Sap. 17.

Philo.

Burgensis.

Abulensis.

Tenebræ fuerũt Ægyptijs instar carceris.

Sapient. 17.

Nec mouit se de loco, in quo erat.

5. Neque alij alios cernere poterant Ægyptij, neque se mouere loco. Hebraicè: *Non surrexit vir de sub se*, id est, de sede, quæ sub illo erat, vel de lecto, tribus diebus, &c. Vnde intelligi-

A tur, non surrexisse Ægyptios tribus diebus, ex locis & sedibus, in quibus sedebant, cùm à tenebris sunt, veluti carcere, & vinculis comprehensi. LXX. interpretes vertunt: Non surrexit vllus ἐκ τῆς κοίτης, id est, *ex cubili*, vel *lecto*, tribus diebus. Philo: Aiunt, inquit, Ægyptios tempore tenebrarum, aut non ausos ex cubili surgere, aut si necessitates naturales vrgerent, more cæcorum palpando parietes, ægrè potuisse progredi, &c. Vox Hebræa תחת *tachath*, significat *subter*, *subtus*, *deorsum*. Eadem vox est Exod. 16. vbi dicitur: *Maneat vnusquisque apud semetipsum*, &c. LXX. vertunt: *Sedete*

B *vnusquisque in domibus vestris apud semetipsum.* Chaldæus; *Sedete vnusquisque in loco suo.* Significare ergo potest hic locus: Nemo mouit se de loco suo, id est, omnes sederunt apud semetipsos, id est, in domibus suis manserunt, & ex illis egredi non potuerunt. Caietanus existimat, non se mouisse loco Ægyptios beneficio solis aut stellarum, beneficio tamen lucernarum id fecisse. Idem putat Oleaster; quærit enim, quomodo misit Pharao vocare Mosem, si nullus surrexit, seu mouit se de loco suo? Respondet: Dicendum est, quòd beneficio tædarum, & lucernarum, & cęteris; paulò antè hanc opinionem reiecimus. Burgensis

C hanc immobilitatem tribuit aëris densitati. Nemo (inquit) mouit se, quia tanta erat grossities aëris tenebrosi, quòd motum impediebat, &c. Non videtur consentanea rationi opinio, quia si motum aëris densitas impediret, impediret etiam respirationem, omnibusquè Ægyptiis mortem afferret. Probabilius Lyranus, & alij, immobilitatem Ægyptiorum tribuunt timori.

Philo.

Exod. 16.

Caietan. An Ægyptij mouerint se loco beneficio lucernarum?

Burgensis.

Accedebant autem his tenebris alię timendi causæ. Erant tenebræ non palpabiles solùm, sed etiam horribiles, propter spectra metuenda, Sapient. 17. *Pauentes horrendè, & cum admiratione nimia perturbati.* Græcè, ὑπὸ ἐλμασιν ἐκταρασσόμενοι, hoc est, *spectris, & simulachris perturbati.* Non igitur solùm tenebræ eos perturbabant, & metu afficiebant, sed horribiles

D etiam visiones, de quibus eodem Sapient. cap. additur: *Neque enim quæ continebat illos spelunca, sine timore custodiebat, quoniam sonitus descendens perturbabat illos, & persona tristes illis apparentes pauorem illis præstabant.* Græcè, ὑ φάσματα ἀμεδήτοις κατηφῆ προσώποις ἐνεφανίζετο, id est, *visiones tristibus mœstæ vultibus apparebant.* Vel, *tristibus mœstæ personis.* Et infrà: *Apparebat illis subitaneus ignis timore plenus, & timore perculsi illius, quæ non videbatur faciei, æstimabant deteriora esse quæ videbantur.* De magis additur: *Pleni timore languebant: Nam etsi nihil illos ex monstris perturbabat, transitu animalium, & serpentium sibilatione commoti, tremebundi peribant.* Ibidem de Ægyptiis: *Aliquando* (inquit) *monstrorum exagitabantur timore, aliquando animæ deficiebant traductione*, Græcè, agitabãtur, τέρασιν φαντασμάτων, id est, *monstris phantasmatum.* Denique tenebris illis horribilibus intentabant omnia mortem, eodem capite: *Siue spiritus sibilans, aut inter spissos arborum ramos animæ sonus suauis, aut vis aquæ decurrentis nimium, aut sonus validus præcipitatarum petrarum, aut ludentium animalium cursus inuisus, aut mugientium valida bestiarum vox, aut resonans de altissimis montibus echo, deficientes faciebant illos præ timore.* Et in fine capitis: *Ipsi Ægyptij sibi erant graniores tenebris.*

Sap. 17.

Ægypti tenebræ horribiles fuerunt propter horrendæ spectra.

Vbi cunque autem habitabant filij Israel, lux erat.

7. *Non tenebræ, sed lux in domibus erat Hebræorum.*

Crassissimæ tenebræ AEgyptum obscurabant, Hebræorum autem domos lux clarissima admirabiliter complebat. Habitabant Hebræi inter AEgyptios, vt constat ex cap. 11. Exodi. Angelus enim primogenitos percutiens domos Ægyptiorum ingrediebatur, domos verò Israelitarum, quæ coniunctæ illis erant, agni sanguine perfusas pertransibat. Admirandum igitur in modum Deus domos filiorum Israel luce compleuit, cùm vicinæ domus AEgyptiorum caligine obscurissima essent oppletæ. Hebraicè legitur: *Omnibus filijs Israel fuit lux in habitationibus suis.* Omnes ergo domos illorum, vbicunque essent in Ægypto, lux illuminabat.

Vocauit Pharao Moysen, & Aaron.

8. *Quomodo Pharao in tenebris potuerit vocare Mosem & Aaron.*

Dubium exoritur ex illis verbis: *Nemo mouit se de loco in quo erat,* &c. Item ex illis: *Nemo vidit fratrem suum,* &c. si nemo se mouit de loco, si nemo vidit fratrem suum; ergo nec potuit Pharao videre famulos, nec potuere famuli venire ad Pharaonem, & ad Mosem, & Aaronem. Respondent Caietanus, & Oleaster, potuisse Pharaonem videre famulos beneficio lucernarum, & potuisse famulos eisdem illuminantibus venire ad Pharaonem, & ad Mosem, & Aaronem. Opinio non placet, quia, vt diximus, lucernarum ignis non poterat horrẽdam illam noctem illuminare. Communis responsio est, Pharaonem post illos tres dies iam reddita luce, vocasse famulos, & misisse ad Mosem sole splendente. Fidem illud facit huic responsioni, quòd non petiuit Rex à Mose, vt plagam tenebrarum dispelleret, quod sanè fecisset, si iam dispulsa à Deo non esset. Præterea illis tribus diebus nemo vidit fratrem suum, nemo mouit se de loco, in quo erat: Ergo neque Pharao potuit vocare famulos, neque famuli potuerunt vocare Mosem. Ideo plagam tulit tenebrarum molestissimè, longissimaq; illa nocte, veluti carcere comprehensus, domi mansit, vbi primùm sol splenduit, Mosem vocauit.

Ite, sacrificate Domino, oues tantùm vestræ, & armenta remaneant.

9. Ampliorem facultatẽ cõcedit Pharao Mosi, & Aaroni. Ire, inquit, in desertum, vt petiuistis, sacrificium Deo vestro offerte, ducite paruulos filios vobiscum, ducite fæminas, abite omnes, pignus tamen in Ægypto relinquite, videlicet oues vestras, & armenta. Renuit Moses, oues quoque, & armenta ducenda respondit ad sacrificium peragendum: *Hostias,* inquit, *& holocausta dabis nobis, quæ offeramus,* &c. [Numquid à Pharaone petebat Moses hostias? Petebat quidem, quæ Israelitarum erant oues, & armenta; quia verò imperio Regis erant subiecta, idcirco ait: *Hostias, & holocausta dabis nobis,* id est, cõcedes nobis ferre nobiscum oues, & boues, *neque vngula quidem remanebit ex eis.* Reddit rationem, quia cuncti greges necessarij sunt in cultum Domini, præsertim cùm ignoremus, quæ debeant esse hostiæ, & quot.

Caue ne vltra videas faciem meam.

10. *Induratur cor Pharaonis.*

Induratum est Mosis responsione cor Pharaonis; durum illi erat dimittere Hebræos absque vllo relicto pignore, quod illos in Ægyptũ retraheret; idcirco duro corde, durè mortem minatus est. *Recede,* inquit, *a me, caue ne in meum conspectum vltra venias, quacunq; die veneris, acerba te morte mulctabo.* At Moses summa cum tranquillitate respondit: *Quod iubes faciam, vltra faciem nõ videbo.* Rogabit aliquis, *an post hæc viderit Moses Pharaonis faciem?* Respondet Lippomanus: Sic verè contigit, Pharaonem non videri à Mose viuum, sed in litore maris rubri mortuum. Vidisse illum viuum probatur, nam Exod. 12. plaga decima percussus Pharao Mosem vocauit, & allocutus est, ergo vidit Moses Pharaonem viuum. Cur ergo ait Moses: *Vltra faciem tuam non videbo?* Respondetur, verba hæc hunc habere sensum, *vltra non videbo faciem tuam,* nisi tu ipse me iubeas vocari.

CAPVT XIX.

MORALE.

De Nona plaga tenebrarum.

1. *Tenebræ Ægypti quid significarint.*

TEnebras vidimus AEgypti, quæ primò nobis tenebras adumbrant Pharaonis, & Ægyptiorum, vt ait Origenes homil. 4. in Exodum. Fuit enim admiranda illorum cæcitas, qui tot plagis affecti, non viderunt, Israeliticum populum Deo inuito in Ægypto retineri non posse. Secundò adumbrarunt hæ tenebræ, mortis, & tartari tenebras, in quas Ægyptij sunt præcipitati, Sapient. 17. *Nam* (inquit Sapiens) *superposita erat grauis nox, imago tenebrarum, quæ supernentura illis erat.* Tertiò adumbrant hæ tenebrę tenebras hæreticorum: quoniam tenebræ hæreticorum sunt palpabiles. Quis enim homo ratione præditus, hæresesque eorum recta trutina examinans, non palpat, perspicueque cognoscit eorum errores manifestos? At cæci has tenebras lucem credunt, fidem verò quam ab Apostolorum tempore, vsque ad nostra tempora, totus orbis seruauit, tenebras esse, tenebrosissimo intellectu suo putant: *Ponentes* (vt ait Isaias cap. 5.) *tenebras lucem, & lucem tenebras.* Tantum potest libertatis, vitæque, ac conscientiæ laxioris amor, vt lucem palpabilem in tenebras vertat, & tenebras palpabiles vertat in lucem. Palpabiles enim sunt tenebræ hæreticorum: palpabilis lux Catholicorum. Veritas enim quam Catholica docet Ecclesia, veluti palpatur ipsis manibus. Tot namque rationes illam suadent, vt tenebrosam planè habeat ille mentem, cui non persuadent. Quartò adumbrant tenebræ Ægypti eorum tenebras, qui caducis rebus, vitiis, voluptatibus, cupiditatibusque se mancipant, diuinarumque rerum, & virtutum lumen cernere nequaquam curant. Apoc. 9 ex puteo abyssi fumus ascendisse dicitur, qui solem obscurauit & aërem: *Obscuratus est sol,* (ait Ioan.) *& aër de fumo putei.* Puteus quidam est inferior hominis appetitus, & peccati fons. Ex hoc fumus crassissimus ascendit in voluntatem, & intellectum, velut solem, & aërem, qui si non repellatur, tenebras offundit crassissimas. Etenim inferior appetitus carnalis, tenebrosus valde est, & fumosus; fumat semper, & caliginem in superiorem rationem emittit. Fœtidum fumum

Tenebræ hæreticorũ sunt palpabiles.

Ex concupiscẽtia ascendit fumus, qui obscurat intellectum.

Sap. 17.

Ioan. 1.

Isaia 5.

Apoc. 9.

fumum ex hoc puteo exhalant animi omnes perturbationes, inuidia, libido, turpis amor, odium, timor improbus, & cæteræ huiusmodi. Homines, qui his animi perturbationibus se tradunt, & fumum earum minimè abigunt, ab eo excæcati degunt in tenebris Ægypti palpabilibus, & horribilibus. Neque mortem vident, quæ à tergo illis insidiatur, neque peccati pondus, quo feruntur in orcum, neque virtutis pulchritudinem, neque præmia cælestia, neque orci flammarum rogos in quos iter faciunt, cruciatibus afficiendi sempiternis. Instar cæcorũ tartareo igne inflammatas pyras nõ cernunt, & ad illas nihil metuentes rectà per vitiorum iter tendunt, à tenebrisq; peccatorũ in tenebras transeunt barathri sempiternas. Horribiles peccati sunt tenebræ, quæ in tenebras ducunt flammasque sempiternas. Ibunt impij (ait D. Bernardus serm. 72. in Cant.) de tenebris in tenebras densiores, vt qui in tenebris sunt, tenebrescant adhuc, &c.

D. Bernard.

2. *Palpabiles sunt tenebræ improborum.*

Palpabiles erant Ægypti tenebræ, id est, crassissimæ: sic palpabiles sunt improborũ hominum tenebræ, à viris iustis, qui in luce degunt, palpantur, & quàm crassę sint, cognoscuntur. Vtinam etiam ab ipsis improbis, qui illis obscurantur, palparentur, & agnoscerentur, protinus equidem illas à se expellerent. De Ægyptiorum tenebris dicitur, Sapient. 17. *Ignis nulla vis poterat illis lumen præbere, nec sydera limpidæ flammæ illuminare poterant illam noctem horrendam.* Peccatorum verò tenebras, obscurissimamq; noctẽ, ipsi peccatores facile expellere à se possunt; non deest ignis in Ecclesia, non desunt sydera, hoc est, non desunt Sacramenta, quæ hanc noctem horrendã possint illuminare. Non deest sol, hoc est, Deus Christus, Ioan. 1. *Qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Aperite fenestras animi, quicunque in tenebris, & vmbra æternæ mortis sedetis, excipite splendidissimi solis radios, Psal. 33. *Accedite ad eum, & illuminamini, & facies vestræ non confundentur.* Solus hic sol illuminare potest impium, ipso concurrente impio, gratięq; diem in illius animo efficere, Sapient. 17. *Ignis nulla vis poterat Ægyptijs lumen præbere, neque sydera limpidæ flammæ illuminare poterant noctem horrẽdam.* Eundem in modũ nulla vis ignis terreni, hoc est, nulla vis hominum, qui in terra degunt, nulla vis sydera cęlestium, hoc est, nulla vis angelorum, qui cæli sunt incolæ, illuminare potest lumine gratiæ peccatorem. Summi solis hoc opus est, id est, Dei, qui ministros sibi ascisciit homines. Quamuis luna, sydera que omnia in cęlo fulgeant, nox tamẽ semper erit: Si fulgeat sol, continuò dies fiet: ita quamuis omnes angeli, atque homines, vires adhibeant suas, nox semper erit in animo peccatoris: Si sol Christus fulserit, si radios in pectus illius miserit, si auxilio suo eũ permouerit, & ad pœnitentiam adduxerit, nox fugabitur, dies gratiæ illucescet, Psalm. 17. *Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine Deus meus, illumina tenebras meas.* Hoc est, quoniam ad te solum pertinet illuminare lucernã animę meę, quæso, illumina illius tenebras. Dei est illuminare lucernam: sed administris sacerdotibus, per diuina Sacramenta nobis concurrentibus. Si lucerna extinguatur, à Deo summis precibus contendamus, vt ipse, cuius est proprium illuminare, illam illuminet, Genes. 1. *Terra erat inanis, & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi:* similem in modum tenebræ sunt super faciem intellectus, & cordis hominis improbi; vbi autem sunt tenebræ, neque est lux solis, terra est inanis, & vacua herbis, & fructibus, sic vbi sunt tenebræ peccati, anima inanis est, & vacua bonis operibus, & gratia diuina. Quis lucem efficiet, vt terra non sit inanis, & vacua; sed plena floribus virtutum, & fructibus bonorum operum, Genes. 1. *Dixit Deus: Fiat lux, & facta est lux.* Deus solus dixit initio mundi: *Fiat lux:* sic nunc idem dicit: *Fiat lux* gratiæ, dispellantur tenebræ peccatorum: & fit lux, ô beatam animam, à qua tenebræ peccati fugantur, in qua gratiæ lux fulget! 2. Corinth. 4. *Deus, qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris.* Deus enim, quemadmodum initio mundi dixit, id est, iussit lucem de tenebris illis, quæ super faciem abyssi erant, splendescere: ita nunc iubet lucem gratiæ splendescere in cordibus verè pœnitentium.

Psal. 33.

Deus tenebras impiorũ illuminat.

Sap. 17.

Genes. 1.

In tenebrũ peccati anima est inanis, & vacua gratia Dei.

Genes. 1.

2. Cor. 4.

Vbicunque habitabant filij Israël, lux erat.

3. *Hæc mira est differentia inter iustos & impios, in eisdẽ domibus viuentes. lux gratiæ, & tenebræ peccatorum.*

Vide differentiam magnam inter Ægyptios, & Israelitas. Ægyptij tenebris erant circumfusi; Israelię luce illuminati. hoc est inter improbos, iustosque discrimen. Improbi tenebris peccatorum, obliuionis Dei, & incõsiderationis oppleti sunt: iusti autem luce diuinæ gratiæ & considerationis perfruuntur, Isaię 60. *Tenebræ operient terram, & caligo populos: super te autem orietur Dominus.* Super Ierusalem, id est, iusti animam, oritur Dominus, velut sol illuminans, terram autem, id est, terrenos homines, operiũt tenebrę. Erant permixti Ægyptijs Hebręi: illi tamen caligine obcæcabantur, hi luce illustrati lætabantur. Eundem in modum permixti sunt improbis probi, sed illi in tenebris peccati, hi in luce gratię vitam ducunt. Genes. 1. *Diuisit Deus lucem à tenebris.* Sic diuidit Deus probos ab improbis; quamuis permixti vitam agant, probi lux sunt, improbi tenebræ, iuxta illud Paul. ad Ephes. 5. *Eratis aliquando tenebræ: nunc autem lux in Domino.* Tenebræ erant, quando impij erant: lux erant, quia iam erant iusti. diuidamus lucem à tenebris. Quamuis iusti cum flagitiosis habitent, tamen tenebras illorum fugiant, operibusque fulgentibus iustos se esse demonstrent. Vnde infert Paulus eodem cap. 5. *Vt filij lucis ambulate, fructus enim lucis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate, probantes quid sit beneplacitum Deo.* Addit: *Et nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite.*

Isaia 60.

Gen. 1.

Ephes. 5.

Nemo mouit se de loco suo.

4. *In tenebris peccati non mouẽtur peccatores de loco suo, nisi diuinũ fulgeat auxilium.*

Tenebræ causa erant, cur de loco suo non mouerentur Ægyptij: eundem in modum peccatorum tenebræ causa sunt, cur de horrendo iniquitatis loco se non moueant iniqui homines, & ad Deum, & confessarium non veniant, moresque corrigant. Psal. 103. *Facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ syluæ, catuli leonum rugientes.* Sic cùm facta est nox obliuionis Dei, & inconsiderationis in homine iniquo, non mouetur de loco suo, id est, de loco iniquitatis, ad expellendas tartareas feras, id est, peccata, quæ in anima eius versantur, nimirum libi-

Psal. 17.

Psal. 103.

dines, rapinas, odia, & alia scelera tartareis feris similia. At verò, si lux Dei exoriatur, mouet se de loco suo, & bestias, leonesque abigit. Vnde sequitur eodem Psalmo 103. *Ortus est sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur.* Additur: *Exibit homo ad opus suũ*, &c. Etenim sole oriente iustitiæ, mouetur, & exit homo de loco peccati, ad opus suum. Est autem hominis opus Deum diligere, illiq; seruire. Antequã exoriatur sol, velut in carcere sunt tenebrarum impij, vinculis peccatorum compediti: sicut de Ægyptiis dicitur, Sapient. 17. *Vinculis tenebrarũ, & longæ noctis compediti*, &c. Item: *Vna catena tenebrarum omnes erant colligati.* Catena & longa nox appellantur tenebræ Ægyptiorũ; quia catena, & longa nox sunt tenebrę impiorum. Nam vna tantum nox harum tenebrarum longa est nox.

Psal. 103.

Sap. 17.

Impiorum tenebræ catena sunt, & longa nox.

Nemo vidit fratrem suum.

5. Hic est effectus tenebrarum, quas offundit hominibus odium. Quemadmodum Ægyptij propter tenebras, fratres, id est, alios Ægyptios, non videbant: sic propter tenebras odij, improbi homines fratres suos non vident, sed perinde ac si hostes essent, aspiciunt. Gen. 37. fratres Ioseph, tenebris odij obcæcati, fratrẽ suum non viderunt: illum perinde ac si frater nõ esset, sed hostis, in cisternam miserunt, & tandem vẽdiderunt. Odium sic Caini mentẽ obscurauit, vt fratrem suum Abelem neci dederit: odium sic Saulis oculos caligine oppleuit, vt Dauidis egregiam virtutem, meritaque non viderit, eiq; mortem afferre conatus sit: odium Iudęos adeo obscura caligine texit, vt Christum virtute, doctrina, miraculisq; toti populo admirabilem, in crucem egerint. Deus tam horribiles tenebras à nobis longè propellat. Ethnici exemplum proponam, quod pudorẽ incutiat nonnullis Christianis: Phocion dux Græcus inclytus iussus est venenum bibere: cùm verò iam lictor poculum obtulisset, interrogarunt propinqui, & familiares; quidnam filio mandaret: tunc ille: Mãdo, inquit, hoc ei, vt obliuiscatur potus huius, quẽ nunc ab Athenienſibus oblatum bibo, &c. Lege Ælianum lib. 12.

De odio, & eius effectibus.

Oues, & armenta remaneant.

6. Volebat Pharao oues, & armenta Hebræorum retinere, ipsos verò cum filiis, & vxoribus ex Ægypto discedere patiebatur, etsi inuitus. Sic cacodæmon inuitus quidem patitur Christianos Ægyptum, hoc est, mundum, deserere: sed ne perfectè, & omnino illum deserant, efficere conatur. Aliqua in Ægypto pignora, aliquas ansas, & occasiones, vult nos habere, à quibus reuocemur, aliquos funiculos, à quibus ad mundana retrahamur. At egregiè respondit Pharaoni Moses: *Non remanebit ex eis vngula.* Egregiè quoque respondet is, qui mundo nuntium seriò remittit: *Non remanebit in mundo ex meis vngula*: hoc est, nihil in mundo relinquam, quod me possit in mundum retrahere, omnia spernam, omnia flocci faciam; tam magnas, quàm minimas mundi res pedibus subiiciam, & funes crassos, & funiculos tenues, quibus me reducere mundus posset, abscindam; ne vngula quidem remanebit, id est, ne minimum quid. D. Cyrill. lib. 1. de adoratione: Oportet (inquit) vt qui in veram se libertatem asserere velint, studeant à malis abscedere, & semitam ingredi, quæ ad virtutes ducit, nullasq; omnino, aut animæ, aut mentis reliquias dimittere, per quas iterum sub diaboli dominatum redigantur, &c. Hoc maximè iis congruit, qui Ægyptum reliquerunt. Caueant diligenter, ne vel parua in Ægypto vngula remaneat. Neque verò dicant, vngula minimum quid est; parum refert, si remaneat. Audiant Ecclesiastic. cap. 19. *Qui spernit modica, paulatim decidet*, &c. Modica etiam virtutis impedimenta cauenda sunt, ne paulatim in mundi vanitatem decidamus. D. Anselmus in epistola, quam misit ad monachos Cistrenses: Deficere (inquit) non est nisi ex nostra negligentia, quæ sæpissimè incipit à minimis in quibus nos callidus hostis solet decipere, cùm nobis persuadet ea nõ magni pendere, &c.

Ægyptus, id est, mundus perfectè relinquendus est.

D. Cyrillus.

Eccli. 19.

D. Anselm.

CAPVT XX.

De Decima plaga & vltima cædis primogenitorum.

EXODI CAP. XI.

1. ET dixit Dominus ad Moysen: Adhuc vna plaga tangam Pharaonem, & Ægyptum, & post hæc dimittet vos, & exire cõpellet. Dices ergo omni plebi, vt postulet vir ab amico suo, & mulier à vicina sua, vasa argentea & aurea. Dabit autem Dominus gratiam populo suo coram AEgyptiis. Fuitq; Moyses vir magnus valde in Terra AEgypti, coram seruis Pharaonis & omni populo. Et ait: Hæc dicit Dominus: Media nocte egrediar in AEgyptũ: & morietur omne primogenitum in Terra AEgyptiorum, à primogenito Pharaonis qui sedet in solio eius, vsque ad primogenitum ancillæ quæ est ad molam, & omnia primogenita iumentorũ. Eritque clamor magnus in vniuersa Terra AEgypti, qualis nec antè fuit, nec posteà futurus est. Apud omnes autem filios Israël non mutiet canis ab homine vsque ad pecus: vt sciatis quanto miraculo diuidat Dominus AEgyptios & Israël. Descendentq; omnes serui tui isti ad me, & adorabunt me, dicentes: Egredere tu, & omnis populus qui subiectus est tibi: post hæc egrediemur. Et exiuit à Pharaone iratus nimis. Dixit autem Dominus ad Moysen: Non audiet vos Pharao, vt multa signa fiant in Terra Ægypti. Moyses autem & Aaron fecerunt omnia ostenta quæ scripta sunt, coram Pharaone. Et indurauit Dominus cor Pharaonis, nec dimisit filios Israël de terra sua.

EXODI

EXODI CAP. XII.

2. FActum est autem in noctis medio, percussit Dominus omne primogenitum in Terra Ægypti, à primogenito Pharaonis, qui in solio eius sedebat, vsque ad primogenitum captiuæ quæ erat in carcere, & omne primogenitum iumentorum. Surrexitque Pharao nocte, & omnes serui eius, cunctaque Ægyptus: & ortus est clamor magnus in Aegypto: neque enim erat domus in qua non iaceret mortuus.

Adhuc vna plaga tangam Pharaonem, & Ægyptum.

3. POst plagam tenebrarum, quæ nona fuit, decimam, atque extremam Pharaoni indurato imponere decreuit Dominus. Illam verò non cum silentio, regi ignoranti imposuit, sed ipsum admonuit per Mosem, quẽ sic affatus est mentali allocutione: Vna restat plaga, hac percussus Rex populũ liberum abire compellet; tu verò Hebræis dicito, vt antequã discedant, vasa aurea, & argentea petant: ego verò illis gratiam dabo coram Ægyptiis, vt commodent. Moses, quod à Deo audiuerat, Pharaoni prædixit, id est, decimam plagam, & primogenitorum omnium, tam hominũm, quàm iumentorum necẽ. Præterea prędixit populi dimissionem post hanc plagam. *Descendent*, inquit, *omnes serui tui isti ad me, & adorabunt me, dicentes: Egredere tu, & omnis populus. post hac egrediemur.* Dubium est de tempore, *quo Moses Pharaoni decimam plagã denuntiauit.* Nam, vt diximus in fine cap. 18. Pharao mortem illi minatus est, si eius vltrà videret faciem. Moses verò respondit: *Ita fiet vt locutus es: non videbo vltra faciem tuam.* Post nonã plagam tenebrarum, vocatus Moses à Pharaone hoc responsum dedit; igitur vltrà faciem eius non vidit: Quæritur ergò, *quando postea mortem primogenitorum denuntiarit.* nam tunc temporis faciem eius vidit. Duobus modis huic dubitationi respondetur: Primo, Mosem plagam decimam denuntiasse Pharaoni in ipsa eius aula. Postquam enim dixerat: *Ita fiet, vt locutus es: nõ videbo vltra faciem tuam.* Deus intellectuali allocutione decimã plagam in ipsa aula Mosi indicauit, Moses verò Pharaoni illã denuntiauit. Postea Pharaonis indurationi, & obstinatę peruicaciæ meritò iratus, ab aula discessit, neq; vultũ eius vidit, donec ab eo vocatus est. Secundo modo respondetur, postquã Moses ex aula discessit illa die, & sequenti, Deum illi iussisse, vt Pharaoni extremam plagã prænuntiaret, eiusq; faciem videret: paruit ille Deo, neque tamen verba sua reddidit irrita. Cùm enim dixit: *Non vltra videbo faciem tuam*, non visurũ eius faciem intellexit, nisi Deus aliud imperaret.

Quonã tempore Moses decimam plagam denuntiarit Pharaoni.

Factum est autem in medio noctis.

4. Quomodo decimam plagam Deus Ægyptiis inflixerit, describit Moses cap. 12. Exodi. Cùm media nox esset percussit Deus omnia Ægypti primogenita, à primogenito Regis, vsque ad primogenitum ancillæ quę ad molam sedebat, molã versans, vt dicitur Exod. 11. & 12. dicitur, *vsque ad primogenitum captiuæ, quæ erat in carcere.* erat, inquam, in carcere, molæ operam dans. Significant hæc verba, omnes primogenitos fuisse occisos, tam nobilium haminum, & principũ, quàm ignobilium. Sap. 18. *Simili pœna seruus cum domino afflictus est, & popularis homo Regi similia passus.* Percussit præterea Dominus primogenita omnium iumentorum, quod factum est per angelum. Angelus verò primogenita percutiens, domos Hebræorum, quæ paschalis agni sanguine imbutæ erant pertransibat, eorumque primogenitis nullum afferebat nocumentum. Agyptiorum, quæ interiectæ erant, domus ingrediebatur, eorumque primogenita morte afficiebat. De hac primogenitorum cæde sic scripsit Sapiens. Sap. 18. *Cùm quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus, de cælo à regalibus sedibus durus debellator, in mediã exterminij terram prosiluit: gladius acutus, insimulatum imperium tuũ portans, & stans repleuit omnia morte, & vsque ad cælum attingebat stans in terra.* hoc est, cùm nox esset media, omnipotens Dei decretum de primogenitis interficiendis à cæli palatio in Ægyptum venit, veluti durus debellator, & veluti gladius acutus, non fictum, sed efficax, & verum imperium Dei portans, omnes domos Ægyptiorum mortuis repleuit. Hoc verò imperium stans, & operans in terra, ad cælum vsque attingebat; quia Dei imperium erat à Deo ex cælo datum, & cælesti potentia primogeniti occidebãtur. Gloss. ordin. & Dionys. Carthus. de Verbo diuino verba hæc interpretantur hoc pacto: Omnipotens sermo tuus, λόγος, Verbum tuum omnipotens. in Ægyptum venit, & per angelum occidit primogenitos, imperium tuum portans, quo angelo imperasti, vt illos vita priuaret, & stans verbum Dei repleuit Ægyptum mortuis, meritas de illis pœnas sumens, & vsque ad cælum attingebat, stans in terra, quia omnia complet. Eodem capite legitur, primogenitos in ipsa morte somniis horribilibus fuisse perturbatos, & semiuiuos causam mortis demonstrasse. *Tunc* (inquit Sapiens) *continuo visus somniorũ malorum turbauerunt illos*, id est, primogenitos, *& timores superuenerunt insperati, & alius alibi proiectus semiuiuus propter quã moriebatur causam demonstrabat mortis. Visiones enim quæ illos turbauerunt, hæc præmonebant, ne inscij, quare mala patiebãtur, perirent*, &c. Quæritur, *quã causam mortis demonstrarent?* Respondetur, demonstrasse primogenitos se occidi propterea, quòd Hebręi abire non permittebantur; præterea quia Ægyptij filios Hebræorum primogenitos, & cæteros omnes occiderant in flumine: forsitan etiam quæ commiserant peccata, visiones illæ in memoriam reuocabant, & causam esse mortis aperiebant.

Exod. 11. & 12.

Sap. 18.

Sap. 18 Media nocte Deus percussit primogenitos Ægyptiorum.

Primogeniti Ægyptiorum somnijs horribilibus sunt perturbati.

5. Dubitatur, quid significet hoc loco nomen *primogenitorum.* Abulensis arbitratur, nõ solùm significare filios primogenitos, qui sub potestate erant parentum, sed etiam omnes Ægyptios, iuuenes, & senes, siue habentes tunc patres, siue non habentes, qui aliquando apud patres suos fuerant filij primogeniti. Itaque, vt ille ait, multi senes, centum aut plurium annorum, mortui sunt in Ægypto, quia primogeniti erant, & contingebat, vt in eadem domo moreretur pater, & filius, quia vterque erat primoge-

Quid significet nomen primogeniti.

mogenitus. Nam filius erat primogenitus patris, & pater erat primogenitus illius, à quo est genitus. Caietanus ait, nomine *primogeniti* significari non solùm eum, qui primus natus est, sed etiam eum, qui primo nato mortuo, succedit in iuribus primogeniti. Geneb. Psal. 77. Primogeniti, inquit, vox tam eum notat, qui primo loco sit natus, quàm qui in familia est primus, & præcipuus, & sic latè in hac plaga Rabbini accipiunt, vt vbi non esset primogenitus, illic paterfamilias, & primas domus periret. Mihi videtur nomine *primogenitorum* significari filios Ægyptiorum primos, qui aperuerant vuluam matris, idque probatur, quia Deus Exod. 13. iubet sibi offerri *omne primogenitũ, quod aperit vuluam matris,* propterea quòd occidit primogenita Ægypti, Exod. 13. *Separabis omne, quod aperit vuluã, Domino, & quod primitiuũ est in pecoribus:* Item: *Cũ interrogauerit te filius tuus cras, dicens: quid est hoc? respondebis ei: in manu forti eduxit nos Dominus de terra Ægypti,* &c. Additur: *Occidit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti, idcirco immola Domino omne, quod aperit vuluam masculini sexus,* &c. Autor hist. Scholast. propter hãc causam ait, dici posse non fæminas primogenitas, sed tantùm masculos esse peremptos, in Exodum cap. 28. Quia, inquit, solos masculos sibi voluit Deus sanctificari, dici potest nõ percussos nisi tantùm masculos, &c. Psal. 77. *Percussit omne primogenitum in terra Ægypti primitias omnis laboris eorum.* Eos primogenitos ait percussos, qui erant primitię, & primi inter reliquos filios. Dicuntur autem primitię, vel principium laboris paterni primogeniti; quia patris est laborare, vt filios alat, quorum primus est primogenitus; & quia laborẽ parentibus pariunt. Iussit sibi offerri Dominus tantùm filios, qui aperiunt vuluam matris: Ergo & hos tantùm occidit in Ægypto, non autem eos, qui in locum eorum successerant, qui vuluam matris non aperuerunt. Præterea existimo, in Ægypto esse interfectos non patres, etsi essent primogeniti, sed filios tantùm primogenitos. Nomine enim primogeniti, non patres significari solent, sed filij, qui sub potestate patris sunt. Quamobrem si quæras, *cur Pharao non est occisus,* siquidem primogenitus erat, & iure primogenituræ regnum obtinuerat? Respondetur, non fuisse occisum, quia sub potestate parentum non erat; occisus autem est filius eius primogenitus, fortè tamen Pharao primogenitus non erat. Præterea ad aliud reseruabatur supplicium in rubro mari inferendum.

Genebr. — *Exod. 13.* — *Psal. 77.* — *Primogeniti sunt primitiæ laboris.*

Neque enim erat domus, in qua non iaceret mortuus.

6. Admirabile quidem fuit, in omnibus Ægypti domibus fuisse aliquem primogenitũ, quẽ vita angelus priuarit. D. August. diuina præsciẽtia hoc fuisse procuratum ait q. 44. in Exod. An (inquit) & hoc diuinitus præscientia Dei procuratum fuerat, vt in omnibus omnino essent domibus primogeniti, in quibus percuterentur Ægyptij? &c. Hugo Victorinus sic verba scripturę interpretatur: Nulla erat domus, subaudi, in qua erat primogenitus, in qua non iaceret mortuus. Sed non placet interpretatio; quemadmodum neque illa cuiusdam Rabbini: Nulla erat domus, in qua non iaceret mortuus quia in plurimis domibus iacebant primogeniti mortui, etsi non in omnibus. Iuxta Caietani opinionem, & Genebrardi, qui nomen primogeniti amplè sumunt, & Abulensis, qui sumit amplissimè, facilè respondebitur, in omnibus domibus aliquem fuisse primogenitum, si amplè, vel amplissimè nomen accipiatur. Ego Augustini sequor opinionem, & Lyrani. Mirabile quidem fuit, in omnibus domibus Ægyptiorum fuisse aliquem primogenitum propriè sed ita à Deo fuerat ordinatum, ad quem primogenitorum & natiuitas, & in vita conseruatio pertinet. Sap. 8. mortui dicuntur primogeniti innumerabiles, per hyperbolẽ: *Mortuos,* inquit, *habebant innumerabiles. Nec enim ad sepeliendum viui sufficiebant: quoniam vno momẽto, quæ erat præclarior natio illorum, exterminata est.* Præclarior natio dicitur primogenitorũ; in momẽto autem est exterminata, id est, breuissimo temporis spatio. Terruit valde mors primogenitorum Pharaonem, & Ægyptios; timebant enim ne si aliam expectarent plagã omnes occiderentur, quemadmodũ occisi fuerãt primogeniti. Ideo mortis imminẽtis periculo territi, Israelitas cum ouibus, & armentis abire cõpulerunt, tunc etiã populum Dei esse confessi sunt, Sap. 18. *De omnibus, nõ credentes propter veneficia, tunc verò primũ cùm fuit exterminiũ primogenitorũ, spoponderunt populũ Dei esse.* Omnia non credebãt Ægyptij ante cędem primogenitorum, propter veneficia magorũ; existimabant enim magica arte fieri plagas. At postquam primogeniti cæsi sunt, Hebræos populum esse Dei confessi sunt, & spoponderunt, Deique potentiâ plagas factas cognouerunt.

D. August. — *Hugo Vict.* — *An in omnibus domibus Hebræorum fuerit aliquis primogenitus propriè?* — *Sapient. 8.* — *Sapient. 18.*

Vocatisque Pharao Moyse, & Aaron nocte, ait: Surgite, egredimini à populo meo.

7. Timore ingenti percussus Pharao lucem non expectauit, sed nocte illa, qua primogeniti morte affecti sunt, Mosem vocauit & Aaron, & dixit illis: *Surgite, egredimini à populo meo.* Videntur hæc verba verbis capitis 11. aduersari; eo enim capite ait Moses Pharaoni: *Descendent omnes serui tui isti ad me, & adorabunt me, dicentes: egredere tu, & omnis populus, qui subiectus est tibi.* hîc verò dicitur Pharao vocasse Mosem, & Aaronẽ, & iussisse, vt ab Ægypto egrederentur: nõ ergo descenderunt ad Mosem serui Pharaonis, & adorantes dixerunt: egredere tu, & omnis populus. Respondetur, non repugnant verba hæc: *Vocauit Pharao Mosem,* &c. verbis illis Mosis: *Descendent serui tui,* &c. quoniam vtrunq; factum est, in primis Pharao tot prodigiis permotus vocauit Mosem, & Aaronem, & dixit illis: *Surgite & abite,* &c. Postea serui eius ad Mosem descenderunt, & adorantes idem petiuerunt. Nam, vt scriptum est Exod. 12. *Vrgebant Ægyptij populum Israel de terra exire velociter, dicentes: omnes moriemur.* Ecce timorem qui illos ad adorandum Mosem, & ad expellendos Israelitas cõpulerat. Omnes, (inquiunt) si illos non expellamus, moriemur, quemadmodum primogeniti nostri occisi sunt. Cœpit enim plaga hęc à primogenitis, si diutius populum hunc retinuerimus, ad nos progredietur plaga mortis, omnesque moriemur.

Pharao dat abeundi facultatem Israelitis. — *Exod. 12.*

8. Abulensis sic scribit: Non est intelligendum, quòd Pharao vocauit Mosem & Aaron, quasi cum eis locuturus, quia immediatè subditur: *Surgite, & egredimini a populo:* ergo antè vocauerat eos, quàm surgerent, vel egrederentur. Est

Abulẽsis opinio.

ergo

ergo sensus, quòd Pharao, & serui sui descenderunt ad domum, in qua manebat Moses, & Aaron; & ipsi dormiebant, quia tunc erat media nox. Pharao ergo, & serui eius vocauerunt ad ianuam, dixitque Pharao: surgite, id est, nõ maneatis hîc pigrescendo, sed confestim surgite, & egredimini de Ægypto. Hæc ille. Existimat Abulensis, Pharaonem metu perterritum non vocasse ad se Mosem, & Aaronem, sed nocte surrexisse, & cum seruis suis ad eos venisse. In lecto illi recumbebant, quia nox erat. Accessit Rex ad ianuam, illosque tunc vocauit, dixitque: surgite ex lecto, nolite dormire, ex Ægypto discedite statim, ne propter vos omnes moriamur. Hæc Abulensis opinio non videtur recipienda; cum verbis enim scripturę non bene consentit. Scriptura ait: *Vocatisque Pharao Mose, & Aaron nocte, ait: surgite, egredimini à populo meo.* Vocauit ergo Rex Pharao Mosem, & Aaronem in aulã suam, vt in superioribus plagis vocare solebat: Abulensis autem vult, Pharaonem venisse domum Mosis, & Aaronis, illosq; ex ianua vocasse dormientes, & dixisse: *Surgite, & egredimini,* id est, surgite ex lecto ne vos pigritia vincat statim abite. At verò *surgere,* non semper significat *ex lecto surgere,* sed aliquando *ad opus se accingere,* & idem aliquando significat *surgite,* quod *eia agite.* Est ergo sensus verborum Pharaonis: eia agite, abite ex Ægypto, vel: eia accingite vos, & proficiscimini. Solutũ est argumentum Abulensis. Non vocauit, inquit, Pharao Mosem, & Aaron quasi cum eis locuturus, quia subditur: *Surgite, & egredimini à populo;* ergo antè vocauerat eos, qui surgerent, & egrederentur, verba autẽ Pharaonis sic exponit, *surgite,* id est, ne maneatis hîc pigrescendo, sed confestim surgite, & egredimini de Ægypto, &c. Respondetur, vocasse Pharaonem in aulam Mosem, & Aaronem, vt cum eis loqueretur: illud autem verbum, *surgite,* non significat *surgite* ex lecto, sed id quod diximus.

In cunctis Dijs Ægypti faciam iudicia.

9. Ad plagam hanc decimam pertinet, quod scriptum est Exod. 12. *In cunctis diis Ægypti faciã iudicia.* Nam eodem capite ait Dominus: *Transibo terram Ægypti nocte illa, percutiamq; omne primogenitũ in terra Ægypti ab homine vsq; ad pecus, & in cunctis dijs Ægypti faciam iudicia.* Item Numer. 33. *In dijs eorum,* id est, Ægyptiorum, *Deus exercuerat vltionem.* Exod. 12. cum plaga primogenitorũ coniungitur plaga idolorum Ægypti, quia eadem nocte occidit. Quæ iudicia, quam vltionem fecerit Dominus in diis, siue idolis Ægypti, non indicat Moses. Verisimile est, illa fregisse, & ex locis, in quibus colebantur, in terram proiecisse. In Glossa ordin. sic legitur: Ferunt Hebręi, quia omnia idola Ægypti cõfracta sunt nocte illa, & templa, vel motu terræ, vel Nili fluminis inundatione, &c. Et D. Hieronymus, ex quo glossa sumpta est, epist. 127. ad Fabiolã, mãsione prima: Illud (inquit) Hebræi autumant, quòd nocte, qua egressus est populus, omnia in Ægypto templa destructa sint, siue terrę motu, siue ictu fluminum, &c. Abulensis quæst. 16. Exod. 12. Punitio, inquit, ista Deorum fuit fortè sicut punitio Dagon, 1. Reg. 5. qui pronus inuẽtus est ante arcam, & palmæ eius abscissæ fuerant: vel, vt volunt Hebræi, ista punitio fuit, quia omnia idola Ægyptiorum illa nocte subitò putrefacta, atque incinerata fuere; metallica verò resoluta & fusa in terram, vt aurea, & argentea, & ærea, vel stannea; lapidea autem vsque ad puluerem comminuta. Sic ille.

Exod. 12. — *Numer. 33.* — *Deus Ægypti idola contriuit.* — *D. Hieron.* — *Templa Ægyptiorũ euersa sunt.*

Percussit Dominus omne primogenitum

10. Dubitatur primò, an *per seipsum* Dominus percusserit Ægypti primogenita, plagasque reliquas immiserit, an *per angelos?* Respondetur, Deum vti angelis administris, & per angelos plagas omnes Ægyptiis imposuisse; si quid tamen angelorum potentiam superabat, per seipsum efficiebat. Cùm ergo Exod. 12. ait Moses: *Transibit Dominus percutiens Ægyptios:* & Dominus ait: *Transibo per terram Ægypti, percutiam omne primogenitum:* hæc & similia, ministerium angelorum nõ excludunt. Percussorem autem primogenitorum fuisse angelum, illa verba Mosis indicant, Exod. 12. *Non sinet Dominus percussorem ingredi domos vestras, percussorem* inquã, id est, angelum.

Plagæ immissæ sunt per angelos. — *Exod. 12.* — *Exod. 12.*

11. Dubitatur secundò, intuleritne Dominus plagas *per angelos malos,* id est, cacodæmones, *an per angelos bonos?* Per bonos enim angelos aliquando Deus plagas infert. Boni enim fuerunt illi angeli, qui Gen. 18. & 19. ad Abraham venerunt, & Sodomam euerterunt. Bonus quoque angelus ille erat, qui Paralip. 21. Israelitarum magnam multitudinem pestifero morbo interemit. Bonus item ille, qui 4. Reg. 19. exercitum Sennacherib neci dedit. Respondetur cum Lyrano, Abulensi, & aliis, per cacodæmones immissas fuisse plagas. Probatur ex Psalmo 77. *Misit in eos iram indignationis suæ, indignationẽ, & iram, & tribulationem, immissiones per angelos malos.* Grecè πονηρῶν, Hebraicè רעים raim. *Malos* angelos vocat Psalmographus; malos fuisse intelligo, quia nulla ratio bonos fuisse persuadet. Qui bonos fuisse volunt, aiunt malos appellari, non à malo morali, sed à malo pœnali quod inferunt: videlicet dicuntur mali angeli, non à malo culpæ, sed ab effectu, quia malo pœnę affecerunt Ægyptios. Non displicet explicatio, sed cùm videam simpliciter, & absque vllo addito appellari angelos *malos* Latinè, *raim* Hebraicè, *πονηρούς* Græcè, quæ nomina vulgari significatione morale malum significant, probabilius puto, per angelos malos plagas inflictas. Lege D. August. Psal. 77. in verba citata: *immissiones per angelos malos.*

An plagæ fuerint immissæ per bonos angelos? — *Psal. 77.*

12. Dubitatur tertiò, *de tempore,* quo hæ plagæ durarunt. Autor scholasticæ historiæ in Exod. cap. 19. Sine multo, inquit, temporis interuallo fortè hæc facta non sunt, &c. Et Dionys. Carthus. Exod. 9. In Glossa (ait) historiæ scholasticę fertur, quòd fortè per quinquennium, vel eò amplius durauerunt plagæ istæ, successiuè, &c. Ipse verò Dionysius arbitratur infra vnum annum fuisse inductas. Genebrardus Psalmo 104. ad illa verba: *Percussit vineas eorum:* Redeunte (inquit) altero vere percussit. Nam plagæ hæ non continenter, sed per interualla, & spatio duodecim mensium contigerunt, &c. Hebræi quoque in sua Chronologia maiori, scribunt plagas per aliquot interualla spatio duodecim mensium esse inflictas. Verisimilius est, decem has plagas vnius mensis spatio fuisse immissas, vt opinatur Abulensis Exod. 12. quæst. 15. Non enim Deus indurato Pharaoni post vnam plagam longum temporis dedit spatium, sed post breue spatium ablatæ plagæ, alteram addebat.

Aut. hist. scholast. — *Dion. Carth.* — *An plagæ longo durarint tempore?* — *Genebrard.*

Plaga

Plaga prima aquæ in sanguinẽ cõuersæ septem permãsit dies, Exod. 7. post hanc ablatã plagam sequẽti, vt videtur, die admonitus est Pharao, vt dimitteret populũ; cùm renuisset percussus est plaga secunda ranarum. Hac ablata continẽter diebus sequentibus percussus est tertia, & reliquis. Decima verò, & vltima plaga percussus est luna decima quinta mensis Nisan, qui nostro Martio, & Aprili respõdet, qua luna egressi sunt ex Ægypto Israëlitæ. Probat Abulẽsis loco citato, plagas vnum tantũ mẽsem durasse, ex annis vitæ Mosis. Nam Moses cùm primũ ad Pharaonem est ingressus Exod. 7. annorum erat octoginta; Aaron verò octoginta trium. Profectus est populus ex Ægypto post plagas, confecitq; iter in terram repromissionis annis quadraginta; in fine horum annorum ex vita discessit Aaron natus centum viginti tres annos, Moses quoque obiit natus annos centum, & viginti, anno quadragesimo, postquam egressus est ex Ægypto, Numer. 33. *Ascendit Aaron sacerdos in montem Hor iubente Domino, & ibi mortuus est anno quadragesimo egressionis filiorum Israel ex Ægypto mense quinto prima die mensis, cùm esset annorum centum viginti trium.* Deuter. 34. *Moyses centum, & viginti annorum erat, quando mortuus est.* Iam computemus annos, octoginta annorũ erat Moses, cùm ingressus est ad Pharonem, Aaron erat octoginta trium, plagæ durarũt vno ferè mẽse, quadraginta annis iter in terrã repromissã fecerunt, quadragesimo anno egressionis ex Ægypto vitam cum morte commutarunt; vnde efficitur numerus propositus vitæ Mosis, & Aaronis. Quòd si plagæ vel per quinque annos, vel per vnum annum durassent, plures annos vixissent Moses & Aaron. Denique si quæras, *quo anni tempore* Deus Ægyptum flagellarit? Respondebitur, extremam plagã, vt ex cap. 12. constat, illatam ẽsse Ægyptiis luna 14. mensis Nisan; mensis autem hic nostro Martio, & Aprili respondet: reliquæ verò plagæ antecesserunt hanc per vnum ferè mensem. Itaque nonnullæ in mensem Februarium, aliæ in Martium siue Aprilem inciderunt.

Numer. 33.

Deuter. 34.

CAPVT XXI.
MORALE.
De Decima plaga.

Morietur omne primogenitum in terra Ægypti.

1. *Minatur Deus vt terreat, & à peccatis reuocet homines. Teodor.*

NOn vult Dominus cum silentio decimam plagam Pharaoni inferre, Exod. 11. Moses, priusquam inferatur, illam denuntiat. minatur enim Deus, vt terreat, & à peccato deterreat. Theodoretus in Ionam cap. 3. Quoniam (inquit) conseruare Deus gaudet, minatur tristia, ne in nos tristia inuehat, &c. Item: Vltionis minatio, est ad pœnitentiam exhortatio, &c. Hortabatur Deus Pharaonem ad pœnitentiam tot minis ante plagas: ille verò indurauit cor suum, & periit: sic minis suis ad pœnitentiam nos vocat, nemo cor suum induret, ne pereat vt Pharao. Iustus enim est Deus, de peccatis sumit suppliciũ. Si minę Dei te ad pœnitentiã ducũt, ęternas euades flammas; sin minùs, iustus Deus peccatum nõ dimittet impunitum. Audiamus August. lib. homiliarum quinquaginta, homil. 21. Iustus, inquit, est Deus, & odit peccata, si iustus est, vindicat peccata. Nõ poteris à Deo au-

D. August. Iustus Deus peccatum non dimittit impunitum.

A ferre iustitiã eius. Implora misericordiã: sed attende iustitiã. Misericordia est, vt ignoscat peccanti: iustitia est, vt puniat peccatum, &c. Ergo peccata nostra puniamus nos priùs, ne Deus impunitavidens, debitum suppliciũ inferat. August. eadem homil. Non erit, inquit, impunitũ paccatum meum, sed ideo nolo, Domine, vt tu me punias, quia ego peccatum meũ punio, &c. *D. August.*

Percussit Dominus omne primogenitum.

*P*rimogenitorum mors mortem fidei adumbrat. Est enim fides virtus prima, & primogenita, & reliquarum fundamentũ. D. Ambros. lib. 1. de Sacramentis, cap. 1. In Christiano, inquit, prima fides est, &c. D. August. in lib. de decẽ plagis: *Primogenita*, inquit, cordis nostri fides est. Nemo enim bene operatur, nisi fides prę cesserit. Omnia opera tua bona quasi filij cui sunt spirituales, sed inter istos filios tuos primogenita tibi est fides, &c. *Post* plagam tenebrarum primogeniti cęsi sunt: eundem in modum postquam peccator tenebris peccatorum obscuratur, in hęreses incidit, fideiq́ue interitum affert. Nam vitam sceleratam perfidia sæpè sequitur. Vnde Paul. 1. Timoth. 1. *Habens*, inquit, *fidem, & bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragauerunt.* Instar scopuli est mala cõscientia, & vita scelerata, ad quam allisa fides, velut nauis, facit naufragium. Ad Hebr. 13. *Doctrinis*, inquit, *variis, & peregrinis nolite abduci; optimum est enim gratia stabilire cor*, hoc est, nolite peregrinas ab Ecclesia doctrinas sectari. Optimum est stabilire cor gratia Euãgelica. Hęretici vagantur, omniq́ue vento doctrinæ circumferuntur: viri Catholici cor in fide stabiliunt, atque figunt. Egregij autem clauis sunt virtutes, charitas, & gratia; qui his clauis carent, vitiisq́ue se mancipant, timeant ne euulsis clauis, fides quoque ex corde euellatur. Legendus D. Cyprianus lib. de vnitate Ecclesiæ: Triticum (inquit) nõ rapit ventus, neque arborem solida radice fundatã procella subuertit: inanes paleę tempestate iactantur; inualidæ arbores turbinis incursione euertuntur, &c. August. 1. Ioan. tract. 3. ad illa Ioannis verba: *Ex nobis exierunt, sed non erãt ex nobis.* Tẽtatio, inquit, probat, quia non sunt ex nobis. quando illis tentatio venerit, velut occasione venti volant foras quia grana non erant, &c. Sunt hæretici mali humores, quos cùm euomuit, Ecclesia releuatur. Augustinus ibidem: Sic, inquit, sunt in corpore Christi, sicut humores mali, quando euomuntur, tunc releuatur corpus; sic & mali, quando exeunt, tunc Ecclesia releuatur, &c. Libet hoc loco adscribere verba sapientissimi Card. Bellarmini, ex oratione, quam in scholis olim habuit, quæ extat tom. 3. Ferè, inquit, non solet accidere, vt antè circa fidem aliquis naufraget, quàm naufragare cœperit circa mores. Quare vt hoc tempore improba vita gradus quidam est ad hæresin Lutheranam; sic etiam contra pestem eandem antidotum præsentissimum, atque optimum erit innocentia vitæ, & studium operum bonorum. Hæc ille.

2. *Fides est primogenita virtus.* *D. Ambros.* *D. August.*

Vitam flagitiosam perfidia sequitur sæpe.

1. *Timoth. 1.*

Mala conscientia est scopulus, in quem allisa fides facit naufragium. Ad Hebr. 13.

B

C

D. Cyprian. Cor stabile non rapit vẽtus hæresis.

D

D. August.

D. August.

Card. Bellar. Naufragium duplex est; alterũ circa mores, alterũ circa fidem. Improba vita gradus ad hæresin Lutheranam.

E

Psal. 136. *Exinanite*, (aiunt Idumęi) *exinanite vsque ad fundamentum in ea*, id est, in Ierusalem. Idem optant hostes nostri tartarei, seq́ue mutuo hortantur, vt in Christiana Ierusalem, id est, Ecclesia, virtutes omnes, fideq́ue ipsam euertant. Exinanite, aiunt tartarei Idumęi, exinanite in

3. *Psal. 136.*

in Ecclesia vsque ad fundamentum, id est, vsque ad fidem. Vitia disseminate, tenebras peccatorum inducite, post tenebras offusas disseminate hæreses, fidem labefactate, atque exinanite. 1. Reg. 1. Naas incolas labes Galaad sic alloquitur: *In hoc feriam vobiscum fœdus, vt eruam vestrũm oculos dextros, ponamq́; vos opprobrium in vniuerso Israel.* Naas nomen, serpentem significat. cum serpente stygio veluti fœdus feriunt hæretici; ille omnium eruit dextros oculos, pónitq́ue eos opprobrium vniuersę Ecclesiæ Catholicæ. Sunt enim omnes monoculi: sinistrũ oculum habent, quo sinistra cernunt; at dextrum, id est, fidem veram, quo Deus, Ecclesia, sacramenta, & similia alia cernuntur, non habent: ad sinistram hi hirci erunt in die iudicij. Quid mirum, si dextero carentes oculo, sinistro hæreses, & errores videant? Naas, id est, serpens tartareus, fundamentum fidei in eis exinaniuit, totumq́ue corruit ædificium. Vtinam aliquando resipiscant, deleantq́ue fœdus cum morte, Isai. 28. & pactum initum cum inferno.

1. *Reg. 1.*

Diabolus fidei fundamentũ vult exinanire.

A *Nullus vestrũm egrediatur ostium domus suæ vsque manè.*

Iussit Moses Hebræis, ne domo egrederentur illa nocte, qua primogeniti percutiebantur, sed intus manerent vsque manè; eundem in modum iubet Deus, ne ex amplissima Ecclesię domo Catholici egrediãtur, cùm primogenita fides in aliquibus regionibus percutitur, & deficit, Imperata fecerunt Israelitæ, nulluſq; eorũ suum primogenitum amisit. Nullus quoque Catholicorum, qui in domo Ecclesiæ manet, fidem amittet, si in ea manserit vsque manè, id est, vsque ad lucem, diemq́ue æternæ vitæ. Rupertus lib. 2. in Exod. cap. 16. Hoc (inquit) nobis vigilantissimè obseruandum est, vt vsq; manè, id est, vsq; ad finẽ huius nostrę nocturnę vitæ, intra Catholicæ Ecclesiæ claustra maneamus; neq; perhęreses, vel schismata tumultuãdo, foras quis erupisse inueniatur. Nam quisquis foris fuerit inuentus, reputabitur AEgyptius, & cum AEgyptiis pariter pertranseuntis Domini flagelio percutietur. Hæc Rupertus.

4. *Nemo ex domo Ecclesiæ Catholicæ egrediatur ad hæreses sectandas.*

B

Rupertus.

CAPVT XXII.

De immolatione agni paschalis.

EXODI CAP. XII.

1. DIxit quoque Dominus ad Moysen & Aaron in Terra Ægyptũ: Mensis iste, vobis principium mensium: primus erit in mensibus anni. Loquimini ad vniuersum cœtum filiorum Israel, & dicite eis: Decima die mẽsis huius tollat vnusquisque agnum per familias & domos suas. Sin autem minor est numerus vt sufficere possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum qui iunctus est domui suæ, iuxta numerum animarum quæ sufficere possunt ad esum agni. Erit autẽ agnus absque macula, masculus, anniculus: iuxta quẽ ritum tolletis & hœdum. Et seruabitis eum vsque ad quartam decimam diem mensis huius: immolabitq́; eum vniuersa multitudo filiorum Israel ad vesperam. Et sument de sanguine eius, ac ponent super vtrumq́ue postem, & in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum. Et edent carnes nocte illa assas igni, & azymos panes cum lactucis agrestibus. Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctum aqua, sed tantùm assum igni: caput cum pedibus eius & intestinis vorabitis. Nec remanebit quidquam ex eo vsque manè, si quid residuum fuerit, igne comburetis. Sic autem comedetis illum: Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinanter: est enim Phase (id est, transitus) Domini. Et transibo per Terram Ægypti nocte illa, percutiamq́ue omne primogenitum in Terra AEgypti ab homine vsque ad pecus: & in cunctis diis AEgypti faciam iudicia, ego Dominus. Erit autẽ sanguis vobis in signum in ædibus in quibus eritis: & videbo sanguinem, & transibo vos: nec erit in vobis plaga disperdens quando percussero Terram AEgypti. Habebitis autẽ hunc diem in monumentum: & celebrabitis eam solemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno. Septem diebus azyma comedetis: in die primo non erit fermentum in domibus vestris: quicumque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israël, à primo die vsque ad diem septimum. Dies prima erit sancta atque solemnis, & dies septima eadem festiuitate venerabilis: nihil opetis facietis in eis, exceptis his quæ ad vescendum pertinent. Et obseruabitis azyma: in eadẽ enim ipsa die educam exercitum vestrum de Terra Ægypti, & custodietis diem istum in generationes vestras ritu perpetuo. Primo mense, quartadecima die mensis ad vesperam, comedetis azyma vsq; ad diẽ vigesimam primam eiusdem mensis ad vesperam. Septem diebus fermentum non inuenietur in domibus vestris: qui comederit fremẽtatum, peribit anima eius de cœtu Israël, tam de aduenis quàm de indigenis terræ. Omne fermẽtatum non comedetis: in cunctis habitaculis vestris edetis azyma. Vocauit autem Moyses omnes seniores filiorum Israël, & dixit ad eos: Ite tollẽtes animal per familias vestras, & immolate

late Phase. Fasciculumque hyssopi tingite in sanguine qui est in limine, & aspergite ex eo superliminare, & vtrumque postem: nullus vestrûm egrediatur ostium domus suæ vsque manè. Transibit enim Dominus percutiens Ægyptios: cumque viderit sanguinem in superliminari, & in vtroque poste, transcendet ostium domus, & non sinet percussorem ingredi domos vestras & lædere. Custodi verbum istud legitimum tibi & filiis tuis vsque in æternum. Cumque introieritis terram, quam Dominus daturus est vobis vt pollicitus est, obseruabitis ceremonias istas. Et cùm dixerint vobis filii vestri: Quæ est ista religio? dicetis eis: Victima transitus Domini est, quando transiuit super domos filiorum Israël in Ægypto, percutiens Ægyptios, & domos nostras liberans. Incuruatusque populus adorauit. Et egressi filii Israël fecerunt sicut præceperat Dominus Moysi & Aaron.

2. Nox ista est obseruabilis Domini, quando eduxit eos de Terra Ægypti: hanc obseruare debent omnes filii Israël in generationibus suis. Dixitque Dominus ad Moysen & Aarō: Hæc est religio Phase: Omnis alienigena non comedet ex eo. Omnis autē seruus emptitius circuncidetur, & sic comedet. Aduena & mercenarius non edent ex eo. In vna domo comedetur, nec efferetis de carnibus eius foras, nec os illius confringetis. Omnis cœtus filiorū Israël faciet illud. Quòd si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, & facere Phase Domini, circuncidetur priùs omne masculinum eius, & tunc ritè celebrabit: eritque sicut indigena terræ: si quis autem circuncisus non fuerit, non vescetur ex eo. Eadem lex erit indigenæ & colono qui peregrinatur apud vos. Feceruntq; omnes filii Israël sicut præceperat Dominus Moysi & Aaron. Et eadem die eduxit Dominus filios Israël de terra Ægypti per turmas suas.

3. Coniuncta est cum plaga decima immolatio agni paschalis. Nam antequam Deus plagam hanc inferret Ægyptiis, iussit agnū immolare Hebræos, eiusq; sanguine superliminare domus, & vtrumque postem aspergere, ne ab angelo percutiente, eorum primogenita cæderentur. Nos de agno paschali egimus tom. 4. Concord. Euangelicę, idcirco hoc loco breuiter de illo dicemus.

A Sacri initium est Nisan, quantum ad festa, & res Ecclesiasticas (ait Genebrardus initio Calendarij Hebræorum,) quantum autem ad cætera ordiuntur annum à mense Septembri: sed Dominus absolutè ait: *Mensis iste*, id est, Nisā, *principium erit mensium*, & primus in mensibus anni. Non addit, in rebus sacris, in festis, & rebus Ecclesiasticis. Videlicet, quia in hoc mēse beneficiū acceperant maximum, liberati à seruitute Ægypti, voluit Deus anni hoc esse principum. Lege Augustin. lib. 15. de Ciuit. Dei.

rum; sacer & prophanus.

Mensis iste vobis principium mensium.

4. Constituit Dominus Hebræis anni principiū illum mensem, quo ex terra Ægypti egressi sunt, & in eo iubet agnū immolari. Is est mensis Nisan nostro Martio, & Aprili respondens. Erant autem menses Hebræorum lunares, semperque à nouilunio initium sumebant, hoc est, à primo die lunæ nouæ; ideoque primus dies mensis appellabatur neomenia, id est, noua luna, eratque festus, Psal. 80. *Buccinate in neomenia tuba.* Iudith 8. *Ieiunabat omnibus diebus vitæ suæ, præter sabbata, & neomenias, & festa domus Israel.* Primus mensis dies dicitur à Latinis Calendæ, Græcè dicitur νεομηνία, 1. Reg. 20. *Cras Calendæ sunt.* Græcè νεομηνία. Νέος significat *nouum*, μὴν, *lunam*, inde νεομηνία, neomenia, noua luna appellatur, Hebraicè חדש, id est, *noua dies*, Cæteri dies sic numerantur; secunda luna, tertia luna, quarta luna, &c. Cùm igitur menses Hebræorū essent lunares, nostris respondere æqualiter non possunt, sed ex parte. Itaque mensis Nisan vt plurimum respondet partim Martio, partim Aprili, & nonnumquam in Maium excurrit. Lege nostrum Clauium in Apologia noui Calendarij, lib. 1. cap. 1. Annus autē sacer à Deo nunc constitutus, à prima luna incipiebat mensis Nisan. Ea autem luna prima mensis Nisan, vt plurimum illa erat, quæ propinquior erat æquinoctio verno. Æquinoctium autem vernum in diē vigesimam primam Martij incidit.

Mensis Nisan constituitur principiū anni, in quo ex Ægypto egressi sunt Israelitæ.

Psal. 80. Iudith 8.

1. Reg. 20.

Prima luna mēsis Nisan propinquior æquinoctio verno.

5. Sacrum dixi annum, quia Hebræi duplicem habent annum, vt Abulensis, Montanus in apparatu, & alij obseruant, sacrum, & prophanum.

Duplex annus Hebræorum.

B

Decima die mensis huius tollat vnusquisque agnum.

6. Principium anni constituit Dominus mensem Nisan, quarta decima die iussit immolari agnum, decima verò die domum adduci. Quæret aliquis, *cur Dominus quatuor ante dies iusserit domum adduci agnum?* Respondent Hebræi, causam esse, ne obliuioni traderēt mandatum Dei, profectionis curis impediti, & vt bene agnum explorarent, an esset aptus sacrificio. Causa etiā fuit, quia, quæ Dei sunt, maturè oportet agere, neq; verò in extremū diem differre, ne aliquod impedimentum subitò exoriatur. Hoc autem postea non videtur ab Hebræis seruatum, cùm sui iuris erant in terra repromissionis. Nō enim significat scriptura, tunc illos decima die agnos duxisse domū, immolandos luna decima quarta. Rogabis, *an vnusquisq; Hebræorum esset agnum domum adducturus?* Respondetur, indicari solùm patremfamilias, ad quem hoc attinebat.

Decima die mensis Nisan agnus domū adducitur est, decimo quarto die immolatus.

Per familias, & domos suas.

7. Hoc loco *familia*, & *domus* idem significant; agnum enim vnum tollebat vnaquæque familia, siue domus. Quòd si in illa familia, siue domo, pauci essent, nec sufficerent ad agnū edendum, *assumēt*, inquit Dominus, *vicinum suū iuxta numerū animarum, qua sufficere possunt ad esum agni.* Si quæras, *quis hic numerus esset animarum*, id est, personarum, quæ sufficere possent? respon-

C

D

Iosephus.

respondent Hebræi, esse decem personas. Probatur ex Iosepho lib. 7. de bello Iudaico, cap. 17. A nona, inquit, hora vsque ad vndecimam, hostias cædunt, id est, agnos paschales; per singulas verò contubernia non pauciorum quàm decem virorum fiunt. Solum enim epulari non licet, multi etiam vicini conueniunt. Sic ille.

A agnū, siue ex capris hœdum, si non possit agnus inueniri. L X X. interpretes vertunt: *Ab agnis, & ab hœdis accipietis.* Chaldæus: *De agnis, & de filijs caprarum accipietis.* hoc est, accipietis agnū, siue hœdum. Quæritur præterea, *an liceret tunc immolare vitulum, aut ouem?* Licuisse cōfirmatur ex cap. 16. Deut. *Immolabis*, inquit, *Domino Phase de ouibus, & bobus.* Hebræi nōnulli propter verba hæc censuerunt, potuisse in paschate immolari non solùm agnum, sed etiam vaccam, vel vitulū anniculum. Addunt rationem, quia poterat esse tam magna familia, vt agnus non sufficeret: oportebat ergo mactare vitulum, qui omnibus esset satis. Respondetur, non licuisse ouem, vel vitulum, aut vaccam illo die immolare. Ratio allata momentum non habet. Agnus enim paschalis non edebatur, vt famem expleret, sed mysterij causa; itaque satis erat singulis minimum ex illo fructum edere, postea verò aliis cibis ad explēdam famem vti licitum erat. Verba verò Deut. 16. non sunt intelligenda de immolatione, quæ fiebat decima quarta luna ad vesperam, sed de hostiis, quæ offerebantur tempore ipso paschali, tum ex ouibus, tum ex bobus.

An liceret vitulum immolare? Deut. 16.

B

Immolabit eum vniuersa multitudo filiorum Israel.

10 C Nonnulli voluerunt, duas præcipi hoc loco immolationes; alteram decima die mensis Nisan, alteram decima quarta. Decima quidem die, ex eorum sententia, agnus immolatus est per singulas domos. Postea, decima quarta die, ab vniuersa multitudine Hebræorum immolatus est hœdus. Probātur hæ duæ immolationes. Prima, ex illis verbis: *Decima die tollat vnusquisque agnum per familias.* Secunda, ex illis: *Iuxta quem ritum tolletis & hœdum, & seruabitis eum vsque ad quartum decimam diem mensis huius, immolabitque eum vniuersa multitudo filiorū Israël.* Ecce hœdum immolandum ait decima quarta die ab vniuersa multitudine: agnum die decima. Falsa est opinio hæc, quam multis rationibus refellit Abulensis, quæst. 9. Exod. 12. Inauditum enim est, Israelitas agnum die decima, hœdum die decima quarta immolasse. Præterea victimæ sanguine, quæ immolabatur, decima quarta die, ostia Hebræorum perfundebantur: vnus autem hœdus tot ostiis sufficere non poterat. Adde, à ratione esse alienum, dicere, vniuersam multitudinem Hebræorum ad vesperum conuenisse in vnum locum, ad immolandum hœdum. Loca scripturæ aliud significant. Primo loco iubet Dominus agnum adduci domum decima die mensis. Secundo loco iubet, vt idem agnus, vel hœdus seruetur vsque ad diem decimam quartam, eaque die mactetur ab vniuersa multitudine filiorum Israel, non confluente in locum vnum, sed separatim in domibus manente. Idem enim est: *Immolabit eum vniuersa multitudo*, ac si dixisset, immolabunt agnum omnes Hebræi per familias, & domos suas. Quæritur, *ad quemnam pertinuerit agni immolatio*, ad sacerdotesne pertinuit, an ad populum? De hac quæstione egimus tom. 3. Concord. Euang. lib. 1. cap. 16. Respondemus, non pertinuisse ad sacerdotes agni immolationem, sed ad patremfamilias; id significat verba, quę exponimus: *Immolabit eum vniuersa multitudo filiorum Israel.* & Philo de vita Mosis lib. 3. Iubente (inquit) lege tota gens sacrifi-

Duas immolationes quidā fuisse volunt, agni, & hœdi.

Vna tantum fuit immolatio agni.

Agni immolatio ad patremfamilias pertinebat. Philo.

D

E

H

Agnus immaculatus, masculus, vnius anni.

8 Qualis agnus immolari debeat, ostendit Dominus; agnum postulat omni macula carentē, non in vellere, sed in corpore. Licet enim vellus maculis albis & nigris esset distinctum, si caro maculam non haberet, aptus erat agnus immolationi. De macula carnis agitur, si cæcus esset, si membro aliquo priuatus, si fœditate aliqua, vel morbo affectus, à sacrificio repellebatur. In iis enim quæ Deo offerūtur, perfectio requiritur. Leuitici 2. de his agitur maculis: *Si cæcum*, inquit, *fuerit, si fractum, si cicatrices habens, si papulas, aut scabiem, aut impetiginem, non offeretis ea Domino; boucm, & ouem, aure, & cauda amputatis, voluntariè offerre potes, votum autem ex eis solui non potest; omne animal quod vel contritu, vel tusis, vel sectis, ablatisq; testiculis est, non offeretis Domino.* Præterea vult agnum esse masculum, quia perfectior est sexus masculinus: vult esse anniculū, id est, vnius anni, vel ferè vnius anni, quia tunc est perfectus agnus, & esui aptus. Abulēsis vult, potuisse agnum hunc immolari post dies octo à natiuitate, vsque ad vnum annū. Nam Leuit. 22. sic legitur: *Bos, ouis, & capra, cùm genita fuerint, septem diebus erunt sub vbere matris suæ; die autem octauo, & deinceps offerri poterunt Domino.* At in hoc agno peculiare præceptum videtur, vt sit anniculus, vnius anni filius, vt est in Hebræo. Dubitatur, cur dicatur *agnus masculus.* Nam si agnus est, masculus est, non fœmina. Respondetur, dici agnum masculum, maioris affirmationis, & perspicuitatis gratia, ne quis existimaret nomine agni etiam intelligi agnam, quemadmodum cùm dicimus, homo ille mille habet oues, & mille vaccas, nomine ouium arieres quoque intelligimus, & nomine vaccarum, boues. Volunt aliqui, nomen Hebræum, שה, *seh*; significare *pecudem*, neque masculum, aut fœminam indicare; ideo additum esse masculum Hebraicè, vt sexus ostenderetur. Interpres verò noster *agnum* rectè vertit, & *masculum*, vt in Hebræo est, adiunxit.

Leuit. 2. Sacrificium oportet omni macula carere.

Leuit. 22. Agnus anniculus perfectus offerebatur.

Cur dicitur agnus masculus?

Iuxta quem ritum tolletis & hœdum.

9 Quæritur, *an licuerit Hebræis in paschate immolare hœdum, non agnum?* Paulus Burgensis in addit. Exod. putat, nunquam licuisse, in eaque sententia Hebræos esse ait. Quòd si opponas verba hæc: *Iuxta quem ritum tolletis & hœdum*, ait, in Hebræo non sic legi, sed hoc modo: *Ex arietibus, & capris accipietis eum*, id est, agnum immolandum in paschate, accipietis ex grege, in quo simul sint oues permixtæ capris, ex ouibus tamen accipietis agnum, non ex capris hœdum. Respondetur, licuisse non inuēto agno hœdum in locum eius sufficere. sic hæc verba intelliguntur, *iuxta quem ritum tolletis & hœdum*, hoc est, eodem ritu, quo immolabitis agnum, si agno careatis, hœdum immolabitis. Idem verò significat lectio Hebræa: Ex arietibus, & capris accipietis eum, hoc est, ex arietibus accipietis

An liceret in paschate immolare hœdum, non agnum.

Sebast. Barradas Iuner. Israelit.

sacrificat, dum pro se quisque mactat hostiam propriis manibus, &c. Idem indicat Iosephus lib.2. antiquit.cap.6. vt omittam alios.

Ad vesperam.

11 Hebraicè בין הערבים *ben arbaim*, id est, *inter vesperas*. Præscribit Dominus tempus immolationis agni paschalis. Ad vesperam, siue inter duas vesperas erat immolandus. De duabus vesperis egimus tomo 4. Concord. Euang, lib. 1. cap. 16. Omissis aliis opinionibus, existimamus, primam vesperam appellari eam, quę est sole in occasum declinante post meridiem, vsque ad horam nonam: secundam verò à solis occasu incipere putamus. Inter solem autem declinantem in occasum post meridiem, & ipsum occasum solis, duæ sunt vesperæ, altera post meridiem vsque ad horam nonam, altera post solis occasum. Inter has vesperas immolari agnus solebat. Probantur hęc ex Iosepho lib. 7. de bello, cap. 17. Cùm dies, inquit, festus adesset, qui pascha vocatur, quando à nona quidem hora vsque ad vndecimam hostias immolant, &c. A nona ergo hora vsque ad vndecimam per tres horas, agnum immolabant Hebræi, inter duas vesperas iam dictas. Hora autem nona nobis tertia est post meridiem, vndecima est quinta post meridiem, itaque ab hora tertia post meridiem vsque ad quintam horam, agni mactandi tempus erat, & fortè vsque ad solis occasum.

Tempus immolationis agni.

Duæ vesperæ.

Iosephus.

12 Dubitatur, *an agnus immolaretur in priori vespera* diei decimæ quartæ mensis Nisan, *an in posteriori?* Tomo Concord. 4. lib. 1. cap. 13. de hoc dubio latè egimus, sed dubium non est, vt eo loco ostenditur, agnum immolatum non in vespera antecedente diem decimam quartam, sed in vespera posteriori ipsius diei decimæ quartæ. Nam Exod. 12. præcipit Dominus immolari agnum decima quarta die. Addit: *Et edent carnes nocte illa*. Edent, inquam, carnes vespera, & nocte posteriori ipsius diei decimæ quartæ, quę iam ad decimam quintam pertinebat, iuxta illud Levit. 23. *A vespera vsque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra*. Erat enim festa dies. Præterea filij Israël decima quinta die mensis Nisan, profecti sunt ex Ægypto: immolauerant autem agnum vespera præcedente ipsam diem decimam quintam, vt compertum est ex cap. 12. Exodi. ea autem vespera erat posterior diei decimæ quartæ. Ex cœna etiam Christi opt. max. manifestũ hoc est, qui decima quinta die mensis Nisan in crucem est actus, cùm decima quarta die ad vesperá posteriorem, agnum comedisset.

An agnus fuerit immolatus in priori vespera diei decimi quarti, an in posteriori?

Levit. 23.

Edent carnes nocte illa assas igne.

13 Non licebat agnum aqua coquere, assari oportebat. Assabatur autem integer, non fractus. Præceptum enim erat Exod. 12. *ne os illius confringeretur*. D. Iustinus in dialogo cõtra Tryphonem, assari solitum scribit in figuram crucis compositum, vno veru præfixo ab infimis partibus vsque ad caput, & alio secundùm scapulas, ad quod manus agni suspenderentur. Velocius agnus assatur, quàm coquitur aqua; idcirco assari iubetur agnus, vt indicetur celeritas, qua ex Ægypto exierunt Israëlitæ, & indicentur mysteria Christi.

Agnus assabatur. Exod. 12.

Caput cum pedibus eius, & intestinis vorabitis.

14 Hebraicè sic habetur: *Caput super crura vel genua eius, & super interiora*, id est, intestina eius. Volunt nõnulli, hunc esse sensum: Caput agni super cruta, vel genua eius collocabitis, & super intestina, subaudi, assabitur. Rectiùs noster Interpres vertit: *Caput cum pedibus eius, & intestinis vorabitis*. Videlicet, ne quid relinquerentur agni Deo immolati. *Vorabitis* autem dixit Interpres, vt indicaret celeritatem comedentium, iuxta illud: *Comedetis festinanter*.

Nec remanebit quidquam ex eo vsque manè.

15 In sacrificium offerebatur agnus, sacra erat res Deo oblata, idcirco iubet Dominus, ne ex eo quidquam in sequentem diem relinquatur. Idem præcipitur de hostia pacifica, oblata pro gratiarum actione, Levit. 7. *Cuius*, inquit, *carnes eadem comedentur die, nec remanebit ex eis quidquam vsque manè*. De hostia verò oblata sponte, vel ex voto, eodem capite sic scriptum est: *Eadẽ comedetur die, sed & si quid in crastinum remanserit, vesci licitum est: quidquid autem tertius invenerit dies, ignis absumet*. Idem præcipit nunc Dominus de agni carnibus: *Si quid*, inquit, *residuum fuerit, igne comburetis*.

Levit. 7.

Renes vestros accingetis.

16 Quali habitu agnum essent esuri docet Dominus. Habitus autem hic viatorum est, & ceremoniæ festinationem indicant, qua Hebræi Ægyptum reliquerunt. Accingere lumbos hominis est expediti, & parati ad iter conficiendum; baculi in manibus, calceamenta quoque in pedibus, profectionem adumbrant. idem significant illa verba: *Et comedetis festinanter*. Quæritur, *an stantes agnum ederint?* Hac de re egimus tomo 4. Concord. lib. 1. cap. 17. Respondetur, Deum non præcepisse, vt stantes comederent agnum, ideoque licuisse illum edere, & stãtes, & discumbentes, baculos tamen manibus tenentes. Fortè multi Hebræorum, propter baculos, stantes edebant, vt viatores magis repræsentarẽt. Philo in lib. de sacrificio Abel, & Cain, præceptum ait, vt starent Hebræi, cùm agnum ederent; fortè ex præcepto dato de baculis, collegit eos stantes comedisse.

Habitus comedentium agnum.

An Hebræi stantes ederint agnum?

Est enim Phase (id est, transitus) Domini.

17 Phase Hebraicè dicitur פסח, *pesach*, si tollas puncta siue vocales, & alias apponas, dicere poteris *pascha*, vt vocant L X X. interpretes, & Euangelistæ, siue *phasech*, vt Theodotio appellat. Noster interpres mutatis punctis, & relicta litera ח vltima, *phase* dixit. Nonnulli quia verbũ Græcum πάσχω significat *pati*, putarunt ab eo deriuari *Pascha*, & significare *passionem*. Sed manifestum est Pascha nomen esse Hebræum, & significare, non passionem, sed transitum, vt noster interpres interpretatur: *Phase*, inquit, *id est, transitus, Domini*. Sed rogabis, *quemnam transitum significet?* Fuerunt enim tunc tres transitus. Primus angeli per Ægyptum trãseuntis, & percutientis primogenita; secundus filiorum Israël transeuntium ex Ægypto in terram repromissionis; tertius eorundem transeuntium per mare rubrum. D. August. in Ioan. tract. 55. Pascha, inquit, transitus dicitur, quòd tũc primùm pascha celebrauit populus Dei, quando ex Ægypto fugientes rubrum mare transierunt, &c. Significat Augustin. dici Pascha propter transitum per mare rubrum. D. Gregor. Nazianzen. in orat. de Paschate putat dictum Pascha propter transitum ab Ægypto in terram repromissionis: Pascha, inquit, significat transitum eum, quo ex Ægypto in terram Chanaan Hebræi commigrarunt. Respondetur, Pascha indicare transitum primum, quo Deus per angeli ministerium pertransiuit Ægyptum, percutiens primogenita Ægyptiorum, & primogenita Hebræorum seruans. D. Hieronymus Matth. 26. Pascha, inquit, à transitu nominatur, eò quòd exterminator videns sanguinem in foribus Israëlitarum pertransierit, nec percusserit eos, vel ipse Dominus præbens auxilium populo suo, desuper ambulauerit. Sic ille. & Iosephus lib. 2. antiquit. Pascha (inquit) significat transitum, quòd Deus illa die præteritus, & illæsis Hebræis Ægyptios morbo percussit, peste eorum primogenita consumente, &c. Probatur ex scriptura, quia dicitur *transitus Domini*, non Israëlitarum. Non ergo Israëlitæ transibant, sed Dominus, videlicet cùm percussit primogenita. Præterea ait Dominus: *Est Phase, id est, transitus Domini, & transibo per terram Ægypti nocte illa, percutiam omne primogenitum*. Dominus explicat, cur dicatur transitus, siue Pascha, vel Phase: *Quia* (inquit) *transibo, & percutiam primogenita*. Exod. 12. *Cùm dixerint vobis filij vestri: Quæ est ista religio? dicetis eis: victima transitus Domini est, quando transiuit super domos filiorum Israël in Ægypto, percutiens Ægyptios, & domos nostras liberans*. Quo loco verbum est *pasach*, & nomen *pesa h*. *Victima transitus Domini est*, Hebraicè, זבח פסח *zebach pesa h*, id est *sacrificium transitus*. *Quamo transiui*, Hebraicè, אשר פסח, *aser pasach*.

D. Hieron.

Iosephus.

Exod. 12.

Quemnam transitũ significet pascha.

D. August.

D. Greg.

Erit autem sanguis vobis in signum in ædibus.

18 Mactabantur agni in domibus, sanguine autem eorum ostia Hebræorum aspergebantur. Indicabat autem sanguis, in domibus illis habitare Hebræos, non Ægyptios. Cum ergo perueniret angelus ad domum aliquam, cuius ostium sanguine agni esset imbutum, transibat. Quòd si in ostio sanguinem non cernebat, ingressus primogenita occidebat hominum, & iumentorum. *Erit* (ait Dominus) *sanguis vobis in signum in ædibus in quibus eritis, & videbo sanguinem, & transibo vos, neque erit in vobis plaga disperdens*. Erat agni sanguis in ædibus signum angelo percutienti, ne domui noceret, videns sanguinem transibat.

Sanguis agni signũ erat in domibus, ne primogenita occiderentur.

Fasciculum hyssopi tingite in sanguine.

19 Exodi 12. Moses vocatis senioribus Israel, præcepit, dicens: *Ite tollentes animal*, id est, agnum, *per familias vestras, & immolate Phase*, siue, immolate Pascha. Dicitur autem Pascha, vel Phase ipse agnus, iuxta illud Pauli 1. Corinth. 5. *Pascha nostrum immolatus est Christus*. Matth. 26. *Vbi vis paremus tibi comedere Pascha?* id est, agnum paschalem. Videtur hoc dictum senioribus patribus, vel principibus familiarum, paulo ante decimã diem mensis, vel ipsa decima die mensis, qua agnum oportebat domum adducere. Deinde docet Moses, quomodo sanguine agni ostia aspergenda sint. *Fasciculum*, inquit, *hyssopi tingite in sanguine, qui est in limine, & aspergite ex eo superliminare, & vtrumque postem*. Collocabatur autem in limine portæ sanguis agni, vase, in quod

Exod. 12.

1. Cor. 5.

Agnus paschalis dicitur pascha. Matth. 26.

fusus erat, contentus, fasciculus hyssopi intingebatur in sanguine, qui erat in limine, id est, in vase posito in limine, & ipso hyssopo intincto sanguine aspergebantur duo postes portæ, & superliminare. Cùm verò angelus percutiens, sanguinem in superliminari, & vtroque poste cernebat, domum illam pertransibat.

Quid sit *hyssopus* quæritur? Respondetur, herbam esse, quæ tamen herba sit, non est certum. Hyssopo vti sunt Hebræi ad aspergendum quamobrem nos asperforium, quo benedictam aquam spargimus, quamuis herba non sit, appellamus hyssopum. Hyssopo sanguine agni intincto portæ asperiæ sunt. Leuitic. 14. Hyssopus adhibetur ad asperſionem leprosi, Numer. 19. immundi hyssopo asperguntur, intincto aqua permixta cineribus vitulæ. Dauid Psalmo 50. *aspergis* se postulat *hyssopo*. Ait Hebræos 9. *Moses accipiens sanguinem vitulorum, & hircorum, cum aqua, & lana coccinea, & hyssopo librum & populum aspersit*. Hebraicè dicitur אזוב *ezob*. Abulensis Exod. 12. putat esse herbam, quæ vulgo dicitur *sparto*. 3. Reg. 4. dicitur Salomon disputasse à cedro, quæ est in Libano, vsque ad hyssopum, quę egreditur de pariete, id est, quæ in parietibus oritur. Herba autem quæ dicitur *sparto*, in agris oritur, non in parietibus. Rabbi Dauid, & alij existimant, origanum esse. Genebrard. Psalmo 50. in verba Dauidis sic scribit: Asperge me Domine hyssopo, fasciculo ex ea herba, origano, siue serpillo illuestri simili facto, &c. Opinionem hanc refellit Abulensis, non enim ex parietibus oritur origanum. Lemnius herbarum biblicarum cap. 26. arbitratur, sacrum hyssopum esse, quem vocant Adiantum, siue capillum Veneris, qui ex parietibus oritur puteorum. Incerta hęc sunt. Dicitur autem hyssopus habere vim purgandi pulmonem, de qua in morali dicemus.

Quid sit hyssopus?

Leuit. 14.

Num. 19.

Psalm 50.

Ad Heb. 9.

Genebrard.

Septem diebus azyma comedetis.

21 Quali habitu comedendus esset agnus paulò antè explicatum est. Quali pane sit comedendus, nunc explicatur. Hoc eodem capite dicitur: *Edent carnes nocte illa assas igni, & azymos panes, cum lactucis agrestibus*. Itaque comedẽdus agnus erat cum lactucis agrestibus amaris, vt amaritudo significaretur Ægyptiacæ seruitutis. Hebraicè legitur cum, מרורים *merorim*, id est, *cum amaritudinibus*. Azymi autem panes cum agno comedebantur, & post agnum. Per septem enim dies azymi panes comedendi erant. Dicitur autem *panis azymus*, panis fermento carens, Hebraicè, מצה *matsa*, ζύμη Græcè *fermentum* significat, addita particula priuante à significatur panis fermento priuatus, Exod 12. *Septem diebus azyma*, (מצות *masoth*) *comedetis. In die primo non erit fermentum in domibus vestris, quicunque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israël à primo die, vsque ad diem septimum*. Primo die azymorum omne fermentum ex domibus expellebatur, nemo fermentato pane vescebatur septem diebus, ne periret ex Israël.

Agnus cum lactucis amaris comedebatur.

Azymi panes cum agno comedebantur. Exod. 12.

22 *Quo die azymis vesci inciperent*, rogabis? Respondet Dominus Exod. 12. *Primo mense, quarta decima die mensis, ad vesperam, comedetis azyma, vsque ad diem vegesimam primam eiusdem mensis ad vesperam*. Incipiebant azymos panes edere eo die, quo agnum edebant, nempe decima quarta die mensis Nisan. Ex agno nihil in altum

Exod. 12.

Azymis vescebatur Hebræi per dies septem.

diem relinqui fas erat; azymis verò per septem dies vescebantur cum aliis cibis. Obiicitur, fuisse dies azymorum non septem, sed octo. Nam Iosephus lib.2.antiquit. cap. 5. Festa, inquit, per octo dies celebramus, quos vocamus azymorum, &c. Idem probatur ex verbis citatis; iubet enim Deus azymis vesci à Decima quarta die mensis, vsque ad vigesimam primam, id est, per octo dies; tot enim numerantur à decima quarta die, vsque ad vigesimam primam. In hac sentẽtia est Rupertus, citatque hæc verba Exod. 1. *Primus dies sanctus erit tibi, & octauus dies aquè venerabilis erit.* Sed deprauatam lectionem secutus videtur. Nam Exod. 12. legitur sic: *Dies prima erit sancta, atque solemnis & dies septima eadem festiuitate venerabilis.* Septima, inquit, dies azymorum, & vltima, non octaua. Respõdetur, per septem tantũ dies comedisse azyma Israëlitas. Probatur ex verbis citatis Exod. 12. in Leuitico quoque cap. 23. *Septem, inquit, dies azyma comedetis.* Num. 28. *Septem dies vescentur azymis.* Idem habetur Deut. 16. Iosephus autem videtur octo dies numerasse, quia Iudæi decimo quarto die fermentum domo expellebant, & quia ad vesperam decimi quarti diei azyma cum agno comedere incipiebant. At illa vespera decimi quarti diei ad decimum quintum diem pertinebat, iuxta illud Leuit. 23. *A vespera vsque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra.* Eodem modo soluitur argumentum propositum. Dicimus à quarto decimo die mensis, vsque ad vigesimum primum, numerari octo dies; sed negamus, vesperam illam, in qua cum agno azymos panes edere incipiebant Hebræi, decimi quarti diei fuisse, siquidem ad decimum quintum pertinebat, quia ab ea vespera festus azymorum dies sumebat initium. Vrgebit aliquis, & probabit, sex tantùm dies panes azymos comedere consueuisse Israelitas. Legitur enim Deut. 16. *Sex diebus comedes azyma, & in die septima, quæ collecta est Domini Dei tui, non facies opus.* Facilè respondetur, septem hic dies azymorum numerari; septimum verò appellari collectam, quia populus septimo azymorum die colligebatur, & congregabatur, consuetaque in templum, vt Deo gratias ageret, eiusque laudes celebraret. Sed de collectis alio loco dicendum, fauente Domino.

Rupert.
Exod. 1.
Exod. 12.
Leuit. 23.
Num. 28.
Leuit. 23.
Deut. 16.

Dies prima erit sancta.

23 *Septem dies azymorũ dicebantur pascha.*

Septem erant dies azymorum, post quos paschatis festum finem accipiebat. Nam etiam azymorum dies paschatis nomine significabantur. Actor. 12. *Apposuit vt apprehenderet & Petrum. Erant autem dies azymorum. Quem cùm apprehendisset, misit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum custodiendum, volens post pascha producere eum populo.* Erant dies azymorum post pascha, id est, postquam finiti essent dies azymorum, volebat Herodes Petrum occidere. Ergo dies azymorum complectitur nomen Paschæ. Non omnes hi dies erant festi, sed duo tantùm, primus, & vltimus, siue septimus, vt indicat Dominus: *Prima* (inquit) *erit sancta atque solemnis, & dies septima eadem solemnitate venerabilis, nihil operis facietis in eis exceptis ijs quæ ad vescendum pertinent.* Itaque dies ille, quo Hebræi agnum comedebant, videlicet decimus quartus mensis Nisan, festus non erat, quia tamen vespera illius posterior ad decimum quintum diem spectabat, à vespera festum initium accipiebat, iuxta illud iam citatum: *A vespera vsque ad vesperam celebrabitis sabbata vestra.*

Act. 12.
Primus dies & extremus festi erant.

Tulit populus conspersam farinam antequam fermentaretur.

Quæritur, *cur Deus præceperit Hebræis, vt septem diebus azymis vescerentur?* Respõdetur, idcirco Deum hoc præceptum Hebræis dedisse, vt beneficij, quod acceperãt, recordarentur, id est, exitus ex Ægypto magna cum celeritate. Tunc enim farinam aqua consperſam fermẽtare non potuerunt, quia cogebant eos Ægyptij discedere. Deut. 16. *Septem diebus comedes absque fermento, afflictionis pãnem. Quoniam in pauore egressus es de Ægypto, vt memineris diei egressionis tuæ de Ægypto omnibus diebus vitæ tuæ.* Panis afflictionis dicitur panis azymus, quia, vt nõnulli volunt, insipidus est, & grauis, & ægrè in stomacho concoquitur. Existimari potest, dici panẽ afflictionis, quia afflictionem seruitutis Ægyptiacę Hebræis significabat. Quòd autẽ Hebræi non potuerint fermentare panes Ægyptiis vrgentibus, indicatur Exod. 12. his verbis: *Vrgebant Ægyptij populũ de terra exire velociter. Tulit igitur populus conspersam farinam, antequam fermentaretur, & ligans in pallijs, posuit super humeros suos.* Item: *Coxerunt farinam, quã dudum de Ægypto conspersam tulerant, & fecerunt subcinericios panes azymos. Neque enim poterant fermentari cogentibus exire Ægyptijs, & nullam facere sinentibus moram.* Conspersa erant aqua farinam, sed tanta fuit vis Ægyptiorum, vt fermentare illam nequiuerint.

24 *Cur Deus iusserit Hebræos vesci azymis?*
Deut. 16.
Azymus panis dicitur panis afflictionis.
Exod. 12.

Sed obiicies, nónne Deus præceperat illis, vt azymos panes per septem dies comederent? *cur ergo massam fermentare volebant?* Respondetur, Deum præcepisse Israelitis, vt cum agno azymos panes comederent in Ægypto, posteà verò in terra repromissionis eos comederent per dies septem, non autem in terra Ægypti. Ideoque illi massam, siue pastam, siue farinam conspersam volebant fermentare. Præcepta duo tradita illis sunt; alterum, vt cũm agno vescerentur azymis, hoc seruandum erat in Ægypto, & in terra repromissionis; alterum, vt per septem dies eiusmodi comederent panem. Hoc in Ægypto non erat seruandum, vt ait Abulensis Exod. 12. quæst. 12. sed in terra repromissionis. Oleaster ait, Hebræos illa die azymos panes confecisse ad cœnam agni ex pasta, siue massa; quòd verò superfuit massæ infermentatæ, ligasse in vestimentis.

25

Dubitatur, *an decreuerint Hebræi fermentare massam?* Nam die decima quarta ad vesperam, nullum erat fermentum in domibus Hebræorum, Exod. 12. *Septem diebus comedetis azyma, in die primo non erit fermentum in domibus vestris.* Et Deuter. 16. *Non apparebit fermentum in omnibus terminis his septem diebus.* Si ergo decreuerant consperſam farinam fermentare, vndénam fermentum habere poterant? Respondetur, Hebræos fermentum ex domibus eiecisse, sed si diutius mansissent, potuisse illud ab Ægyptiis amicis petere. Præterea respondetur, illud præceptum, quod traditur de expellendo fermento ex domibus, & terminis, intelligendum esse de terra promissionis, non de Ægypto. Itaque in terra promissionis, vbi per septem dies azyma comedebantur, exulabat fermen-

26
Exod. 12.
Deut. 16.

fermentum omnibus his diebus à domibus Hebræorum, at in Ægypto satis fuit comedere agnum cum azymis, quamuis fermentum ad fermentandos alios panes domi maneret, in qua comedebatur, vel in alia, in qua non comedebatur.

Omnis alienigena non comedet ex eo.

27 Actum est de ceremoniis quæ seruandæ erãt in epulo agni, de habitu, de panibus azymis, & cęteris, nunc agitur de ipsis epulantibus, & nonnullæ ceremoniæ adduntur: *Omnis alienigena* (inquit Dominus) id est, ex alia gente genitus, *non comedet ex eo. Aduena quoque & mercenarius non edent ex eo.* Intellige, nisi fuerint circumcisi, & ad religionem vestram transeant. Nam mox additur: *Quod si quis peregrinorum in vestram voluerit transire coloniam, & facere Phase Domino, circumcidatur prius omne masculinum eius, & tunc ritè celebrabit, eritque sicut indigena terræ.* Seruis quoque circumcisis agno vesci fas erat.

Circumcisio typus fuit Baptismi, purificationis Pœnitentiæ, consecratio sacerdotum, sacramẽti Ordinis.

In vna domo comedetur, neque efferetis de carnibus eius foras.

28 *Carnes agni ex domo efferri non licebat.*

Nec licebat aut ex carnibus agni aliquam partem ad amicos mittere, aut partem agni in domo vna, partem in alia comedere: *In vna* (inquit Dominus) *domo comedetur vnus agnus totus, neque ex carnibus eius foras quidquã mittetur, aut efferetur.* Quòd si in vna domo pauci habitarent, qui totum agnum comedere non possent, vicini assumebantur, vt supra dictum est. Præterea Exod. 12. præcipitur: *Si quid residuum fuerit, igne comburetis.* Ergo foras deferendæ non erant carnes agni, sed, si quid superesset comedentibus, igne erat consumendum. Adde, præcipi Hebræis Exod. 12. *Nullus vestrum egrediatur ostium domus suæ vsque mane,* &c. Non igitur poterãt foras quempiam mittere, qui agni carnes deferret. Caietanus putat, datam hanc ceremoniam, vt significaretur, nullum Hebræum illa nocte domo fuisse egressum.

Exod. 12.
Exod. 12.

Nec os illius confringetis.

29 *Ossa agni non licebat frangere.*

Agni ossa confringere non licebat. Ossa verò ipsa residua igni erant consumenda, iuxta illud: *Si quid residuum fuerit, igne comburetis.* Obiicies, Exod. 12. iubentur comedere caput, caput verò comedi non potest, nisi fractis ossibus. Respondetur, posse medullam capitis per foramen capitis extrahi. significat hæc ceremonia, vt Caietanus vult, celeritatem. Qui enim comedendo festinat, ossa frangere non curat, vnde illud: *Comedetis festinanter.*

CAPVT XXIII.

MORALE.

De agno paschali.

1 *D. Thom. Ceremonia veteris legis diuidũtur in sacrificia, sacramenta, sacra, & obseruantias.*

VT D. Thom. ait 1.2. quæst. 101. art. 4. veteris legis ceremoniæ ad cultum Dei pertinentes diuidebantur in sacrificia, sacramenta, sacra, & obseruantias. Nam in cultu Dei considerari possunt, ipse cultus Dei, & colẽtes, & instrumenta colendi Deum. Cultus Dei peculiariter consistit in sacrificiis, quæ in Dei reuerentiam offeruntur. Ipsa autem instrumenta colendi Deum pertinent ad sacra, vt tabernaculum, vasa sacra, & cętera huiusmodi. In colentibus Deũ duo spectantur. primum, est institutio eorum ad cultum diuinum, quod fit per consecrationem, vel populi, vel ministrorum, & ad hoc pertinent sacramenta. secundum, est singularis eorum conuersatio, per quam distinguuntur ab iis, qui Deum non colunt, & ad hoc pertinent obseruantiæ in cibis, vestimentis, & aliis huiusmodi. Sacramenta veteris legis docet idem Doctor angelicus, quæst. 102. art. 5. fuisse circumcisionem, consecrationem sacerdotum, oblationem victimarum, & esum panum propositionis, & aliorum, quę erant vsibus sacerdotum deputata. Præterea esum agni paschalis, & quasdã purificationes ab externis immunditiis, & quasdam expiationes à peccatis, & quantum ad sacerdotes, & Leuitas, ablutionem manuum, & pedum, & rasionem pilorum. Eodem articulo docet, circumcisionem fuisse figuram Baptismi: agnum paschalem Eucharistiæ: omnes purificationes veteris legis typum gessisse sacramenti pœnitentiæ; consecrationem Pontificis, & sacerdotum, sacramentum Ordinis adumbrasse. Sacramento Confirmationis, quod est sacramentum plenitudinis gratiæ, ait non respondisse vllum sacramentum in lege veteri, quia nondum aduenerat tempus plenitudinis. similiter sacramento extremæ Vnctionis nullum respondisse, quia est quædam immediata præparatio ad introitum glorię, cuius aditus nondum patebat sub lege. Matrimonium autem fuit sub lege, vt erat in officium naturę, non vt est sacramentum coniunctionis Christi, & Ecclesiæ, quæ nondum facta fuerat.

D. Thom.

2 *Paschalis agnus fuit Eucharistiæ typus.*

Ex his intelligimus, esum paschalis agni fuisse sacramentum Iudæorum, & Eucharistiæ respondens. Iussi autem sunt illum edere adhibitis ceremoniis, quas descripsimus; primò vt beneficium, quod à Deo acceperant, id est, à seruitute Ægyptiorum libertatem, memoria perpetua celebrarent. Hanc enim libertatem, & exitum ex Ægypto, ceremoniæ adumbrant. Eo tempore quo ex Ægypto egressi sunt, iussi sunt agnum immolare, & cum azymis comedere: idem eodem die iussi sunt facere in terra repromissionis singulis annis, vt beneficij accepti recordarentur. Deuter. 16. *Septem diebus comedes absque fermẽto, afflictionis panem, quoniam in pauore egressus es de Ægypto, vt memineris diei egressionis de Ægypto, omnibus diebus vitæ tuæ.* Dies septima azymorũ Deut. 16. *collecta dicitur Domini*, quia in ea collectio, siue congregatio populi fiebat ad celebrandas Dei laudes, & gratias agendas pro hoc beneficio. Agnum etiam iussi sunt comedere, vt recordarentur, Deum primogenita omnium Ægyptiorum, tam hominum, quàm iumentorum tunc occidisse: seruasse verò primogenita omnia Hebræorum, quia agni sanguine erant respersa ostia eorum, Exod. 12. *Et cùm dixerint vobis filij vestri: quæ est ista religio? dicetis eis: victima transitus Domini est, quando transiit super domos filiorum Israël in Ægypto, percutiens Ægyptios, & domos nostras liberans.* Liberans, inquam) per sanguinẽ agni. Ex Ægypto egressi sunt festinanter, ideò Exod. 12. iussi sunt festinãter agnum comedere. Hanc verò festinationem ceremoniæ significabant, vt tum alij, tùm D. Thomas docet 1.2. quæst. 102. art. 5. Literalis, inquit, ratio conuiuij paschalis fuit in commemorationem beneficij, quo Deus eduxit Hebræos de Ægypto. In

Deut. 16.
Dies collectæ cur dicebantur.
Deus libertatis donatæ Israelitis fecit memoriale.
Exod. 12.
D. Thom.
Literalis ratio conuiuij agni paschalis.

exitu autem illo festinantia fuit ad egrediendũ, impellebant enim eos Ægyptij, vt exirent velociter. Festinantia verò designatur per ea quæ comedebant. Præceptum enim eis erat, vt comederent azymos panes, in huius signum, quòd non poterant fermentari cogentibus exire Ægyptiis, & quòd comederent assum igni agnum; sic enim velòcius præparabatur. Et quòd os non comminuerent ex eo, quia in festinantia non vacat ossa frangere. Designatur etiam festinantia, quantum ad modum comedendi. Dicitur enim: *Renes vestros accingatis, calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinanter.* quod manifestè designat homines existentes in promptu itineris. Ad idem pertinet, quod eis præcipitur: *In vna domo comedetis, neque feretis de carnibus eius foras*; quia scilicet propter festinantiam non vacabat inuicem mittere xenia. Amaritudo autem quam passi fuerant in Ægypto, significabatur per lactucas agrestes. Sic D. Thom.

Ceremoniarũ causa literalis

3 Volebat Deus Hebræos beneficium illud maximum celebrare, gratiasque pro illo agere; sic vult nos beneficiorum, quæ ab ipso accepimus, esse memores, gratiasque semper pro illis, tanto benefactori agere, iuxta illud ad Ephes. 5. *Implemini Spiritu sancto loquentes vobismetipsis in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino, gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri Iesu Christi Deo, & Patri*, &c. Vult Apostolus, nos in corde nostro veluti odęum fabricare, in quo cantica, psalmosque summo benefactori semper decantemus. Philo in lib. de offerentibus victimas: Viros, inquit, sanctitatis meditatores, Deus, etiamsi nihil afferant, complectitur, absolutos in omni virtutum genere; pro victimis opimis adducentes hymnos in benefactorem suum, partim vocales, partim absque ore, linguaque conceptos in animo, & sic quoque penetrantes ad Deum, quantumuis non sentiantur humanis auribus, &c. Vult etiam Paulus, semper nos agere gratias: *Gratias* (inquit) *agentes semper*, &c. sicut enim semper beneficia accipimus, sic semper gratias agere debemus. Philo lib. citato. Quia perennes Dei gratiæ (id est, beneficia) nec deficiunt, nec intermittuntur, sed interdiu noctuque fruendas se præbent hominibus, altaris sacra flamma figurat, semper instaurandam gratiarum actionem, ne quando extinguatur, &c. Loquitur autem Philo de flamma, & igne altaris holocausti, qui perpetuus erat, Leuit. 6. *Ignis in altari semper ardebit*, &c. sic in corde semper ardeat gratiarum actio. Ligna autẽ quibus huiusmodi flamma accenditur, beneficia sunt Dei, quæ memoria subiicit. Cum suffitu etiam qui in altari interiori offerebatur, gratiarum actionem confert Philo; est enim odor Deo gratissimus. Ibidem ait, apud altare aureum, quod erat in Sanctis, quotidie sacra sumpsisse initium à gratiarum actionibus; sic par est nostras omnes actiones exordium accipere ab actione prima gratiarum semper, Psal. 18. *Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annuntiat firmamentum.* Cæli sanè sunt, qui *Dei gloriam* gratias agentes enarrant, *& opera manuum eius*, id est, beneficia à manibus eius accepta, enarrant semper. Additur: *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam.* Non cessant cæli, id

Ad Ephes. 5.

Philo. Gratiæ agendæ sunt Deo semper.

Philo. Ignis actionis gratiarũ semper ardeat in altari cordis.

Leuit. 6.

Psal. 18.

A est, viri probi, & Deum amantes, enarrare gloriam Dei, sed dies vnus alteri, & nox vna alteri sequenti eructat Dei laudes, gloriam, & gratias immortales. Bernard. serm. 11. in Cantica: Nolo (inquit) vos Iudaico notari opprobrio, de quibus Scriptura testatur Psalmo 77. *Quòd non fuerunt memores beneficiorum eius, & mirabilium eius, quæ ostendit eis.* Hominum opprobrium est obliuio beneficiorum Dei. A nobis recedat tantum opprobrium, omnium beneficiorum Dei memoria accedat.

D. Bernard.

Psal. 77.

Opprobrium hominum est obliuio beneficiorum Dei.

4 Præcipuè verò memoria passionis Christi, & immolati pro nobis agni, per cuius sanguinem ex Ægypto, id est, ex peccatis, liberati sumus,

B Deut. 16. *Septem diebus comedes absque fermento, affictionis panem, vt memineris diei egressionis tuæ de Ægypto omnibus diebus vitæ tuæ.* Deus omnibus diebus vitæ volebat ab Hebræis memoriam haberi exitus ex Ægypto. Quis ergo non videat, magnum fore opprobrium Christiani, si multo maioris beneficij, id est, passionis Christi, obliuiscatur? D. Bernard. loco citato: Id, inquit, quod præcipuum est, & maximum opus, videlicet redemptionis, à memoria redemptorum aliquatenus non recedat, &c. Item: Multum fatigationis assumpsit Dominus, vt multæ dilectionis hominem debitorem teneret, commoneretque gratiarum actionis difficultas redemptionis. Sic Bernard. Ad Colossi. 1. *Gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine: qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum.* Ecce Paulus gratias Deo agendas docet, quia nos ex Ægypto, id est, ex potestate tenebrarum eripuit, & transtulit in terram repromissionis, per sanguinem agni immaculati.

Deut 16. Beneficium agni, id est, Christi, pro nobis immolati, semper in memoria habendũ est.

D. Bernard.

Ad Coloss. 1.

Præterea indicant cæremoniæ agni festinationem, qua Ægyptus, id est, mundus, & peccata fugienda sunt. Festinanter à peccato discedendum est, festinanter opera Ægypti lutea,

D Pharaoque tartareus relinquendus, & ad beatam repromissionis terram conuolandum. Hieronym. ad Paulinum: Festina, (inquit) & hærentis in salo nauiculæ funem magis præcide, quam solue, &c. Vide festinationem nauigaturi in terram promissam; tanta sit festinatio, vt funis nauiculæ non soluatur, sed propter festinationem abscindatur. Psalm. 41. *Quemadmodum desiderat cerus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Vt sitiens cerus fontem velocissimo petit cursu; sic animus Deum sitiens, festinanter Ægyptum relinquit, & ad fontem bonorum omnium Deum festinanter currit. D. Gregorius homil. 22. in

E Euangelium, in quo de agno paschali agit: Notate, (inquit) quod dicitur: *Comedetis festinantes*, mandata Dei, mysteria Redemptoris, cælestis patriæ gaudia cum festinatione cognoscite, & præcepta vitę cum festinatione implere curate. Quia enim adhuc hodie, licet bene agere scimus, vtrum cras liceat, ignoramus. Festinantes pascha comedite, id est, ad solemnitatem patriæ cælestis anhelate. Nemo in huius vitæ itinere torpeat, ne in patria locum perdat. Sic ille.

5 Festinantes peccata relinquenda, & mundus. D. Hieron.

Psal. 41.

D. Greg.

Peregrinum habitum habebant Hebræi profecturi in terram promissam; nos adumbrant, qui peregrini sumus, & in terram cælestem nobis promissam iter facimus. Accincti erant, id est,

A est, expediti, non laxas habebant vestes, sed restrictas cingulo; sic nos oportet restringere corpus, veluti animæ quandam vestem, cingulo castitatis, cæterarumque virtutum. In pedibus habebant Hebræi calceamenta: sic oportet nos durissimo corio confectis calceamentis, animi munire pedes, id est, affectus. Sunt enim multæ in hoc itinere spinæ, multi serpentes, Psal. 90. *Super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem.* Durissimis sanè calceis ille indiget, qui aspides est calcaturus, leones, & dracones. Indicat nobis D. Gregor. homil. 22. in Euangel. egregias pelles, ex quibus hos calceos conficiamus. nimirũ exempla sanctorum. Quænam, inquit, sunt mortua animalia, ex quorum pellibus nostri muniuntur pedes, nisi antiqui Patres, quorum dum exempla conspicimus, nostri operis pedes munimus, &c. Egregiè animi pedes muniunt sanctorum exempla vt aspides, leones, draconesque conculcare possint, & conterere. Baculos in manibus tenere pastorum est, ideo D. Greg. ait, significari hoc loco pastorum castitatem. Debent enim qui baculos tenẽt renes, siue lumbos accingere, id est, castissimi esse. Notandum (ait Gregorius) quòd priùs præcipimur renes accingere, postmodum baculos tenere; quia illi debent curam pastoralem suscipere, qui iam in suo corpore sciunt riuxa luxuriæ domare, &c.

Psalm 90. Peregrini Christiani habitus in terram promissam agentis ster. D. Gregor.

Exẽpla sanctorum.

D. Greg. Prælati castitate fulgeãt.

7 Fermentum peccatum significat, iuxta illud

C 1. Cor. 5. *Expurgate vetus fermentum*, &c. Item: *Epulemur non in fermento veteri, neque in fermẽto malitiæ, & nequitiæ*, &c. Azymi panes, & fermento carentes puritatem, & sinceritatem animi peccato carentis indicant, iuxta illud eiusdem capitis: *Epulemur in azymis sinceritatis, & veritatis.* Eodem cap. ait Paulus, *modicum fermentum totam massam corrumpit*; sic peccatum mortiferum corrumpit hominem, iuxta illud Psalmi 52. *Corrupti sunt, & abominabiles facti sunt, non est qui faciat bonum.* Danda ergo diligẽter opera est, ne fermentum hoc in domibus nostris inueniatur, quamdiu viuimus. 2. Petri 1. *Fugientes*, inquit, *eius quæ in mundo est concupiscentiæ corruptionem*, &c. Fermentum est concupiscentia, quemadmodum fermentum corrumpit massam: ita concupiscentia corrumpit hominem. Qui concupiscentiæ fugit corruptionem, is ex domo fermentum pellit. Paulus 1. Corinth. 5. Christianos appellat *azymos*, id est, fermento carentes peccatorum mortaliũm; *Expurgate*, inquit, *veius fermentum, vt sitis nouа conspersio* (id est, noua massa sine fermento) *sicut estis azymi.* Dicet aliquis, si Corinthij erant azymi, fermento carebant: cui ergo eis præcipit, *vt expurgent fermentum, & sint massa noua sine fermento?* Respondetur, Paulum appellare azymos, multos qui vitiis inquinati non erant; vel appellare azymos Corinthios quod attinet ad statum; status enim legis nouæ est azymorum, id

E est, sinceritatis, & puritatis. Ait ergo: *Expurgate vetus fermentum, vt sitis massa noua sine fermento, sicut estis azymi*; secundùm statum, qui magnam postulat puritatem. Vnde Caietanus: Infermentatus, inquit, status, est status Christianorum, vtpote continuam profitentium solemnitatem paschalem, &c. Exod. 12. *Quicunque comederit fermentatum, peribit anima illa de Israël*, &c. Eundem in modum, quicunque comederit peccato mortifero fermentatam delectationem peribit anima illius in sempiternum.

1. Corint. 5.

Fermentũm peccatum indicat.

Psalm. 52.

2. Petr. 1.

Concũpiscentia est fermẽtum massam corrumpens.

Caietan. Status Christianorum est status azymorum, id est, puritatis & sinceritatis. Exod. 12.

CAPVT XXIV.

MORALE.

De agno paschali, vt vmbra erat Christi.

AGnum paschalem vmbram fuisse Christi, indicat Paul. 1. Cor. 5. cùm ait, *Pascha nostrum* (id est, agnus noster paschalis) *immolatus est Christus.* & Ioan. 19. *Facta*, inquit, *sunt hæc, vt scriptura impleretur.* Exod. 12. *Os non cõminuetis ex eo.* Impleta est scriptura, quando crura Christi in cruce non sunt fracta, cùm tamen fracta fuerint crura latronũ, quia agnus paschalis Christi typus erat. Accedat lucerna ardens, & lucẽs Baptista, & vmbræ lumen afferat, ostendatque verum agnum, quem legalis agnus adumbrabat: *Ecce*, inquit, *agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Ecce, inquit, verus agnus à Deo missus, quem legalis ille, & paschalis significabat. Immolatus ille est, vt cruore suo primogenita Israëlitarum morti eriperet; hic autem immolabitur, vt peccata mundi suo sanguine tollat, hominesque à sempiterna morte liberet. Accedat Pontifex summus Petrus epistola 1. cap. 1. *Redempti*, inquit, *estis pretioso sanguine agni immaculati.* Vt alios Patres omittamus, accedat antiquissimus Martyr D. Iustinus in dialogo cum Tryphone: Mysterium, inquit, sacrificij, quo agnus mactatur in festo paschæ, figura Christi erat, cuius sanguine fideles vngunt domos suas, id est, semetipsos, &c. Denique D. Thomas 1. 2. quæst. 102. art. 5. Per immolationem, inquit, agni paschalis significabatur immolatio Christi. Item: Conuiuio agni paschalis respondet in noua lege Sacramentum Eucharistiæ, &c.

1. Cor. 5.

Ioan. 19. Exod. 12. Agnus paschalis vmbra Christi fuit.

Ioan. 1.

1. Petr. 1.

D. Iustinus.

D. Thomas.

Quod attinet ad tempus, agnus paschalis immolatus est in mense Nisan, respondente, vt diximus, nostro Martio, & Aprili. Quo mense Nisan, post hyemem, nouum & lætum ver terram renouat, miraque induit amœnitate, ac lætitia: eodem mense Nisan immolatus est agnus noster, & post longissimam hiemem, nouum ver, & lætissimum, atque amœnissimum effecit, mirisque floribus terram vniuersam renouauit, ac

D decorauit. In plenilunio decima quarta die mensis Nisan, immolabatur agnus legalis: in plenilunio quoque immolatus est agnus noster, cùm plena luna erat, gratiæque plenitudinem indicabat, qua Christi sanguis Ecclesiam impleuit. Indicabat etiam plenilunium temporis plenitudinem, vt vult Rupertus, de qua Paulus ad Galat. 4. ait: *Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum*, &c. Agnus legalis immolabatur post æquinoctium vernum, cũ dies incipiunt superare noctes. Agnus noster post idem æquinoctium immolatus est, noctesque peccati abegit, dies gratiæ longissimos, imò sempiternos effecit. Decima die mensis Nisan

E allatus est domum immolandus agnus legalis: decima die eiusdem mensis venit noster agnus in Ierusalem, suffigendus cruci. Fortè ramis circumdatus ab aliquibus hac die, in Ierusalem ferebatur agnus ille: sic noster agnus ramis cinctus, atque ornatus, in eandem vrbem adductus est. Decima quarta die mensis agnus legalis immolabatur ad vesperam: sic noster agnus, ipsa eadem die decima quarta ad vesperam semetipsum incruentè immolauit, & Missæ sacrificium, ac sacramentum instituit. Rupertus: Quarta decima, inquit, die ad vesperam, noui

Christus, vt agnus paschalis immolatus est in mense Nisan, in plenilunio.

Ad Galat. 4.

Decima die mensis agnus noster Christus in Ierusalem venit ramis honoratus.

Agnus Christus decima quarta luna est immolatus incruentè, & sequenti die cruentè.

Rupertus.

sacrificij agnus priùs propriis manibus Patri Deo semetipsum immolauit, accipiens panẽ, & vinum, & mira potentia, atque ineffabili transferens hæc in corporis & sanguinis sui sacramentum, &c. Immolationem incruẽtam factam in cænaculo ad vesperam, secura est immolatio cruentissima, facta in cruce hora sexta; hora verò nona noui Testamenti admirabilis agnus emisit spiritum. Est præterea immolatus ad vesperam mundi; hęc enim mundi ætas nouissima, rectè vespera mundi nominatur, in ea immolatus est agnus typicus sine macula, masculus, anniculus, atque perfectus: verus autem agnus omni peccati macula carebat, adeoque perfectus erat, vt omnes peccatorum maculas suo sanguine abluerit. Rupertus hæc sic explicat: Erit (inquit) agnus absque macula, id est, innocens; masculus, hoc est, fortis; anniculus, id est, perfectus, &c.

Rupert.

3 Agnum typicum immolauit omnis multitudo filiorum Israel; similiter eadem multitudo immolauit verum, cùm Iudęi clamauerũt: *Crucifige eum*, Matth. 27. *Respondens vniuersus populus, dixit: Sanguis eius super nos, & super filios nostros.* Comederunt autem agnum Christum *festinanter*. Nam feria quinta nocturno tempore eum comprehẽderunt in horto, feria sexta sequenti, tempore meridiano fixerunt cruci festinanter. Sed comederunt eum cum lactucis agrestibus, sive cum amaritudinibus, quia summis amaritudinibus propter eius cædem affecti sunt, hoc est, amarissimis suppliciis. *Fuit Phase*, id est, *transitus Domini*, quoniam Deus, & homo Christus, ab illis occisus, à vita mortali ad immortalem percutiens dæmones, velut impios Ægyptios, transiuit. Sanguine typici agni asperserũt Israelitæ domos suas, vt à percutiente angelo liberarentur: eundem in modum sanguine veri agni aspergunt Christiani animos suos, vt cacodæmonem impios percutientẽ effugiant. Clamauerunt Iudęi: *Sanguis eius super nos, & super filios nostros*: noluerũt tamen aspergere sanguine agni ostia sua; hoc est, noluerunt palam confiteri, agnum illum esse mundi Redemptorẽ. Sanguine agni à morte liberante noluerunt aspergi, sed sanguine agni supplicium flagitante. *Sanguis*, inquiũt, *eius super nos, & super filios nostros*, hoc est, sanguis, supplicium flagitans huius cędis, veniat super nos, & super filios nostros. Quod postulauerunt, consecuti sunt, traditi percutienti angelo: Christiani autẽ qui ostia sua sanguine sui agni oblinunt eumque mundi totius liberatorem fide, & operibus profitentur, à percutiente angelo liberantur. Sanguis agni typici in ostiis palam coram omnibus ponebatur: sic sanguis Christi in ostiis ponitur, cùm palam coram omnibus Christi fidem profitemur, & ea quæ fides docet, operibus præstamus. Ponimus etiam Christi sanguinem in fronte, cùm frontem, quæ ab omnibus cernitur, signamus cruce, in qua agnus sanguinem fudit. Israelitæ superliminare ostij, quod velut frons ostij est, sanguine agni signabant; nostrũ superliminare frons nostra est. D. Greg. hom. 22. in Euangel. In superliminari, inquit, domus sanguinẽ agni ponimus, quia crucem passionis illius in fronte portamus, &c.

Matth. 27.

Comederunt agnum festinanter, id est, occiderunt Christũ cum amaritudine supplicij Iudęi quo affecti sunt.

Aspersio domus sanguine agni.

Sanguinem agni percutiẽtem pertimuerũt Iudęi, non liberantem.

Sanguis in ostio: crux in fronte.

D. Greg.

4 Præterea ponebatur sanguis in superliminari, & in duobus postibus domus; sic poni debet sanguis agni nostri in superliminari, id est, in intellectu, & in duobus postibus, id est, in memoria, & in voluntate. In intellectu ponitur, cùm frequenter Christi passionem intellectu voluimus: in memoria ponitur, cùm passionem memoria sępe repetimus: in voluntate ponitur, cùm passionis memoria frequens voluntatem amore Christi patientis inflammat, omniaque vitia ab eo propellit. D. Gregor. loco citato, ait superliminare esse intentionem, quia, vt superliminare est super ostium, ita intentio est super actiones. Qui igitur actiones suas per intentionem dirigit ad imitationem patientis Christi, is sanguinem agni in superliminari ponit. D. Gregor. Qui, inquit, intentionem cogitationis suæ ad imitationem passionis dirigit, in superliminari domus sanguinem agni ponit, &c.

Sanguis Christi quomodo ponatur in ostio domus.

D. Greg.

Intentio bene dirigenda ad imitationem Christi agni.

B *Et edent carnes nocte illa assus igni, & azymos panes, cum lactucis agrestibus.*

Agnus typicus non solùm immolabatur, sed etiam comedebatur: neque solùm erat sacrificium, sed etiam sacramentum. Sic agnus verus, non solùm est immolatus, sed etiam quotidie comeditur: neque solùm in sacrificium offertur, sed etiam sub sacramento latet. Immolatus quidem est cruentè in cruce, immolatur verò quotidie incruentè in sacrificio Missæ, & sub sacramento Eucharistiæ latet, & comeditur.

5 *Quomodo sit manducãdus cęlestis agnus docent ceremoniæ agni paschalis.*

C Quomodo sit comedendus indicant ceremoniæ paschalis agni. Edebatur nocte agnus ille: noster quoque nocte editur, quia Christum sub sacramento latentem, velut in nocte, non cernimus corporis oculis. Lucernam fidei oportet adhibere, quæ illius maiestatem, ac diuinitatem ostẽdat. Assus igne comeditur agnus noster, quia amore inflammatus mortem subiit. Igne dolorum assus est agnus, & igne amoris. Rupertus: Carnes, inquit, assas igne edimus, id est, excoctas molestia passionis, &c. Præterea dicitur agnus assus igne Spiritus sancti, quia vt Apostolus ait ad Hebr. 9. *Per spiritũ semetipsum obtulit immaculatum Deo*, &c. *Non comedetis* (ait Dominus) *ex eo erudum quid, vel coctum aqua.* Crudum comedunt agnum (vt D. Gregorius ait loco citato) hæretici illi, qui Christum Deũ esse non credunt: qui verò incarnationis Dei mysterium humana scientia, veluti aqua coquunt, non fide, & Ecclesię doctrina, aqua agnũ coctum edunt. Quid (inquit Gregorius) aqua designat, nisi humanam scientiam, iuxta illud quod Prouerb. 6. sub hæreticorum voce dicitur, *Aquæ furtiuæ dulciores sunt?* Aqua furtiua est hæreticorum scientia, siue potiùs ignorantia; hac illi aqua agnum coquunt, cùm de augustissimo Eucharistiæ sacramento prauè sentiunt, praueque loquuntur, & scribunt; denique crudissimum agni corpus comedunt. Quid crudius esse potest quàm figura corporis? cùm Deus nobis totum, & verum agnum edendum dederit, illi crudissimam tantùm illius figuram edunt; quia intellectum in obsequium fidei captiuare nolunt.

Rupert.

Amor Christi.

Ad Heb. 9.

D. Greg.

Agnus crudus, vel aqua coctus.

Prou. 6.

E *Si quid* (ait Dominus) *residuum fuerit, igne comburetis.* Quemadmodum Israelitæ, quod non poterant ex agno comedere, vt ossa, igne comburebant: sic nos, quod ex nostro agno intellectu percipere non valemus, igne amoris comburere oportet, Dei omnipotentiam admirabilem voluentes animo. Audiamus Magnum Gregoriũ: Quod, inquit, ex agno remanet, igne comburimus, quando hoc, quod de mysterio incarna-

6 *Quod non capimus tam admirabilis Sacramenti, amoris igne comburẽdum est, & Dei omnipotentiæ tribuendum.*

D. Gregor.

incarnationis eius intelligere, & penetrare non possumus, potestati sancti Spiritus humiliter reseruamus, vt non superbè quis audeat vel contemnere, vel denuntiare, quod non intelligit; sed hoc igni tradit, cùm Spiritui sancto reseruat, &c.

A

7 *Caput* (ait Dominus) *cũ pedibus eius, & intestinis vorabitis.* Totum agnũ iuber assari, totum comedi, nihil ex eo vsque manè relinqui; quia totũ nobis dat agnum immaculatum in Sacramento, totum recipimus, non partem. Quãuis enim species diuidantur, agnus ipse non diuiditur. Caput (vt ait Gregorius) diuinitatem significat, pedes humanitatem; intestina verò summas adumbrant, & internas illius virtutes. Verbum *vorabitis* significat auiditatem. Magna enim auiditate agnus est edendus. Vnde illud D. Chrysostomi homilia 60. ad popul. Nónne, inquit, videtis, quanta promptitudine paruuli papillas capiunt, & quanto impetu labia vberibus infigunt? Accedamus cum tanta nos quoque alacritate ad hanc mensam, quinimò cum lõgè maiori trahamus, sicut infantes lactanei, Spiritus sancti gratiam. Sic ille.

Totus agnus manducatur, qui Deus & homo est Christus.

D. Gregor.

D. Chrysost. Auiditate magna manducandus cęlestis agnus.

B

8 Præter hæc, cum panibus azymis comeditur agnus absque fermẽto vllius peccati mortiferi, iuxta illud Paul. 1. Corinth. 5. *Epulemur in azymis sinceritatis, & veritatis.* Sinceritatem afferre oportet ad has epulas, id est, conscientiæ puritatem. Oportet etiam afferre veritatem, hoc est, verè & fideliter de tanto sacramento sentire, & credere. Addendę sunt *lactucæ agrestes sive amaræ*, ex Hebræo, *amaritudines*, hoc est, amara cõtritio peccatorum. D. Gregor. loco citato: Lactucæ, inquit, agrestes valde amaræ sunt. Cum lactucis ergo agrestibus agni carnes sunt edendæ, vt cùm corpus Redemptoris accipimus, nos pro peccatis nostris in fletibus affligamus; quatenus ipsa amaritudo pœnitentiæ abstergat à mentis stomacho peruersę humorem vitæ, &c. Obtinet pœnitentię amaritudo amaritudinem pharmaci malos humores expurgantis. Quamdiu stomachus mentis mortiferum habet humorem, peccati, cibum cælestem accipere non potest. Accedat pœnitentiæ pharmacum, mortiferum expellat humorẽ, vt possit anima admirabilem agnum edere. Admirandam habent vim lactucæ agrestes pœnitentiæ: mortem ipsam mortiferi peccati, Deo donante, & efficiente, ab homine expellunt, vitæque mortuum reddunt. Quis amaras lactucas edere nolit cum agno dulcissimo? Si amaræ sunt lactucæ, agnus dulcedine sua eximia, omnia reddit dulcia.

1. Corint. 5. Cum panibus azymis, cum bona cõscientia manducãdus agnus.

D. Gregor.

Pœnitentia præmitten. dæ est amaritudo dulcis.

Renes vestros accingetis.

9 Viaticum dicitur Eucharistiæ sacramentum. Est enim peregrinorum cibus, ideo peregrinorum habitu comeditur agnus. Renes accinguntur, pedes muniuntur calceis, baculi manibus tenentur, festinanter editur. Nónne hæc omnia peregrinum adumbrant? Peregrini sumus, non habemus hic ciuitatem permanentem, sed futuram inquirimus. Viaticum nostrum augustissima Eucharistia est. Si autem viaticum est, cur ab eo tot dies, imò tot mẽses abstinemus? videlicet quia in terra radices figimus, infimisque rebus caducis adhæremus. Sumamus, quæso, peregrinorum habitum. Accingamus vestem, id est, corpus, quo anima veluti veste induitur, restringamus, castitatisque, & mortificationis cingulo comprimamus. Cingulum vestem à terra subleuat: sic castitas & mortificatio subleuat corpus, & animam, peregrinumque in terra facit hominem. Muniamus pedes animi calceis, iam supra cap. 23. ostensis à D. Gregor. id est, exemplis sanctorum. Baculos teneamus, id est, orationem, & rerum diuinarum meditationem. Vt enim baculi peregrinos magnopere iuuant: sic iuuat oratio, & meditatio homines in cælum facientes iter.

Peregrini sumus, viaticũ est augustissima Eucharistia.

Sumẽdus habitus peregrinorum.

C

Comedebant Israelitę suũ agnum *festinanter*: nos quoque nostrum festinanter comedimus; non sternuntur celsæ mensæ, non apponuntur condimenta, vel varia fercula, argenteis, aureisve illata vasis, non propinantur vina pretiosa, ipse agnus sub modica panis specie nobis præbetur, qui omnium ferculorum dulcedinem, pretiumque infinito superat interuallo. Festinanter illum sumimus, sed, postquam sumimus, in gratiarum actione, tantique mysterij meditatione morari oportet. Postquam agnum comederant, præcipitur Hebræis: *Nullus vestrum egrediatur ostium domus suæ, vsque manè.* Sicut illi domi se continebant post esum sui agni: sic nos in templo nos contineamus, & in consideratione tanti mysterij moram faciamus, postquam Eucharistiam sumimus. *Est Phase*, id est, *transitus Domini.* Transit enim Dominus per sacramentũ, manet in nobis reali maiestatis suæ præsentia, interim dum species sacramentales durant, postquam absumuntur, transit præsentia realis, sed manet per charitatem, gratiã, & auxilia sua. Interim dum in speciebus manet in nobis, eius perfruamur dulcedine: postea verò in meditatione, & gratiarum actione immoremur. Illud etiam quod legitur Exod. 12. *Nec remanebit ex eo quidquam vsque manè*, in nostro sacrificio, & sacramento impletur. De sacrificio enim, & hostia nihil vsque manè remanet; similiter nihil remanet de sacramẽto, quod populo exhibetur, cùm sumitur. Neque enim fas est, partem in sequentem diem remanere. Remanet autem sacramentum, diligenterque custoditur in altari, vt ægrotis succurratur, & viaticum detur in cælum, vt adoretur Christus Dominus noster, vt

Festinanter agnus editur.

Gratiarum actio post agni mensam.

Exod. 12.

D procidamus ante Deum, & ploremus coram Domino, qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster, nos autem populus eius, & oues pascuæ eius. Vult enim semper in Ecclesia sua humanitatem etiam suam esse, & à populo suo adorari, iuxta illud Matth. vlt. *Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem sæculi.* Nihil ex sacramento *manet vsque manè*, quia vita hæc nox est, in qua agnus comeditur: cũ illuxerit æterna dies, nihil ex eo remanebit, quia non erit opus sacramentis. Viaticum est hoc sacramentum, in via sumitur, non in patria.

Matth. vlt.

Omnis alienigena non comedet ex eo.

11 E Quemadmodum nullus non circumcisus agnum paschalem comedebat: ita nullus non baptizatus nostrum comedere potest agnum. Respondebat enim circumcisio Israelitarum nostro Baptismo. His adde, circumcisionem significare vitiorum resectionem. Qui igitur incircumcisus est, hoc est, qui peccata omnia mortifera non resecuit, agno vesci nequit. Quod si baptizati sint, non solùm ad mensam regiam Deus vocat Reges, principes, nobiles, diuites, sed etiam seruos. *Omnis*, inquit, *seruus emptitius circumcidetur, & sic comedet.* Præterea omnes

Ad comedẽdum agnum Dei, opus est circumcisione peccatorum.

In vna domo agnus Dei comeditur, id est, in vna Ecclesia. D. Thom.

omnes serui sumus, empti Domini nostri sanguine, ideo ad mensam suam nos vocat. Denique addit Dominus: *In vna domo comedetur, neque efferatis de carnibus eius foras.* In vna autem domo comeditur agnus noster, id est, in Ecclesia, quæ vna domus est, vnaque Ecclesia Catholica, per totum diffusa orbem. Præcipitur (ait D. Thomas 1.2. quæst. 102. art. 5.) quòd in vna domo agnus paschalis comedatur, id est, in Ecclesia Catholicorum, non in conuenticulis hæreticorum, &c. Comedebatur agnus paschalis in vna domo ab Israelitis, vt memoriam retinerent liberationis ex seruitute AEgyptiaca: similiter comeditur à nobis agnus Dei in vna Ecclesia, vt liberationem commemoremus ex captiuitate diabolica, per illius sanguinem.

A *Hoc facite* (ait Dominus) *in meam commemorationem.* Et Paulus: *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem Domini bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* Nomen Græcum εὐχαριστία, *actionem gratiarum* significat, quas pro admirabili agni nostri immolatione tam cruenta, quàm incruenta agere debemus. Psalm. 110. *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors & miserator Dominus, escam dedit timentibus se.* Mirabilia fecit Dominus in passione sua; horum mirabilium memoriam & memoriale fecit sacrificium, & Sacramentum Eucharistiæ. Passio tam mirabilis, tam mirabile memoriale postulabat, in quo realiter ipse Deus, & homo est, cuius memoria celebratur.

Agnus Dei immolatur in commemorationem passionis. Psalm. 110.

LIBER

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

De ampla facultate data Hebræis, & de spoliatione Ægyptiorum.

EXODI CAP. XII.

1 SVrrexitque Pharao nocte, & omnes serui eius, cunctaque Ægyptus: & ortus est clamor magnus in Ægypto: neque enim erat domus in qua non iaceret mortuus. Vocatisque Pharao Moyse, & Aaron nocte, ait: Surgite, & egredimini à populo meo vos, & filii Israël: ite, immolate Domino sicut dicitis. Oues vestras & armenta assumite vt petieratis, & abeuntes benedicite mihi. Vrgebantque AEgyptii populum de terra exire velociter, dicentes: Omnes moriemur. Tulit igitur populus conspersam farinam antequam fermentaretur, & ligans in palliis, posuit super humeros suos. Feceruntque filii Israël sicut præceperat Moyses: & petierunt ab AEgyptiis vasa argentea & aurea, vestemque plurimam. Dominus autē dedit gratiam populo coram Ægyptiis vt commodarent eis: & spoliauerunt Ægyptios.

2 Habitatio autem filiorum Israël qua manserunt in AEgypto, fuit quadringentorum triginta annorum. Quibus expletis, eadem die egressus est omnis exercitus Domini de terra AEgypti.

Ortus est clamor magnus in Ægypto: neque erat domus, in qua non iaceret mortuus.

3 POst plagam decimam, id est, primogenitorum omnium stragem, ortus est in Ægypto clamor magnus nocte illa, & ingens planctus, territusque Pharao tot cædibus, timens ne tam ipse quàm populus post primogenitos occiderentur, Mosem, & Aaronem vocauit ipsa nocte, amplamque illis abeundi facultatem concessit cum ouibus, & armentis, *& abeuntes,* inquit, *benedicite mihi,* hoc est, vitam, & bona alia à Deo vestro mihi postulate, iramque eius à regno meo auertite. Chaldæus vertit, *orate pro me.* Ad sacrificandum Deo discedebant, ideo Pharao petit, vt illi benedicant, vel tunc, cùm sacrificia obtulerint, vel etiam in ipso discessu. Ægyptij verò magno percussi terrore mortis, Israëlitas vrgebant, & velociter abire compellebant, dicentes: *Omnes moriemur,* hoc est, Si nō discedatis ex Ægypto, nos omnes Deus vester disperdet, neque dabit: exite igitur celeriter, ne nos ira eius omnino extinguat. Coacti Hebræi velociter exierunt adeò, vt nec farinam aqua conspersam fermentare potuerint, neque pulmentum præparare. Exod. 12. *Neque poterant fermentari panes cogentibus exire Ægyptiis, & nullam facere sinentibus moram, nec pulmenti quidquā occurrerat præparare.* Farinam conspersam, id est, massam infermentatam, palliis alligarunt, humerisque impositam detulerunt, & in prima mansione azymos ex ea coxerūt panes. Pedibus timor addidit alas,

Exod. 12.

Cogūtur Israelitæ exire ex Ægypto.

Exod 12. Fermentare massam non potuerūt propter celeritatem.

A & peperit celeritatem: manebant Ægyptij, sed Hebræorum pedibus addebant alas, vt discederent velociter compellentes.

Petierunt ab Ægyptiis vasa argentea, & aurea.

4 Dixerat Dominus Mosi Exod. 3. *Non exibitis vacui, sed postulabit mulier à vicina sua, & ab hospita sua, vasa argentea, & aurea, ac vestes, ponetisque eas super filios, & filias vestras, & spoliabitis Ægyptum.* Et Exod. 11. *Dices omni plebi, vt postulet vir ab amico suo, & mulier à vicina sua, vasa argentea, & aurea. Dabit autem Dominus gratiam populo suo coram Ægyptiis.* Hæc cùm à Deo accepisset Moses, præcepit Hebrēis, vt id facerent, quod à Domino acceperant, Exod. 12. *Fecerunt filij Israël, sicut præceperat Moyses, & petierunt ab Ægyptiis vasa argentea, & aurea, vestemque plurimam, & spoliauerunt Ægyptios.* Petierunt autem Hebræi vasa, & vestes pretiosas ab Ægyptiis sacrificium, festumque prætextentes: Nos (aiebāt) ad sacrificandum, festumque maximum Deo nostro agendum discedimus, commodate ergo nobis vestes pretiosas, dignas tanta festiuitate, & vasa idonea tanto sacrificio: commodabant illi libenter. Nam, vt dicitur Exod. 12. *Dominus dedit gratiam populo coram Ægyptiis, vt commodarent eis, & spoliauerunt AEgyptios.*

Exod. 3.

Exod. 11.

B

Exod. 12.

Exod. 11.

C

Quæritur, *an fas fuerit Hebræis, spoliare AEgyptios?* Respondetur, fas fuisse. Prima causa fuit; quia Deus, cuius omnes sunt diuitiæ, id fieri iussit, vt diximus. August. quæst. 39. in Exod. 5

D. August.

Non

An fas fuerit Israelitis spoliare Ægyptios?

Non fecerunt, inquit, furtum Hebræi, sed Deo iubenti ministerium præbuerunt. Sic ille. Digni autem erant Ægyptij ob plurima flagitia, quibus Deus bona illa auferret, quę commodarunt Israelitis. D. Thom. 2.2. quæst. 104. art. 4. Non fuit, inquit, contra iustitiam, quòd Deus mandauit Iudæis, vt res Ægyptiorum acciperent; quia Dei sunt omnia, & cui voluerit, dat illa, &c. Secunda causa fuit, quia Hebræi diu seruierant Ægyptiis, multisque ab illis affecti fuerant iniuriis: mercedem ergo seruitutis suæ, & iniuriarũ acceperunt. Sap. 10. *Reddidit iustis mercedẽ laborum suorum.* Philo lib. 1. de vita Mosis: Hoc (inquit) fecerunt Hebræi, vt diuturni laboris necessariam mercedem reciperent; deinde, vt pro acceptis in tempore seruitutis iniuriis, si nõ pro merito, saltem aliquid damni reponerent, &c. Tertullianus lib. contra Marcionem scribit, Ægyptios bona sua ab Hebræis repetiuisse, videlicet postquam transierunt mare rubrum. Hebræos verò suorum laborum & seruitutis postulasse mercedem, ac retinuisse. Aiunt (inquit Tertullianus) ita actum per legatos vtrinque, Ægyptiorum quidem repetentium vasa, Iudæorum verò reposcentium operas suas; & tamen has iustitia renuntiauerunt sibi Ægyptij, &c.

D. Thom.

Sap. 10.

Philo.

Tertull.

6 De tempore, quo Hebræi vasa petiuerunt, & vestes.

Præterea dubium est de tẽpore, quo vasa, & vestes Hebræi ab Ægyptiis petiuerunt, *petiuerintne post mortem primogenitorum*, quando exire cogebantur velociter, *an ante cædem?* Scriptura quidem post cædem primogenitorum huius petitionis mentionem fecit, sed tempus illud nocturnum maximè incommodum huic petitioni videtur fuisse, cùm Ægyptij maximè perturbati essent, acerbo percussi dolore, lacrymisque pertusi. Respondet D. Augustinus, quæst. 45. in Exod. factam esse petitionem ante stragem primogenitorum, scripturam verò per recapitulationem eius meminisse post stragem. Eandem sententiam alij sequuntur. Dicendum ergo est, Deum multo antè in terra Madianitarum, Exod. 3. dixisse Mosi: *Postulabit mulier à vicina sua, & ab hospita sua vasa.* Postea in Ægypto idem illi dixit, Exod. 11. antequam primogenitos occideret: *Adhuc*, inquit, *vna plaga tangam Pharaonem. Dices ergo omni plebi, vt postulet vir ab amico suo, & mulier à vicina sua.* Dicta sunt hæc post nonam plagam ante vltimam primogenitorum, tunc videntur Hebræi ab Ægyptiis vasa, vestesque postulasse ad sacrificium. Dedit autem eis Deus gratiam coram Ægyptiis, corda Ægyptiorum in eorum beneuolentiam permouendo. Obiicitur, Hebræi ante cædem primogenitorum non habebant discedendi facultatem, idque sciebant Ægyptij; ergo *nõ petiuerunt vasa, & vestes ante cædem primogenitorũ*, sed postquam *facultatem adepti sunt.* Respondetur, Hebræos sciuisse ex Deo, se recessuros post sequentem plagam, ideo postulasse vasa, & vestes: Ægyptios autem vt commodarent, tunc Deus permouit. Nõ caret probabilitate altera sententia, videlicet tũc postulasse Hebræos vasa, & vestes, cùm ab Ægyptiis abire compellebantur, dedit autem Deus gratiam Hebræis tantam coram Ægyptiis tunc, vt in nullo nocturno tẽpore, in illa magna perturbatione, ac dolore omnia commodarent, quæ petebant, vt velociter discederent. Iosephus libro 2. antiquit. Tunc (inquit) Rex accito Mose mandat, vt abeant; ratus est, post eorum exitum regionem subleuatum iri. Donis etiam Hebræos honorabant alij, quò celeriùs discederent, alij propter vicinitatis consuetudinem. Atque hoc modo egressi sunt Hebræi flentibus Ægyptiis, & pœnitentibus ob præteritam malam eorum tractationem. Sic ille. Dona aliqua dederunt Ægyptij Israelitis, vt ait Iosephus. Nonnulli voluerunt, vasa aurea, & vestes dono dedisse: sed obstant scripturæ verba hæc, Exod. 12. *Dominus dedit gratiam populo coram Ægyptiis, vt commodarent eis. Vt commodarent*, (inquit) non, vt donarent.

Exod. 3.

Exod. 11.

Iosephus.

Exod. 12.

Habitatio filiorum Israël, qua manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum tringinta annorum.

7 Quot annis Israelita in terra Chanaan, & Ægypto manserunt.

Indicat hoc loco Moses, quot annis habitarint Israelitę in terra Ægypti. *Habitatio*, inquit, *filiorum Israel, qua manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum.* De his annis egimus tomo 1. Concord. Euangel. lib. 5. cap. 20. latè. Non libet eadẽ hîc repetere, paucis dicendum est, Israelitas non habitasse in Ægypto tot annorum spatio, sed numerari hoc loco annos ab exitu Abrahami ab Vr Chaldæorum, vsque ad exitum ex Ægypto. In hunc sensum locum hunc explanãt LXX. interpretes, Exod. 12. hoc pacto: *Habitatio filiorum Israël, qua habitauerunt in terra Ægypti, & in terra Chanaan, anni quadringenti triginta.* Docẽt apertè, hos annos transactos esse ab Hebræis non solùm in Ægypto, sed in terra Chanaan, vnde August. quæst. 47. in Exod. Manifestum, inquit, est, computandum esse tempus etiam Isaac, & Iacob, ex quo peregrinari cœpit Abraham de terra Chanaan, &c. Lege, si placet, locum citatum tomo 1. Cõcord. Forsitan sumpsit Moses Ægyptum etiam pro terra Chanaan. nam terra Chanaan habitata est à Chanaan, filio Cham; Ægyptus verò à Mesraim, filio eiusdem Cham. Colligere voluit numerum, quibus Israelitæ extra terram repromissionis habitarunt cum Barbaris, antequam ex Ægypto exirẽt. Si petas, quot annis in terra Ægypti habitarint? respondemus 210. vel 215. vt ostendimus loco citato Concord. Euangel.

Exod. 12.

S. August.

CAPVT II.

MORALE.

De spoliatione Ægyptiorum.

1 Exod. 3. Psal. 104. Ex peccato educit Dominus peccatorẽ, non vacuum.

VOluit Dominus Hebræos ex Ægypto exire nõ vacuos, sed opibus plenos, Exod. 3. *Non exibit in vacui.* Psal. 104. *Eduxit eos cum argento, & auro.* Similem in modum nos ex peccato educit, non vacuos, sed opulentos; opibus enim gratiæ, & virtutũ nos onerat, cùm peccata dimittit, & in terram repromissionis mittit. Non exiit ex Ægypto vacua Magdalena, sed cęlestibus charitatis donis plena; nõ exiit ex Ægypto Paulus vacuus, sed mirum in modum à Christo locupletatus; non exiit vacuus Petrus, sed magna gratia, & summo pontificatu donatus.

2 Apostoli Ægyptum spoliauerunt.

Præterea quemadmodum spoliauerunt Hebręi Ægyptum, aureaque & argentea vasa illi abstulerunt: ita Hebræi Apostoli, eiusque sectatores mundum iis hominibus spoliauerunt, qui Christo dederunt nomina, vasaque hæc aurea, & argentea in Ecclesiam induxerunt, iuxta illud Psalmi 67. *Speciei domus diuidere spolia.* hoc est,

Psalm. 67.

est, dabit Deus ad speciem & pulchritudinem Ecclesiæ spolia dispertire. Huc pertinet illud Lucæ 11. *Cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet; si autem fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet.* Fortis armatus Pharao custodiebat atrium suum, id est, Ægyptum, Israelitasq; iugo premebat graui: at fortior superueniens Moses, Dei potentia munitus, vicit eum, & spolia eius abstulit. Sic tartareus Pharao custodiebat atrium suum, id est, mundum idolorum cultu, & sceleribus plenum, hominesque sub peccati tenebat iugo: multo fortior illo superuenit Christus Deus, diuina armatus potentia vicit hostem, & spolia eius distribuit Ecclesiæ per totum orbem diffusæ. Neque verò Ægypti cessauit spoliatio: semper vasa aurea, & argentea habebit Ægyptus, hoc est, semper in mundo aliqui erunt, quos Deus ad suum gregem volet aggregare, his spoliabitur. Vasa hæc in vtraque India sunt, Orientali, atque Occidentali, in Brasilia, in Æthiopia: ô vtinam non desint, qui spolient Ægyptios, non desint spoliatores! spolia nunquam deerunt, & quidem opima, ac pretiosissima. Quid enim anima hominis pretiosius in mundo inueniri potest? neque aurea vasa, aut argentea cum illa conferri possunt, omnes gemmę opesque reliquæ exiguæ arenæ similes sunt, si cum anima hominis Christi sanguine redempta cõparentur. ô illos beatos, quos horum spoliorũ auaritia inuasit! ô beatam auaritiam, quę maria nauigat, terrasque peragrat, & nulli labori parcit, vt spolia Ægypto ablata in Ecclesiam inducat!

Lucæ 11.

Spolia opima sunt animæ.

3. Religiosi ex Ægypto exeunt, Ægypti opibus vacui, sed opibus Christi onusti.

Ex Ægypto eduxit Dominus Israelitas auro, & argento onustos: ex mundo autem in terram repromissionis, id est, sanctam religionem, educit Christianos omnibus Ægypti opibus vacuos. Vt enim auidiùs, & facilius cęlestes diuitias comparemus, egregium instrumentum est paupertas, vt Christum gigantis more currentem velociùs sequamur, onera diuitiarum optimum est abiicere, iuxta illud D. Bernardi in sermone super illa verba Petri: *Ecce nos reliquimus omnia.* Exultauit (inquit) Christus, vt gigas ad currendam viam, & currentem sequi non poteras oneratus, &c. Satis pauperes exierunt in desertum Israelitę, neque panes quidem, nisi azymos, & subcinericios edebant, pulmenti verò nihil occurrerat preparare, sed pauperum, quos ipse ex Ægypto educit, curam gerit Deus; cælesti manna pauit Israelitas quadraginta annis, vsque in terram promissionis, nihil illis deesse passus est vitę tuendæ necessarium. Hoc Dominus religiosis pauperibus præstat, qui opibus remiserunt nuntium.

Matth. 19.

D. Bernard.

4. Sapiẽtia Ægyptiorum, id est, gẽtilium, Ecclesiæ seruit.

Ad hæc, quemadmodum Ægyptiorum vasa aurea, & argentea Israelitæ in suos vsus sibi vendicarunt: sic Christiani, sapienter dicta, exemplaque gentilium in vsus suos rectè vsurpant. Legendus est D. Hieronymus hac de re, epist. 84. ad Magnum Oratorem, qui gentilium sęcularem sapientiam cum captiua illa confert, de qua Deut. 21. sic præcipitur: *Radet cæsariem, & circumcidet vngues, & deponet vestem, in qua capta est.* Quid mirum, inquit, si ego sapientiam sæcularem propter eloquij venustatem, & membrorum pulchritudinem, de ancilla atq; captiua Israelitidem facere cupio? & si quid in ea mortuum est idololatriæ, voluptatis, erroris, libidinum, vel pręcido, vel rado. Sic Hieronymus. Id enim cauendum est, vt à libris gentilium, & eloquio venusto, quidquid ad peccatum lectorem permouere potest, velut vngues, cæsariesque captiuæ præcidatur. D. Basilius homil. 24. de legendis libris gentilium: Sicut (inquit) in legendis rosis sentes vitamus: sic in talibus sermonibus, quidquid est vtile carpentes, noxium vitemus, &c. Lege D. August. lib. 2. de doct. Christ. cap. 40. Philosophi, inquit, si qua fortè vera, & fidei nostræ accommodata dixerunt, maximè Platonici, non solùm formidandi non sunt, sed ab eis tanquam ab iniustis possessoribus in vsum nostrum vendicanda, &c. Eodem loco ait, antiquos Patres Ægyptum, id est, gentiles, auro, & argento, hoc est, scientia, spoliasse instar Israelitarum. Nonne (inquit) aspicimus, quanto auro, & argento, & veste suffarcinatus exierit de Ægypto Cyprianus martyr beatissimus, & doctor suauissimus? quanto Lactantius, Victorinus, Hilarius? quanto innumerabiles Græci? quod prior ipse Moses fecerat, qui, vt scriptum est Act. 7. *eruditus fuerat omni sapientia Ægyptiorum.* Sic August. D. Gregorius Nyssenus in vita Mosis: Hoc, inquit, Hebræorum facto monemur, non esse negligendas doctrinarum diuitias, quas gentes possident. Moralem, naturalémque Philosophiam, Astronomiam, Geometriam, Musicam, Dialecticam, cæteráque scientias, quibus alieni ab Ecclesia florent, accipere ab illis iubemur. Sic ille. Similis est externa eruditio foliis: Christiana sapientia, fructui. afferunt folia ornatum fructui. Lege D. Basil. citata homilia: Plantis (inquit) propria virtus est fructu pulcherrimo scatere, folia nihilominus ramis coniuncta quendam ferunt ornatum. Sic & anima, cui pręcellens quidam fructus veritas est, non abs re tamen exteriore sapientia circundatur, sicut foliis quibusdam, vmbram fructui, ac aspectum non intempestiuum præbentibus. Hæc ille.

Exod. 11.

D. Basilius.

D. August.

Actor. 7.

D. Gregor.

Fructui similis est Christiana sapientia; externa foliis.

D. Basilius.

5. Sanctorũ Patrum dicta spolia sunt egregia.

Alia sunt opulentiora spolia, nimirum sanctorum Patrum sapientia, dictáque, & exempla præstantissima; his spoliis detrahendis incumbendum est: liberaliter, & libenter illi dabunt. Idcirco enim literis sapientiam suam commendarunt, vt à nobis spoliarentur, nosque auro locupletarent suo, & argento. Incumbamus ergo Patrum antiquorum lectioni, eorum pręclara volumina euoluamus, dicta obseruemus, sententias ad permouenda tum nostra, tum aliorum corda adhibeamus. Hoc si fecerimus, illud Poëtæ ne timeamus: *Mouebit cornicula risum furtiuis nudata*, vel induta *coloribus* & spoliis. sunt enim hæc furta sancta, hæc spolia diuina. Id tamen obseruandum egregiè, vt singulis spoliis nomina Patrum assignemus, ex quibus ea depromimus, & cuique sua tribuamus. Neque enim illi placent, qui Patrum tacito nomine, eorum spoliis vtuntur; furtiui sic fiunt corniculæ colores. At si quis colores dominis adscribat suis, furtiui non sunt, sed ex voluntate dominorum in communem vsum expositi. Felix cornicula, quæ aquilarum pennis volare discit. Illud etiã obserua, Ægyptios aurum suum & argentum Israelitis accõmodasse. Mundus diuitias suas non donat, sed cõmodat, & paulò pòst repetit. Stultus qui commodata putat esse data, vnde illud Lucæ 12. *Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem parasti, cuius erunt?*

Sanctorũ Patrum dicta spolia sunt egregia.

Lucæ 12.

CAPVT III.

De prima mansione, ex qua profecti sunt Israelitæ.

EXODI CAP. XII.

1. PRofectique sunt filij Israel de Ramesse in Socoth, sexcenta ferè millia peditum virorum, absque paruulis. Sed & vulgus promiscuum innumerabile ascendit cum eis, oues & armenta, & animantia diuersi generis multa nimis. Coxeruntque farinam, quam dudum de Ægypto conspersam tulerant: & fecerunt subcinericios panes azymos: neque enim poterant fermentari cogentibus exire Ægyptiis, & nullam facere sinentibus moram: nec pulmenti quidquam occurrerat præparare. Habitatio autem filiorũ Israel, qua manserunt in Ægypto, fuit quadringentorum triginta annorum. Quibus expletis, eadem die egressus est omnis exercitus Domini de terra Ægypti.

Profectique sunt filij Israel de Ramesse in Socoth.

2. COgebant Ægyptij Exod. 12. Israelitas de Ægypto exire, nullámque moram facere patiebantur. Igitur illi summa cum festinatione, omnes iussu Mosis in Ramesses confluxerunt, vt inde proficiscerentur. Est autem Ramesses, vt ait D. Hieron. Epistola 127. de mansionibus, vrbs in extremis finibus Ægypti: Ad hanc (inquit) vrbem, quæ in extremis Ægypti finibus erat, populus congregatus est, &c. Hanc vrbem ipsi Israelitæ exstruxerunt, vt dicitur Exod. cap. 1. *Ædificauerunt vrbes tabernaculorum Pharaoni, Phitom, & Ramesses.* Fuit etiam Ramesses nomen regionis à qua nomen vrbs accepit, & videtur vel fuisse terra Gessen Ramesses, vel fuisse partem terræ Gessen. Nam Genes. 47. sic alloquitur Pharao Ioseph: *Terra Ægypti in conspectu tuo est, in optimo loco fac eos habitare, & trade eis terram Gessen.* Et infrà: *Ioseph vero patri, & fratribus suis dedit possessionem in Ægypto in optimo terræ loco, Ramesses, vt præceperat Pharao.* Pharao præceperat Ioseph, vt trãderet patri, & fratribus terram Gessen, ipse verò tradidit Ramessem, vnde efficitur, terram Gessen, & Ramessem eandem esse regionem. Fortè Moses in Genesi vsus est anticipatione, & ab vrbe Ramesses ædificata postea ab Israelitis voluit appellare terram Gessen, terram Ramesses.

Israelitæ omnes confluxerunt in Ramesses. — *D. Hieron.* — *Exod. 1.* — *Genes. 47.*

3. Hæc dicitur prima mansio filiorum Israel à D. Hieronymo, & aliis, quia in hanc vrbem, & loca vicina primùm conuenerunt Hebræi, & ex ea profecti sunt, Deo duce, in terram repromissionis: profecti autem sunt omnes prospera vtentes valetudine, Psal. 104. *Eduxit eos cum argento & auro, & non erat in tribubus eorum infirmus.* Admiranda res fuit, in tanto virorum, fœminarum, puerorumque, & infantium numero, nullum fuisse infirmum. nullum Deus in Ægypto voluit relinqui: ideóque nullum ægrotare voluit. Secundò profecti sunt cum exultatione. Psal. 104. *Eduxit populum suum in exultatione, & electos suos in lætitia.* Psal. 113. ipsi montes dicuntur exultasse: *In exitu Israel de Ægypto domus Iacob de populo barbaro, montes exultauerunt sicut arietes, & colles sicut agni ouium.* Neque solùm Hebræi lætabantur, sed etiã AEgyptij. Psal. 104 *Lætata est Ægyptus in profectione eorum, quia incubuit timor eorũ super eos.* Timebant AEgyptij, ne aliqua plaga à Deo immissa funditus aboleretur, propterea quòd Hebræos retinerent: ideoque lętabantur in discessu eorum. Obiici potest illud Deuter. 16. *Septẽ diebus comedes absque fermento afflictionis panem, quoniã in pauore egressus es de Ægypto.* In pauore egressi sunt Israelitæ; ergo non sunt egressi in lætitia. Id negamus; potest enim quis cum magna lætitia ex tetro fugere carcere, & simul cum pauore, ne rursus capiatur. Ita Israelitæ ex Ægypto, velut carcere horrendo, cum exultatione exierunt, & simul exierunt cum pauore, ne rursus à Pharaone in captiuitatem redigerentur. Pręterea timuerunt fortsitan Hebræi, ne propter primogenitorum cædem ab AEgyptiis cæderentur.

Primam mansio dicitur Ramesses. — *Psalm. 104.* — *Nullus Hebræus ægrotus erat in exitu.* — *Psal. 104.* — *Psalm. 113.* — *Israelitæ profecti sunt cũ exultatione.* — *Psal. 104.* — *Deut. 16.*

A

Eadem die egressus est omnis exercitus Domini.

B

4. Eadem die profecti sunt omnes Hebræi, ex Ramesse prima mansione, nullus in alium diẽ distulit profectionẽ, cùm penè essent innumerabiles. Profecti autem sunt per turmas suas, Exod. 12. *Eadẽ die eduxit Dominus filios Israel de terra Ægypti per turmas suas.* Magnus erat numerus, neque tamẽ more fugiẽtium perturbati, ac conglobati abierunt, sed ordine dispositi per turmas suas. Hebraicè hîc dictio est *Sabaoth*, id est, per *exercitus*, siue *turmas* suas. Abulensis ait, exiisse Hebręos diuisos in tribus tribus in familias, familias in domos. Nam Moses illos ordine dispositos egredi præceperat.

Eadem die Hebræi exierunt omnes. — *Exod. 12.*

C

Sexcenta ferè millia peditum virorum, absque paruulis.

5. Numerus indicatur Israelitarũ, qui ex Ægypto egressi sunt, sexcẽta ferè erant millia peditum virorum, Hebraicè גברים *guebarim*, id est, *virorum*, siue *fortium*. Nõ numerantur paruuli, & mulieres, quæ forsitã erant multo plures, neque numerantur senes, sed viri tantùm bellatores, qui ætatem habebant militarẽ, id est, vigesimum annum. Lege Num. cap. 2. Præter hunc magnum Israelitarum numerũ egressi quoque sunt innumeri Ægyptij, Exod. 12. *Vulgus promiscuum innumerabile ascendit cũ eis.* Hebraicè, גוב *guereb*, id est, *mixtio*. admixti enim sunt Israelitis innumerabiles AEgyptij, & cũ eis ex AEgypto discesserunt. Videntur hi conuersi ad Deum his miraculis, quę à Mose viderãt fieri. si enim conuersi non essent. Deus vetuisset illos cũ Hebręis abire, ne sua eos cõsuetudine inquinarẽt. Adde infinitæ huic virorum, & mulierũ multitudini multitudinem ouium, & armentorũ, & aliorum animantiũ. Miraculum sanè fuit, eadẽ die potuisse tantã multitudinẽ ex Ægypto proficisci.

Numerus exeuntium. — *Exod. 12.* — *Malorum sæcietas cur à Deo vetaretur Israelitis*

D

Sanctifica

Sanctifica mihi omne primogenitum, quod aperit vulcam in filijs Israel, tam de hominibus, quàm de iumentis: mea sunt enim omnia.

A

Exodi cap. 13.

6. Illo tempore, quo congregabantur Israelitæ ad proficiscendum, ea dicta à Mose videntur, quæ scripta extant Exod. 13. quod indicant illa verba: *Hodie egredimini mense nouarum frugum.* Item: *Mementote diei huius, in qua egressi estis de Ægypto,* &c. Aliud opinatur D. Hieron. mans. 2. Lege cap. 7. huius libri. Tunc præcepit Israelitis, vt omne primogenitum Deo sanctificarent, id est, sanctum facerent, Deo dicando, & offerendo, quoniam omnia primogenita Ægyptiorum occiderat. Tunc alterum præceptum de comedendis azymis repetiuit, & beneficium à Deo acceptum, vt in memoria semper haberent, monuit: *Mementote* (inquit) *diei huius in qua egressi estis de Ægypto,* &c. Item: *Narrabis filio tuo: Erit quasi signum in manu tua, & quasi monumentum ante oculos tuos.*

Exod. 13. — *De oblatione primogenitorum.* — *Ibid.* — *Ibid.*

Hodie egredimini mense nouarum frugum.

Exodi cap. eodem.

7. Quo mense egressi sunt Israelitæ ex Ægypto docetur, nempe mense Nisan, de quo supra iam egimus. Dicitur mensis nouarum frugum, quia in eo nouæ fruges, siue spicæ iam virescebant, & maturescebant. Hebraicè dicitur mensis אביב *abib*, id est, *spicæ virentis*. Huius mensis Nisan die decima quinta profecti sunt Hebræi ex Ægypto. Quæritur, *profectine sint nocte, an die?* Nocte enim indicat scriptura, Exod. 12. *Nox ista obseruabilis Domino, quando eduxit eos de terra Ægypti.* Et Deuteron. 16. *In isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto nocte.* Ibidem: *Immolabis Phase vespere ad solis occasum, quando egressus es de Ægypto.* At in libro Numeri, cap. 33. manè profecti dicuntur: *Profecti* (inqut) *de Ramesse mense primo filij Israel in manu excelsa videntibus cunctis Ægyptijs, & sepelientibus primogenitos, quos percusserat Dominus.* Si Ægyptij proficiscentes videbant, & mortuos sepeliebant primogenitos, sanè dies erat, non nox. Respondemus, Hebræos nocte cœpisse proficisci; die verò profectionem absoluisse. Nam primogeniti media nocte occisi sunt. Surrexit Pharao ipsa nocte post cædem primogenitorum, iussitque ex AEgypto statim excedere Hebræos; AEyptij verò cogebant illos abire. Cœperunt ergo nocte in vnum congregari, & proficisci. Cùm verò tot essent hominum millia, & ordine dispositi incederent, in diem vsque profectio durauit, ideóque dicitur populus ex AEgypto exire, tum nocte, tum die. Plenus quidem discessus matutino tempore, & sole iam orto factus est, sed in scriptura discessui tribuitur nox præcedens, quia in illa agnum immolarunt, primogenita cæsa sunt, Hebręi abire coacti, quæ omnia ad exitum spectabant. Obiicitur, Moses Exod. 12. præcepit populo: *Nullus vestrũm egrediatur ostium domus suæ vsq; manè.* Non ergo Hebræi nocturno tempore proficisci cœperunt, sed matutino. Respondetur, illud præceptum reuocatum fuisse à Mose, quia Ægyptij Hebræos discedere cogebant, nullamq; moram sinebãt facere. Quamobrem noctu, antequam illucesceret, domos reliquerunt.

Exod. 12. — *Deuter. 16.* — *Die decima quinta mensis Nisan exierũt Israelitæ ex Ægypto.* — *Deuter. 16.* — *Num. 33.* — *An exierint nocte, aut die* — *Exod. 12.*

Sebast. Barradas Itiner. Israelit.

B

CAPVT IV.

MORALE.

De prima mansione.

PRima mansio Hebręorum dicitur רעמסס *Rameses.* Origenes homil. 5. in Exod. nomẽ hoc significare ait commotionem tineæ. Verti etiam potest, *tonitruum tineæ. Raam* enim *tonitruum* significat, *ses, tineam.* Congruit nomen mundo, vbi omnia in cõmotione sunt, & veluti tinea omnia corrumpuntur. Omnia corrodit tinea, quia mundi omnia caduca sunt, & corruptibilia. Decipiunt autem inconsideratos, quia sensim corrumpuntur, velut à tinea. Nam tinea non corrumpit subitò vestes, sed paularim. Iob 13. *Quasi putredo consumendus sum, & quasi vestimentum, quod comeditur à tinea.* Paulatim morimur, paulatim naturalis calor consumitur, tandem commotio sequitur terribilis, horrendeque sonans tineæ, id est, mortis, tonitruũ. Præterea tineas interpretatur Origenes *vitiorum incitamenta*, quę instar tineę corrumpũt animum. D. Hieronymus tineam peccata interpretatur, quæ nos exedunt. Is ergo qui Ægyptum, id est, mundum, deserit, ex Ramesse, id est, commotione tineę, proficiscitur, hoc est, omnia corruptibilia repudiat, & vitiorum omnia incitamenta conculcat, ac peccatorum tineas. Origenes: Si quis (inquit) est, qui obscuros huius mundi actus, & errorum tenebras cupit derelinquere; primo omnium ex Ramesse proficiscendũ est, Exi ex Ramesse, id est, commotione tineæ, nec thesaurizes ibi, vbi tinea exterminat, & vbi fures effodiunt, & furantur, hoc est, quod Dominus dicit: *Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes*: hoc est, proficiscere de Ramesse. Sic ille. Item Origenes: Venerunt (inquit) filij Israel *ex Ramesse in Socoth*, id est, in tabernacula. Cùm ergo derelinquens AEgyptum discusseris abs te tineas totius corruptelæ, & vitiorum incitamenta reieceris, habitabis in tabernaculis, &c.

E. Origenes. — *Ramesses quid significet.* — *Iob. 13.* — *Peccatum est tinea.* — *D. Hieron.* — *Origenes.* — *Matth. 19.* — *Origenes.*

D.

D. Hieron. epist. 127. ad Fabiolam de mansionibus, Rameses vult significare *tonitruum gaudij*, tonitruũ autem interpretatur esse diuinum eloquium, quod instar tonitrui tonat in rota huius orbis, iuxta illud Psalmi 76. *Vox tonitrui tui in rota*, hoc est, ex mente D. Hieronymi, vox eloquij tui in rota tonat huius mundi. Est autem hoc tonitruum gaudij. Magnum enim gaudium animo pariunt diuina eloquia. Hoc autem tonitruo gaudij excitati, de Ægypto eximus. Nisi enim nos Deus exciter suo tonitruo, suoque auxilio, AEgyptũ nunquam deseremus. Præterea proficiscimur ex Ramesse, id est, ex tonitruo gaudij, videlicet ex mundo ad Deum. Quid enim mundus est, nisi tonitruum gaudij? Concedamus illi aliquid gaudij admixtũ mœstitiæ, & doloribus, iuxta illud Prouerb. 14. *Risus dolore miscebitur,* &c. Sed quantum illud gaudij est? Nónne tonitruũ est gaudij: magnus quidem sonitus est, dum sonat tonitruum, sed mox euanescit: tale mundi est gaudiũ, magnum quidem videtur, dũ adest, sed mox disparet, & vt dicitur Prouerb. 14. *extrema gaudij luctus occupat.* Quamobrem gaudij punctum dicitur, Iob. 20. *Gaudium hypocritæ ad instar puncti,* &c. D. Gregorius: Gaudium (inquit) hypocritæ ad similitudinem puncti est, quia apparet ad momentum, sed disparet in perpetuum: & sicut

Tonitruũ est eloquiũ Dei. — *Psal. 76.* — *D. Hieron.* — *Mundus est Rameses, id est, tonitruũ gaudij.* — *Prouerb. 14.* — *Prouerb. 14.* — *Iob 20.* — *D. Gregor.*

stylus in puncto, dũ ponitur, leuatur: sic hypocrita præsentis vitæ gaudia dum tangit, amittit, &c. Proficiscamur ergo ex Ramesse, tonitruum gaudij relinquamus, perpetua fineque carentia gaudia quæramus.

8 Nemo verò existimet, in hac vita eos nõ gaudere, qui proficiscũtur ex Ramesse, & tonitruum gaudij deserunt. Hoc enim si verũ esset, quomodo diceret Apostolus ad Philip. 4. *Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete*, &c. Semper eos vult gaudere: statim verò gaudere incipiunt, cùm ex Ægypto egrediuntur. Nónne prophetam audis Psal. 104. canentem: *Eduxit populum suum in exultatione, & electos suos in lætitia*, Psal. 113. *Montes exultastis sicut arietes, & colles sicut agni ouium.* Ex mundo magna cum lætitia egreditur is, qui, quantum beneficium à Deo accipiat, nouit, Psal. 44. *Adducentur virgines post eam, proximæ eius afferentur tibi: afferetur in lætitia & exultatione, adducentur in templũ Regis.* Luc. 19. Matthæus *excepit Christum gaudens.* Quis talem hospitem non excipiat cum summa exultatione? Eunuchus ille à Philippo baptizatus, relicta Ægypti seruitute Act. 8. *ibat per viam suam gaudens*, &c. eundem in modum, qui Ægypti, & peccati captiuitatem effugit, it per viam sæculi huius cum gaudio. Vt narratur in vita D. Bern. lib. 4. cap. 3. Gaufridus quidam vir egregius ipsum Bernardum relicta Ramesse sequebatur: in via tentatione permotus, vni ex fratribus dixit: Scio, quia nunquam ampliùs lætus ero. Hoc enim tentator satanas iis suadet, qui Ægyptum relinquunt. At non præualuit. Pro Gaufrido preces fudit D. Bernardus; dum oraret vnus, alter mœstus dormiebat: surrexit ab oratione Bernardus: ex somno surrexit Gaufridus, sed in lætissimum mutatus virũ socio dixit: Quamuis dixi; nunquam ampliùs lætus ero: nunc dico; nunquam ampliùs tristis ero, &c. Hęc mutatio dexteræ Excelsi, à quo verum in nos gaudium, & permanens emanat. Quemadmodum enim Deus semper permanet: ita & verum gaudium, quod de illo percipitur. D. Bernard. epist, 114. ad sanctimonialem quandam: Illud, inquit, verũ, & solum est gaudium, quod non de creatura, sed de creatore concipitur, & quod, cùm possederis, nemo tollet à te, &c. Eadẽ epistola ostendit, quanta sit ratio gaudendi iis, qui Ægyptũ, id est, mundum, relinquunt, nempe, quia tonitruum gaudij mox euanescens deserunt; æternum verò gaudium sibi comparant: Modica (inquit) transitoria, terrena sunt, quæ despicis, maxima, æterna, cælestia sunt, quæ appetis, &c. Addit: Tenebras deseris, & lucem ingrederis: de profundo fluctuum emergis ad portum: de misera seruitute in fælicem libertatem respiras: de morte transis ad vitam, &c. Eximiæ sunt hæ gaudendi rationes, Psalm. 113. *In exitu Israel de Ægypto domus Iacob de populo barbaro, facta est Iudæa sanctificatio eius, Israel potestas eius.* Qui mundũ deserit, ex populo exit barbaro, fit Dei sanctificatio & potestas, hoc est, sanctificatur à Deo, & subiectus illi fit, relicto peccato, hostéque tartareo. Magna ergo ratio est exultandi. Huc etiam spectat illud Psal. 125. *In conuertendo Dominus captiuitatem Sion: facti sumus sicut consolati: tunc repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione; magnificauit Dominus facere nobiscum. facti sumus lætantes.* Verè magnifica Deus facit illis, quos ex Ægypto educit, ideò exultãt. Lege D. Gregor. lib. 24. moral. cap. 12.

Qui mundo vale faciunt, exultant. — *Ad Philip. 4.* — *Psal. 104.* — *Psal. 113.* — *Psal. 44.* — *Luca 19.* — *Actor. 8.* — *Lætitia post conuersionem* — *D. Bernard. Verum gaudium ex Deo est.* — *Gaudium Ægyptum deserentis, id est, mundum.* — *Psal. 113.* — *Psal. 125.*

A Non solùm in lætitia, sed in pauore quoque, vt diximus cap. præcedenti, exierunt Israelitæ ex Ægypto: eundem in modum non cum sola lætitia, sed cum timore etiam ex peccato, & mundo eximus. Deut. 16. *In pauore egressus es de Ægypto.* Quamuis enim semper sit gaudendum; gaudio semper permiscendus est timor, vnde illud Psal. 2. *Seruite Domino in timore, & exultate ei cum tremore.* Permanet cõcupiscentia in iis etiam, qui ex Ægypto egrediuntur: necessaria ergo virga est timoris, qua cõcupiscentia percussa à malo reuocetur. Nam, vt ait Clemens Alexand. in exhortatione ad Gentes: Non facilè arcetur cupiditas, quæ caret metu, &c. Vt igitur arceatur cupiditas, terreat metus, & D. Gregor. lib. 24. moral. cap. 12. Maceę (inquit) negligentiæ solet esse securitas. Ne ergo securitas negligentiam generet, scriptum est Eccles. 2. *Fili accedens ad seruitutem Dei sta in iustitia & timore, & prapara animam tuam ad tentationem.* Sic Gregor. Bonus operarius est salutis nostrę timor: ideo semper domi habendus. Ad Philip. 2. *Cum metu*, (ait Paulus) *& tremore salutem vestram operamini*, hoc est, assumite adiutorem metum, vt vobiscum salutem animarum vestrarũ operetur. Hunc comitem vult D. Petrus nos in hoc itinere habere, 1. Petr. 1. *Et si patrem*, inquit, *inuocatis eum, qui sine acceptione personarum iudicat, secundum vnuiscuiusq; opus, in timore incolatus vestri tẽpore conuersamini.* Pater est Deus, sed etiam est iudex. Vt pater valde est amandus, vt iudex est timendus, qui sine acceptione personarum, ex operibus iudicat: in conspectu tanti iudicis, & oculati testis, quis in timore nõ conuersabitur incolatus sui, id est, vitæ suæ tempore, quo terram velut peregrinus incoluerit?

In lætitia eximus ex Ægypto, & cum pauore. — *Deut. 16* — *Psal. 2* — *Timor est necessarius: securitas parit negligentiã.* — *Clem. Alex.* — *D. Gregor.* — *Eccles. 2.* — *Ad Philip. 2* — *1. Petr. 2*

B Præterea, vt dicitur Exod. 13. *Armati ascenderunt filij Israel de terra Ægypti*: sic oportet armatos ascendere eos, qui mundo nuntium remittunt. Multi enim hostes in via occurrunt, quos superare oportet, vt in terram repromissionis perueniant. Rupertus: Armati (inquit) ascenderunt Israelitę in exemplum nostri, qui non ad otia de Ægypto huius sæculi, sed ad bella vocati sumus contra barbaricas vitiorum acies, & aduersus malignorum spirituum phalanges, &c. Post Baptismum tentatur Dominus in deserto. Postquã enim homo baptizatur, id est, Ægypti infidelitatem, ac scelera lustralibus aquis expiat, & in desertum pergit, tentatores accedunt, & ex Ægypto abeuntẽ oppugnant. D. Gregor. lib. 24. moral. cap. 12. Hostis, inquit, noster quanto magis nos sibi rebellare conspicit, tanto amplius expugnare contendit. Cõtra nos eò vehementiùs incitatur, quò ex corde nostro, quasi ex iure propriæ habitationis expellitur, &c. Arma ergo necessaria sunt. Audi Paulum ad Ephes. 6. *Non est nobis colluctatio aduersus carnem, & sanguinem, sed aduersus principes, & potestates, aduersus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus.* Ecce hostes, qui nobis occurrunt proficiscentibus ex Ramesse. Potentissimi sunt, non sunt caro, & sanguis, sed spiritus nequitiæ impij in cælestibus, hoc est, aëre versantes. Principes sunt, & potestates, quæ ex cælo ceciderunt, & rectores tenebrarum harum, hoc est, rectores sunt Ægyptiorum, rectores eorum hominum, quorum mentes vitiorum tenebræ complent. Quid ergo faciemus? Armati ascenda-

Exod. 13. — *Armatos oportet nos ascendere ex Ægypto, id est, ex mũdo.* — *Rupertus.* — *D. Gregor.* — *Ad Ephes. 6.* — *Hostes potentissimi nos ex Ægypto fugientes persequuntur.*

ascendamus, vnde Paulus addit supradictis: A *Propterea accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo, & in omnibus perfecti stare.* Propterea, (inquit) quia tot occurrunt hostes, accipite armaturam, Græcè παναοπλίαν τοῦ θεοῦ, id est, *omnem armaturam Dei.* Oportet enim totum animum, totumq; corpus diuina παναοπλία induere, ne hostium iaculis locus aliquis pateat non munitus. D. Hieronymus ad Ephes. 6. Vt (inquit) possit quis diabolo resistere, assumat omnia arma Dei, hoc enim sonat παναοπλία &c. Pergit Paulus, sigillatimque ipsa arma enumerat: *State*, inquit, *succincti lumbos vestros in veritate.* Cingulo vtuntur milites, militum Christi cingulum est Christiana veritas; veritate se astringunt, ne ad mendacia mundi laxetur animus. D. Hieron. Gloss. ordin. Lyranus, & alij de castitate exponunt. State succincti lumbos vestros cingulo castitatis in veritate, id est, verè. Non solum coram hominibus, sed etiam coram Deo castitas vestra fulgeat. Addit Paulus: *Induti loricam.* Græcè, θώραξ, id est. thoracem, *iustitiæ, & calceati pedes in præparatione Euãgelij pacis. in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere, & galeam salutis assumite, & gladium spiritus, quod est verbum Dei, per omnem orationem, & obsecrationem orantes omni tempore in spiritu.* Iustitia thorax est siue lorica spiritalis, calceatos vult esse pedes, quia Ephesios volebat esse paratos ad prædicandum aliis Euangelium. Galeam appellat salutis, Græcè σωτηρίου, id est, *salutaris.* Dicitur autẽ galea salutis, vel galea salutaris, quia protegit supremã partem, id est, caput animi, quod est intellectus. Erit ergo galea rerum diuinarum, atque æternarum consideratio, siue meditatio, qua caput animi, id est, intellectus, valde munitur; totumque animum munit, & protegit. Caietanus galeam salutaris dici ait, hoc sensu: Assumite salutare, siue Saluatorem Christum, sicut galeam, in suprema vestri parte habete Christum, vt salutatem in pugna, neque in vobis confidatis, sed in eo. Lyranus galeam salutis, charitatem putat appellari, quia, quemadmodum galea aliorum armorum est perfectio, ita charitas aliarum virtutum; galea super omnia arma ponitur, sic charitas omnibus virtutibus præcellit, Gloss. ordin. galeam salutis ait, esse memoriam salutis æternæ. Glos. interlin, spem ęternę salutis. Gladium nostrum, ait Apostolus, esse verbum Dei: hoc gladio nos docuit pugnare dux noster, cùm in deserto cum dæmone certauit. Nam verbo Dei illius B repulit tentationes: *Scriptum*, inquit, *est: Non in solo pane viuit homo.* Item: *Scriptum est: Non tentabis Dominum Deum tuum.* E tertiò: *Scriptum est: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Denique scutum, ait Paulus, esse fidem, & qualia tela dæmonum sint aperit: *Tela*, inquit, *esse ignea*, tartareo igne incensa. At hæc tela omnia ignea valido fidei viuentis scuto excepta, veluti in pelago extinguũtur. Oppone igitur hostium telis scutum fidei, ne ignea tela pectore excipias, & pereas. Adiungit Apostolus armis orationem assiduam: *Per omnem*, inquit, *orationem, & obsecrationem orãtes omni tempore in spiritu.* Est enim in hac pugna summopere necessarium Dei auxilium, hoc autem per orationem impetratur. Imitandus nobis proponitur Iudas Machabæus, fortissimus dux, lib. 2. Machab. 15. *Iudas*, inquit, *& qui cum eo erant, inuocato Deo, per orationes congressi sunt, manu quidem pugnantes, sed Dominum corãibus orantes.* Quod illi fecerunt cum hostibus corpore constantibus pugnantes, id nos faciamus cum hostibus spiritalibus nequissimis decertantes: pugnemus simul, & oremus, hostes in fugam conuertemus.

Ibid. — *D. Hieron.* — *Ibid.* — *Arma militiã exeuntiũ ex Ægypto spiritalia.* — *Caietanus.* — *Charitas aliarum virtutum perfectio est* — *Arma spiritalia ex Paulo.* — *Matth. 4.* — *Ibid.* — *Ibid.* — *Ad Ephes. 6* — *Ibid.* — *Ad Ephes. 6* — *2. Mach. 15.*

CAPVT V.

De initio Itineris filiorum Israel.

EXODI CAP. XIII.

1 IGitur cùm emisisset Pharao populum, non eos duxit Deus per viam Terræ Philisthiim quæ vicina est, reputans ne fortè pœniteret eũ; si vidisset aduersùm se bella consurgere, & reuerteretur in Ægyptum. Sed circumduxit per viam deserti, quæ est iuxta mare rubrũ: & armati ascẽderunt filii Israel de Terra Ægypti. Tulit quoq; Moyses ossa Ioseph secũ: eò quòd adiurasset filios Israel, dicens: Visitabit vos Deus, efferte ossa mea hinc vobiscum. Profectique de Socoth castrametati sunt in Etham in extremis finibus solitudinis. Dominus autem præcedebat eos ad ostẽdendam viam, per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, vt dux esset itineris vtroque tempore. Nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem, coram populo.

Non eos duxit Deus per viam terræ Philisthijm, quæ vicina est.

2 EX Ægypto in terram repromissionis per terram Philisthæorum via erat breuis. Est enim terra Philisthæorum vicina Ægypto, & terræ promissæ. Per hanc viam, Genes. 12. descendit Abraham ex terra repromissionis in Ægyptum; eandem ingredi volebat Isaac, Genes. 26. sed Dominus filios Israel per aliam duxit viam deserti, multo longiorem, Exod. 13. *Circumduxit per viam deserti, quæ est iuxta mare rubrum.* Cur id fecerit, rationem reddit Moses: *Reputans*, inquit, *ne forte pœniteret eum*, id est, populum, *si vidisset aduersum se bella consurgere, & reuerteretur in Ægyptum.* Nam Philisthæorum aduersus Hebręos bella consurgerent: Hebræi verò, cùm via breuis esset, neque difficilis, facilè in Ægyptum reuerterentur, vt effugerent hostes. Ducti per viam deserti multo longiorem, & difficiliorem, in Ægyptum reuerti voluerũt, Numer. 14. *Dixerunt alter ad alterum: Constituamus*

Terra Philisthijm vicina Ægypto. — *Exod. 13* — *Sebast. Barradas Itiner. Israëlit.* — *Ibid.* — *Cur Deus per desertum duxerit Hebræos.* — *Num. 14*

mus nobis ducem, & reuertamur in Ægyptum. cùm tamen bella nondum exarsissent, sed solùm, quã fortes, essent incolę terrę repromissionis, ab exploratoribus audiuissent. Facilè ergo, si vidisset bella consurgere, repedassent. Loquitur autem Moses de Deo, vt ait Abulensis, humano more. Nouit enim Deus certissima cognitione futura omnia contingentia; nouerat certissimè, quid Hebræi essent facturi, si bellũ illis inferretur; sed more humano addit Moses particulã *forte.*

Exod. 13. *Reputans,* inquit, *Deus, ne forte pœnueret populũ.* Adde, indicari liberum hominis arbitrium illa particula. Rogabis, *quot dierum esset via Ægypti*

Via Ægypti vsque ad Palæstinã trium dierum est. *vsque ad Palæstinam?* Respondet Philo lib. 1. de vita Mosis, fuisse viam trium dierum. Vicinam verò fuisse terrã Chanaan Ægypto probatur.

Genes. 50 Nam Ioseph, & fratres ex Ægypto patris sui Iacob corpus duxerunt in terram Chanaan sepeliendũ, Gen. 50. *Portantes eum in terram Chanaan, eũq; sepelierunt in spelunca duplici.* Propinqua ergo erat Ægypto spelunca duplex.

Armati ascenderunt filij Israel de terra Ægypti.

Ascendisse dicuntur Israelitæ, quia Ægyptus inferior erat quàm terra repromissionis, qui ex Palæstina in Ægyptũ iter faciebant, descendere, qui verò ex Ægypto in Palæstinã tendebant,

Genes. 26 Genes. 12 Genes. 13 Genes. 50 ascendere dicebantur; vnde illud Domini ad Isaac, Genes. 26. *Ne descendas in Ægyptum.* & Gen. 12. *Descendit Abram in Ægyptũ.* & cap. 13. *Ascendit Abram de Ægypto.* Genes. 50. *Ascendere vos faciet Deus de terra ista.* Latinè *armati,* Hebraicè

Armati ascẽderunt Israelitæ ex Ægypto. legitur, חמשים, *chamusim.* חמש, *chamus* significat quinque, *chamas,* quintare. LXX. vertunt πέμπτῃ γενεᾷ, id est, *quinta generatione* ascenderunt Alij vertunt, *quini* ascenderunt, hoc est,

S. Hieron. *quinque, & quinque* ascenderunt ordinatè more militum. Hi legunt Hebraicè *chamisim,* nõ, *chamusim.* Vt D. Hieronymus ait epist. 125. ad Damasũ. Aquila vertit ὁπλισαμένοι, id est, *armati.* Aquilam verò (ait Hieron.) vt in cæteris, & in hoc maximè loco, propriè transtulisse: *Omnis Israël cõclamat.* Quòd videlicet idem sermo, & eisdem literis scriptus, diuersas apud eos, & voces, & intelligentias habeat. Sic ille. Sic etiam vertit Chaldeus, & alij. Sed *vndẽnã arma habuerunt Hebræi?* Respondetur, ab Ægyptiis cõmodata petiuisse, vel etiam domi habuisse, eò quòd Rex Ægypti arma illos habere nõ prohiberet.

Tulit Moyses ossa Ioseph secum.

4 Genes. 50 Israelitæ asportarunt ossa Ioseph. Genes. 50. *Cùm adiurasset Ioseph eos,* id est, fratres, *atque dixisset: Deus visitabit vos: asportate ossa mea vobiscum de loco istõ.* Quia ergo Ioseph fratres adiurauerat, vt ossa sua in terram

Iosue 24. Vbinã sepultus sit Ioseph? repromissam ferrent, tulit illa secum Moses. Quæritur, *vbinã sint sepulta in terra repromissionis?* Respondet liber Iosue capite extremo his verbis: *Ossa Ioseph, quæ tulerant filij Israel de Aegypto, sepelierunt in Sichem, in parte agri, quã emerat Iacob à filijs Hemor patris Sichem, centum nouellis ouibus, & fuit in possessionem filiorum Ioseph.*

Ioan. 4. Hic est ille ager, de quo legitur Ioan. 4. *Venit* (Iesus) *in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, iuxta prædium, quod dedit Iacob filio suo, erat autem ibi fons Iacob.* Erat hic ager datus à Iacob filio

Genes. 48. suo Ioseph singulari dono, Genes. 48. *Do tibi partem vnam extra fratres tuos.* Ideóque in eo

A Israelitæ Ioseph sepelierunt. Antiqui enim in agris extra vrbes corpora humabãt. Quæritur secundò, *cur Ioseph nõ petiuit à fratribus, vt ducerentur statim post mortẽ in terrã Chanaan,* quẽadmodùm ipse Genes. 50. duxerat patrẽ, vt ibi sepeliretur, cur tamdiu sepulturã in terra Chanaã distulit? Respondetur, id fecisse, ne Ægyptios offenderet; ægrè enim illi ferrent sibi auferri tantum principem, ac benefactorem: Rex verò id fieri nõ pateretur. Præterea tumuli Ioseph præsentia memoriã excitare poterat beneficiorum Ioseph, & prodesse eius fratribus. Noluit deserere mortuos, quos comitari nõ poterat viuus.

Cur ossa Ioseph è medio in Ægypto remanserunt? B Quæritur tertiò, *an ossa cæterorum fratrum Ioseph,* patriarcharum populi Israelitici, *sint allata ex Ægypto in terram promissionis?* Respõdet Iosephus lib. 2. antiquit. ossa patriarcharum humata esse in Hebron. D. Hieron. epist. 101. ad Pammachium ait, in Sichem esse sepulta. idem significat in Epitaphio D Paulæ. Denique hoc

5 De ossibus filiorum Iacob. Actor. 7. idem tradit D. Stephanus Act. 7. *Descendit* (inquit) *Iacob in Ægyptum, & defunctus est ipse, & patres nostri, & translati sunt in Sichem, & positi sunt in sepulchro quod emit Abraham.*

Dominus præcedebat eos ad ostendendam viam per diem in columna nubis.

C Noluit Dominus Israelitas consueta via in terram promissam ducere: per terram Palæstinorum, ignotam aperuit viam, per desertum. Fuit ergo opus duce, qui per insuetam viã duceret populum; idcirco ducem viæ dedit illi Deus columnam nubis diurno tempore; ignis verò columnam tempore nocturno, quę præcedens castra viam indicabat. Quæritur primò, fuerintne *duæ columnæ, vna nubis, altera ignis?*

An fuerint duæ columnæ, altera nubis, & altera ignis. Respondetur, vtramq; partẽ suos habere opinatores. Quidam enim vnã tantùm fuisse opi-

D nantur, vt Abulensis, & alij. Aliqui duas fuisse aiunt. Lyranus neutram opinionẽ reiicit. Probabilius videtur, vnam tantùm fuisse columnam ex nube confectã, quæ nocturno tempore igneścens illuminabat. Probatur, quia dicitur vna, eademq; columna nubis, & ignis, Exod. 14.

Exod. 14. *Respiciens Dominus super castra Ægyptiorum per columnam nubis, & ignis, interfecit exercitũ eorum.* Eadem columna appellatur columna ignis & nubis, quia nõ erat vna ignis, altera nubis. Præterea in mari rubro interposuit ãgelus columnam inter Ægyptios, & Hebræos; qua verò parte Ægyptios respiciebat, nubes tenebrosa erat, qua parte respiciebat Hebręos, erat ignea, & illuminans, Exod. 14. *Erat nubes tenebrosa, & illu-*

Exod. 14. *minans noctẽ.* Vna videlicet nubes erat, & colũna antrorsum illuminans, retrorsum tenebrosa.

Quæritur secundò, *an ignis ille fuerit verus ignis?*

7 An fuerit verus ignis columnæ? Respondetur cum Abulensi, & aliis, non fuisse ignem similem nostro, comburentem, & in cineres redigẽtem corpora, alioqui tabernaculum combussisset; vt enim dicitur Num. 40.

Numer. 40. *Nubes Domini incubabat per diem tabernaculo, & ignis in noctẽ.* Fuit igitur lux quædam, quę noctu igni similis videbatur. Probatur, quia Num. 9.

Numer. 9. appellatur species ignis, his verbis: *Vespere super tentorium erat quasi species ignis, vsque manè.* Item: *Operiebat illud per noctem quasi species ignis.* Ignis verus neque est species, id est, similitudo ignis, neque dicitur verè species ignis. Credendum ergo est, ignem illum columnæ non fuisse verum. Appellatur autem ignis in nonnullis

nonnullis locis, quia igni lux illa similis erat.

Psal. 104. Sap. 18. Psal. 104. *Expandit nubem in protectionẽ eorum, & ignẽ, vt luceret eis per noctem.* Sap. 18. *Ignis ardentem columnam, ducẽ habuerunt ignotæ viæ.*

Exod. 40. Exod. 40. *Nubes incubabat per diem tabernaculo, & ignis in noctẽ.* Quæritur tertiò, *apparuerint columna*

An columna apparuerit in Ramesse, prima mansione? Abulens. *Hebræis, mox vbi egressi sunt ex Ægypto, duxeritq; illos ex prima mansione,* id est, ex Ramesse, *in secundam* Socoth? Abulens. Exod. 13. sic respondet: Cùm congregatus esset totus populus Hebræorum in Ramesse, apparuit super eos nubecula columnaris in anteriori parte exercitus & dirigente columna ambulauerunt versus Socoth, &c. Idem alij sentiunt recentiores. D.

D. Hieron. Hieron. de mãsione tertia, quæ est Etham, agẽs, sic scribit: Tertia mansio offertur, in qua primùm videtur Dominus nocte in colũna ignis, & per diem in columna nubis, vt præcedat populum, & dux itineris fiat, &c. Arbitratur D. Hieronymus, colũnam nõ apparuisse Hebræis proficiscentibus ex Ramesse in Socoth sed in tertia mansione Etham primùm conspectam

Exod. 13. esse. Suam verò opinionem hausit ex illis verbis Exod. 13. *Profecti de Socoth castrametati sunt in Etham, in extremis finibus solitudinis. Dominus autem præcedebat eos ad ostendendã viam per diem in columna nubis, & per noctẽ in columna ignis.* Postquam Moses dixit castrametatos Hebræos in

C Etham, addidit: *Dominus autem præcedebat eos in columna,* &c. volens significare, in eo loco primùm viam columnam. Probabilis est hęc opinio D. Doctoris. Fieri enim potuit, vt absq; columnæ directione dirigente Moses, ex Ramesse in Socoth, & Etham populus proficisceretur; quia iter breue erat, & non adeò ignotum; ex Etham verò tertia mansione, columna viam præmonstrante discederet. Verùm plus aliquid probabilitatis habere videtur prior sententia, quia, vt Hebræi alacriùs ex Ægypto per ignotam viam discederent, magni momẽti erat columnę conspectus in principio itineris. Illa verò verba Exod. 13. quibus in suam opinionem

D ductus est D. Hieron. hanc opinionem significant, sic enim sunt explicanda: *Dominus præcedebat eos in columna nubis:* præcedebat, inquam, in toto itinere, à principio vsque in finem, quamobrem sequitur Exod. 13. *Nunquam defuit co-*

Exod. 13. *lumna nubis per diem, nec columna ignis per noctẽ, coram populo.* Nunquam defuit columna in itinere, ergo non defuit in ipso principio itineris.

8 De motore, & motu columnæ. Exod. 14. Quæritur quartò, de *motore* & *motu columnæ?* Respondetur, motorem fuisse angelum, Exod. 14. *Tollens se angelus Domini, qui præcedebat castra Israel,* &c. Præcedebat angelus castra Israel in ipsa nube, ipsa autem nubes post extructum tabernaculum super ipsum tabernaculum quie-

Exod. 40. scebat. Exod. 40. *Nubes Domini incubabat per diẽ tabernaculo, & ignis in noctẽ, videntibus cunctis populis Israel per cunctas mansiones.* A tabernaculo moueri incipiebat, eodem capite Exod. 40. *Si quando nubes tabernaculum deserebat, proficiscebãtur filij Israel per turmas suas.* Extructum est autem tabernaculum in Sinai. Antequã extrueretur, nubes præcedebat exercitũ, & ante exercitum quiescebat. fortè nubes ignis vt meliùs illuminaret, in medium retrocedebat. Columna nubis cùm mouebatur, quiescebat quotidie saltem semel, vt Hebręi cibum sumerent, & pecora pascerentur. Iterũ quiescebat noctu, & ignea apparebat super tabernaculum, noctemque illuminabat. Quiescebat autem nubis co-

A lumna super tabernaculum aliquando noctu tantùm, & manè suo motu ducebat populum: aliquando verò paucis, aliquando multis diebus, & mensibus. Loca illa, in quibus quieuit columna, & tentoria fixa sunt, vocantur mansiones; in iis enim castrametati sunt Israelitæ, & manserunt motum expectãtes colũnę. Cùm primùm illa mouebatur, mouebant quoq; castra, illã sequẽtes. Num. 9. *Cũ ablata fuisset nubes,*

Num. 9. *quæ tabernaculũ protegebat, tunc proficiscebantur filij Israel, & in loco, vbi stetisset nubes, ibi castrame-*

Columnam sequebantur in itinere Hebræi. *tabãtur.* Item eodem capite: *Cunctis diebus, quibus*

B *stabat nubes super tabernaculũ, manebant in eodem loco: & si euenisset, vt multo tempore maneret super illud, erant filij Israel in excubiis Domini, & nõ proficiscebantur quot diebus fuisset nubes super tabernaculum. Ad imperium Domini erigebant tentoria, & ad imperium illius deponebant. Si fuisset nubes à vespere vsque manè, & statim deluculo taber naculum reliquisset, proficiscebantur. Et si post diem, & noctẽ recessisset, dissipabant tentoria. Si vero biduo, aut vno mense, vel longiori tempore fuisset super tabernaculũ manebant filij Israel in eodẽ loco, & non proficiscebantur: statim autem vt recessisset, mouebant castra.*

Quæritur quinto. *an columna ignis ostenderet viam Hebræis, & moueretur?*

9 An columna ignis viam ostenderit? Pars, quę negat probatur, quia columna ignis noctu tantùm apparebat: noctu autem iter non fit per solitudinem, itaque non deest, qui hanc sequatur quæstionis partem. Scriptura verò partem affirmãtem indicat, Sap. 18. *Ignis* (inquit) *ardentem co-*

Sap. 18. *lumnam habuerunt ducem ignotæ viæ.* Columnam ignis appellat ducem viæ, lib. 2. Esdræ 9. *In co-*

2. Esd. 9. *lumna nubis ductor eorum fuisti per diem, & in columna ignis per noctem, vt appareret eis via per quã ingrediebantur.* Manifestè indicat hic locus, columnam ignis viam ostendisse, & ductricem fuisse: *Fuisti,* inquit, *ductor eorum per noctẽ in columna ignis,* vt cernerent viam illuminatam ignis luce. Videtur ergo dicendum per aliquã partem noctis fecisse iter Israelitas, tunc que præiuisse colũnam ignis vespertino tempore.

D. Ambros. D. Ambrosius. Psal. 118. oct. 5. Præibat (inquit) Hebręos Deus in columna nubis per diem, noctu autem in columna ignis, vt viam ostenderet ambulantibus, & tenebras dimoueret, &c.

10 An columna nubis, solis ardorem repulerit à castris Hebræorum? Quæritur sextò, *an columna nubis solis ardorem ab Hebræis repelleret, per desertũ iter agentibus?* Quòd repulerit, ex Scriptura probatur, Psalmo 104. *Expandit nubem in protectionem eorum.* Sapien. 10. *Fuit illis in velamento diei, & in luce stellarum per noctem.* Et cap. 19. *Nubes castra*

Psal. 104. Sapient. 10. Sapient. 19. Sapient. 18. *eorum obumbrabat.* Item c. 18. *Solẽ sine læsura bo-*

Num. 14. *ni hospitij præstitisti.* Grecè, ἥλιον ἀβλαβῆ φιλοτίμῳ ξενιτείας παρέσχες, id est, *solem præbuisti sine læsura hospitij,* non lædentem ardore honorificum hospitium Hebręorum, in deserto illo horrido.

E Num. 14. *Nubes tua protegat illos, & in columna nubis præcedas eos.* Videlicet, quia nubes protegebat ab ęstu, cũ opus erat, & columna præcedebat Est hæc sententia D. Ambros. Psal. 118.

D. Ambros. oct. 5. Præibat, inquit, illos Deus in columna nubis, vt refrigeraret viantibus, &c. Iustinus in

Iustinus. dialogo: Nubes contra æstum oppansa est pro vmbraculo, &c. Clemens in constit. lib. 8. Fuit

Clemens. columna nubis per diem in vmbraculum ęstus, &c. Lyranus: Columna nubis nõ solùm ostendebat viam, sed etiam protegebat Hebræos ab

Lyranus. ardore solis, &c. Gloss. interlin. Tradũt Hebræi, quòd per quadragesimos annos columna nubis in die protecti sunt, ne calore solis vrerentur,

tur,&c. Eadem est sententia Genebrardi Psal. 104.& aliorum.Abulsiens multis rationibus hanc opinionem reiellit, sed facilè dissoluuntur,si dicamus, columnam nubis fuisse ingentem, vt à tanto exercitu videri posset, nubem verò aliquam supra ipsam Soli oppansam ardorem repulisse.

CAPVT VI.

MORALE.

De initio Itineris filiorum Israel.

Non eos duxit Deus per viam terræ Philisthiim.

1 EOs, qui Ægyptum fugiunt, id est, mundum,ac peccatum,neque admodum fortes sunt,nõ vult Dominus obiici hostibus validis, ne fortè Ægyptum repetant territi. *Non eos duxit Dominus* (ait Moses) *per viam terræ Philisthiim,reputans ne forte pœniteret eũ*(id est,populum)*si vidisset aduersum se bella consurgere, & reuerteretur in Ægyptum.*Rupertus: Spiritualiter (inquit)hoc agit Dominus in omnibus electis suis;in exitu Ægypti,id est,initio conuersionis, vel dum nouitius est conuersi animus, neque totus exiuit de pristinis erroribus, pacatam à vitiis parat viam, quatenus qui vocati sunt, tranquillè.&delectabiliter egrediantur,ne subitis tentationibus pulsati, à proposito sancto vix incepto deterreantur. Sic ille.Legendus est D. Gregor. lib.24. Moral. cap. 13. Ex Ægypto (inquit)exeuntibus, è vicino bella subtrahuntur, quia relinquentibus sæculum, quædam priùs tranquillitas ostenditur,ne in ipsa sua teneritudine, atque inchoatione turbati, ad hoc territi redeant, quod euaserunt, &c. Attamen, vt supra diximus,*armati ascẽderunt filij Israel ex Ægypto*,quia,bella si differuntur,non auferuntur; si initio conuersionis tentationes animum minimè vexant,paulò pòst vexabunt. Ideoque armatos oportet ascendere. Non enim frustra scriptum est,Eccles.2.*Fili accedens ad seruitutem Dei, sta in iustitia, & timore, & prapara animam tuam ad tentationem.*D.Gregor lib.citato cap.12 Non dicit,inquit, præpara animã tuam ad requiem,sed,ad tentationem. Quia hostis noster quanto magis nos sibi rebellare cõspicit,tanto ampliùs expugnare cõtendit,&c.Item: Quisque in ipso conuersionis initio,magna plerunq; excipitur dulcedine consolationis,sed durũ laborem postmodum experitur probationis,&c.

Qui Ægyptum relinquunt non sunt obiciendi validis hostibus. Exod.13. Rupertus.

D. Gregor.

Relinquentibus sæculum, tranquillitas ostenditur.

Eccles.2. D. Gregor. *Diabolus eos, qui mundum deserunt, vehementius prosequitur.*

Circumduxit per viam deserti.

2 Non duxit Dominus per viam terræ Philisthiim Hebræos, sed circũduxit per viã deserti. Videtur his repugnare verba illa cãtici Mosis, Deut.32. *Inuenit eum in terra deserta, in loco horroris & vastæ solitudinis.* Domins inuenit Israelitas in deserto; ergo non duxit illos in desertum,sed ibi inuentos circumduxit,Hebraicè verbum est מצא,*maça*,quod significat *inuenire*, & *sufficientia præbere* ; quamobrem LXX. interpretes vertũt,αὐτάρκησεν αὐτὸν,id est,*sufficiẽtia dedit ei*.Chaldæus similiter vertit hoc modo: *Tribuit eis necessaria in terra deserta*, Noster interpres aliã significationem secutus est, vertitque: *Inuenit eum in terra deserta*.Non autem negant hæc verba, Deum duxisse Israelitas in terram desertam,sed significant, Deum inuenisse illos iam separatos ab Ægyptiis in terra deserta,in quam illos per columnam ipse duxerat,& separauerat.Sequitur in cantico Mosis: *Circũduxit eum,& docuit, & custodiuit quasi pupillam oculi sui.* Etenim circumduxit per deserta loca Deus Israelitas duce columna, & docuit ignaros,cùm legem dedit in monte Sinai,cũmque tot beneficiis, totque suppliciis eos affecit in deserto, totque miracula patrauit. Miraculis diuinam docuit potentiam; beneficiis diuinum amorem erga populum; suppliciis diuinam iustitiam, per legem verò diuina eis tradidit mandata,& sapientiam. Præter hæc eruditiuit Israelitas Dominus in deserto, tanquam filios,afflictionibus, & tentationibus, Deut.8. ait Moses: *Recordaberis cuncti itineris,per quod adduxit te Dominus Deus tuus quadraginta annis per desertum, vt affligeret te, atque tentaret, & nota fierent,quæ in tuo animo versabantur,vtrum custodires mandata illius , an non.* Et infra: *Vt recogites in corde tuo,quia sicut erudit filium suum homo, sic Dominus Deus tuus eruditiuit te , vt custodias mandata Domini Dei tui , & ambules in viis eius, & timeas eum.*Erudit filium homo flagellis, erudit beneficiis, erudit verbis; sic Deus in deserto eruditiuit Hebræos sæpè flagellis,& beneficiis,& verbis multis,neque solum illos, sed nos quoque in illis eruditiuit.Quemadmodum nouitij in religiosas familias cooptandi, prius circumduuntur, & probantur : sic Israelitæ nouitij ex Ægypto egressi, in terram repromissionis recipiendi,per desertum circumducti sunt,& variis tentationibus probati.Per varias tentationes& afflictiones oportet beatam terram nobis repromissam petere. Sed vide quid dicat Moses in Cant.*Custodiuit quasi pupillam oculi sui.* In his enim tentationibus custodit nos Dominus vt pupillã oculi sui,nos comitatur,tuetur, vires præstat,Psal.90.*Cũ ipso sum in tribulatione*, &c. Nobiscum est,nosque portat axillis suis, velut alis.Deut. 2. Moses in cantico : *Quasi aquila prouocans ad volandum pullos suos,& super eos volitans expanait alas suas , & assumpsit eum , atque portauit in humeris suis.* De Israelitis loquitur Moses;eos enim Deus,velut aquila ad volandum in terram promissam prouocauit miraculis multis,cùm in Ægypto essent,veluti pulli in nido.Denique instar aquilę expandit alas suas, & assumpsit pullos suos ex Ægypto, & portauit per desertum in humeris suis ; admiranda illis auxilia, & beneficia præbens, & cũstodiuit vt pupillam oculi.Spiritales quoque Israelitas. cùm in Ægypto,id est,mundo,& peccato sunt, prouocat Dominus velut aquila inspirationibus ad volandum ex mundo in cælum, expansis in cruce brachiis, velut alis. Denique tanto amore illi prouocati volare conantur,assumũtúrque in humeris, id est, axillis Domini portantur,&vt pupilla oculi,custodiuntur.

Deut.32

Deut. 32

Deus per desertum duxit Hebræos, & docuit.

Deut. 8

Deut.8

Iustos eruditi Dominus, & probat tamquam nouitios.

Per tentationes, terram repromissionis petimus.

Psalm. 90.

Deut.32

Deus nos prouocat , vt aquila, ad deferendum mundum.

Tulit quoque Moyses ossa Ioseph secum.

3 Tulerunt Israelitæ ex Ægypto discedẽtes ossa Ioseph. Adumbrant ossa Ioseph Christi mortem,& passionem.Quemadmodum Israelitę ossa tulerunt Ioseph:ita nos mortem Christi,passionemq; feramus in via hac, qua in terram promissam tendemus. Feramus (inquit) memoria,&corde.magnum enim auxilium in hoc itinere nobis afferet huiusmodi recordatio.Ioseph adiurauit fratres,vt secum portarẽt eius

Christi passio habenda semper in memoria.

eius ossa: Christus fratribus, & discipulis suis præcepit,vt ferrent eius mortem,idque stupendum in modum.Instituit enim stupendum Eucharistæ sacrificium, idque offerri iussit in recordationem mortis suæ vsque ad secundum aduentum,Luc.22. *Hoc*, inquit,*facite in meam commemorationem*.1 Cor.11.*Quotiescunque manducabitis panem hunc,& calicem bibetis,mortẽ Domini annuntiabitis,donec veniat.* Israelitę ferebãt Ioseph mortuum : Christiani ferunt Christum viuum in sacrificio,& sacramentó, quod mortis illius memoriale est admirabile, vt mortis, & passionis eius recordentur. Memoria passionis Christi,ac meditatio,est in via nostra egregius baculus, carnis nostræ imbecillitatem inter aduersa,prosperaque sustinens. Vnde D. Bernardus serm.43. in cant. Hæc (inquit) me erigunt in aduersis, in prosperis reprimunt,& interlæta , tristiaque præsentis vitæ via regia incedenti tutum præbent ducatum, hinc inde mala imminentia propulsando,&c.

Luce 22. 1.Cor. 11.

D.Bernard.

4 Tulerunt etiam secum Israelitæ ossa Patriarcharum suorum fratrum Ioseph: sic etiam nos ossa sanctorum mortuorum nobiscũ feramus in via hac,qua in cælum tendimus,hoc est, feramus eorum exempla,quibus ad itineris difficultates superandas inflammemur. Exod. 28. iubet Dominus , vt summus sacerdos in pectore Patriarcharum nomina insculpta gemmis ferat:eundem in modum nos nomina,& exempla sanctorum cordi insculpta ferre oportet, iuxta illud D. Gregorij 2. par. pastoral. cap.2. Ascriptos, inquit , Patres semper in pectore ferre, est antiquorum vitam sine intermissione cogitare. Nam tunc sacerdos irreprehensibiliter graditur , cùm exempla Patrum præcedẽtium indefinenter intuetur, cùm sanctorum vestigia sine cessatione considerat,&cogitationes illicitas deprimit, ne extra ordinis limitem operis pedem tendat,&c.

Exẽpla sanctorum ante oculos ferenda sunt. D. Gregor.

5 Feramus etiam nobiscum ossa sanctorum, hoc est,sanctas eorum reliquias, vt nos muniãt ipsi sancti suis precibus,quorum ossa portamus. D.Chrysost.homil.de vita SS.Martyrum, Iuuent.& Maximi,tomo 3.in fine: Illos (inquit) non indignum fuerit,& columnas, & turres, & candelabra appellare. Nam Ecclesiam sicut columnæ sustinent, sicut turres muniunt , sicut luminaria tenebras impietatis discusserunt.Idcirco sæpè eos inuisamus, tumulos adoremus, magnaque fide reliquias eorum contingamus, vt inde benedictionẽ aliquam assequamur.Etenim sicut milites vulnera, quæ in præliis sibi inflicta sunt , Regi demonstrantes fidenter loquuntur, ita & illi manibus secta capita gestantes,& in medium afferentes, quæ voluerint apud Regẽ cęlorũ,impetrare possunt. Hęc ille. & homil.vlt.in epist.ad Roman. de corpore loquẽs Pauli:Hoc,inquit, corpus hanc vrbẽ munit,quid quauis turri, innumerisque mœnibus, ac vallis est tutius?& cum isto corpus Petri,&c. Gennadius in Catalogo:Moritur, inquit,Iacobus Nesibenæ vrbis Persarum Episcopus, & iuxta Constantini præceptum intra muros Nesibenses sepelitur,ob custodiam videlicet ciuitatis.Sic ille. Etenim sanctorum virorum reliquiæ custodes sunt ciuitatum. Vide , quæso, quanti fecerit D.Hieron.libros manu.Pamphili Martyris conscriptos. In libro descript. Ecclesiast.Origenis, inquit, volumina manu eius exarata reperi , quæ tanto amplector, & seruo gaudio , vt Cręsi opes habere me credam. Si enim lętitia est,vnam epistolam habere Martyris, quanto magis tot millia versuum, per quæ mihi videtur sui sanguinis signasse vestigia. Hæc D.Hieronymus.

D.Chrysost. *Reliquiæ sãctorum venerandæ sunt.*

D.Hieron.

Gennadius.

D.Hieron.

Dominus præcedebat eos ad ostendendam viam in columna nubis.

6 Præcedebat Dominus Hebræos ad ostendendam viam per colũnam nubis: nos pręcedit ad ostendẽdam viam in cælum per colũnam fidei. Est enim fides columna , qua fulcitur tota Ecclesia,Psal.99.*In columna nubis loquebatur ad eos*,&c.In hac columna nubis obscura loquitur nobis Dominus. Obscuritatem habet fides, nõ euidentiam; habet tamen summam certitudinem ex diuina auctoritate, cui veluti columnę tota innititur Ecclesia.Præcedit etiam nos Dominus in columna nubis,id est, in summo Põtifice, qui in rebus morum, & fidei definiendis errare nequit. Columnam fidei esse Petrum ostendit Deminus illis verbis ; *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meã*. Petra erat & columna firmissima Petuis;petræ sunt & columnæ firmissimæ successores Petri. Hanc columnam sequi renuunt hæretici, & schismatici, ideoque toto cælo aberrant à cælo , & à veritate. Sequamur à Deo datam columnam, si in deserto hoc præda fieri nolumus ferarum. Cùm vellet Deus Cornelium centurionem, Act.10.in viam terræ promissæ inducere, hanc columnam ei ostendit,eamque quęrere pręcepit; itaque illi, qui à Cornelio missi sunt milites loppen peruenientes,ad ianuam assistentes rogabant: Habitat hic Petrus? habet hic hospitium Petrus ? Hoc Catholicis notum satis est; sciunt enim habitare Petrum Romæ , id est, summum Pontificem : hæretici, & schismatici, gentiles, & Mahometani,qui nesciunt, & veram fidem discere volunt , ad Petrum mittuntur,quemadmodum Cornelius centurio. Quęrant & videant, vbi habitet Petrus , & discant veram fidem à columna veritatis , & fidei. Est etiam columna nostra, quam sequi semper debemus,lex Dei,& mandata : hęc columna præcedit,nos sequamur illam. Si omissa columnæ dæmonem sequamur, non quidem in terram promissam,sed in tartarum peruenieimus.

Fides est columna ecclesiæ.

Psal.99.

Matth.16.

Summi pontifices columnæ sunt Ecclesiæ.

7 Non licet nobis pro nostro arbitrio iter facere , sequenda est columna, sequenda est lex Christi. D. Ambrosius Psal. 118.oct.5. Miles, inquit, viandi ordinem non ipse disponit sibi, neque pro suo arbitrio viam carpit,sed itinerariũ ab Imperatore accipit,& custodit illud, &c. Similem in modum miles Christi non disponit sibi iter,viam pro sua voluntate non carpit, sed itinerarium accipit à suo imperatore Christo, id est, legem itineris , & diligenter custodit illam.Ambros.eodem loco : Lex, inquit,viarum columna erat ignis, & nubis , &c. Eundem in modum lex viarum obedientis Christiani , & actorum eius , lex est Christi, quam veluti columnam sequitur.

Sequenda est columna, id est, lex Christi.

D. Ambros.

8 Habent etiam religiosæ familiæ columnam suam,quam sequantur,nimirum sanctam obedientiam;columna est obedientia Cœnobij, eâ sublatâ cœnobitica vita corruit. Num. 9. *Ad imperiũ Domini erigebant tentoria,& ad imperium illius deponebant:* eundem in modem ad imperium Superioris erigenda nobis,vel deponenda sunt tentoria,hoc est,ad imperiũ illius, cuiloco Dei

Numer.9. Obedientia est columna Cœnobij.

Dei obedientiam præstamus, omnia gerenda
9. sunt.

Rupertus columnam typum Christi fuisse ait. Est enim Christus totius Ecclesiæ suprema columna, cuius meritis tota fulcitur. Dux est Ecclesiæ, quem sequitur in deserto hoc. Hæc columna viam in cælum promissum ostendit, sequamur illam, recto nos ducet itinere: columna est nubis, quia humanitate, velut nube, diuinitatis splendorem occultauit. Rupertus: Sol (inquit) vt tolerari posset, venit in nube, Deus, vt cum hominibus versaretur, venit in carne, &c. D. Ambrosius Psal. citato: Columna (inquit) significabat, Dominum in nube venturum leui, sicut dixit Isai. 19. hoc est, in Virgine Maria. Item: Venit in nube leui Christus in Ægyptum, hoc est, venit in susceptione corporis in hoc seculum. In nube venit, quem nebula corporis obumbrabat, sed leuis erat caro, quã nulla sua grauabant delicta. Sic Ambrosius. D. Gregor. homil. 21. in Euangel. terrorem Dei docet significari igne columnæ: nube verò blãdimentum. Christus enim iustis in iudicio blandus, ac suauis ostendetur, impiis terrore plenus. In die (inquit Gregorius) columna nubis monstrata est, & in nocte columna ignis. Quia Deus in iudicio veniens, per lenitatis mansuetudinem, blandè iustos demulcebit: peccatores autẽ per iustitiæ districtionẽ terrebit, &c. Eodem loco ait Gregorius, noctem significare peccatoris vitam, tenebris peccatorum oppletam, diem verò, iusti vitam, virtutum splendore fulgentẽ. In nocte igitur ignis columna apparet vitæ tenebrosæ peccatoris, tartarei ignis minas intendens: in die columna nubis cernitur, fulgenti vitæ iusti, æterna cæli blandimenta indicans. D. Cyrillus lib. 3. de Adoratione, Christum ait esse columnam, quia columna, & firmamentum veritatis est. Præterea quia terram, id est, homines terrenos, in sublimi sustinet: Terram (inquit ille) Christus, vt columna, in sublimi sustinet. Nam in Christo desiimus, quæ carnis sunt, sapere, ac per terrena volutari mala, & veluti sursum eius ope tollimur, cùm ea, quę sursum sunt, sapimus, & in cælo versamur. Scriptum est enim Psal. 46. *Dij fortes terræ vehementer eleuati sunt.* Sic Cyrillus. Deos fortes terræ appellat eos, qui ea, quæ sursum sunt, sapiunt: hi vehementer à terra eleuati sunt, cogitatione, & sanctis desideriis, ac operibus. Denique idẽ Cyrillus Apostolos columnas vocari ait, Psal. 74. illis verbis: *Ego firmaui columnas eius.* Firmati (inquit) sunt Apostoli, qui terram sustineant, cum gratia Spiritus sancti induti sunt, &c. Denique Hebrei viam terræ repromissionis per desertum ignorabant, ideo fuit illis necessarius itineris dux. Data est columna, quam sequerentur. Eundem in modum homines viam in cælum ignorabant: data est columna fidei, quę viam ostenderet. Sequamur fidei columnam, sequamur Ecclesiam, sequamur summum Pontificem, ne amittamus viam.

Rupertus. Christus est columna.

D. Ambros.

D. Gregor. Ignis terrorẽ, nubes significat blandimentum.

Christus in iudicio blandus iusti, terribilis impijs apparebit.

D. Cyrillus.

Psal. 46.

Apostoli sunt columnæ. Psal. 74.

CAPVT VII.

MORALE.

De secunda, tertia & quarta mansione.

Profecti sunt de Ramesse in Socoth.

1. PRima mansio dicitur Ramesses, in qua congregati sunt Israelitę, ex eaque profecti.

A Secunda est Socoth, de qua Exod. 12. Moses: *Profecti* (inquit) *sunt filij Israel de Ramesse in Socoth sexcenta ferè millia peditum virorum absq; paruulis, sed & vulgus promiscuum innumerabile ascẽdit cum eis, oues, & armenta, & animantia diuersi generis multa nimis. Vulgus* hoc *promiscuum* putat Caietanus fuisse mixtionem hominũ, nõ Israelitarum, sed famulorũ, ac famularum, & pauperum, qui Israelitis seruiebant. Significat nomẽ, מכות *Socoth*, tabernacula. Videtur appellatus locus, *Socoth*, quòd is locus primus fuerit, in quo fixerint tabernacula Hebræi. In hac mansione cibũ sumpserunt, Exod. 12. *Egressi ex Ægypto*
B *coxerunt farinam, quam dudum de Ægypto conspersam tulerãt, & fecerunt subcinericios panes azymos.* D. Hieron. In secunda, inquit, mansione coquũt panes azymos, & primùm tẽdunt tabernacula, vnde & ex re locus nomen accepit *Socoth*, quippe interpretantur tabernacula, siue tẽtoria, &c. D. Hieron. in hac etiam mansione illa dicta esse putat, quæ de religione Phase, in fine cap. 12. Exodi dicuntur, quæq; de memoria exitus ex Ægypto, de azymis comedendis, de primogenitis consecrandis, & offerendis Deo, scripta sunt Exod. 13. de quibus supra iam egimus. *Si roges, quantum distet secunda mansio à prima?* respondet Abulensis, distasse per duas aut tres
C leucas. Probat, quia Hebrei in Socoth primùm tabernacula fixerunt, & sumpserunt cibum. Nõ igitur distabat hæc mansio valde à prima. Fuit illud iter vnius diei, noctu cęnarũt & quieuerũt.

Secũda mansio Socoth.

D. Hieron.

Exod. 12.

Profecti de Socoth castrametati sunt in Etham.

Tertia mansio appellatur אתם *Ethã*, de qua Exod. 13. hęc legimus, *Profecti de Socoth castrametati sunt in Etham, in extremis finibus solitudinis.* Significat nomẽ *Etham*, interprete Hieronymo, *fortitudinẽ & perfectionẽ.* Fuit autem hæc mansio in extremis finibus solitudinis, quæ Ægyptum
D cõtingit: In eo (inquit D. Hieronymus) quòd *Etham* dicitur esse in extremis finibus solitudinis, ostenditur esse inter confinia eremi, & AEgypti, &c.

Tertia mansio Etham.

D. Hieron.

Reuersi castrametentur è regione Phihahiroth.

Quarta mansio dicitur *Phihahiroth*, de qua Exod. 14. legitur: *Loquere filijs Israel: Reuersi castrametẽtur è regione Phihahiroth, quæ est inter Magdalum, & mare, contra Beelsephon, in conspectu eius castra ponetis super mare.* Nouerat Dominus cogitationes, & durum cor Pharaonis: sciebat illum persecuturum Israelitas. Iam parat viam, qua fluctibus rubri maris demersus: dignas durissimo corde pœnas luat. Ex Etham iussit retrouerti Hebræos in locum quendã, vel oppidum, quod dicebatur, פיהחירות *Phihahiroth*,
E id est, vt interpretatur D. Hieron. *os nobilium.* Erat autem oppidum hoc situm inter aliud, quod Magdalũ vocabatur, מגדול, id est, *turris*; & mare rubrum, è regione בעל צפן *Beelsephon.* Hoc nomen etiam est oppidi, & significat *dominum aquilonis*, vt ait D. Hieronymus. E regione igitur Phihahiroth castrametati sunt Hebræi super mare rubrum, id est, iuxta mare rubrum, vt diuisum mare iter fugientibus præberet: Pharaonem verò insequentem vndis obrueret. Exod. 14. *Castra* (inquit Dominus) *ponetis super mare: dicturusq; est Pharao super filiis Israel: Coarctati sunt in terra, conclusit eos desertum, & indurabo*

Quarta mãsio Phihahiroth.

Exod. 14.

indurabo cor eius, ac persequetur vos, & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius. Glorificatus est autem Dominus in Pharaone, & exercitu eius, demergendo eum, & exercitum maris fluctibus.

CAPVT VIII.

MORALE.

De secunda, tertia & quarta mansione.

1. QVi mundum, id est, mundi fugiunt scelera, ex Ramesse, id est, gaudio tonitrui, proficiscuntur, vt supra dictum est: deinde veniunt in Socoth, id est, in tabernacula; in hac enim mansione egressi ex Ægypto fixerunt tabernacula Israelitæ. Eundem in modum oportet eum, qui Ægyptum deserit, tabernaculum trabalibus figere clauis, hoc est, corpus, mentemque proposito, vel decreto nullum peccatum mortiferum committendi, Deoque adhęrendi magnopere firmare. D. Ambros. Psal. 118. oct. 5. Socoth (inquit) prima mansio est, significans tabernaculum. Fige ergo tabernaculum, quod in te est, mentisque tuæ stationem confirma, vt radicatus, atque fundatus maneas in fide Christi. Sic ille. Primam autem mansionem vocat Socoth, quia in Socoth post profectionem ex Ægypto, Hebræi primum tabernacula posuerunt. D. Hieronymus primam vocat Ramessem. Prima est Socoth post profectionem ex Ægypto. Prima est Ramesses, quia ex illa profecti sunt. Secunda Socoth, quia in illam profecti ex Ramesse peruenerunt. Is, qui ex AEgypto egreditur, mentem figat, velut tentorium, proposito non peccandi vehementi. Est enim hæc animæ egregia munitio, vt docet Richardus Victor. part. 2. Cant. cap. 38. Castri (inquit) animæ hæc erit firma munitio, vt intentionem semper habeat homo mortale non committendi, etsi commiserit, statim pœnitendi, & irem solicitudinem cognoscendi mortalia, &c. Psal. 111. *Confirmatũ est cor eius, non commouebitur, donec despiciat inimicos suos.* Et initio Psal. *Beatus vir, qui timet Dominũ, in mãdatis eius volet nimis*, &c. Qui mundo remittit nuntium, is magna volũtate mandata Dei complectatur, & cordi infigat. *In mandatis*, inquit, *eius volet nimis.* Hac magna voluntate seruandi mandata confirmabitur cor, & non mouebitur, aut pelletur à gratia, iuuante Deo. *Confirmatum*, inquit, *est cor eius non commouebitur*, & despiciet dæmones, hostes
2. Machab. 1. suos. 2. Mach. 1. *Det vobis Deus cor omnibus vt colatis eum, & faciatis eius voluntatem corde magno, & animo volenti.* Magno corde, & animo volenti custodienda sunt Dei mandata, voluntasque Dei facienda.

Propositum nunquã peccandi mortaliter.

D. Ambros.

D. Hieron.

Richardus.

Psal. 111.

2. Machab. 1.

2. D. Hieronymus de hac mansione hæc scribit moraliter ad Fabiolam: Cùm exierimus, inquit, ex Ægypto, primùm tabernacula figimus, scientes nobis ad vlteriora pergendum. Tunc non comedimus de fermento AEgypti, de fermento malitię, & nequitię, sed vescimur azymis sinceritatis, &c. Socoth, id est, tabernacula, ait significare nobis, non esse consistendum, sed semper ad vlteriora pergendum. Qui enim in tabernaculis habitant, vlteriora petunt. Pergendum ergo est in hac via, qua tendimus in terram repromissionis, hoc est, agendi sunt in virtute progressus. Legendus D. Bernardus, epist. 253. Numquam, inquit, iustus dicit, satis est, sed

D. Hieron.

Vlteriùs semper progrediendum in virtute.

D. Bernard.

semper esurit, sititque iustitiam, ita vt, si semper viueret, semper, quantum in se est, iustior esse contenderet, semper de bono in melius proficere totis viribus conaretur, &c.

3. Tertia mansio appellatur *Etham*, id est, *fortitudo.* Exeuntibus enim ex Ægypto, id est, mundo, magna fortitudo, animique robur opus est, ne occurrentibus cedant hostibus, atque impedimentis. *Armati*, vt diximus, *ascenderunt filij Israel ex Ægypto*: sed quid prosunt arma, si animi robur non adest? D. Hieronymus ad Fabiolam: Ethã, inquit, nobis sonat *fortitudo*, atq; *perfectio*, de qua Psal. 73. Dauid canit: *Tu dirupisti fluuios Etham*, id est, fortes. Grandis est fortitudo Ægyptum dimittere, & in extrema solitudine commorari. Præparemus nobis fortitudinem, assumamus perfectum robur. Hæc ille. Psalm. 83. *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.* Hi qui terram promissionis petunt, eant de virtute in virtutem, Græcè, ἐκ δυνάμεως εἰς δύναμιν, id est, *de fortitudine in fortitudinem.* Sic vertit D. Hieronymus. Hebr. חיל, *chail*, *in dies*, fiant *fortiores*, & *robustiores.* Alij peregrini in dies propter itineris laborem fiunt corpore imbecilliores, sed qui in terram cælestem peregrinantur, in dies fiunt animo robustiores. Nouas enim quotidie gratię vires comparant, tandemque vident Deum in Sion, id est,
C in terra repromissionis.

Fortitudo necessaria est relinquentibus Ægyptum.

Psal. 83.

Quarta mansio est *Phihahiroth*, id est, *os nobilium*, vt interpretatur D. Hieronymus. In hac mansione assumunt viatores cælestes os nobilium, id est, os sanctorum virorum. Hi enim verè nobiles sunt, vera nobilitate, id est, Dei gratia, ac filiatione præditi. Assumunt autem os nobilium, quia linguam Ægypti obliuiscuntur, linguam sanctorum discunt, lasciua verba, mendacia, iuramenta, omniemque sermonem malum ex ore suo pellunt, bonum sermonem nobilium assumunt, iuxta illud Pauli ad Ephes. 4. *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed si quis bonus ad ædificationem fidei, vt det gratiam audientibus.* Præterea assumunt os nobilium, id est,
D (vt D. Hieron. ait. mansione quinta) cõfessionis nobilitatem: Post assumptam, inquit, fortitudinem, post confessionis nobilitatem. Pharao rursus occurrit, &c. Duplex est confessio, laudis, & peccatorum, vtraque versatur in ore horum nobilium. Ora enim nobilia Deo sæpissime confitentur, hoc est, Deum laudant, & precantur; confessariis quoque frequenter peccata in tribunali confessionis, & pœnitentiæ aperiunt. Rupertus *os nobilium* ait significare, nobilem doctrinam, vel fidem Apostolorum. Hic castrametantur Israelitæ veri, id est, Christiani, nobilium os, id est, doctrinam Apostolorum,
E Patrumque antiquorum sequuntur, quæ est contra Beelsephon, id est, possessorem aquilonis diabolum: os verò ignobilium, id est, hæreticorum, quod tartareum exhalat odorem, fugiunt. Hoc os hereticorum in Beelsephon est, id est, in possessore frigidissimi aquilonis, à quo panditur omne malum. D. Hieronymus de hac mansione sic agit moraliter: Assumpta, inquit, fortitudine nobilitamur in Domino, & Beelsephon idoli arcana contemnimus, illiusque magnificentiam, & turritam superbiam declinamus. Non enim est ab austro, vnde Dominus venit, & à meridie, in qua sponsus recumbit in floribus, sed possessor aquilonis, venti frigidissimi, ex quo exardescunt mala super terram.

4. D. Hieron. Dei gratia vera nobilitas.

Lingua nobilium, id est, sanctorum.

Ad Ephes. 4.

D. Hieron.

Ora nobilia Deum laudant.

Rupertus.

D. Hieron.

Sic

Sic Hieronymus. Eius sensus est: Assumpta fortitudine in mansione tertia Etham, eos, qui ex Ægypto discedunt, in quarta mansione, quæ dicitur *os nobilium*, nobilitari, & contemnere *Beelsephon*, id est, diabolum, illiusq; *Magdalum* id est, *turrem*, videlicet superbiam, fugere. Et quia *Beelsephon* significat *Dominum*, siue *possessorem* aquilonis, diabolum ait hac voce indicari, qui possessor est aquilonis, frigidissimi venti, ex quo mala exardescunt, iuxta illud Ierem. 1. *Ab aquilone pandetur omne malum*. Contra verò ab austro Deum ait venire, iuxta illud Abacuc 3. *Deus ab austro veniet*, & in meridie recumbere, Cant. 1. *Indica mihi, vbi pascas, vbi cubes in meridie*. Significat etiam *Beelsephon*, vt ait Hieronymus, *habentem arcana*, vel *idoli arcana*; ideò ait, nos Beelsephon idoli arcana contemnere. Ex nomine hoc fabulam finxerunt Hebræi, quam narrat Abulens. Exod. 14. *Baal*, vel *Bel* idolum est. Verbum, צפן *saphan*, significat *abscondere*. Significat ergo nomen, idolum absconditum. Fabula huiusmodi est: Fabricari iussit Pharao idolum forma canis, id idolum absconditum erat in via, vnde dicitur *Beelsephon*, id est. *idolum absconditum*. Quòd si Hebræus aliquis ex Ægypto in fugam se coniiceret magno clamore eius fugam nuntiabat. Deus verò præcepit castrametari iuxta Beelsephon Hebræos; quasi diceret: Vos timetis Beelsephon, idolum absconditum, ne fugam vestram clamans aperiat. Ne timeatis, appropinquate Beelsephon, non clamabit, &c.

Ierem. 1.
Abacuc 3.
Cant. 1.
D. Hieron.
Fabulæ Hebræorum.

CAPVT IX.

De submersione Pharaonis.

EXODI CAP. XIV.

1 LOcutus est autem Dominus ad Moysen, dicens: Loquere filiis Israël: Reuersi castrametentur è regione Phihahiroth, quæ est inter Magdalum & mare contra Beelsephon: in conspectu eius castra ponetis super mare. Dicturusque est Pharao super filiis Israël: Coarctati sunt in terra, conclusit eos desertum. Et indurabo cor eius, ac persequetur vos: & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius: scientque Ægyptii quia ego sum Dominus. Fecerúntque ita. Et nuntiatum est regi Ægyptiorum quòd fugisset populus: immutatúmque est cor Pharaonis & seruorũ eius super populo, & dixerunt: Quid voluimus facere vt dimitteremus Israël, ne seruiret nobis? Iunxit ergo currum, & omnem populum suum assumpsit secum: Tulítque sexcentos currus electos, & quidquid in Ægypto curruum fuit: & duces totius exercitus. Indurauítque Dominus cor Pharaonis regis Ægypti, & persecutus est filios Israel: at illi egressi erant in manu excelsa. Cumque persequerentur Ægyptii vestigia præcedentium, répererunt eos in castris super mare: omnis equitatus & currus Pharaonis, & vniuersus exercitus erant in Phihahiroth contra Beelsephon. Cúmque appropinquasset Pharao, leuantes filii Israël oculos, viderunt AEgyptios post se: & timuerunt valdè: clamauerúntque ad Dominum, & dixerunt ad Moysen: Forsitan non erant sepulchra in Aegypto, ideò tulisti nos vt moreremur in solitudine, quid hoc facere voluisti, vt educeres nos ex Aegypto? Nónne iste est sermo, quem loquebamur ad te in Aegypto, dicentes: Recede à nobis, vt seruiamus AEgyptiis? multo enim melius erat seruire eis, quàm mori in solitudine. Et ait Moyses ad populum: Nolite timere: state, & videte magnalia Domini quæ facturus est hodie: AEgyptios enim, quos nunc videtis, nequaquam vltrà videbitis vsq; in sempiternum. Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis. Dixítque Dominus ad Moysen: Quid clamas ad me? Loquere filiis Israël vt proficiscantur. Tu autem eleua virgam tuã, & extende manum tuam super mare, & diuide illud: vt gradiantur filii Israel in medio mari per siccum. Ego autem indurabo cor AEgyptiorum vt persequantur vos: & glorificabor in Pharaone, & in omni exercitu eius, & in curribus, & in equitibus illius. Et scient AEgyptii quia ego sum Dominus, cùm glorificatus fuero in Pharaone, & in curribus atque in equitibus eius. Tollénsque se angelus Dei, qui præcedebat castra Israël, abiit post eos: & cum eo pariter columna nubis, priora dimittens, post tergum stetit, inter castra AEgyptiorum & castra Israel: & erat nubes tenebrosa, & illuminans noctẽ, ita vt ad se inuicem toto noctis tempore accedere non valerent. Cúmque extendisset Moyses manum super mare, abstulit illud Dominus flante vento vehementi & vrente tota nocte, & vertit in siccum: diuisáque est aqua. Et ingressi sunt filii Israel per medium ficci maris: erat enim aqua quasi murus à dextra eorum, & læua. Persequentésque Aegyptii ingressi sunt post eos, & omnis equitatus Pharaonis, currus eius & equites, per medium maris. Iamque aduenerat vigilia matutina, & ecce respiciens Dominus super castra Aegyptiorũ per columnam ignis & nubis, interfecit exercitum eorũ: & subuertit rotas curruum, ferebantúrque in profundum. Dixerunt ergo Aegyptii: Fugiamus

Fugiamus Israelem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos. Et ait Dominus ad Moysen: Extende manum tuam super mare, vt reuertantur aquæ ad Ægyptios super currus & equites eorum. Cumque extendisset Moyses manum contra mare, reuersum est primo diluculo ad priorem locum: fugientibusque Ægyptiis occurrerunt aquæ, & inuoluit eos Dominus in mediis fluctibus. Reuersæq; sunt aquæ, & operuerunt currus & equites cuncti exercitus Pharaonis, qui sequentes ingressi fuerant mare: nec vnus quidem superfuit ex eis. Filii autem Israel perrexerunt per mediũ sicci maris & aquæ eis erant quasi pro muro à dextris & à sinistris: liberauitque Dominus in die illa Israel de manu Ægyptiorum. Et viderunt Ægyptios mortuos super litus maris, & manum magnam quam exercuerat Dominus contra eos: timuitque populus Dominum, & crediderunt Domino, & Moysi seruo eius.

2 EXplorabant Ægyptij Israelitarum iter, nuntiaruntque Pharaoni, eos se in fugam dare, & plusquam trium dierum iter facere. Rediit Rex in cordis pristinam duritiam, magnoque cũ exercitu fugientes insecutus, iuxta mare rubrum reperit castra. Videntes verò Pharaonis exercitum Israelitæ, magno timore perculsi sunt, cumque nullum pateret effugium, ad Deum clamauerunt petentes auxilium, sed animo imbecilles aduersùs Mosem murmur (quod primum in deserto fuit) excitauerunt. Abulẽsis in illa verba: *Clamauerunt ad Dominum*, putat non clamasse petentes auxilium, sed etiã murmurantes de Deo. Verisimilius est, auxilium petiuisse. Clamare enim ad Deum significat auxilium petere, non autem murmurare de Deo. Promisit Moses à Deo auxilium, eo ductusq; ab illo est, quomodo populum tanto ex periculo liberaret, sic autem res se habuit.

3 Præibat angelus in columna nubis exercitũ Israelitarum: nunc verò ab anteriori parte, in posteriorem discessit, & inter Hebræos, Ægyptiosq; columnam collocauit, Exod. 14. *Priora dimittens, post tergum stetit, inter castra Ægyptiorũ, & castra Israel.* Tempus erat vespertinum, ideo nubes ea exparte, qua Ægyptios respiciebat, tenebrosa erat, ex ea autem qua respiciebat Hebræos, erat ignea, illosq; illuminabat, Exod. 14. *Et erat nubes tenebrosa, & illuminans noctẽ.* Protegebat ergo nubes Israelitas, & separabat, velut murus, ab hostibus, ita vt nec videre quidẽ eos possent, & toto noctis tempore ad se inuicem accedere non valerent. Nocte Moses eleuauit virgam, manumque extendit super mare, Dominus autem Exod. 14. *abstulit illud flante vento vehementi, & vrente tota nocte, & vertit in siccum, diuisáq; est aqua*, &c. Immisit Deus in mare rubrum vehementissimum ventum, & calidissimum, ac siccum, totaque nocte flauit, & mare exsiccauit. Obiicies, *filij Israel* mare iam exsiccatum *ingressi sunt tertia vigilia noctis*; ergo ventus non flauit ad exsiccandũ mare tota nocte. Respondet Abulensis, dictum esse ventum flasse tota nocte, quia maiore parte noctis flauit. Rectiùs dicemus, nocte tota flasse, quia magis, ac magis lutosam exsiccabat viam præcedens Hebræos; vide caput sequens. Abstulisse autem dicitur Dominus mare, quia diuisit eius aquas, deinde flante vento vrente vertit in siccum. Hebraicè ventus vrens dicitur, קדים, *cadim*. Chaldæus & alij vertunt *orientalem*. L X X. *austrum*.

Exod. 14.
Ibid.
Ibid.

4 Cùm Israelitæ, tanto miraculo apertum vidissent mare, Mose adhortante, ingressi sunt illud, noctem columna illuminante. Erat autem illis aqua, quasi murus, à dextris, & sinistris. Aqua enim non sic in partibus illius diuisionis cõstitit, vt in litoribus solet consistere, pedibus subiecta, sed sublata est velut murus vtraque ex parte. Quæres, *an fuerit aqua tunc solida, an liquida, ac fluens?* Respondetur, fuisse congelatam, & formam præbuisse soliditatis; quia non fluebat, sed instar muri stabat: *fuit hoc ingens miraculum* Iosephus lib. 2. antiquit. non rectè de illo locutus est, quia Ethnicis scribebat, Nemo (inquit) mirari debet, tanquam incredibile, si via per mare patuit, siue Dei voluntate, siue naturę sponte, &c. Potuisse contingere ait diuisionem sponte naturæ, quod à veritate maximè alienũ est. Nõ enim naturæ sponte, sed Dei voluntate miraculorum omnium effectrice patefactũ est mare per summum miraculum, ad quod naturę vires pertingere nullo modo poterant. Eodem loco Iosephus addit, mare Pamphilicũ Alexandro Magno similem in modum apertum esse: Heri, (inquit) ac nudiustertius, Alexãdri ductu Macedonibus Pamphilicũ mare cessit, & viam aperuit aliam viam non habentibus, cùm Deus eius opera vti decreuisset ad destruendum imperium Persarũ, quod omnes testãtur, qui eius res gestas prodiderunt scripto, &c. Si constaret reuera apertum esse mare Alexandro, quemadmodum Israelitis apertum est, absq; dubio miraculum fuisset: sed quomodo naturaliter id factũ sit, docet Strabo lib. 14. his verbis: Est mons Climax Pamphilico mari adiacens, is transitũ perangustum in litore relinquit, qui mari tranquillo aquis ita inundatur, vt peruius sit iter facientibus. Mari autẽ affluente, vndis totus contegitur: transitus verò per montem arduus est, & prolixus. Quare trãquillo mari, via quę in litore est, capitur ab omnibus. Alexander verò in hyemem incidens, & maximam partem rerum suarum fortunæ permittens, priusquam fluctus redirent, mouit, sed oppressus à fluctibus contigit, vt tota die iter faceret in aqua vmbilico tenus. Hæc Strabo. Ex quibus intelliges, quonam modo mare Pamphilicum Alexandro sit patefactum. Pertranseuntes mare Israelitas viderunt Ægyptij, illosque per apertum iter insecuti sunt. Obiicitur, *Ægyptios nõ potuisse videre Israelitas pertranseuntes*, quia nocturnum erat tempus, & columna nubis tenebrosa inter illos erat collocata, vt dictum est. Respondetur, ablatam esse tunc nubis obscuritatem. Propterea quamuis non viderent Ægyptij Israelitas, cùm viderent apertam viam, qua discedebant, eam ingressi sunt, putantes posse illos assequi.

Aqua maris rubri veluti murus sublata est.
Iosepho.
Iosephus.
An Alexandro fuerit apertum mare Pamphilicũ.
Strabo.
Insequitur Pharao Israelitas per mare apertũ.

Iamque aduenerat vigilia matutina.

5 Diuiditur nox in quatuor vigilias; quarta vigilia, & vltima, est vigilia matutina propè auroram. Prima vigilia diuisũ est mare noctisinitio, deinde flante vento exsiccatum; postea ingressi sunt mare Hebræi, insecutique sunt Ægyptij. Aduenerat iam vigilia quarta, quæ ad auroram vsque protenditur: *& ecce respiciens Dominus,*

Exod.14.

Angelus ex nube contra Pharaonem pugnat.

Exod.14. *Super castra Ægyptiorum per columnam ignis, & nubis interfecit exercitum eorũ, & subuertit rotas curruum, ferebanturq; in profundum.* Pharao & Ægyptiorũ exercitus per medium mare insequebãtur Hebręos cæco furore impulsi: cùm vigilia quarta noctis aduenisset, respexit eos Deus per Angelũ, qui in nube erat, respexit inquam, vt penitus deleret. Missis itaque ex nube fulminibus, ac tonitruis horrendis, Ægyptios multos interfecit, rotasq; curruum disiecit, ferebanturq; in profundum ipsius maris, Psal.76.

Psalm. 76.

Viderunt te aquæ (maris rubri) *Deus, & timuerunt, multitudo sonitus aquarum, vocem dederunt nubes.* Hieron. vertit: Excusserũt aquas nubila, Geneb. Effuderũt aquas nubes. Vnde efficitur, pluuiam horribilem in Ægyptios è cælo cecidisse. Sequitur: *Etenim sagittæ tuæ transeunt*, id est, fulgura, & similia. *Vox tonitrui*, siue tonitruorum tuorũ, *in rota*, id est, rotis Ægyptiorum, vt eas subuerteret: *Illuxerunt coruscationes tuæ tunc orbi terræ, in mari* rubro *via tua, & semitæ tuæ in aquis multis, & vestigia tua non cognoscentur*, quia mare in locum suũ reuersum est. Clamabant Ægyptij: Fugiamus Israelitas, quia Deus pro eis pugnat aduersùs nos, sed fugæ obstiterũt aquę maris. Iussit enim Dominus Mosi, vt manum super mare extéderet, & fluctibus Ægyptios fugiẽtes demergeret Exod.14.

Exod.14.

Cumq; extendisset Moyses manum contra mare, reuersum est primo diluculo ad priorem locũ, fugientibusq; Ægyptijs occurrerunt aquæ, & inuoluit eos Dominus in medijs fluctibus. Reuersæq; sunt aquæ, & operuerũt currus, & equites cuncti exercitus Pharaonis.

Aquis maris rubri obruitur exercitus Pharaonis.

Eccli.3.

Sic meritas pœnas dedit Pharao duritię cordis sui, iuxta illud Eccles.3. *Cor durũ habebit male in nouissimo, & qui amat periculũ, in illo peribit* Pharaonis durũ cor malè habuit in nouissimo; periculum amauit, cùm apertum mare ingredi ausus est, & periuit in illo.

Theodoret.

Theodoretus q.25. Exodi. Iustissimus, inquit, iudex Deus tradidit Pharaonẽ cum toto exercitu aquarum exitio, quia per aquas interemerat infantes Hebræorum, &c. Non tamen erat hic Rex, qui Exod.1. dicitur iussisse infantes fluuio demergi. Illud obseruat Moses, ne vnum quidem ex Ægyptiis superfuisse: *Nec vnus*, inquit, *superfuit ex eis.* & Psal.105.

Psal.105.

Operuit aqua tribulãtes eos: vnus ex eis nõ remansit. Non defuerunt aliqui ex Hebræis, qui putarũt, Pharaonẽ superfuisse: Hebraicè enim ad verbum sic legitur: *Non superfuit ex eis vsque ad vnum*, עד אחד, *ad echad.* Sensus est iuxta horum mentem: Nõ superfuit in Ægyptijs aliquis vsq; ad vnũ Pharaonẽ, qui superfuit, sed inepta est hęc interpretatio; verba enim id significant, quod noster interpes, & LXX. & Chaldæus, aliiq; verterunt, *ne vnum quidem remansisse.* Pharaonem autem fluctibus maris fuisse obrutum, constat ex Cant. Mosis: *Ingressus est eques Pharao cum curribus, & equitibus eius in mare, & reduxit super eos Dominus aquas maris.* & Psal.135.

Psal.135

Excussit Pharaonem, & virtutẽ eius in mari rubro. Erat dux exercitus Pharao, Exod.14.

Exod.14 Pharao Cenchres vndis demergitur maris.

Iunxit Pharao currũ, & omnem populum suum assumpsit secum, &c. Vt dux ingressus est mare, & cũ cæteris, fluctibus demersus. Vnde patet, Manethonem deceptum, quem ait Iosephus lib.1. cõtra Appionem scripsisse, Regem illum, qui Hebręos expulit ex Ægypto, regnasse post eorũ expulsionem multis annis. Regnare nõ potuit viuus in Ægypto, qui post expulsionẽ Hebræorũ mox mortuus, torquebatur in tartaro. Sed *quisnã erat hic Pharao?* Omissis aliis Eusebium sequor, qui putat, appellatum esse Pharaonẽ Cenchrem. Pharao nomẽ est dignitatis, omnes enim Reges Ægypti Pharaones dicebãtur, Cenchres nomen est propriũ.

Viderunt Ægyptios mortuos super litus maris.

6 *Cadauera Ægyptiorum mare in litus expulit. Exod.14.*

Mortuos in mari rubro AEgyptios in litus mare expulit. Quęritur, *an omnes mortuos expulerit mare?* Respõdetur, omnes expulisse, vt ab Israelitis viderentur, Deiq; potentiá, & beneficiũ singulare agnoscerent, Exod.14. *Viderunt Ægyptios mortuos super litus maris, & manum magnam, quam exercuerat Dominus cõtra eos, timuitq; populus Dominum.* Viderunt Israelitę manum magnam, hoc est, Dei magnam potentiam, quã exercuerat cõtra Ægyptios. Hinc sequitur, mare omnes AEgyptios eiecisse in litus, vt magnã omnium stragem Israelitæ cernerent, quam Dei manus potẽtissima intulerat. Quęritur præterea, *an cadauera Ægyptiorũ in litus naturali vi sint expulsa?* Respõdetur, expulsa esse diuina vi, vt sentit Caietan.

Caietan.

Diuino, inquit, operi tribuendũ est, quòd Hebræi viderũt Ægyptios mortuos in litore, in quo erant filij Israel, quia naturaliter homo suffocatus, in aquis nõ natat vsq; ad tot dies, &c. & Exod.15. Mortui homines, inquit, non natãt naturaliter, vsquequò crepuerit fel, &c. Quæritur tertiò, *an Israelitæ Ægyptios ad litus expulsos spoliarint?*

Israelitæ mortuos Ægyptios spoliarunt.

Respõdetur, spoliasse hostes mortuos vestibus, armis, gemmisq;, auro, & argento, quod ferebant. Fuit verò hæc præda (vt aiunt Hebręi apud Lyranum Sap.10.) maior, quàm illa prior, qua spoliauerunt Ægyptũ vasis aureis, & argenteis. De his spolijs explicãtur verba illa Sap.10.

Sap.10.

Transtulit illos per mare rubrũ, & transtulit illos per aquã nimiã, inimicos autem illorũ demersit in mare, & ab altitudine inferorũ eduxit illos. Ideo iusti tulerũt spolia impiorũ, & decantauerũt, Domine, nomẽ sanctum tuũ. Psal.73. dicitur: *Dedisti eos escã populis Æthiopũ.*

Psal.73.

Quo loco Genebr. vult, mare nõ solùm in litus Arabicũ, vbi erant Israelitæ, euomuisse Ægyptios, sed etiã in litus AEthiopicũ, datosq; ait in escam populis AEthiopum, quia nõ solùm ab Hebræis, sed etiã ab AEthiopibus sunt spoliati. Nõ placet opinio, quia AEgyptios Israelitæ spoliauerũt. Ex ea verò sequitur, Psalmographũ huius spoliationis nõ meminisse, quę pręcipua erat. Lege quæ dicta sunt infrà c.11.

CAPVT X.

De mari rubro.

1 *De nomine Hebræo iam suph.*

MAre rubrũ Hebraicè appellatur, ים סוף, *iam suph.* significat *iam*, mare; *suph* verò *iuncum, caricẽ, & papyrum.* Dicitur mare iunci, vel caricis, vel papyri, id est, iuncosum, carectosum, vel papyrosum, quia in litore eius nasci solent carices, iunci, & papyri, quemadmodum in Nilo.

D. Hieron.

D. Hieronymus mãsione 7. Suph, inquit, rubrum, & scirpus vocatur, vnde possumus suspicari, quòd Israelitæ venerint ad paludem quandam, & lacum, qui carecto, & iuncis plenus fuerit. Sic ille. Duo verò ait significare suph, videlicet rubrum, & scirpum, siue iuncum Masius Iosue 2. non vult significare rubrũ: sed ego D. Hieronymo magis credo quàm Masio. Magis etiam credo LXX. interpretibus, qui ἐρυθρὰν θάλασσαν, id est, *rubrum mare* vertunt, non caricosum. Si *suph* significat *caricosum*, vel *papyrosum*, cur semper *rubrum* verterunt tum LXX. tùm D. Hieronymus? Videntur sciuisse, quod modò ignoratur, nomen *suph* significare etiam

etiam rubrum, vt ait D. Hieronymus. Quęritur, an *iam suph* significet *solum mare* rubrũ, an *quodlibet mare?* Respondetur, significare ferè semper mare rubrũ, aliquando verò accommodari mediterraneo. Nã Ionam cetus in mari ferebat mediterraneo: ait verò Ionas cap.2.

Ion.2.

Pelagus operuit caput meũ. Pelagus, id est, mare mediterraneum, operuit caput Ionæ, Hebraicè tamẽ eo loco legitur, *iam suph operuit caput meũ.* Vnde efficitur, nomẽ accommodari etiam mari mediterraneo, fortè etiã illo loco significat mare rubrũ. Cùm enim esset ventre ceti clausus Ionas, forsitan meminit filiorum Israel pertranseuntium siccis vestigiis mare rubrum, & in mari mediterraneo existens, cum illis se contulit, dicens: *Iam suph*, hoc est, mare rubrũ *operuit caput meum.* quasi diceret; olim mare rubrum exsiccatũ est, propter filios Israel, neque pedes eorum tetigit; at nunc caput meum, neque totum operuisse videtur.

2 *Plinius. Cur dicatur mare rubrũ.*

Cur *mare rubrum dicatur*, dubium est Multę de hac re sunt opiniones, quas commemorat Plinius lib.6. cap.23. Mare, inquit, rubrũ dixerunt nostri, Græci Erithræum à Rege Erythra, aut, vt alij, Solis repercussu talem reddi colorẽ existimantes; alij ab arena, terraque; alij ab aquę ipsius natura, &c. Mitto alias huiusmodi.

Ioann. Barr.

Legendus Ioannes Barrius, decade 2. Asiæ lib. 8. cap.1. vbi agit de mari rubro, eo capite testimonium Albuquerquij Proregis Indiæ refert: Dixit Prorex, se, cùm mare rubrum nauigaret, rubeo colore maculatum sæpe conspexisse: cùm verò fretum ingredi vellet, crassam vidisse venam rubentis aquæ, ab illo exeuntem, & intra portas freti quidquid ex naui conspici poterat, rubei apparuisse coloris.

Coralia in mari rubro.

Existimat autẽ Barrius, hunc colorem in aqua, à coraliorum multitudine repræsentatũ fuisse, quæ coralia maris vi à vento agitati, eradicata in fretum ferebantur. Alter quoque Prorex Ioannes à Castro, cùm ex freto maris rubri exiret, mare vidit rubẽtibus maculis ita plenum, vt viderentur in eo loco boues aliqui mactati: cùm verò haustã inde aquã, nihil ruboris habere aspectu percepisset, aliquas ibi peperisse balenas opinatus est: sed Barrius huius quoq; ruboris in mari apparentis, coraliorum eradicatas syluas esse arbitratur. Hic Prorex Castrius mare rubrum pernauigauit (vt Barrius scribit) diligenterque ruboris causam inuestigauit. Cùm mare rubescentibus maculis longo spatio maculatum cernebat, consistens hauriri iubebat aquam, vt experiretur, an rubei esset coloris: illa verò cristalini coloris erat. Postea vrinatores in profundum demissi materiam afferebant quãdam rubeam, coralio similem, in modum ramorũ; alię materię lanugine quadam coloris phœnicei tegebãtur. Vbi aqua virides habebat maculas, materiam ramorum extrahebant cum viridi lanugine, quod dicitur coralium album: vbi aqua alba erat, arenã ferebant candidissimam. Mare autẽ hoc, in quo hæc vidit Castrius, non est profundum, ideoque facile aqua ex colore arenæ, vel coralij alba, vel viridis, vel rubra videri poterat. Veruntamen addit Barrius, id etiam in profundiori mari viginti brassarum, (nomen est mensuræ) propter aquæ perspicuitatem videri. Castrius verò aiebat, maiorẽ se macularum vidisse copiam, per spatium ferè 130. leucarum à ciuitate, quę Cuaquem nominatur, vsq; ad portum, qui dicitur Alcocor. Habet enim hoc mare loca minùs profunda, in reliquo à ciuitate, quę Torus dicitur vsque ad Suez, maculas non vidit. Concludit Barrius satis probabiliter, causam coloris rubei, qui in mari cernitur, esse maris fundum simili colore infectum. Eãdem opinionem tribuit Castrio. Nascuntur autem in mari rubro multis locis coralia. A coraliis verò rubris, ait Barrius, rubrum mare esse appellatum, quæ per aquam colorem transmittunt. Obstat dictis, quod scribit Matthiolus lib.5. Dioscor. c.97.

Sebast. Barradas Itiner. Israelit.

Matthiolus.

Coralia, inquit, ex mari circumquáque muscosa eximuntur, nec tunc vlla ex parte rubescunt: verùm inde artificibus tradita, deraso cortice rubẽt, &c. Itaq; sub aqua non rubescunt coralia: ergo minimè possunt rubeum colorem illi communicare, vt vult Barrius, nisi fortè in mari rubro muscositas coraliorum sit rubra.

3

Denique Albuquerquius ad Emmanuelem Lusitaniæ Regem scripsit, rubri nomẽ rectè & verè mari rubro conuenire, quòd rubentibus maculis plenum esset. Vnde verò hic rubeus color promanet, non est omnino exploratum, si coralia sub aquis viridis sunt coloris. Alia ratio nondũ apparet. sit causa ipse color profundi, vt Castrius censuit Nonnulli à Rege quodam qui dictus est Erythra, volũt verè rubrum mare appellari. Significat enim Gręcè ἐρυθρὰ θάλασσα *rubrum mare.* Hanc sententiam sequitur noster Pererius, Exod.14. rubrum mare dici arbitratur nõ à colore, sed à Rege, qui ibi nobiliter regnauit. Addit, Hebraicè vocatũ *suph*, à multitudine caricum, vel papyrorum, vel iuncorum, quorũ est ferax; nostrum autem Latinum interpretẽ rubrũ appellasse, quia sic à Latinis scriptoribus appellabatur. Aliqui Hebręi *suph* loci alicuius nomen esse voluerunt à quo mare nomẽ acceperit; sic mare Tyberiadis dicitur Ioan.6. à ciuitate Tyberiade. Mauri, vt ait Barrius, vocant *bahar corzũ*, id est, mare clausum. Est enim mare rubrũ sinus quidã maris clausus, qui dicitur sinus Arabicus. Nõ valdè distat ab hac significatione nomen Hebræum, *iam suph.* Verbum namque *soph* significat *finire, & terminare*; inde *suph* significare potest *finem & terminum*; diceturque *iam suph*, id est, mare finitum, & terminatum, ac clausum. Nam in Ægypti solitudine ita hoc mare terminatur, & clauditur, vt vlteriùs nullo modo profluat. Longitudinis habet 350. leucas, teste auctore citato, latitudinis 36. Ad extremum ferè mare est oppidum Tor, cuius inter incolas fama fertur, illac pertransisse Israelitas in Arabiam. Nam eo loco Ægyptus propinqua est Arabiæ, solumque per 3. leucas distat: his autem 3. leucis per mare apertum iter fecisse Hebræos ferunt oppidani. Aliam refert opinionem Barrius. Illius auctor ex alio loco, qui dicitur Corondolus à Suez 15. leucis distante, factum transitum in Arabiam opinatur. Sententiam suam hac de re Barrius in geographiam distulit.

4 *An mare rubrũ apertum germinarit flores. Sap.19.*

Quæritur, *an maris rubri via herbas, ac flores germinarit*, vt herbosum, floridumq; solum pertraseuntibus Hebræis præberet? Id probatur ex lib. Sap.c.19. *Ex aqua* (inquit) *quæ antea erat, terra arida apparuit, & in mari rubro via sine impedimento, & campus germinans de profundo nimio. per quem omnis natio transiuit, quæ tegebatur manu tua, videntes tua mirabilia:* Græcè legitur πεδίον χλοηφόρον, id est, *campus herbifer.* Iãsenius negat, verbaque Sapientis hyperbolica esse putat, hoc sensu: In mari rubro via apparuit sine impedimẽto, quæ via fuit illis loco campi germinãtis,

eo quòd per eã magna cũ alacritate, veluti per herbosum campũ, trãsierint. Lyranus per similitudinem dictum vult. Campus, inquit, germinans, id est, maris fundus desiccatus ad modum campi germinantis. Hugo Card. Campus germinans, id est, similis germinãti. Carthus. Fundus maris tanquam germinans campus stetit discooopertus & pulcher. Non desunt, qui sentiant, mare rubrũ ea parte, qua Hebræi fecerũt iter, fuisse herbiferum, ideoque apparuisse cãpum germinantem, qui sub aquis latebat. Nam mare rubrum sub fluctibus arbores gignere scribit Plinius lib. 13. cap. 24. Si nascuntur arbores, non mirum est, si nascantur etiam herbę. In mari rubro (ait Plinius) mirum est, syluas viuere, laurum maximè, & oliuam ferentem baccas, & cùm pluat fungos, qui sole tacti mutantur in pumicem. Sic ille. Item: Mare rubrum & totus Orientis oceanus repletus est syluis, &c. Aduerte tamen, Plinium mare rubrum appellare, non solum sinum Arabicum, sed etiam Persicum Lib. 6. cap. 23. Irrupit (inquit) & in hac parte geminum mare in terras, quod rubrum dixere nostri, &c. Geminum mare ait appellatum rubrum, quòd terras irrumpit, id est, sinum Arabicum, & Persicum. Prophani quoque scriptores nomen maris rubri ad plura extendũt maria. Vnde illud Genebrardi Psal. 105. LXX. (inquit) interpretes rubrum mare appellauerunt de totius vocabulo, præter prophanorum vsum, quibus mare rubrum, siue Erythræum, est oceanus inter Æthiopicum, & Indicum. Sed nos ad inuestigandas res maris rubri habemus Proregem Castrium, qui totum percurrit vsque ad Suez. Ait ille: A ciuitate Toro vsque ad oppidum Suez, quod est in extrema parte maris, rubentes non vidisse maculas; distat autem Torus à Suez, quadraginta leucis; & intra hoc diarum vrbium spatium videntur Israelitæ mare pertransisse. Nullæ autem arbores, nullæ oliuæ, aut lauri ibi esse in mari referuntur. Herbiferum verò esse ipsum solum maris rubri, non videtur probabile: neque enim Castrius, neque vllus alius huius rei meminit. Si herbiferum esset, non dixisset Abacuc 3. *Viam fecisti equis tuis in luto aquarum multarum.* Lutum enim erat in profundo maris, non herbæ, aut flores: sed exsiccatum est à vento vrente, & via Hebræis constrata. Quòd si quis concedat, fuisse profundum herbosum; ventus ille, qui tota nocte flauit, vrens, ac vehemens, omnes herbas combussisset. Si quis dicat, miraculo factum esse herbosum, & germinantem illum campum, non adeò repugnabo. Sed probabilius videtur, satisfuisse hominibus hostes fugientibus viam herbis carentem, neque pulueulentam. Non enim sunt miracula sine necessitate multiplicanda, vt aiunt Theologi.

Lyranus. *Hugo Card. Carthus.* *Plinius.* *Genebrard.* *Ioannes Castrius Prorex Lusitanus totum percurrit mare rubrũ.* *Abacuc 3.*

CAPVT XI.
De transitu maris rubri.

DVbitatur, *an sint apertæ in mari rubro singulis tribubus singulæ viæ, an omnibus simul vna?* Huic quæstioni ansam præbuerunt verba illa Psal. 135. *Diuisit mare rubrum in diuisiones.* Si enim mare in diuisiones diuisum est, plures fuere viæ, singulis tribubus apertæ. Id quoque hanc confirmat opinionem, quòd celeritate magna Israelitæ mare pertransierunt, paucis horis; celerius autem per multas vias, quàm per vnam solam à magno exercitu fit iter. Hanc opinionem sequuntur Hebræi. Lege Epiphanium hæres. 64. Origenes verò in Exod. Audiui (inquit) à maioribus traditum, quòd in ista diuisione maris, singulis tribubus Hebrẹorum, singulæ aquarum diuisiones factæ sunt, & propria vincuique tribui in mari aperta est via, idque ostendi aiunt ex Psal. 135. Sic ille. Eandem sententiam sequuntur Abulens. in Exod. & Geneb. Psalmo citato. Probabilius est, vnã tantùm apertam fuisse viam latissimam aliquot leucarum, vt celeriter à tanto exercitu posset fieri transitus. Deus vnitatis amicus est: non ergo diuisit Israelitas, sed omnes simul eadem via voluit iter facere. Prẹterea columna, quæ viam ostendebat, vna tantùm erat: ergo via vna tantùm fuit. His adde, Mosem ducem fuisse totius populi vnum, oportuisseque nullam tribum ab eo disiungi. Fuit ergo vna via in mari, quam primus Moses est ingressus, vt toti populo præiret, animosque omnium corroboraret. Huius sententiæ est Theodoretus, quæst. 25. in Exodum: Existimo (inquit ille) bifariam tantùm fuisse mare diuisum, hoc indicante Scriptura, cùm ait: Aqua erat tanquam murus à dextris, & à sinistris, latamque viam fuisse, & numero transeuntium conuenientem, sicut dixit Scriptura Psalmo. 105. *Deduxit eos in abysso, sicut in deserto,* quod videtur indicare facilitatem viæ patentis. Sic ille. Vnam quoque fuisse viam putat Lyranus, Carthusianus, & alij. Diuisæ quidem transierunt tribus; sic enim faciebant iter; diuisæ quoque erant viæ tribuum, sed coniunctæ, nulla intermedia aqua maris. In latissima illa via tribus tribui adhærens transiit, & præibat Moses. Verba illa Psalmi 105. multas vias in mari apertas esse non probant. Nam Genes. 15. Abraham *animalia quædam diuisit, & partes contra se alter insecus posuit, lampas verò ignis dicitur transisse inter diuisiones illas.* Vna tantùm erat via inter partes animalium, per quam transiuit lampas; at dicitur transisse inter diuisiones. Ita in Psalmo legitur: *Diuisit mare rubrum in diuisiones,* quamuis vna tantùm fuerat via: quia enim diuisionis erant duæ partes, ideo dicuntur diuisiones. Genes. 15. *Pertransiuit lampas inter diuisiones,* id est, inter duas partes diuisas. Similem in modum scissura sumitur pro parte scissa, 3. Reg. 11. *Tolle* (inquit) *decem scissuras,* id est, decem partes abscissas pallij. Eodem sensu dicitur in Psalmo: *Diuisit mare rubrum in diuisiones,* id est, in partes duas, quarum vna ab altera est separata. Sic etiam Hierem. 34. *Vitulum concideruntin duas partes, & transierunt inter diuisiones eius,* hoc est, transierunt inter duas partes diuisas.

1. An sint apertæ plures viæ Hebræis in mari? Psal. 135. *Origenes.* *Theodor.* *Genes. 15.* *Hierem. 24.*

Illud etiam est in controuersia, *an Israelitæ via recta pertransierint* per mare rubrũ ex litore Ægypti, vsque in litus Arabicum illi oppositum, an potius via semicirculari in medio mari facta, ex litore Ægyptiaco profecti, in idem litus Ægyptiacũ reuersi fuerint? Hanc posteriorem opinionem sequuntur nonnulli Hebræi, Abulensis quoque, & Paulus Burgensis. Probatur duobus argumentis. Primum hoc est: Hebręi viderũt Ægyptios mortuos in litore maris rubri, quod versus Ægyptũ est; ergo, postquam transierunt mare, in litore erant Ægyptiaco, non

2. An Israelitæ trãsierint in litus Arabicum?

non autem in litore Arabico, atque adeò non peruenerunt in Arabicum litus, sed semicirculo facto in medio mari, ad litus Ægyptiacum redierunt. Quòd autẽ Ægyptios mortuos viderint in litore Ægyptiaco, confirmatur, quia mare in propinquius litus solet eiicere cadauera: propinquius autẽ demersis Ægyptiis litus non erat Arabicum, sed Ægyptiacum. Secundum argumentum est huiusmodi. Num. 33. sic habetur: *De Socoth venerunt in Ethã, quæ est in extremis finibus solitudinis, & transierunt per medium mare in solitudinem, & ambulantes tribus diebus per desertum Etham castrametati sunt in Mara.* Hinc patet, Hebræos ex solitudine Etham, in mare introisse, rursusq; ad eandem solitudinem Etham, vnde profecti fuerant, rediisse, & per eam fecisse iter in Mara. Ergo ad litus deserti Etham, quod est Ægyptiacum, reuersi sunt. Multo probabilior videtur opposita opinio, nempe Israelitas à litore Ægyptiaco maris rubri pertrãsisse in oppositum litus Arabicum, neque vllam in mari apertam esse viam semicircularem. Est opinio Iosephi lib. 2. antiquit. vbi ait, Hebræos euasisse in litus aduersum maris. Philonis lib. 3. de vita Mosis, D. Gregor. Nyssen in vita eiusdem Mosis, Lyrani, Caietani, & aliorum. Primo argumento respondetur, Ægyptiorum cadauera diuina vi fuisse expulsa in litus Arabicum, vbi erant Hebræi. Diuino operi, (ait Caietanus) tribuendum est, quòd Hebræi viderunt Ægyptios mortuos in litore, in quo morabantur. Quod miraculum oportet fateri, in quocunque litore visa sint ea cadauera sequenti die, quia naturaliter homo suffocatus, in aquis non natat vsque ad tot dies. Hæc ille. Philo ait, procellosam tempestatẽ in litus oppositum expulisse cadauera. Caietan. etiam vult, mare ex litore, vnde ingressi fuerant, refluxisse in Ægyptios fugientes, eosque in litus, vbi erant Hebræi, eiecisse. Secundo argumento respondet Caietanus Etham desertum esse, siue solitudinem, quæ ab Ægypto vsque ad Arabiam protenditur, & vtrumque litus maris rubri complectitur, Ægyptiacum, & Arabicum. Itaque profecti dicuntur Israelitæ Num. 33. *ex Etham, & pertransisse mare.* Ex Etham, inquã, deserto, quod erat ante litus Ægyptiacum. Dicuntur deinde post transitum maris, tribus diebus ambulasse per desertum Etham, quod erat post litus Arabicum, & pars deserti Etham illius, quod erat ante litus Ægyptiacum. Profecti igitur sunt ex Etham, & venerunt in alteram partem eiusdem deserti, quæ erat in litore Arabico, per Arabiam extensa.

Num. 33. *Caietanus.* *Ibid.*

Dubitatur etiam de temporis spatio, *quo mare pertransierunt Israelitæ.* Etenim tantus exercitus, totque pecorum greges, magno temporis spatio pertransisse videntur totam maris rubri latitudinem. Ex Scriptura hoc habemus, Exod. 14. *Abstulit mare Dominus flante vento vehementi, & vrente tota nocte, & vertit in siccum, diuisaq; est aqua, & ingressi sunt filij Israel, persequentesque Ægyptij ingressi sunt post eos.* Itaque ventus flauit tota nocte, & vertit in siccum pelagus, & ingressi sunt Israelitæ. Vnde infertur, propè matutinum tempus ingressos esse mare, quod tota nocte exsiccatum fuerat à vento vrente. Sequitur Exod. 14. *Iamq; aduenerat vigilia matutina.* Cùm hæc aduenisset vigilia matutina, ex nube angelus Ægyptios fulminauit: illi verò clamarunt: *Fugiamus Israelem.* Tum Moses iussu Dei maris fluctus super eos reduxit, &, vt dicitur Exod. 14. *reuersum est mare primo diluculo ad priorẽ locum.* Sequitur: *Reuersæ sunt aquæ, & operuerunt currus & equites, nequè vnus quidem superfuit ex eis, filij autem Israel perrexerunt per medium sicci maris.* Ex iis videtur effici, mare noctu exsiccatum à vento tota ferè nocte: deinde filios Israel ingressos mare, postquam exsiccatum est, Ægyptiosque post illos. In vigilia verò matutina, angelus fulminibus ex columna Ægyptios interfecit. Primo autem diluculo mare reuersum est in locum suum, eosque demersit: at filij Israel post hæc perrexerunt per medium sicci maris. Nondum enim peruenerant ad litus Arabicum, sed erant in medio maris, quando Deus maris fluctibus Ægyptios obruit. Quòd si ita est, potuerunt illi, post demersos hostes, iter lento gradu facere multis horis. His obstat quòd dicitur mare primo diluculo reuersum esse in locum priorem; totum enim mare reuersum videtur. Vnde efficitur, Israelitas in litore Arabico primo diluculo constitisse. At verò Scriptura non ait, totum mare reuersum esse in locum suum. Potest ergo existimari, mare, id est, partem illam maris, quam iam pertransiuerant Israelitæ, reuersam esse in locum suum demersis Ægyptiis. Alteram verò partem, quam nondum pertransiuerant, non esse tunc reuersam, sed post transitum. Fauet huic opinioni Scripturæ ordo; postquam enim scriptum est, AEgyptios esse demersos, nullumque superfuisse, sequitur: *Filij autem Israel perrexerunt per medium sicci maris.* Videlicet post demersos hostes à mari, primo diluculo.

3. De spatio tẽporis, quo mare pertransierunt Israelitæ. *Exod. 14.* *Ibid.*

Caietanus ait in vigilia matutina, cùm angelus ex nube percussit AEgyptios, maximam populi partem iam pertransisse mare, & ad litus peruenisse. Abulensis arbitratur, Hebræos accessisse ad mare initio noctis, runcq; à Mose esse diuisum, postea à vento calido humidum ac limosum solum exsiccatum, maiore noctis parte. Tertia vigilia noctis, quę est post mediã noctem, ait ingressos esse mare, & in fine huius tertiæ vigiliæ ex mari exiuisse. In quarta verò vigilia matutina, cùm iam essent Israelitę extra mare, reuersum esse in locum suum, & obruisse vndis Ægyptios. Itaque tribus horis existimat Hebræum tantum exercitum, totq; pecorum, & armentorum pelagus pertransisse, quod sanè miraculo tribuendum erit, si eo loco mare tres, aut quatuor leucas habet latitudinis. De iumentis, pecoribus, & armentis, quæ ferebant Hebręi, illud intelligitur Sapient. 19. *Agrestia in aquatica conuertebantur, & quæcunque erant natantia, in terram transibant.* Nam agrestia pecora & armenta conuersa sunt in animalia aquatica, quia per medium pelagus ambularunt. Natantes vero pisces in Nilo flumine mortui, in terram eiecti sunt, & ranæ natantes ipsas penetrarunt Aegyptiorum domos. Nisi velis piscesquicunq; erant natantes in illa via, quæ aperta est in mari rubro, exsiccato mari in terram transiuisse, vt Hebręis essent esca.

Sapient. 19.

Non est prætereunda Hebræorum traditio quædam, cuius meminit D. Hieron. Osee 11. Tradunt, inquit, Hebræi huiusceemodi fabulam. In exitu Israel de Aegypto, quando ex alia parte mons, ex alia rubrum mare, ex alia Pharaonis cingebat exercitus, & inclusus populus tenebatur, cęteris tribubus desperantibus salu-

5. D. Hieron.

An omnium tribus prima sit ingressa mare rubrum?

tem, & aut reuerti in Ægyptum, aut bellare cu- A
pientibus, solus Iuda ingressus est mare. Vnde
& regnum meruit accipere, &c. Aiunt Hebræi
tribum Iuda primam mare esse ingressam, cęte-
ris formidantibus. Erat tunc princeps tribus
Aminadab, is magno animo mare ingressus est,
cæterique secuti sunt ducem. Mosem tamē pri-
mum ingressum esse mare, ratio docet, vt omni-
bus tribubus animum adderet, idque sentit Io-
sephus lib. 2. antiquit. Fortè tribus Iuda Mosem
secuta est ante alias. Hac de re sic scribit Lyra-
nus, Cant. 6. Tribus, inquit, Iuda, secundùm
omnes doctores Hebræos, & Latinos meruit
dignitatem regiam in transitu maris. Nam aliis B
tribubus formidantibus Mosem sequi per mare
diuisum, tribus Iuda constanter secuta fuit
ipsum, & aliis constantiæ dedit exemplum.
Tunc autem Aminadab erat princeps tribus
Iudæ. Sic Lyranus.

Lyranus.

6

Ad extremum adiicio, in mari rubro tanti
miraculi relicta dici miranda vestigia. Sic enim
scribit Paulus Orosius lib. 1. hist. c. 10. Extant
etiam nunc certissima horum gestorum moni-
menta. Nam tractus curruum, rotarumque or-
bitæ non solùm in litore, sed etiam in profun-
do, quousque visus admittitur, peruidentur. Et
si fortè ad tempus, vel casu, vel curiositate cu-
iuspiam turbātur, continuò diuinitus in pristi-
nam faciem, ventis fluctibusque reparantur, vt C
quisquis non docetur timorem Dei, propalatę
religionis studio, iræ eius trāsactæ vltionis ter-
reatur exemplo. Sic ille. Et D. Gregor. Turon. in
histor. Franc. cap. 10. Quod, inquit, à sapienti-
bus, & certè illis hominibus, qui in eodem loco
accesserunt, verum cognouimus, studuimus in-
ferre paginæ. Aiunt enim sulcos, quos rotæ
curruum fecerant, vsque hodie permanere, &
quantum acies oculorum videre potest, in pro-
fundo cerni. Quos si modicum commotio ma-
ris obtexerit, illo quiescente, rursus diuinitus
renouantur vt fuerant. Ita Gregor.

Paul. Oros.

Vestigia trāsitus relicta in mari rubro.

D. Gregor. Turon.

D

CAPVT XII.

MORALE.

De maris rubri transitu.

Dominus pugnabit pro vobis.

4

IN magnas angustias redacti sunt Israelitę, in-
ter incudem erant, & malleum: Pharao, eius-
que exercitus abeuntes insequebatur; mare ru-
brum fugam impediebat. At Deus pro summa
clementia sua, redactos in angustias, in magnā
eduxit latitudinē, iuxta illud Psal. 4. *In tribula-
tione dilatasti mihi*, &c. & illud Psal. 30. *Saluasti de
necessitatibus*, Hebraicè צרות, *saroth*, id est, *angu- E
stiis, animam meā, nec cōclusisti me in manibus ini-
mici, statuisti in loco spatioso pedes meos.* Eundē in
modum, in tribulatione illa dilatauit Hebręis
viam Deus, saluauit de necessitatibus, id est, de
angustiis, animas eorum, nec conclusit illos in
manibus inimici Pharaonis, statuit in loco spa-
tioso ac tuto pedes eorum in medio mari, & in
litore Arabico ex angustiis maximis eductos.
Erant in angustias adducta Hebræorū corpo-
ra: animi tot conspectis Dei miraculis in Ægy-
pto factis in latitudine esse debuerant, atque
sperare Deum, qui tot editis prodigiis, ex Ægy-
pti seruitute eos liberauerat, ex his etiam angu-
stiis eos esse liberaturū, sed desponderunt ani-
mum, & dixerunt ad Mosem, Exod. 14. *Forsitan*

Psal. 4.
Psal. 30.
Deus adiutor est in opportunitatibus.

Exod. 14.

*non erant sepulchra in Ægypto, ideo tulisti nos, vt
moreremur in solitudine?* Siccine, ô Hebręi, mira-
culorum, quæ paulò antè vidistis, obliti estis?
Aspicite columnam, quæ vos præcedit, nónne
scitis Deum esse vię vestrę ducem? Nihil timen-
dum est duce Deo, Psal. 26. *Si cōsistant aduersum
me castra, non timebit cor meum: si exurgat aduersum
me prælium, in hoc ego sperabo*, &c. Consistunt ad-
uersum vos Pharaonis castra, ne timeat cor ve-
strum; si ille prælium inferat, in Deo sperate,
animumque ne despondeatis. Audite Mosem:
Dominus, inquit, *pugnabit pro vobis, & vos tace-
bitis*, neque gladium distringetis, neque hastam
aut sagittam in hostes coniicietis, omnes verò
vita priuatos videbitis.

Psalm. 26.

2

Pusilli animi est aduersis rebus frāgi, magni
animi est in angustiis tribulationis dilatatum
habere animum. Audiamus animosum Paulū
2. Corinth. 4. *In omnibus*, inquit, *tribulationē pa-
timur, sed non angustiamur*, &c. Origenes ad Ro-
man. 5. Vt scias, inquit, quod iustorum tribula-
tio non angustiat animi virtutem, sed dilatat,
audi Apostolum, quomodo ista distinguat: *In
omnibus*, inquit, *tribulationem patimur, sed nō an-
gustiamur.* Neque enim angustiari potest, qui
virtutibus dilatatur, &c. Verba illa Psal. 4. *In
tribulatione dilatasti mihi*, D. Chrys. ita exponit:
In ipsis angustiis tribulationis cordis dilatatio-
nem tribuisti mihi. Chrysost. Non dixit Deo
Dauid: Non passus es me incidere in afflictio-
nem, aut effecisti, vt celeriter transiret afflictio,
sed ea manente dilatasti mihi. Quod accidit in
tribus pueris, Dan. 3. Nec enim obstitit, quo mi-
nùs iniicerentur in fornacem, nec, cùm essent
iniecti, flammam extinxit, sed ardente camino
latum spatium prębuit, &c. Dan. 13. *Ingemiscens
Susanna ait: Angustiæ sunt mihi vndiq;.* At in ipsis
angustiis constituta, dilata voluntate respon-
dit: *Melius est mihi absque opere*, (id est, peccato)
*incidere in manus vestras, quā peccare in conspectu
Domini.* Fælix, qui in angustiis positus, non ita
premi se patitur, vt peccatū committat, & cùm
Susanna dicit: *Angustiæ mihi sunt vndique: sed me-
lius mihi est omnia pati, quā peccare in conspectu Dei
mei.* De illa eodem capite legitur, cùm in iudi-
cium ducta esset, flens *suspexit ad cælum. Erat
enim cor eius fiduciam habens in Domino.* Habuit
cor eius fiduciam in Domino in angustiis ma-
gnis: succurrit Dominus, & latā fecit illi viam.
Fiducia habenda est in Deo in mediis angu-
stiis, imò tunc animus erigēdus magis, & fidu-
cia augenda. D. Bernardus epist. 256. ad Euge-
nium: Legi, inquit, apud quendam sapientem,
non est vir fortis, cui nō crescit animus in ipsa
rerum difficultate, ego autem dico fideli homi-
ni magis, & inter flagella fidendum, &c. Disca-
mus Dei sperare auxilium, etiam si à tergo Pha-
rao vrgeat tartareus, & à fronte difficultas ali-
qua magna, velut mare rubrū, sese opponat. In
Deo confidamus, & speremus, qui per ipsum
mare rubrum viam potest facilè aperire. Audia-
mus suauissima illius verba, Psal. 90. *Quoniam in
me sperauit, liberabo eum, protegam eum, quoniam
cognouit nomen meū. Clamauit ad me, & ego exau-
diam eū, cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum,
& glorificabo eum.*

2. Cor. 4.
Origenes.
Magni animi est non frangi aduersitate.

Psal. 4.
D. Chrysost.

Daniel. 13

D. Bernard.
Crescat animus in difficultatibus.

Psal. 90.

3

Caueamus in angustiis omnem, vel aduersus
Dei prouidentiam, vel aduersus superiores
murmurationem. 1. Reg. 23. Saul Dauidem in
eas adduxerat angustias, vt desperaret, se posse
euadere. Iam in modum coronę ipse, & milites
eius

Cauenda in tribulatione murmuratio.

eius Dauidem circundabant, omni ex parte, sed A
Deus in magnis his angustiis viam latam ape-
ruit. Nuntius venit ad Saul, vt dicitur eodem
cap. dicens: *Festina, & veni, quoniam infuderunt
se Philisthijm super terram. Reuersus est ergo Saul
desistens persequi Dauid*, &c. *Vocatus autē est locus
ille petra diuidens.* Hoc loco mare rubrum diui-
sit Deus fugientibus Israelitis: illo verò loco
diuisit Saul persequentem à Dauide, idcirco
dicta est petra diuidens. Diuidit enim Deus,
& separat à viris iustis, quę illis obstant impe-
dimenta. Marci 16. aiebant fæminæ, quę corpus
Domini vngere desiderabant: *Quis reuoluet nobis
lapidē ab ostio monumenti?* ante oculos posuerunt
impedimentum optatæ vnctionis; etenim, vt B
ait idem Euangelista, *erat magnus valde lapis*
quo clausum fuit sepulchrum, sed addit: *Respi-
cientes viderunt reuolutum lapidem.* Magnæ sese
offerunt difficultates Christo seruire cupienti-
bus, magni se offerunt lapides reuoluendi, sed
qui constanti fuerit, & excelso animo, Deo ad-
iuuante, reuolutos videbit lapides, apertaque
maria. Vt enim ait Petrus epist. 2. cap. 2. *Nouit
Deus pios de tentatione eripere*, &c. *Dominus pu-
gnabit pro vobis*, ait Moses. Et D. Augustin.
serm. 89. de temp. Sic operari, inquit, Deus
suis assueuit, vt vbi defecerit humanum con-
silium, illic intercedat diuinū adiutorium, &c.

Aperit Deus viam in tribulatione.

Marc. 16.

1. Petr. 2.

D. August.

Quid clamas ad me?

4

Non despondit animum Moses in summo
discrimine, sed ardenti corde ad Deum cla-
mans, auxilium postulauit. Clamaueritne voce C
magna, an solo corde, Scriptura non aperit, so-
lùm ait, Deum dixisse ad Mosem; *Quid clamas
ad me?* Quod intelligi potest de clamore oris, &
vocis, sed Patres de clamore cordis interpre-
tantur, sentiuntque, non voce, sed corde feruē-
te clamasse Mosem. D. Hieronymus ad Gal. 4.
Dicitur (inquit) ad Mosem: *Quid clamas ad me?*
cùm penitus Mosi vox nulla præcesserit, ve-
rum compunctum cor, & pro populo ingemi-
scens, Scriptura clamorem vocauit, &c. D.
Chrysost. hom. de Chananæa: Moses ad Deum D
mente clamabat, & vox penitus non audieba-
tur, ideo Dominus dicit ad eum: *Quid clamas ad
me?* &c. Idem ait Orig. in Exod. August. quæst.
52. D. Gregor. D. Bernard. & alij. Nyssenus:
Monet (inquit) Moses, vt arbitror, sonorā es-
se illam vocem, & vsque ad diuinas aures ma-
gnitudine sua peruenire, quę non contentione
clamoris, sed puritate cordis, sua meditatione
concipitur, &c. In auribus Dei magnus clamor
est cordis, ideoque, etsi submissa oremus voce,
dicimus tamen: *Domine exaudi orationē meam:
& clamor meus ad te veniat.* Commendat locus E
hic orationis feruorem; is enim cordis est cla-
mor, tunc ad Deum clamamus, cùm ardenter
oramus, tunc submissa vox est, cùm frigidè pre-
camur. D. Bernardus serm. 16. in Psalmo 90. In
Dei, inquit, auribus desiderium vehemens, cla-
mor est magnus; remissa autem intentio vox est
submissa. Magis intuetur cor Deus: ad cordis
potius vocem, quàm corporis aures eius. hinc
est, quòd Moses foris tacens, intus auditur, di-
cente Domino: *Quid clamas ad me?* &c. D.
Gregor. lib. 1. Regum, cap. 7. Quid, inquit, est
clamor Samuelis, nisi in supplicatione pontifi-
cis magna virtus desiderij? vnde ad tacentem
labiis Mosen, licèt populi subditi salutem fer-
uenti deuotione cupientem, à Domino dicitur:

Clamor Mosis clamor cordis.

D. Hieron.

D. Chrysost.

Greg. Nyss.

Oratio feruēs clamat.
D. Bernard.

D. Gregor.

Quid clamas ad me? &c. & Psal. *Domine ne in fu-
rore.* Cor, inquit, idem clamorem emittit, cùm
charitas feruet, &c. Ibidem: Frigescente cha-
ritate, cor à bonis silet, &c. Item: Qui Deum
desiderat, ad ipsum cordis voce clamare non
cessat, &c. Ferueat ergo in nostris cordibus cha-
ritas, ferueant Dei desideria: ad Deum corde
semper clamemus, præsertim verò cùm Pharao
nos insectatur: quanto maior tentatio est, tantò
maior clamor sit. Vsq; ad rauim clamabat, qui
Psalm. 68. dicebat: *Laboraui clamans, raucæ factæ
sunt fauces meæ.* Vsque ad raucedinem cordis, &
gutturis clamandum est ad Deum, hoc est, ma-
gna contentione, & vi animi. D. Hieronymus
mansione 5. Ægyptij, inquit, & Pharao, rursus
occurrunt, vnde discimus, cauendas semper in-
sidias, & inuocandam misericordiam Dei, vt
insequētem Pharaonem possimus effugere, &c.

Dei desiderium clamor est.

Psal. 68.

D. Hieron.

*Post tergum stetit inter castra Ægyptiorum
& castra Israel.*

5

Præcedebat Angelus Israelitas, velut eorum
præses, & dux: vbi autem periculum vidit, post
tergum Israelitarum stetit, hostibusque se op-
posuit, & nubem, velut murum fortissimum,
siue turrim munitissimam. Discant hinc præ-
lati, in periculis oues non deserere, sed pro oui-
bus, periculis se fortiter obiicere. Nam, vt dici-
tur in Glossa interlin. Angelus Israelitarum ca-
stra præcedens doctores significat qui verbo &
exemplo præcedunt castra Christi. Superue-
nientibus autem Ægyptiis, retrorsum adiit an-
gelus, opposuitque se hostibus: sic doctores, &
prælati, persecutionis tempore, persequenti-
bus se opponunt, veluti murum, pro subiectis.
Ioan. 10. mercenarius videt Pharaonem veniē-
tem, & dimittit castra, & fugit. Qui autem pa-
stor est vt Moses, ad Deum clamat, seque om-
nibus obiicit periculis, vt oues seruet. Ezech. 13.
de fallis prophetis & mercenariis legitur: *Non
ascendistis ex aduerso, nec opposuistis murum pro do-
mo Israel*, &c. Quæ verba oues negligentibus
pastoribus rectè conueniunt. Nubem, ait Glos-
sa, adumbrare scientiam Scripturarum. Quē ad-
modū ex nube angelus aduersus Ægyptios ful-
minibus dimicauit: sic ex Scriptura dimicāt do-
ctores & prælati aduersus hostes stygios & hæ-
reticos, aduersusque vitia omnia. Obscura erat
nubes Ægyptiis, Hebręis splendida: sic Scriptu-
ra sacra hæreticis obscura est, quia ab ipsis non
intelligitur: Orthodoxis splendida, quia à Spi-
ritu sancto illis illuminatur.

Prælatus bonus oues defendit.

Ezech. 13

Scriptura sacra nubes est, ex qua pugnant Catholici aduersus Ægyptios.

Pharao persecutus est filios Israel.

6

Pœnituit Pharaonem, quòd populum di-
misisset, obdurauit cor suum, cor obduratum
ad meritas illum pœnas duxit dignas obdurato
corde. Descendit enim in profundum maris, vt
ait Moses in cantico, *quasi lapis durissimus.* Coe-
gerant Ægyptij, vt diximus suprà, Hebræos ex
Ægypto exire: non diu in sententia permanse-
runt; difficilè est enim, quæ nobis vtilia sunt re-
linquere. *Quid voluimus facere* (ait Pharao Exod.
14.) *vt dimitteremus Israel, ne seruiret nobis?* Vt
igitur abeuntes in captiuitatem reuocarent, il-
los insecuti sunt, vt seruos fugitiuos, Sap. 19.
*Adhuc inter manus habentes luctum, & deplorantes
ad monumenta mortuorū, aliam sibi assumpserunt
cogitationem inscientiæ, & quos rogantes proiecerant,
hos, tanquam fugitiuos, persequebantur.* Primogeni-
torum luctum adhuc Ægyptij inter manus, &

Difficile est vtilia relinquere.
Exod. 14

Sap. 19.

 ante

ante oculos habebant, adhuc eorum cædem deplorabant, quos sciebant idcirco occisos, quòd Hebræos non dimitterent, sed cogitationē inscientiæ, id est, stultam & insipientem, assumpserunt persequēdi eos, quorum causa tot plagis erant affecti: cordis obcæcatio obliuionem illis plagarum iniecit, vt dicitur Sap. 19. *Horum* (inquit) *quæ acciderant, cōmemorationem amittebant, vt quæ deerant tormentis, repleret punitio. Et populus quidem tuus mirabiliter transiret: illi autem nouam mortem inuenirent.* Nouā appellat mortem Pharaonis, & Ægyptiorum in mari rubro, quia admirabili modo contigit, obruto fluctibus exercitu per miraculum. Noluit resipiscere Pharao, sed cogitationem inscientiæ, id est, cogitationem insipientem, sibi assumpsit persequendi Hebræos, tandem periit. Euasit multas plagas; si quieuisset, etiam hanc euasisset: quia verò cogitationem suscepit stultam, omnino periit.

Obliuio plagarum Dei. Sapient. 19.

7. Caueamus cogitationes stultas reuertendi ad peccatum, ne tandem iratus Dominus pœnam mortis subitò inferat. iuxta illud Eccles. 5. *Subitò veniet ira illius* (id est, Dei,) *& in tēpore vindictæ disperdet te.* Itē: *In peccatores respicit ira illus.* Ierem. 2. *Arguet te malitia tua, & auersio tua increpabit te.* Eccles. 3. *Ne adycias peccatum super peccatum.* Peccatum super peccatum adiicit peccator: tandem impleto mensurā, extremūmque recipit supplicium, iuxta illum Gene. 15, *Necdum completæ sunt iniquitates Amorrhæorum, vsque ad præsens tempus.* Quasi dicat, postquam impletæ fuerint, supplicium recipient. Cōsidera, cùm adiicere vis peccatum peccato, ne fortè illud sit mensuræ tuæ complementum, quo adiecto disperdaris. Adiecit Pharao peccatū peccato, impleuit peccatorum mensuram hac extrema persecutione: impleuit etiam mensurā dierum vitæ suæ, vndis demersus. Illud obserua Sap. 19. *Horū quæ acciderant, commemorationem amittebant.* Obliuiscebātur Ægyptij plagarum, quas in Ægypto acceperant, ideo furore acti Hebræos insequebantur. Idem nobis contingit, ideò enim peccatū peccato adiicimus, quia memoriam suppliciorum Dei amittimus, quia tartareos rogos ante oculos nō proponimus, pœnęque æternitatem non consideramus. Eccles. 7. valdè suppliciorum imminentium memoria commendatur: *In omnibus*, inquit, *operibus tuis memorare nouissima tua.* Vide, quàm velit esse continuam hanc memoriam mortis, iudicij, ac gehennę: *In omnibus operibus nostris* vult nos horum meminisse. Cur ita? propter magnum emolumentum, quod huiusmodi affert memoria; ideo sequitur: *Et in æternum nō peccabis.* ô magnum emolumentum, in ęternum non peccare! Deo enim iuuante, sic hæc meditatio animum corroborat, vt peccata omnia mortifera toto conatu fugiat, toto vitæ tempore, etiamsi illud sit multorum annorū: post mortem verò non peccet, per totam æternitatem. Vt ignis argentum expurgat, nitidumque reddit: sic orci ignis, si cōsideretur, expurgat vitiis pectus, purumque efficit. Vnde D. Chrysost. 2. Thess. hom. 2. Gehennæ, inquit, ignis quouis argento mundiores nobis animas facit, &c. Angelus ex nube aduersus Ægyptios ignea fulmina iaculabatur. Nubes, quæ nobis viam cælestem demōstrat, & ex qua nobis loquitur Deus, fides est Catholica: ex hac nube præliari nos docet D. Petrus epistola 1. cap. 3. aduersus stygium Pharaonem. *Cui*, inquit, *resistite fortes in fide.* Angelus ex nube fulminibus igneis prælibatur: nos ex fide, tartareo igne confectis iaculis decertemus.

Eccles. 5. *Ierem. 2.* *Eccles. 2.* *Casus in peccatum cauendus.* *Genes. 15.* *Sapient. 19.* *Obliuiscimur tormētorum, & supplicij, ideo peccatum non cauemus.* *Eccles. 7.* *Gehenna memoria.* *D. Chrysost.* *Ex fide aduersus hostes pugnandum igne tartareo.* *1. Petr. 2.*

Fugiamus Israelem.

8 Putabant Ægyptij, cùm mare sunt ingressi, viam illam esse tutissimam, tandem verò maximis se periculis circumdatos viderunt, & clamarunt, *fugiamus*, &c. sed vt est in prouerbio, *sero sapiunt Phryges.* En tibi imaginem hominum, qui, dum viuunt in vitiis pericula viæ nō considerant: in morte autem cùm se vident doloribus circumuallatos, clamant, *fugiamus.* Prouerb. 14. *Est via quæ videtur homini iusta, nouissima autem eius deducunt ad mortem* Hebraicè: *Est via recta ante faciē hominis.* Videbatur Ægyptiis recta via, qua incedebant in mari rubro, nouissima autem eius deduxerunt eos ad mortem. Eccles. 21. *Via peccatorum complanata lapidibus, & in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ*, &c. Videbatur Ægyptiis via maris tuta, complanata, ac constrata lapidibus, exultantes ad spolia per illam properabant, iuxta illud canticī Mosis: *Persequar, & comprehēdam, diuidam spolia, implebitur anima mea.* Sed in fine viæ inferos repererunt, tenebras, & pœnas sempiternas. Qua via gradierentur, nō considerarunt, noctu in tenebris illam ingressi sunt: sic peccatores qua via gradiantur, nō considerant, tenebris vitiorum obcæcati viam tartari ingrediuntur, suspensos fluctus non vident, quibus in fine viæ obruuntur. Pugnat aduersus illos obscura mortis nubes, tunc clamant, *fugiamus*, vtinā ex corde syncero clament. Nō potuerunt Ægyptij fugere fluctuum demersionem, etsi maximè cuperent: possunt tamen peccatores fugere tartareos fluctus, cùm mortis caliginosa pugnat nubes, possunt ad Deum per veram pœnitentiam confugere. Sed oro illos, vt considerent, quanti sit momenti, æternos cruciatus euadere, æternam verò gloriam consequi. Precor, ne tantum negotium in extremum periculum differant. Dū vita & sanitas suppetit, clament: fugiamus peccatum, fugiamus tormenta sempiterna, agamus veram pœnitentiam.

Via qua gradimur considerandā. *Prouerb. 30.* *Prouerb. 14.* *Eccles. 21.*

Inuoluit eos Dominus in mediis fluctibus.

9 Similes sunt Reges impij leonibus, vt constat ex cap. 19. Ezech. in quō Reges Iuda leones appellantur: à gentibus verò aduersus eos pugnantibus bello capiuntur, & cap. 32. de Pharaone Rege Aegypti sic loquitur Dominus: *Leoni gentium assimilatus es, & draconi, qui est in mari* (id est, ceto marino) *expandam super te rete meū in multitudine populorum multorum, & extraham te in sagena mea, & proijciam te in terrā.* Erat Rex ille Aegypti leoni similis, & marino ceto: leonem venatus est Dominus, cetum marinum est expiscatus bello. Sæuos enim huiusmodi leones, qui populum vexant, venatur, sæuosque maris dracones, & Nili crocodilos expiscatur. Leo erat Pharao, de quo Moses agit, venatus est illum Dominus, modo quodam admirabili, laqueum in mari posuit; veluti esca ad quam inhiabat, Israelitæ fuerunt; properauit ad escam leo, mirabiliter cadentibus pelagi fluctibus, velut in muscipula, captus est. Draco erat marinus sue Nili immanis crocodilus: expandit Deus super eum rete suum, non in multitudine populorum multorū, sed in multitudine fluctuū, & extraxit illum in sagena sua, & proiecit in litus Arabicum, escamque fecit populis Æthiopū. Psal. 73. *Tu confirmasti in virtute*, (id est, potentia tua) *mare* (rubrum) *cōtribulasti capita draconum in aquis. Tu cōfregisti capita draconis, dedisti eū escam populis Æthiopum.* Dracones appellat Ægyptios, vel eorum duces, draconem Regem Pharaonem, quorum capita in aquis maris rubri contrita sunt. Dati verò dicuntur in escam populis Æthiopum, id est, populis coruorum, vel feratum. Appellatur enim populus etiam multitudo volucrum, vel ferarum, Prouerb. 30. *Formicæ dicuntur populus infirmus.* Ibidem, *Lepusculus plebs inualida*, &c. Aliqui aiunt, datos esse Ægyptios in escam, id est, in prædam populis Æthiopum, vt eos spoliarent. Dicendum potiùs Arabes, qui post mare rubrū Arabiam incolebant, dici Æthiopes, Hebraicè, צִיִּים *sim*, id est, *solitudo*, & *siccitas*. Sēsus erit: Dedisti Pharaonem, & Ægyptios in prædam populis Arabiæ, quia illos Deus impulit in litus Arabicum, vbi erant Israelitæ in deserto arido. An verò *soli Israelitæ eos spoliarint*, dubium est. Iuxta hunc sensum fieri potuit, vt etiam Arabes accesserint, & præda potiti fuerint. Habes imaginem mortis impiorum. In cantico Moses: *Descenderunt*, inquit *in profundum quasi lapis, submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus*, &c. Eundem in modum impij descendunt in profundum tartarum, quasi lapis, grauissimumque plumbum. Nihil enim est peccato grauius.

Reges impij similes sunt leonibus. *Ezech. 32.* *Pharaonem Deus velut leonem venatus est, & velut cetum expiscatus.* *Psal. 73.* *Impij descendunt in profundum barathrū quasi plumbum.*

Nec vnus quidem superfuit ex eis.

10 Ex Ægyptiis nullus superfuit, omnes in pelago rubro submersi sunt: sic rubro pelago sanguinis Christi peccata omnia submerguntur. Mich. 7. *Proijciet in profundū maris omnia peccata nostra.* In baptismo quidem ita obruuntur, vt neque culpa, neque pœna remaneat. In Sacramento verò Pœnitentię tantus esse potest dolor, vt idem contingat, sed ferè semper deleta culpa, soluenda manet pœna aliqua. D. Gregor. Nyssenus in vita Mosis: Oportet, inquit, omnes, qui sacramentalem baptismatis aquam transeunt, vniuersum vitiorum exercitum in aqua occidere, &c. Item: Sacramentalis aquę baptismi poprium est, diaboli pernicioſi, ac exercitus eius destructio, &c. Et D. Gregorius Magnus lib. 9. epist. 89. Si, inquit, fatetur Ægyptios veraciter mortuos, fateatur necesse est, peccata in baptismate fūditus mori. Quia plus valet in absolutione nostra veritas, quàm vmbra veritatis, &c. ô fœlicem hominem, qui Ægyptios hostes insequentes videt in litore mortuos, hoc est, qui peccata sua videt omnia suffocata Christi sanguine videt, inquam, probabili quadam mentis visione, videt, & spoliat. Sed quænam peccatis spolia detrahi possunt? Egregia spolia sunt gratiarum actio, humilitas, in Deum charitas, & alia similia. Qui enim peccata sua mortua cernit, gratias Deo immortales agit, animum submittit, Deum à quo sunt suffocata, amore magno complectitur, pœnitentiæ opera exequi nititur. Caue, cùm cōfiteris, ne Ægyptius aliquis euadat, hoc est, caue, ne aliquod peccatum mortiferum fileas. Si enim vnum solum crimen mortiferum taceas, nullū Christi sanguinis rubrū mare demerget, omnia confitenda sunt, & in pelagus proiicienda: si vnū tantùm in pelagus non proiicias, nullum proiecisti, imò nouum tibi hostem addidisti.

Mich. 7. *Christi sanguine omnia submerguntur peccata per baptismū & pœnitentiam.* *Nyssenus.* *D. Gregor.* *Peccata quomodo spoliantur.* *Omnia peccata confitēda.*

Ingressi sunt filij Israel per medium sicci maris.

11 Antequam in orbem Christus veniret, iteneri in terram repromissionis nostræ, id est, in cælum, obiectum erat, veluti mare quoddam profundissimum, quod nemo tranare poterat, hoc est, peccatorum pelagus, instante à tergo hoste stygio. Venit de cælo noster Moses, IESVS, id est, Saluator, virgam extulit crucis super mare profundissimum, quod claudebat viam, itque in cælum etiam infantibus per baptismi vndas mirabiliter aperuit Maris rubri aquę baptismi aquas adumbrant, vt D. Hieron. & alij aiunt, epist. 83. ad Oceanum: Pharao (inquit Hieronymus) cum exercitu suo nolens populum Dei exire de Ægypto in typo baptismatis suffocatur. &c. Et D. Gregor. lib. 9. epist. 39. Maris, inquit, rubri transitus, figura sancti baptismatis fuit, in quo hostes sunt mortui, &c. Hoc ex D. Paulo colligitur 1. Corinth. 10. *Patres*, inquit, *nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube, & in mari.* D. Cyprian. epist. 76. Pharao, inquit, cùm venisset ad aquam, extinctus est. Mare autem illud sacramentum baptismi fuisse declarat Apostolus, dicens: *Patres nostri omnes sub nube fuerunt*, &c. Patres appellat Hebræos, qui Ægypto egressi sunt: omnes illi sub nubis protectione fuere, vt suprà dictum est. Præterea omnes in Mose, id est, ducente illos per mare Mose, sub nube, quę aquarum parens est, baptizati sunt in figura, & typo: Baptismi enim typum tunc exhibuerūt. Alij per nubem indicari credunt Spiritum sanctum, iuxtā illud Pauli Rom. 8. *Quicumque spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei.* Vt nubes illa Israelitas ducebat, sic Dei filios Spiritus sanctus ducit. D. Gregor. Nyssenus in vita Mosis. Nube (inquit) multi ante nos Spiritus sancti gratiam significari rectè asseuerarunt. A spiritu enim ad bonum reducimur; qui sequimur spiritum, per aquem baptismi pertransimus, &c. Theodoret. Illa, inquit, erant nostrorum typus; ita re enim imitabatur piscinam seu lauacrum, nubes autem gratiam spiritus, Moses sacerdotem, virga crucem, Israel eos, qui baptizantur. Ægyptij persequētes implebant figuram dęmonū, Pharao erat imago diaboli. Sic ille. Quemadmodū per aquas maris rubri Israelitæ in terram promissam transierunt: ita Christiani per aquas baptismi in cælum promissum transeunt. Quemadmodum maris rubri aquę omnes Ægyptios demerserunt: sic baptismi aquæ, Christi sanguine rubefactę, omnia peccata obruunt. Psal. 105 *Vnus ex eis*, id est, Ægyptiis, *non remansit*, &c. Exod. 14. *Nec vnus quidem superfuit ex eis*, &c. Eundem in modum nullum superest ex peccatis, si ritè homo baptizetur. Sap. 19. *In mari rubro via sine impedimento*, &c. Sic in baptismo via apparet in cælum sine impedimento culpæ vllius aut pœnæ. Omnis enim culpa, omnisque peccatorum pœna salutifera illa aqua submergitur. Martyrum quoque mare sanguinis est rubrum, in eo omnia submerguntur peccata, & patet via in cælum sine impedimento.

D. Hieron. Maris rubri aquæ, aquarum baptismi fuere vmbra. *D. Gregor.* *1. Cor. 10.* *D. Cyprian.* *Rom. 8.* *Greg. Nyss.* *Theodor.* *Psal. 105.* *Exod. 14.* *Sapient. 19.*

Ambulauerunt per siccum in medio eius.

12 Ex cantico Mosis sumpta sunt verba hæc, quæ indicant, viros prudentes, sęque saluti consu-

consulentes, in mediis huius mundi fluctibus, sicco transire pede, neque mundi vitiis, cupiditatibus, aut negotijs absorberi. Vnde D. Gregor. lib. 6. epist. 23. cap. 187. ad Theotistum & Andream: Gratias, inquit, ago Deo, quia hoc in vobis impletum video, quod de patribus scriptum est, Exod. 15. *Filij autem Israel ambulauerunt per siccum in medio eius.* Ad repromissionis patriam, inter vndas causarum secularium siccis, vt video, gressibus ambulatis. Agamus gratias spiritui, qui corda, quæ implet, leuat, qui inter tumultus hominum solitudinem in mente facit. Sic Gregor. Præterea cernitur hoc in viris religiosis. In medio mundi ambulant per siccum, qui nullis demergũtur sceleribus, nullis obruuntur mundi desideriis. Origen. hom. 6. Et tu, (inquit) si filius Israel es, potes ambulare per siccum in medio maris: si fueris in medio nationis prauæ, & peruersæ sicut lumen solis, verbum vitæ continens ad gloriam. Qui Ægyptius est, & sequitur Pharaonem, vitiorum fluctibus mergitur. Qui verò sequitur Christum, & sicut ille ambulauit, ita ipse ambulat, aquæ ei murus fiunt dextra, læuaque, ipse autem media via incedit per siccum. Sic ille. In

D. Gregor.

Exod. 15.

In medio mari mundi huius sicco pede transeunt multi: alij demerguntur. Origen.

A mari hoc mundi multas aperuit Deus vias, id est, multas religiosorum familias, per quas sicco pede cælum possimus petere, Pharaonemque fugere, prçeũte columna nubis, id est, obedientia sub iugo Christi. In his religionibus miracula hęc renouantur spiritualiter, quæ Dominus olim in Ægypto edidit corporaliter. D. Bern. serm. 39. in Cant. Nunc, inquit, magnificentiùs triumphatur, quòd, quę illic corporaliter præcesserunt, hîc spiritualiter adimplentur. Annon tibi multò fortiùs, & gloriosiùs videtur, diabolum prosternere, quàm Pharaonem, & aereas potestates debellare, quàm currus Pharaonis subuertere? B Ibi pugnatum est aduersus carnem & sanguinem: hîc aduersus principes, & potestates, & mundi rectiores tenebrarum harum. Ibi populus eductus est ex Ægypto; hîc homo de sæculo. Ibi prosternitur Pharao: hîc diabolus. Ibi subuertuntur currus Pharaonis: hîc carnalia, & sæcularia desideria, quæ militant aduersus animam, subruuntur; illi in fluctibus, ista in fletibus. Puto & nunc clamitare dæmonia (si fortè contingat incidere in talem animam) fugiamus Israelem, quia Dominus pugnat pro eo. Ita Bernardus.

Multæ sunt in mari viæ in cælum.

D. Bernard.

Religiones viæ sunt in cælum.

CAPVT XIII.

De Cantico Mosis.

EXODI CAP. XV.

TVnc cecinit Moyses, & filii Israel carmen hoc Domino, & dixerunt: Cantemus Domino, gloriosè enim magnificatus est, equum, & ascensorem deiecit in mare. 2 Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem. Iste Deus meus, & glorificabo eum, Deus patris mei, & exaltabo eum. Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen eius, currus Pharaonis, & exercitũ eius proiecit in mare. Electi principes eius submersi sunt in mari rubro, abyssi operuerunt eos, descenderunt in profundũ quasi lapis. Dextera tua Domine magnificata est in fortitudine. Dextera tua Domine percussit inimicũ, & in multitudine gloriæ tuæ deposuisti aduersarios tuos. Misisti iram tuam, quæ deuorauit eos, sicut stipulam, & in spiritu furoris tui congregatæ sunt aquæ. Stetit vnda fluens, cõgregati sunt abyssi, in medio mari. Dixit inimicus: Persequar, & comprehendam, diuidam spolia, implebitur anima mea. Euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea. Flauit spiritus tuus, & operuit eos mare, submersi sunt quasi plumbum in aquis vehementibus. Quis similis tui in fortibus Domine? Quis similis tui? magnificus in sanctitate, terribilis atque laudabilis, faciens mirabilia. Extendisti manum tuam, & deuorauit eos terra: Dux fuisti in misericordia tua, populo quem redemisti. Et portasti eum in fortitudine tua, ad habitaculum sanctum tuum. Audierunt populi, & irati sunt: Dolores obtinuerunt habitatores Philisthiim. Tunc conturbati sunt principes Edon, robustos Moab obtinuit tremor, obriguerunt omnes habitatores Chanaan. Irruat super eos formido, & pauor in magnitudine brachii tui: Fiant immobiles quasi lapis, donec pertranseat populus tuus Domine, donec pertranseat populus tuus iste, quem possedisti: Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es Domine. Sanctuarium tuum Domine, quod firmauerunt manus tuæ, Dominus regnabit in æternum, & vltrà. Ingressus est enim eques Pharao cum curribus, & equitibus eius in mare: & reduxit super eos Dominus aquas maris. Filii autẽ Israel ambulauerunt per siccum in medio eius. Sumpsit ergo Maria prophetissa soror Aaron tympanum in manu sua, egressæque sunt omnes mulieres post eam, cum tympanis, & choris, quibus præcinebat.

a DVo cantica fecit Moses; alterum Exod. 15. post transitum maris rubri: alterum paulò ante mortem, Deuter. 32. illud posterius difficilius est explicatu, hoc prius parum habet C difficultatis. Id enim continet Dei admirandum opus, in quo hactenus versati sumus. ἐπινίκειον est, siue victoriale carmen, propter victoriã de Pharaone reportatam, decantatum. Aliquot habet

habet præcellentias. Prima hæc est, canticum hoc Mosis primum est canticum sacræ Scripturæ, vt iam olim obseruauit Origenes hom. 6 Multa, inquit, cantica fieri legimus in scriptutis diuinis, horum tamen omnium primum istud est canticum, &c. Secunda præcellentia ab auctore sumitur. Fuit enim eius auctor præcellentissimus propheta, duxque Israelitici populi Moses, Deo familiarissimus, eodem inspirante Deo. Tertia ex materia ducitur prçclarissima. Namque in eo victoria Dei, tam de Ægyptio, quàm de stygio Pharaone decantatur. Sap. 10. *Victricem manũ tuam laudauerunt pariter*, &c. Quarta ex cantoribus existit. Cantores enim fuere omnes Israelitæ; prçcinebat verò viris Moses; fæminis soror eius Maria. Quintã B suppeditat miraculum, quod significari videtur Sap. 10. his verbis: *Decantauerunt nomen tuum, quoniam sapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit disertas.* Ecce Scriptura docet ad canendum aperta fuisse ora mutorum, & linguas infantium factas esse disertas, quod magnum fuit miraculum; verborum verò proprietas hunc sensum indicat. Quid mirum si tot miris addiderit Deus etiam hoc mirum? Obiicies, Psal. 104. dicitur: *Non erat in tribubus eorum infirmus.* Ergo nulli erant muti inter Hebræos, eo tempore, quo cecinerunt Deo laudem. Responderi potest, in psalmo dici infirmos eos, qui aliquo morbo laborabãt, iter impediente: mutos autem facilè posse iter facere. Dionys. Carthusianus hunc sensum dubitanter sequitur. Sapientia, inquit, excitauit Israelitas ad Dei præconium, quia anteà laudibus Dei quasi muti fuerunt, neque contra AEgyptios loqui audebant: & forsitan aliqui muti tunc loqui exorsi sunt: forsitan etiam anticipatus est quibusdam infantibus linguæ vsus in laude hac Dei. Sic ille. Lyranus, & alij, verba à sua proprietate ad metaphoram ducunt, aitque mutos, & infantes significare Hebræos. Sensus est: Sapientia diuina aperuit linguas mutorum, id est, Hebrçorum, qui viso Pharaone territi facti sunt veluti muti, & infantes imbeciles. Vel: Sapientia diuina aperuit ora Hebræorum, quia illis, veluti mutis, & velut infantibus imperitis, vocem cantici suppeditauit, eosque docuit carmen victoriale.

Præcellentiæ cantici Mosis.

Sap. 10.

Sap. 10. An muti tũc cecinerint?

Psal. 104.

Dion. Carth.

3 Sextam præcellentiam indicat aliud miraculum, quod commemorat Autor de mirabilibus sacrę Scripturæ, inter opera D. Augustini lib. 1. cap. 21. Accidit, inquit, dignum miraculum, vt cuncti pariter senes cum pueris, & omnes ætates eodem inspirante flamine, vno quasi ex ore, nulla præmunitione edocti, easdem concinentes literas decantarent in vnum, &c. Item: Quod per verbum, & studium ipsi facere potuerunt, consonum omnes carmen decantare in vno momento Dominus illis donauit, & in tali cantico eorum linguas, & ingenia gubernabat. Sic ille. Ait hic Autor, Israelitis inspirasse Deum verba omnia huius cantici, neque à Mose ea didicisse. Si miraculum factum est, facilè ostenditur, quónam modo totus Hebræorum populus, tam viti, quàm fęminę dicerint, & cecinerint canticum idem, absque vlla verborum discrepantia. Spiritu enim sancto afflati canebant omnes. Quòd si miraculũ non est certum, & receptum, quęritur, quem in modum carmen didicerint, & decantauerint simul tot virorum fæminarumq; millia. Non-

D. August.

Quonam modo tot viri & fæminæ canticum didicerint, & cecinerint.

A ne statim post victoriam carmen decantarunt? Quomodo ergo tam subitò illud memoriæ commendarunt? Præterea tot millium cantorum multitudo non videtur apta choro, & concentui. Quis ferat plusquam sexcenta hominum millia simul canentia, totque fæminas? Philo lib. 1. de vita Mosis, vniuersam multitudinem virorum in chorum vnum; fæminarum in chorum alterum, diuisam esse ait. Duos, inquit, choros statuerunt in litore, alterum virorum, alterum mulierum, cecineruntque hymnos gratulatorios, prçeunnte viris Mose, sorore verò eius mulieribus: nam hi choreas ductabant, &c. Hæc sententia Philonis non tollit illam tot vocum cõfusionem. Abulensis sic scripsit: B Postquam Moses carmẽ semel cantauit, & alios edocuit Israelitas, ipsi sæpius cãtauerunt, &c. Hæc opinio magis placet. Moses primus decantauit canticum solus, deinde Israelitas docuit: ipsi verò postea id cecinerunt.

Philo.

Abulens.

Ex scriptura colligi hoc potest, Mosem, & filios Israel cecinisse carmen: sic enim scriptum est Exod 15. *Tunc cecinit Moses & filij Israel carmẽ hoc Domino.* Postea verò quã illi cecinerunt, Maria, soror Mosis, illud cum cæteris fæminis decantauit. Postquam enim canticum totum descriptum est, Exdo. 15. sequitur: *Sumpsit Maria tympanum, egressæq; sunt omnes mulieres post eã cum tympanis, & choris, quibus præcinebat, dicens: Cantemus Domino*, &c. C Nõ ergo videntur fæminæ viris respondisse, vt vult Oleaster, quamuis possit quis ad recapitulationem confugere. Igitur postquam Moses, & viri gratias Deo egerunt, & triumphale carmen decantarunt, fæminæ, præcinente Maria, cum tympanis idem cãticum, vt viris posteriores, posteriùs dixerunt. Illud obseruandum, Israelitarum illam innumerabilem multitudinem non simul cecinisse canticum, sed dispertitam in choros, vt se inuicem intelligerent, & respondere alijs possent. 4

Exod. 15.

Exod. 15.

Quęritur deinde, *an canticum hoc soluta oratione decantatum sit, an ligata?* Iosephus lib. 2. Antiquit. cap. vlt. affirmanter respondet, & genus carminis indicat, D nempe hexametrum, hoc est, sex pedibus constans: Moses, inquit, carmen laudes Dei, & gratiarum actiones continens, hexametro versu composuit, &c. Neque verò hoc mirum est, cùm Moses eruditus fuerit omni sapientia Ægyptiorum; Ægyptij autem iam eo tempore vsi videntur versibus hexametris, & aliis. Nam ante Mosem librum Iob carmine maxima ex parte scripsit ipse Iob; nisi velimus Mosem, qui illum in Hebræum sermonẽ trãstulit, carmina composuisse, vt filiis Israel Ægyptiacã seruitute oppressis, consolationem afferret, E vt Origenes ait: Inuenimus, inquit, in antiquorum dictis, quòd, cùm Moses in Ægyptum à Deo fuisset missus, & vehementem afflictionem filiorum Israel videret, & consolari eos ab anxietate lamentabilis afflictionis nõ valeret, vehementes illos, ac terribiles Iob dolores pro consolatione illis enarrauerit, & in scriptura eos ponens illi populo dederit, vt hęc legentes, & beati viri dolores audientes, inuicem se consolarentur, & cum patientia, ac gratiarum actionibus, mala quæ eos circumdederant, sufferrent, & vt bonam remunerationem Domini, quam Iob post tolerantiam largitus est, audientes, etiam ipsi liberationem sperarent, &c. Esse autem scriptum librum Iob carmine maxima ex parte, testatur D. Hieronymus 5

An sit carmen hoc canticum? Iosephus.

Librum Iob dicitur scripsisse Moses, vt consolaretur afflictos Hebræos. Origenes.

Liber Iob carmine scriptus, & cantica scriptura.

D. Hieron.

mus in præfatione ipsius libri, quo loco etiam ait, cantica scripturæ carmine esse conscripta, illius hęc sunt verba: A principio voluminis, vsque ad verba Iob apud Hebræos prosa oratio est, porro à verbis Iob: *Pereat dies, in qua natus sum*, vsque ad eum locum, vbi scriptum est: *Idcirco ipse me reprehēdo, & ago pœnitētiam in fauilla, & cinere*, hexametri versus sunt, dactylo, spōdæoque currentes, & propter linguæ idioma crebrò recipientes alios pedes, non earundem syllabarum, sed eorundem temporum. Interdum quoque rythmus dulcis, & tinnulus fertur, numeris lege solutis, quod metrici magis, quàm simplex lector, intelligunt, &c. Hæc de libro Iob. De canticis verò, & aliis libris addit: Quòd si cui videtur incredulum, metra esse apud Hebræos, & in morem nostri Flacci, Grecique Pindari, & Alcæi, & Sapphus, vel psalterium, vel lamentationes Ieremiæ, vel omnia fermè Scripturarum cantica comprehendi, legat Philonem, Iosephum, Origenem, Eusebium Cæsariensem, & eorum testimonio me verum dicere comprobabit, &c. Et in præfatione chronici Eusebij: Quid, inquit, psalterio canorius? quod in morem nostri Flacci, & Græci Pindari, nunc Iambo currit, nunc Alcaico personat, nunc Sapphico tumet, nunc semipede ingreditur. Quid Deuteronomij, & Isaiæ cantico pulchrius? Quid Salomone grauius? Quid perfectius Iob? Quæ omnia hexametris, & pentametris versibus, vt Iosephus, & Origenes scribunt, apud suos composita decurrunt. Hæc D. Hieronymus.

Eugubinus.

Eugubinus in præfatione libri Iob sic Hieronymum interpretatur: Hieronymo, inquit, scribente librum Iob pedibus spondæo, & dactylo decurrere intelligendum est, non prorsus his pedibus, & eo syllabarum numero, sed quasi simili, cùm apud Hebræos, nō vt apud Græcos, & Latinos, tempora syllabarum numerentur; neque similia carmina habeantur, sicut non sunt apud Latinos rythmi Hetrusci, &c. Lege Eusebium lib. 11. de præparatione Euangelica, cap. 3. & D. Isidorum, lib. 6. etymolog. cap. 2. Eugub. in præfatione psalmorum. Denique lege Mendozam quæstione tertia expositarum, copiosè hac de re agentem.

6 Paucis dicimus, recentiores quidem Hebræos carminibus vti, certo aliquo pedum, & syllabarum numero constantibus, adhibereque rythmum, & similiter desinentia, quemadmodum Hispani adhibent. Exempla reperies in Institutionibus linguæ Hebrææ Cardin. Bellarm. part. 5. cap. 2. Quæ autem fuerit antiqua poesis, quam in scripturis ait D. Hieron. ignotum penitus esse etiam fatetur Cardin. Bellarm. loco citato, & Andreas Masius Iosue cap. 10. Quod ad syllabarum, inquit, mensuras, & tempora attinet, haud scio, an hodie aliquis vsquam sit, qui hæc habeat satis cognita. & addit Masius: Posui ego nonnihil studij in ea re inuenienda, sed frustra, &c. D. etiam August. epist. 131. fatetur se poësim psalmorum ignorare, quòd Hebraicam linguam non calleret, sed tamen doctis credere. Quibus (inquit) numeris consistant versus Dauidis, non scripsi, quia nescio. Neque enim ex Hebræa lingua, quam ignoro, potuit etiam inumeros nterpres exprimere, ne metri inecessitate amplius quàm ratio sententiarum sinebat, digredi cogeretur. Certis tamen eos constare numeris, credo illis, qui eam linguam probè callent. Amauit enim Dauid musicam sanctam. Hæc August. Credamus ergo D. Hieronymo, & reliquis, quamuis cùm Hebraicè cantica Hebręa legimus, numeros, & poësim non percipiamus, quæ iam penitus ingnoratur.

Andr. Mas.

Poesis Hebræorum antiquorū ignoratur.

D. August.

7 Si quęras, *an Moses fuerit primus carminis inuentor*: Respondetur, illius canticum primum esse eorum, quæ Scriptura continet, vt ex Origene iam supra diximus. Primum autem omnium, quæ composita in orbe sunt, fuisse, non videtur probabile. Verisimile enim est, ante Mosem fuisse carmina, & cantica, à gētibus inuenta, imò & ab Hebræis, Abraham, vel Isaac, vel Iacob. Quis enim nō credat, hos viros Deo sæpè cantica suauiter cecinisse, cùm tot ab illo beneficia receperint? Iam verò nónne Adamus primus parens à Deo sapientia exornatus est? nónne cantica sciuit componere? Quis ergo negabit, & composuisse, & decantasse, & post illum, filium Seth, & Enos, qui *cœpit inuocare nomen Domini*. Gen. 4. Credo equidem iam ante diluuium fuisse condita cantica permulta, ab iis, qui in Scriptura Filij Dei appellantur. Post diluuium verò tum à Patribus Hebræis, tùm etiam à Melchisedech sacerdote, cuius officium hoc exposcebat maximè. Præterea iam ante Mosem, Ægyptij sapientiam colebant; siquidem, vt Stephanus ait Act. 7. *Moses fuit excultus omni sapientia Ægyptiorum*. Verisimile ergo est, sapientes illorum carmina composuisse, & Mosem componere docuisse. Sunt nonnulli, qui nomen poetæ Hebraicum, aut Chaldaicum esse volunt, sed opinio sumpta est ex tenui similitudine nominis *paitan*, & *Poeta*. Præterea cùm nomen ποιητης Grecum, à verbo Græco ποιέω, id est, *facio*, deriuetur, quasi sit factor poëmatum, & à Græco sumatur Latinum Poëta, quid opus est ad Hebræos, vel Chaldæos nomen relegare, quod totum apertissimè Græcum est?

An canticum Mosis fuerit primum?

Actor. 7.

CAPVT XIV.
De Cantico Mosis.

Sumpsit Maria tympanum, egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis & choris.

1 PRius incipiente Mose, viri Israelitæ canticum Deo cecinerunt: postea Maria, sorore Mosis præcinente, fæminæ idem canticum decantauerunt, Exod 15. adhibitis tympanis, quibus in Ægypto vtebantur. Quidquid enim in Ægypto possidebant, extulerunt. Mos autē fuit apud Hebræos, vt fæminæ victorias canticis celebrarēt, qui fortè ex hoc loco emanauit, 1. Reg. 17. vbi victoriā Dauidis fęminę celebrarunt: *Egressæ sunt mulieres de vniuersis vrbibus Israel, cantantes, chorosq; ducentes, in occursum Saul Regis, in tympanis lætitiæ*, &c. & Psal. 67. *Præuenerunt principes coniuncti psallentibus, in medio iuuencularum tympanistriarum*, &c. In pompa enim illa populi principes præibant, cōiuncti psallē tibus cātoribus, in medio fæminarū, quæ tympanis & cantu Dei laudes personabant. Eodem psalmo: *Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa*, &c. Hebraicè מבשרות צבארב, *mebaseroth thsabarab*, vertit D. Hieronymus: Dominus dabit *verbum annuntiatricibus fortitudinis plurimæ*, &c. Erant autem hæ annuntiatrices fortitudinis magnæ fæminæ, quæ victorialia decantabát carmina, ob victorias, plurima fortitudine reportatas. Vult etiam Abulens. lib. 1. Paralip. cap. 25. filias Heman in templo diuinas cecinisse laudes, quod colligitur ex verbis illis eiusdem capitis: *Dedit Deus Heman filios quatuordecim, & filias tres: vniuersi sub manu patris sui ad cantandum in templo Domini distributi erant*. De Maria prophetissa, Deo annuēte, suo loco dicemus; nunc canticum breuiter exponamus, quod ex dictis perspicuum est.

Fæminæ victorias cantu celebrant.

1. Reg. 17.

Psal. 67.

D. Hieron.

Cantemus Domino.

2 Egregium hoc est inuitatorium, quo Moses populum Israeliticum ad canenda Dei beneficia, laudesque eius celebrandas inuitat. *Cantemus* (inquit) *Domino*. Accurrit inuitata Ecclesia, cantatque Domino nocte, & die. Nónne cernis religiosorum virorum in sacris monasteriis, religiosarumque fæminarum sancta agmina, die, nocteq; Domino cantantia? Nónne vides Deo consecratum clerum, in templis suauissimos Dauidis psalmos, cæteraque Scripturarum cantica, perpetuo concinentem? & meritò quidem. Debet enim Deo Ecclesia perpetuam gratiarum actionem, pro perpetuis, quæ ab eo accipit, beneficiis; debet perpetuas laudes ei, qui maior est omni laude, iuxta illud Ecclesiastici 43. *Benedicentes* (inquit) *Dominum exaltate illum, quantum potestis. Maior enim est omni laude*, &c. Cantemus ergo Domino Dauidis psalmos, scripturæque cantica; sed cantemus sapienter, vt docet Dauid Psalmo 46. *Psallite* (inquit) *Deo nostro, psallite, psallite, Regi nostro psallite. Quoniam Rex omnis terræ Deus; psallite sapienter*. Exponit D. Hieronymus, *psallite sapienter*, vt quæ canitis per literam, intelligatis spiritaliter dicta, &c. De Christo enim eiusque rebus psalmi Dauidici sapienter intelliguntur, similemque in modum canticum hoc Mosis de Christo sensu sublimiore intelligendum est. *Cantemus Domino*, id est, Christo, regi nostro: cantemus autem non voce sola, sed etiam vita, qui sola voce canunt, dimidiati canunt; qui voce, & vita, hi canunt toti. Vnde D. August. Psalmo 148. Cùm laudatis (inquit) Deum, toti laudate, cantet vox, cantet vita, cantent facta Deo, toti laudate, &c.

Inuitat Moses ad laudes Dei.

Eccles. 43.

Cantandum sapienter.

Psal. 46.

D. August.

Quia gloriosè magnificatus est.

3 Quæ sit cantici materia, curque cantico laudandus sit Dominus, ostendit. Est autem huius cantici materia summa gloria, fortitudo, & triumphus Dei, ex Pharaone reportatus. *Cantemus* (inquit) *Domino, quia gloriose magnificatus est*. hoc est, summa gloria est eleuatus in hac victoria. *Equum, & ascensorem* (singularis numerus vsurpatur pro plurali, equos, & equites, eorum ascensores) *proiecit in mare rubrum*, vndique admirabiliter obruit. *Fortitudo mea, & laus mea Dominus est, & factus est mihi in salutem*. Deus fortitudo mea est; quod enim mea fortitudo facere non potest, ille facit, ille me defendit, ille pro me pugnat aduersùs hostes; est fortitudo mea, propter quod est etiam laus mea, Hebraicè: *Est canticum meum*, id est, est materia meæ laudis, & mei carminis, quia auxilium mihi attulit, & salutem: *Iste est Deus meus, quem Patres mei coluerunt, & glorificabo, & exaltabo eum*. Chaldæus sic vertit: Iste Deus meus, & ædificabo ei sanctuarium: Deus patrum meorum, & seruiam coram eo, &c. Nam verbum נוה, *nauah*, quod vertit noster interpres *glorificabo*, significat etiam *habitare*, & in hiphil, *habitare faciam*. Ideo Chaldæus trāstulit: *Ædificabo ei sanctuarium*, videlicet in gratiarum actionem pro tanto beneficio, & quia Deus meus est, fortitudo, & auxilium meum. Id factum est postquam in montem Sina Israelitæ peruenerunt, ibi enim tabernaculum construxerunt.

Dei triūphus

Deus fortitudo nostra.

Deus nostræ laudis materia.

Sebast. Barradas Itiner. Israelit.

Dominus quasi vir pugnator, omnipotens nomen eius.

4 Hebraicè legitur: *Iehouah, quasi vir belli, Iehouah nomen eius*. Assimilat Deum viro bellatori; supra enim dixerat cap. 14. *Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis*, &c. Promissum impletum canit, quasi dicat: Ecce, quod vobis promiseram, Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis: tacuistis vos, nihil adiumenti attulistis, Dominus quasi vir pugnator, pro vobis pugnauit, currus Pharaonis, & exercitum eius proiecit in mare. *Electi principes eius submersi sunt*. LXX. vertunt ἐπιλέκτους ἀναβάτας τριστάτας κατεπόντισεν, id est, *electos ascensores tristatas submersit*. Tristatæ autem appellantur duces, & principes. D. Hieronymus Ezec. 23. Tristatas (inquit) vocant LXX. interpretes, quos nos principes principum interpretati sumus. Tristatæ nomen est apud Græcos secundi gradus post regiam dignitatem, &c. Hebraicè dicuntur *duces, & principes*, שלישים, *selisim*, à *salos*, id est, *tres*, vel *tria*; ideo LXX. verterunt, *tristatas*, à ternario numero. Sequitur: *Abyssi*, id est, aquæ profundæ, *operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis*; quia vt lapis duro erant corde: *Dextera tua magnificata est in fortitudine*, id est, glorificata est in hoc prælio fortitudo dexteræ tuæ. Percussisti diuina fortitudine Pharaonem, eiusque exercitum. Cætera perspicua sunt.

Deus aduersus Pharaonē pugnauit.

Tristatæ qui sint

D. Hieron.

5 Illud: *Deuorauit eos terra*, dubium habet. Mare enim illos deuorauit, non terra. Oleaster velle videtur, fuisse à terra deuoratos. Explicat, inquit, hic textus, quod antea non explicauerat, fuisse videlicet Ægyptios à terra absorptos: at verò Ægyptij in litus maris sunt eiecti, non ergo à terra fuerunt absorpti. Rectiùs Abulensis deuoratos ait à terra, quia in terram, quæ profundum erat maris solum, descenderunt. Deuorauit enim illos terra, quia ad profundum maris, vbi terra est, deducti sunt traxitq; illos pondus in terram. Lyranus: Deuorauit, inquit, eos terra, quia descenderunt ad terram, quæ erat in fundo maris, ita operti, ac si fuissent à terra absorpti, &c. Præterea terra mare complectitur, ideoque mare etiam nomine terræ, quod in ea est, intelligitur, sicut Psal. 148. *Laudate Dominum de terra dracones*, id est, ceti, *& omnes abyssi*, id est omnia maria, quæ sunt in terra; sic, *deuorauit eos terra*, id est, mare, quod in terra est. Sic August. quæst. 54. & Glossa interlin. Deuorauit, inquit, eos terra, id est, aqua terræ cognata, & vbique terra contenta, &c. D. Gregorius Nyssenus putat, Ægyptios in litore spoliatos ab Hebræis, postquàm verò sunt spoliati, absorptos fuisse terra. In Catena Græca huius cantici: Ægyptios, inquit, terram absorbuisse dicit Moses voragine facta, postquam à mari ipsi obruti fuerunt, & à filiis Israel spoliati. Primùm Deo volente filiis Israel persuadere,

Oleaster.

Quomodo Ægyptios deuorauerit terra.

Lyranus.

Psal. 148.

D. August.

Nyssenus.

eos penitus necatos esse, in conspectu ferente cadauera; & fecit, vt ea spoliarent, ne putarent ea, quæ acciderunt, facta esse per imaginationem. Deinde rursus in eorum oculis illa cadauera fecit, vt euanescerent, absorpta à terra. Sic ille. Rectè hoc loco Origenes, improbos homines, & terrenis rebus mancipatos à terra ait denoratos esse. Absorbet enim terra eorum cogitationes, desideria, corda. Impios (inquit Origenes) deuorat terra. Annon tibi videtur deuorare illũ, qui semper de terra cogitat, qui semper terrenos habet actus, qui de terra loquitur, de terra litigat, terram desiderat, & spem suam omnem ponit in terra? qui ad cœlũ non respicit, qui futura non cogitat, qui iudicium Dei non metuit, nec beata eius promissa desiderat, sed semper de præsentibus cogitat, & terrena suspirat? talem cùm videris dicito: *Deuorauit eum terra.* Hæc ille.

Terra terrenos homines deuorat. Origenes.

A Israelitis colendam, velut hæreditatem suam; hæreditare significat possidere. Præterea appellatur *firmissimum habitaculum Dei*, quia in illa cum populo suo per multos annos habitauit, & habitasset semper, si populus rebellis non fuisset. Denique *sanctuarium Dei* nominatur, quia in ea Deus ab Israelitis religiosè cultus est, & quia in ea tabernaculum Dei, & templum est ædificatum.

Ascenderunt populi, & irati sunt.

6 Pòstquam Moses de victoria Dei egit, prostratosque in prælio, & pelago absorptos Ægyptios cecinit, de magno aliorum populorum timore vaticinatur, qui tanto audito miraculo expauerunt: *Ascenderunt*, inquit, *populi, & irati sunt*, &c. Præterita pro futuris ponuntur. Philisthæos dolores obtinuerunt: Principes Idumææ turbati sunt: Moabitas tremor obtinuit; Chananæi obriguerunt. Precatur deinde Moses Deum, vt formidinem illis incutiat, ne Hebræos à desiderata terræ repromissionis possessione possint impedire. *Irruat*, inquit, *super eos formido, & pauor, fiant immobiles.* Hebraicè, יִדְּמוּ, *iddemu*, fileant, quasi lapides, donec pertranseat populus tuus, Domine, in terram promissionis.

Timor populorum.

Introduces eos, & plantabis.

7 Vaticinatur, Israelitas in terram repromissionis peruenturos, eamque possessuros: *Introduces eos, & plantabis in monte hæreditatis tuæ fortissimo habitaculo tuo, quod operatus es Domine, sanctuarium tuum Domine, quod firmauerunt manus tuæ.* Non viribus, inquit, suis terram promissam obtinebit populus tuus, sed tu ipse introduces eum in possessionem. Tu Israel filios, veluti fructiferas arbores, in terra repromissionis, velut monte celso, plantabis, vt in ea radices altas agant. Plantabis eos, & habitare facies in firmissimo habitaculo tuo, quod operatus es, id est, in terra repromissionis, quam tu condidisti, quæque erit habitaculum tuum firmissimum, in ea enim habitabis cum populo tuo. Sanctuarium tuum, Domine, erit illa terra, quod firmabunt manus tuæ. Nam in illa templum tibi extruetur augustissimum. Vocat Moses terram repromissionis *montem hæreditatis Dei*, firmissimum Dei habitaculum, & sanctuarium. *Mons* dicitur, quia montana erat, & excelsa; quamobrem in altero cantico, Deuteron. 32. canit Moses: *Constituit eum super excelsam terram.* Terra Ægypti vallis erat, terra repromissionis mons. Deuter. 11. *Terra*, (inquit Moses) *ad quam ingrederis possidendam, non est sicut terra Ægypti, sed montosa est, & campestris:* Montes quidem habebat multos, sed etiã valles. Hinc illud Luc. 2. de Deipara virgine: *Abiit in montana cum festinatione.* Dicitur *mons hæreditatis*, id est, possessionis Dei, quia peculiari quodam modo illam possidebat; tradidit verò illã

Deus populũ plantauit in terra repromissionis.

Deut. 32 Terra promissionis dicitur mons hereditatis Dei firmissimũ habitaculũ, & sanctuarium. Deut. 11 Luca 2

Dominus regnabit in æternum, & vltra.

Concluditur canticum Dei infinito imperio, & maiestate. Deus (inquit) Rex est noster potentissimus, qui Pharaonem fluctibus obruit. Imperium autem eius non est simile terrenis regnis, breuis temporis; sed in sempiternum permanet, & vltra. Difficultatem affert hæc particula *vltra*. Vltra æternitatem nihil excogitari potest: Quomodo ergo dicitur *Deus regnare in æternum, & vltra*? Respondetur, vocem Hebræam עלם, *golam*, significare aliquando æternitatem quandam impropriam, & temporariam, videlicet sæculum, & longum tempus, vt ostendimus tomo 1. Concord. Euangel. lib. 2. cap. 20. Ideo D. Tom. 1. part. quæst. 10. artic. 2. ita explicat hęc verba: *Dominus regnabit in æternum*, id est, in sæculum, & vltra. Nam vltra omnia sęcula regnabit Deus. Secundò respondetur, *golam* hic significare propriam æternitatem; additum verò esse *vltra*, exaggerationis, & maioris significationis gratia; quia, si quid esset vltra æternitatem durationis, in ea etiam regnaret Deus. Abulensis putat additum *vltra*, ex abundanti, ad significandam magnam affectionem loquentis. Rupertus verò: Hac, inquit, voce *æternum*, audita, non tota videmus æternitatis spatia. Addidit Moses, *& vltra*, velut si dicat: Quantum videre in lõginquum potes, regnabit Dominus; & vltra quàm videre potes, vltra id, quod ipsa vox, qua dicitur, *in æternum*, animo, vel intellectui tuo offert, &c.

Quid significet, in æternũ, & vltra.

D. Thomas.

Rupertus.

CAPVT XV.

Explicatur canticum de Christo, summo triumphatore.

CAntemus Iehouah, Deo nostro Christo, gloriosè enim magnificatus est in sua passione, gloriosè de tartareo Pharaone, eiusque militibus triumphauit, iuxta illud Apostoli ad Colos. 2. *Expoliãs principatus, & potestates tradiuxit confidenter palam triumphans illos in semetipso.* Gloriosum triumphum egit de stygiis hostibus, in semetipso cruci suffixo, nudo, doloribusque, & vulneribus pleno. Michol 2. Reg. 6. *Quàm gloriosus* (inquit) *fuit Rex Israel, discooperiens se ante ancillas seruorum suorum, & nudatus est, quasi si nudetur vnus de scurris.* Illa per ironiam cum Dauide suo loquens hæc verba protulit: at nos absque vlla ironia, cum Dauide nostro, Dauidis illius Domino loquentes dicimus: ô quàm gloriosus fuit Rex Israel, orbisque totius, discooperiens se in cruce ante oculos omnium seruorum suorum! ô quàm gloriosè nudatus est, quasi si nuderur vnus de scurris! ô quàm gloriosè in medio latronum nudus in crucem actus est! ô quàm gloriosè clauis est confixus! ô quàm gloriosè ex vulneribus quinque rubrum sanguinis

1 *Ad Coloss. 2. Gloriosum triumphum egit Christus.*

2. Reg. 6.

mare emisit, quo equos, & ascensores stygios obrueret! ô quàm gloriosè magnificatus est, hominibus afferens redemptionem, peccatis demersionem, sibique toto terrarum orbe gloriam, & sempiternam adorationem! ô quàm gloriosè equum, & ascensorem demersit in mari! Non putabat Pharao, parari sibi in mari rubro perniciem; sic non putabat diabolus, parari sibi in sanguine Christi euersionem. Cùm minimè putabat Pharao, vndis pelagi se demersum vidit: Cùm minimè putabat diabolus, vndis sanguinis Christi se oppressum aspexit. Equites Pharaonis demersit mare rubrũ: equites diaboli demersit rubrum sanguinis Christi pelagus. Equites dicuntur dæmones, non pedites, quia velocissimi sunt. Nos pedites sumus, illi equites. Ex equo contra nos pugnant: sed Deus nobis opem fert, equúmque, & ascensorem proiicit in mare. Sunt etiam equi effrenati. effrenatæ hominum cupiditates. Equus est dæmonis ira, & furor effrenatus, libido, auaritia, superbia, & similes cupiditates, quibus improbi homines dæmones, velut ascensores, imponunt, illisque habenas tradunt. At viri iusti horum equorum neruos, & vires incidunt, iuxta illud Iosue 11. *Equos eorum subnerubis.* Præcipit Deus Israelitis, vt equos hostium, quos bello cepissent, neruis priuarent; sic effrenatæ cupiditates, quarum diabolus ascensor esse conatur, neruis, & viribus priuandæ sunt, hoc est, egregiè mortificandæ, ne tartareum recipiant sessorem. Sunt etiam ipsi improbi homines equi, qui ascensores habent dæmones, vt Origenes ait. Sunt etiam equi, viri probi, maximè concionatores; ascensorem autem habent Christum. Equi Christi salutem afferunt orbi, iuxta illud Abacuc 3. *Quadrigæ tuæ saluatio.* Equi diaboli afferunt perniciem. Origenes: Sunt (inquit) equi, quos Dominus ascendit, & circumeunt omnem terram, de quibus dicitur, *equitatus tuus salus.* Sunt etiam equi, qui ascensorem habent diabolum, & angelos eius, &c. In die iudicij gloriosissimè magnificabitur Christus coram toto orbe, equosque huiusmodi omnes, & ascensores eorum, hoc est, impios omnes, & dæmones, proiiciet in mare tartareum, cùm sententiam illam horrendam fulminabit, Matth. 25. *Discedite à me maledicti in ignem æternum*, &c.

Equi effrenati sunt cupiditates effrenata, eos subnerunt iusti, id est, mortificant. Iosue 11.

Habacuc 3. Equi Dei sunt quidam, alij diaboli. Origenes.

In die iudicij Christus maximè glorificabitur.

Matth. 25.

2 *Fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem:* Conueniunt hæc etiam verba egregiè Christo; ille enim fortitudo nostra est, nos ipse tuetur, pro nobis pugnat, hostesque nostros, peccatum, diabolum, mortem vincit. 1. Corinth. 15. *Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum*, &c. & 2. Corinth. 2. *Deo gratias, qui semper triumphat nos in Christo*, id est, qui semper triumphare nos facit. Quis de sæuissimo hoste peccato nos triumphare fecit? Christus. Quis triumphare fecit de horrenda morte? Christus. Quis triumphum nobis admirabilem peperit de æternis flammis, de orco, eiusque incolis? Christus. Quis de tentationibus, & pugnis diaboli victoriam nobis affert? Christus. *Sine me* (inquit Ioan. 15.) *nihil potestis facere*, &c. 2. Corinth. 12. *Virtus in infirmitate perficitur*, &c. Græcè δύναμις μοῦ, id est, *potentia mea.* Illustrior apparet in infirmitate, & imbecillitate, sic Dei potentia in infirmitate Hebræorum perfecta est, cùm illos, maximè imbecilles, nulloque modo

2 *Christus nostra est fortitudo.*

1. Cor. 15.

2. Corinth. 2.

Ioan. 15. 2. Cor. 12. Fortitudo Christi in infirmitate perficitur.

A Pharaoni resistere valentes, demerso hoste à tanto periculo liberauit. Præterea in infirmitate totius humani generis perfecta est potentia, & fortitudo Christi Dei Opt. Max. Cùm enim imbecillimum genus humanum stygij Pharaonis tyrannide premeretur, neque illius iugum posset excutere; Christus potentia, ac fortitudine sua impium hostem admirabiliter submersit. Psal. 71. *Liberauit pauperem a potente, & pauperem, cui non erat adiutor.* Liberauit sua fortitudine Christus pauperem hominem à potente hoste diabolo: pauper autem dicitur homo, quia gratiæ diuitiis carebat à diabolo spoliatus, pauper etiam appellatur, *cui non erat adiutor*, quia nulla in terris fortitudo, nulla in cœlis potentia creata eum ex seruitute acerbissima eripere poterat. Fuit igitur opus, vt pauperi, infirmo, ac debili increata succurreret potentia, & in *infirmitate hominũ virtus Christi*, & fortitudo perfecta ostenderetur, ac glorificaretur. Fortitudo ergo nostra est Christus.

Psal. 71.

Est etiam laus nostra, Hebraicè זִמְרָה, *zamerah*, id est, *canticum.* Laudem enim perpetuam, perpetuáque illi ob nostram liberationem debemus cantica. Coniuncta sunt hæc duo: *Fortitudo mea, & laus mea.* Qui enim fortitudo nostra est, hoc est, qui pro nobis pugnat, est etiam consequenter laus nostra, & canticum nostrum, hoc est, materia nostræ laudis, & cantici; cùm à Deo fortitudinem ad vincendos hostes accipimus, canticum illi debemus, & laudem, ac gratias. Origen. homil. 6. Moris (inquit) sanctorum est, vbi aduersarius vincitur, hymnum Deo gratulationis offerre, tanquam qui sciant, non sua virtute, sed Dei gratia, victoriam factam, &c. Admonet eodem loco idem Origenes, cantico adiungendum esse tympanum, quod fecit Maria, soror Mosis, hoc est, mortificationem vitiorum. Melius, inquit, & dignius hæc dices, si habueris tympanum in manu tua, id est, si carnem tuam crucifixeris cum vitiis, & concupiscentiis, & si mortificaueris membra tua, quæ sunt super terram. Sic ille. D. Hieronymus Psal. 149. Crucifigamus (inquit) corpora nostra Christo, & tali tympano canamus Deo. Tympanum non habet carnem, sed pellem: & nos, quandiu carnei sumus, non sumus tympanum; tympanũ non est, nisi quod non habet carnes, nisi quod extenditur: tympanum nõ potest esse contractum, sed extensum: & nos peccata non cõtrahant, sed iustitia dilatet. Sic ille. Laudi huic Christi Psalmus congruit 8. *Domine, Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra! Quoniam elevata est magnificentia tua super cœlos. Ex ore infantium, & lactentium perfecisti laudem*, &c. Gloriosè magnificatus est Christus reportata victoria de tartareo Pharaone, hoc est, quod Psalmi verba indicant: Domine Iesu, *quam admirabile est nomen tuum in vniuersa terra!* Eleuata est magnificentia tua super cœlos, id est, laus tua, & gloria. Fundata autem est laus hæc ex ore Hebræorum, quos supra diximus appellari mutos, & infantes, Sapient. 10. *Victricem manum tuam laudauerunt pariter: quoniam sapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit disertas*, &c. Hebræi, si literam spectes, victoriam de Ægyptio Pharaone canebant, instar infantium, & lactentium; si spectes sensum sublimiorem, victoriam de tartareo Pharaone reportatam decantabant. In Psalmo verbum

3

Origenes. Gratias agendæ Christo Domino.

Tympanum, id est, mortificatio, addãda gratiæ.

D. Hieron.

Psal. 8.

Christi laudem celebrarunt Hebræi.

Sap. 10.

bum est, יסד, *iasad*, quod significat *fundare*: *Ex ore infantium, & lactentium fundasti laudem*, &c. hoc est, ex ore Hebræorum, qui infantibus, & lactentibus similes erant, fundasti laudem, tibi debitam, propter inimicos tuos demersos sanguinis tui rubro mari, vt diabolum inimicum, & vltorem destruas. Cantico Mosis prima quædam fundamenta tantæ laudis iacta sunt; postea toto orbe laus hæc est summopere amplificata.

4 Sequitur: *Et factus est mihi in salutem*, hoc est, factus est mihi Iesus, factus est mihi saluator, ab hostibus truculentissimis Iesus meus liberauit me, à peccato, à diabolo, à morte. *Iste Deus meus, & glorificabo eum, Deus patris mei, & exaltabo eum.* Iste Iesus Deus meus est, Deus est Patrum meorum, Abraham, Isaac, & Iacob, & summa gloria, summaque laude eum extollam vsque ad sydera. Iuxta versionem Chaldæi: *Iste Deus meus, & ædificabo ei sanctuarium*, id est, & templa ei ædificabuntur toto orbe. Præterea ædificabo ei in corde meo tabernaculum, in quod veniat ipse cum Patre, & Spiritu sancto, & mansionem apud me faciat. Hebræi aiunt, tunc Deum forma visibili populo apparuisse, & intento digito ostensum à canentibus canticū, & dicentibus, *iste Deus meus est*, id est: ecce iste, qui apparet forma visibili hominis, Deus meus est, &c. Si verum esset Hebræorum dictum, diceremus, apparuisse illis diuinum Verbum in corpore aëreo, cuius futurum triumphum celebrabant; sed à Lyrano, & alijs, friuola existimatur narratio. Nam vox *iste* non indicat Deum, in forma visibili tunc apparentem.

Christus Deus saluator.

Dominus quasi vir pugnator.

5 Meritò Christum pugnatori viro facit similem; pugnauit enim aduersùs diabolū summa cum fortitudine. Pugnatorē autē se esse ostendit Dominus, & diaboli victorem, Luc. 11. *Cum fortis* (inquit) *armatus custodit atriū suum, in pace sunt ea, quæ possidet. Si autem fortior eo superueniens vicerit eum, vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet.* Fortis armatus diabolus erat, multo fortior illo superuenit Christus, *quasi vir pugnator*, vicitque eū, & spoliauit. Psalm. 23. *Dominus dicitur potens in prælio*, &c. Psal. 44. *Accingere gladio super femur tuum potentissime, sagittæ tuæ acutæ*, &c. Accinxit se Christus, *quasi vir pugnator*, gladio verbi Dei, arcum sumpsit crucis, atque inde sagittas acutissimas iaculatus est aduersùs tartareum Pharaonem. De prelijs Messiæ iam egimus tomo 1. Concord. lib. 2. cap. 14. Induit autē dux noster non arma corporalia, galeam, loricam, & similia, sed spiritalia. Non enim aduersùs corporeos hostes, sed aduersùs spiritales dimicauit, id est, aduersùs dæmones, corpore carentes. Obedientiam, humilitatem, patientiam induit, humiliauit semetipsum, vt Paulus ait, *factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Sic hostes vicit. Tu quoque, Christiane, quasi vir pugnator, his armis te protege, si victoriam cupis de his hostibus reportare. Rupertus Exod. 15. Sicut (inquit) pugnator pro modo, vel qualitate hostis sui semetipsum armis induit: sic Christus secundum naturam hostis sui, nouis & mirabilibus modis bellum ordinare debuit. Erat autem hostis eius, non caro, & sanguis, sed spiritalis nequitia in cælestibus. Non ergo materiali gladio se accinxit Christus, non loricam,

Christus quasi vir pugnator diabolum vicit. Luca 11. Psal. 23. Psal. 44. Rupertus.

A vel galeam induit; sed contra eiusmodi principatum vel potestatem superbiæ, humilitatem, & obedientiam induit, contra spiritalia nequitiæ, charitatis fortitudinem. Ita Rupertus. Spiritalia fuerunt arma ducis nostri, militum quoque arma spiritalia sunt, vt Paulus docet ad Ephesios 6. *Accipite*, inquit, *armaturam Dei*; deinde numerat arma spiritalia, loricam iustitiæ, scutum fidei, galeam salutis, gladium spiritus, &c. Hanc Christi aduersùs stygios hostes victoriam decantat Moses multis verbis: *Currus* (inquit) *tartarei Pharaonis, & exercitum eius proiecit in mare: electi principes eius submersi sunt in mari rubro* sanguinis Christi. Dextera tua Domine magnificata, & glorificata B est in fortitudine, quæ in cruce fuit abscondita, iuxta illud Abacuc 3. *Cornua*, scilicet crucis, *in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius*, &c. *Dextera tua, Domine, percussit inimicum: & in multitudine gloriæ tuæ*, id est, cum magna gloria tua, *deposuisti aduersarios tuos*, dæmones, peccata, mortem: *misisti iram tuam*, sicut vir pugnator, *quæ deuorauit hostes*, sicut ignis stipulam incendit, ac deuorat. Fuit Christi passio summæ misericordiæ, fuit etiam iræ, & furoris. Misericordiæ quidem fuit erga homines, quos sanguine redemit; iræ autem, & furoris aduersùs dæmones, peccata, & mortem, iuxta illud Isaiæ 63. *Calcaui eos in furore meo, & con*C*culcaui eos in ira mea. Dies vltionis in corde meo, annus redemptionis meæ venit*, &c. Loquitur Christus, hostesque hominum magno furore conculcasse ait, ipsos verò homines redemisse: *Dixit inimicus diabolus: Persequar homines, & comprehendam illos, spolia ex illis repertabo, satiabitur anima mea spolijs orbis terrarum, flauit spiritus furoris tui, Domine, & obruit eos mare tui sanguinis, veluti plumbum profundo pelago submersi sunt.*

Ad Ephes. 6. Abacuc 3. Victoriam Christi canit Moses. Isai. 63.

Quis similis tui in fortibus, Domine.

6 Admiratur Moses victoriam Verbi diuini, ipsumque alloquitur: *Quis* (inquit) *similis tui*, ô Dei verbum! *in fortibus*? Hebraicè *Elim*, in D dijs fortibus. significat enim nomen hoc Dei fortitudinem, idcirco interpres vertit, *in fortibus*. Deos autem appellat angelos, quorum nullus est Verbo diuino similis potentia, & fortitudine, quoniam infinito interuallo ab eo distant. vel appellat idola gentium deos, eos irridens. Quis, Domine, tibi similis est in dijs gentium falsis? Quis eorum potuisset tantam hanc consequi de Pharaone victoriam? Origenes deos appellari putat, Deo gratos homines, qui per participationem dij dicuntur. Extollit Moses fortitudinem Verbi diuini: Quis simi-E lis tui in fortibus, siue angelis, siue hominibus? nemo equidem. Nullus enim angelus, nullus homo, fortitudine sua hostes tartareos potest superare, hominesque redimere, hoc tuæ fortitudini réseruatum est. Hebraicè legitur, כמכה באלים יהוה *camoca ba elim Iehouah*, id est, *quis similis tui in dijs, siue in fortibus, Domine.* Hæc autem verba Hebræa singulis vexillis inscripta gestasse Iudam, refert Genebrardus ex Rabbi Isaac lib. 2. Chronol. atque inde nomen inuenisse Machabæi. Nam causa breuitatis quatuor tantùm literis initialibus sic scribebantur, מכבי, *m c b i*, Cùm itaque populus legeret *Machabai*, inde effectum est, vt dux Machabæus diceretur, sed hoc nomen *Machabai*

Nullus similis Christo fuit, qui hominis posset redimere victo Pharaone, id est, dæmone.

Machabai Iudas habebat, antequam haberet milites, 1. Machabæorum 2. & 3. vbi non videtur esse anticipatio, vereor ne figmentum sit Hebræorum. *Magnus es in sanctitate, terribilis fortitudine aduersus hostes, & laude summa dignus, faciensq; opera mirabilia. Extendisti manum tuam potentissimam in cruce deuoratique sunt hostes; populi autem tui Christiani, quem redemisti, dux fuisti in terram promissam*, id est, in cœlum (præteritum ponitur pro futuro, quod frequentissimum est in Prophetis) *& portasti eos fortitudine tua & potentia ad habitaculum sanctum tuum*, id est, cœlestem patriam.

1. Machab. 2. & 3.

Ascenderunt populi, & irati sunt.

7 Dæmonum terror canitur in aduentu Christi: vmbra terroris dæmonum fuit, terror populorum, qui hîc nominantur, scilicet Philistinorum, Idumæorum, Moabitarum, Chananæorum. Origenes homil. 6. Quid, inquit, timent dæmones? quid tremunt? sine dubio crucem Christi, in qua triumphati sunt, in qua exuti sunt principatus eorum, & potestates. Timor ergo & tremor cadent super illos, cùm signum in nobis viderint crucis fideliter fixum, & magnitudinem brachij illius, quod Dominus expandit in cruce. Non te ergo aliter timebunt, nisi videant in te crucem Christi, nisi & tu potueris dicere: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini mei Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo.* Sic Origen. Post hæc precatur vates Deum, vt potentiam frenet dæmonū. *Irruat super eos formido, & pauor, in magnitudine brachij tui*, id est, potentiæ tuæ. *Fiant immobiles quasi lapis*, omni careant motu ad nocendum populo tuo, donec in terram cœlestem promissam perueniat.

Terror dæmonum. Origen. Crucē Christi timent dæmones.

A *Introduces eos, & plantabis in monte.*

8 Hic finis omnium mirabilium Christi; humanitatem assumpsit, miracula edidit, crucem subiit, sanguinem fudit, mortemque perpessus est Deus, vt introduceret populum suum in montem suum, habitaculum, & sanctuarium. Introducit primùm in Ecclesiam, quę mons est sublimis, in quo celsissimo terræ loco, Deus plantat Christianos, velut arbores. Vnde Origenes: Non plātat, inquit, Deus in vallibus, sed in montibus excelsis, & sublimibus locis. Quos enim de Ægypto educit, quos de sæculo adducit ad fidem, non vult eos iterum in humilibus collocare, sed conuersationem eorum vult esse B sublimem, &c. Est etiam Ecclesia habitaculum Dei, & sanctuarium. In ea enim Christus in sacramento augustissimo Eucharistiæ habitat, velut in sanctuario suo; habitat etiā in ipsis Christianis, qui templum Dei sunt. Postquam in terrestrem Ecclesiam Deus suos, vt arbores plātat, si fructus debitos ferant, in Ecclesiam cælestem illos introducit, quæ mons est supremus, & firmissimum Dei habitaculum, iuxta illud Apoc. 21. *Ecce habitaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis*, &c. Deniq; Dei est sanctuarium, & templum sanctissimum, in quo regnabit Christus in æternum, & vltra, in hominibus. *Ingressus est enim Pharao*, &c. Ratio, cur regnet in ho-C minibus Christus in æternum, & vltra, redditur, videlicet, quia Pharaonem stygium, eiusque exercitum demersit, nosque ex potestate eius liberauit. Rupertus: Nisi, inquit, spiritalis Pharao, id est, diabolus, fuisset oppressus, Dominus non regnaret in nobis, id est, nisi eiectus fuisset princeps mundi, non possideret nos Christus, non regnaret in nobis, &c.

Origines. Christianos plantanit Deus in loco sublimi. Apocal. 21. Rupertus.

CAPVT XVI.

De quinta mansione in Marah, & de sexta in Elim, & de septima iuxta mare rubrum.

EXODI CAP. XV.

1 VLit autem Moyses Israel de mari rubro, & egressi sunt in desertum Sur: ambulaueruntque tribus diebus per solitudinem, & non inueniebant aquam. Et venerunt in Mara, nec poterant bibere aquas de Mara eò quòd essent amaræ, vnde & congruum loco nomen imposuit: vocans illum Mara, id est, amaritudinem. Et murmurauit populus contra Moysen, dicens: Quid bibemus? at ille clamauit ad Dominum, qui ostendit ei lignum: quod cùm misisset in aquas, in dulcedinem versæ sunt. Ibi constituit ei præcepta atque iudicia, & ibi tentauit eum, dicens: Si audieris vocem Domini Dei tui, & quod rectum est coram eo, feceris, & obedieris mandatis eius, custodierisque omnia præcepta illius, cunctum languorem, quem posui in Ægypto, non inducam super te: Ego enim Dominus sanator tuus. Venerunt autem in Elim filii Israel, vbi erant duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmæ, & castrametati sunt iuxta aquas.

2 AB hoste sæuissimo Pharaone liberati Israelitę, ex mari rubro profecti sunt mense Nisan; hostiū spoliis ditati. Iter autem habuerunt per desertum Sur, tribus diebus, in quo magna erat aquæ penuria. Num. 33. dicuntur habuisse iter tribus dieb. per desertum Etham; quia desertum vocabatur duobus nominibus, Sur, & Etham, vt ait D. Hieronymus, mansione 5. Occurrit, inquit, eremus Sur, quæ & solitudo Etham dicitur, &c. Post tres dies columna stetit, ostenditque mansionis quintæ lo-D cum, videlicet Mara. Castrametati sunt eo loco, sed aqua carebant. Aquę enim amaræ erant, vnde loco nomen Mara impositum est à Mose, vel populo, id est, *amaritudo*. Vnde illud Ruth 1 *Ne vocetis me Noemi* (id est, pulchrā) *sed vocate me Mara* (id est, amaram) *quia amaritudine valde repleuit me omnipotens*, &c. Itaque populus contra Mosem murmurauit, quòd aquam non haberet. Moses ad solitam arcem confugit, scilicet ad Deum. Ostendit ei lignum, quod cùm in aquas misisset, in dulcedinem versæ sunt. In

Desertum Sur Etham dicebatur. D. Hieron. Mansio quinta Marah. Ruth 1. Aquæ amaræ ligno dulces fiunt.

hac mansione addit Moses, cōstituta esse Israelitis præcepta, & iudicia à Deo. Dubium est, *quænam fuerint hæc præcepta, & iudicia?* Respondetur, Israelitas in AEgypto à patribus suis decem decalogi mandata didicisse, quæ iuris naturæ sunt, didicisse etiam aliqua alia præcepta iudicialia; hæc verò constituisse, & confirmasse nunc Deum per Mosem. Aliter respondetur, hoc loco præludium factum esse legis ferendæ in monte Sinai: & mandata decalogi constituta, & aliqua iudicialia; postea verò in monte Sinai magna cum maiestate tradita. *Ibi* (inquit Moses) *constituit ei præcepta, atque iudicia, & ibi tentauit eum, dicens: Si audieris vocem Domini*, &c. Tentasse dicitur Dominus Israelitas, an essent obedientes, quia constituit eis præceptorum iugum, quod natura refugit.

3 *An ligni vi naturali dulces facta sint aquæ?* *Philo.*

Quæritur, *an naturæ vi lignum in aquas missum, dulcedinem illis attulerit?* D. August. quæst. 57. ait, fortè vi naturæ dulcem esse factam aquam, à ligno eam habere vim. Philo: Lignum (inquit) iussit Deus in fontes immitti, siue vis ea natiua ligni fuit ignorata hactenus, siue tunc primùm ad præsentem vsum est indita, &c. Existimat, fieri potuisse, vt vis illa fuerit naturalis, & ignota, vel à Deo tunc indita per miraculum. Caietanus naturalem fuisse ligni vim arbitratur, ad extinguēdam amaritudinem. Eandem opinionem probabilem putat Iansenius, Ecclesiast. 38. Eandem videtur sequi Lyranus Exod. 15. Probatur hæc sententia ex cap. 38. Ecclesiastici. *Eccli. 38.* *Altissimus,* inquit, *creauit de terra medicamenta, & vir prudens non abhorrebit illa. Nónne à ligno, indulcata est aqua amara?* &c. Loquitur Ecclesiasticus de medicamentis naturalibus, quæ creauit Deus, quæque vir prudens non despicit; deinde exemplum proponit medicamenti, lignum, quo aqua indulcata est. Cùm ergo loquatur de medicamentis naturalibus, sequitur lignum illud medicamentū naturale fuisse amaritudinis. Abulensis Exod. 15. ait, miraculo tribuendam dulcedinem aquæ. Non enim ligni natura habere potuit vim, vt tantam aquarum copiam dulcem redderet, quanta exercitus ille indigebat. Verba Ecclesiastici, quæ contrariam suadent opinionem, hanc non refellunt. Attulit enim Ecclesiasticus ligni exemplum, vt ostenderet, vtendum nobis esse medicamentis naturalibus, quemadmodum Deus vsus est ligno, veluti medicamento supernaturali, ad dulcificandas aquas. Nam tam medicamenta naturalia, quàm supernaturalia à Deo vim habent. Dici etiam potest, lignum illud nullā penitus habuisse vim dulcificandi aquā, sed quia ligni crucis typus erat, voluisse Deum per immissionem eius aquam dulcem reddere. Qui volet tueri Caietani opinionem, argumento proposito respondeat, paruum lignum non potuisse dulcem reddere magnam aquarum copiam, sed id facere valuisse magnam lignorum copiam, iniectam in magnam copiam aquarum. *Caietan.* Vidit hæc Caietanus, ideo sic ait: Multitudinē lignorum proiectam in aquas, intelligo, more Hebræo significatam per lignum, &c. Responderi etiam potest, lignum quidem illud vim habuisse naturalem dulcificādi aquam, sed à Deo esse auctam, vt magnam copiam dulcificaret. Magister historiæ refert ex quodam Hebræo, fuisse illud lignum amarissimum, atque ita fuisse mirabilius miraculum, siquidem amarissima arbor aquas dulces efficiebat. Fides sit penes autorem.

Venerunt autem in Elim filij Israel.

Ex Marah mansione quinta profecti, castrametati sunt filij Israel in Elim, vbi nullam repererunt amaritudinem, sed omnia dulcia. Erant enim illo in loco duodecim fontes aquæ potabilis, & septuaginta palmæ; fontes potum, palmæ cibum subministrarunt. 4 *Mansio sexta Elim.*

Inde egressi fixerunt tentoria super mare rubrum.

5 *Mansio septima super mare rubrum.*

Hæc verba sumpta sunt ex cap. 33. Numer. in quo 42. mansiones Israelitarum numerantur. In Exodo hæc prætermissa est: *Profecti ex Elim, iuxta mare rubrum castra locarunt.* Ne putes, retrouersos in locum maris rubri, vnde erant profecti. Castra enim locarunt iuxta sinum aliquem maris rubri, qui post mansionem Elim occurrit. Quæritur (ait Hieronym. mansione 7.) quomodo rursus ad mare rubrum venerint? nisi fortè in itinere pergentibus sinus quidam maris occurrerit, iuxta quem castrametati sunt, &c. *D. Hieron.*

CAPVT XVII.

MORALE.

De Marah, & Elim.

1 *Non cessat tentatio, nec cesset oratio.*

VIGILANTIA opus est & oratione, quia non cessat tentatio, iuxta illud Domini: *Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem.* Liberati filij Israel à tentatione maxima, demerso Pharaone, penuria aquæ tentantur. Præteriit tentatio vna, aduenit altera. Non enim semel tentamur, sed sæpe. Non est nobis nouum & peregrinum tentari: nouum sit, & peregrinnm tentationi succumbere, vnde illud diui Petri *1. Petr. 4.* epist. 1. cap. 4. *Nolite peregrinari in feruore, qui ad tentationem vobis fit, quasi noui aliquid vobis contingat: sed communicantes Christi passionibus gaudete, vt in reuelatione gloriæ eius gaudeatis,* &c. Hoc est, ne sitis peregrini, & noui ἐν πυρώσει, id est, *in ardore* tribulationum, & tentationum, ne vobis videantur nouæ: curate, ne vincamini ab hostibus, sed quia Christi passionem imitamini, gaudete, vt victores effecti, cælesti gloria perfruamini. *Militia est vita hominis super terrā,* ait Iob cap. 7. *Militia est vita nostra. Iob. 7.* In militia sumus circumdati, & obsessi hostibus semper, inducias non habemus. Vigilare oportet, & auxiliū petere LXX. interpretes vertunt: *Nunquid non πειρατήριον,* id est, locus tentationis, *est vita hominis super terram?* Locus tentationis est vita hæc, & terra hæc, & desertum hoc, per quod in cœlum repromissum tendimus, beata illa terra cælestis, quam nobis repromisit Deus, pacis terra est, omni hoste, & tentatione caret. D. Hieronymus *D. Hieron.* epist. 1. ad Heliodorum: Erras, Frater, erras, si putas vnquam, Christianum persecutionem non pati: tunc maximè oppugnaris, si te oppugnari nescis. Aduersarius noster tanquam leo rugiens circuit, & tu pacem putas? persequitur me hostis, cui nomina mille, mille nocendi artes, & ego infelix victorem me putabo, dum capior? &c.

2 *Psalm. 128.*

Psalmo 128. *Sæpè expugnauerunt me à iuuentute mea:* sæpè, non semel tantùm nos expugnant hostes. At vide, quod sequitur: *Etenim non potuerunt mihi,* &c. Id in tentatione curādum maximè, vt non præualeant hostes, licet sæpè oppugnent, sed instar sint aratorum, qui terram proscindunt, vt fruges lætissimas ferat, vnde illud quod sequitur in Psalmo: *Supra dorsum meū fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem suam.* vertit D. Hieronymus: *D. Hieron.* *Super ceruicem meam arauerunt arantes, prolongauerunt sulcum suum,* &c. Hostes, qui nos tentant, super ceruices arāt, & dorsa nostra. Illi aratores sunt, terram proscindunt, vulnerant, nos molestiis afficiunt; nos sumus seminatores: si patientiam seminauerimus, & Christi charitatem, in sulcis prolongatis lætissimas demetemus gloriæ segetes. Quòd si impatientiam seminauerimus, & tentationibus nos victos tradiderimus, væ nobis. Audiamus D. Iacobum cap. 1. epistolæ suæ; *Iacob. 1.* *Omne gaudium existimate, fratres, cùm in tentationes varias incideritis,* &c. Non solùm patientiā, sed etiam gaudium seminare nos vult. Noster interpres vertit in psalmo: *Fabricauerunt.* Fabricant enim tentatores supra eos, quos tentant, æterna, ac cælestia palatia, si victoriam consequantur Dei auxilio. Curemes ergo, & conemur toto pectore, vt reportemus victoriam, dæmoniacas tentationes toto conatu fugiamus, humanas mox expellamus. 1. Corinth. *1. Cor. 10.* 10. *Tentatio* (ait Apostolus) *vos non apprehendat, nisi humana,* &c. Quæ sit humana tentatio, docet D. Gregor. *D. Gregor.* Moral. 21. cap. 3. Humana, inquit, tentatio est, qua plerumq; in cogitatione tangimur, etiam nolentes. *Quæ sit humana tentatio, quæ dæmoniaca.* Quia, vt nonnunquam illicita ad animum veniant, hoc ex humanitatis corruptibilis pondere habemus, &c. Quid sit dæmoniaca tentatio, sic explicat eodem loco: Dæmoniaca tentatio, & non humana est, cùm ad hoc, quod carnis corruptibilitas suggerit, per consensum se animus astringit, &c. Maximè igitur in tentatione consensus cauendus est; per consensum enim & voluntatem nostram regnat in nobis peccatum. Rom. 6. *Roman. 6.* *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore,* &c. Non dixit Paulus: *Non tentet, sed, non regnet.* D. Greg. *D. Gregor.* loco citato: Sancta, inquit, prædicatio peccato de nostri cordis habitaculo regnum tulit, vt appetitus illicitus, etsi plerumque bonis nostris cogitationibus se, quasi fur occultè inserit, saltem si ingreditur, non dominetur, &c. Plus quàm humana fuit tentatio Hebrçorum. Venerunt in Marah, id est, in amaritudinem aquarum, potare aquas non poterant, inuasit illos tentatio, & murmurauit populus contra Mosem, dicens: *Quid bibemus?* &c. Non versabant animo hi homines præterita Dei beneficia, & stupenda prodigia, cum debita in Deum fiducia, sed à tētatione victi aduersùs Mosem murmurauerunt, cùm debuisset Deum magna cum fiducia precari, vt quos ex Ægypto tot editis miraculis eduxerat, aquis reficeret in solitudine. Non vicit Mosem tentatio, neque in eum humana aditum habuit. Cōfidebat enim Deo, cuius potentiam, & voluntatem populo necessaria omnia præbendi, satis nouerat.

Ostendit ei lignum.

3 *Passionis vmbra lignum, aquas dulces faciens.*

Ostendit Dominus Mosi lignum, typum ligni crucis sanctissimi. Baptismum supra merso Pharaone adumbrauit; nunc passionem, & crucem, ex qua vim habet Baptismus, & reliqua Sacramenta, ligno ostenso, adumbrat. Lignum illud aquis attulit dulcedinem, crux toti terrarum orbi attulit summam iucunditatem, peccatorum amaritudinem extinxit, mortis dolorem expulit, diaboli potestatē fregit, cæli, hoc est, summæ gloriæ, ianuam reserauit. Apocalyp. *Apocal. 17.* 17. *Aquæ multæ populi multi sunt,* &c. Erant hæ aquæ amarissimæ, quia populi amarissimo idololatriæ, & peccatorum veneno infecti erant, missum est in eas lignum crucis; gratiæ fideiq; viuæ dulcedinem, expulsa idololatriæ amaritudine, attulit. Theodoretus: Salutare, inquit, *Theodor.* crucis lignum, amarum gentium mare dulcissimum reddidit, &c. Multæ in hoc deserto, per quod facimus iter, occurrunt amaritudines. Petes, quid remedij adhibebimus, vt in dulcedinem vertantur, vel saltem potabiles fiant? Respondeo, venit aliquis in Marah, hoc est, amaritudinē, potum horret, bibere non potest, iniiciat lignum crucis in Marah, hoc est, in labores amaros, dolores, molestias, & cruciatus, dulcesque, & potabiles reddentur. Rogat Dominus Iacobum, & Ioannem, Matth. 20. *Matth. 20.* *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum?* Inuitat calice amaro, sed dulcem fecit, cùm illum bibit, & crucem subiit. Quis non bibat libenter calicem, quem Rex bibit, & propinat? Origenes aquas amaras literam legis ait significare, lignum verò, Christi fidem & sapientiam, qua spiritali sensu lex intelligitur: Si lignum, inquit, Sapien- *Origen.* tiæ Christus missum fuerit in legem, & ostenderit nobis, quomodo intelligi debeat circuncisio, quomodo sabbata, quomodo lex lepræ, & cætera, tunc efficitur aqua myrrhæ dulcis, & amaritudo literæ legis conuertitur in dulcedinem intelligentiæ spiritualis. *Crux literam legis dulcem reddidit.* Sic ille. Item: Iudæi etiam nunc apud myrrham sunt; nondum enim eis Deus ostendit lignum, per quod dulces fierent aquæ ipsorum, &c. Sequitur Origenem D. Hieron. mansione 5. & alij.

Venerunt in Elim filij Israel.

4 *Tentationem sequitur consolatio.*

Tentamur, sed etiam reficimur, non sunt tentationes perpetuæ, succedunt illis consolationes. Post cantum, & victoriam maris rubri, venerunt Israelitæ in amaritudinem, post amaritudinem venerunt in Elim, vbi erant duodecim fontes potabilis aquæ, & palmæ septuaginta. D. Hieron. mansione 6. *D. Hieron.* Quàm pulcher (inquit) ordo virtutum? post victoriam tentatio; post tentationem refectio, &c. Tentatus est Dominus in deserto; post tentationem allata est ab angelis refectio, Matth. 4. *Matth. 4.* *Ecce angeli accesserunt, & ministrabant ei,* &c. 2. Corinth. 1. *2. Corinth. 1.* *Sicut abundant passiones Christi in nobis, ita & per Christum abundat cōsolatio nostra,* &c. Iob 17. *Iob 17.* *Post tenebras spero lucem,* &c. Sic nobis si tentationū tenebræ offundātur, post tenebras lucem speremus, quia, vt Magnus Gregor. ait in hæc verba, ita hic *D. Greg.* aduersitas, atque prosperitas alternant, vt sibi succedere vicissim non desinant, &c. Chrysost. *D. Chrysost.* in Matth. hom. 8. Sanctos (inquit) Deus neque tribulationes, neque iucunditates sinit habere continuas, &c. *Polymitam,* id est, *multorum colorum vestem,* dedit Iacob dilecto filio Ioseph: sic Christus dilectis filiis suis vestes dat polymitas, id est, varij coloris, rebus lætis tristes permiscet tentationes. D. Chrysost. loco citato: *D. Chrysost.* Iustorum (inquit) vitam Deus ex aduersis, & prosperis rebus, quasi admirabili varietate contexuit, &c. Itaque ex quinta mansione Marah, id est, amaritudine, venerunt filij Israel in Elim, vbi erant duodecim fontes aquarum, & septuaginta palmæ. Nam post amaritudinem tētationis, sequitur dulcedo consolationis, & victoriæ palma.

5 His duodecim aquarum fontibus ait D. Hieron. mansione 6. significari Apostolos, quorum doctrina mundus irrigatus, mille palmas, id est, martyrum, virginum, reliquorumque sanctorum victorias produxit. Ipsum quoque Hebræum nomen אילם *Elim*, Apostolis congruit, quod D. Hieronymus arietes, siue fortes interpretatur. Sunt enim gregis Christi arietes, & duces fortissimi. Septuaginta palmas, ait adumbrare septuaginta discipulos. Numquam, inquit D. Hieronymus, prius occurrerunt fontes purissimi, nisi vbi magistrorum doctrina prorupit. Nec dubiũ, quin de duodecim Apostolis sermo sit, de quorum fontibus deriuatæ aquæ totius mundi siccitatem irrigant. Iuxta has aquas septuaginta creuerunt palmę, quos & ipsos secundi ordinis intellegimus præceptores. Hæc ille. Secundi ordinis præceptores vocat septuaginta discipulos.

Duodecim fontibus significantur Apostoli: septuaginta palmis septuaginta discipuli.
D. Hieron.
D. Hieron.

Fixereunt tentoria super mare rubrum.

6 Rursus ad mare rubrum veniunt Israelitæ, reuocantque in memoriam admirabilem illam viam in eo patefactam, hostiumque stupendam demersionem. Memoria semper retinenda sunt diuina beneficia, iuxta illa sępe mẽtis castra sunt metanda. D. Hieron. mãs. 5. Ex quibus, inquit, docemur, etiam post Euangelicam doctrinã, & cibos dulcissimos triumphorum, apparere nobis interdum mare, & præterita discrimina poni ante oculos, quanquam multę differentię sit, transire mare, & mare procul aspicere, &c.

Beneficia Dei in memoriam reuocanda sunt.
D. Hieron.

CAPVT XVIII.

De octaua mansione in deserto Sin.

EXODI CAP. XVI.

1 PRofectique sunt de Elim, & venit omnis multitudo filiorum Israel in desertum Sin, quod est inter Elim & Sinai, quinto decimo die mensis secundi, postquam egressi sunt de terra Ægypti. Et murmurauit omnis congregatio filiorum Israel contra Moysen & Aaron in solitudine. Dixeruntque filii Israel ad eos: Vtinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate: cur eduxistis nos in desertum istud, vt occideretis omnem multitudinem fame? Dixit autem Dominus ad Moysen: Ecce, ego pluam vobis panes de cœlo: egrediatur populus, & colligat quæ sufficiunt per singulos dies, vt tentem eum, vtrùm ambulet in lege mea, an non. Die autem sexto parent quod inferant: & fit duplum quàm colligere solebant per singulos dies. Dixeruntque Moyses & Aaron ad omnes filios Israel: Vesperè scietis quòd Dominus eduxerit vos de terra Ægypti: & manè videbitis gloriam Domini: audiuit enim murmur vestrum contra Dominum: nos verò quid sumus, quia mussitastis contra nos? Et ait Moyses: Dabit vobis Dominus vespere carnes edere, & manè panes in saturitate, eò quòd audierit murmurationes vestras quibus murmurati estis contra eum; nos enim quid sumus? nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum. Dixit quoque Moyses ad Aaron: Dic vniuersæ congregationi filiorum Israel: Accedite coram Domino: audiuit enim murmur vestrum. Cumque loqueretur Aaron ad omnem cœtum filiorum Israel, respexerunt ad solitudinem: & ecce gloria Domini apparuit in nube. Locutus est autem Dominus ad Moysen, dicens: Audiui murmurationes filiorum Israel, loquere ad eos: Vesperè comedetis carnes, & manè saturabimini panibus: scietisque quòd ego sum Dominus Deus vester. Factum est ergo vesperè, & ascendens coturnix cooperuit castra: manè quoque ros iacuit per circuitum castrorum. Cumque operuisset superficiem terræ, apparuit in solitudine minutum, & quasi pilo tusum, in similitudinem pruinæ super terram. Quod cùm venissent filii Israel, dixerunt ad inuicem: Man hu? quod significat: Quid est hoc? ignorabant enim quid esset. Quibus ait Moyses: Iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vdciendum. Hic est sermo, quem præcepit Dominus: Colligat vnusquisque ex eo quantum sufficiet ad vescendum: gomor per singula capita, iuxta numerum animarum vestrarum quæ habitant in tabernaculo, sic tolletis. Feceruntque ita filii Israel, & collegerunt, alius plus, alius minus. Et mensi sunt ad mensuram gomor: nec qui plus collegerat, habuit amplius: nec qui minus parauerat, reperit minus: sed singuli iuxta id quod edere poterant congregauerunt. Dixitque Moyses ad eos: Nullus relinquat ex eo in manè. Qui non audierunt eum, sed dimiserunt quidam ex eis vsque manè, & scatere cœpit vermibus, atque computruit, & iratus est contra eos Moyses. Colligebant autem manè singuli, quantum sufficere poterat ad vescendum: cumque incaluisset sol, liquefiebat. In die autem sexta collegerunt cibos duplices, id est, duo gomor per singulos homines: venerunt autem omnes principes multitudinis, & narrauerunt Moysi. Qui ait eis: Hoc est quod locutus est Dominus: Requies sabbati sanctificata est

est Domino cras, quodcumque operandum est, facite: & quæ coquenda sunt, coquite: quidquid autem reliquum fuerit, reponite vsque in manè. Feceruntque ita vt præceperat Moyses, & non computruit, neque vermis inuentus est in eo. Dixitque Moyses: Comedite illud hodie, quia sabbatum est Domini: non inuenietur hodie in agro. Sex diebus colligite: in die autem septimo sabbatum est Domini, idcircò non inuenietur. Venitque septima dies: & egressi de populo vt colligerent, non inuenerunt. Dixit autem Dominus ad Moysen: Vsquequò non vultis custodire mandata mea, & legem meam? Videte quòd Dominus dederit vobis sabbatum, & propter hoc die sexta tribuit vobis cibos duplices: maneat vnusquisque apud semetipsum, nullus egrediatur de loco suo die septimo. Et sabbatizauit populus die septimo. Appellauitque domus Israël nomen eius Man: quod erat quasi semen coriandri album, gustusque eius quasi similæ cum melle. Dixit autem Moyses: Iste est sermo, quem præcepit Dominus: Imple gomor ex eo, & custodiatur in futuras retrò generationes: vt nouerint panem, quo alui vos in solitudine, quando educti estis de Terra Ægypti. Dixitque Moyses ad Aaron: Sume vas vnum, & mitte ibi Man, quantum potest capere gomor: & repone coram Domino, ad seruandum in generationes vestras, sicut præcepit Dominus Moysi. Posuitque illud Aaron in tabernaculo reseruandum. Filii autem Israël comederunt Man quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem: hoc cibo aliti sunt, vsquequò tangerent fines terræ Chanaan. Gomor autem decima pars est ephi.

2 DECIMO quinto die mensis secundi, postquam egressi sunt ex Ægypto, exactis diebus triginta, vel mense vno ab egressu, venerunt filij Israël in desertum Sin. Appellatur autem mẽsis secundus ab Hebræis *Iiar*, respondens nostro Aprili, & Maio; fauebat tempus vernum itineri Omnis eremus, vt ait D. Hieronymus, vsque ad montem Sinai vocatur סין *Sin*, significat autem hæc vox *rubum*, vel *odium*. Plenum erat desertum rubis, & spinetis, ideo Sin est appellatum. Satis ruborum spiritualium in eo repererunt filij Israël, sed spinas non fugerunt, quibus puncti, & vulnerati aduersus Mosem, & Aaronem murmurauerunt. Defecerat cibus exportatus ex Ægypto in solitudine, nullo ex loco comparari poterat. Quò se verterẽt hi homines? Ad Deum se vertere debuerunt, cuius & potentiam, & benignitatem satis superque fuerant experti: sed veluti memoria, & mente capti, ad murmurationem se verterunt. *Vtinam* (inquiunt) *mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti, quando sedebamus super ollas carnium, & comedebamus panem in saturitate: cur eduxisti nos in desertum istud, vt occideretis omnem multitudinem fame?* Non sumpsit Deus de hac murmuratione supplicium; nouitij enim erant Israelitæ, propitius eis fuit. Moses verò, & Aaron auditum murmur eorum à Deo dixerunt, sed magna cũ misericordia: *Vespere* (inquiunt) *scietis, quod Dominus eduxerit vos de terra Ægypti, & manè videbitis gloriã Domini. Audiuit enim murmur vestrum contra Dominum. Nos verò quid sumus, quia mussitastis contra nos?* Auditum aiunt murmur, non tamen puniendum; sed cibum concedendum, magna Dei misericordia, propter quem murmur est excitatũ. Hodierna die vesperi scietis, quòd non Moyses, & Aaron, sed Deus vos ex Ægypto eduxerit. Nam die illo vesperi magnam coturnicum copiam misit Deus in castra, quamobrem sciuerunt Israelitę, Deũ illos ex Ægypti seruitute liberasse, siquidem carnium alimentum ad eos mittebat. Manè verò sequentis diei viderunt gloriam Domini, quia viderunt manna ex cælo descendens, quod gloriam, potentiam, ac maiestatem Dei manifestam reddebat, illiusque gloria erat, quia Deum glorificabat. Oleaster videtur sic exponere: *Videbitis gloriam eius*, quia Dominus apparuit populo in fulgore nubis, vt legitur Exod. 16. sed Dominus apparuit in gloria nubis, antequã coturnices mitteret, Exodi 16. *Ecce gloria Domini apparuit in nube. Locutus est autem Dominus ad Moysen, dicens: Audiui murmurationes filiorũ Israël, loquere ad eos: vespere comedetis carnes, & manè saturabimini panibus.* Ex quibus Domini verbis perspicuum est, gloriam Domini in nube apparuisse, antequam coturnices mitteret, non autem apparuisse manè post missas coturnices: tunc enim misit manna, videruntque filij Israel gloriam Domini, vt est explicatum. Consideranda est ratio, quę redditur: *Audiuit enim murmur vestrum contra Dominum.* Hæc ratio exposcebat supplicium, non beneficium. Si dicerent Moyses, & Aaron: punit vos Dominus, audiuit enim murmur vestrum, non esset mirum. Aiunt verò: *Dabit Deus vobis hodie vesperi carnes, & manè panes*, id est, manna, *audiuit enim murmur vestrũ.* Misericordia vti voluit Deus, carnes misit, & panes, quia cibum petebant, quamuis malè murmurando peterent. Murmurauerunt autem contra Mosem, & Aaron, præterea contra Deum. Deus enim illos eduxerat ex Ægypto: Moses & Aaron ministri erant, neque tantum opus poterant efficere, ideo aiunt: *Nos quid sumus, quia mussitastis contra nos?*

D. Hieron.
Sin significat rubum.
Murmuratio Hebræorum.
Oleaster.
Exod. 16.

Vespere ascendens coturnix cooperuit castra.

3 In hac octaua mansione in deserto Sin, tria nobis exhibentur, videlicet, murmuratio Israelitarum, coturnicum in castra ascensio, & descensio manna ex cælo. Itaque post murmurationem ob cibi penuriam, eadem die, vespertino tempore, ascendentes ex locis humilioribus coturnices ingenti numero castra operuerunt, Israelitisque præda fuerunt gratissima, & esca. Aduerte autem bis Deum pauisse coturnicibus Hebręos in deserto, semel in hac mãsione octaua, iterum in alia mansione, Numerorum cap. 11. de qua suo loco, Deo fauẽte, loquemur. Hic coturnices absque supplicio manducarunt; in altera mansione graues dederunt pœnas, quæ appellatur *sepulchra concupiscentia*, Num. 11. vt infrà dicemus, fauente Domino. Rogabis, prior est

Coturnices Deus Hebræis bis misit.

est panis, quàm carnes, *cur igitur Dominus prius carnes dedit vesperi, postea tempore matutino panes?* Respondetur, id factum, quia vt coturnices ascenderent in castra, tempus & ventus vespertinus cõmodior erant. Solent enim volucres vespertino tempore quiescere. Tempus verò nocturnũ, & matutinum postulabat descensus manna ex quieto aëre Ante solem enim nocte descendebat, quia sole liquefiebat.

Pluam vobis panes de cœlo.

4 Panes de cœlo, id est, manna, pollicetur Dominus se daturum Hebręis, non pollicetur carnes. At Moses ad filios Israel veniens ait: *Dabit vobis Dominus vespere carnes edere, & manè panes in saturitate.* Dicet aliquis, Israelitas non fuisse solis panibus contentos, sed postulasse etiam carnes; ideóq; Mosem ad Deum reuersum impetrasse etiam coturnices, sed probabilius est, Deũ & carnes, & panes simul promisisse Mosi, quamuis solius manna facta sit mentio, ideoq; Mosem, cùm venit ad populum, carnes, & panes pollicitum.

Manè ros iacuit per circuitum castrorum.

5 Post carnes coturnicum, misit ex aëre Deus panes, videlicet cibi genus quoddã, quod appellatum est *manna*. Nam matutino tempore rore completum est desertum, quod erat in circuitu castrorum, apparuitque simul minutum quid, & quasi pilo tusum, id est, manna. Quæritur, *an ros simul descenderit cum manna?* Respondetur, rorem simul descendisse cum manna, Exod. 16. *Manè ros iacuit per circuitũ castrorum, cumq; operuisset superficiem terræ, apparuit in solitudine minutum*, &c. Num. 11. *Cum descenderet nocte super castra ros, descendebat pariter & Man.* Hebraicè legitur: Descendebat manna super eum, id est, super roré. Vnde colligimus manna non descendisse super terram, sed super rorem, ne inquinaretur. Hebræi quidam, vt Genebrardus scribit Psal. 67. existimarunt, manna duplici rore tectum fuisse, superiore, & inferiore, hoc est, primùm rorem descendisse in castra ad purgandam terram, postea manna superuenisse, super quod mox ros alius descenderit, adeo vt in duobus istis roribus, tanquam in theca, reconditum iacuerit: apparuerit autem quando superior ros ad exorientem solem euanescebat. Fauent his Hebræis verba Hebræa, Exod. 16 תעל שכבת הטל *tahal sicbath hatal*, hoc est, *ascendit iacentia roris*, vel, sublatus est ros iacens, &c. tunc apparuit manna. Sed ex hac sententia sequitur, manna esse collectum ab Hebræis post solis ortum, siquidem non colligebatur, antequam ros superior euanesceret, ros autem sole exoriente euanescebat. At verò manna etiam sole exoriente liquefiebat; ergo ante solem colligebatur, vt constat ex lib. Sapientiæ, ergo ille ros superior commentitius est, & superfluus.

Exod. 16. Misit Deus Hebræis cibum manna. Num. 11.

An manna fuerit duplici rore tectum?

6 Refert Genebrardus ex Rabbi Salomone Psal. 94. manna liquefieri solitum, non statim exoriente sole, sed incalescente, duabus horis ante meridiem. Id refellunt verba libri Sapientiæ, capite 16. vbi legitur, *manna* exiguo solis radio liquefieri, & ante solem oportuisse colligi. Et Exod. 16. legitur, *cum incaluisset sol, liquefiebat manna*, &c. Verba libri Sapientiæ hæc sunt: *Quod ab igne nõ poterat exterminari, statim ab exiguo radio solis calefactum tabescebat, vt notũ omnibus esset, quoniam oportet præuenire solem ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare, ingrati enim spes, tanquam hybernalis glacies, tabescet*, &c. Liquefiebat manna orto sole, & incalescente; oportebat ideo præuenire solem ad colligendum manna, *vt notum*, inquit, *omnibus esset, quoniam oportet præuenire solem ad benedictionẽ tuam.* Græcè, ἐπ' εὐχαριστίαν σου. significat nomẽ εὐχαριστία, *gratiarum actionem*. Interpres vertit *benedictionem tuam*, id est Dei laudationẽ. Cùm enim manna solis calore liquefieret, indicabatur oportere ante solis exortum surgere ad colligendum illud, antequam liquefieret, & ad benedicendum Deo, agendasque gratias pro tanto beneficio. Nam gratos esse oportet eos, qui beneficia accipiunt. Ingrati enim hominis spes ad accipiendum noua beneficia dissoluitur, & perit, quemadmodum glacies hyemalis sole dissoluitur, & diffluit, quia indignus est nouis beneficiis, qui ingratus est iis, quæ accepit. Verba illa: *Ascendit stramentum. vel iacentia roris, & apparuit minutum*, &c. sic intelligenda videntur: Ascendit, id est, creuit iacentia roris, creuit ros iacens, & terram operuit, & super eum apparuit manna. Ita videtur intellexisse noster interpres, qui sic vertit: *Cumq; operuisset ros superficiem terræ, apparuit minutum*, &c. id est, cùm ascendisset, & creuisset roris iacentia, ita vt superficiem terræ tegeret, apparuit ros. Fortè angelorũ opera ascendebat ros euanescens in nebulam, vt manna solùm colligeretur. Abulensis Exod. 16. quæst. 6. verba illa: *Ascendit iacentia roris, vel operimentum roris*, de manna exponit, quod simile erat rori, & superficiem terræ tegebat; sed non placet expositio. Quæritur, *an fuerit naturale, manna liquefieri radio solis, an id per miraculum contigerit?* Respondet Abulensis Exod. 16. quæst. 11. per miraculum id factum, non naturaliter. Probatur, quia, si naturaliter liquefieret solis calore, etiam liquefieret ardore ignis: at verò, vt dicitur Sap. 16. *ab igne non poterat exterminari, & liquefier*: ergo ab exiguo solis radio calefactum tabescebat.

An manna exoriente sole liquefieret?

Exod. 16. Sap. 16.

Gratiarum actio.

An manna sole liquefieret per miraculum?

Sap. 16.

Quod cùm vidissent filij Israel, dixerunt ad inuicem: Man hu?

7 Hoc loco docemur, vnde nomen *manna* ortum fuerit. Cùm enim vidissent Hebræi desertum completum manna, alij alios rogabant: *man hu?* id est, *quid est hoc?* rem nouam, & ignotam admiratione prosequentes. Respõdit Moses: *Iste est panis, quem dedit vobis Dominus ad vescendum.* quasi diceret: murmurastis aduersùs Dominum propter carnium, & panis penuriã, heri vespertino tempore dedit vobis carnes coturnicum, nunc dat vobis panem. Hic est panis, quem vobis indignis, & murmurantibus Deus ex cælo mittit. Appellatum autem est *manna*, siue *man*, Exod. 16. *Appellauit domus Israel nomen eius Man.* ab interrogatione *man hu?* nomine orto. Theodoretus: Factum, inquit, est, vt interrogatio vicem nominis habuerit, &c. Aliqui aiunt nomen *Man* significare præparamentũ, alij donum, Oleaster numerosum. Sed, *man*, significat *quid*, vt noster, & L X X. interpretes vertunt. Chaldæus habet, *manna hu?* id est, quid hoc? Hinc nomen manna exortum est. Iosephus lib. 3. de Antiquit. cap. 1. Vox, inquit, Man est percontatiua, quid hoc est? interrogans, &c. Cadebat autem manna non intra, sed extra castra, quia locus castrorum non satis erat

Nomen manna vnde sit ortum.

Exod. 16.

Theodor.

Iosephus.

erat mundus: præterea quia manna liquefiebat solis radiis quotidie, castrorumque vias aqua, & luto compleret.

Colligat vnusquisque ex eo, quantum sufficit ad vescendum.

8 Docet Moses populum leges colligendi manna. Prima est: *Colligat vnusquisque ex eo, quantum sufficit ad vescendum, gomor per singula capita*, &c. Certâ ergo mensurâ colligendum erat. Ea verò mẽsura fuit gomor, per singula capita. Si familia decẽ habebat capita, decem mẽsuras, si plura capita habebat, plures mensuras, si pauciora, pauciores colligebat. Est autẽ *gomor* decima pars *ephi, ephi* tria sata continet; æqualiter Deus distribuit omnibus manna, eandem mensuram omnibus præbuit. Tentauit autem eos hac re, Exod. 16. *Ecce*, inquit, *ego pluam vobis panes de cælo, egrediatur populus, & colligat, quæ sufficiunt per singulos dies, vt tentem eum, vtrùm ambulet in lege mea, an non.* Dicitur autem Deus tentare, & experiri more humano, cùm tamen omnia ab æterno cognoscat. Ante solis ergo exortũ surrexerunt Israelitæ ad colligendum manna, & collegerunt omnes, non æqualiter, sed alius plus, alius minus. Quia, cùm colligebant, carebant mensura. Postea verò mensi sunt ad mensuram gomor, omnesq; mensura fuerunt æquales; neque is, qui plus collegerat, excessit mensurã gomor, neque is, qui minus acceperat, minus reperit, quã gomor, in singula capita. Nam angelus ex iis, qui plus acceperant, supplebat mensurã eorum, qui minus collegerant. Quòd si non esset satis, aliter à Deo supplebatur.

Certa mẽsura gomor colligebatur manna.

Exod. 16.

Nullus relinquat ex eo vsque manè.

9 Hęc est secunda lex colligendi manna: *Nemo relinquat ex eo in diem alterum.* Nam manna quotidie ex cęlo dabatur; superfluum ergo erat in diem alterum illud relinquere. Volebat Deus Israelitas quotidie manè surgere ad gratias agendas, & colligendum manna, quòd si in alios dies relinqui posset, nõ surgerent ad gratias agendas, & parandum cibum. Ex cælo cibum vult Dominus nos expectare quotidie. Hoc præceptum quidam ex Hebræis non seruauerunt, & manna in diem sequentem reliquerunt. Inobedientia dedit pœnas, cibus enim vermibus cœpit scatere, atque computruit.

Manna non relinquebatur in diem alterum.

Sex diebus colligite, in die autem septimo sabbatum est Domini, idcirco non inuenietur.

10 Tertia lex: Sex diebus tantùm hebdomadæ colligi poterat manna, septimo die, id est, sabbato, colligi non poterat, quia ea die operari non licebat, & in terram manna non descendebat. Ideo præcepit Moses populo, vt feria sexta colligerent cibos duplices, id est, duas mensuras, in singula capita, quæ duobus diebus sufficerent, videlicet feriæ sextæ, & sabbato. Computruit manna relictum in diem sequentem ab inobedientibus, non verò computruit relictum ex sexta feria in sabbatum, relictum ab obedientibus. Exod. 16. *Fecerunt ita, vt præceperat Moyses; & non computruit, neque vermis inuentus est in eo*, &c. Attamen non defuerunt inobedientes, qui in ipso sabbati die ad colligendũ manna egressi sunt, Exod. 16. *Venit septima dies, & egressi de populo, vt colligerent, nõ inuenerunt.* Dixit autem Dominus ad Mosen: *Vsquequo non vultis custodire mandata mea, & legem meam?* Nondum lata erat lex, sed sabbatum iam seruabatur.

Sabbato manna ex cælo non fluebat.

Exod. 16.

Ibid.

Erat quasi semen coriandri album, gustusque eius quasi similæ cum melle.

11 Quale fuerit manna, explicatur: simile erat granis coriandri quantitate, colore album Eodem capite 16. Exod. dicitur: *Apparuit minutum, & quasi pilo tusum in similitudinẽ pruinæ super terrã.* Erant ergo grana manna minuta, & parua, & quasi pilo tusa, hoc est, velut grana decorticata, & alba. Chaldæus vertit: *Minutum quasi decorticatũ.* Num. 11. *Erat Man quasi semen coriandri coloris bdellij*, id est, coloris albi, quoniam bdellium candida est margarita. Hęc erat figura. Erant autem grana dura, ita vt tererentur in mortario, vel mola, coquebantur deinde in olla, fiebántque placentulæ, Num. 11. *Circuibat populus, & colligens illud frangebat mola, siue terebat in mortario, coquens in olla, & faciens ex eo tortulas saporis quasi panis oleati.* Sapor in Numeris dicitur fuisse, *quasi panis oleati.* Exod. 16. dicitur fuisse *quasi similæ*, id est, panis ex delicata farina facti, *cum melle*, vtrumq; enim saporem habuit.

Quale fuerit manna. Exod. 16.

Numer. 11

Num. 11.

Exod. 16.

12 Præter hunc saporem omnibus communẽ, sapores alios multos habuit supernaturaliter, vt colligitur ex lib. Sapient. cap. 16. *Panem de cælo* (inquit Sapiens) *præstitisti illis sine labore, omne delectamentum in se habentẽ, & omnis saporis suauitatem. Substantia enim tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat, & deseruiens vniuscuiusq; voluntati, ad quod quisq; volebat conuertebatur.* D. Hieron. Psal. 147. Quidquid (inquit) volueris, ex sermone diuino nascitur sicut tradunt Iudæi, quoniam manna, quando comedebant, secundùm voluntatem vniuscuiusque sic sapiebat in ore. Ac si dixissent: Qui manna cõedebat, si desiderabat mala, si pyrum, si vuam, si panem, si carnes, secundùm qualitatem, & voluntatem comedentis, ita & sapor in manna erat, &c. D. August. epist. 118. In populo, inquit, vnicuique manna secundùm propriam voluntatem in ore sapiebat, &c. D. Chrysost. hom. *Quod nemo læditur, nisi à semetipso*: Hæc, inquit, fuit natura manna, cibus quotidie nouus, & saporem sui pro desiderio vescentium subministrans, &c. D. Gregor. Nyssenus in vita Mosis, manna cibum vocat simplicem, & varium: simplicem quidem visu, varium sapore. Cibus (inquit) varius simul, & simplex; simplex visu, & vnicus, varius ad singulorum cupiditates se vertens, &c. His tamen saporibus supernaturalibus soli iusti fruebantur, quæ sententia est D. Augustini lib. 2. retract. cap. 20. & D. Gregorius lib. 6. moral. cap. 7. Manna, inquit, omne delectamentum, atque omnis saporis suauitatem in se habuit, quod videlicet in ore spiritalium iuxta voluntatem edentium saporem dedit. Sic ille. Idem sentit Abulensis, Num. 11. quæst. 16. Lyranus, Carthusianus, & alij. Probatur opinio ex murmuratione improborum, Num. 11. de qua suo loco agendum est. Sanè, si omnes sapores, quos optarent, in manna reperirent, non dicerent: *Anima nostra arida est.*

Multos sapores habuit manna. Sapient. 16.

D. Hieron.

D. August.

D. Chrysost.

Greg. Nyss.

An improbi fruerentur omnibus saporibus mannæ?

Greg. Magn.

13 Quæritur, *an manna non solum cibus fuerit, sed etiam potus vicem suppleuerit?* Hebræi, vt refert Genebrardus Psalmo 94. aiunt, in manna fuisse panem, & aquam, quia erat humidum per sese: Genebrardus verò ait, Israelitas, quia abundabant manna, nihil opus habuisse aqua. Addit, iuxta

An manna vicem suppleuerit potus?

iuxta Israelitarum traditiones ex Rabbi Salomone, manna liquefactum riuos aquarum idoneos ad adaquanda populi pecora effudisse incalescente sole. At si hoc verum esset, numquã in deserto sitim passi fuissent Hebræi; siquidem manna, quod quotidie colligebant, panis erat & aqua sitim verò passos ostendunt verba hęc,

Exod.17. Exod.17. *Sitiuit populus præ aquæ penuria, & murmurauit contra Mosem, dicens: Cur fecisti nos exire de Ægypto, vt occideres nos, & liberos nostros, ac iumẽta siti?* Manna comedebant; tamen sitiebant. Falsum ergo est, manna fuisse panem, & aquam. Iumentis quoq; deerat, aiunt enim, *vt occideres nos, & iumenta siti*: ergo non est verum, manna liquefactum effudisse riuos aquæ, ad adaquãda pecora, & iumenta. Adde, manna fuisse hominum cibum, non autem aquam iumentorum. Nónne contemni posset manna, si liquefactum iumentis præberetur, & panis angelorum, licèt iam conuersus in aquam, pecoribus daretur? Liquefiebat igitur manna solis calore, & liquefiebat etiam ros, sed à solis ardore, tam ros, quàm manna absumebatur, ne circa castra lutum fieret, molestoque humore infestarentur. Præterea, certa mensura erat manna colligendum, certaque mensura ex aëre demittebatur, ita vt post collectionem non multum superesset, quod verteretur in aquam.

Pluam vobis panes de cælo.

14 Exod.16. *Vnde manna descenderet, & quomodo fieret*

Exod.16. ait Dominus, se ex cælo daturum panes, id est, manna. Dubitatur, *vnde manna descenderet, & quomodo fieret?* Respondetur, mãna descendisse ex cælo, atque idcirco pluuiam ex cælo appellari. Cælum autem significat aërem, ex aëre enim manna defluebat. Fiebat autẽ in aëre, & ex ipso aëre angelorũ opera quotidie, quamobrem appellatur Psal.77. *Panis angelorum*, id est, angelorum opera factus. Vel panis angelorum dicitur, id est, panis angelicus, præstantissimus, ac singularis, sicut vir fortitudinis dicitur vir fortis. Hebraicè panis angelorum appellatur panis אבירים *abirim*, id est, panis fortium; angeli enim fortissimi sunt. Dici etiam potest panis fortium, quòd fortes redderet comedentes, iuxta illud psalm.103. *Panis cor hominis confirmet*, &c. Abulensis quæst.18. cap.16. ait, manna corpora Hebræorum conseruasse, ne morbo aliquo tabefierẽt. Genebrardus Psal.77. ex antiquis Hebræis: Mãna, inquit, cibus erat, qui in ipsis membris digerebatur, (ne dum in stomacho) nec turbabat mentẽ, &c.

Psal.77. Cur manna dicatur panis angelorum, vel fortium? Psalm.103.

15 Manna dicitur conseruasse corpora. Origenes.

Origen.hom.7. in Exodum, D. Ambros. 1. Corinth.10. D. August. serm.251. de tempore, aiunt, dominicum diem fuisse illum, quo manna primùm è cælo descẽdit. Origenes: Ex diuinis, inquit, scripturis apparet, quòd in die dominico primùm datum est mãna. Si enim sex diebus collectum est, septima autem die cessatum est, sine dubio initium eius à prima die, quę est dominica, dies fuit, &c. Probat Origenes, manna prima die dominica datum, ex his verbis Exod.10. *Pluam vobis panes de cælo, egrediatur populus, & colligat, quæ sufficiunt per singulos dies. Die autem sexto parẽt, quod inferant, & sit duplum.* Origenes sic verba hæc intellexit: Sex diebus huius hebdomadę colligetis manna; die autem sexto, id est, feria sexta, colligetis duplum, sabbato non inueniebatur. Ex qua interpretatione sequitur, manna primum die dominica datum. Nam si cum primùm colligi cœpit, sex diebus collectum est, sabbatóque cessatum, die dominica è cælo primùm missum est. Nam à die dominica vsque ad feriam sextam, sex dies numerantur. Sed ostendere debuit Origenes hæc verba dicta à Domino die dominica, de sex diebus illius hebdomadæ, in qua loquebatur, vt probaret suam opinionem. Sed non constat, quo die Deus hæc verba dixerit, quemadmodum neque constat, quo die Moses illa alia protulerit, Exod.16. *Sex diebus colligite, in die autem septimo sabbatum est.* Præterea cùm hæc verba præcepti sint, non sunt restringenda ad illam hebdomadam, in qua loquebantur Dominus, & Moses, potuitque Dominus, & Moses verba proferre, non die dominica, sed feria secunda, vel tertia. Eritque sensus: Ego pluam vobis panes, incipiamque feria tertia, die autem sexto singulis hebdomadis, id est, feria sexta, quæ sabbatum præcedit, duplices colligite cibos. Item: Feria tertia, vel quarta, dicere potuit Moses: sex diebus colligite manna singulis hebdomadis, die septimo sabbatum seruate. Ex quo sensu non efficitur, quod vult Origenes, litera tamen non respuit omnino sensum illius, aliquibus subintellectis, hoc modo: Die sexto colligite duplum, die, inquit, sexto ab hac die, in qua primùm datur manna, quam sextam diem sequitur sabbatum. Et Moses: sex diebus, qui ab hac die, quo primùm datur manna, numerãtur, colligite manna; septima die sabbati non inuenietur.

Exod.16. Exod.16. Vnde manna descenderet, & quomodo fieret. Exod.10. An manna primùm descenderit die dominica?

Imple gomor ex eo, & custodiatur.

16 Beneficia in memoria seruanda.

Vult Dominus beneficia, quę in nos cõfert, memoria contineri. Vt ergo hoc beneficium dati panis cælestis memoria custoditetur, iubet seruari gomor manna, vt scirent Israelitæ, qua mensura, & quo pane essent in deserto enutriti. Dicitur autem posuisse Aaron vas plenum manna in tabernaculo, coram Domino, per anticipationem. Nondum enim erat fabricatum tabernaculum, in quo Aaron, vas plenum manna postea collocauit, vt ait Abulensis. Lyranus putat, collocatum coram Domino vas, in quodã paruo tabernaculo, quod portabatur in deserto, antequam magnum fabricaretur.

Comederunt Man quadraginta annis.

17 Quadraginta annis, comederunt manna Israelitæ. Iosue 5.

Quot annis vsi fuerint hoc cibo Israelitæ, docet Moses, vt magnitudinem beneficij exaggeret. Non enim semel, aut iterum man illis præbuit Deus ex cælo, sed per annos quadraginta quotidie, donec in terram repromissionis venerunt. Iosue 5. *Defecit manna postquam comederunt de frugibus terræ.*

CAPVT XIX.

MORALE.

De Manna.

Quando sedebamus super ollas carnium.

1 Non laborem mundi, sed gaudia, diabolus reuocat in memoriam.

INgratus populus de penuria cibi conqueritur, & murmurat, Ægypti saturitatem, ollasque carnium recordatur, neque tamen recordatur Ægypti captiuitatem, laborem, & vexationem. Hic est mos diaboli, in memoriam nobis reuocat mundi non famem, non mœrorem, non laborem, sed inania gaudia, & voluptates. At qui sapit, hæc obliuioni mandat per-

petuæ, illa verò animo voluit. Præterea recordatur populus carnium Ægypti, nõ recordatur tot beneficiorum, & prodigiorum Dei. O populum ingratum! (ait Origenes) desiderat Ægyptum, qui Ægyptios vidit extinctos; carnes Ægypti requirit, qui Ægyptiorum carnes vidit maris piscibus, & cæli alitibus datas, &c. Tentauit Deus ingratos penuria cibi; tentationem debuerunt ferre patienter, oculosque non ad Ægyptias ollas vertere murmurando, sed ad cęlestia sydera, cibum à Deo necessarium magna cum fiducia postulando. At Dei summa bonitas in eos conuertit oculos, qui suos oculos ab ipso auertentes in ollas carnium conuertebant: neque sumpsit pœnas de murmurantibus, sed nouo, mirabilique pane, & carnibus eos pauit.

Origenes. Hebræi tentatis dedit Deus mãna. Deut.8.

Deut.8. ait Moses: *Afflixit te Deus penuria, & dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu, & patres tui, vt ostenderet tibi, quod non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Domini.* hoc est, Deus afflixit te, & tentauit cibi inopia; afflictionem non sustinuisti patienter, sed murmurasti, Dominus autem pro sua misericordia noluit meritas pœnas expetere, sed cibum tibi dedit nouum, tibi, patribusque tuis, & omnibus hominibus ignotum. Dedit tibi cibum manna, non ex terra, sed ex cælo, inauditum, nunquam in terra conspectum, quamobrem rogabas, manhu? quid est hoc? quia quid esset, ignorabas, vt ostenderet tibi in penuria cibi, in Deo sperare, qui potest hominibus panem suppeditare, in quo viuant, diuersum ab isto pane vsitato. Non enim in solo isto vsitato cibo, & noto, viuit homo, sed *in omni verbo, quod procedit de ore Dei*, hoc est, in omni re, & in omni cibo inusitato, & hominibus ignoto, quem Deus iubet præparari ad alendos homines, vt iussit ab angelis præparari man.

2 Manna typus Eucharistiæ.

Augustissimæ Eucharistiæ habes typum. Dedit Dominus Hebræis manna panem ex cælo nouum, & ignotum, quem ipsi, & patres eorum ignorabant; dedit Christianis panem ex cælo nouum, & inauditum, Eucharistiam, quem ignorabant omnes homines. Rogabant Hebræi visa manna, Exod. 16. *quid est hoc?* respondit Moses: *Iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum.* Rogare potuissent discipuli conspecta Eucharistia, *quid est hoc?* Matth. 26. antequam illi rogarent, respondit Dominus: *Hoc est corpus meum.* Sed de sacrosancta Eucharistia diximus 2. & 4. tomo Concordiæ Euang. vbi ostendimus latè, manna fuisse eius typum, nolibet eadem repetere, si quæ occurrerint non dicta, adiiciemus.

Exod. 16.

Manè videbitis gloriam Domini.

3 S. Eucharistia est gloria Domini.

Dicitur manna gloria Domini, ab effectu; quia potentiam, & gloriam Dei enarrabat, instar cælorum, glorificandumque esse ob tantum beneficium ostendebat. Congruit Eucharistiæ egregiè hoc nomen. Est enim Eucharistia maxima Domini gloria, quoniam Dei admirabilẽ potentiam, & amorem manifestat hominibus, & propter tantum beneficium eum summoperè glorificandum, & laudandum prædicat. *Manè* (aiunt Moses, & Aaron) *videbitis gloriam eius.* Manè videbatur manna gloria Dei: similem in modum, manè, cùm sacrificium fit, Eucharistia ostenditur pupulo, & manè videtur gloria Dei, Deusque ipse cernitur in Eucharistia realiter existens, speciebus sacramenti tectus.

Sebast. Barradas Itiner. Israelit.

Ego pluam vobis panes de cælo.

4

O mirandam pluuiam, & inauditam! Miranda fuit, & inaudita, & quotidiana per annos quadraginta, vsque ad terram repromissionis. Pluuia erat non aquæ, sed cibi delicati, à Deo parati, & ab angelis facti. Quis talcs vnquam vidit pistores panes præparantes? ô miram Dei in suum populum indulgentiam! Sap. 16. *Substantia tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat*, hoc est, manna tuum dulcedinem, benignitatem, & indulgentiam indicabat, qua filios tuos prosequeris. Psal. 77. *Mandauit nubibus desuper, & ianuas cæli aperuit, & pluit illis manna ad manducandum, & panem cæli dedit eis, panem angelorum manducauit homo, cibaria misit eis in abundantia.* Ex nubibus descendebat manna, quemadmodum pluuia. Ianuæ cæli, id est, aëtis, apertæ dicuntur, quia ex aëre pluebat; panis dicitur angelorum, id est, angelicus, vt suprà diximus, & angelorum opera efformatus; cibus dicitur missus in abundantia, quia singulis diebus mittebatur tantum mannæ, quantum exercitui illi maximo satis erat. Quid nos dicemus de nostro stupendo manna, id est, Eucharistia? Tenuis vmbra fuit illud Mosaicum, pluit illud ex aëre: at nostrum venit ex cælo supremo: quantumque distat supremum cælum ab aëre, tantum distat manna nostrum à Mosaico: parum hoc infinito interuallo à nostro superatur. Molis enim cibus creatura simplex erat: Christi autem Eucharistia, Christũ hominem, & Deum infinitum continet. Efformabatur ab angelis manna Israelitarum: at nostrum non potest ab angelis efformari, neque à summis Seraphinis. Dei solius potentia factum est, fierique potest: sacerdotes verò ministri sunt tanti operis. Quadraginta annis datum est manna Hebræis; at Christianis datur Eucharistia ab initio Ecclesiæ, dabiturque vsque ad mundi finem. Fuit manna cibus in abundantia, infimum corpus pascens: est Eucharistia cibus in summa abundantia, multò præstantiorem animum nutriens. Denique, si manna dulcedinem, quam Deus in filios suos habet, ostendebat; quis poterit fando explicare, dulcedinem, bonitatem, misericordiam, & largitatem Dei, quam augustissima Eucharistia angelis indicat, & hominibus?

Sapient. 16. Psalm. 77. Eucharistia panis est ex cælo. Eucharistia à Deo cõficitur, panis est in abundantia, vsque ad finẽ mundi, Dei dulcedinem erga nos demonstrans.

Colligat vnusquisque ex eo, quantum sufficit ad vescendum, gomor per singula capita.

5 Parsimonia docetur.

Parsimoniam victus, & temperantiam seruare docet locus hic. Non permisit Dominus ex manna colligere Hebręos, quantum vellent, sed quantum satis esset. *Colligat* (ait Moses) *vnusquisque quantum sufficit.* Mensuram illis præscribit gomor, per singula capita. Igitur temperanter vtendum est cibo, & potu; id tantum, quod satis est, sumendum in mensura, non magna, necessitati satis faciendum est, non voluptati. D. Hieron. lib.2. contra Iouinianum: Citò, inquit, expletur naturæ necessitas; frigus & fames simplici vestitu, & cibo expelli potest. Deliciæ, & epularum varietates, fomenta auaritiæ sunt, &c. Hoc in Humberto fratre suo laudat D. Bernard. de eius obitu sermonem habens: Quantum, inquit, parcius potuit, de substantia mundi accepit, & minus accepisset, si non obedientia coëgisset. Victum, & vestitum habens, his contentus fuit; non ad superfluitatem, sed ad necessi-

D. Hieron. Citò expletur natura necessitas. D. Bernard.

A tatem, nisi quòd ipsam quoque necessitatem, superfluitatem esse sæpius causabatur,&c. Contra alij ipsam superfluitatem ciborum, & indumentorum, cupiditate ducti, necessitatem esse causantur, & superflua appellant necessaria. Qui enim vult obedire cupiditati, limitem transgreditur necessitatis. Cupiditas limitem necessitatis ignorat, amat superfluitatem. D. August. lib. 4. contra Iulianum Pelag. cap. 14. Nescit, inquit, cupiditas, vbi finiatur necessitas,&c. Item: Quis, inquit, explicet, quemadmodum nos libido sensus modum necessitatis sentire non sinat,& ipsum limitem procurandæ salutis, si qua adsunt delectabilia, rapiendo abscondat, & transeat. Putantibus nobis satis non esse, quod satis est; dum libenter eius procurationibus ducimur, existimantes nos adhuc agere negotium valetudinis, cùm agamus potiùs cruditatis. Sic August. Qui ergo corporis sui sanitatem amat, cupiditatem frenet, ratione, & in mensura cibum sumat, neque agat negotium cruditatis, sed valetudinis. Adesse debet ratio (ait D. Hieronymus, loco indicato) vt tales, ac tantas sumamus escas, quibus non oneretur corpus, nec libertas animæ prægrauetur, &c. Item: Nihil ita obruit animum, vt plenus venter,&c. Eodem loco ostendit sanctissimus Pater, ciborum parsimoniam, sanitatem & restituere,& conseruare: Qui, inquit, ægrotat, non aliter recipit sanitatem, nisi tenui cibo,& castigato victu vtatur. Quibus ergo cibis recipitur sanitas, his & seruari potest, &c. Item: Legimus, (inquit) quosdam morbo articulari,& podagræ humoribus laborantes, proscriptione bonorum, ad simplicem mensam, & pauperes cibos redactos, conualuisse, &c. Simplicem mensam Deus populo suo apposuit, & cibum sanum, nempe manna, non præbuit vinum, sed aquam. Hæc omnia temperantiam indicant, & sobrietatem in hac nostra peregrinatione esse seruandam.

Superfluitas fugienda. — *S. August.* — *D. Hieron.* — *Parsimonia sanitatem restituit, & conseruat.*

Nullus relinquat ex eo in manè.

6 Noluit Deus, Hebræos peregrinos horrea habere, reconditumque cibum in multos dies seruare; in diem illos viuere voluit, & semper ex cælo pendere. Panem illis dedit quotidianum, ex illo in sequentem diem nihil relinqui præcepit: si relinquebatur, computrescebat. Simile illud est Matth. 6. *Ne soliciti sitis animæ vestræ, quid manducetis*, &c. Peregrini sumus, ex cælo pendemus, in cælum igitur solicitudo nostra conferatur, in cælum suspiciant oculi nostri, iuxta illud Psal. 122. *Ecce sicut oculi seruorum in manibus dominorum suorum, sicut oculi ancillæ in manibus dominæ suæ, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum.* & Psal. 144. *Oculi omnium in te sperant, Domine, & tu das escam illorum in tẽpore opportuno. Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione.* Psal. 103. *Omnia à te expectãt, vt des illis escam in tempore. Dante te illis, colligent; aperiente te manum tuam, omnia implebuntur bonitate.* Peregrini sumus, excutiamus nos ab omni terræ onere. *Attendite vobis* (inquit Dominus Luc. 21.) *ne fortè grauẽtur corda vestra in crapula, & ebrietate, & curis huius vitæ.* & Matth. 6. *Nolite soliciti esse in crastinum.*

Matth. 6. — *Psal. 122. Ex cælo pendet noster victus: in cælum leuemus oculos.* — *Psal. 144.* — *Psal. 103.* — *Luca 21.* — *Matth. 6.*

Cùm incaluisset sol, liquefiebat.

7 Antequam sol incalesceret, oportebat colligere manna: liquefiebat enim sole incalescente. Properare oportet,& manè surgere ad laudandum Deum, cęlestiaque beneficia colligenda, ex cælo, velut manna, cadentia. Sap. 16. *Manna ab exiguo radio solis calefactum tabescebat, vt notum omnibus esset, quoniam oportet præuenire solem ad benedictionem tuam, & ad ortum lucis te adorare.* Psal. 5. *Manè astabo tibi, & videdo*,&c. Manè Deo astandum est; manè laudandus, manè adorandus, solis radiis non cedendum. Tu (inquit Chrysostomus eodem psalmo) nõ pateris eum, qui est inferior, imperatorem ante te adorare; nunc autem sole oriente ipse dormis, & cedis primo loco creaturæ, neque omnem creaturam præuenis,&c. Properemus ad colligẽdum manna manè, hoc est, ad colligendam diuinam dulcedinem, & deuotionem, qua tota die alamus animum imbecillem. B Oratio matutina dulce manna colligit ex cælo missum,& omniũ diuturnorum operum fundamenta iacit. Chrysost. ibidem: Si os, inquit, nostrum per orationem munierimus, diurnę actionis pulchrum fundamentum iecerimus, &c. Ex verbis citatis Sap. 16. colligitur, Hebræos ad colligẽdum cibum, cum benedictione, id est, laudibus Dei,& adoratione accessisse; liquefiebat enim manna incalescente sole, *vt notum omnibus esset, quoniã oportebat præuenire solem ad benedictionem Dei, & ad ortũ lucis illum adorare.* Oportebat, inquam, præuenire solem ad benedicendum, & adorandum Deum, propter tantum beneficium,& ad colligendum manna. C Exemplũ proponitur grati animi. Cùm cibos colligimus ex agris, vinũ, oleum, frumentum,& alios, cumque illos edimus, cum gratiarum actione, Deique laudibus, & adoratione colligendi sunt, & comedendi, ne largitori ingrati simus. Theophyl. Ioan. 7. scribit, quosdam sensisse psalmos, qui *pro torcularibus* inscripti sunt, cõpositos esse in festum tabernaculorum. Nã tunc (ait Theophyl.) torcularia sua implebant Israelitæ,& vuas premebant: proptereaque agebant gratias,& psalmis vtebantur,&c.

Sap. 16. Manè surgẽdum ad celebrandas Deĩ laudes. — *Psal. 5.* — *D. Chrysost.* — *Oratio fundamentum diurnorum operum.* — *Gratiæ Deo agendæ pro cibo, & alijs beneficijs.* — *Theoph.*

Sex diebus colligite.

8 Non inueniebatur in sabbato manna: sex tantùm diebus hebdomadæ colligebatur. Feria D sexta duplices cibos parabant Hebræi in feriam sextam, & sabbatum. Itaque feria sexta præparabant cibum in diem sabbati; ideo feria sexta *parasceue* dicebatur, id est, præparatio: sabbatum *cessationem* significat,& *requiem* illam æternam, quam in cælo expectamus, vnde illud Pauli ad Hebr. 4. *Relinquitur sabbatismus populo Dei*, &c. hoc est, relinquitur post hanc vitam in cælo celebratio æternæ quietis, hanc quietem parit charitas operibus bonis affluens. Quemadmodum filij Israel in sabbato non inueniebant manna; sic etiam nos in sabbato illo æterno, charitatem, & bona opera non inueniemus, si ea ex hac vita non detulerimus. Non enim datur in cælo charitas ei, qui eam hinc E non defert, non dantur ibi bona opera, & merita ei, qui, dum vixit, ea noluit congregare. Itaque non inuenitur manna in illo sabbato. Oportet ergo, dum vita hæc suppetit, manna colligere, & cibum in sabbatùm præparare. Vita hæc parasceue est illius sabbati. Colligamus charitatem,& bona opera. Numquid mensura est proposita huic manna? minimè. Colligere possumus sine mensura. Non liquefit hoc manna radiis solis; liquefit ardore peccati; æternum est, non computrescit, si peccatum fugias.

Sabbatum est requiem significat. Ad Heb. 4. — *Vita hæc est parasceue, id est, præparatio æterni sabbati.*

fugias. Colligamus ergo cibum ęternum in hac parasceue. Ioan. 6. *Operamini non cibum, qui perit, sed qui permanet in vitam æternam.* Lege. D. Gregor. Nyssenum in vita Mosis: Præparationis (inquit) dies hæc vita est, in qua præparemus, quæ ad futuram vitam nobis præstò erunt. Nã in futura vita; in cessatione omnium, quæ hîc agimus, ac quiete versabimur, fructus operum, quæ hîc seminauimus, colligentes, &c. Origenes: Si quid, inquit, hîc boni operis acquiras, si quid iustitiæ, misericordiæ,& pietatis recondas; hoc tibi in futuro sæculo erit cibus,&c.

Ioan. 6. — *D. Gregor.* — *Origenes.*

In die septimo non inuenietur.

9 Reliquis hebdomadæ diebus inueniebatur manna in agro, descendebatque ex cælo: die sabbati non descẽdebat ex cælo, neque in agro reperiebatur. Sabbatum festum erat proprium Iudæorum, ideoque Iudæos significat. Adumbratur verò hac vmbra, Iudæos nunc seruantes sabbatum carere manna. Non descendit iam manna gratiæ diuinæ, & doctrinæ cælestis in Iudæos, post aduentum Christi, Mosis legi mãcipatos. Non inuenitur manna in sabbato, hoc est, in Iudæis. Lege Origenem.

Neque qui plus collegerat, habuit amplius.

10 Æqualem omnes manna mensuram inueniebant; *neque qui plus collegerat, habuit amplius, neque qui minus parauerat, reperit minus.* Similem in modum omnes æqualiter totum Christum in Eucharistia sumimus, neque qui plus specierum accipit, habet amplius, neque qui minus accipit, habet minus. Totus enim Christus est,& sub parua,& sub magna Eucharistiæ specie, totus sub parua,& sub magna accipitur, totus est sub specie panis, totus sub specie vini; neque plus accipit sacerdos, qui duas accipit species, quàm laicus, qui vnam sumit. Rupertus in Exod. lib. 3. cap. 17. Non, inquit, pro quantitate portiunculæ viuifici panis, quæ frangitur illi, & quam ore sumit, quisque gratiam, vel vitam accipit: sed tantum illi valet ad consecutionem iustitię, exiguum quid percepisse, quantum valeret, si totum, quod oblatum est, proprio solus ore perciperet? Rectè ergo sancta Christi Ecclesia panes non valde grandes, sed exiguas ad conficiendum corpus Christi componit similas, & valde tenues; neque vini multum, sed exiguum quid infundit, quia neque qui plus colliget, habebit amplius, neque qui minus parauerit, reperiet minus. Hæc ille.

Eundẽ Christum accipimus in Eucharistia sub magna, & sub parua specierum quantitate. — *Rupert.*

Scatere cœpit vermibus.

11 Reliquerunt nonnulli manna in alium diem, cœpitque vermibus scatere. Auaros hoc exemplo commonefacit Rupertus lib. 3. cap. 18. qui diuitias coaceruant, neque in eleemosynas, sed in vitia potiùs insumunt: Hoc exemplo, inquit ille, cõmoneri se sciat infidelis auarus, qui spem suam in Deo non posuit: & idcirco diuitias recondendo mammonæ seruit. Eum qui eiusmodi est,& nunc, quandiu viuit, curarum, & solicitudinum vermis comedit, & in futuro vermis, qui non morietur, comesturus est, &c. Huc spectat illud Iacobi 5. *Agite nunc diuites, plorate vlulantes in miserijs vestris, quæ aduenient vobis. Diuitiæ vestræ putrefactæ sunt, & vestimenta vestra à tineis comesta sunt; aurum & argentum vestrum æruginauit, & ærugo eorum in testimoniũ vobis erit, & manducabit carnes vestras, sicut ignis thesaurizastis vo-* A *bis iram in nouissimis diebus.* Ecce vides, quomodo manna diuitum impiorum, reconditum in thesauro vermibus scateat.

Rupert. Cõputrescunt diuitiæ, quæ ab auaris possidentur. — *Iacob. 5.*

Quid est hoc?

12 Origenes putat, manna significare verbum Dei, hanc verò interrogationem ait innuere, diligentiam adhibendam in studium, & intelligentiam illius; semper enim de locis difficilibus rogandi sunt doctores Ecclesiæ, *quid est hoc?* & ab illis, non ab hæreticis discendũ, quid sit hoc. Origenes: Man hu, inquit, interpretatur, quid est hoc? Vide, si non ipsa nominis virtus ad discendum te prouocat; & cùm audis legem Dei B recitari, inquiras semper, & interroges,& dicas doctoribus, quid est hoc?&c. Lege D. Hieronymi epistolas,& reperies multos, qui sanctissimũ Ecclesiæ doctorem rogabant, quid est hoc? Erat candidum manna, vt supra diximus, & dulce: simile est verbum Dei, candidum,& dulce. Quid candidius? (ait Origenes) quid splendidius eruditione diuina? quid dulcius? quidve suauius eloquiis Domini, quæ sunt super mel, & fauum?&c. *Erat manna minutũ, & quasi pilo tusum, in similitudinem pruinæ.* Exod. 16. Ita verbum Dei minutum est. LXX. vertunt λεπτὸν, id est, *subtile*. Minutum est, & subtile verbum Dei, oculis à Deo illuminatis indigemus, vt illius sensus spi- C ritales,& veros, & minutos cernamus. Minutum est, & subtile, hoc est, spirituale, de rebus enim disserit spiritualibus, de cælestibus, de inuisibilibus, de iis, quæ superant intellectum. Est quasi pilo tusum, hoc est, quasi triticum decorticatum: decorticatur autem à doctoribus, & intellectu, quasi pilo, tunditur, cùm studio, ac cogitatione eius sensus exquiritur. Iudæi (ait Origenes) nihil in verbo Dei minutum, nihil subtile, nihil sentiunt spiritale; sed totum pingue, totum crassum; incrassatum est enim cor populi illius,&c. Similiter incrassatum est cor hæreticorũ, crasso modo verba Dei intelligunt de sacramentis, & aliis similibus dicta, neque Ecclesiam interrogare volunt, *quid est hoc?*

Manna significat verbum Dei. — *Origenes.* — *Origenes.* — *Exod. 16.* — *Origenes.*

13 D. Gregor. lib. 27. moral. cap. 17. dulcem ani- D mæ refectionem manna significare arbitratur, quam, qui accipiunt, admirantur. Quid est hoc? (inquit ille) dicimus, quando hoc, quod cernimus, nescientes admiramur. Supernum igitur manna anima percipit, cùm per vocem compunctionis eleuata, nouam speciem internæ refectionis obstupescit, vt diuina dulcedine repleta, iure respondeat, *quid est hoc?* Quia dum ab infima cogitatione suspenditur, ea, quæ de supernis conspicit, insolitè miratur,&c.

D. Gregor. Manna dulcem animæ refectionem adumbrat.

Gomor ex eo custodiatur.

14 Vult Dominus nos esse beneficiorum memores. Dedit manna Hebræis mensura gomor, E in singula capita. Iubet, memoriæ gratia, hanc mensuram eandem in vase asseruari, in futuras generationes: *Vt nouerint*, inquit, *panem, quo alui vos in solitudine.* Longo distãt interuallo beneficia collata in Hebræos, ab his, quæ in Christianum populum contulit Dominus. Si illorum recordationem postulabat optimo iure, quanto vehementiorem, & frequentiorem grati animi memoriã pro illis flagitabit, quæ nobis tribuit? Quænam memoria satis potest facere Incarnationis beneficio, quo Verbum caro factum est pro nobis? Beneficio passionis, quo sanguinem pro nobis effudit? beneficio augustissimæ Eucharistiæ,

Beneficia Dei in memoriam sunt reuocanda.

Eucharistiæ sacrificium est memoriale passionis Christi. Lucæ 22. 1. Cor. 11. Psalm. 111.

charistiæ, & aliis, quæ enumerare longum esset? Denique quemadmodũ manna præcepit asseruari in recordationem tanti beneficij: ita augustissimæ Eucharistiæ sacrificium præcepit celebrari in recordationem passionis, & mortis suę. Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem.* 1. Corinth. 11. *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annũtiabitis, donec veniat.* Psal. 111. *Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus, escã dedit timentibus se.* Asseruabatur olim in tabernaculo manna in vrna aurea, ad Hebr. 9. in memoriam mirabilium, quæ Deus fecit, vt populum suum duceret in terram repromissionis. Asseruatur in templis Ecclesiæ augustissima Eucharistia, in recordationem mirabilium, quę Deus operatus est, vt populum suum duceret in cælum. Neque verò solùm in memoriam celebratur, & asseruatur: sed in escam timentium Deum. *Memoriam*, inquit, *fecit:* præterea *escam dedit timentibus se*; quemadmodum & manna datum est, & in memoriam, & in escam.

Comederunt Man quadraginta annis.

15 *Prouidentia Dei.*

Mira prouidentia Deus erga populum Israeliticum vsus est, in cibo, in potu, in vestitu, reliquisque omnibus. Quadraginta illis annis, quibus in deserto versati sunt Hebræi, præcedebat illos columna nubis, ostendebatque viam; columna ignea noctu deserta loca illuminabat. Cibus quotidie ex cælo mittebatur. potus ex petra bis per miraculum datus est, aquæ verò amaræ semel in dulcedinem versæ, vestes non sunt consumptæ vsu, calceamenta integra toto itinere permanserunt, sicut augebãtur corpora, sic vestes, & calceamenta crescebant. Deut. 29. ait Moses: *Adduxit vos Dominus quadraginta annis per desertum: Non sunt attrita vestimẽta vestra, nec calceamenta pedum vestrorũ vetustate consumpta sunt.* D. Hieron. addit, capillos, & barbam in deserto nullum accepisse incrementum, neque indiguisse Hebræos tonsoribus, lib. 2. contra Iouinianum: Gomor, inquit, manna vniuersis ætatibus, vna in cibo mensura est; vestitus pariter non deteruntur, capilli simul non augentur, barba in commune non crescit; calceamenta ex æquo omnibus durant. Sic ille. Sequamur Deum, in cœlum nobis promissum semper faciamus iter, semper nobis Deus aderit, iuxta illud Domini Matth. 6. *Quærite primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis.* Item: *Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & Pater vester cælestis pascit illa. Nónne vos magis pluris estis illis?* Erant Hebræi in deserto, sicut volatilia cæli, non serebant, neque metebant, neque congregabant in horrea, & Deus ex cælo manna pascebat illos. Pauit autem quadraginta annis, quia alium cibum non poterant sibi comparare, postquam in terram repromissionis venerunt, & de frugibus terræ comederunt, defecit manna, Iosue 5. *Fecerunt phase quarta decima die mẽsis ad vesperum in campestribus Iericho, & comederunt de frugibus terræ, die altero azymos panes, & polentam eiusdem anni. Defecitq; manna, postquam comederunt de frugibus terræ, neque vsi sunt vltrà cibo illo filij Israël.* Et quidem spiritaliter nobis deficit manna ex cælo, hoc est, cælestis dulcedo, & deuotio, si de frugibus, & cibis terræ comedamus, hoc est, si terrenis rebus, & vitiis delectemur. D. Bernardus epist. 2. Quomodo (inquit) potest esurire, vel sitire Christum, plenus quotidie siliquis porcorum? &c. Item: Quomodo aqua, & ignis simul esse non possunt: sic spirituales, & carnales deliciæ in eodem se non patiuntur. &c. Aliter defecit manna, postquam in terram repromissam venerunt Israëlitæ: sic deficient Sacramenta, postquam peruenerimus in cælum promissum. Ipse Deus tunc nostrum erit manna dulcissimum, omne habens delectamentum, & omnis saporis suauitatẽ, quod nunquã deficiet, sed nos pascet gloria sempiterna. Lege D. Gregor. Nyssen. in vita Mosis: Cùm, inquit, Ægypti viatica, & cibi Hebræos defecerunt; desuper illis defluxit cibus. Discimus hinc, quòd oporteat mundos, purosque animos nostros facere, ita vt omnino Ægyptiaca vita, vitiorum scilicet omniũ turba, nos deficiat, & depurato, defæcatoq; animo cælestem cibum esse suscipiendum, &c.

Deut. 29. D. Hieron. Matth. 6. Deus sequentes se non deserit. Iosue 5. Manna, id est, cælestis dulcedo deficit, si terræ frugibus oblectemur. D. Bernard. Gregor. Nyss.

CAPVT XX.

De alijs mansionibus vsque ad Raphidim, & de flumine aquæ ex rupe dato.

EXODI CAP. XVII.

1 IGitur profecta omnis multitudo filiorum Israël de deserto Sin per mansiones suas, iuxta sermonem Domini, castrametati sunt in Raphidim, vbi non erat aqua ad bibendum populo. Qui iurgatus contra Moysen, ait: Da nobis aquam, vt bibamus. Quibus respondit Moyses: Quid iurgamini contra me? cur tentatis Dominum? Sitiuit ergò ibi populus præ aquæ penuria, & murmurauit contra Moysen, dicens: Cur fecisti nos exire de Ægypto, vt occideres nos, & liberos nostros, ac iumenta siti? Clamauit autem Moyses ad Dominum, dicens: Quid faciam populo huic? adhuc paululùm, & lapidabit me. Et ait Dominus ad Moysen: Antecede populũ, & sume tecum de senioribus Israël: & virgam, qua percussisti fluuium, tolle in manu tua, & vade. En ego stabo ibi coram te, supra petram Horeb: percutiesque petram, & exibit ex ea aqua, vt bibat populus. Fecit Moyses ita coram senioribus Israël, & vocauit nomen loci illius, Tentatio, propter iurgium filiorum Israël, & quia tentauerunt Dominum, dicentes: Est ne Dominus in nobis, an non?

Castrame-

Castrametati sunt in Raphidim.

2 *Exod. 17.*

EXodi 17. sic scriptum est: *Profecta omnis multitudo filiorum Israël de deserto Sin per mãsiones suas iuxta sermonẽ Domini castrametati sunt in Raphidim.* Omissæ sunt hoc loco duæ mansiones, *Daphca*, & *Alus*. In lib. Numerorum, cap. 33. numerantur his verbis: *Castrametati sunt in deserto Sin, vnde egressi venerũt in Daphca; profectique de Daphca castrametati sunt in Alus: egressiq; de Alus in Raphidim fixere tentoria.* Itaque *octaua* mansio est in deserto Sin, *nona* in רפקה, *Daphca*, quod nomen, vt D. Hieron. ait, significat *pulsationem*, iuxta id, quod Dominus ait Matth. 7. *Pulsate, & aperietur vobis.* Oportet enim iter facientes in terram promissionis mãsionem facere in *Daphca*, id est, in pulsatione; oportet (inquam) semper Dei pulsare fores, & in auxilio petendo permanere. *Decima* mansio est, אלוש, *Alus*. Hebræa vox, teste eodem sanctissimo Patre, significat *fermentum*, quod, Matth. 13. *tollens mulier miscuit farinæ satis tribus, donec fermentaretur totum.* Sumitur fermentum in malam partem, significatque nequitiam, quę totam massam corrumpit. Sumitur & in bonam, significatque doctrinam Euangelicam, propter calorem, & feruorem charitatis. Est enim fermentum calidum, & lex Christi lex est amoris. Præterea saporem tribuit pani fermentum: sic Euangelica doctrina saporem tribuit hominibus, & mensæ diuinæ dignos panes efficit, si operibus explicatur. Peregrini, qui terram repromissionis petunt, dent operam, vt homines azymos, hoc est, frigidos, & insipidos, doctrinæ Euangelicæ cognitione, & operatione fermentent, in hanc enim rem incumbit Ecclesia, siquidem mulier illa est Euangelica, *quæ fermentum miscuit farinæ satis tribus, donec fermẽtetur totum.* Euangelicam enim doctrinam miscuit tribus orbis partibus, Europę, Africæ, Asię, neque miscere desinet, donec fermentetur totum, iuxta illud Domini Matth. 24. *Et prædicabitur hoc Euangelium regni in vniuerso orbe, & tunc veniet consummatio.* In hac decima mãsione vult D. Hieronymus coturnices datas Hebræis, & manna: Nota, (inquit) in mansione decima fermentum poni, & post esum carnium manna tribui, implerique scripturam, Psal. 77. *Panem angelorum mãducauit homo.* Sic ille. Verisimilius videtur, in octaua mansione manna datum, & coturnices, vt dictum est.

Num. 33. Octaua mãsio in deserto Sin, nona in Daphca, decima in Alus, vndecima in Raphidim. Matth. 7. Matth. 13. Fermentum sumitur in bonã, & malam partem. Matth. 24. D. Hieron. Psal. 77.

3 *Mansio Raphidim.*

Vndecima mansio fuit in רפידים. *Raphidim*: significat autem nomen, interpretante D. Hieron. *dissolutionem fortium*, vel *sanitatem fortium*. Etenim hoc iter in terram promissionis fortiũ est hominum. Qui fortes sunt, hi sanantur, hoc est, salutem æternam consequuntur. Nonnulli tamen initio fortes, postea dissoluuntur, debilesque fiunt, & iter lento conficiunt gradu, ac testudineo. Origenes homilia 12. in Exod. Raphidim putat significare *sanitatem iudicij*. Peregrinus enim cælestis Ierusalem sanitatem habebit perfectam in die iudicij, cùm in vitam suscitabitur, & salutem sempiternam. Aliter: Mansio est sanitas iudicij, quia manendum peregrino est in sanitate iudicij, hoc est, in ea sanitate animi, quam flagitat iudicij dies. Considerandum est Dei seuerum iudicium, expendenda sanitas illa, quam tunc Deus à nobis postulabit, eaque totis viribus procuranda, & conseruanda.

Sebast. Barradas Itiner. Israël.

Da nobis aquam, vt bibamus.

4

In hac vndecima mansione *Raphidim*, id est, dissolutione fortium, vel sanitate fortium, dissoluti sunt Hebræi in iurgium contra Mosem, & in tentationem aduersus Deum. Dissolutio fuit fortium, hoc est, eorum, qui fortes esse in fide, & spe Domini, totque iam conspectis miraculis, nullam famem, aut sitim timere debuerant, sed sanitas etiam fuit fortium; siti enim grauissimo morbo, ac mortifero, sanitas allata est, à fortissimo Deo, & Mose, illius ministro. Mansio hęc carebat aqua; impatiens populus, cuius oculi non intellectus, & ratio rectores erant, cùm aquam non videret, sed rupes, aridamque & desertam regionem, cum iurgio à Mose aquam petiuit, Deumque tentauit, dicens: *Est Deus in nobis, an non?* Numquid Deus nos adiuuat? estne inter nos, an nos deseruit? Det nobis aquam, vt sciamus, & experiamur, esse illum in nobis. Imprudens petẽdi modus est cum iurgio: cum humilitate petenda fuit aqua, non cum murmuratione. Probi viri, qui in populo erant, supplicibus precibus postulabant à Deo aquam; alij rixati sunt cum Mose. Rabbi Abraham apud Abulensem tenui coniectura ductus ait, quosdam ex Israelitis aqua caruisse, alios aquã habuisse, quam portauerant ex alia mansione: illos cum Mose iurgatos esse, qui carebant aqua; illos autem qui eam habebant, Deum tentasse, quia cùm aquam haberent, potentiam Dei experiri volebant.

Murmuratio populi.

Percuties petram, & exibit ex ea aqua.

5

Moses populi afflictus iurgio Deum clamans consuluit: *Quid*, inquit, *faciam populo huic? adhuc paululum & lapidabit me*, &c. Tale enim erat iurgium, vt lapidatio timeri posset. Iussit Deus virgam sumere, & cum aliquibus ex senioribus populi foras egredi vsque ad rupem Horeb, eamque virga percutere. Percussit Moses petram, siue rupem virgâ: ingens aquarum copia, instar fluuij, emanauit, totumque populum, & iumenta, ac pecora potu mirabiliter refecit. Quanta aquarum fuerit copia, docet Psalmus 77. *Interrupit petram in eremo, & adaquauit eos, velut in abysso multa, & eduxit aquam de petra, & deduxit, tanquam flumina, aquas.* Item: *Percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt.* Loco nomẽ Moses imposuit, quòd iurgium, & tentationem Israelitarum indicaret: *Vocauit*, inquit, *nomen loco illius tentatio*, (Hebraicè מסה, *massah*) *propter iurgium filiorum Israël, & quia tentauerunt Dominum.* Hebraicè additur nomen מריבה, *meribah*, id est, *iurgium*. Vocauit nomen loci *massah*, id est, *tentatio*, & *meribah*, id est, *iurgiũ*. Aduerte, bis ex petra percussa effluxisse aquam in deserto. Semel in hac mansione 11. in Raphidim; iterum in mansione 33. in Cades, vt scribitur Numer. 20.

Ex petra fluuius aquæ exit. Psal. 77. Bis ex petra effluxit aqua in hoc itinere.

6 *An sit data aqua post datum manna? Psal. 77.*

Dubium occurrit ex Psalmo 77. *Sitne percussa petra ante datum manna, an postea?* Nam Israelitæ significant, aquas ex petra effluxisse, antequam daretur manna, Psal. 77. *Malè locuti sunt de Deo, dixerunt: Numquid poterit Deus parare mensam in deserto! Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundauerunt: numquid & panem poterit dare, aut parare mensam populo suo?* Quoniam, inquiunt, iam nobis aquam ex percussa petra dedit, poteritne etiam dare post aquam, in hac solitudine panem, quo caremus?

mus? Carebant ergo pane Israëlitæ, id est, manna, cùm hæc dicebant. Iam verò aqua ex petra emanauerat. Vnde efficitur, priùs petram præbuisse aquam; postea ex cælo descendisse panem, id est, manna. Caietanus eodem Psal. 77. propter verba Psalmi concedit, priùs aquam ex petra fluxisse; postea manna datum. Ex isto, inquit, textu apparet manifestè, quòd priùs fuit miraculum eductionis aquæ de petra, & postea miraculum mannæ, &c. Verior est contraria opinio, quæ apertè colligitur ex cap. 16. & 17. Exodi. Respondendum ergo est, non obstare verba Psalmi. Nam לחם, *lechem*, id est, *panis*, more Hebræo significat omnem cibum, etiam carnes. Itaque verba Psalmi sic sunt interpretanda: Iam quidem Deus percussit petram, & fluxerunt aquæ; numquid & panem poterit dare, id est, carnes, & alios cibos, quos desideramus? Hæc autem dicta sunt, cùm Num. 11. populus carnes concupiuit. Hinc illud Mosis: *Vnde mihi carnes, vt dem tantæ multitudini, flent contra me, dicentes: da nobis carnes, vt comedamus.* Tunc autem aqua ex petra iam effluxerat. Petebant verò non manna, sed carnes, & de manna aiebant: *Anima nostra arida est. Nihil aliud respiciũt oculi nostri, nisi Man*, &c. D. Hieron. sic vertit: *Numquid & panem poterit dare, aut præparare carnem populo suo?* LXX. *Numquid & panem poterit dare, aut parare mensam populo suo?* Sensus esse potest: Dedit iam aquam; numquid poterit etiam dare panem vsitatum, & vulgarem, qui ex terra oritur, & ab hominibus comedi solet; aut poterit parare carnes populo suo? Vel; Aut poterit parare mensam carnium, & aliorum ciborum, quos homines manducare solent? Deut. 29. ait Moses: *Adduxit vos Dominus quadraginta annis per desertum, panem non comedistis.* Panem non comederunt vsitatum, sed manna, quod etiam dicitur panis, sed inusitatus, & ex cælo. Cùm ergo dicunt Hebræi: *Numquid & panem poterit dare?* de pane vsitato intelligi possunt, quia manna, vt Moses ait, non erat panis, videlicet vulgaris.

Caietan.

D. Hieron.

Deut. 29.

Supra petra Horeb.

7 Psal. 105. Horeb dicitur mons Sinai. Malach. 4. Deut. 14. Deut. 5. 3. Reg. 8.

Erat populus in Raphidim. Petra, siue rupes dicitur petra Horeb. Horeb autem montem Sinai significat, vt diximus ex D. Hieron. lib. 1. cap. 14. Psal. 105. *Fecerunt vitulum in Horeb, & adorauerunt sculptile*, id est, in Sinai. Malach. 4. *Mementote legis Moysis serui mei, quam mãdaui ei in Horeb*, id est, in Sinai. Deut. 14. *Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua locutus est vobis Dominus in Horeb.* & cap. 5. *Pepigit nobiscum fœdus in Horeb*, id est, in Sinai. 3. Reg. 8. *In arca* A *non erat aliud, nisi duæ tabulæ lapideæ, quas posuerat in ea Moyses in Horeb, quando pepigit Dominus fœdus cum filijs Israël, cùm egrederentur de terra Ægypti.* Ex his colligitur, Mosem cum senioribus montem Horeb, siue Sinai petiuisse, & ibi petram percussisse. Distat autem Horeb à Raphidim, vbi manebat populus, vt vult Genebrardus Psal. 77. quatuor milliaria. Ipse ait, ex Horeb per hæc quatuor milliaria exundasse aquas, in modum fluminis vsque ad Raphidim, vt populus biberet. Præterea ait, ex Hebræorum dictis vnicam fuisse petram diuersis regionibus, & temporibus percussam; item, fontem in Horeb apertum nõ modò instar fluuij aquas fudisse quadraginta annis, quibus in deserto B iter fecerunt Israëlitæ, sed etiam illos comitatum esse per desertum, quocunque tandem demigrarent: item, aquam huius fontis ait defecisse propter mortem Mariæ sororis Mosis, donec ex eadem rupe educta est secundò propter populi murmur, Num. 20.

Genebrardus & Hebræorũ opinio.

Arbitror primò, Mosem non iuisse in montem Horeb, id est, Sinai, sed non longè à Raphidim extra castra Israëlitarum percussisse petram, ne populus in quærenda aqua defatigaretur valdè. Secũdo, illam puto rupem non fuisse in illo loco montis Sinai, in quo postea populus castrameratus est; sed alio in loco propè Raphidim. Dictam autem petram Horeb, quia C mons Sinai, siue Horeb, eousque pertingebat, & loco nomen dabat. Caietanus quidem ait, appellari petram Horeb, quia erat in territorio denominato à monte Horeb, & non solùm montem nominatum esse Horeb, sed etiam adiunctam solitudinem. Tertiò dico, ea quæ ex Hebræis affert Genebrardus, non habere aliam probationem, quàm esse ab Hebræis tradita, quorum dicta, nisi ratione probentur, momentum non habent. Itaque non videtur verosimile, exundasse aquas instar fluminis per quatuor milliaria, vsque Raphidim, aut comitatas esse per quadraginta annos castra Israëlitarum, aut vnam, & eandem petram diuersis regionibus, D & temporibus percussam, aut in morte Mariæ defecisse petræ flumen. Mirabilia sunt hæc adeò, vt à Mose, si vera essent, non fuerint silentio prætereunda, sed in gloriam Dei toto orbi manifestanda. Abulensis de aqua, quæ ex petra effluxit, sic scribit, Exod. 17. Iste fons, qui de petra tunc effluxit, vsque hodie effluere nondum cessauit, copiosam aquam emittens, ita quòd tota vallis irrigatur. Antea propter aquarum penuriam habitata nõ fuerat, nunc autem tota propter aquam habitata est. Et vocatur vallis Mosis, quia ibi Moses percussit petram. Hæc ille, nullo adducto alio teste.

Abulensis.

CAPVT XXI.

De prælio cum Amalecitis commisso.

EXODI CAP. XVII.

1 VEnit autem Amalec, & pugnabat contra Israël in Raphidim. Dixitque Moyses ad Iosue: Elige viros, & egressus, pugna contra Amalec: cras ego stabo in vertice collis, habens virgam Dei in manu mea. Fecit Iosue, vt locutus erat Moyses, & pugnauit contra Amalec: Moyses autẽ, & Aaron, & Hur, ascenderunt super verticem collis. Cumque leuaret Moyses manus, vincebat Israël: sin autem paululùm remisisset, superabat Amalec. Manus autem Moysi erant graues: sumentes igitur

igitur lapidem, posuerunt subter eum, in quo sedit: Aaron autem & Hur sustentabant manus eius ex vtraque parte. Et factum est, vt manus ipsius non lassarentur vsque ad occasum solis. Fugauitque Iosue Amalec, & populum eius in ore gladii. Dixit autem Dominus ad Moysen: Scribe hoc ob monimentum in libro, & trade auribus Iosue: delebo enim memoriam Amalec sub cælo. Ædificauitque Moyses altare: & vocauit nomen eius, Dominus exaltatio mea, dicens: Quia manus solii Domini, & bellum Domini, erit contra Amalec, à generatione in generationem.

Venit autem Amalec, & pugnabat contra Israel in Raphidim.

2 Amalec fuit nepos Esau.

AMALEC Esau nepos fuit. Nam Gen. 36. Eliphaz, filius Esau, genuisse dicitur Amalec. Ab hoc Amalec Amalecitæ originem habuerunt, qui inter populos terræ exploratæ numerantur ab exploratoribus, Num. 13. *Venimus*, aiunt, *in terram, ad quam misisti nos. Cultores fortissimos habet, Amalec habitat in meridie, Hethæus, & Iebusæus in montanis.* Hi sibi cauentes, vt vrbes suas defenderent, Israelitas extremos agminis aggressi sunt, vt legitur Deut. 25. *Memento*, inquit Moses, *quæ fecerit tibi Amalec in via, quando egrediebaris ex Ægypto, quomodo occurrerit tibi, & extremos agminis tui, qui lassi residebant, ceciderit, quando tu eras fame, & labore confectus, & non timuerit Deum.* Moses Iosue ducem belli creauit, ipse in montis verticem Deum pro victoria oraturus ascendit, victique sunt hostes, & in fugam versi tum militum robore, tùm vel maximè Mosis precibus. Quæri solet, (ait Theodoretus) *quibus armis Hebræi aduersùs Amalecitas pugnarint?* Respondet sic: Ægyptiorum corpora vnà cũ armis in litus iecta sunt, hæc Hebræi spoliarunt, & in bello vsi his sunt, præterea, vt Exod. 13. legitur, armati ascenderunt Israelitæ ex Ægypto.

Num. 13.

Deut. 25.

Theodor.

Cùm leuaret Moyses manus, vincebat Israel.

3 Victus est Amalec pugnante Iosue, & Mose orãte.

In verticem propinqui collis ascendit Moses, vt oraret Deum, prælique euentum cerneret. Eleuatis manibus orabat stans, & virgam Dei tenens, comites illi aderant Aaron, & Hur; cùm attollebat manus, Hebræi superabant; sin autem paululùm remittebat, superabãtur. Manus autem eius erant graues; ne ergo lassaretur Moses, in lapide sedit: Aaron verò, & Hur ex vtraque parte manus fulciebant; itaque vsque ad occasum solis, sublatis manibus, orauit, victoriamque de Amalecitis orando reportauit. Aaron, & Hur in populo principes erant, vt colligitur ex illis verbis Mosis ascendentis in montem Sinai, Exod. 24. *Expectate hic, donec reuertamur ad vos habetis Aaron, & Hur vobiscum. Si quid natũ fuerit quæstionis, referetis ad eos.* Nonnulli dixerunt, Hur fuisse filium Caleb, & Mariæ, sororis Mosis, sed hanc opinationem refutant bene Lyranus, & Abulensis. Lyranus verò maritum fuisse ait Mariæ, tribuitque hanc opinionem antiquis doctoribus: Mihi (inquit) videtur meliùs dicere cum antiquis doctoribus, quòd iste Hur fuerit maritus Mariæ, &c. Neque alienus est hoc capite Abulensis ab hac sententia, quam cap. 35. Exod. in fine communem esse ait: Hur, inquit, communiter dicitur maritus esse Mariæ, sororis Mosis, &c. In ea est Iosephus lib. 3. Antiquit. cap. 2. & Caietanus: Creditur, (inquit) quòd iste Hur fuerit maritus Mariæ, sororis Mosis, &c. Gregorius tamen Nyssenus, vt diximus tomo 1. Concord. lib. 7. cap. 8. putat, Mariam hanc virginem fuisse, lib. de virginitate, cap. 19. & D. Ambros. lib. 1. de virginibus. Incerta itaque est hæc virginitas, & hoc coniugium Hur cum Maria.

Exod. 24.

Hur non fuit filius Mariæ, sororis Mosis.

Abulensis. Hur dicitur fuisse maritus Mariæ, sororis Mosis. Caietanus.

Scribe hoc ob monimentum in libro, & trade auribus Iosue.

4 Primus Amalec pugnauit cũ Israelitis.

Primus populus, qui contra Israelitas in hoc itinere dimicauit, fuit populus Amalecitarum, populi Hebræorum consanguineus. Nam Hebræi à Iacob, fratre Esau, Amalecitæ verò ab Amalec, nepote Esau, origenem ducebant. Noluit Dominus illos punire modò, ac delere, quia nondum impleuerant iniquitatis mensuram. Distulit in futurum punitionem, præcepitque Mosi: *Scribe hoc ob monimentũ*, id est, ob memoriam, *in libro.* Abulensis putat, Mosem scripsisse librum, qui in scriptura Iosue 10. & 2. Reg. 1. dicitur, *liber iustorum*, & Num. 21. appellatur, *liber bellorum Domini*. in hoc autem scripsisse hoc monimentum à Deo traditum. Idem sentit Aben Ezra, sed non probat. Crediderim, scripsisse Mosem monimentum in hoc libro Exodi hoc loco, & Deut. 25. his verbis: *Cùm Dominus Deus dederit tibi requiem, & subiecerit cunctis per circuitum nationes, in terra, quam tibi pollicitus est, delebis nomẽ eius* (id est, Amalec) *sub cælo. Caue, ne obliuiscaris.* Satis hæc sunt. Non oportet librum iustorum quærere. Addit Dominus: *Et trade in auribus Iosue.* Non solùm iubet Mosem scribere, sed etiam prophetiam aperire Iosue duci, de excidio Amalecitarum: *Scribe*, inquit, *& Iosue* qui illos vicit, *auribus*, & memoriæ *committe*, quod tibi dico de Amalecitarũ vastatione. Delebo enim memoriam Amalec sub cælo, eò quòd vobis bellum intulerint, funditus Amalecitas perdam, vsque ad internecionem. Completum est hoc vaticinium, 1. Reg. 15. cùm per Samuelem Dominus delere iussit Regem Saulem memoriam Amalecitarum. *Recensui* (ait Dominus ad Regem Saulem) *quæcunque fecit Amalec Israëli, quomodo restitit ei in via cùm ascẽderet de Ægypto. Nunc ergo vade, & percute Amalec, & demolire vniuersa eius, non parcas ei, & non concupiscas ex rebus illius aliquid, sed interfice à viro vsque ad mulierem, & paruulum, atque lactentem, bouem, & ouem, camelum, & asinum*, &c. Hanc euersionem vaticinatus est Balaam, Numer. 24. *Principium*, inquit, *gentium Amalec, cuius extrema perdentur.* Dicũtur autem Amalecitæ *principium gentiũ*, vt vult Chaldæus, quia primi ex gentibus cum populo Israelitico pugnarunt. Sic ille vertit: *Principium bellorum Israël fuit Amalec.* Sic etiam exponit Lyranus, & Caietanus. Potest etiam dici Amalec principium gentium, eo tempore, quòd essent potentiores Amalecitæ cæteris gentibus illarum regionum, quamobrem ausi sunt bellum inferre Hebræis. Sed tandem à Saule funditus perditi sunt, ideo addit Balaam, *cuius extrema perdentur.*

Primus populus

Iosue 10. 2. Reg. 1. Num. 21.

Deut. 25.

1. Reg. 15.

Amalec disperdidit Deus.

Num. 24.

Ædificauit Moyses altare.

5 *Moses altare post victoriã ædificauit in gratiarum actionem.*

In gratiarum actionem, reportata victoria de Amalecitis, altare extruxit Moses, nomenque illi imposuit, *Dominus exaltatio mea*, Hebraicè יהוה נסי *Iehoua nisi*. *Nes* autem significat *vexillum, exaltationem*, seu *eleuationem*, & *refugium*. Verterunt LXX. *Dominus refugium meum*. Noster interpres: *Dominus exaltatio mea est*, ille populum suum in hoc prælio exaltauit, & eleuauit super inimicos, donans victoriam. Verti etiam potest; *Dominus vexillum meum* fuit cõtra Amalecitas, dux, protectio, ac refugium. Hoc erat nomen altaris indicans beneficium præteritum, à Deo acceptum; alterum futurum, & accipiendum deleta memoria hostium. Quia verò altare ad sacrificia offerenda ædificatur, putat Caietanus, & Abulensis, & est verisimile, Mosem sacrificia Deo in gratiarum actionem in eo obtulisse.

Quia manus solij Domini, & bellum Domini erit contra Amalec à generatione in generationem.

6 Altari nomen imposuit Moses: *Dominus exaltatio mea*, dicens, *quia manus solij Domini*. hoc est, quia manus Domini potentissima, quæ super solium, id est, thronum cælestem est, & bellum Domini, huius manus potentissimæ, erit contra Amalecitas, à generatione in generationem, Metaphoricus sermo est de Deo, quasi Rege in throno sedente, & manus super thronum habente. Hebraicè legitur: *Quia manus super solium Domini*. Hebræi, & alij interpretes, volunt, hìc significari Dei iuramentum per soliũ suum, siue thronum iurantis, quasi dicat Moses, quia manus Domini super solium eius, id est, quia Dominus posita manu super solium iurauit per solium suum: & bellum erit contra Amalec, siquidem Deus iurauit fore. Nostra versio in hunc sensum duci potest hoc pacto: Quia manus throni, vel solij Domini, id est, manus qua posita super thronum vel solium Deus iurauit, & bellum Domini erit contra Amalec, siquidem Deus iurauit, cuius manus est potẽtissima.

Dei iuramentum contra Amalecitas.

CAPVT XXII.

MORALE.

De mansione vndecima Raphidim.

Iuxta sermonem Domini.

1 AIt Moses, multitudinem filiorum Israël profectam esse ex deserto Sin, per mansiones suas, *iuxta sermonem Domini*, & castra fixisse in Raphidim. Dubitatur, *quisnam hic sermo Domini sit*, iuxta quem profecti sunt Israëlitæ, & castrametati? Respondetur, dici Israelitas proficisci, & castrametari iuxta sermonem Domini, non quòd Dominus ore proprio illos alloqueretur, sed quia nubem illis dederat, quæ viam indicabat. Per nubis ergo motum, & quietem loquebatur illis, & imperia dabat. Numer. 9. *Ad imperium Domini erigebant tentoria, & ad imperium illius deponebant*. Item: *Per verbum Domini figebãt tentoria, & per verbum illius proficiscebantur*. Habet vnaquæque religiosorum domus suam columnam, hoc est, suum superiorem, siue prælatum, huius mandata sequi debet, ac si ab ipso Deo essent tradita. Proficiscebatur, vel quiescebat multitudo filiorum Israel iuxta sermonem Domini, aut iuxta imperium Domini, cùm columnam sequebatur; sic multitudo filiorum Christi, bonorumque religiosorum proficiscitur, quiescit, vel aliquid aliud facit iuxta sermonem, & imperium Dei, cùm superiori obedit suo. Hinc illud D. Bernardi in lib. de dispensatione, & præcepto: Quidquid vice Dei præcipit homo, quod non sit, tamen certum displicere Deo; haud secus accipiendum est, quàm si præcipiat Deus. &c. Item: Ipsum, (id est, superiorem) quem pro Deo habemus, tanquam Deum audire debemus, &c. Et ex regula D. Benedicti: Obedientia, quæ maioribus præbetur, Deo exhibetur, &c. Sequatur columnam suam, id est, obedientiam, qui in hoc deserto inuio viam rectam tenere vult, & ad terram repromissionis peruenire.

Deus per columnam nubis imperabat Israelitis.

Num. 9.

Superior religiosorum est columna, quam sequi debent.

D. Bernard. Superiorem tanquam Deum audire debemus.

Percutiet petram, & exibit ex illa aqua.

2 1. Corinth. 10. *bibebant*, inquit Apostolus, *de spirituali consequente eos petra, petra autẽ erat Christus*. Ex his verbis patet, rupem illam in deserto percussam, typum fuisse Christi, qui firmissima, celsissimaque rupes est. Biberunt quidem Hebræi, sensu literali, in deserto, de petra Horeb, sitimque extinxerunt, qua laborabant: at etiam, vt ait Paulus, bibebant de alia petra spirituali, hoc est, de petra, sensu non literali, sed spirituali intelligenda, *Petra autem hæc erat Christus*, qui dicitur petra consequens, vel sequens Israelitas, quia postea ex Israelitis carnem assumpsit in terra promissa: vel, quia eos sequebatur protegens. Propterea enim illum populum Deus defendebat, quia ex eo Christus erat nasciturus. Percussa petra aquas abundanter effudit; sic percussus multis alapis, verberibus, spinis, & clauis Christus largissima gratiæ emisit flumina. Clamat petra hæc Ioan. 7. *Si quis sitit, veniat ad me, & bibat*. Israelitæ certatim ad suam petram accedebant, nos accedamus ad nostram, non possumus conqueri aut murmurare cum Hebræis, Exod. 17. quòd desit nobis aqua. Percussa iam est petra, vulneratus est Christus, largissima aquarum cælestium flumina ex illo emanant, ad quas nos Isaias vocat ca. 55. *Omnes*, inquit, *sitientes venite ad aquas. Bibebant*, ait Paulus, *de consequente eos petra*. Consequebatur Iudæos petra hæc, & ex illa biberunt, quia quidquid habuere aquæ, id est, gratiæ, à Christo habuerunt. Consequitur nos eadem petra, omnis enim hominum gratia ab hac rupe effluit. Accedunt, aquasque hauriunt sitientes: *Qui sitit*, ait Dominus, *veniat ad me, & bibat*. & Isaias: *Omnes sitientes venite ad aquas*. Qui sitiunt aquas cælestes, veniunt & bibunt. Qui terrestres sitiunt, venire nolunt. Sitit ceruus, ideoque celeri cursu aquam quærit: sic sitit vir Deum desiderans, & toto conatu ad cælestem fontem currit. Psal. 41. *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus: sitiuit anima mea ad Deum fortem viuum*. O beatam sitim, qua anima ad Deum fortem rupem percussam sitit! O infelicem illam sitim, qua mundi amatores, fœtidos, venenoque infectos eius lacus sitienter appetunt. Consequebatur petra, id est, Christus (vt ait Apostolus) populum: sic nunc consequitur populum, & comitatur, gratiæ aquas semper effundens.

Christus petra cõsequens.

Ioan. 7.

Isai. 55.

Psalm. 41.

Præterea consequitur, & concomitatur petra Christus populum suum; per petram, hoc est, per

Matth. 16. Petra est Petrus, quæ doctrinæ aquam mundo effudit ex petra Christo.

per Petrũ, quem ille *petram* appellauit, Matth. 16. *Tu*, inquit, *es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meã*. Ex petra inuisibili in cælo existente Christo effluit aqua purissima, hanc ille voluit ex petra etiam visibili in Ecclesia visibili emanare. Summum Pontificem visibilem Petrum constituit, Ecclesiæ claues ei tradidit, petram illum nominauit, Euangelicam doctrinam ab hac petra purissimam absque vllo errore profluere voluit, omnes Christianos ex ea iussit bibere; petra autem hęc consequitur, semperque consequetur Christianos. Numquam enim petra, & Petrus deerit, quia numquam in cathedra Romana Petri, summus orbis totius Pontifex deerit, bibentque semper Christiani doctrinam purissimam de consequente eos petra, id est, de consequente eos Christo per Petrum, & per Pontifices successores.

Vocauit nomen loci illius Tentatio, propter iurgium filiorum Israel.

4 Vocauit loci nomen Moses *Massa*, id est, *tentationem*, ob memoriam iurgij Israelitarum adversùs Mosem, & tentationis aduersùs Deum. Meminisse enim oportet aliorum malefacta, vt illa caueamus, vnde illud Psal. 94. *Hodie si vocẽ eius audieritis, nolite obdurare corda vestra sicut in irritatione secundùm diem tentationis in deserto, vbi tentauerunt me patres vestri*. Proponit vates Hebræis patrum exemplum, vt à corde duro eos deterreat. Quemadmodum enim iustorum exempla ad bonum admouent calcaria: ita improborum exempla à malo deterrent prudentes viros.

Psal. 94.

Impiorum exempla à malo deterrẽt prudentes.

Venit Amalec, & pugnabat contra Israel.

5 Pharao, & Ægyptiorum exercitus in mari rubro omnes submersi sunt: eũdem in modum hostes omnes, id est, peccata omnia ante baptismum cõmissa, in rubro sanguinis Christi mari, velut Ægyptij, submerguntur, sed post transitum maris rubri, alij aduersùs filios Israel hostes insurrexerunt, videlicet Amalecitæ. *Venit* (inquit Moses) *Amalec, & pugnabat cõtra Israel*. Eundem in modum post transitum baptismi, alij hostes baptizatos, iter in terram promissionis facientes, vt iter impediant, adoriuntur. Semper ergo armatos incedere oportet Christianos, iuxta illud Exod. 13. *Armati ascenderunt filij Israël de terra Ægypti*, & aduersùs hostes semper vigilare, & auxilium à Deo poscere, iuxta illud Domini Matth. 26. *Vigilate, & orate, vt non intretis in tentationem*. Vigilate, (inquit) & oratione auxilium Dei postulate, ne ab hostibus, qui variis tentationibus vos oppugnant, vincamini. & D. Petrus epist. 1. cap. 5. *Sobrij estote, & vigilate, quia aduersarius vester diabolus, tanquam leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide*. Tartareus tyrannus sæuo similis leoni nos circuit post baptismum, rugiẽti die emittit tentationum iacula; sobrios ergo nos esse oportet, ac vigilantes, & in fide, veluti turri fortissima, illi resistere. Docuit nos Christus post baptismum bella sequi, capiendaque ieiunij, orationis, & vigiliarum arma, cùm, postquam baptizatus est, in solitudinem se contulit, ieiuniisque, orationi, & vigiliis vacans, à dæmone tentatus est. Audiamus D. Gregor. lib. 9. epist. 39. Maris, inquit, rubri transitus figura sancti baptismatis fuit, in quo hostes à tergo sunt mortui: sed alij contra faciem in eremo sunt inuenti. Sic quippe omnes, qui in sancto baptismate tinguntur, eorum peccata præterita omnia laxantur, quia eis velut Ægyptij hostes à tergo moriuntur: sed in eremo alios hostes inuenimus, quia, dum in hac vita viuimus, priusquam ad promissionis patriam pertingamus, multæ tentationes nos fatigant, & ad terram viuentium tendentibus, iter intercludere festinant. Sic ille.

Post baptismũ multa restãt Christianis certamina.

Exod. 13.

Matth. 26.

1. Pet. 5.

D. Greg.

Iosue pugnauit contra Amalec.

6 Hoc fuit primum prælium, quod Israelitæ in hoc itinere commiserunt. Contra Regem Ægypti Pharaonem Deus pugnauit, iuxta illud Exod. 14. *Dominus pugnabit pro vobis, & vos tacebitis*, &c. *tacuerunt filij Israël*, hoc est, quieuerunt, non sumpserunt arma aduersùs Pharaonem: Deus cum hoste pugnauit, eumque profligauit: at contra Amalecitas voluit Deus certare Hebræos post maris rubri transitum, post acceptum manna, post aquam ex petra emissam. In baptismo pugnat Deus pro nobis, contra hostes, id est, peccata præterita, nos tacemus, parumque laboris subimus: at postquam transimus mare baptismi, panem de cælo, aquamque de petra accipimus, cum Amalecitis qui itineri obstant fortiter certandum est, vt obseruat Origenes. homil 11. Exod. Non fertur, inquit, populus pugnasse, antequam manducaret panem de cælo, & biberet aquam de petra, sed dicitur ad eum: *Dominus pugnabit pro vobis, vos tacebitis*. & tu ergo, cùm cœperis manducare manna, panem cælestem verbi Dei, & bibere aquam de petra, cumque ad interiora doctrinę spiritalis accesseris, sperato pugnam, & præpara te ad bellum, &c. Præparet se ad bellum baptizatus, tum aduersùs alios hostes, id est, alia vitia, tùm aduersùs libidinem, cuius figuram Amalec esse docet D. Gregor. in comment. lib. 1. Reg. cap. 14. Hoc enim vitium iter agentibus in terram repromissionis bellum infert atrox, & spiritui maximè resistit. In via (inquit D. Gregorius) Amalec restitit Israeli, quia libido ad perfectionis summam tendentibus arma voluptatis obiicit, & corda gladio immundæ suggestionis ferit, &c. Item: Valdè fortis, & violẽta est pugna fornicationis. Resistere Amalec, id est, libido dicitur, quia, dum in carne sumus, libidinis fortia bella sustinemus, &c.

Exod. 14.

Origenes.

Baptizatus præparet se ad bellum.

Amalec libidinem significat.

D. Greg.

Elige viros, & pugna contra Amalec.

7 Præcipit Moses Iosue, vt exercitum contra Amalec instruat, conseratque cum eo manus. Diximus Amalec typum esse libidinis, inferendum ergo est bellum, congregandusque exercitus, à quo omnino profligetur, & extinguatur. Quis exercitus sit congregandus, docet sanctissimus Pontifex Gregorius, paulò antè citatus, lib. 1. Reg. cap. 14. Amalec, (inquit) id est, libido, non vincitur, nisi exercitus congregetur. Ad extinguendum fornicationis spiritum virtus vna non sufficit. Abstinentia quidem ciborum fortissima est, sed sola non præualet. Est enim velut miles, pugnare potest, sed superare non potest. Qui enim fornicationem percutere appetit, addat abstinentiæ virtutem humilitatis. Nam si mens Deo subdi humiliter despicit, carnis suæ desideria dominando non premit, &c. Fortes quidem milites sunt, abstinentia & humilitas, sed non sunt satis, non afficiunt exercitum. Propterea addit Gregorius alios

D. Greg. Congregãdus est exercitus contra Amalec, id est, cõtra libidinẽ, vt vincatur.

D. Greg.

Milites congregandi adversus Amalec, qui sint.

alios milites, qui efficiant exercitum, scilicet orationes multas, & cordis affectiones in Deum intētas, innumerabiles cogitationes bonas, meditationes scripturarum ac piorum librorum lectiones, exemplaque sanctorum. Virtuti, inquit, humilitatis, & abstinentiæ corporis, addatur frequens numerus orationis. Affectus cordis intenti cælestibus, contra carnis bellum, fortes milites sunt, &c. Item: quid sunt omnes turbæ bonarum cogitationum, nisi innumerabiles mentis acies. Non habent, vnde intrare cogitationes possint ad animam, quę quasi fortissimo milite, honestate cogitationum bonarum ornata est vndique. Item: Vitare turpes cogitationes non prævalet, qui honestas in se non habet, &c. Denique addit Pater sanctissimus: Hunc exercitum anima congreget, quæ Amalec, id est, libidinem, vult perimere, in horum medio resideat, vt cincta exemplis electorum fortium, circumdata doctrinis Scripturarum, nullam partem sui vacuam relinquat, vnde hostis irrumpat. Quia ergo innumerabilia sunt exempla fidelium, quia multa documenta scripturarum, exercitus magnus, & fortis est, &c. Item: Domita carne ieiuniis, humilitatis arce prædita mente, orationis armis accincta, intenta cælestibus doctrinis, exemplis munita, impiæ libidinis suggestioni aditum consentiendo præbere non prævalet. Hactenus eximius magister D. Gregorius.

Cùm leuaret Moyses manus, vincebat Israel.

8 Vincitur Amalec, id est, diabolus, hostis noster, si manus eleuemus à terra in cælum, id est, opera. Quòd si opera terrena sint, humique prostrata, vincit. Eleuare manus (ait Origenes) est opera, & actus eleuare ad Deum, & non habere actus deorsum deiectos, & humi iacentes, sed ad cælum erectos. Si eleuentur actus nostri, & non sint in terra, vincitur Amalec, si vis vincere, eleua manus, & actus tuos, & conuersatio tua non sit in terris, super terram ambulantes conuersationem habeamus in cælo, &c. D. August. serm. 93. de tempor. Quis (ait) bene manus leuat, nisi qui per eleemosynam thesaurizat in cælo? &c. Eos, qui sic manus leuant, respicit Dominus, & exaudit, iuxta illud Tobiæ 4. *Ex substantia tua fac eleemosynam, & noli auertere faciem tuam ab illo paupere, ita enim fiet, vt nec à te auertatur facies Domini.* Manus diuitum, qui in numerandis pecuniis, ac reperendis, & in conscribendis impensis, & expensis versantur, in terra versantur: manus, quæ pecunias dispergunt, & dant pauperibus, in cælum eleuantur, & contra Amalec fortiter decertant.

Origenes. Leuamus manus, cùm eleuamus opera.

D. August.

Tob. 4. Eleemosyna.

9 Manus etiam contra Amalec in oratione eleuandæ sunt, cùm bella geruntur, quæ quidem precibus maximè gerenda sunt; pugnat gladio Iosue, pugnat precibus Moses. Si manus eius in sublime eleuatæ sunt, vincitur hostis; si manus remittuntur, hostis vincit: eundem in modum certandum tempore belli, & gladiis, & precibus. Sic Iudas Machabæus pugnauit, cùm de Nicanore præclaram retulit victoriam, 2. Machab. 15. *Iudas, inquit, & qui cum eo erant, inuocato Deo, per orationes congressi sunt, manu quidem pugnantes, sed Dominum cordibus orantes.* O milites, ô duces, pugnate manu belligerante, sed etiam pugnate corde Deum inuocante, si victoriam reportare vultis, imitamini Iosue certantem, & Mosem orantem. Num. 22. ait Balac: *Ita delebit hic populus omnes, qui in nostris finibus commorantur, quomodo solet bos herbas vsque ad radices carpere.* LXX. vertunt: *Sicut vitulus ablingit in campis herbam viridem: ita ablinget populus hic populum, qui super terram est.* Origenes verò, sicut à maioribus accepit, huius loci interpretationem affert, qua indicat, Hebræos oratione hostes superasse. Per hæc verba, (inquit) vt à maioribus accepimus, indicari dicitur, quia populus Dei, non tam manu, & armis, quàm voce, & lingua pugnabat, id est, orationem fundens ad Deum, prosternebat inimicos, &c. Vitulus, siue bos, herbam ore, & lingua ablingit, & carpit: sic, qui Deum precantur, hostes, & tentationes, ore, linguaque, id est, oratione, absumunt. Lege eundem Origen. hom. 13. Numer. Pugnant concionatores, & confessarij, pugnant operarij boni Ecclesiæ aduersùs Amalec, id est, diabolum, ne quæso sint, qui illis aduersentur. Qui possunt, pugnent simul, qui in campum prodire nequeunt, orent. Lege August. serm. 2. de S. Stephano: Iosue, inquit, pugnabat, & Moses orabat. Meritò qui pugnabat, non deficiebat, quia ille orando vincebat. Ego aliis orantibus loquor, vt precibus eorum contingat mihi quod Dominus ait: *Aperi os tuũ, & implebo illud.* Si Iosue ab vno tantùm orante iuuabatur, & non superabatur, quanto magis ego, pro quo non vnus, sed multi rogāt Deum mecum, &c. Præterea ait Origenes, manus Mosis eius scriptæ significare, eos verò illas eleuare, qui spirituales, & altiores sensus sectantur, & de rebus Christi, & Ecclesiæ Mosem exponunt.

Num. 22.

Origen.

Origenes.

D. August.

Is eleuat manus Mosis, qui eius scriptæ ad sensus spirituales eleuant.

10 Quæritur, *an Moses in modum crucis extensis manibus orauerit?* D. Damascenus lib. 4. Fidei, cap. 12. Manus, inquit, cruci formiter extensæ repulerunt Amalec. D. August. lib. 10. de Ciuit. cap. 8. Orante, ait, Mose manibus in figura crucis extensis, &c. Tertullianus in lib. aduersus Iudæos: Crucis, inquit, habitus erat necessarius, per quam Christus victoriam erat relaturus, &c. & lib. 3. aduersus Marcionem conscripto carmine de Mose sic ait: Extenditque manus, vt signo vinceret hostem, signo inquam crucis. D. Hieron. mansf. 11. Iosue contra Amalec militat. Ad crucis signum superatur inimicus, &c. Idem sentire videtur Nyssenus, & Theodor. Origen. hom. 1. In Iosue Christus (inquit) est, qui ducit exercitum contra Amalec: & quod adumbratur in monte, manibus extensis, affigit cruci suæ principatus, & potestates, triumphans in semetipso, &c. D. August. lib. homil. 50. hom. 27. Extensio, inquit, manuum Mosis crux Christi fuit, &c. D. Cyrillus in collectaneis, cap. 16. Manus, inquit, Mosis in aërem expansæ describunt figuram crucis, &c.

An Moses orauerit extensis manibus in modũ crucis?

D. Damasc.

D. August.

Tertul.

D. Hieron.

Origen.

D. August.

D. Cyrillus.

11 Origenes verò homil. 11. in Exod. Mosem putat eleuasse manus, non extendisse: extendisse verò Christum in cruce, quia orbem terræ brachiis suis erat complexurus. Similiter August. serm. 93. de tempor. sic scribit: Moses manus leuat, sed non extendit. Cui ergo seruabatur, vt manus extenderet, nisi Christo, qui in cruce vniuersum orbem complexurus brachia pietatis expandit? &c. Probatur hæc opinio, quia Moses virgam Dei manu tenebat: *Ego, inquit, stabo in vertice collis habens virgam Dei in manu mea.* Ergo eleuatas habebat manus, nõ extensas, & inter eas virgam Dei tenebat. Caietanus: Quia, inquit, virgam Dei Moses in manu tenebat, non irrationabiliter creditur, quòd manus eleuatas habebat; sic, quòd inter vtranque volam virgam Dei teneret, extensis manibus versùs cælum, &c. Verisimilius est in similitudinem Christi, qui configendus erat, Mosem manus extendisse, vt figuram illam respiciens Deus auxilium ferret Israelitis per Christi futura merita. Extensis autem manibus cùm oraret, in manu dextera virgam Dei tenebat. Probatur opinio, quia Israelitæ orare solebant expansis manibus, non iunctis, vnde de Salomone scriptum est, 3. Reg. 8. *Stetit ante altare, & expandit manus suas in cælum.* Eccles. 48. *Inuocauerunt Deum misericordem, & expandentes manus suas extulerunt ad cælum, & Deus audiuit ciò orationem ipsorum.* 1. Esdr. 9. *Expandi manus meas ad Deum.* Psal. 142. *Expandi manus meas ad te.* Psal. 87. *Clamaui ad te, Domine, tota die expandi ad te manus meas.* Psal. 43. *Si expandimus manus nostras ad Deum alienum.* Isaiæ 1. *Cùm extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis.* Quamuis autem eleuatis manibus, & non extensis, orauerit Moses, tamen illa manuum eleuatio, vt Augustino placet, eleuationem manuum Christi in cruce indicabat. Licet Moses (ait August. serm. 93.) manus non expanderit; tamen ipsa eleuatione mysterium crucis ostendit. Videte, Fratres, iam tunc per sacramentum crucis superatas esse aduersarias gentes, &c. Theodoretus in Exod. Moses Christi crucifixi figuram implebat, cùm manus leuaret, ostensa est in ipsa figura veritatis vis. Quemadmodum enim cùm Moses manus tenderet, cadebat Amalec; ita Christo in cruce manus tendente, diaboli castra depopulata sunt, &c.

Caietan.

Iudæi extensis manibus orabant, sic orauit Moses.

3. Reg. 8. Eccles. 48.

1. Esd. 9. Psal. 142. Psalm. 87. Psal. 43. Isai. 1.

D. August.

Theodor.

Si paululùm remisisset, superabat Amalec.

12 Indicabant eleuatæ manus Mosis orantis, & vincentis Amalec, orationem nostram eleuatam esse debere, & Deo intentam, si hostes volumus superare. Remissæ autem manus, orationem remissam adumbrant. Oratio est eleuatio mentis in Deum, eleuet ergo mentem oratio, eleuetque vicissim mens orationem. Quemadmodum militis arcus, vt hostem feriat, intenditur; sic oratio, vt diabolum vulneret, intendenda est. Obserua Mosis orantis gestum, & compositionem corporis. Stans orat, defatigatur, & sedet humiliter super lapidem, manus habet eleuatas: Tu quoque, cùm oras, animum rectè compone, corpus quoque, quandiu poteris, genibus flexis ora, postea sta, tandem, si stare non vales, humili loco sede, eiusque maiestatem considera, cum quo loqueris, & cui assistis: manus autem in cælum attolle, & multo magis cor. Expende, qua corporis compositione homines regem, vel principem aliquem virum alloquantur. Ex illis disce summum totius cæli, terræque regem alloqui ea reuerentia, corporisque, & mentis constitutione, quam infinita illa maiestas suo iure postulat, quam laudant angeli, adorant dominationes, tremunt potestates. Malè composito corpore, & mente remissa, ac socordi cum Deo agentes, D. Chrysost. Psal. 4. reprehendit his verbis: Allocuturi homines aliquos, qui sunt nobis superiores, & habitum, & incessum, & amictum, & omnia composuerimus, ita vt oportet, alloquimur: ad Deum autem accedentes, hiamus, fricamus nos, huc atque illuc versamus, negligentes, ac socordes sumus, humi, genibus flexis, per forum ambulamus, &c. Non sic illa anima, non sic, de qua legitur Cant. 3. *Quæ est ista, quæ ascendit per desertum, sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ, & thuris, & vniuersi pulueris pigmentarij?* Ascendit ad Deum anima intentè orans, & attentè: non est remissa, & deses: ascendit autem vt odor suauissimus, qui ex aromatibus efflatur, cælumque petit.

Cōpositio corporis orantis.

D. Chrysost.

Cant. 3.

Odor orationis suauis est Deo.

Aaron, & Hur sustentabant manus eius.

13 Manus Mosis eleuatas sustentabant, Aaron, qui postea creatus est summus sacerdos, & Hur. Hebraicè חור, per cheth, significat *libertatem*, vel *candorem*, hoc autem est nomen viri, qui manus Mosis sustentabat, אור verò per aleph, significat *ignem*. Manus Mosis erant graues; sic manus nostrę graues sunt ad opera bona peragenda. Quærēda igitur sunt fulcra, quibus fulciantur, nimirum sanctæ meditationes, piorum librorum lectiones, auditiones, & similia. Præterea Aaron sustentat manus nostras graues, id est, sacerdotes diuina administrantes sacramenta; frequens enim peccatorum expiatio, & augustissimæ Eucharistiæ perceptio, valde manus fulciunt. Fulcit quoque manus Hur, id est, libertas. Qui iugum dæmonis vult excutere, & libertate filiorum Dei frui, manus eleuet opus est ad seruādam Christi legem. Qui enim manus ad iniqua opera, legique contraria remittit, is protinus dæmonis fit seruus, & filiorum Dei libertatē amittit. Quod si in oratione eleuatas cupis habere manus, eius cogita maiestatem, cum quo loqueris, id est, Dei optimi, atque maximi. Habebat eleuatas manus Moses, sed quia erant graues, remittebantur. Nobis etiam contingit, vt aliquando remittantur manus, & opera; sed quærenda sunt statim fulcra, quibus sustententur. D. Aug. lib. hom. 50. homil. 27. Alternatio, inquit, illa defectus, & fortitudinis in manibus Mosis, fortè alternatio tua fuit. Aliquando enim in tentationibus deficis, sed non succumbis. Deponebat ille paululùm manus, sed non omnino ruebat. Psal. 93. *Si dicebam, motus est pes meus, ecce misericordia tua, Domine, adiuuabit me.* Noli timere, adest in itinere auxiliator, qui in Ægypto non defuit liberator. Sic August.

Fulcra manuum nostrarum, id est, operum.

D. August.

Psal. 93.

Fugauit Iosue Amalec.

14 Iosue Hebraicè dicitur יהושע *Iehosuag*. Christus autem dicitur ישוע *Iesuag*. Iesus, sed Græci etiam Iosue vocant Iesum. In Concord. Euang. tomo 1. lib. 9. cap. 3. de his duobus nominibus satis egimus. Tertullianus in lib. aduersùs Iudæos ait, pugnasse aduersùs Amalecitas crucis signum in Mose, & nomen Iesu in Iosue: Illic (inquit) vbi nomen Iesu dimicaturi contra diabolum dimicabat, crucis quoque habitus erat necessarius, per quam Iesus victoriam esset relaturus, &c. Origenes verò: Vsque ad hunc, inquit, locum beati nominis Iesu, nusquam facta est mentio. Hic primùm vocabuli huius splendor effulsit, hîc primùm vocauit Moyses Iesum, & dixit ei: *Eligе tibi viros.* Moyses vocat Iesum, lex vocat Christum, vt eligat sibi viros potentes de populo. Non poterat Moyses eligere, sed Iesus solus est, qui possit potentes viros eligere, qui dixit: *Nõ vos me elegistis, sed ego elegi vos.* Ipse enim est electorum dux, ipse potentium princeps, ipse qui confligit cum Amalec, qui intrat in domum

Tertull. Aduersùs Amalec pugnauit nomen Iesu in Iosue, & crux in Mose.

Origen.

Tempore belli certandum precibus, & gladijs.

2. Mach. 15.

in domum fortis,& alligat fortem, & vasa eius A diripit, hæc Origen. Lege eundem homil. 1. in Iosue.

15 At dubitatur, *vtrum* Iosue *iam vocaretur hoc nomine, cum pugnauit cum Amalec*? Nam ille vocabatur Osee, Hebraicè הושע. Moses verò multo postea, cùm eum ad explorandam terram repromissionis misit, nomen illi imposuit Iehosuag, siue Iosue, aut Iesus, vt LXX. & Græci vocant. Numer. 13. *Hæc sunt nomina virorũ, quos misit Moyses ad considerandam terrã. Vocauitque Osee filium Nun Iosue.* LXX. interpretes sic vertunt: *Vocauit Ause filium Naue, Iesum,* &c. Caietanus respõdet, incertum esse quando mutatio ista nominis à Mose facta sit; fortè, ait, impositum nomen Iosue tunc, cùm præliatus est cum Amalec. Abulensis, Lyranus, & Oleaster putant factam mutationem non hoc loco, sed cùm missus est ad explorãdam terram promissam. Hæc est sententia D. Augustini lib. 16. contra Faustum, cap. 19. Iustini in dialogo contra Tryphonem, Anastasij Nicæni quæst. 55. Si obiicias iam hoc loco, *vocari Iosue multo ante explorationem terræ, aliisque locis*, respondetur, id factum, quia quo tempore liber Exodi scribebatur à Mose, iam Osee dicebatur Iosue. Visus est ergo Moses, cùm scribebat, nomine illo, quo vulgo iam appellabatur, etiam si prælium commemorabat commissum ante nominis impositionem. Quemadmodum nunc, etiamsi de rebus D. Pauli, quas gessit, antequam nomen Pauli haberet, loquamur, rectè nomen Pauli vsurpamus, videlicet cùm dicimus: D. Paulus Ecclesiam persecutus est: D. Paulo cùm Damascum peteret, apparuit in via Christus: at nomen Pauli nondum habebat Saulus. Hæc opinio videtur probabilior, quoniam apertè scriptura. Num. 13. docet, tunc Osee vocatum esse Iosue, cùm explorator est creatus; quando ergo cum Amalec certauit, Osee dicebatur, eratque etiam nomine Christi typus. Nam Osee, Hebraicè הושע, *hoseag, saluatorem* significat, tantúmque vna litera iod differt à יהושע *Iehosuag*. Vocalium enim non habetur ratio. Pugnabat ergo cum Amalec Osee, id est, saluator, qui postea addito iod, ex nomine Dei quadrilitero dictus est, *Iehosuag*, siue *Iosue*, & *Iesus*. Non desunt, qui existiment, tunc vocatũ esse Iosue, siue Iesum, cũ electus est dux prælij contra Amalec. Lactantius lib. 4. ca. 17. Christi, inquit, figurã gerebat ille, qui, cùm primùm vocaretur Auses, Moses futura præsentiens iussit, eum Iesum vocari, vt, quoniam dux militiæ delectus esset aduersùs Amalec, & aduersarium debellaret, per nominis figuram & populum in terram promissionis induceret. Sic ille. D. etiam August. serm. 93. de temp. putat, nominis mutationem ante prælium factam esse, & Theodoretus in Exod. quæst. 34.

An Iosue impositum fuerit hoc nomẽ, cùm explorator factus est? Num. 13.

Iosue impositum est hoc nomen, cùm missus est ad explorandam terram promissionis.

Lactantius.

Scribe hoc in libro.

16 Scribere iubet Dominus in libro supplicium inferendum Amalecitis, eò quòd cum filiis Israel terram promissionis petẽtibus prælio decertauerint. Non obliuiscitur Deus peccata, in libro scribit, supplicium sumit, post multos etiam annos, & post mortem, si in vita pœnitentia non expientur. Multi anni præterierunt à Mose, vsque ad Saulem, post hos multos annos deleti sunt Amalecitæ. Qui non vult grauiter puniri, & deleri, deleat ex libro Dei iniquitates suas, iuxta illud Dauidis Psalmo 50. *Secundùm multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam.* Deletur autem iniquitas lacrymis, & pœnitentia.

Peccata Deus scribit, delenda sunt pœnitentia.

Psal. 50.

Ædificauit Moyses altare, & vocauit nomen eius, Dominus exaltatio mea.

17 Grati animi memoriam indicauit Moses, ob beneficium acceptum, altare extruxit, gratiasque Deo victoriæ largitori egit. Discamus hoc ex loco gratitudinem erga Deum. Cùm primum beneficium accipimus, gratias statim Deo benefactori agamus: has enim ille expetit, & solui sibi vult, vnde illud Psal. 49. B *Immola Deo sacrificium laudis, & redde altissimo vota tua, & inuoca me in die tribulationis, & eruam te, & honorificabis me.* Sacrificium egregium Deo est laus, & gratiarum actio, quod in altari cordis offerendum est Deo post acceptum beneficiũ: *Ego eruam te*, inquit, *ex periculis, tu verò honorificabis me*, hoc est, reddes gratias pro beneficio. Eruit Deus Mosem ex periculo prælij, extructo altari illum honorificauit. Vocauit autem nomen altaris, *Dominus exaltatio mea*, quia populũ suum illa victoria exaltauit coram aliis populis. Est Deus exaltatio nostra, iuxta illud Psalmi 3. *Tu autem Domine susceptor meus es, gloria mea, & exaltans caput meum.* Et illud Psal. 112. C *Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem, vt collocet eum cum principibus populi sui.* Exaltatio nostra est in terra, quia gratiæ exaltationem donat, qua super principes, & reges exaltamur. Exaltatio quoque nostra est in cælo, quia gloriæ tribuit exaltationem. Exaltat nos Deus: exaltemus nos Deum. Ille exaltat gratia, ac gloria, beneficiisque maximis; nos exaltemus illum vitâ sanctâ, operibus bonis, laudibusque ex puro corde, & grato emanantibus.

Gratiæ Deo agendæ pro beneficiis.

Psal. 49.

Psal. 3.

Psalm. 112.

Manus solij Domini, & bellum Domini erit contra Amalec, à generatione in generationem.

18 Bellum est, eritque semper à generatione in generationem contra Amalec, id est, contra D diabolum, eiusque exercitum. Semper vsque ad orbis finem hic Amalec certabit cum hominibus, in terram promissionis tendẽtibus. Bellum Amalec erit contra homines: bellũ quoque Domini erit cõtra Amalec, à generatione in generationem. Pugnabit cũ hominibus diabolus: pugnabit pro hominibus Deus, illisque feret auxiliũ, ne vincantur. *Manus*, inquit, *solij domini, & bellũ Domini erit contra Amalec*, hoc est, potentissima manus Dei, quæ super thronũ eius est, auxilium hominibus afferet, & bellum diabolo inferet à generatione in generationem. Quemadmodum enim diabolus pugnare nunquam desinet: sic Deus nunquã desinet auxiliari. Hoc E autem auxilium oportet manibus eleuatis postulare. Moses sublatis manibus, non remissis, auxilium postulabat cõtra Amalec. Docet nos contra nostrum Amalec, id est, diabolum, manus attollere, & orationi eleuata mente, & non remissa instare. Delendus est autem Amalec omnino, 1. Reg. 15. *Percute Amalec, & demolire vniuersa eius. Non parcas ei, non concupiscas ex rebus illius aliquid.* Sic tibi dictum puta. Percute Amalec, percute diabolum, & demolire vniuersa eius opera, verba, cogitationes, cupiditates, ex rebus illius nihil penitus concupiscas. Exod. 17. *Delebo memoriam Amalec sub cælo*, ait Dominus: similem in modum delenda sunt omnia satanæ vitia, vt neque in memoriam iam veniant. Vis forsitan scire, quid significat nomen Amalec עמלק; scito significare, vt D. Hieron. ait in Isaiam, populum lambentem, lingẽtem, aut deuorantem. Populus est Amalec, tartareus; non vnus tantum est hostis, sed populus magnus, qui A nobiscum pugnat, maximè lingens nos blanditiis, carnis voluptatibus, inani gloria, similibusque vitiis blandis, sed & mordens vitiis asperioribus, & aduersis rebus, tandémque, si manus mentemque socordes remittimus, nos deuorat in æternum. Hoc autem quærit hic populus, iuxta illud D. Petri: *Circuit quærens quem deuoret.*

Perpetuũ est bellum diaboli contra homines, perpetuum quoque est auxilium Dei pro hominibus.

1. Reg. 15. Amalec omnino est delendus.

Exod. 17.

Amalec populum tartareum significat.

CAPVT XXIII.

De aduentu Iethro ad Mosem.

EXODI CAP. XVIII.

1 CVmque audisset Iethro, sacerdos Madian, cognatus Moysi, omnia quæ fecerat Deus Moysi, & Israëli populo, & quòd eduxisset Dominus Israël de Ægypto: tulit Sephoram vxorem Moysi quam remiserat: & duos filios eius, quorum vnus vocabatur Gersam, dicente patre: Aduena fui in terra aliena. Alter verò Eliezer: Deus enim, ait, patris mei adiutor meus, & eruit me de gladio Pharaonis. Venit ergo Iethro cognatus Moysi, & filii eius, & vxor eius, ad Moysem in desertum, vbi erat castrametatus iuxta montem Dei. Et mandauit Moysi, dicens: Ego Iethro cognatus tuus venio ad te, & vxor tua, & duo filii tui cum ea. Qui egressus in occursum cognati sui, adorauit, & osculatus est eum: salutaueruntque se mutuò verbis pacificis. Cumque intrasset tabernaculum, narrauit Moyses cognato suo cuncta quæ fecerat Dominus Pharaoni, & Ægyptiis propter Israel, vniuersumq; laborem, qui accidisset eis in itinere, & quòd liberauerat eos Dominus. Lætatúsque est Iethro super omnibus bonis quæ fecerat Dominus Israëli, eò quòd eruisset eum de manu Aegyptiorum, & ait: Benedictus Dominus, qui liberauit vos de manu Aegyptiorum, & de manu Pharaonis, qui eruit populum suum de manu Aegypti. Nunc cognoui, quia magnus Dominus super omnes deos: eò quòd superbè egerint contra illos. Obtulit ergo Iethro cognatus Moysi holocausta & hostias Deo: veneruntque Aaron & omnes seniores Israël, vt comederent panem cum eo coram Dco. Altera autem die sedit Moyses, vt iudicaret populum, qui assistebat Moysi à mane vsque ad vesperam. Quod cum vidisset cognatus eius, omnia scilicet quæ agebat in populo, ait: Quid est hoc quod facis in plebe? cur solus sedes, & omnis populus præstolatur de mane vsque ad vesperam. Cui respondit Moyses: Venit ad me populus quærens sententiam Dei. Cúmque acciderit eis aliqua disceptatio, veniunt ad me vt iudicem inter eos, & ostendam præcepta Dei, & leges eius. At ille: Non bonam, inquit, rem facis: stulto labore consumeris & tu, & populus iste qui tecum est: vltra vires tuas est negotium, solus illud non poteris sustinere. Sed audi verba mea, atque consilia, & erit Deus tecum. Esto tu populo in his quæ ad Deum pertinent, vt referas quæ dicuntur ad eum: ostendásq; populo ceremonias & ritum colendi, viámque per quam ingredi debeant, & opus quod facere debeant. Prouide autem de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam, & constitue ex eis tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos, qui iudicent populum omni tempore: quidquid autem maius fuerit, referant ad te, & ipsi minora tantummodo iudicent: leuiúsque sit tibi, partito in alios onere. Si hoc feceris, implebis imperium Dei, & præcepta eius poteris sustentare: & omnis hic populus reuertetur ad loca sua cum pace. Quibus auditis, Moyses fecit omnia quæ ille suggesserat. Et electis viris strenuis de cuncto Israel, constituit eos principes populi, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, & decanos. Qui iudicabant plebem omni tempore: quidquid autem grauius erat, referebant ad eum, faciliora tantummodò iudicantes. Dimisítque cognatum suum: qui reuersus abiit in terram suam.

Venit Iethro cum filiis Mosis, & vxore ad Mosem.

2 NOn longè aberat socer Mosis Iethro à mansione vndecima Raphidim, & à duodecima Sinai. Ideo cum vxore Mosis, & duobus eius filiis Gersam, & Eliezer ad eum venit. Nam, vt diximus Exod. 4. vxor Mosis, Sephora, filia Iethro, sacerdotis Madian, cùm Mosem B petentem Ægyptum cum filiis comitaretur, ex itinere reuersa est domum patris, Mose volente, & remittente. Nunc ergo ad virum suum à patre adducitur. Exod. 18. *Tulit Iethro Sephoram vxorem Moysi, quam remiserat*, scilicet ipse Moses ex itinere, inuisítque socer generum, de cuius factis preclaris, populique libertate audierat. De Iethro iam diximus supra lib. 1. cap. 12. itémque de duobus filiis, & vxore. Venisse

Exod. 18. Venit Iethro ad Mosem cum vxore, & filiis Mosis.

Sebast. Barrardas Itiner. Israelit.

autem Iethro famulis comitatum honorificè, par est credere.

Ego Iethro cognatus tuus venio ad te.

3 *Excipit Moses Iethro magno cum honore.*

Antequam ad castra perueniret, nuntium misit Iethro, qui Mosem aduentus sui faceret certiorem. Moses obuiam illi veniens, magno cum honore socerum excepit gener. Adorauit socerum, caput, corpusque demittendo, & forte etiam in terram prosternendo, postea pro more temporis illius, osculatus est eum, verbisque omni humanitate plenis allocutus, Duxit in tentorium suum, eaque narrauit stupenda miracula, quæ Deus, vt Israelem liberaret, fuerat operatus, laborem quoque qui in via acciderat, exposuit, Deumque semper auxilium attulisse retulit.

Vbi erat castrametatus iuxta montem Dei.

4 *Castra Hebræorum erāt iuxta montem Sinai, cum venit Iethro.*

Locus indicatur, vbi castra erant eo tempore, quo aduenit Iethro. Erat enim populus castrametatus iuxta montem Dei Sinai. Difficile occurrit dubium, *veneritne Iethro, antequam Deus legem ferret in monte Sinai, an post latam legem?* Ratio dubitandi hæc est. Moses cap. 19. Exodi de latione legis agit. Capite autem 18. scribit, venisse Iethro ad Mosem. Ergo prius venit Iethro, quàm lex daretur. Contra verò Moses, postquam peruenit in montem Dei Sinai, ita legis latione videtur fuisse occupatus, vt nulli dies vacare potuerint excipiendi, & alloquendi socerum, eaque faciendi, quæ ille consuluit, vt ex sequentibus fiet perspicuum.

Quo tempore venerit Iethro, ad Mosem.

Nonnulli Hebræi, vt Lyranus refert, putant Iethro venisse ad Mosem post legem datam, & anno secundo post exitum ex Ægypto. Abulensis arbitratur venisse, vel in fine primi anni, post exitum ex Ægypto, vel in principio anni secundi; mansisseque cum Mose in castris Sinai, vnius mensis spatio, cùm iam per occupationes licebat socerum excipere, & alloqui. Alii quoque sentiunt post legem datam venisse. Quod autem scriptum, est Exod. 18. per anticipationem scriptum est; cùm enim de legislatione acturus esset Moses, præmisit venisse socerum, quamuis multo postea venerit. Lyranus, & alii volunt venisse primo anno exitus de terra Ægypti, & mansisse cum Mose anni vnius spatio. Est & alia huius loci interpretatio huiusmodi: Venit Iethro ad Mosem in desertum, vbi erat castrametatus iuxta montem Dei, id est, prope montem Sinai; venit, inquam, in Raphidim mansionem vndecimam. Raphidim enim iuxta montem Sinai est. In Raphidim autem Moses liber ab occupationibus socerum potuit honorificè excipere. Sed verba videntur indicare, castra posita fuisse iuxta montem Dei Sinai, non autem in Raphidim. Si enim in Raphidim tentoria fixa erant, quorsum dixisset Moses fuisse castra iuxta montem Sinai?

Obtulit Iethro holocausta & hostias Deo.

5 *An Iethro susceperit ritus Hebræorum.* *Abulensis.*

Iethro sacerdos erat Madianitarum idola colentium, auditis autem Dei operibus admirabilibus, Dei afflatus spiritu, idolis dicitur remisisse nuntium. Lyranus ait, ritus suscepisse Hebræorum; Abulensis verò: Licèt (inquit) Iethro confessus fuerit, Deum verum Hebræorum esse, tamen non suscepit circumcisionem, &c. Est hoc probabilius, videlicet non suscepisse Hebræorum ritus, & circumcisionem, Fortè vnum esse Deum agnouit, Mose docente, quamuis verba illa aliud indicent: *Nunc cognoui, quia magnus Dominus super omnes deos.* Quibus videtur Iethro fateri quidem Deum omnes deos superare, sed tamen alios esse deos minores. Ergo non agnouit vnum esse Deum. Responderi potest, significasse his verbis, Deum esse maximum, ac potentissimum super Deos omnes, qui à gentibus dii falsò appellabantur. Sic Dauid. Psalm. 94. *Deus* (inquit) *magnus Dominus, & Rex magnus super omnes deos.* Et Psalm. 95. *Terribilis est super omnes deos*, scilicet fictitios, quamobrem addit: *Omnes dij gentium dæmonia*, &c: Quomodo autem *Deo obtulerit sacrificia socer Mosis*, dubitatur, num per se ipsum, an per aliquem ex Hebræis? Arbitror, per se ipsum obtulisse, quia sacerdos erat anteà idolorum, nunc verò Dei in lege naturæ, vel forsitan per Aaronem obtulit, qui iam creatus erat sacerdos; victimas autem mactandas dedit Moses hospiti.

Psal. 94. *Psal. 95.* *An per se ipsum sacerdos Iethro obtulerit sacrificium?*

Venerunt Aaron, & omnes seniores Israel.

6 *De conuiuio exhibitio Iethro coram Domino.*

Vt honore afficerent Iethro, venerunt Aaron, & omnes viri seniores, id est, præcipui populi Israelitici, vt comederent cum eo panem, id est, cibum coram Deo. Ambigitur, *an fuerit hoc conuiuium aliquod exhibitum à Mose suo socero; an vero fuerit conuiuium sacrum in tabernaculo factum ex carnibus victimarum?* Nam ex hostiis pacificis pars carnium dabatur offerentibus, quibus licebat illis vesci. Respondetur, fuisse conuiuium exhibitum à Mose, in quo tum carnes victimarum, tùm alias conuiuæ manducarunt, Exhibitum autem dicitur hoc conuiuium coram Domino: *Venerunt*, (inquit Exod. 18.) *vt comederent panem cum eo coram Domino*, &c. Vnde colligitur, Iethro in castris fuisse, postquam tabernaculum extructum est, videlicet in principio secundi anni ab exitu ex Ægypto. Nam comederunt carnes hostiarum pacificarum coram Domino, id est, in tabernaculo, in quo Dominus habitabat. Arguit hæc interpretatio, Iethro venisse in castra post fabricatum tabernaculum. D. Augustinus interpretatur, *coram Deo*, id est, in honorem Dei. Alii exponunt, *coram Domino*, id est, coram tabernaculo paruo, in quo ante extructum maius tabernaculum Moses orabat, & Deus responsa dabat. Exod. 33. Vel, *coram Deo*, id est, coram altari, in quo sacrificia Deo oblata fuerant. Obiicies, ex prima interpretatione sequi, *Iethro Hebræorum legem suscepisse.* Nam si circumcisus non esset, sed sacerdos tantùm esset legis naturæ, non permitteret Moses illum ingredi atrium tabernaculi, & coram Deo comedere. Respondetur, hunc honorem voluisse Mosem socero suo tribuere. Vel dicendum, non in ipso tabernaculo, sed foris ante tabernaculum Iethro sacrificia Deo obtulisse, & conuiuio exceptum esse coram Domino, id est, ante tabernaculum, in quo Dominus super Cherubin sedere dicebatur.

Exod. 18.

Audi verba mea, atque consilia.

7 *Iethro consilium dedit Mosi, Moses illud accepit.*

Moses solus populi totius causas iudicabat, populumque docebat magno cum labore, nullus præterea iudex, aut doctor erat constitutus. Cùm ergo Iethro vidisset, generum suum totam diem magno cum labore iudicandis populi causis

causis inpendere, consilium eis dedit vtile, vt iudices constitueret, qui minores causas iudicarent, maiores ad Mosem referrent. Paruit consilio Moses, electosque viros constituit, principes populi: fecit tribunos, centuriones, quinquagenarios, & decanos. Hebraicè tribuni appellantur שרי אלפים *Sare alaphim*, hoc est, *principes mille hominum*. Græcè χιλιάρχους quod nomen idem significat. Centuriones dicuntur *Sare meoth*, id est, principes centum. Græcè ἑκατόνταρχοι, *quinquagenarij*. *Sare chamisin*, & πεντηκόνταρχοι sunt, qui quinquaginta hominibus imperant. Qui verò decem hominibus imperant, appellantur decuriones, *Sare gasaroth*, & δεκάδαρχοι, Deut. 1. De hac iudicum creatione loquitur Moses cum populo hunc in modum: *Dixit vobis in illo tempore: Non possum solus sustinere vos*, non valeo solus negotia vestra sustinere, & pondus, ac iurgia, *Date ex vobis viros sapientes, & gnaros, & quorum conuersatio sit probata in tribus vestris, vt ponam eos vobis principes. Tunc respondistis mihi: Bona res est, quam vis facere. Et constitui principes, tribunos, & centuriones & quinquagenarios, ac decanos, qui docerent vos singula.* Non exponit Moses, quo tempore hæc dixerit populo, sed *in illo* (inquit) *tempore dixi vobis*: temen paulo ante dixerat: *Dominus locutus est ad nos in Horeb*, id est, in monte Sinai, *sufficit vobis, quod in hoc monte mansistis.* Vnde colligitur, in monte Sinai electos iudices populi, in illo tempore, videlicet cùm iam ex monte essent castra mouenda post primum annum exitus ex captiuitate Aegyptiaca Subiicit enim Moses, postquam de creatione iudicum egit: *Profecti autem de Horeb, transiuimus per eremum terribilem.* Ergo paulò ante profectionem verisimile est constitutos iudices, & venisse Iethro. Illud etiam probat, post legem à Mose acceptam venisse Iethro, quod rogatus Moses ab illo respondit: *Veniunt ad me, vt iudicem inter eos, & ostendam præcepta Dei, & leges eius.* Ergo iam acceperat præcepta, & leges à Deo, quas populo ostenderet. Nisi velis iam in mansione Mara data à Deo præcepta, & de iis Mosen loqui. Exod. 15. *Ibi*, id est, in Mara, *constituti præcepta, atque iudicia.* Iudices faciliora iudicabant, reliqua referebant ad Mosem. Exod. 18. *Iudicabant* (inquit) *plebem omni tempore. Quidquid autem grauius erat, referebant ad eum*, scilicet Mosem, *faciliora tantummodo iudicantes.*

Constituit Moses iudices in populo. *Deut. 1.* *Exod. 15.* *Exod. 18.*

Dimisitque cognatum suum, qui reuersus abiit in terram suam.

8 *Reuertitur Iethro ad Madianitas.*

Dimisit socerum suum Moses, socer reuersus est ad suos Madianitas. Sanè magno se periculo exposuit offerendi sacrificia idolis. Madianitæ enim idolorum erant cultores, Iethro eorum erat sacerdos; cogeretur ergo fungi munere suo, & sacrificia offerre simulachris, ne priuaretur sacerdotio, & stipendio. Verùm si fides illius altas in corde iecerat radices, omnia poterat, Deo iuuante, superare pericula, & multos ex Madianitis ad verum Deum conuertere, Hic Iethro, vt Lyranus, Abulensis, & alij volunt, alio nomine appellatur Hobab. Eadem est sententia D. Hieron. siue Eusebii in libro de locis Hebraicis, loco infra citato. LXX. quoque interpretes Obab, socerum Mosis vocant. Num. 10. dictus est etiam Raguel, quia pater eius dicebatur Raguel. Aliqui volunt Iethro fuisse patrem, Obab verò eius filium, & fratrem Sephoræ, vxoris Mosis, appellarique non socerum Mosis, sed cognatum, & affinem. Rogasse autem dicitur Moses hunc Hobab, vt in castris maneret, essetque veluti ductor. Numer. 10. *Dixit Moyses Hobab filio Raguel, Madianitæ, cognato suo: Proficiscimur ad locum, quem Dominus daturus est nobis, veni nobiscum, vt benefaciamus tibi quia Dominus bona promisit Israeli. Cui ille respondit: Non vadam tecum, sed reuertar in terram meam, in qua natus sum. Et ille:* (id est, Moses) *Noli*, (inquit) *nos relinquere. Tu enim nosti, in quibus locis per desertum castra ponere debeamus, & eris ductor noster, cumque nobiscum veneris, quidquid optimum fuerit ex opibus, quas nobis traditurus est Dominus, dabimus tibi.* In lib. Numer. non dicitur esse reuersus in patriam: tamen Exod. 18. legitur: *Reuersus abijt in terram suam.* Quatuor nomina fertur habuisse hic Mosis socer, *Iethro. Raguel, Hobab, & Cinæus.* Nam Iud. 1. mentio fit filiorum Cinæi cognati vel soceri Mosis, & Iud. 4. dicuntur Cinæi filij Hobab, cognati Mosis. Cinæus verò nominatur à quodam Cin, à quo ducebat genus. Abiit quidem Iethro in patriam, sed filius persuasit, vel iussit, vt ad Israëlitas redirent, & cum eis coniungerentur. Nam Cinæos habitasse in Iericho, & postea in sorte Iudæ, legitur lib. 1. Iud. cap. 1. *Filij* (inquit) (*Cinæi, cognati Moysi ascenderunt de ciuitate palmarum*, id est, de Iericho) *cum filijs Iudæ, in desertum sortis eius, quod est ad meridiem Arad, & habitauerunt cum eo.* Nonne vides, Cinæos filios soceri Mosis cum Iuda habitasse, postquam sortem accepit Iudas in terra promissionis? Audiamus D. Hieronym. in lib. de locis Hebraicis: Arad (inquit) est ciuitas, in qua habitauerunt filij Hobab, soceri Mosis, in medio Israëlis, &c. Ecce ait, Hobab fuisse socerum Mosis, & filios eius Cinæos habitasse in medio populi Israelitici. Postea etiam inter Amalecitas habitarunt tempore Saulis. Cùm enim Saul Amalecitis bellum inferret, 1. Reg. 15. dixit Cinæo: *Recedite ab Amalec, ne forte inuoluam te cum eo. Tu enim fecisti misericordiam cum omnibus filijs Israel, cum ascenderent de AEgypto.* Iud. etiam cap 4. dicitur *Haber Cinæus recessisse quondam à cæteris Cinæis fratribus suis filijs Hobab cognati Moysi, & tetendisse tabernacula vsque ad vallem, quæ vocatur Sennim, & erat iuxta Cedes.* Erat autem Cedes in tribu Nephthali, Iosue 19. & Iud. 4. habemus, filios Iethro habitasse cum Israelitis ab initio, cùm primùm in terram promissionis peruenirent. Quo tempore ad illos venerint, & Madianitas reliquerint, non constat, forsitan cùm Israëlitæ, Numer. 31. Madianitis bellum intulerunt: tunc Cinæi ad Mosem generum Iethro confugerunt. Neque caret probabilitate, à Mose vocatos denuntiato belli periculo, Hebræis se adiunxisse.

Quibus nominibus appelletur Iethro in scriptura. *Num. 10.* *Exod. 18.* *Cinæi à Iethro oriundi.* *1. Iud. 1.* *D. Hieron.* *1. Reg. 15.* *Iud. 4.*

9 *Cinæi* dicuntur scribæ commorantes in tabernaculis, laudesque Dei canentes: 1. Paralip. 2. *Cognatio scribarum habitantium in Iabes, cernentes, atque resonantes, & in tabernaculis commorantes. Hi sunt Cinæi, qui venerunt de calore patris domus Rechab.* De Rechabitis lege Ieremiæ caput 35. dicti sunt Rachabitæ à Rechab quodam, cuius filius Ionadab præcepit filiis suis, Ierem. 35. *Non bibetis vinum vos, & filij vestri, vsque in sempiternum, & domum non ædificabitis, & sementem non seretis, & vineas non* planta-

1. Paralip. 2. *Rechabitæ qui dicantur.* *Ierem. 35.*

plantabitis, nec habebitis, sed in tabernaculis habitabitis cunctis diebus vestris, Seruabant hęc omnia Rechabitæ: imitati sunt illos Cinæi habitantes in Iabes, habitabantque in agris; & in tabernaculis, canentes, & resonantes diuinas laudes. Dicuntur autem *Scribæ*, quia legis doctrinæ vacabant. De his alia dici possent, sed hæc sint satis.

10 Illud tamen quæret aliquis, cùm castra nubes, siue angelus duceret, viámque Hebræis ostenderet, *cur ducat Moses Hobab* illud supra citatum ex cap. 10. Numerorum: *Noli nos relinquere. Tu enim nosti in quibus locis per desertum castra ponere debeamus, & eris ductor noster.* Numquid ductore homine egebant castra, quæ ab angelo ducebantur? Numquid opus erat homine, cui loca nota essent, in quibus per desertum castra poni deberent, angelo, vbi tentoria locanda essent, ostendente? Respondetur, angelum duxisse castra per nubem, ostendisséque loca, vbi erant ponenda, per nubis quietem. Peculiaria alia non ostendebat nubes, quæ in castris metandis sunt obseruanda. Horum peritus erat Hobab, ideo rogauit eum Moses, vt secum maneret; præsertim verò, ne ad idolorum cultores rediret, periculóque se exponeret deserendi fidem. D. Gregorius 3. part. past. admonit 18. quomodo elati admonendi sint, docet, permiscendamque laudem aliquam veram ait eorum correptioni: Ipsa (inquit) in elatis inuectionis exordia permixta laude temperanda sunt, vt, dum admittunt fauores, etiam correptiones recipiant, &c. Rem similitudinibus sic illustrat: Equos (inquit) indomitos blanda priùs manu tangimus, vt eos nobis pleniùs, postmodum etiam per flagella subigamus. Amaro pigmentorum poculo mellis dulcedo adiungitur, & dum gustus per dulcedinem fallitur, humor mortiferus per amaritudinem vacuatur, &c. Sicut indomiti equi blanda alicuius laudis manu tangendi sunt ii, qui corripiuntur, vt admonitionem libenter audiant; laudis dulcedine temperanda est correptio, vt amara potio. Addit sanctissimus Pater, Mosem voluisse ad fidem conuertere Iethro, siue Hobab, ideóque homini elato dixisse, populo esse necessarium, vt esset ductor eius in castris metandis, blanda sic manu tetigisse, & hanc veluti dulcedinem petitioni permiscuisse. Plerunque (inquit) persuadere elatis vtilia melius possumus, si profectum eorum nobis potius, quàm illis profuturum dicamus. Facilè enim ad bonum elatio inflectitur, si & aliis eius inflexio prodesse credatur. Vnde Moses cùm Hobab à gentilitatis conuersatione vellet educere, ait: *Noli nos relinquere. Tu enim nosti quibus in locis castra ponere debeamus, & eris dux noster.* Neque enim mentem Mosis ignorantia itineris angustabat, quem columna exterius præibat, quem de cunctis interius, per conuersationem cum Deo sedulam, locutio familiaris instruebat: sed vir prouidus elato auditori colloquens, solatium petiuit, vt daret ducem, eum requirebat in via, vt dux ei ad vitam posset fieri. Sic Gregor.

Num. 10.

Cur Moses petiuerit ab Iethro, vt in castris maneret.

D. Gregor. elati quomodo sint monendi.

Laus permiscenda est correptioni.

D. Gregor.

A

CAPVT. XXIV.

MORALE.

De aduentu Iethro ad Mosem.

Venit Iethro cognatus Moysi, & vxor eius & filii ad Mosem.

1 OMnes confluunt ad eum, cui prosper ventus afflat. Redierat vxor Mosis domum patris ex itinere, quò petebat Ægyptum, sponsumque sanguinum illum vocauerat, ob filii
B circumcisionem: iam reuertitur cum patre, & filiis ad virum suum, prosperè agẽtem. Tempore hyberno, vt hirundines, discedimus ab amicis; tempore vernio comitamur eos: multos numeramus amicos, cùm prosperitas arridet; si nubila sint tempora, soli sumus. Prouerb. 14. *Etiam proximo suo pauper odiosus erit: amici verò diuitum multi*, &c. cap. 19. *Diuitiæ addunt amicos plurimos, à paupere autem, & hi quos habuit, separantur*, &c. Hinc illud antiquum dictum; Feruet olla, viuit amicitia: hoc est, si cibus abundet, amicitia cibum comitabitur. Huiusmodi amici dicuntur amici, vel socii mensæ. Ecclesiastici
C 6. *Est* (inquit) *amicus socius mensæ, & non permanebit in die necessitatis.* Socii mensę sunt illi amici, qui in mensa, & prosperitate amicum comitantur; in labore, & aduersitate deserunt. Prosperitas Mosis socerum in castra vocauit: *Cum enim audisset* (Exod. 18.) *omnia prospera, quæ fecerat Deus Moysi, & Israeli populo suo, tulit Sephoram, & duos filios*, &c. Excepit illum Moses populi totius princeps magno cum honore, magnaque eum humilitate adorauit. Erat enim Moses verè humilis, & ab omni fastu, ac superbia alienus. Congratulatus est socer genero tantam fœlicitatem, Deiéque potentiam agnouit: Gener verò Moses in veram fidem illum adducere conatus est, vt D. Gregorius iam citatus ait, verisimiléque est adduxisse. Toto pectore danda est opera, vt iis qui ad nos veniunt à Christiana fide alieni, ad fidem conuertantur; omnis mouendus est lapis, omnia ad tantam rem perficiendam remedia sunt adhibenda. D. August. Psalm. 33. conc. 2. Si amaris (inquit) Deum, rapite omnes ad amorem Dei, qui vobis iunguntur, & omnes qui sunt in domo vestra, &c. Iacobi 5. *Fratres, si quis ex vobis erauerit à veritate, & conuerterit quis eum; scire debet, quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, saluabit animam eius à morte, & operiet multitudinem peccatorum*, &c.

Omnes confluunt ad eum, qui fruitur prosperitate.

Prouerb. 14.

Prouerb. 19.

Eccles. 6.

Exod. 18.

D. August.

Iacobi 5.

Obserua posterorum Iethro, id est, Cinæorum pietatem, Rechabitas imitati sunt, qui caducas res spernebant, Deoque vacabant, in tabernaculis, & agris habitantes, neque vineas plantantes, aut semina terræ mandãtes. Horum Rechabitarum obedientia, ante oculos proposita, Israelitarum inobedientiam reprehendit
E Dominus, Ierem. cap. 35. *Vade* (ait Dominus) *ad domum Rechabitarum, & introduces eos in domum Domini, & dabis eis vinum bibere.* Domini imperio obtemperauit Ieremias, duxit in templum Rechabitas, posuitque ante eos scyphos, & calices vino plenos. Dixitque Ieremias: *Bibite vinum.* At illi bibere recusarunt, quia pater Ionadab prohibuerat. Tum Deus ad Ieremiam: *Vade, & dic viris Iudæ, & habitatoribus Ierusalem: Nunqnid non recipietis disciplinam, vt obediatis verbis meis? dicit Dominus, Præualuerunt sermones Ionadab,*

Rechabitarum obedientia. Ierem. 35.

Ionadab filii Rechab, quos præcepit filiis suis, vt non biberent vinum, & non biberunt vsque ad diem hanc, quia obedierunt præcepto patris sui. Ego autem locutus sum ad vos, de manè consurgens & loquens, & non obedistis mihi. Christianis quoque egregium obedientiæ exemplum hoc est, & viris etiam religiosis. Præualuerũt sermones Ionadab, quos præcepit filiis suis, & obedierunt præceptis patris sui: præualeant, quęso, sermones Dei, quos præcepit nobis, & obediamus præceptis Dei, præualeant Domini præcepta magis, quàm præcepta Ionadab Rechabitæ, siquidem multo sunt validiora, & à summo, potentissimóque Domino tradita, qui grauissima de illis supplicia sumet, qui ea fregerint.

Obedientia Deo maximè præstanda est.

Vt comederent panem cum eo coram Domino.

3 Origenes hoc loco illos ait comedere panem coram Domino, qui illud seruant Apostoli 1. Corinth. 10. *Siue manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* Sancti (inquit) manducant in conspectu Dei, & omnia, quæ agunt, in conspectu eius agunt, &c. Magnum hoc est, ac præclarum, agere omnia in conspectu Dei. Quæ enim in oculis tanti Regis fiunt, bene fiunt. Quemadmodum sol tenebras pellit; sic oculi Dei pellunt peccata. Si cogites oculos Dei in te defixos esse, eo iuuante, peccata effugies: si comedas coram Domino, neque te ingurgitabis vino, neque epulis immodicis te onerabis: si loquaris coram Domino, sermo peccato carebit: si coram oculis Domini opus quodcunque facere te consideraueris; tanti Regis oculis displicere formidabis: puræ erunt cogitationes, si luce oculorum Dei illustrabuntur. Eccles. 14. *Beatus vir, qui in sapientia morabitur, & qui in iustitia sua meditabitur, & in sensu cogitabit circumspectionem Dei.* In sensu, hoc est, intellectu, cogitare circumspectionem Dei, est cogitare Deum omnia circumspicere, omnia cernere, nihil illum vel boni, vel mali posse latere. Beatus ille est, qui semper hanc circumspectionem cogitat, & coram Deo agit omnia, peccata enim fugiet, virtutem complectetur. Inuisibiles nobis sunt oculi Dei; attamen omnia illis sunt visibilia, ad Hebr. 4. *Omnia nuda, & aperta sunt oculis eius.* Inuisibiles Dei oculos faciamus nobis visibiles, sic viuamus ac si oculos Dei nos inspicientes, oculis nostris cerneremus, vt ait Salomon Prouerb. 15. *In omni loco oculi Domini contemplantur bonos, & malos.* Nos in omni loco oculos, qui nos contemplantur, cõtemplemur. Mosem imitemur, de quo Paulus ad Hebr. 11. *Inuisibilem* (inquit) *tanquam videns sustinuit.* Deum inuisibilem Moses fecit consideratione sua visibilem. Non videbat eum oculis corporeis, sed videbat oculis mentis: sic nos inuisibilem Deum faciamus visibilem; si non videmus oculis carnis, cernamus illum semper oculis spiritus, & intellectus. Hoc iustorum est, qui Deo placere student.

Eccl. 14.

Dei præsentia semper cogitanda.

Ad Hebr. 4.

Prou. 15.

Ad Heb. 11.

Consideratione Deus inuisibilis fit quodammodo visibilis.

4 Origenes. Impii conspectum Dei fugiunt.

Impii autem à conspectu Dei fugiunt, vt obseruat Origenes homil. 11. citata: Peccator (inquit) à conspectu Dei fugit. Adam postquam peccauit, fugit à conspectu Dei, & interrogatus respondit: *Audiui vocem tuam, & abscondi me, quia eram nudus*, & Cain *exiit à facie Domini.* Sic ille. Non potest peccator fugere à facie, & oculis Domini, ita vt à Domino non videatur. Semper enim coram oculis eius est, vnde illud Psalm. 138. *Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? si ascendero in cælum, tu illic es, si descendero in infernum, ades.* Veruntamen fugere potest mente, & cogitatione. Qui enim circunspectionem Dei non cogitat, qui se à Deo omnibus in locis videri non considerat; is à facie, & oculis Dei cogitatione quidem fugit, re tamen ipsa, ante faciem, oculosque eius semper est, omniaque scelera coram Deo committit, iuxta illud Psalm. 50. *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci.* Fugit Dauid à facie Domini, cum peccatum perpetrauit, fugit, inquam, cogitatione. Non
B enim cogitabat adesse Deum, & tantum scelus inspicere: sed tamen re ipsa non fugit, aderat namque Deus, & scelus inspiciebat solus, præter ipsum, & sceleris comitem, ideóque ait: *Tibi soli peccaui, & malum coram te feci.*

Psal. 138.

Psal. 50.

Vitra vives tuas est negotium.

Sapienter consuluit Iethro socer Mosi genero, vt iudices populo constitueret, qui faciliores causas iudicarent, difficiliores vero ad eum referrent. Si elatus animo fuisset Moses, respondisset: Ego consiliarium habeo Deum, ab illo quæram hac de re consilium, à quo in rebus
C aliis accepi. At, quia humilis erat, humiliter consilio dato obsecutus est, Exod. 18. *Fecit Moyses omnia, quæ Iethro suggesserat.* O miram humilitatem! Origenes: Cùm (inquit) perspicio, quod Moses propheta Deo plenus, cui Deus facie ad faciem loquebatur, consilium accepit à Iethro sacerdote Madian, admiratione nimia stuporem mentis incurro, &c. Exemplum nobis præbet, vt non à prælatis solum, & superioribus bonum accipiamus consilium, sed etiam ab inferioribus. Nam, vt est in prouerbio:

5

Exod. 18. Moses humilis paruit consilio Iethro. Origenes.

Sæpe etiam est olitor valde opportuna locutus.

Origenes: Moses (inquit) qui erat homo mansuetus super omnes, accepit consilium inferioris, vt formam humilitatis populorum principibus daret, &c. D. August. Exod. quæst. 68. Cur
D (inquit) Dominus Mosem, cum quo, & per quem tanta, & talia loquebatur, ab alienigena passus est admoneri? In quo scriptura nos admonet, per quemlibet hominem si detur consilium veritatis, non deberi contemnì, &c. Addit August. forsitan Deum voluisse Mosem admoneri à Iethro, ne superbia extolleretur iudicando: Videndum (inquit) est, ne fortè ibi voluerit Deus ab alienigena admoneri Mosem, vbi & ipsum posset tentare superbia. Sedebat enim iudiciaria sublimitate solus, vniuerso populo stante, &c. His adde, multa, egregiaque consilia Ethnicos authores suis in libris inscripta reliquisse, quæ quidem ab illis sint accipienda, &
E opere exequenda. Vnde Origenes: Si fortè (inquit) inuenimus aliquid sapienter à gentilibus dictum, non continuò cum authoris nomine spernere debemus etiam dicta, nec pro eo, quod legem à Deo datam tenemus, conuenit nos superbia tumere, & spernere verba prudentium: sed, sicut dicit Apostolus, omnia probantes, quod bonum est tenentes. Sic ille.

Origenes.

D. August.

Non debet contemni consilium bonum, datum ab infertore.

D. August.

Consilia bona, quæ in libris Ethnicorum exstant, non sunt spernenda. Origenes.

Viros potentes, & timentes Deum.

Non solum consuluit Iethro Mosi, vt iudices constitueret, sed quales deberet constituere indicauit. *Prouide* (inquit) *de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint auaritiam.* Moses verò Deuter. 1. petit à populo: *Date ex vobis viros sapientes, & gnaros, &*

6

Deuter. 1.

quorum conuersatio sit probata in tribubus vestris, vt ponam eos vobis in principes. & addit: *Tuli de tribubus vestris viros sapientes, & nobiles, & constitui eos principes, tribunos, & centuriones, & quinquagenarios, ac decanos, qui docerent vos singula.* Oportet iudices viros esse potentes, potentes, inquam, corporis viribus, vt laborem causas audiendi, & iudicandi ferre possint, quemadmodum Moses, qui iudicabat populum, Exod 18. *à manè vsque ad vesperam.* Quamobrem dicit illi Iethro: *Supra vires tuas est negotium,* solus illud non poteris sustinere. Potentes etiam viribus animi, vt omnem iniquitatem potenter euertant. Vnde illud Ecclesiastici 7. *Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua.* Necessarium est animi robur iudici, vt irrumpat impiorum iniquitates, neque virgam flectat propter metum potentium, sunt enim potentes homines aliquando scandala, & offendicula, in quæ impingunt iudices, & æquitatem, virgæque rectitudinem frangunt.

Quales debeant constitui iudices.

Exod. 18.

Eccli. 7. Potentia iudicis.

7. Secundò oportet iudices esse metuentes Deum, ideo timorem Domini Rex Iosaphat iudicibus commendat, 2.Paralip. 19. *Videte* (inquit) *quid faciatis. Non enim hominis exercetis iudicium, sed Domini, & quodcumque iudicaueritis, in vos redundabit. Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite.* Egregius Rex Iosaphat egregiè iudices monet: *Videte quid faciatis*, videte quanti ponderis sit populum Dei iudicare, *iudicia Dei exercetis: sit timor Dei vobiscum.* Timor hic vobis alas addat ad expediendas iustè causas, sine mora; *cum diligentia cuncta facite.* Timete autem Deum, quia nunc iudices estis hominum, at iudicem iustissimum habetis Deum, & quodcunque iudicaueritis, in vos redundabit: si recte iudicaueritis, redundabit in gloriam vestram; si malè iudicaueritis, redundabit in supplicium sempiternum. Psalm. 81. *Deus stetit in synagoga deorum, in medio autem deos dijudicat.* Iudicant alios homines iudices, sed in ipsis tribunalibus à summo iudice Deo diiudicantur; *in synagoga deorum,* id est, in congregatione iudicum stat Deus, tanquam iudex summus, eosque iudicat. Timendus sanè est tam iustus iudex, qui in omnibus iudiciis assistit, tanquam iudex, & testis. Cernit enim omnia, neque aliis testibus opus habet. Tertiò, veritatem in iudice requirit Iethro, *in quibus* (inquit) *sit veritas.* Iudex enim veritatis amans, causæ veritatem diligenter inuestigat. Actoris, siue rei mendacia, fucos, & dolos execratur, pro veritate fert sententiam, Psal. 88. *Veritas tua in circuitu tuo,* &c. Quemadmodum Deus veritate vndique vallatur, ita iudex veritate omni ex parte debet circumuallari, veluti muro inexpugnabili, quo omnes fraudes, & mendacia fortiter repellat. Quartò, postulat Iethro in iudice odium auaritiæ. Non enim satis est, iudicem non esse auarum, sed odio auaritiam prosequi oportet. Pecuniæ namque turpis amor difficile vincitur, nisi auaritiæ vitium magno odio habeatur. Filij Samuel ab amore pecuniæ victi sunt, quia auaritiam odio non habuerunt, eamque secuti sunt, 1.Reg. 8. *Samuel posuit filios suos iudices Israel, & non ambulauerunt filij illius in vijs eius, sed declinauerunt post auaritiam, acceperuntque munera, & peruerterunt iudicium.* Iudices quoque Israel, ait Isaias, cap. 1. auaritiam sectatos furum socios se fecisse: *Principes* (inquit) *tui infideles socij furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non iudicant, & causa viduæ non ingreditur ad illos.* Iudices dicuntur dij, Psalm. 81. citato. *Deus stetit in synagoga deorum*, id est, iudicum, vicem enim Dei iudicando gerunt. Oportet ergo, siquidem vice Dei inuisibilis iudicant, Deum iudicando imitari, præbereque se moribus deos quosdam visibiles. Deus inuisibilis veritatem maximè diligit, auaritiamque odit, personas non suscipit, iusteque omnia iudicat, idem ipsi faciant dij visibiles, 2.Paralip. 19. Iosaphat: *Sit* (inquit) *timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite. Non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum.* Sit timor Dei vobiscum; nemo iudicem Deum poterit pecunia corrumpere. Non enim apud eum est vlla iniustitia, personas non accipit, auaritiam odit, munera non concupiscit, iustissimè vos iudicabit, Itaque imitentur vicarij Dei Deum, non sit in illis iniquitas, aut personarum acceptio, aut cupido munerum, iudicentque incorruptè. Munera autem à iudicibus non sunt accipienda; sunt enim instar pulueris oculis iudicum obiecti. Sicut puluis oculis, etiam lynceis, aufert aspectum; sic munera viros, etiam prudentes, excæcant, Exod. 23. *Nec accipies munera, quæ etiam excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorum.* Albertus Magnus in lib. de virtutibus, cap. 27. Dixit (inquit) quidam sapiens, munuscula accipere, est libertatem vendere, &c. Captiuus fit iudex, & libertatem vendit, qui munera accipit, liber ille est, qui odit munera. Moses Deuter. 1. *Date* (ait) *ex vobis viros sapientes, & gnaros, & quorum conuersatio sit probata in tribubus vestris.* Addit iudicibus sapientiam, & probatam conuersationem. Si sapientia iudex careat, cæcus cæcos ducet in foueam, si probatam conuersationem non habuerit, nemo illi fidet. Sit ergo sapiens, vt causarum nodos possit expedire diligenter, sit probus, probatæque conuersationis, ne dedecus afferat tribunali. Ad extremum illud addo Valerij Maximi lib. 4. cap. 3. Ea (inquit) ciuitas, id regnum, æterno in gradu facilè steterit, vbi minimum virium Veneris, pecuniæque cupido sibi vendicarit. Expellatur ergo ex Republica Venus, expellatur auaritia, si volumus Rempublicam stare, stet Respublica moribus, vt stet mœnibus.

Veritas iudicis.

Psal. 88.

Iudicis odium in auaritiam.

Psal. 81.

Exod. 23.

Albert. Magnus.

Deuter. 1.

Iudicis probitas & probata conuersatio.

Valerius Max.

Pellatur ex Repub. Venus, & auaritia.

2.Paralip. 19.

1.Reg. 8.

Isaiæ 1.

Psal. 81.

2.Paralip. 19

LIBER QVARTVS.

CAPVT I.

De mansione duodecima montis Sinai, & præparatione populi in aduentum Dei.

EXODI CAP. XIX.

1. MENSE tertio egressionis Israël de terra Ægypti, in die hac venerunt in solitudinem Sinai. Nam profecti de Raphidim, & peruenientes vsque in desertum Sinai, castrametati sunt in eodem loco, ibique Israël fixit tentoria è regione montis. Moyses autem ascendit ad eum, vocauitque eum Dominus de monte, & ait: Hæc dices domui Iacob, & annuntiabis filiis Israël: Vos ipsi vidistis, quæ fecerim Ægyptiis, quo modo portauerim vos super alas aquilarum, & assumpserim mihi. Si ergo audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis: mea est enim omnis terra. Et vos eritis mihi in regnum sacerdotale, & gens sancta, hæc sunt verba quæ loquêris ad filios Israël. Venit Moyses, & conuocatis maioribus natu populi, exposuit omnes sermones quos mandauerat Dominus. Responditque omnis populus simul: Cuncta quæ locutus est Dominus, faciemus. Cúmque retulisset Moyses verba populi ad Dominum, ait ei Dominus: Iam nunc veniam ad te in caligine nubis, vt audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum. Nuntiauit ergo Moyses verba populi ad Dominum. Qui dixit ei: Vade ad populum, & sanctifica illos hodie, & cras, lauentque vestimenta sua. Et sint parati in diem tertium: in die enim tertia descendet Dominus coram omni plebe super montem Sinai. Constituésque terminos populo per circuitum, & dices ad eos: Cauete ne ascendatis in montem, nec tangatis fines illius: omnis qui tetigerit montem, morte morietur. Manus non tanget eum, sed lapidibus opprimetur, aut confodietur iaculis: siue iumentum fuerit, siue homo, non viuet, cùm cœperit clangere buccina, tunc ascendant in montem. Descenditque Moyses de monte ad populum, & sanctificauit eum. Cúmque lauissent vestimenta sua, ait ad eos: Estote parati in diem tertium, & ne appropinquetis vxoribus vestris.

2. HAEc est pæstantissima mansio, numero duodecima, in monte Sinai. In hac facta sunt ea omnia quæ toto libro Exodi deinceps scripta sunt, ea etiam omnia, quę toto libro Leuitici continentur, & libro Numerorum vsque ad cap. 10. Decimo enim cap. Numerorum scriptum est, profectos esse Israëlitas de monte Sinai. Exodi 19. de eorum aduentu sic scriptum est: *Mense tertio egressionis Israel de terra Aegypti, in die hac venerunt in solitudinem Sinai:* Numerorum verò 10. de profectione sic: *Anno secundo, mense secundo, vigesima die mensis eleuata est nubes de tabernaculo fœderis, profectique sunt filij Israel per turmas suas de deserto Sinai.* Itaque venerunt in montem Sinai, initio mensis tertii, postquam egressi sunt ex Aegypto: discesserunt ab hac mansione, anno secundo, mense secundo, vigesima die mensis secundi, manseruntque iuxta montem spatio anni vnius, in quo leges eis Dominus dedit.

Iuxta montem Sinai mansit populus spatio anni vnius.

Exod. 19.

Num. 10.

In die has.

Exod. 19. sic scribit Moses: *Mense tertio egressionis Israel de terra Aegypti, in die hac venerunt in solitudinem Sinai.* Quid significetur verbis illis, *in die hac* dubium est. Quatuor sunt interpretationes. Prima est, Venerunt filii Israël in Sinai, mense tertio, in die hac, id est, in die prima mensis, in initio hoc mensis tertii. Illa dies, (ait Abulensis) à qua mensis incipit denominari, vocatur dies hæc, &c. Secunda est probabilior. Venerunt filii Israel in Sinai, mense tertio, in die hac, id est, die tertia mensis tertii erat mensis tertius, hæc etiam erat dies mensis, scilicet tertia dies. Tertia interpretatio est. Venerunt in mansionem duodecimam Sinai, mense tertio, in die hac, id est, in die eadem, qua profecti sunt ex mansione vndecima Raphidim, quia propinqua erat, & iter breue. Quarta. Venerunt mense tertio, in die hac, vel in die ipsa, qua completi

3. *Exod. 19. Quid significent hæc verba, in die hac?*

Abulens.

completi sunt menses tres ab exitu ex AEgypto. Profecti sunt Hebræi ex AEgypto decima quinta die mensis Nisan, qui primus mensis est anni sacri, respondérque Martio, & Aprili, & peruenerunt in montem Sinai mense tertio *in die hac.* Si dies numeres, reperies quadraginta quinque. Sedecim ex mense Nisan, cuius luna dies habet triginta. Ex mense sequenti viginti nouem, tot enim dies habet luna mensis secundi, vt ostendit Hebræum calendarium. Peruenerũt itaque ad montem Sinai post dies quadraginta quinque, mense tertio; *hac dũe*, id est, in die eadem eiusdem numeri tertii mensis. habemusque dies quadraginta octo; vel peruenerunt *in die hac*, id est, in die ipsa, qua profecti sunt ex Raphidim: vel *in die hac*, id est, initio mensis tertii; quòd si venerunt prima die mensis, numerare oportet dies quadraginta sex.

Moyses ascendit ad Deum.

4 Sinai rubos significat, ab illis desertũ nomen habet, & mons Sinai. Dicitur mons distare à sinu Arabico, 600. ferè miliaribus. Ad Galat. 4. dicitur *coniunctus esse Ierusalem*, quia in Arabia situs est, Arabia autem coniuncta est Iudææ, sed longa quadam terrarum cõiunctione. Postquam Hebræi castrametati sunt iuxta montem, ascendit Moses in montem ad Deum, Exod. 19. *Vocauitque eum Dominus de monte, & ait: Hæc dices filiis Israel.* Volebat Deus legem ferre Israelitis, & pactum cum illis inire. Antequam hoc faceret, consensum illorum, & voluntatem expetiuit. Mosem misit, vt pactum Dei, legémque illis offerret, commemoratis beneficiis, quæ hactenus acceperant. *Vos* (inquit Dominus) *vidistis quæ fecerim AEgyptiis*, vt vos ab eorum captiuitate liberarem, plagas admirabiles, quibus eos percussi, vestris oculis aspexistis. Vos ipsi testis estis horum beneficiorum. Ex captiuitate liberatos vidistis quomodo vos portauerim super alas aquilarum, & assumpserim mihi, hoc est, quomodo vos tutissimè vsque ad locum duxerim, vt meum populum facerem. Tutissimos portat pullos aquila super alas, ita vt nemo illis nocere possit: sic ego tutissimos vos portaui, ita vt nemo vos potuerit lædere. Deut. 32. *Expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis.* Vobiscum fœdus volo percutere, vobis vtilissimum, etenim si voci meæ obedientiam præstiteritis, si pactum meum seruaueritis, *eritis mihi in peculium de cunctis populis. Mea est enim omnis terra*, mei sunt omnes populi, qui terram incolunt, vos tamen peculiaris mihi populus eritis, & regnum sacerdotale, & gens sancta. Peculium dicitur populus Israel, quia fuit olim peculiaris Dei populus. Nam peculium pecunia est peculiaris filii familias, quasi castrense bonum: sic populus ille inter populos peculiaris erat, & dicebatur Dei populus. Erat etiam regnum sacerdotale, quoniam regnum habuit, & sacerdotes Deo vero offerentes sacrificium. Denique gens erat sancta, hoc est, Deo vero dicata, Deum verum colens, illiúque soli seruiens, sed omnia hæc amiserunt, quia Messiam verum recipere noluerunt.

A rubis dicitur deserti mons Sinai, & mons.

Ad Gal. 4.

Exod. 19.

Deut. 32.

Peculiaris populus Dei fuit olim Israel, & regnum sacerdotale.

Cuncta, quæ locutus est Dominus, faciemus.

5 Retulit populo Dei verba Moses: populus obedientissimum se fore respondit. Dominus autem post consensum populi præcepit Mosi, vt illum sanctificaret, & pararet in diem tertiam ad accipiendam legem. *Vade* (inquit) *sanctifica illos hodie, & cras, lauentque vestimenta sua, & sint parati in diem tertium: in die enim tertia descendet Dominus coram omni plebe in montem Sinai.* Parauerunt se Israelitæ, & sanctificarunt, vxoribusque abstinuerunt. Munditia enim magna opus erat ad audiendum Deum ferentem legem.

Obedientia populi.

Cauete, ne ascendatis in montem.

6 Præcepit præterea Deus, vt monti Sinai termini per circuitum constituerentur, nemóque in illum ascenderet, aut tangeret illius terminos. Pœnam statuit mortis montem tangenti. *Omnis*, (inquit) *qui tetigerit montem, morte morietur, siue iumentum fuerit, siue homo, non viuet.* Iussit ergo Moses circum montis radices limitem, vel septum quoddam constitui, vsque ad quod septum fas erat Israelitis accedere, quòd si vltra progroderentur, mortis supplicio afficerentur. Rogabit aliquis, *Quorsum fuerit opus terminis montem circumscribere, & populum arcere?* Respondetur, ne vellet montem ascendere ad videndum Deũ, Exod. 19. ait Dominus Mosi: *Contestare populum, ne forte velit transcendere terminos ad videndum Dominum, & pereat ex eis plurima multitudo.* Fuit etiam id opus ad indicandam Hebræis maiestatem Dei, ad quam non erat fas accedere.

Qui tangebat montem Sinai, morte mulctabatur.

Exod. 19.

Manus non tanget eum, sed lapidibus opprimetur, aut confodietur iaculis.

7 Duplex est horum verborum sensus. Primus & cæteris potior: *Manus non tanget eum hominem, qui tetigerit montem*, hoc est, non tanget eum quisquam manu, vt interficiat; sed vel lapidibus, vel iaculis occidetur, nullo tangente, vt execrandum. Secundus sensus. Cùm homo, vel iumentum montem tetigerit, ne accedatis ad locum montis, quem tetigit, & in quo est, vt eum comprehendatis, & occidatis, sed à locis separatis à monte, lapidibus vel iaculis vita illum priuate. Addi potest sensus tertius huiusmodi. *Manus non tanget eum*, id est, montem ne tangatis pedibus ad ascendendum, neque manibus vllo modo tangatis: sed qui tetigerit, lapidetur, aut iaculis occidatur.

Cùm cœperit clangere buccina, tunc ascendant in montem.

8 Videntur hęc verba repugnare dictis. Deus enim vetuit Hebræis in montem ascendere, nunc videtur concedere. LXX. interpretes sic verterunt: *Quando voces, & tubæ recesserint de monte illi ascendent in montem.* Et Chaldæus: *Quando tuba subtracta fuerit, ipsi habebunt facultatem ascendendi in montem.* Verbum Hebręum, משך, *masac*, significat *protrahere*, siue *prolongare*. Noster interpres sic vertit: *Cùm cœperit clangere buccina*, videlicet sono pertracto, significat etiam *masac*, extrahere, quam significationem secuti alii vertunt. *Quando subtracta* fuerit buccina, vel quando *recesserit.* Rabbi Salomon sic exponit: Cùm sono productiori buccina clangerit, signumque dederit recessus Dei de monte, tunc poterũt Hebræi ascendere. Respõdetur, Dei aduẽtum in montem Sinai significatum esse productiori sono buccinæ, Exod. 19. *Clangor buccinæ vehementiùs perstrepebat.* ait ergo Dominus Mosi, vt populus tunc ex castris, quæ è regione montis sita erant, ascẽdant in montem Deum excepturus veniẽtem, cùm hoc signum acceperit, id est, cùm buccina protenso sono clangerit:

Exod. 19.

Exod. 19. rit: sicque factum est, Exod. 19. *Cum eduxisset eos Moyses in occursum Dei de loco castrorum, steterunt ad radices montis.* Est ergo sensus: Cùm cœperit clangere buccina die tertio, tunc ascendant Hebræi ex loco castrorum in montem Sinai, vsque ad terminos propositos, stẽntque ad radices montis venientes in occursum meum.

CAPVT II.

De *aduentu Domini in montem Sinai.*

EXODI CAP. XIX.

1 IAmque aduenerat tertius dies, & manè inclarucrat: & ecce cœperunt audiri tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissima operire montem, clangorque buccinæ vehementiùs perstrepebat: & timuit populus qui erat in castris. Cumque eduxisset eos Moyses in occursum Dei de loco castrorum, steterunt ad radices montis. Totus autem mons Sinai fumabat, eò quòd descendisset Dominus super eum in igne, & ascenderet fumus ex eo quasi de fornace: eratque omnis mons terribilis. Et sonitus buccinæ paulatim crescebat in maius, & prolixiùs tendebatur: Moyses loquebatur, & Deus respondebat ei. Descenditq; Dominus super montem Sinai in ipso montis vertice, & vocauit Moysen in cacumen eius. Quò cùm ascendisset, dixit ad eum: Descende, & contestare populum: ne fortè velit transcendere terminos ad videndum Dominum, & pereat ex eis plurima multitudo. Sacerdotes quoque qui accedunt ad Dominum, sanctificentur, ne percutiat eos. Dixitque Moyses ad Dominum: non poterit vulgus ascendere in montem Sinai: tu enim testificatus es, & iussisti, dicens: Pone terminos circa montem, & sanctifica illum. Cui ait Dominus: Vade, descende: ascendésque tu, & Aaron tecum, sacerdotes autem & populus ne transeat terminos, nec ascendant ad Dominum, ne fortè interficiat illos. Descenditque Moyses ad populum, & omnia narrauit ei.

Iámque aduenerat tertius dies.

B Dixerat Dominus Mosi: *Sint præparati in diem tertium, in die enim tertia descendet Dominus coram omni plebe super montem Sinai.* De hoc die tertio loquitur nunc Moses, non verò de die tertio mensis. Iam aduenerat dies ille tertius, quo Dominus se venturum in montem promiserat, tunc venit in montem. Quæritur, *quotus dies mensis hic dies fuerit, quo Dominus in montem venit, legemq; tulit?* Abulensis Exod. 19. quæst. 2. putat, Hebræos peruenisse in montem Sinai die prima mensis tertii, eadémque die Mosem montem ascendisse, iussisseque Deum, vt purificaret populum vsque ad diem tertium mensis: die verò tertio mensis tertii descendisse in montem, legémque dedisse. Diuus etiam Augustinus quæst. 70. in Exod. tertium hunc diem mensis tertii fuisse ait. Dies (inquit) iste tertius apparet tertii mensis, ab exitu Israël ab AEgypto. hoc die reperitur lata lex, &c. Vulgatior opinio est, hunc diem non dici mensis tertium, vt supra explicauimus, datámque legem non die tertio mensis tertii, sed die sexto. Sic opinatur Lyranus cum Rabbi Salomone, Caietanus, & alii.

Quis sit dies tertius, quo Dominus descendit?

D. August.

3 Quæritur secundò, *Quoto die ab exitu ex AEgypto lata sit lex?* Respondetur, quinquagesimo die esse latam. August. quęst. 70. Ex die, (inquit) quo Hebræi agnum immolarunt, & ederunt, qui fuit quartus decimus primi mensis, vsque ad istum, quo lex datur, dies quinquaginta numerantur, &c. D. Isidorus Exod. 28. Quinquagesima (inquit) die post actum pascha, data est lex Mosis, &c. Rupertus de diuin. officiis, lib. 10. cap. 12. Diem datæ legis ab immolatione agni quinquagesimum fuisse, planum est. Idem asserit Rabanus de institut. Clericorum, lib. 2. cap. 41. & D. Leo. serm. 1. de Pentecoste: Hebręo (inquit) populo die quinquagesimo post immolationem agni lex data est, &c. D. Hieron. mansi. 12. Supputemus (inquit) numerum, & inueniemus quinquagesimo die egressionis Israël ex AEgypto, legem esse datam, &c. Eadem est aliorum sententia. Numerant D. Isidorus, D. Leo, & alii, hos dies quinquaginta ab immolatione agni paschalis. D. Augustinus: dies (inquit) quinquaginta numerantur decem, & septem dies primi mensis, deinde triginta secundi mensis, qui fiunt quadraginta septem, & tertius tertii mensis, qui est à solemnitate occisi agni quinquagesimus, &c. Immolatus est agnus Paschalis decimo quarto die mensis Nisan, vt supra vidimus. Mensis Nisan triginta dies habet: si ergo numeres à decimo quarto, reperies decem, & septem dies vsque ad trigesimũ: his diebus decem, & septem, addendi sunt dies triginta secundi mensis, vt ait Augustinus, & dies tres mensis tertii, die autem tertia lata est lex. Vnde sequitur, datã legem quinquagesimo die ab immolatione agni. At verò D. August. tribuit primo mensi Hebræorum triginta dies, totidem secundo mensi, cùm tamen in Calendario Hebræorum primus mensis Nisan, triginta habeat dies, siue lunationes: secundus mensis Iiar tantùm viginti nouem. Deest igitur huic computationi dies vnus. Respondemus nos, legem latam quinquagesimo die ab exitu ex Ægypto, in quo festum Pentecostes Iudæorum est constitutum in memoriam legis latæ. Quòd verò lex lata sit in die Pentecostes, sententia est D. Hieronymi mansi. 12. Inueniemus (inquit) quinquagesimo die egressionis ex Ægypto legem datam, vnde & Pentecostes solemnitas celebratur, &c. Rabanus lib. 42. de instit. Sacerd. cap. 41. Pentecostes (inquit)

D. Leo.

D. Hieron.

D. August. Vndenam sint numerandi quinquaginta dies.

D. August. Quoto die ab exitu ex AEgypto sit lata lex?

D. Isidorus.

Rupertus.

Lex lata est die quinquagesimo ab exitu ex AEgypto in die Pentecostes.

D. Hieron.

(inquit) dies, hinc cepit exordium, quando Dei vox in Sinai monte audita est, & lex data Mosi, &c. Idem opinatur Beda, homil. vigil. Pentecost. Rupertus de diuinis officiis, Magister histor. Lyranus Leuitic. 23. Exod. 19. & alij. Celebratum autem festum Pentecostes propter legem datam, ait D. Thomas. 1. 2. quæst. 102. art. 4. Celebrabatur (inquit) festum Pentecostes, ad recolendum beneficium legis datæ. Idem sentit Rupertus lib. 10. de diuinis officiis, cap. 12. D. Hieronymus citatus, Lyran. Leuit. 23. & alii. His positis, videndum est, quonam modo dies Pentecostes quinquaginta numerarentur, indéque numerandi erunt dies legis, de quibus agimus. Leuit. 23. hoc præceptum extat: *Numerabitis ab altero die sabbati, in quo obtulistis manipulum primitiarum septem hebdomadas plenas, vsque ad alteram diem expletionis hebdomadæ septimæ, quinquaginta dies.* Ex hoc præcepto constat, non esse numerandos hos dies ab immolatione agni, aut à die primo azymorum, sed ab altera die sabbathi, in qua offerebatur manipulus primitiarum. Dicitur autem *altera dies sabbathi*, id est, festi, dies secunda festi azymorum; nam sabbatum quemlibet diem festum significat. Hac die Iudæi manipulos ex segetibus colligebant, primitiásque offerebant Deo, erátque dies decima sexta mensis primi. Ab eadem die numerare incipiebant septem hebdomadas integras, quæ efficiunt dies quadraginta nouem, & die sequenti, id est, quinquagesimo, festum Pentecostes agebant, in quo lata est lex. De his iam egimus tomo 4. in fine Concord. Euangel. in tractatu de Pentecoste. Lata est ergo lex, iuxta hanc sententiam, in die Pentecostes, die quinquagesimo, si numeremus dies à decima sexta die mensis Nisan. Cùm verò filii Israel profecti sint ex Ægypto, die decimaquinta, vt supra ostendimus; si primus hic dies profectionis excludatur, data est lex ab exitu ex Aegypto die quinquagesimo mensis tertii die sexta: si verò dies hic decimus quintus profectionis includatur, data est lex die quinquagesimo primo, ab exitu ex Aegypto, mensis tertii die septimo.

D. Thom. Propter legem datam celebrabatur festum Pentecostes.

Quomodo quinquaginta dies Pentecostes numerarentur.

Leuit. 23.

Ecce cœperunt audiri tonitrua.

4 Deus venit in montem Sinai magna cum maiestate.

Summa cum maiestate Hebræis voluit Deus apparere, vt diuinæ maiestatis timorem, tyronum rudium, Deique magnitudinem ignorantium mentibus imprimeret. Dixerat se descensurum in montem die tertia. Matutino igitur tempore, cum serena esset dies, supra montem horrenda tonitrua cœperunt audiri, & micare fulgura, nubes quoque densissima cœpit montem, veluti Dei peripetasma, tegere, terribilis etiam buccinæ sonitus vehementer perstrepebat. Moses cùm videret signa hæc Dei descendentis in montem populum iam præparatum, ac sanctificatum, veluti dux, in occursum eius ex castris adduxit, stetitque ad radices montis, qui totus fumabat, velut ingens fornax; propterea quòd descendisset Dominus in eum igne circundatus flagranti, terribilis erat aspectu mons, metúmque Hebræis incutiebat. Chaldæus vertit: *Et contremuit mons valde.* Caietanus vult, montem Sinai contremuisse, idq; significari hoc loco, & Psal. 67. illis verbis: *Terra mota est.* Idem arbitratur Genebrardus eodem Psalmo; Lippomanus quoque vertit: Tremuit, seu commotus est vniuersus mons vehementer.

Mons Sinai ardebat, & fumabat, & tremebat propter maiestatem Dei. Psalm. 67. Lippomani.

A *Moyses loquebatur, & Deus respondebat ei.*

Hæc verba per anticipationem hîc posita videntur. Prius enim videtur Dominus vocasse Mosem, qui cum populo ad radices montis stabat; postea cum eo collocutus. Descendit igitur Dominus super montem Sinai in montis verticem, & vocauit Mosem, vt in montis ascenderet cacumen, cum ascendisset, *Moyses loquebatur, & Deus respondebat ei.* Loquebatur Moses, & populum paratum & sanctificatum illi offerebat, vt illi semper fautor esset, postulabat, duxque in terram promissionis. Deus autem benignè respondebat, populo audiente, vt Mosi conciliaretur autoritas. Scriptum est enim Exod. 19. *Iam nunc veniam ad te in caligine nubis, vt audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi in perpetuum.* Postea præcepit Dominus Mosi, vt descenderet de monte, iterumque moneret Hebræos, ne montem tangerent, ducti curiositate videndi Deum. At Moses respondit, non posse quemquam in montem ascendere, siquidem Domini præcepto termini erant constituti, quos nemo pertransiret, nihilominus iussit Dominus eum descendere ex monte, & postea cum fratre Aarone ascendere.

5 Deus Mosem vocat in cacumen montis, & cum eo loquitur.

B Exod. 19.

Sacerdotes quoque sanctificentur.

6 Iubet Dominus sacerdotes sanctificari.

Iubet Dominus sanctificari sacerdotes, illisque nuntiari, ne terminos monti constitutos pertranseant, ne fortè id dignitati suæ fas esse credant. Sed cùm nondum essent creati sacerdotes Aaron, & filii eius, dubitatur, *quinam dicantur hoc loco sacerdotes*, qui accedunt ad Dominum? Non est hîc recapitulationi locus, cùm id, quod posterius est, prius commemoratur, ita vt intelligere possumus, nomine sacerdotum, sacerdotes postea creatos. Dicendum ergo est, ante Aaronem pontificem, functos sacerdotio primogenitos, hósque hoc loco sacerdotes appellari, vt plerique aiunt. Quamuis autem sacerdotes essent, noluit tamen Dominus facultatem eis præbere tangendi montem.

C

D

CAPVT. III.

MORALE.

De mansione duodecima montis Sinai.

Vos ipsi vidistis, quomodo portauerim vos super alas aquilarum.

Antequam Deus legem ferat, onúsque imponat, beneficia commemorat, quæ in Hebreos contulit, vt illos ad legis obedientiam alliciat, beneficia verò commemorat perspecta & ab omnibus cognita. Vos ipsi (inquit) vidistis quod miracula ediderim, vt vos ab Aegypti seruitute liberarem. Vidistis quomodo vos portauerim, veluti super alas aquilarum, ab omni periculo liberos, ac tutissimos, & assumpserim mihi, hoc est, assumpserim in populum meum. Populus verò meus sine lege esse non potest, & obedientia. Lex ergo ferenda est in hoc monte, quam seruetis, si obedientiam voci meæ præstiteritis, pactumque meum, & legem seruaueritis, eritis mihi populus peculiaris, eritis regnum meum, ego rex ero vester, regnum, inquam, eritis sacerdotale, hoc est, sacerdotio & pontificatu ornatum, eritis etiam gens sancta. Colligamus hinc Dei beneficia, quæ in nos contulit, sæpe animo esse voluenda, vt horum memo-

II

E

Dei beneficia animo voluenda, vt legem eius seruemus.

memoria excitati, legem illius seruemus, serui Dei sumus, ab eo conditi, obedientiam hac de causa præceptis eius debemus. Eandem debemus obedientiam propter summa beneficia, quæ ab eo perpetuò accipimus. Tributa solent subditi regibus suis soluere: rex noster hoc à nobis tributum exigit, nempe mandatorum obseruationem; flagitat hanc obseruationem gratitudo. Qui tot accipimus beneficia à summo rege, eius mandata grato custodiamus animo, ingratissimus homo est, qui Dei summi benefactoris mandata non custodit. Assumpsit nos Dominus ad se, populum suum nos esse voluit, & regnum sacerdotale, nec potest sine legibus esse populus, nec leges aliquid valent, si non seruentur: ergo si populus Domini sumus, legésque eius habemus, grato pectore illas obseruemus.

A

Super alas aquilarum.

2 Ducit nos Deus in terram promissionis, velut super alas aquilarum, aliter enim eò peruenire non possumus, nisi nos super alas suas ipse ferat, Psal. 43. *Nec enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non saluauit eos, sed dextera tua, & illuminatio vultus tui, quoniam complacuisti in eis*, ideo Cant. 1. precatur Ecclesia: *Trahe me post te, curremus.* Et D. Gregor. in Cant. Non currit (inquit) qui non trahitur. Quia quem diuina gratia non adiuuat, molestia suæ corruptionis grauatur. Gratia quippe diuina nos præuenit, & internorum dulcedinem nobis ostendens, de exterioribus nos compungit, móxque in illa transiens animus, præ eorum dilectione, temporalia vilipendit, &c. Et trahit nos Dominus, sed volentes, & libentes. Vnde D. Gregor. addit; Iste qui trahitur, currit quia vinculum amoris libenter sequens, gratiæ roboratus amore, sine grauedine obstacula omnia transit, &c. Sunt autem alæ Dei, auxilia quibus nos adiuti, in cęlestem patriam iter facimus. Eucherius de formulis spirit. Alas (inquit) dicitur habere Deus, pro eo quòd more auis, electos suos tanquam pullos sub se colligit, & fouet, & ab insidiis diaboli, & malorum hominum protegit, &c. Fouet ergo nos Deus sub alis auxiliorum suorum, & à diaboli insidiis protegit, Psal. 60. *Protegar in velamento alarum tuarum.* Super alas autem portat, quia nos à terra infima extollit, & mente in excelsum cęlum sublata ducit, Deut. 32. *Expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis.* Confugiamus ad has alas, quarum velamentum exultationem iis affert, qui ad eas confugiunt, iuxta illud Psal. 62. *Et in velamento alarum tuarum exultabo.* Et psal. 35. *Filij hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt, inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Væ illis, quibus illud congruit, quod à Domino dicitur Matthęi 23. *Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti.* Sequitur: *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Væ domui, væ animæ, quę à Deo deserta est, deserta autem omnis est, quæ sub alis, & auxiliis Dei non est, & Deo caret. Aliter: Portat nos Deus super alas aquilarum, id est, angelorum. nónne Deus singulis hominibus singulos tribuit angelos custodes? nónne angeli aquilę sunt nobilissimę æternum solem semper intuentes? Super alas suas hę aquilæ portant nos, & in terram promissionis ducunt.

Psal. 43.

Cant. 1. D. Gregor.

Trahit nos Dominus, sed volentes, & libentes.

Eucherius. Auxilia Dei sunt alæ aquilarum.

Psal. 60.

Deut. 32.

Psalm. 62.

Psal. 35.

Matth. 23.

Angeli custodes alæ aquilarum.

Eritis mihi in peculium de cunctis populis.

3 Obedientiæ præmium pollicetur Dominus Si (inquit) *audieritis vocem meam, & custodieritis pactum meum, eritis mihi in peculium de cunctis populis, mea est enim omnis terra, & eritis mihi regnum sacerdotale, & gens sancta. Peculium* Hebraicè dicitur, סגלה, *segula*, id est, *peculium*, aut *peculiare*. interpres Caietani vertit: *Eritis mihi amabilitas*, id est, amabiles. Peculiaris Dei populus ille est, qui eius legibus obtemperat. *Mea* (inquit) *est omnis terra*, attamen peculiaris populus meus, singularis, & amabilis eritis, si voci meæ obtemperetis. Peculiaris enim Dei amicus est is, qui eius mandatis obedit. LXX. vertunt περιουσιος, id est, eritis mihi populus *peculiaris*, *selectus* & *eximius*. Symmachus, ἐκλεκτος, id est, *egregius*, & *præcipuus*. Vide D. Hieron. ad Titum 2. Ecclesia populus est Dei peculiaris, selectus, præcipuus, est præterea *regnum Dei*, sacerdotio, & pontificatu exornatum, & gens sancta. est Ecclesia regnum cælorum, sic enim in Euangelio vocatur. est gens sancta, hoc est, ad sanctitatem vocata, quæ à Deo per baptismum, & alia sacramenta sanctificatur, & à peccatis, si ad sacramenta confugit, expurgatur. In solo Ecclesiæ regno est sanctitas, regna quæ extra hoc regnum sunt, nihil sanctitatis, & gratiæ Dei habent. Prærerea hoc regnum cęlorum, id est, Ecclesia, sacerdotium habet, & Pontificem admirandum, videlicet Romanum Pontificem maximum, Christi summum in terris vicarium: sub eo habet Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, aliosque sacerdotes, regale est sacerdotium, regnum enim cælorum est, & Pontifices, ac sacerdotes habet, qui ter maximum Eucharistiæ sacrificium Deo quotidie offerunt, verbum Dei docent, sacramentáque populo administrant.

B

Ecclesia populus est Dei peculiaris, & eximius.

Cuncta, quæ locutus est Dominus, faciemus.

4 Obedientiæ vox. Tobiæ 5.

Hæc obedientis vox est: *Cuncta, quæ locutus est Dominus, faciam, nihil prætermittam.* Sic Tobias patri suo præcipienti respondit Tob. 5. *Omnia quæcumque præcepisti mihi, faciam pater*, &c. Plenam obedientiam Deus postulat, mandata omnia seruanda sunt; nullum est frangendum. Vnum si frangas, mortiferumque peccatum committas, in cælum promissum non peruenies, nisi pœnitentia peccatum deleas. D. Bernard. serm. 2. de S. Andr. obedientiam cum nummo confert, nummum autem integrum esse oportet, vt recipiatur. Necesse (inquit) habemus reddere obedientiæ nummum Deo, nec suscipiet illum, nisi integer inueniatur, &c. Matth. 28. *Docentes eos seruare omnia quæcunque mandaui vobis*, &c. responderunt Mosi Israelitæ: *Cuncta faciemus, quæ Dominus est locutus*, sed dictis non steterunt; Dei enim mandata postea fregerunt, graué́sque luerunt pœnas. Nos quotiescunque confessione peccata expiamus, firmo animi decreto statuimus cuncta facere, quæ Deus iussit: at postea decretum nostrum, Deique mandata infringimus. Vigilare oportet eum, qui cuncta, quę Deus præcepit, facere decernit. Habet obedientia multa præcepta seruanda, ideo oculos multos habere debet, quibus eorum custodiæ inuigilet. Ierem. 1. *Virgam vigilantem ego video.* Vigilat virga Dei, vt puniat frangentes mandata, vigilet obediens, ne puniatur, omniaque mandata vigilátissimè custodiat.

D

D. Bernard.

Matth. 28.

E

Ierem. 1.

Iam

Iam nunc veniam ad te in caligine nubis, vt audiat me populus loquentem ad te, & credat tibi.

Vult Deus eos qui populo sacram doctrinam tradũt, autoritatem coram populo habere, hanc autem maximè conciliat Dei amicitia, & familiaritas. Nunc ergo ait se autoritatem apud populum conciliaturum Moysi: *Veniam* (inquit) *& loquar ad te ex nube populo audiente, vt fide te esse dignissimum ostendam.* Qui docet Dei populum, autoritatem sibi comparet, non opibus, aut magno vitæ apparatu, sed virtute, ac Dei familiaritate, cum Deo in oratione sæpè colloquendo; ita vt intelligat populus se Dei amicum, ac familiarem habere doctorem. Venit autem Deus ad Moysem in caligine nubis, ad Apostolos autem venit in igne absque nubibus in die Pentecostes, quia lex Mosis caligine typorum obtecta erat, lex autem noua, instar ignis, typos, & figuras illustrat. Gloss. interlin. Quod (inquit) ad Mosem in caligine nubis Deus se venturum pollicetur, perinde est, ac si diceret, in obscura legis scientia, &c.

5 *Autoritatem doctori conciliat Dei amicitia, & familiaritas.*

Cur in caligine venerit Dominus ad Mosem.

Sanctifica illos hodie, & cras, lauéntque vestimenta sua.

6 Paratos voluit esse Hebræos Dominus, vt legem ab ipso acciperent, diuina enim dona illotis manibus non sunt accipienda. *Sanctifica* (inquit) *illos hodie, & cras, lauéntque vestimenta sua.* Sic cùm ad Deum accedimus, præparare nos oportet animi sanctificatione, corporisque castitate & puritate. D. Amb. lib. 1. offic. cap. 50. Disce (inquit) sacerdos, atque Leuita, quid sit lauare vestimenta, vt mundum corpus celebrandis exhibeas sacramentis, &c. D. Cyrillus lib. 4. in Ioan cap. 51. Lotione (inquit) indumentorum, corporis puritatem ostendit; indumentum enim animæ quodammodo corpus est, &c. D. Gregor. Nyss. vestibus quę apparẽt, externas nostras actiones, & studia vult significari, quæ omnia mundissima esse cõuenit. Studia (inquit) quæ in hac vita suscipimus, quasi vestes sunt, quibus homo induitur, hæc igitur studia, & hos amictus, non turpes, sed purissimos esse decet. Item: Non occulta solùm, sed etiam quæ manifesta sunt, & apparentia, ita fiant decora, vt interiori animi dispositioni conueniant, &c.

D. Ambros. Abluendũ cor, corpus, & animæ, vt ad Deum accedamus.

D. Cyrillus.

Greg. Nyss.

Constituésque terminos per circuitum.

7 Iubet Dominus monti Sinai terminos constitui, quos non sit fas pertransire: oportet enim homines summa cum reuerentia ad Deum accedere, terminos sibi constituere, neque appropinquare irreuerenter. Ecclesiastes 4. *Custodi pedem tuum ingrediens domum Dei.* Custodiendi sunt pedes in domo Dei, ne positos terminos transeant, sed reuerenter, atque humiliter domum summi Regis ingrediantur, & in illo stent loco, in quo stare fas est. Amos 6. *Ingredientes pompaticè domum Israel.* Caue ne ex his sis, qui pompaticè gradiuntur, pompaticum fuge gressum in domo Dei; illam enim, & gressus, & statio, & sessio humilis decet. In templo antiquo Ierosolomytano termini erant positi, quos transire licebat nemini. Si quis transibat, mortis subibat pœnam. Apud Iosephum lib. 7. de bello cap. 4. sic Titus Imperator Iudæos alloquitur: Nónne vos cancello sanctum locum protexistis? Nónne literis Græcis, ac nostris, id est, Latinis, incisas tabulas constituistis, quibus ne septa cuiquam transgredi liceret, edicitur? nónne eos qui transissent, quamuis Romanus quis esset, vobis necare permisimus? Hæc ille. Constituti erant termini in monte Sinai, quos si quis pertransiret, occidebatur: eundem in modum in templo termini erant positi, quos si quis præteriret, mortis pœnam luebat. Timore tunc res agebatur, nunc agitur amore: serua in templo summam reuerentiam, coram summa Dei maiestate, compellat te amor.

Cum reuerentia accedendum est ad Deum.

Eccles. 4.

Amos. 6.

Iosephus.

Ait D. Gregor. Nyssenus monte Sinai Theologiam significari, in lib. de vita Mosis. Mons (inquit) arduus, & ascensu difficilis Theologia est, &c. Habet mons hic, quod attinet ad fidem, terminos suos quos transire fas non est, transeuntibus autem mortis æternæ pœna est proposita. Certos enim terminos habet fides Catholica, hos qui transit, hæresésque inuenit, mortis æternę, & temporalis pœnam incurrit. Prouerb. 22. *Ne trãsgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui.* Terminos fidei posuerunt patres antiqui à Deo illuminati, Apostoli, summique Pontifices, & Concilia, contrarium statuere, docere, aut sentire nefas est. Ita verba proposita interpretatur gloss. ordin. Non transgrediaris (inquit) terminos Catholicę fidei, quos ab initio statuere doctores, &c. Hos, prò dolor, non verentur pertransire hæretici, sed miseriæ æternæ mortis pœnam incurrunt in reliquis quę ad fidem non spectant. Terminos habet mons Theologiæ, terminos, inquam, probatæ veritatis, quam diligenter indagare oportet Theologum, neque vllo modo transilire ad opiniones temerarias, vel probabilitate quadam plausibili & nouitate arridentes. Vide quæso, quàm sollicitus fuerit Dominus, ne terminos pertransirent Israëlitæ. Non satis fuit Exod. 19. semel Mosi dicere: *Constitues terminos populo per circuitum,* &c. Posteaquàm magna cum maiestate in monte apparuit, iterum præcepit Mosi: *Descende, & contestare populum, ne fortè velit transcendere terminos ad videndum Dominum, & pereat ex eis plurima multitudo.* Magni momenti est hęc terminorum constitutio. Caueamus ergo, ne fidei terminos transgrediamur, & pereat ex nobis plurima multitudo. Hæreses enim non duos solùm, aut tres perimunt, sed, vt experientia docet, plurimam multitudinem, multas prouincias, & regna incendunt.

8 *Greg. Nyss. Theologia mons est difficilis.*

Fidei termini non sunt transeundi.

Prov. 22.

Exod. 19.

Ecce cœperunt audiri tonitrua.

Antequam concionator in suggestum veniat, signum magno datur cymbalo: eundem in modum, antequam summus concionator in montis Sinai suggestum veniret, signum datum est, non magno aliquo cymbalo, sed terribili buccina, igne, atque tonitruis. Summa cum maiestate apparuit Dominus populo rudi, & diuinæ naturæ ignaro. Primò, in excelso monte apparuit. Secundò, non est passus Israëlitas vel ad se, vel ad montem accedere, sed terminis montem circumvallari præcepit. Tertiò, grauissimam mortis pœnam proposuit, montem ipsum in quo apparebat tangentibus. Quartò, non venit in montem suauibus tibiis aliisque dulcibus musicę instrumentis præcedentibus, vt solent reges, sed sonantibus horrendis tonitruis, micantibus metuendis fulguribus, terribilique buccina perstrepente. Quintò, à populo videri noluit, sed densissi

9 *Summa cum maiestate Dominus in monte apparuit, & summo cum terrore.*

densissima nube montem operuit, & caligine. Sexto, similem fecit montem Sinai horribili fornaci, fumabat totus, & ardebat, ascendebatque fumus, velut ex fornace magna, permixtus igni. Ignis enim maximus videbatur. Deut. 4. *Accessistis ad radices montis, qui ardebat vsque ad cœlum.* Deut. 16. *Ostendit* (inquit Moses) *Deus tibi ignem suum maximum, & audisti verba illius de medio ignis.* Septimò, mons Sinai, vt nonnulli volunt, totus contremuit, Exodi 19. *Erat omnis mons terribilis.* Chaldæus vertit: *Contremuit omnis mons valde.* & Pagninus, commotus est omnis mons valde. Psalmo 67. *Deus cùm egredereris in conspectu populi tui, cùm pertransires in deserto, terra mota est.* Pagninus vertit, *terra tremuit.* Lyranus. Terra (inquit) mota est, quia mons Sinai videbatur tremere, &c. Psal. 113. *Montes exultauerunt vt arietes, & colles velut agni ouium.* Chaldæus sic vertit: *Cùm daret legem populo suo, montes subsiluerunt sicut arietes,* &c. Et Rabbi Isaac apud Genebrardum: Exultauerunt (inquit) montes, id est, saliérunt per quendam terræ motum, vt arietes. Verè montes commoti sunt, vnde dixerunt magistri nostri montem Sinai se vertisse, & curuasse super eos, instar tinæ, &c. Sed montem Sinai instar tinæ se curuasse fabula est. D. Paulus ad Hebr. 12. addit procellam, & turbinem: *Non accessistis* (inquit) *ad accessibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam, & tubæ sonum.*

Deut. 4.

Deut. 16.

Exod. 19.

Lyranus.

Psal. 113.

Rabbi Isaac.

Hebr. 12.

10. Ostendit Dominus hoc loco maiestatem suam, docuitque quanto cum timore, & reuerentia sit colendus, docuit etiam caligine sepeus naturam suam esse inuisibilem, neque posse oculis corporeis percipi, aut intellectu videri, absque lumine supernaturali. D. Gregor. Nyssenus bestiis illis quæ prohibentur montem, in quo Deus est, tangere, sensus nostros indicari ait: Proprium enim (inquit ille) est naturæ brutorum ex sensu solo gubernari, absque intellectus aliqua operatione, &c. Bestia ergo montem tangere prohibetur, quia Deum non possunt sensus tangere, aut percipere. Deus enim non est corpereus, homo quoq; intellectu præditus, montem tangere prohibetur, quoniam humanus intellectus, humano solùm lumine illustratus, Deum non potest cernere. Itaque Exod. 19. ait Dominus ad Mosem: *Veniam ad te in caligine nubis.* Loquitur enim nobis Deus in hac vita in caligine nubis. *Videmus nunc* (ait Paulus 1. Corinth. 13.) *per speculum in ænigmate,* &c. D. Gregor. Nyssenus ait caligine qua Deus septus apparuit, ostendi Deum esse incognoscibilem, atque incomprehensibilem. In hoc (inquit) consistit Dei cognitio, in hoc est eius visio, vt videas, quòd videri non possit. quod omnem cognitionem cognitio eius excedit, quasi caligine quadam, ipsa incomprehensibilitate contenta, &c. Et D. Cyrillus lib. 3. in Ioan. c. 3. Cecinit (inquit) psalmista Psal. 17. *Posuit tenebras latibulum suum:* tenebrarum nomine incomprehensibilitatem Dei significans, &c. Ibidem Cyrillus: Dicitur (inquit) descendisse Deus non in valles, sed in cacumina montis, vt tu intelligas, quòd quamuis natura diuina ad imbecillitatem mentis nostræ condescendat, & se ipsam nobis intelligendam quodammodo præbeat: altiorem tamen eam esse, quàm nos possumus intelligere, &c. Intra terminos ergo nostræ imbecillitatis, intellectum nostrum contineamus, propositosque fidei fines nemo transgrediatur,

Sensus non possunt diuinam naturã attingere.

Exod. 19. In hac vita loquitur Dominus in caligine nubis.

1. Corint. 13

D. Gregor. Nyssenus. Deus incomprehensibilis est.

D. Cyrillus. Psal. 17.

3. Regum cap. 19. Elias Domino aduenente, vultum suum operit pallio, terminumque oculis constituit coram Deo: sic nos terminum ponamus cogitationibus de diuinis rebus. D. Gregor. libr. 5. moral. cap. 16. Vultui (inquit) pallium superducere, est ne altiora mens quærere audeat: hanc ex consideratione propriæ infirmitatis velare, vt nequaquam intelligentiæ oculos vltra se præcipitanter aperiat, sed ad hoc quod apprehendere non valet, reuerẽter claudat, &c. Vtinam hæretici pallio vultum tegerent, terminosque fidei à Deo, & Ecclesia propositos non præterirent. Sed bestia, quæ tetigerit montem, lapidabitur. Qui terminos fidei ab Ecclesia constitutos intellectu transiliunt, qui sapientissimos se arbitrantur hæreses inueniendo, qui vidisse se iactant, quæ alij non videbant, & intellexisse quæ in tenebris iacebant, graues tandem pœnas dabunt.

In Dei cognitione oculis imponendũ pallium quod fecit Elias. D. Gregor.

Cumq; eduxisset eos Moyses in occursum Dei de loco castrorum.

Hoc boni pastoris officium est ante oues incedere, easque ad Deum adducere. Pastor Israëlitici populi Moses erat, oues igitur præcedens, in occursum Dei illas adduxit, ex castris & tentoriis, in quibus manebant. Deus in monte erat, ad terminos monti præfixos accessit Moses, vt dux populi, secuti sunt Israëlitæ omnes, instar exercitus in occursum imperatoris sui Dei. D. Cyrillus lib. 3. in Ioan. cap. 3. hac eductione populi ad Deum, præeunte Mose, significari ait, hominem non posse absque cognitione, & introductione pædagogica peruenire ad Deum, sed lege ad cognitionem introduci, Moses enim legem significat, iuxta illud Luc. 16. *Habent legem & prophetas,* &c. Moses, id est, lex Mosis introduxit populum Hebræum in occursum Domini. Christus autem, & lex eius introduxit populum Christianum in Dei penetralia. Non potuit Moses, & lex vetus sua vi introducere populum in domum Dei cælestem, vt ostendimus tomo 1. Concordiæ, sed duxit in occursum Dei. At Christus, & lex noua, vi sua potest populum Christianum introducere in palatia cælestia. Pædagogus fuit lex vetus, vt Paulus ait ad Galat. 3. *Lex* (inquit) *pædagogus noster fuit in Christo.* Lex noua magister est, non in occursum solùm, sed in penetralia Dei ducens. Dissimilis sanè fuit occursus Israëlitarum occursui Christianorum, quo Deo nunc occurrunt: Israëlitæ Deo occurrerunt nube densissima tecto, tonitruis personantibus, buccina terribiliter perstrepente, in monte Sinai horrendo igne, & fumo circundato. At nunc Christiani occurrunt Deo, cùm augustissimam suscipiunt Eucharistiam. O admirandum occursum! nube quidem specierum est tectus Deus, sed non tonat, non fulgurat, non perstrepit metuenda tuba, nullus apparet fumus, aut horribilis ignis, non iubentur procul stare Christiani, sed iubentur maximè appropinquare. ô appropinquationem stupendissimam! ita iubentur appropinquare, vt Deum ore suo suscipiant, visceribusque recondant. Videlicet, lex antica lex fuit timoris, lex noua lex est amoris: illa fuit seruorum, hæc est filiorum.

11. *Bonus pastor oues ducit ad Deum.*

Exod. 16. Moses duxit populũ in occursum Domini, Christus duxit in penetralia.

Galat. 3.

Sonitus buccinæ paulatim crescebat in maius, & prolixiùs tendebatur.

Cœpit lex Dei veluti buccina in monte Sinai
12. personare, posteà verò creuit in maius, cum populus Israëliticus terram promissionis possedit. Prolixiùs tandem tuba Dei est extensa, cùm post legem veterem lex noua data est. Tunc enim Psal. 18. *In omnem terram exiuit sonus huius tubæ, & in fines orbis terræ.* D. Cyrillus loco citato:

Tuba Dei prolixiùs sonuit in lege noua.

Psal. 18.

A Progredientibus (inquit) sæculis multo vehementior diuinæ tubę sonitus effectus, Euãgelicam prædicationem per totum orbem expãdit, &c. Illud quoq; aduertendum est, legem veterem non esse latam in termino itineris, id est, in terra promissionis, sed in itinere, id est, obiter, quia obiter lata est, donec noua perfecta à Messia daretur, non in itinere, sed in terra promissionis.

D. Cyrillus.

Lex vetus lata est in itinere, id est, obiter.

CAPVT IV.

De promulgatione legis.

EXODI CAP. XX.

1. LOcvtvsqve est Dominus cunctos sermones hos: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra AEgypti, de domo seruitutis. Non habebis deos alienos coram me. Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem quæ est in cælo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra. Non adorabis ea, neque coles: ego sum Dominus Deus tuus fortis, zelotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam & quartam generationem eorum qui oderunt me: & faciens misericordiam in millia his qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea. Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum. nec enim habebit insontem Dominus eum qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra. Meme͂to vt diem sabbati sanctifices. Sex diebus operaberis, & facies omnia opera tua: septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo, tu, & filius tuus & filia tua, seruus tuus & ancilla tua, iumentum tuum, & aduena qui est intra portas tuas. Sex enim diebus fecit Dominus cælum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis sunt, & requieuit in die septimo, idcirco benedixit Dominus diei sabbati, & sanctificauit eum. Honora patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. Non occides. Non mœchaberis. Non furtum facies. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Non concupisces domum proximi tui: nec desiderabis vxorem eius, non seruum, non ancillam, non bouem, non asinum, nec omnia quæ illius sunt.

Incipit Dominus legem promulgare ex monte Sinai.

2. QVæritvr, *an sonantibus tonitruis, micantibus fulguribus, buccinaq; perstrepente inter turbines, ac procellas, tremente monte Deus promulgarit legem?* Verisimile est, siluisse hæc omnia, postquam verò siluerunt, cœpisse Dominum ferre legem magna cum vocis maiestate, in summo omnium silentio. Sed non siluisse omnia probatur ex cap. 20. Exodi. Nam postquam Deus ex monte legem tulit, dicitur: *Cunctus autem populus videbat voces, & lampades, & sonitum buccinæ, montémque fumantem, & perterriti steterunt procul dicentes Moysi; Loquere tu nobis, non loquatur nobis, Dominus.* Deo loquente, voces audiebantur tonitruorum, & buccinæ, lampadésque, id est, fulgura promicabant, ita vt populo timorem magnum incuterent. Fortè igitur verosimilius est, tonitrua, & fulgura, buccinæq; sonitum non siluisse, sed his omnibus personantibus, vt timorem populo iniicerent, voce multo maiori Deum tulisse legem, ita vt ab omni populo perspicuè audiretur; tanto tamen cum terrore, vt Mosi dicerent, *loquere tu nobis,* &c. Abulensis Exod. 20. quæst. 37. & in fine quæstionis primę: Postquam (inquit) totus populus pacatus stetit, & attentus, incœpit buccina clangere verba, quæ sequuntur, &c. Vult

An locutus fuerit Dominus sonãtibus tonitruis? &c.

Exod. 20.

Abulensis.

B ille promulgatam ex monte legem buccinæ sonitu, sed articulato; id verò opus non est, opera enim angeli vox in aëre efformabatur maximè perspicua, auribúsque accõmodata, sed terribilis, quæ ab omnibus intelligebatur.

Non habebis deos alienos coram me.

Legis veteris mandata in tria genera distribuuntur, quædam enim sunt moralia, quæ ad mores instituendos pertinent; alia ceremonialia, quæ spectant ceremonias, sacrificia, Deique cultum; alia iudicialia, quæ iudicia dirigunt, & Reipublicæ administrationem. Deus in monte Sinai non omnia hęc mandatorum genera vo- C ce terribili protulit, sed solùm moralia, quia reliqua omnia antecellunt, & iuris sunt naturalis, ab ipsa natura hominum cordibus insculpta, iuxta illud Pauli ad Roman. 2. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* Decem mãdata medulla sunt totius legis, ideo Deus hanc medullam proposuit populo, & postea in duabus tabulis descripsit digito suo. Reliqua præcepta ceremonialia, & iudicialia tradidit Mosi, & Moses populo. Dixit enim populus: *Loquere tu nobis, & audiemus, non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.* Deuteron. 5. *Si audierimus vltra vocem Dei, moriemur.* Non est igitur

Deus per angelum decalogũ ex mõte magna voce protulit.

Rom. 2.

Deus præcepta ceremonialia, & iudicialia dedit populo per Mosem.

Deuter. 5.

igitur Dominus vltrà cum populo locutus, sed cum Mose; Moses verò mediator erat inter populum, & Deum. Deuter. 5. *Ego (inquit Moses) sequester, & medius fui inter Dominum, & vos in tempore illo, vt annuntiarem vobis verba eius. Timuistis enim ignem, & non ascendistis in montem.* Quòd autem Deus solùm decem præcepta voce magna protulerit ex monte, docet Moses Deut. 5. postquam enim decem mandata recensuit, addit: *Hæc verba locutus est Dominus in monte de medio ignis, & nubis, & caliginis, voce magna, nihil addens ampliùs, & scripsit ea in duabus tabulis lapideis.* Decem autem tantùm esse mandata hæc à Domino promulgata, & in duabus tabulis scripta, probatur ex cap. 4. Deut. vbi Moses ait: *Ostendit nobis Dominus pactum suum, & decem verba, quæ scripsit in duabus tabulis.* Et Deut. 10. *Scripsit Deus in tabulis verba decem.* Ideo decalogus dicuntur tabulæ mandatorum, quia decem præcepta continent. Δέκα enim *decem* significat, & λόγος, *verbum,* siue *Sermonem.* Si quęras, *quænam præcepta in prima, quæ in secunda tabula inscripta sint?* respondetur, varias esse hac de re sententias, breuiter tamen dicendum est, duas fuisse tabulas, ne permiscerẽtur mandata, quæ ad homines attinent, cum mandatis, quę Deum spectant. In prima tabula mandata scripta sunt, quæ ad Deum pertinent. Primum: *Non habebis deos alienos coram me, non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem,* &c. Secundum: *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Tertium: *Memento, vt diem sabbati sanctifices,* &c. Hæc tria præcepta in prima tabula conscripta sunt, quia ad Dei honorem, cultúmque homines dirigũt. Reliqua septem præcepta secundæ sunt tabulę, & homines respiciunt. Quartum: *Honora patrem tuum,* &c. Quintum: *Non occides.* Sextum: *Non mœchaberis.* Septimum: *Non furtum facies.* Octauum: *Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.* Nonum: *Nec desiderabis vxorem eius.* Decimum: *Non concupisces domum proximi tui,* &c.

Deut. 5.

Deut. 5.

Deut. 4.

Deut. 10.

Quæ præcepta in prima, quæ in secunda tabula scripta sint?

4. Quæritur, *an angeli legem veterem promulgauerint?* Respondetur, angelos promulgasse. Probatur, Act. 7. ait D. Stephanus: *Hic (id est, Moses) fuit in Ecclesia in solitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sinai, & cum patribus nostris.* Item: *Accepistis legem in dispositione angelorum, & non custodistis.* Ad Galat. 3. Paulus: *Lex (inquit) ordinata per angelos.* & ad Hebr. 2. *Si sermo, qui per angelos dictus est, factus est firmus.* Ita sentit D. August. libr. 3. de Trinit. cap. 11. In edictis (inquit) angelorum lex illi populo data est, per angelos tunc Dominus loquebatur, per angelos filius Dei suum disponebat aduentum, &c. Item. Constitit, quòd, cùm Deus antiquis patribus apparere dicebatur, voces illæ ac species corporales per angelos factæ sunt, &c. D. Anselm. ad Galat. 3. *Non per se ipsum Deus sed per angelos Moysi loquebatur, & præcepta legis disponebat.* D. Thomas eodem cap. Lex est data per angelos, quia non debebat dari per filium, qui maior est, &c. In eadem sententia est 1. 2. quæst. 89. artic. 3. quem alij Theologi sequuntur. Legendus Dionys. Areopagit. lib. de cœlesti Hierarch. cap. 4. Aliter D. Chrysostomus opinatur, legem datam Mosi à verbo diuino, ad Galat. 3. ad illa verba Pauli: *In manu mediatoris:* Mediatorem (inquit) hîc appellat Paulus Christum, declarans, quòd is ante legem fuerit, ipséque legem dederit, &c. Eodem mo-

Actor. 7.

An lex vetus sit promulgata per angelos.

Ad Galat. 3.

Ad Hebr. 2.

D. August.

D. Anselm.

Ad Galat. 3.

D. Thomas.

D. Chrysost.

A do exponunt Oecumenius, & Theophyl. Inter antiphonas quoque aduentus Domini hæc habetur: ô Adonai, & dux domus Israël, qui Mosi in igne flammę rubi apparuisti, & in Sinai legem dedisti, &c. Hoc idem sentiunt multi Patres, qui opinantur, Verbum diuinum olim assumpto aëreo corpore Mosi apparuisse, eorum verba citauimus tomo 1. Concord. Euangel. lib. 1. cap. 15. vbi de hac quæstione fusiùs egimus. Estque opinio non abiicienda, sed habenda in pretio propter authores.

5. Nos tamen D. Augustinum sequimur, D. Thomam, & alios. *Mediator* autem ad Galat. 4. B Moses appellatur, cuius hæc sunt verba Deuter. 4. *Ego sequester, & medius fui inter Dominum, & vos.* Itaque angelus vicem Dei gerens summa cum maiestate in monte Sinai legem promulgare cœpit; alij verò angeli tonitrua, fulgura, nubem densissimam, quæ montem velabat, ignem horrendum, turbinem, procellam, terręque motum efficiebant. Dicitur autem in scriptura angelus Deus, quia vicem Dei gerebat, & in eo Deus erat, & per eum loquebatur, vt ostendimus loco citato Concordiæ. Si quæras, *quisnam angelus hic fuerit?* respondeo, fuisse D. Michaëlem, Ecclesię præsidem. Rursus si quæras, *an in corpore aëreo apparuerit D. Michaël?* C respondeo, nullam corpoream figuram Dei in monte Sinai apparuisse. Id docet Moses Deut. 4. *Vocem (inquit) verborum Dei audistis, & formam penitus non vidistis.*

Ad Galat. 4.

Deut. 5.

Angeli voce lata sunt decẽ præcepta.

D. Michaël legem promulgauit.

Deut. 4.

6. Quæritur præterea, *an solus D. Michaël venerit in montem, an cum comitatu angelorum?* Respondetur, venisse Michaëlem in montem multis angelorum millibus stipatum. Probatur ex Psalm. 67. *Currus Dei decem millibus multiplex, millia lætantium, Dominus in eis, in Sinai.* Venit ergo Dominus in Sinai stipatus multitudine angelorum, & Deuter. 33. *Cum eo sanctorum millia,* &c. Obiicies, *non fuisse angelum illum, qui legem dedit, sed Deum.* Non enim angeli sunt currus D D. Michaëlis. Respondetur, angelos dici currum Dei, dicíque Deum venisse in montem Sinai, quia in monte Sinai erat in angelis, tum per se, tum per angelum, vicem eius gerentem. Veruntamen Deus per se nec loquebatur, nec legem Mosi dabat. Præterea non apparuit Deus subitò Hebræis in monte Sinai, sed magna cum gloria visus est, velut sol splendidissimus, oriri ex monte Seir, & ex monte Pharan, & in Sinai venire. Deuter. 33. ait Moses: *Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus est nobis, apparuit de monte Pharan, & cum eo sanctorum millia, in dextera eius ignea lex.* Obiicies, si Deus E in dextera ferebat igneam legem, sequitur, apparuisse aliquam formam hominis, qui legem in dextera ferret, ergo *Israëlitæ tunc formam viderunt corpoream.* Hebræi verba Deuter. sic interpretantur: *Dominus de Seir ortus est nobis,* id est, de terra Idumæorum, in qua est mons Seir, & apparuit de monte Pharan, id est, de terra Ismaëlitarum, qui habitant circa montem Pharan. Nam priusquam legem daret Israëlitis, venit ad Idumæos, filios Esau, & ad Ismaëlitas filios Ismaël, filij Abraham, & obtulit eis legem: at illi accipere recusarunt. Cùm illi recusassent, venit ad filios Israël in Sinai, ex illis regionibus, & montibus apparens. Commentum est hoc Hebræorum. Deus enim solis Israëlitis, ex quibus Messias erat nasciturus,

Multis angelis comitatus venit in montem

Deus in D. Michaële.

Psal. 67.

Deut. 33.

Deut. 33.

Nõ apparuit Deus subitò in Sinai, sed ex Seir, & Pharan visus est venire.

Hebræorum fabula.

nascituros, legem obtulit, & dedit. Alij aiunt, Deum ortum esse Israëlitis de monte Seir instar solis, quia eo in loco, vt legitur Numer. 20. & 21. iussit serpentem æneum attolli, vt illi sanarentur, qui serpentum ignitorum morsu erãt vulnerati: apparuisse verò de monte Pharan, cùm septuaginta seniores spiritu impleuit, Numer. 11.

7. Caietanus Deuter. 33. opinatur, Deum non toti populo sic apparuisse, sed Mosi, & Aaroni, Nadab & Abiu, & septuaginta senioribus, iuxta illud Exodi 24. *Ascenderunt Moyses, & Aaron, Nadab & Abiu, & septuaginta de senioribus Israël, & viderunt Deum Israël sub pedibus eius, quasi opus lapidis Sapphirini, & quasi cælum, cùm serenum est.* Verùm verba ipsa videntur indicare, Deum ad ferendam legem igneam venisse magno cum angelorum comitatu ex monte Seir, & ex mõte Pharan, sicque visum ab Hebræis. Fauent verba Cantici Deboræ, Iud. 5. *Domine, cùm exires de Seir, & transires per regiones Edom, terra mota est, cæliq; ac nubes distillauerunt aquis; montes fluxerunt à facie Domini, & Sinai à facie Domini Dei Israël.* Quia verò ait Moses, Hebræos nullam formam vidisse Dei, dicendum est, nullam tunc Dei figuram visam esse, ne occasionem sumerent Israëlitæ fabricandi idola, sed visam nubem splendidissimam, ac pulcherrimam, qua circundatus angelus, Dei vicem gerens, & in eo Deus veniebat. Illud etiam aduertendum, Mosem tunc dixisse, nullam formam Dei conspectam, cùm legem in Sinai dabat, non autem cùm ex Seir, vel Pharan veniebat. Ratio tamen illa, quæ redditur, cur forma Dei non sit conspecta, nimirum, ne idolorum occasio ex ea sumeretur, probat, neque cùm veniebat in Sinai, neque in ipso monte Sinai apparuisse populo corpoream aliquam Dei figuram; viris forsitan prudentioribus illam ostendit Deus.

Opinio Caietani. *Exod. 24.* *Iud. 5.* *Cur Deus corporali figura, noluit apparere?*

Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.

8. Conticuit angelus, postquam decem promulgauit mandata, neque vltra progressus est. Deuter. 5. *Hæc verba* (id est, decem mandata) *locutus est Dominus in monte, voce magna, nihil addens amplius.* Israëlitæ autem timore perterriti existimantes Deum plura locuturum, ad Mosem accesserunt, qui cum illis erat, legémque audiebat; postulaueruntque, vt mediator ipse esset, & sequester inter Deum, & populum in ferenda lege: Accipe (inquiunt) tu à Deo leges, & acceptas da nobis, loquere tu cum Deo, & loquatur tibi Deus, postea loquere nobis, & trade præcepta. *Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* Deuter. 5. ait Moses: *Accessistis ad me omnes principes tribuum, & maiores natu, atque dixistis: Ecce ostendit nobis Dominus maiestatem, & magnitudinem suam, vocem eius audiuimus de medio ignis, & probauimus hodie, quòd loquente Deo cum homine vixerit homo. Cur ergo moriemur, & deuorabit nos ignis hic maximus? si enim audierimus vltra vocem Domini Dei nostri, moriemur. Quid est omnis caro, vt audiat vocem Dei viuentis, qui de medio ignis loquitur, sicut nos audiuimus, & possit viuere? Tu magis accede, & audi cuncta, quæ dixerit Dominus, loquerisq; ad nos.* Deuter. 18. populi verba hæc extant: *Vltra non audiam vocem Domini, & ignem hunc maximum amplius non videbo, ne moriar.*

Deut. 5. *Hebræi à Deo se petunt territi, vt loquatur ipse, non Deus.* *Deut. 5.* *Deut. 18.*

A *Vt probaret vos, venit Deus, & vt terror illius esset in vobis, & non peccaretis.*

Aperit Moses causam, cur Deus tanto cum terrore in monte apparuerit, mandataque tulerit. Ea est, vt Israëlitarum cordibus timorem afferret, quo perculsi peccata fugerent, & vt eos probaret, ostenderétque illis, quàm essent imbecilles, qui Dei præsentiam, & locutionem ferre non possent, sed dicerent: *Non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* Vel: sic venit Deus, vt probaret Israëlitas; an vellent accipere legem, tanto cum horrore latam, & vellent pactum inire cum tanta maiestate. B

9. *Timori vult Deus.*

CAPVT V.

MORALE.

De promulgatione legis.

NATVRALIS lex à Deo, & ab ipsa natura hominibus promulgatur, iuxta illud Pauli ad Roman. 2. *Gentes quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt, eiusmodi legem non habentes, ipsi sibi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis.* D. August. Psal 57. Manu formatoris nostri in ipsis cordibus nostris veritas scripsit: Quod tibi non vis, ne facias alteri, &c. D. Ambros. epist. 71. Lex (inquit) naturalis non scribitur, sed innascitur, nec aliqua percipitur lectione, sed profluo quodam naturę fonte, in singulis exprimitur, & humanis ingeniis hauritur, &c. Non igitur indigebat promulgatione, si tamen hominum mens sana esset, qualis mens fuit Adami in statu innocentiæ, sed per peccata mentis iudicium corruptum est, obcęcatus intellectus, lex obscurata. Idcirco Deus Opt. Max. voluit populo suo decem illius mandata, magna cum maiestate promulgare, omnibusque manifesta reddere, & in duabus tabulis scribere. Iam igitur lex naturalis non solùm innata est, sed etiam scripta digito Dei, neque solo naturæ profluo fonte in hominibus exprimitur, sed etiam lectione percipitur. Habebant in se ipsis scriptam legem homines, sed legere nolebant, ideo legem, quam in se ipsis habebant, promulgauit Deus, & scripsit, auribus, oculisque subiecit, vt, quod in se ipsis non legebant, in scripto legerent. D. August. Psal. 57. Scriptum (inquit) habebant, sed legere nolebant, oppositum est oculis eorum, quod in conscientia videre cogerentur, & quasi forinsecus admota voce Dei ad interiora sua homo compulsus est, &c. Homines si rationem respiciant, & sequantur, ipsi sibi lex sunt, vt Paulus ait: *Eiusmodi* (inquit) *legem non habentes ipsi sibi sunt lex.* Sed à seipsis alieni fiunt, atque exules; legem, quam in se habent, & rationem deserunt, & ad hostes, mundum, carnem diabolumque transfugiunt, ideo (vt Augustinus ait) lex in tabulis scribitur, vt ad se ipsos reuocentur. Augustinus loco citato: Quia homines (inquit) apperentes ea, quę foris sunt, etiam à seipsis exules facti sunt, data est etiam conscripta lex. Non quia in cordibus conscripta non erat, sed quia tu fugitiuus eras cordis tui, à Deo comprehenderis, & ad te ipsum intrò reuocaris; propterea scripta lex clamat eis, qui deserue-

I. *Ad Rom. 2.* C *D. August.* *Lex naturalis à natura promulgatur.* *D. Ambros.* *D. August.* D *D. August.* *D. August. Lex naturalis scripta reuocat homines ad cor.*

deseruerunt legem scriptam in cordibus suis. Isaiæ 46. *Redite præuaricatores ad cor.* Sic August. Redeamus præuaricatores legis ad cor, legem cordi inscriptam semper inspiciamus, ac sequamur; legem verò in membris carnis nostræ inscriptam conculcemus, ad Rom. 7. *Video* (inquit Apostolus) *aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati quæ est in membris meis.* Repugnat legi mentis, ac rationi lex membrorum, hoc est, concupiscentia, & fomes peccati, hominem captiuat, quia ad malum impellit, & peccato subiicit, si non resistat viriliter, & repugnanti impiæ legi ipse fortiùs repugnet. Hanc legem diabolus per peccatum carni nostrę intulit, & super legem naturæ seminauit, vt fructus orco proferret. D. Thomas opusc. 8. de decem præceptis. Licet (inquit) Deus in creatione dederit homini legem naturę, diabolus tamen in homine superseminauit aliam legem, scilicet concupiscentiæ, &c. Deus in creatione legem naturæ seminauit; diabolus, cùm primos parentes in peccatum impulit, & gratia, atque iustitia originali priuauit, legem concupiscentię superseminauit. Maximè cauenda est lex concupiscentiæ, ad peccatum nos alliciens, complectenda lex Dei, à peccato semper nos deterrens; superseminauit hostis zizania, pro viribus eradicemus pessimum semen, ne fructus orco pariat.

Isaia 46. *Rom. 7.* *Lex mẽbrorum concupiscentia, repugnat legi mentis.* *D. Thomas.* *Diabolus superseminauit zizania concupiscentiæ.*

2. Solùm decem mandata legis naturalis Deus voce terribili promulgauit, alia tamen addidit præcepta ceremonialia, & iudicialia; ceremonialia quidem quæ Dei cultum spectant: iudicialia quæ ad Reipublicæ gubernationem attinebant. Commentitium autem est illud Hebræorum, quod suprà memorauimus, videlicet Deum obtulisse legem Idumæis primùm, & Ismaëlitis, postea Hebræis. Nam solis Hebræis legem & obtulit, & tulit Dominus, propter Christum venturum. Quia enim Verbum diuinum, vt orbem redimeret, humanam naturam erat assumpturus, populum Hebræum elegit, ex quo naturam humanam assumeret; ideoque hunc populum à gentibus separauit, eique legem, & peculiarem terram repromissionis tradidit, in qua redemptionis nostrę mysterium peragendum erat. Legem autem dedit, in qua decem mandata legis naturalis cõtinentur, quibus omnes homines obstricti sunt; tradidit & præcepta iudicialia, quibus populus, ex quo Messias naturam humanam erat assumpturus, sanctè gubernaretur; denique tradidit præcepta ceremonialia, quibus præcipuè ipse Messias, eiusque mors, & passio adumbraretur. Legis autem perfectissimæ, id est, nouæ latio, Messiæ reseruata est. Legem veterem in itinere obiter dedit, quousque ipse veniret; postquam venit, veterem abrogauit, nouam tulit. Iudæi verò obcæcati veterem abrogatam, mordicus tenuerunt; nouam à Deo confirmatam accipere noluerunt, ideoque miserandum in modum perierunt. D. Ambros. epist. 72. Vmbram tenet, qui solem fugit, &c. Quid Christus est? nonne sol fulgentissimus? Quid est lex vetus? nonne vmbra futurorum ac typus? fugerunt Iudæi solem splendidissimum; vmbram legis mortiferam tenuerunt. Multa diximus de lege noua, & veteri, deque vtroque Testamento, initio tom. 1. Concord. cùm egimus de prærogatiuis noui testamenti, inde petat, qui volet.

Lex vetus Hebræis data, quia ex illis Christus erat nasciturus. *D. Ambros. Iudæi vmbram legis tenent, solem Christum fugiunt.*

A *Vt probaret vos, venit Deus, & vt terror illius esset in vobis, & non peccaretis.*

Magnum timorem incussit Deus Israëlitis, neque verò soli Israëlitæ timuerunt, sed etiam ipse dux fortissimus Moses: sic enim Paulus scribit ad Hebr. 12. *Et ita terribile erat, quod videbatur. Moyses dixit, exterritus sum, & tremebundus.* Quorsum Deus tantum terrorem animis Hebręorum iniecerit, docet Moses, *vt terror* (inquit) *illius esset in vobis, & non peccaretis.* Christus, postquam in terras descendit, hominibus æternam cæli gloriam ostendit, in monte Thabor transfiguratus, & instar solis splendens, vt præmij spe ad virtutem homines excitaret: hoc verò loco in monte Sinai, tartareas flammas videtur ostendere, vt supplicij terrore à peccatis deterreat. D. Cyrillus in homilia contra Nestorium: Quam ob causam (inquit) Deus descendit in montem Sinai in specie ignis? quoniam determinaturus illis legem erat. Tunc sanè potissimùm conuenienter in specie ignis descẽdisse visus est, vt scirent illius transgressores, negotium esse sibi cum igne; ita & Moses, vt peccantes ad resipiscentiam metu impelleret, clamauit, Deuteron. 4. Dicens: *Deus tuus ignis consumens est.* Sic Cyrillus. *Venit* (inquit Moses) *vt terror illius esset in vobis, & non peccaretis.* Terror Dei peccata mente pellit, & viam munit ad gratiam, Deo iuuante. Quamobrem à D. August. cum seta, vel acu comparatur, per quam linum introducitur, cùm vestis consuitur, tract. 9. in epist. 1. Ioan. Timor (inquit) quasi locum præparat charitati. Si nullus est timor, non est quà intret charitas, sicut videmus per setam introduci linum, quando aliquid suitur, &c. Volebat Dominus legem suam in populum Hebræum introducere; per timorem introduxit, velut linum per acum, siue setam. Præterea timor Dei fortitudinem menti offert, qua peccata, superantur, in bello enim aduersùs vitia, qui timent Deum, ipsi fortes sunt, & superant aduersarios. D. Gregor. lib. 5. Mor. cap. 13. In via (inquit) Dei timor fortitudinem gignit, &c. Prouerb. 14. *In timore Domini fiducia fortitudinis.* Volebat Dominus, ne peccaret populus, timorem incutit, & fortitudinem aduersùs peccata præbet, Prouerb. 8. *Timor Domini odit malum.* Prouerb. 15. *Per timorem Domini declinat omnis à malo.* Qui Deum verè timet, inopiam non timet, vel ignominiam, vel malum aliquod temporale, quia ante oculos suos proponit malum sempiternum, quod omnia mala temporalia superat. Tetror æterni supplicij omnes temporales terrores vincit: Mens nostra (inquit Gregorius) tanto valentiùs terrores rerum temporalium despicit, quanto se autori earundem veraciùs per formidinem subdit, &c. Item: Mens in timore Domini constituta, non inuenit extra se, quod metuat, quia dum tecto metu conditori omnium iungitur, potestate quadam supra omnia subleuatur. Sic ille.

3. *Heb. 12.* *Deus terror Hebræis incussit, ne peccarent.* *D. Cyrillus.* *Deut. 4.* *Timor vialis aperit ad gratiam Deo.* *D. August.* *Timor gignit fortitudinem adversùs peccata.* *D. Gregor.* *Prouerb. 14.* *Prouerb. 8.* *Prouerb. 15.* *D. Gregor. Timor Dei vincit omnes timores.*

Deut. 5. *Cur moriemur,* (aiunt Hebræi) *& deuorabit nos ignis hic maximus?* Si sic timebant illi ignem montis Sinai paucorum dierum, quo horrore par est nos timere ignem orci sempiternum? Intueamur quæso mente sæpissimè flammas illas gehennales, multo maiores ac vehementiores flammas montis Sinai, & verba Hebręorum vsurpemus: Heu *cur moriemur, & deuorabit nos hic ignis maximus?* Cur peccato, veluti

4. *Deuter. 5.* *Tartarei ignis perpetua habenda memoria.*

veluti gladio, nobis vitam gratiæ, æternæque gloriæ eripiemus, & deuorabit nos tartari ignis maximus, ac sempiternus? Cur tam stulti erimus, vt pro breuissima mundi voluptate in sempiternos flammarum rogos animas nostras, & corpora præcipitemus? Minatus est nobis Deus inferni maximum ignem, vt terror illius esset in nobis, & non peccaremus. Sit ergo in nobis terror eius semper, vt non peccemus. Ecclesiast. cap. 7. *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.* Sit (inquit) frequentissima in te memoria mortis, iudicij, atque gehennæ; tam frequens, vt in omnibus operibus tuis tibi ante oculos ignis ille maximus obuersetur, & perpetua fuga, fugies peccatum. Nam pedibus animæ alas addet timor ignis. Cùm opus aliquod facis, diligenter considera, an sit tartareo dignum igne. Quod si igne dignum est, magno perculsus horrore, ex mente, manibusque illud abiice protinus. Richardus Victorinus in lib. Patriarcharum: Prima (inquit) virtutum proles est timor, qui nascitur ex consideratione proprij sceleris, & potentia iudicantis, hic est Ruben, id est, filius visionis. Quodammodo enim cæcus est, qui peccare non timet, quia futura mala non præuidet.

Eccli. 7.

Richardus Victorinus. Prima proles virtutum timor.

5. Deut. 33. *In dextera eius ignea lex.* Ignea dicitur lex Dei, quoniam iis, qui eam frangunt, supplicium affert æterni ignis, quamobrem in monte Sinai flammis ardente lata est. Ignea etiam dicitur lex, quia instar ignis omnia vitia comburit. Primum mandatum omnem comburit idolorum cultum, omnemque perfidiam. Secundum, omnia falsa iuramenta. Tertium, dierum festorum violationes. Quartum, peccata comburit, quæ aduersùs parentum honorem committuntur. Quintum, homicidia. Sextum, adulteria, & impudicitiam. Septimũ, furta. Octauum, falsa testimonia. Nonum & decimum, prauam concupiscentiam. Vtinam in dextera feras igneam legem, facilè peccata omnia in cinerem rediges. *In dextera* (inquit) *eius ignea lex.* In dextera ferenda est semper lex, & ante oculos veluti res charissima, nostrarumq; actionum regula. In dextera autem manu, quæ fortior est, portanda, quia magna cum fortitudine retinere eam oportet, ac conseruare, ne à dæmone eripiatur. Igneam ergo legem Dei in dextera porta, omnia in te vitia illa comburet, & fortiter obseruata, ab ignea te orci pœna liberabit His adde, igneam esse legem Dei nouam, quia igneam charitatem menti affert. Hanc Deus in dextera tulit, quia præcipua lex est, & finis legis veteris. Lex vetus charitatis ignem vi sua animis afferre non potuit, lex noua à Christo lata, eiusque merita continens, hunc Spiritus sancti ignem attulit, idcirco meritò ignea appellatur, in linguisque igneis in die Pentecostes lata est. Ignea dicitur lex vetus, non quia vi sua peccata posset comburere; ea enim per merita Christi venturi comburebat. Lex verò noua Christum habet, eiusque sanguinem, per quem peccata absumit. Præterea ignea est lex Dei, quia instar ignis illuminat. Psal. 118. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* In nocte versamur, lucerna opus est mandatorum Dei, quæ semitas ad cœlum ducentes indicet, iuxta illud Psalm. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* Fax est ignea lex, quę viam nostram illuminat; illuminat quoque nostrum intellectum, prudentémque facit hominem, Psal. 118. *Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo.* Item: *Mandatis tuis intellexi, propterea odiui omnem viam iniquitatis.* Item: *Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est, super senes intellexi, quia mandata tua quæsui.*

Deut. 33. Cur dicatur ignea lex.

Lex comburit vitia, vt ignis.

Lex Christi ignea.

Psal. 118.

Psal. 118. Lex Christi lux est, prudentes facit homines.

Psal. 118.

CAPVT VI.

De promissione Messiæ.

DEVTERONOMII CAP. XVIII.

PROPHETAM de gente tua, & de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies, vt petisti à Domino Deo tuo in Horeb, quando concio congregata est, atque dixisti: Vltrà non audiam vocem Domini Dei mei, & ignem hunc maximum ampliùs non videbo, ne moriar. Et ait Dominus mihi: Bene omnia sunt locuti. Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam verba mea in ore eius, loqueturque ad eos omnia quæ præcepero illi: qui autem verba eius quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existam.

2. PROMISIT Deus Messiam Abraham, Genes. 22. illis verbis: *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ.* Promisit Isaac, Genes. 26. & Iacob, Genes. 28. Dauidi quoque Psal. 131. *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non frustrabitur eam, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* In monte Sinai promisit illum toti populo Israëlitico; postquam populus vocem Dei exhorruit, dixiṕque Mosi, Deut. 18. *Vltrà non audiam vocem Dei mei, & ignem hunc maximum ampliùs non videbo, ne moriar.* Et Exod. 20. *Loquere tu nobis, & audiemus, non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.* Respondit Deus Mosi: *Bene omnia sunt loquuti, prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum, similem tui*, &c. Est autem hic singularis propheta Christus, vt D. Petrus exponit, Act. 2. & D. Stephanus, Act. 7. Promissus autem est, cùm lex vetus ferebatur, quia ad Christum lex tendebat, ad Rom. 10. *Finis legis Christus.* Præterea obiter lata est lex Mosi, vsq; ad Christum tantùm permansura, meritò igitur dum ea in itinere fertur, Messias promittitur, qui legem stabilem nunquam abrogandam tulit. *Lex* (ait Paulus ad Galat. 3.) *propter transgressionem posita est, donec veniret semen.* Donec veniret semen, id est, Christus, lex vetus posita est, ideo in latione legis Christus promittitur, qui eam erat abrogaturus, & alteram laturus. Nõ valebãt

Genes. 22. Genes. 26. Genes. 28. Psal. 131.

Deut. 18.

Exod. 20.

Rom. 10. Messias promittitur Hebræis, cùm lex ferretur à Messia abrogandæ. Galat. 3.

Hebræi audire angelum Dei, legem promulgantem cum terrore maximo. Promittitur illis propheta, qui Deus sit, & legem nouam ferat, non cum terrore, sed cum summa humilitate, mansuetudine, & amore.

3. Suscitauit autem Deus prophetam per excellentiam sic appellatum, Christum, prophetarum omnium maximum, suscitauit, inquam, de medio fratrum suorum, id est, ex populo Iudæorum, similem Mosi. Dicitur autem Christus similis Mosi, quia Moses typus fuit Christi. Quemadmodum Moses Israëlitas eduxit ex seruitute Ægypti, sic Christus eripuit humanum genus ex seruitute peccati. Moses veterem legem populo dedit; Christus nouam tulit. Moses dux fuit, princeps, & legislator populi Mosaici; Christus dux est, rex, & legislator populi Christiani. Moses miracula multa in Ægypto; Christus in Iudæa plurima patrauit. De Mose, Numer. 12. ait Deus: *In omni domo mea fidelissimus est. ore enim ad os loquor ei, & palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt.* Similis fuit Christus Mosi hac in re, sed longè præstantior. Nam Christi anima non per figuras, & ænigmata Deum videbat in terra, sed palam, & apertissimè diuinam essentiam semper intuebatur, & ore ad os cum diuino Verbo loquebatur, cui erat vnita. Fidelissimus erat Moses in omni domo Dei, id est, in populo Iudæorũ; Christus verò fidelissimus fuit in omni domo Dei, id est, Ecclesia. Sed, vt Paulus scribit ad Hebræos 3. *Moses fidelis erat in tota domo Dei*, id est, synagoga, *tanquam famulus in testimonium eorum, quæ dicenda erant: Christus verò tanquam filius in domo sua.* Denique Moses fuit propheta maximus: Christus fuit propheta multo maior Mose. Præterea indicatur Incarnatio diuini Verbi hac similitudine: *Suscitabo prophetam similem tui*, videlicet hominem. Mittam enim ad eos Filium meum, qui nouam ferat legem, sed incarnatũ, & hominem verum, sicut tu homo verus es. Addit Dominus: *Ponam verba mea in ore eius,* (scilicet Prophetæ) *loquetur, ad eos omnia, quæ præcepero illi.* Posuit Deus in ore Christi hominis verba sua, ideo Christus Ioan. 7. ait: *Doctrina mea, non est mea, sed eius, qui misit me.* Diuina erant omnia illius acta, & omnia verba. Adiicit Deus, supplicium se sumpturum de iis qui prophetæ maximo non habuerint fidem, quiq; eius verbis obedientiam non præstiterint. *Qui* (inquit) *verba eius, quæ loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego vltor existam.* Fecit Deus, quod promisit. Noluerunt Iudæi verbis Christi obedire; extitit vltor Deus, vt cernimus ipsis oculis.

Christus propheta quomodo similis Mosi.

Num. 12.

Incarnatio Verbi indicatur.

Ioan. 7.

4. Quòd autem Christum prophetam maximum Deus promiserit in monte Sinai; ex verbis Mosis probatur. Nam postquam promissionem à Deo accepit, populum sic est allocutus, Deut. 18. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit Dominus Deus tuus, ipsum audies, vt petisti à Domino Deo tuo in Horeb, quando concio congregata est, atque dixisti: Vltra non audiam vocem Domini Dei mei, & ignem hunc maximum ampliùs non videbo, ne moriar.* Rogabi, *an populus tunc temporis petiuerit, vt mitteretur Messias?* Ait enim Moses, ipsum prophetam audies, *vt petisti à Deo tuo in Horeb*, id est, in Sinai, quando concio populi totius congregata est ad audiendam legem. Respondetur, non petiuisse populum, vt Messias mitteretur, sed petiuisse, vt Moses sine terrore legem illis promulgaret. Quia verò cum hac petitione congruit maximè Messiæ legislatio, ideo ait Moses: *Prophetam mittet Dominus, sicut me, ipsum audies*, sine terrore legem ferentem, sicut petisti in monte Sinai. Petisti enim vt ego loquerer ad te absque terrore, sic Messias loquetur, sicut tu petisti; non veniet igne maximo, fumoque circundatus, non septus caligine, tonitruis sonãtibus, fulguribusq; micantibus, ac terribili tuba perstrepente: sed humilis veniet, non vt leo veniet, sed vt mansuetus agnus, ad tollenda peccata mundi. Hanc ob causam ait Moses: *Prophetam sicut me suscitabit tibi Dominus, ipsum audies.* Mittet (inquit) tibi Prophetam Messiam, sicut me, & similem mei, erit enim ille sicut ego, & similis mei, quia quemadmodum ego loquor vobis absque vllo terrore, ita ille vobis loquitur. Præterea in monte Sinai petiuerunt Israëlitæ, vt loqueretur ad illos Christus, absque terrore illis verbis: *Loquere tu nobis, & audiemus.* Etenim Moses typus erat Christi; in typo igitur petierunt, vt loqueretur illis Christus, legemque ferret placatè. Addit Moses, *ipsum audies*, hoc est, prophetam illum maximum Messiam audies magna cum obedientia ex hac enim obedientia salus tua pendet. Moses antequam veniret Christus, præcepit populo, *ipsum audies.*

Deut. 18.

An populus in monte Sinai Messiam mitti postulauerit?

5. Postquam venit Christus, cùm transfigurãtus est in monte Thabor, præsente Mose, ait Pater: *Ipsum audite.* Matth. 17. *Ecce vox de nube dicens. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui, ipsum audite.* Quasi dicat: Impleui, quod promisi populo tuo, prophetam suscitaui eis maximum, filium meum ad eum misi charissimum, reliquum est, ô Moses, vt populus præstet, quod tu præcepisti, ipsumque audiat. Idemque ego nunc tam populo tuo, quàm toti orbi præcipio, *ipsum audite.* Origen. homil. 12. in Exod. Gauisus est Moses, quòd cum, de quo dixerat, *prophetam vobis suscitabit Dominus, sicut me ipsum, audietis per omnia*, nunc adesse cernebat scilicet in transfiguratione, & fidem facere sermonibus suis. Et ne cunctaretur in aliquo, audit paternam vocem dicentem: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite.* Moses dudum dixit, illum audietis, nunc pater dicit: *Hic est filius meus, ipsum audite*, & præsentem, de quo dixit, ostendit. Sic Origenes. Hebræi territi dixerunt: *Non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur, loquere tu nobis.* Locutus est tunc Deus cum terrore, sed nouissimis diebus locutus est nobis magna cum humilitate & amore. Paulus ad Hebræos 12. *Non accessistis* (inquit) *ad tractabilem*, (id est, palpabilem, & corporeum) *montem* (Sinai, qui tractari, & tangi potest,) *& accensibilem ignem*, (Græcè, κεκαυμένῳ πυρί, id est, ad accensum ignem, quo mons ardebat,) *& turbinem, & caliginem, & procellam, & tubæ sonum, & vocem verborum, quam qui audierunt, excusauerunt se, ne eis fieret verbum. Sed accessistis ad Sion montem, & ciuitatem Dei viuentis, Ierusalem cælestem*, id est, ad Ecclesiam Dei, quæ dicitur Ierusalem cælestis, quia est regnum cælorum,) *& ad multorum millium angelorum frequentiam*, qui Ecclesiam custodiunt, & Christum in sacramento Eucharistiæ existentem comitantur.) Præterea *accessistis ad Ecclesiam*) *primitiuorum*, (Græcè, πρωτοτόκων, id est, primogenitorum,) *qui conscripti sunt in cælis*, id est, ad Ecclesiam Apostolorum, & sanctorum, qui sunt Dei filij, & Ecclesiæ primogeniti, quorum nomina

Origenes.

Heb. 12.

Ibidem.

Ibidem. Non accessimus ad terrorem mõtis Sinai, sed ad montem Sion & Ierusalem pacificam.

Ibidem. mina scripta sunt in cęlis. Item: *Accessistis ad Deum omnium iudicem, & spiritus iustorum perfectorum, & testamenti noui mediatorem Iesum, & sanguinis aspersionem*, id est, Christi passionem, &c. Addit; *Videte, ne recusetis loquentem. Si enim illi non effugerunt recusantes eum qui super terram loquebatur, multo magis nos, qui de cælis loquentem nobis auertimus.* Cauete (inquit) vobis, ipsum audite. Audite Christum summa cum obedientia. Nam si patres nostri in deserto non effugerunt supplicium, audire; ac obedire recusantes Mosi; maiori supplicio nos afficiemur, si audire Christum recusemus. Possunt etiam verba Pauli de A Sione, & Ierusalem cęlesti exponi, hoc sensu; Hebræi accesserunt in montem corporeum, ac terrenum, igneque flagrantem, non accesserunt ad montem cęlestem, quia lex illa, quæ tunc data est, cæli fores aperire non poterat; qui enim inter illos sanctitate pollebant, seruantes legem ad limbum accedebant, non ad cælum. Vos autem accessistis ad montem Siõ, & ad Ierusalem cęlestem, cùm estis baptizati, quia post mortem, si legem Christi seruaueritis, nulloque peccato fueritis inquinati, in cęlestem Ierusalem mox introibitis.

CAPVT. VII.

De pacto inito cum Deo ab Israëlitis.

EXODI CAP. XXIV.

1. VENIT ergo Moyses & narrauit plebi omnia verba Domini, atque iudicia; respondit q; omnis populus vna voce: Omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus. Scripsit autem Moyses vniuersos sermones Domini: & manè consurgens ædificauit altare ad radices montis, & duodecim titulos per duodecim tribus Israël. Misitque iuuenes de filiis Israël, & obtulerunt holocausta, immolaueruntque victimas pacificas Domino, vitulos. Tulit itaque Moyses dimidiam partem sanguinis, & misit in crateras; partem autem residuam fudit super altare. Assumens q; volumen fœderis, legit audiente populo: qui dixerunt: Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus, & erimus obedientes. Ille verò sumptum sanguinem respersit in populum, & ait: Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his.

2. POSTQVAM Deus decem populo mandata magno cum terrore tradidit, accesserunt principes tribuum, & maiores natu ad Mosem perterriti metu, atque dixerunt: *Loquere tu nobis, & exaudiemus.* Exod. 20. *Non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur*; &c. Deut. 5. *Tu* (inquiunt) *magis accede, & audi cuncta quæ dixerit Dominus Deus noster tibi: loquerisq; ad nos, & nos audientes faciemus ea.* Ascendit Moses in montem ad Deũ, Exod. 20. *Stetit populus de longè: Moyses autem accessit ad caliginem, in qua erat Deus.* Placuerant autem Deo verba principum, & terror animo cõceptus maiestatis diuinæ, atque obedientia quam pollicebantur. *Nos* (inquit) *audientes faciemus ea.* Quamobrem dixit Dominus Mosi; Deut. 5. *Audiui vocem verborum populi huius, quæ locuti sunt tibi; bene omnia sunt locuti. Quis det talem eos habere mentem, vt timeant me, & custodiant vniuersa mandata mea in omni tempore, vt bene sit eis, & filijs eorum in sempiternum?* His verbis adiunxit Dominus: *Vade & dic eis: Reuertimini in tentoria vestra. Tu verò hic sta mecum, & loquar tibi omnia mandata mea, & ceremonias, atque iudicia, quæ docebis eos, vt faciant ea in terra, quam dabo illis in possessionem.* Iussit Deus, vt fieret quod populus postulabat, illud videlicet: *Loquere tu nobis & audiemus, non loquatur nobis Dominus.* Non est locutus post hæc cum populo Deus, sed Mosi leges tradidit, vt populo illas promulgaret, præcipitq; illi, vade, reuertere ad populum, qui stat à longe me expectans, iube eum reuerti in tentoria sua, quoniam faciam quod petit, non loquar posthac ad eos; præter decem mãdata iam promulgata, nullas alias leges promulgabo, tu veni ad me, & sta mecum in monte, & omnes leges tibi tradam, tu ad illos proferes. Postea tradidit B Dominus Mosi multas leges quę continentur Exod. cap. 21. & 22. & 23. has ille ex monte reuersus populo publicè proposuit, populusque recepit, Exod. 24. *Venit Moyses, & narrauit plebi omnia verba Domini, atque iudicia. Respondit q; omnis populus vna voce: omnia verba Domini, quæ locutus est, faciemus. Scripsit autem Moyses vniuersos sermones Domini.*

Exod. 20. Deut. 5. — Exod. 20. — Deut. 5. Placuit Deo timor potuit, & obedientia. — Posthac Deus non est locutus cum populo, sed solo Mose. — Exod. 24. Leges tradidit Deus Mosi.

3. Altera die manè consurgens altare Deo ædificauit ad radices montis Sinai, erexitque duodecim titulos, hoc est, duodecim lapides, statuis similes, qui duodecim tribus Israël significabãt. D. August. quęst. 86. in Exod. existimat, ipsum altare ex his duodecim lapidibus fuisse C extructum. Intelligitur (inquit) ex duodecim lapidibus altare ædificatum significasse ipsum populum esse altare Dei, &c. Gloss. interlin. sic habet: Altare vnum ex duodecim lapidibus extructum est, aut fortè duodecim altaria, &c. Caietanus etiam putat ex duodecim lapidibus altare confectum, sed scriptura ab altari videtur lapides, vel titulos duodecim distinguere, neque verò appellat lapides, sed, מצבה *maçebah*, quod nomen significat *titulos*, & *statuas*, lapides verò altaris non appellantur tituli, neque statuæ.

D. August. Extruitur altare. — Glos. interl.

Misitq; iuuenes.

4. Altare extructum est, sacerdotes verò nondum erant creati Aaron, & filij eius. Quamobrem sacerdotio functi sunt iuuenes nonnulli. Quæritur, quinam fuerint hi iuuenes? Respondetur fuisse primogenitos filiorum Israël. Hi enim antequam Aaron, & filij eius sacerdotes crearentur, sacerdotes erant, & sacrificia offerebant, vt non solùm nostri, sed etiam Hebræi aiunt, teste diuo Hieronymo in epistola ad Euagrium. D Offerunt Deo sacrificia.

Euagrium. Ideo Chaldæus hoc loco vertit: *Misit Moyses primogenitos filiorum Israël, & obtulerunt holocausta*, &c. Videntur igitur hi iuuenes duodecim fuisse primogeniti principum duodecim tribuum Israël. A Mose autem iussi holocausta, & victimas Deo obtulerunt omnes duodecim, ex omnibus tribubus electi, quoniam commune erat sacrificium omnibus duodecim tribubus, quæ pactum cum Deo faciebant.

Primogeniti sacerdotes ante legem.

Tulit Moyses dimidiam partem sanguinis.

5. Victimarum sanguis non est effusus in terram, sed exceptus crateribus, diuisusque in partes duas. Alteram partem Moses super altare fudit, quod Deum repræsentabat. Altera respersit populum, sanguineque fœdus confirmauit, hoc modo omnia præcepta hactenus à Deo tradita, litteris mandauit, Exod. 24. *Scripsit Moyses vniuersos sermones Domini.* Postea omnia ex libro populo audiente legit, eodem cap. *Assumens volumen fœderis legit audiente populo.* Populus autem respondit: *Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus, & erimus obedientes.* Postquam quæ facturi erant audierunt, & obedientiam promiserunt, Moses fœdus ineuntes sanguine aspersit dicens: *Hic est sanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiscum super cunctis sermonibus his.* D. Paul. ad Hebr. 9. huius rei sic meminit. *Lecto* (inquit) *omni mandato legis à Moyse vniuerso populo, accipiens* C *sanguinem vitulorum, & hircorum cum aqua, & lana coccinea, & hyssopo, ipsum quoque librum, & omnem populum aspersit dicens: Hic sanguis testamenti, quod mandauit ad vos Deus.* Supplet Paulus diuino spiritu afflatus aliqua quæ Moses omisit, nimirum sanguinem fuisse non solùm vitulorum, sed etiam hircorum, non enim solùm vituli sunt immolati, sed etiam hirci. Præterea docet, quomodo populum sanguine Moses aspersit, nempe hyssopo, & lana coccinea, imbuta sanguine; erat autem sanguis permixtus aquæ, vt liquidior esset, posset que hyssopus, & lana facilè imbui, & populus aspergi. Hyssopo herba solitas fieri aspersiones indicat illud Psal. 50. D *Asperges me hyssopo.* & Exod. 12. *Fasciculum hyssopi tingite in sanguine, & aspergite ex eo superliminare.* Lege Numer. 4. Docet etiam Paulus eodem loco, quamobrem fuerit vetus illud fœdus, siue testamentum sanguine dedicatum, nimirum quia testamentum morte testatoris confirmatur, ac dedicatur. Significabat autem sanguis mortem: sanguis super altare fusus ostendebat Deum testatorem veteris testamenti, siue fœderis, ita illud confirmatum habere, quemadmodum post mortem hominum confirmata sunt eorum testamenta. Similiter sanguis in populum aspersus indicabat populum sic ratum habere fœdus, sicut ratum habetur post E mortem. *Testamentum* (ait Paulus) *in mortuis confirmatum est, alioquin nondum valet, dum viuit qui testatus est. Vnde nec primum quidem sine sanguine dedicatum est, lecto enim omni mandato*, &c. Præterea adumbrabat sanguis sacer victimarum sacrum sanguinem Christi. Quia verò propter Christum Redemptorem ex Israëlitis oriturum, pactum cum eis Deus fecit, ideo sanguine significante sanguinem Christi pactum confirmauit.

Tulit Moyses dimidiam partem sanguinis. — Percutitur fœdus. — Exod. 24. — Ibidem. — Ad Hebr. 9. — Sanguinis aspersio in fœdere. — Psalm. 50. Exod. 12. — Quid significaret sanguis in fœdere.

6. Caietanus huiusmodi reddit rationem: Humano (inquit) more firmitas pacto adhibetur. Cùm enim arctissimum aliquod fœdus inter se confirmare volunt homines, communione sanguinis vel humani, vel hostię sacræ, mixti vino, id faciunt, vt ex communione, in vno eodemque sanguine, vnus atque idem eorum omnium animus comprobetur, & firmus, atque stabilis habeatur. Iuxta hunc morem, qui frequentior fortè apud antiquos erat, assumptus est sanguis victimę diuinæ, quasi sanguis Dei, qui est princeps in hoc pacto, & æquis portionibus diuisus in duas partes. Altera aspersũ est altare vice Dei: altara populus, vt ex communione vnius sanguinis diuini firmaretur solemniter pactum inter Deum, & populum. Hæc Caietan. Abulensi placet, olim in pactis faciendis hũc seruarum morem. Occidebatur animal, diuidebatur in duas partes, transibant verò inter diuisa membra illi, qui fœdus percutiebant; B eo transitu significantes sic occidi, ac diuidi debere eum, qui fœdus fregisset; quemadmodum occisum, ac diuisum fuerat animal illud, qua de re legendus est Ierem. cap. 34. & liber Gen. cap. 15. De iis diximus lib. 1. Concord. cap. 1. Placet item Abulensi, sanguinis effusionem super altare, & super populum, hoc est, in fœdere, significasse id quod significabat transitus per diuisum animal, nimirum illius sanguinem esse fundendum, illũque vita priuandum, qui pactum violaret. Quanuis enim diuinitatem vita priuari est impossibile, tamen pacti firmitas hoc modo significabatur, Deo volente. Addit Oleaster, inter homines animalium occisionem significasse pactum tandiu duraturum quamdiu durat animalium mors, est autem mors illorum perpetua. Itaque significabatur fœdus fore perpetuum, id est, maximè ratum, & nunquam violandum.

Assumens volumen fœderis.

7. Liber fœderis dicitur volumen, in quo fœdus descriptum erat, scriptum autem est à Mose; nam Exod. 24. legitur: *Scripsit Moyses vniuersos sermones Domini.* Rabbi Salomon ait scripsisse totum librum Geneseos, & Exodum vsque ad caput 20. sed nihil habet firmitatis eius sententia. Dicendum est, scripsisse Mosem decem præcepta, & leges alias, quas à Deo accepit, Exod. 20. & 21. vsque ad caput 24. Continebat enim volumen fœderis leges quas populus seruare debebat. Continebat etiam ea quæ Deus erat illi donaturus, si leges, & pactum seruarent, videlicet terram promissionis, &c. Exod. 23. *Ecce ego mittam angelum meum, qui præcedat te, & custodiat in via, & introducat in locum quem paraui*, & cætera quæ sequuntur. In gloss. interlin. legitur, Mosem in hoc volumine fœderis, id est, continente fœdus, non scripsisse decem mandata, quia tabulis inscripta illi tradita sunt. Veruntamen vero similiùs est, etiam decem mandata in E volumine fœderis fuisse scripta, siquidem præcipua pars erant fœderis, oportebat ergo cum reliquis legibus in volumine pacti exarari.

Exod. 24. — Volumen fœderis. — Exod. 23.

CAPVT VIII.

MORALE.

De pacto inito cum Deo ab Israëlitis.

Omnia quæ locutus est Dominus, faciemus.

HIS verbis sæpè significavit populus Hebræus suam obedientiam. Exod. 19. *Venit Moyses, & conuocatis maioribus natu populi, exposuit omnes sermones, quos mandauerat Dominus; respondit que omnis populus simul: Cuncta quæ locutus est Dominus,* Exod. 19.

Exod. 24. Hebræi suam obedientiam sæpe professi sunt. Ibidem.

Dominus faciemus. Exod. 24. *Venit Moyses, & narrauit plebi omnia verba Domini, atque iudicia: respondit(q́); omnis populus vna voce: omnia verba Domini, quæ locutus est faciemus.* Item eodem capite: *Assumens volumen fœderis legit audiente populo, qui dixerunt; omnia quæ locutus est Dominus, faciemus, & erimus obedientes.* Deut. 5. *Audi cuncta quæ dixerit Dominus, Deus noster tibi, ô Moyses, loquerisq; ad nos, & nos audientes faciemus ea.* Placuit Deo hęc populi ad obediendum parata mens, quamobrem dixit Mosi, Deut. 5. *Audiui vocem verborum populi huius, quæ locuti sunt tibi, bene omnia sunt locuti. Quis det talem eos habere mentem, vt timeant me, & custodiant vniuersa mandata mea in omni tempore, vt bene sit eis, & filiis eorum in sempiternum.* Populi obedientiam laudabat Dominus, optabat verò illi in ea perseuerantiam: *Quis* (inquit) *det talem eos habere mentem, vt custodiant vniuersa mandata mea in omni tempore?* Hæc illis defuit, vt indicat D. Paulus 1. Corinth. 10. *Non in pluribus eorum beneplacitum est Deo, nam prostrati sunt in deserto.* Psal. 105. *Citò* (inquit) *fecerunt, obliti sunt operum eius, & non sustinuerunt consilium eius. Citò fecerunt*, hoc est, festinarunt ad inconstantiam, obliti sunt mirabilium operum Dei, nec sustinuerunt consilium, & gubernationem eius, ideò ad terram promissionis non peruenerunt. Ii qui ex Ægypto, id est, peccato & mūdo exeunt, & terram repromissionis petunt, perseuerantia in obseruandis Dei mandatis maximè necessaria est. Ij enim solùm ad terram repromissionis perueniunt, & gloriæ, sempiternæ coronam consequuntur, qui constantem perseuerantiam seruant, iuxta illud Apocal. 2. *Esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.* Ideo D. Bern. epist. 32. ait, perseuerantię maximè diabolum insidiari, quam solam virtutum nouit coronari. Nam si perseuerantia desit, nulla virtus coronatur, si adsit, vsque ad mortem, coronantur omnes. D. Gregor. homil. 25. in Euangel. Virtus boni operis perseuerantia est, &c. Ad locum, quo ibat, non peruenit vxor Loth, quia retro aspexit; sic qui retro aspexerit, in locum quo tendit, id est, repromissionis terram non perueniet. Ideo D. Hieron. in epist. 28. Lucinium obsecrat, ne relicta Sodoma, post tergum respiciat. Obsecro (inquit) te, vt qui Sodomam reliquisti, ad mōtana festinans, post tergum ne respicias, ne aratri stiuam aliquando dimittas, ne de tecto virtutum pristina quęsiturus, vestimenta descendas, &c. Leuit. 3. *Offerent adipem & caudam totam.* Iubet Dominus offerri sibi caudam, extremam hostiæ partē; quoniam perseuerantia, quam cauda significat, gratum illi est sacrificium. Finis corporis est cauda, finis operum est perseuerantia. D. Gregor. homilia citata; Præcepto (inquit) legis cauda hostiæ in sacrificio iubetur offerri, in cauda quippe finis est corporis, & ille bene immolat, qui sacrificium boni operis vsque ad finem debitæ producit actionis, &c. Ecclesiastici 5. *Esto firmus in via Domini*, &c. Constantia, & firmitate est opus in via, & itinere, quod facimus in terram repromissionis, vt enim ait Dominus, Luc. 9. *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retro aptus est regno Dei.* Manus ad aratrum misimus, in terram promissam tendere cœpimus; ne retro in Ægypti ollas respiciamus, si regno Dei apti esse volumus. In crucem ascendimus, carnis vitia mortificare decreuimus, quamuis omnes homines dæmonum serui, omnésque dęmones

Deut. 5. — Deut. 5. Placuit Deo Hebræorum paratus animus ad obediendum legi. Perseuerantiam requirit. — 1. Corint. 10. Psalm. 105. Non perseuerarunt Hebræi in obedientia. — Apoc. 2. De perseuerantia. — D. Gregor. — D. Hieron. — Leuit. 3. — D. Gregor. — Eccles. 5. — Luc. 9. Seruanda perseuerãtia in via Dei.

A clament: descendite de cruce: in cruce constanter vsque ad extremum spiritū perseueremus. O beatum illum, qui in extrema vitæ hora dicere cum Apostolo verè potest. 2. Timoth. 4. *Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ.* O terque, quaterque beatum, qui in cruce perstat, vsque ad consummatum est, virtutum cursu consummato! D. Bernard. serm. 1. de resurrect. Neminem (inquit) audiamus, non carnem, & sanguinem, non spiritum quemlibet, descensum à cruce suadentem. Persistamus in cruce, moriamur in cruce. Sic ille.

2. Timot. 4. — D. Bernard.

Sumptum sanguinem respersit in populum.

B 2. Victimarum cruore confirmatum est pactum, initum inter Deum, & populum Israëliticum. Nobilissimum verò pactum, initū inter Deum, & populum Christianum, non victimarum, sed Christi veri Dei, verique hominis sanguine est stabilitum. De vitulorum, & hircorū sanguine ait Moses, Exod. 24. *Hic est sanguis fœderis, quod pepigit Dominus vobiscum.* Illius enim fœderis sanguis fuit vitulorum, ac pecorum. At noui Testamenti sanguis, sanguis est Dei, & hominis Christi, cuius hæc sunt verba, Matth. 26. *Hic est sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Hic* (inquit) *est sanguis noui Testamenti*, id est, noui pacti, C quod cum populo nouo, per nouam legem sancio. Est autem sanguis meus, non vitulorum, aut hircorum, qualis erat sanguis veteris testamenti, siue pacti, qui peccatorum repromissionem hominibus afferre non poterat. *Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Sanguis veteris pacti ad remittenda peccata vim non habebat; sanguis verò meus, quia meus est, Dei, atque hominis, vim habet infinitam. *Impossibile est* (ait Apostolus ad Hebr. 10.) *sanguine taurorum, & hircorum auferri peccata.* Sanguinem taurorum & hircorum effudit Moses in crateras, ex eo respersit populum: sed vi D ipsius sanguinis nullum deleuit peccatum. Christus verò sanguinem suum effudit in crateras, id est, in Ecclesiæ sacramenta, illo populum suum aspergit, & non solùm vi sua peccata delet, sed etiam donat gratiam. Quòd verò sanguis hircorum iam effusus in populo, antiquo efficere non potuit, id effecit sanguis Christi, nondum effusus, sed effundendus. Etenim peccata antiqui populi sanguinis Christi effundendi virtute remittebantur. Vnde Paulus ad Hebr. 9. *Noui* (inquit) *Testamenti mediator est, vt morte intercedente in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis.* E Erant præuaricationes, id est, peccata, sub priori testamento, sed nōn erat sanguis fusus, quo expiarentur. Venit Christus, mediator inter Deum, atque homines, mortéque intercedente, sanguinem effudit, in redemptionem earum præuaricationum, & peccatorum, quæ erant sub priori testamento, atque ita ea expiauit. Antequam verò veniret, eiusdem sanguinis fundendi vis ab orbe condito hominum animos abluebat.

Exod. 24. Fœdus noui testamenti confirmatū est sanguine Dei, & hominis. Matth. 26. — Sãguis Christi noui testamenti potentissimus est ad remittenda peccata. — Ad Heb. 10. — Ad Heb. 9. Sãguis Christi peccata remittebat legis naturæ & scriptæ.

3. Sanguis, quo populum Moses aspersit, carnem emūdabat, id est, irregularitates quasdam tollebat carnis externas, ex conscientia peccata non expellebat: sanguis verò, quo Christus populum suum aspergit, conscientiæ, animóque admiran-

Heb. 9. — Ibidem. Sãguis Christi conscientiam emundat. — Psalm. 50. — Apoc. 1.

admirandum decorem affert. Ad Hebr. 9. *Munera* (inquit Paulus) *& hostiæ offeruntur, quæ non possunt iuxta conscientiam perfectum facere seruientem*, λατρεύοντα, qui huiusmodi hostias offert. Item: *Si sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi emundabit conscientiam nostram.* Hoc sanguine aspergi petit Dauid, vt conscientiam habeat mundam, cùm Psal. 50. sic precatur Deum: *Asperges me hyssopo, & mundabor, lauabis me, & super niuem dealbabor.* Petit aspergi hyssopo sanguinis Christi, eodemq; sanguine lauari, & super niuem dealbari. Christi namque sanguis nos abluit, iuxta illud Apocal. 1. *Dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Neq; solùm lauat, sed etiam super A niuem dealbat. Gratiæ enim candorem, pulchritudinémque admirandam animo confert. Habemus crateras, id est, sacramentorum vasa amplissima, hoc plena sanguine: accedamus ad sacerdotes, petamus sępè, vt hyssopo sanguinis sanctissimi nos aspergant, & super niuem dealbent. Hic est sanguis, quo confirmatum est nouum Testamentum, & pactum cum Deo initum: si volumus fœdus quod cum Deo percussimus esse confirmatum, & firmum in nobis: si id frangere nolumus, hoc sanguine illud sępè confirmemus, eo abluti à sacerdotibus per diuina sacramenta. Magnam flagitat à nobis solicitudinem fœdus sanguine confirmatum Dei, soliciti ergo maximè simus, maximéque curemus, ne illud violemus.

CAPVT IX.

Moses, & Aaron, & seniores Deum in monte Sinai vident.

EXODI CAP. XXIV.

1. ASCENDERVNTQVE Moyses, & Aaron, Nadab, & Abiu, & septuaginta de senioribus Israël: & viderunt Deum Israël, & sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphirini, & quasi cælum, cùm serenum est, nec super eos qui procul recesserant de filiis Israël, misit manum suam: videruntque Deum, & comederunt, & biberunt.

Deus ostendit se Mosi, Aaroni, & aliis. Exod. 24.

2. OSTENDIT se Dominus populo in monte Sinai, circundatus igne, fumo, atque caligine, per terribilem visionem; nunc ostendit se nonnullis ex populo electis per visionem placidam, atque tranquillam, Exod. 24. Mosi dixit Dominus: *Ascende ad Dominum tu, & Aaron, Nadab, & Abiu, & septuaginta senes ex Israël, & adorabitis procul, solusq; Moyses ascendet ad Dominum, & illi non appropinquabunt, neq; populus ascendet cum eo.* Nadab, & Abiu filij erant Aaronis, septuaginta verò senes viri erant præcipui ex tribubus Israël; non autem erant illi qui septuaginta seniores dicuntur, Numer 11. illi enim postea electi sunt, vt ex eodem capite constat. Præcipit Dominus Mosi, vt ascendat in monte cum Aarone, & cæteris, & adorent procul à caliginosa nube, in qua Deus erat; postea ascendat Moses solus, & appropinquet ad Deum, non autem comites. Addit: *Neque populus ascendet cum eo.* Videlicet, quando ex castris in montem venerit.

Ascenderunt Moyses, & Aaron, Nadab, & Abiu, & septuaginta de senioribus.

Abulens. Moses, & reliqui ascenderunt in montem Sinai. — Exod. 24.

3. Abulensis arbitratur, non ascendisse in montem, sed ad radices montis constitisse procul à Deo: dici autem ascendisse in montem, quia iter à castris vsque ad radices montis accliue erat. Nam Dominus ait: *Ascende ad Dominum, tu & Aaron, & Nadab, & Abiu, & septuaginta senes, & adorabitis procul.* Putat autem Abulensis adorasse procul omnes, tam Mosem, quàm comites ad radices montis, & ibi vidisse Deum. Ascendit (inquit Abulensis) in montem Moses, & cùm accederet ad radices montis ipse cum senioribus, apparuit gloria Domini, & tūc adorauerunt ibi omnes. Moses ascendit in montem, Aaron, Nadab, & Abiu cum aliis senioribus redierunt in castra, &c. Hæc ille. Verisimilius videtur, non constitisse ad radices B montis Mosem cum comitibus, sed in ipsum montem ascendisse. Exod. 24. *Ascende ad Dominum* (ait Dominus) *tu, & Aaron, Nadab, & Abiu, & septuaginta senes, & adorabitis procul.* Ascenderunt ergo ad Dominum, qui erat in monte, & ascenderunt ipsum montem. Adorauerunt autem procul à caliginosa nube, in qua erat Deus. Solus Moses post adorationem ascendit in altiorem montis partem, reliqui non appropinquauerunt Deo.

Et viderunt Deum Israël.

Quomodo viderint Deum. — Deut. 4. — Exod. 24. — In figura humana apparuit Deus in angelo.

4. Postquam Deum adorauerunt procul Moses, & socij, ascendit Moses in editiorem montis partem, C in qua nubes erat caliginosa, ostenditque se ei Deus, & comitibus. Dubium est, *quónam modo se ostenderit.* Abulensis ait, non esse visum in effigie humana, vel aliqua alia rei corporeæ figura, sed vidisse Mosem, & socios nubem quandam splendissimam, ac pulcherrimam, quæ Dei maiestatem repræsentabat. Probatur hæc sententia; quia Deus noluit in monte Sinai aliquam sui similitudinem ostendere Israëlitis, ne inde occasionem acciperent colendi idola gentium, Deut. 4. ait Moses: *Vocem verborum eius* (id est, Dei,) *audistis, & formam penitus non vidistis.* Item: *Non vidistis aliquam similitudinem in die qua locutus est vobis Dominus in* D *Horeb de medio ignis, ne fortè decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi, vel feminæ, similitudinem omnium iumentorum, vel auiū.* Respondeo, Deum apparuisse nunc in monte Sinai in effigie humana Regis maximi, in throno summa cum maiestate sedentis. Probatur, quia id significant scripturæ verba, Exodi 24. *Viderunt Deum Israël, & sub pedibus eius, quasi opus lapidis sapphirini, & quasi cælum, cùm serenum est.* Habebat pedes effigies, in qua videbatur Deus, non alios sanè, quàm humanos; ergo in figura apparebat humana, habebatque sub pedibus pauimentum simile sapphiro, & cælo.

Præterea

Præterea vidisse dicuntur Deum Israël. In scriptura autem cùm dicitur Deus visus, intelligitur visus per angelum in corpore assumpto. Probationi Abulensis respõdemus, Deum nullam similitudinem ostendisse, cùm decem mãdata vniuerso populo promulgauit, ne ansam arriperent venerandi idola. At Mosi, Aaroni, & cæteris paucis viris sapientibus, quibus nullum periculum offerebatur præstandi cultum simulachris, imaginem ostendit hominis summa maiestate præditi. Sic populo illi antiquo vertuit imagines depingere ob idololatriæ periculum, quia pueri erant statu: at populo Christianorum id non prohibuit, quia nullum iam periculum erat. Caietanus Exod. 24. ait, de hac visione intelligendũ Mosem, cùm Deut. 33. ait: *Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus est nobis, apparuit de monte Pharan, & cum eo sanctorũ millia, in dextera eius ignea lex.* & Dauidem Psal. 67. cùm sic canit: *Currus Dei Decem millibus multiplex, millia lætantium, Dominus in eis in Sinai in sancto.* Et verè (inquit) quadrat, vt Deus specie summi iudicis, cùm sanctorum angelorum infinito apparatu visus sit, &c. Hac de re iam suprà diximus.

Cur Deus olim vetuerit imagines.

Exod. 24. Deut. 33. Caietani opinio.

Psalm. 67.

Caietanus.

Et sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphirini.

Hęc verba satis indicant, Deum in figura visum esse humana, sub pedibus habente pauimentum, simile lapidibus pretiosis sapphiri, & simile ipsi cælo, cùm serenum est. Sapphiri color cœlestis est. Itaque significat Moses scabellum pedum Dei fuisse coloris sapphirini, & cælestis, cùm cælum serenum est absque nubibus; Hebraicè legitur quasi opus, לבנת, *libna*, id est, *lateris*. Quamobrem aiunt Hebræi, laterem illum sapphirinum significasse, lateres illos luteos, quos in Ægypti seruitute faciebant, in sapphiros esse commutatos, populúmque seruitutis iugo oppressum à Deo fuisse liberatum. Lyranus: Figura (inquit) lateris reducebat Hebræos ad memoriam anxietatis, quam sustinuerant, faciendo lateres in Ægypto, & color qui erat quasi color cælestis, designat eorum libertatem, quam consecuti erant, & iucunditatem diuinæ apparitionis, &c. Oleaster vellet videtur Mosem, & reliquos, solos pedes Dei vidisse, putat enim neminem facie ad faciem Deum vidisse, iuxta illud Exod. 33. *Non poteris videre faciem meam. Non videbit me homo, & viuet.* Ait Oleaster, non potuisse quenquam Dei videre faciem. Addit: Licebat citra periculũ vitę videre aliquam partem, quemadmodum isti pedes viderunt, & Moses posteriora, &c. Quidquid ille velit, dicendum est, vidisse Mosem, & cæteros faciem, & corpus, & pedes Dei, siue angeli Deum repræsentantis: nulla enim ratio est, quæ aliud persuadeat. Cùm autem Exod. 33. Deus ait: *Non videbit me homo, & viuet.* de visione diuinæ essentię loquitur. Nemo enim ante mortem diuinam videt essentiam. Videt tamen post mortem, si gratia sit exornatus, veluti veste nuptiali.

Sub pedibus dicuntur Deus habuisse quasi opus lateris sapphirini.

Lyranus.

Exod. 33. Oleastri opinio.

Exod. 33.

Nec super eos, qui procul recesserant de filijs Israël, misit manum suam.

Consternati fuerunt Hebræi horrenda visione Domini, promulgantis decem præcepta ex monte Sinai, & dixerunt; *Non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.* Hac verò miti, placidaque visione non sunt perterriti Moses, & socij, id significat nunc Moses: *Non misit* (inquit) *manum suam Deus in eos, qui procul recesserant*, hoc est, in Aaronem, & reliquos, qui procul recesserunt à loco, in quo erat Deus in nube caliginosa: non percussit eos, non interfecit, licet viderint Deum, neque dixerunt, *non loquatur nobis Dominus*, vel, non appareat nobis Dominus, ne fortè moriamur, sed magna cum voluptate Deum conspexerunt. Apparuit enim mitis, ac placabilis Hebraice legitur: *Non misit manum super* אצילי, *ipsile.* Significat autem nomen Hebræorum *separatos, & nobiles ac primates*, qui à populo sunt segregati, quo circa Chaldæus vertit: *Principibus Israël nullum incommodum fuit.* Noster interpres vertit: Non misit Deus manum, hoc est, non percussit eos qui procul recesserant, siue separati procul erant, erant autem procul separati Aaron filij eius, & septuaginta senes. Sic enim iusserat Dominus Mosi, Exod. 24. *Solus Moyses ascendet ad Dominum, & illi non appropinquabunt.* Abulensis verba hæc de populo interpretatur. Existimat ille populum quoque manentem in castris vidisse Deum, hoc est, nubem illam, quam ipse coniicit Deum repræsentasse. Sic verò exponit verba hæc: *Non misit manum Dominus*, id est, non occultauit se manu, iis qui procul recesserant, id est, Israëlitis, qui ad castra procul à Deo existente in monte abierant. Opinamur Deum conspectum non esse à populo manente in castris. Nam propterea Deus Mosem Aaronem, & cæteros iussit in montem ascendere, vt illis à populo separatis se ipsum ostenderet, non autem toti populo, cui per terribilem appareat visionem, vt Dei timorem illi ingeneraret.

Separatis à populo se Deus ostendit.

Abulensis.

Exod. 24.

Viderunt q; Deum, & comederunt, ac biberunt.

Totus populus vidit Deum in monte, sed expauit, timuitque mortem. Moses, & reliqui viderant Deum in eodem monte, sed non expaverunt, non timuerunt mortem, non misit manus percutientes super eos: viderunt q; Deum, & postea comederunt, ac biberunt. Quod confirmat, nõ esse à Deo interfectos, siquidem post visionem comederunt ac biberunt. Similem in modum dixit Iacob Genes. 32. *Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea*, id est, vidi Dominum, & euasi incolumis, non sum mortuus. Putabant enim sublimem Dei visionem mortem homini afferre. Vnde illud Manue ad vxorem, Iudicum 13. *Morte moriemur, quia vidimus Dominum.* & illud Hebręorum: *Non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.* Item illud Deut. 5. *Probauimus, quòd loquente Deo cum homine vixerit homo.* Alia quoque est interpretatio huiusmodi: *Viderunt Deum, & comederunt, ac biberunt*, hoc est, fuit illis visio illa instar cõuiuij splendidissimi. In hunc sensum interpretatur sic Chaldæus: *Viderunt gloriam Dei, & gauisi sunt in sacrificiis suis, quæ accepta fuerunt, quasi comedissent, & bibissent.* Abulensis tertiam addit. Viderunt Deum, & comederunt, ac biberunt, id est, tantam conceperunt animo lætitiam, vt ad eam demonstrandam lautioribus cibis, & conuiuiis vsi fuerint, veluti festum agentes.

Genes. 32. Viderunt Deum Moses & cæteri tamen non sunt mortui. Iudicum 13.

Deut. 5.

Dei visio splendidissimum est conuiuium.

MORALE.

Ascenderunt in montem Thabor Petrus, Iacobus, & Ioannes, & viderunt Deum in corpore, pleno gloria. Nunc ascenderunt in montem Sinai

Sinai Moses, & Aaron cum reliquis, & viderunt Deum in corpore maximè fulgente. At verò Apostolorum visio, cui etiam Moses interfuit, & Elias, multo præstantior fuit visione Aaronis, & seniorum. Apostoli enim viderunt Deum in corpore humano cum diuinitate copulato per Incarnationem; seniores Deum viderunt in corpore aëreo. Apostoli Christum viderunt Deum, hominemque verum, summa in maiestate apparentem: seniores viderunt angelum vice Dei in monte Sinai loquentem. Apostoli propinqui Christo Deo erant in Thabor: seniores procul stabant in Sinai. Suauissima fuit visio seniorum, multo suauior visio Apostolorum; comederunt, & biberunt Apostoli in monte Thabor, Christi maiestate conspecta, hoc est, veluti splendidissimo conuiuio sunt recreati, hinc illud Petri: *Domine, bonum est nos hic esse.* Tam dulces erant epulæ appositæ, vt discedere nollet vnquam ex conuiuio, & tabernacula in monte vellet extrui, eaque dulcedine perpetuò perfrui; *Faciamus* (inquit) *hic tria tabernacula*; sed gloriam suam per transeunam modico tempore ostendit Dominus in hac vita. Visa gloria Dei, tum in Sinai, tum in Thabor disparuit; restat gloria sempiterna in loco suo nobis ostendenda, id est, in cælo, non in montibus terrenis: in cælo Deum videbimus, & comedemus, ac bibemus, hoc est, lautissimo conuiuio perfruemur, & sempiterno. Sempiternum, ac cæleste conuiuium ait D. August. hoc loco adumbratum. LXX. interpretes nomen Hebræum אצילי, *asile*, vertunt, *electos.* D. August. quæst. 102. in Exod. arbitratur eos gessisse personam eorum qui electi sunt in populo Dei, electi, inquam, ad gloriam. Sapphiro putat significari vitam cælestem, eadem significatur sereno cælo, est enim vita, hæc terrestris nubibus, procellisque plena, cælestis verò plena est serenitate, & cæli tranquillitate. Illis autem verbis: *Viderunt Deum, & comederunt, ac biberunt.* placet Augustino æternam indicari epulationem: Quòd (inquit) manducant, & bibunt in loco Dei, suauitatem, saturitatemque præfigurat, vel significat in illo regno æternitatis. Vnde Matth. 8. Dominus dicit venturos multos, & recubituros cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum, &c. Item Rupertus. Viderunt (inquit) Deum, & comederunt, ac biberunt, quod fuit illius visionis exemplar, in qua comedemus, & bibemus, eademque visione saturabimur, & inebriabimur. Dicit enim Psalmista Psal. 16. *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* & Psal. 36. *Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Sic Rupertus. Significat etiam hic locus augustissimæ Eucharistiæ conuiuium. Israëlitarum populus in monte Sinai vidit Deum cùm terrore; at Christianus populus videt Deum cum amore. Israëlitæ dixerunt, non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur; Christiani dicunt: loquatur nobis Dominus, & videamus eum, vt viuamus illic. Hoc congruit: viderunt Deum, & comederunt & biberunt. Vident Deum in caligine sub speciebus panis & vini, neque moriuntur, sed comedunt cibum cęlestem, bibuntque potum admirandum, & non moriuntur, sed æternam vitam consequuntur. Ioan. 6. Ego sum panis viuus, qui de cælo descendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in ęternum, &c.

Apostolorum visio in mõte Thabor cõfertur cũ visione Mosis, & aliorũ in monte Sinai.

D. August.

Rupertus.

Psal. 16. Psal. 36. Conuiuium adumbrat Eucharistiam.

Cælestis gloria conuiuio adumbrata.

CAPVT X.

De tabulis prioribus, quas Moses à Deo accepit.

EXODI CAP. XXIV.

1. DIXIT autem Dominus ad Moysen: Ascende ad me in montem, & esto ibi: daboque tibi tabulas lapideas, & legem ac mandata quæ scripsi, vt doceas eos. Surrexerunt Moyses, & Iosue minister eius: ascendensque Moyses in montem Dei, senioribus ait: Expectate hîc donec reuertamur ad vos. Habetis Aaron & Hur vobiscum: si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad eos. Cumq; ascendisset Moyses, operuit nubes montem, & habitauit gloria Domini super Sinai, tegens illum nube sex diebus: septimo autem die vocauit eum de medio caliginis. Erat autem species gloriæ Domini, quasi ignis ardens super verticem montis, in conspectu filiorum Israël. Ingressusque Moyses medium nebulæ, ascendit in montem: & fuit ibi quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.

Surrexerunt Moyses, & Iosue minister eius.

2. POSTQVAM viderunt Deum in monte Sinai Moses, & comites, ad castra reuersi sunt. Præcepit verò Dominus Mosi in montem rursus ascendere, vt tabulas acciperet decem mandatorum & alias leges, Exod. 24. *Ascende* (inquit) *ad me in montem, & esto ibi, daboq; tibi tabulas lapideas, & legem, ac mandata quæ scripsi, vt doceas filios Israël.* Paruit Moses Domino, & comite Iosue, ascendit in montem. Quæritur, *cur Iosue comitem acceperit?* Respondetur, quia minister eius erat. Ministrabat enim Iosue Mosi principi totius populi, curamque intimam illius habebat, veluti principis cubicularius. Ministerium appellatur Mosis hoc loco, & Deuter. 1. & Iosue 1. Numer. 11. dicitur *minister Mosis, & electus è pluribus.* Eo loco à LXX. interpretibus παρεστηκὼς Μωσῆ ἐκλεκτὸς, id est, *assistens Mosi electus.* D. Ambrosius lib. 2 offic. cap. 20. Iosue (inquit) sancto Moysi indiuiduus adhærebat, &c.

Exod. 24.

Iosue minister Mosis cũ eo in mõtem ascendit.

Sebast. Barradas Itiner. Israëlit.

Expectate hîc, donec reuertamur ad vos.

Ascendens in montem Moses certiores profectionis suę fecit populi seniores, ac præstantiores, dixitque: *Expectate hîc*, id est, in castris, *donec reuertamur ad vos*, ego, & Iosue. *Habetis Aaron & Hur vobiscum, si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad eos.* Sciebat Moses, se factu-

Aaron, & Hur loco Mosis in castris manẽt.

rum in monte moram, ideo senioribus præcepit, vt quæstiones, & dubia, quæ interim suborta fuerint, ad Aaronem, & Hur, viros sapientes, referant.

Operuit nubes montem.

Cur nubes dicatur gloria Domini?

4. Ascendit Moses, tunc nubes cooperuit montem, quæ dicitur Gloria Domini, quia diuinam gloriam, maiestatemque ostendebat: *Habitauit* (inquit) *gloria Domini super Sinai, tegens illum nube sex diebus.* Quæritur, *an fuerit nubes hæc splendida, an caliginosa?* Respondetur, fuisse caliginosam. Probatur, quia sequitur: *Septimo autem die vocauit eum Dominus de medio caliginis.* Vocauit Mosem Deus de medio caliginis. Ergo in medio caliginosæ nubis erat, id est, angelus vicem Dei gerens; neq; verò sola nubes tegebat montem, sed etiam in vertice eius quasi ignis ardens cernebatur, qui dicitur *species gloriæ Domini*, Exod. 24. *Erat species gloriæ Domini quasi ignis ardens super verticem montis in conspectu filiorũ Israël.* Nam nubes, & ignis Dei gloriam repræsentabant, ac maiestatem. Quemadmodum regis alicuius gloriam ostendunt vestes pretiosæ, equitum comitatus, & huiusmodi alia: sic Dei gloriam indicabant nubes, ignis, & similia.

Exod. 24.

Septimo die vocauit eum Dominus de medio caliginis.

Sex diebus distulit Dominus colloquium cum Mose.

5. Sex diebus fuit in monte Moses, antequam à Deo vocaretur. Etenim summus rex noluit protinus seruum ad colloquium admittere, sex diebus expectare voluit, vt sciamus, quanta cũ reuerentia ad Deum sit accedendum: sic animę multæ in igne purgante multo tempore iubentur expectare, deinde expiatis omnino peccatis ad Dei visionem, colloquiumque introducuntur. Quæritur, *an Moses, & Iosue, his sex diebus sumpserint cibum ac potum, vel vnde illum habuerint?* Respondetur, cibum, potumque sumpsisse. Cibus autem manna erat, quod angeli ex cælo demittebant, potus aqua torrentis, qui ex monte Sinai fluebat, fluxisse autem ex monte Sinai torrentem ex Mose constat, Deut. 9. *Vitulum* (inquit) *arripiens igne combussi, & in puluerem redigens, proieci in torrentem, qui de monte descendit.* Rupertus neque comedisse Mosem his sex diebus, neque bibisse ait: Fuerit (inquit) hoc humanæ possibilitatis, quòd præ auiditate cælestium epularum sex diebus panem non comedit, & aquam non bibit, &c. Transactis sex diebus vocauit Dominus Mosem ex nube tenebrosa die septimo; ingressus est ille in nubem, & caliginem, fuitque cum Deo quadraginta diebus, & quadraginta noctibus. His autem diebus, postquam summi regis peripetasma ingressus est, & ad colloquium eius est receptus, nihil vel cibi, vel potus sumpsit. Rupertus: Nisi (inquit) septimo die Deus Mosem vocasset, natura hominis in semetipsa residẽs, in breui penitus aruisset. Vocauit ergo illum de medio caliginis, cuius vox suauis, ac super mel, & fauum est dulcis, & vocatione sua sic inopem hominis naturam ditauit, vt vsque ad quadragesimum diem, non solùm cibi & potus, sed & totius humanæ conditionis posset obliuisci, &c.

An cibum sumpserint in monte Moses, & Iosue? — *Deut. 9.* — *Rupertus.* — *Moses quadraginta diebus non sumpsit cibum.* — *Rupertus.*

De medio caliginis.

6. Caligine circumseptus erat Deus in monte, iuxta illud Psal. 117. *Inclinauit cælos, & descendit, & caligo sub pedibus eius.* Item: *Et posuit tenebras latibulum suum, in circuitu eius tabernaculum eius, tenebrosa aqua in nubibus aëris.* Psal. 96. *Nubes, & caligo in circuitu eius.* At Paulus 1. ad Timoth. 6. de Deo loquens ait: *Lucem inhabitat inaccessibilem; si lucem Deus habitat, cur in tenebris, & caligine apparet?* Respondemus, ideo in caligine apparere, quia lux, quam inhabitat, est inaccessibilis, hoc est, quia videri non potest, quod Paulus addit eodem loco: *Quem* (inquit) *nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Cùm igitur Deus sit inuisibilis, neque ab vllo hominum vi naturali videri possit, & cùm sit incomprehensibilis, etiamsi vi supernaturali Dei ipsius, & lumine gloriæ videatur, in caligine apparet, quæ hanc indicat inuisibilitatem, & incomprehensibilitatem. D. Cyrill. in homil. contra Nestor. dicta Ephes. Fiebant (inquit) fumi, & tenebræ; per tenebras significabatur cognitionem Dei comprehendi non posse, &c. Præterea tectus nube caliginosa apparet Deus reuerentiæ causa, quemadmodum reges sub peripetasmate cernuntur.

Psal. 117. Ibid. — *In caligine loquitur Deus cum Mose.* — *Psal. 96.* — *1 Timoth. 6.* — *Caligo Deum indicat inuisibilem esse, & incomprehensibilem.* — *D. Cyrillus.*

Loquere filijs Israël. Exodi cap. 25.

7. Ingressus nubem Moses, permansit cum eo diebus quadraginta, & noctibus totidem: his diebus præcepit illi Dominus, vt tabernaculum extrueret, id est, templum ex tabulis portatile, & quónam modo extruendum esset, edocuit Exod. cap. 25. 26. & 27. Præterea iussit Aaronem, eiusq; filios quatuor, Nadab, Abiu, Eleazar, & Ithamar, sacerdotes creari, Exod. 29. iussit item fieri vestes pontifici, Exod. 28. ad fabricandum verò tabernaculum, & vestes pontificias, impleuit Deus sapientia artifices duos Beseleel, & Oliab, Exod. 31. De tabernaculo infra aliquid dicemus, Deo fauẽte, iam enim de templo egimus 3. tomo Concord. Euangel. quod simile erat tabernaculo. De vestibus quoque egimus pontificiis, & sacerdotalibus.

Quid præceperit Deus Mosi illis quadraginta diebus.

Deditq; Dominus Moysi duas tabulas lapideas scriptas digito Dei. Exodi cap. 31.

8. Post quadraginta dies, quibus intra nubem cum Deo Moses commoratus est, tradidit illi Deus, Exod. 31. duas tabulas lapideas scriptas digito Dei. Deuteronomij 9. *Perseueraui* (ait Moses) *in monte quadraginta diebus, ac noctibus, panem non comedens, & aquam non bibens, deditq; mihi Dominus duas tabulas lapideas scriptas digito Dei; & continentes omnia verba, quæ vobis locutus est in monte de medio ignis. Cumq; transissent quadraginta dies, & totidem noctes, dedit mihi Dominus duas tabulas lapideas, tabulas fœderis.* Ex his verbis colligitur, Mosem in monte Sinai cum Deo permansisse quadraginta diebus, & noctibus, nihil cibi, aut potus illis diebus sumpsisse, in fine horum dierum accepisse duas tabulas lapideas, quibus Deus decem mandata inscripserat.

Deut. 9. Dat Dominus Mosi duas tabulas lapideas.

9. Perseuerauit Moses in monte absque vllo cibo, & potu cum Deo colloquens; per miraculum factum est, vt neque cibo egeret, neque potu. Sed de Iosue exoritur quæstio. diximus enim Iosue comitem fuisse Mosis. Dubitatur ergo, *vbinam manserit illis quadraginta diebus, & noctibus, quibus Moses cum Deo intra nubem fuit, quidve fecerit, & quo cibo, & potu vsus fuerit?* Respondetur, Iosue expectasse Mosem in monte, neque rediisse in castra Israëlitarum,

An Iosue in monte cibũ sumpserit?

si enim

si enim in castra rediisset, sciuisset vitulum à populo adoratum, id verò ignorabat, vt indicat Exodi caput 32. non ergo rediit in castra, sed in monte, extra caliginosam nubem, Mosem vt minister fidelis expectauit, & cum eodem Mose post quadraginta dies reuersus est in castra, Exod. 32. Non erat autem ociosus, sed precibus, contemplationique intentus, cibum sumebat manna, potum, aquam torrentis, vt supra diximus, vel aquam ex ipso manna liquefacto effectam.

Reuersus est Moyses de monte, portans duas tabulas testimonij in manu sua, scriptas ex vtraque parte, & factas opere Dei: scriptura quoq; Dei erat sculpta in tabulis. Exodi cap. 32.

10. Duas tabulas dedit Deus Mosi, erant autem ex lapide confecta opere Dei. Nonnulli voluerunt opere Dei confectas, quia Deus lapides illos tunc creauit, & mandata in eis scripsit. Verisimilius est, lapides non fuisse tunc creatos, sed antea cum reliquis lapidibus, dici autem factas tabulas opere Dei, quia Deus per angelum lapides dolauerat, & mandata in illis scripserat. Scripsit autem, id est, sculpsit. *Scriptura* (inquit) *Dei erat sculpta in tabulis.* Erat enim opus factum in ęternam memoriam fœderis; quamobrem dicuntur tabulæ testimonij, siue fœderis, quia testabantur fœdus initum à Deo cum populo Israëlitico. Scriptæ dicuntur ex vtraque parte, quia diuina mandata vtramque partem tabularum complebant. Primam tabulam complebant tria præcepta, quæ Deum spectant. *Non habebis deos alienos. Non assumes nomen Dei tui in vanum. Memento, vt diem sabbati sanctifices.* In secunda tabula sculpta erant reliqua septem, quæ ad proximum pertinent. Hoc enim dignitas infinita Dei postulabat, vt præcepta illum spectantia, ab illis segregarentur, quæ proximum attingunt. Dicuntur *scriptæ digito Dei*, Exod. 31. id est, opere Dei, vt dicitur Exod. 32. iuxta illud Exod. 8. *Digitus Dei est hic*, id est, opus Dei est hoc. & Psalm. 8. *Videbo cælos tuos opera digitorum tuorum.* Quo ex lapide tabulæ factæ fuerint, ignoratur. Fortè ex silice sunt factæ, ad memoriam fœderis sempiternam, iuxta illud Iob. 19. *Quis mihi tribuat, vt scribantur sermones mei? quis mihi det vt exarentur in libro stylo ferreo, & plumbi lamina, vel celte sculpantur in scilice.* Suidas verbo, Moyses, ex lapide sapphiro factas fuisse scribit. Eadem fuit sententia Hebræorum, vt ait Lyranus. Videntur in eam ducti, eo quòd Exod. 24. scriptum est, Mosem, & seniores, qui in montem ascenderunt, sub pedibus Dei opus vidisse quasi lapidis sapphirini. Sed sententiæ fundamentum non est satis firmum. Adiecerunt nescio qui ex Hebręis, Mosem cùm tabulas has fregit Exod. 32. earum pretiosa fragmenta vendidisse, hacq; ratione valde esse locupletatum, sed quis non videt hęc esse commentitia?

Decem mãdata sculpta erant in tabulis. — *Cur dicãtur tabulæ testimonij.* — *In prima tabula mãdata erãt, quæ Deũ spectãt.* — *In secunda mandata reliqua, quæ attinent ad proximum.* — *Exod. 31. Exod. 8. Psal. 8.* — *Iob. 19.* — *Quo ex lapide factæ sint duæ tabulæ?*

CAPVT XI.

MORALE.

De prioribus tabulis Mosi datis.

1. VOLANT verba, non sunt fixa, ideo quæ in longum tempus extare volumus, non verbis, sed literis permanentibus committimus. Mandata decem decalogi, verbis promulgauit Deus populo: euolarunt verba; ideo scripturæ permanenti ea commisit, insculpsitq; in tabulis lapideis, vt permanerent. Ipse tabulas dolauit, ipse materiam præparauit, insculpsitque tabulis mandata digito suo. Solent reges per alios scribere, per se verò subscribere. Dei vice angelus non subscripsit tabulis, sed mandata omnia scripsit. Fieri quoque iussit Deus arcam tectam auro, in eaque has mandatorum tabulas in tabernaculo asseruari. Quis non videat magni Deum facere mandata sua, magnaque solicitudine ea obseruari velle? Eadem à nobis magni sunt facienda, & omnibus diuitiis rebusque caducis anteponenda, hinc illud Dauidis Psalm. 118. *Dilexi mandata tua super aurum, & topazion.* Item: *Bonum mihi lex oris tui super millia auri, & argenti.* In tabulis lapideis inscripsit, imò insculpsit Deus mandata; non fuit satis papyrus, non pergamena charta. Etenim scribere noluit, sed insculpere in lapide durissimo, ac perpetuo, vt intelligamus Dei præcepta permanenter ac perpetuò seruanda, inscribendaque non in papyro, aut chartis, quæ facilè disrumpi possunt, sed insculpenda in corde constantissimo, veluti in silice lapide. Ille Dei præcepta in papyro scribit, qui facilè peccatum committit, legemque datam disrumpit: ille in silice scribit, quem nulla tentatio à Dei præceptis potest auellere, iuxta illud Pauli ad Rom. 8. *Quis me separabit à charitate Christi?* Papyrum influens aqua tenuis dissoluit; sic cor papyraceum tenuis tentatio dissipat. Cor autem adamantinum, etiamsi influat oceanus, non dissipabit, vnde illud Cant. 8. *Aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem, neque flumina obruent illam.* Psal. 118. *Custodiam legem tuam semper in sæculum, & in sæculum sæculi.* Vides cor adamantinum ad seruandam legem constantissimum. *Custodiam* (inquit) *legem in sæculum, & in sæculum sæculi.* Quòd si vrgeant tentationes, eodem Psalmo: *Paratus* (inquit) *sum, & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua.* Paratus sum, & promptus, vt festinem, non ad explendam meam cupiditatem, sed ad seruandam tuam legem, & non sum tentationibus, vel mandatorum difficultate turbatus. Hebraicè: *Festinaui, & non tardaui custodire mandata tua*, &c. Vir iustus charitate feruens promptè festinat ad implenda præcepta omnia, vir tepidus tepidè illa seruat.

Sebast. Barradas Itiner. Israëlit.

Deus magni facit mandata sua. — *Psal. 118.* — *Dei mãdata constanter sunt seruãda vsque ad mortem.* — *Ad Rom. 8.* — *Cant. 8.* — *Psal. 118.* — *Ibid.*

2. Præterea non in vna sola, sed in duabus tabulis mandata Deus scribit, quia non in vna tantùm parte hominis, sed in duabus scribenda sunt, nempe in animo, & corpore. Hypocritæ in corpore scribunt Dei legem, sed non in animo; improbi alij neque in animo scribunt, neque in corpore; iusti scribunt in tabulis duabus, in corpore, & animo. In corpore quidem lex scripta exemplum prębet omnibus iusti vitam considerantibus; scripta verò in animo, Deo, atque angelis iucundum est spectaculum, indeque veluti à fonte redundat in corpus. Deus dolauit, ac præparauit tabulas, factæque sunt opere Dei, Exod. 32 sic corda nostra dolat, ac præparat Deus ad recipiendam gratiæ legem, & amoris, Deus suo digito in tabulis mandata scripsit; sic suo digito, id est, Spiritu sancto, in cordibus nostris eadem scribit, nobis tamen concurrentibus. Dicuntur

Corpore, & animo seruanda sunt mandata.

Deus legem nouam in cordis nostris tabulis scribit.

tabulæ factæ opere Dei:sic opere Dei fit in nobis diuinorum mandatorum scriptura. In arca vndique auro tecta mandata iubet Deus reponi,quoniam maximus thesaurus est mandatorum custodia. Dixit in paradoxis M. Tullius: Animus hominis diues, non arca vocari solet; diues autem fit hominis animus hoc thesauro. Qui igitur veras diuitias amat, mandatorum tabulas seruet, neque vnquam frangat: sed de tabularum fractione infra dicendum est Deo iuuante. Illud tantum adiicio, digito Dei esse scripta mandata, & à Deo nobis tradita, vt legislatorem consideremus, & traditam à tanto legislatore legem omni cura custodiamus, iuxta illud Psalm. 118. *Aiudicijs tuis non declinaui, quia tu legem posuisti mihi.* hoc est, mandata tua non fregi,quia tu summus legislator, & summus Deus legem mihi dedisti seruandam.Quis non seruet toto conatu animi legem datam à legislatore,qui simul & legislator est,& iudex, & testis? Deus qui legislator est, iudex etiam est,& testis omnium,quę cogitamus,loquimur, operamur:caueamus ergo toto pectore, ne illius præcepta violemus:

Psal. 118.

De medio caliginis.

3. Expectauit Moses Deum diebus septem,antequam vocaretur ad colloquium, præparatione enim opus est; & reuerentia, vt cum Deo colloquaris,& ores. Præpara animum consideratione; vide quis sit ille, cum quo colloqui vis, vide quis tu sis. Infinita est distantia inter te & illum, necessaria ergo erat infinita reuerentia:infinitam præstare non potes,præsta saltem magnam pro tua tenui parte. Citharœdi, qui magno in theatro citharam sunt pulsaturi, magna cura citharam præparant:nos in magno theatro Dei, cor veluti citharam pulsaturi sumus,magna illud cura præparatum, atque attentum, & summa Dei reuerentia humiliatum afferamus.D.Chrysost.Psal.4. Nullus(inquit) sit citharœdus, nullus lyricen, qui ita se exerceat,scenam ingressurus,timens ne quid insuane, & inconcinnum canat, vt nos ingressuri theatrum angelorum,&c. Reges ianitores habent à quibus ad eos accedere prohibemur: Deus verò ianitorem non habet qui accessum ad illum prohibeat. Accedamus cum reuerentia,& humilitate, & fiducia; nemo erit nobis impedimento,ad Hebr.4. *Adeamus cum fiducia ad thronum gratiæ eius,vt misericordiam consequamur,& gratiam inueniamus in auxilio opportuno,*&c. Nunc opportunum tempus est auxilij consequendi, post hanc vitam nullum est ad conuersionem auxilium; nunc ergo adeamus thronum gratię Dei, vt misericordiam, peccatorumque remissionem consequamur.D.Chrysost.homil.7.ad Hebr.Nunc(inquit) sedes est gratię, non iudicij.Propterea cum fiducia accedamus, vt accipiamus misericordiam, qualem quærimus.Bene dixit Paulus:*In auxilio opportuno.* Si nunc adiueris,accipies,& gratiam,& misericordiam; sin autem tunc adiueris, id est, in iudicio, nequa-

Loquendum est Deo summa cum reuerentia.

D. Chrysost.

Ad Hebr.14.

D. Chrysost.

A quam;importunus est tunc aditus. Non enim est tunc thronus gratię.Sic Chrysost.

In medium caliginis ingreditur Moses, vt 4.
cum Deo colloquatur, ab omnibus caducarum rerum curis expeditus; sic qui cum Deo vult colloqui,caliginem ingrediatur,in qua nihil appareat caducum,sed solus Deus videatur:colligat cogitationes,restringat curas; soli attendat Deo.Rupertus: Quid(inquit)est, quod Moses, vt interna penetraret, ab exterioribus tumultibus occultatus est,nisi quòd sancti viri, qui exterioribus ministerijs deseruire officij necessitate coguntur,studiosè semper ad cordis secreta refugiunt? &c.D.Cyrillus libr.7.de adoratione: Quòd,(inquit) in monte descendit Deus, signum perspicuum esse poterit, non illum ad B mentes abiectissimas venire, neque cum illis habitare solere,qui terrenos, & humi abiectos animos habent: sed cum eo cuius animus in sublime conscendat, & quasi verticem excelsum tenens, humana despiciat, & ea sola quæ Dei sunt spectet,&c. Apertissimas oportet habere aures eum, qui cum Deo loquitur; non terra,hoc est, terrenis cogitationibus, ac curis obturatas,sed longè à terrenis curis, & tumultibus in caliginem Dei quietissimam introductas. D. Gregor. libr.23. moral. cap.20. Tunc (inquit) verba Dei vinaciùs mens penetrat, C cùm ad se admittere curarum sęcularium tumultus recusat,&c.Item: Autem cordis, terrenarum cogitationum turba dum perstrepit, claudit,& in secretario mentis, quantò minus compescitur tumultuantium curarum sonus, tantò amplius non auditur vox præsidentis iudicis,&c. Item: Homo (inquit)vnde exterius auditum aperit, inde interius obsurdescit, &c. Et cap.21. eiusdem libri,illud Cant. 5. *Ego dormio,& cor meum vigilat*; sic exponit: Dum exteriores sensus ab huius vitæ solicitudinibus sopio, vacante mente, viuaciùs interna cognosco. Foris dormio, sed intus cor vigilat, quia dum extetiora quasi non sentio,interiora solerter apprehendo.hęc magnus Gregorius.

Rupertus.

D. Cyrillus.

In caligine ille cum Deo loquitur,quę caducarum rerum oblitus soli attendit Deo.

D. Gregor.

Cant. 5.

Denique in hac vita in monte videtur Deus, D
& in caligine. Videtur enim in Ecclesia,velut in monte excelso: sed videtur in caligine, quia per fidem cernitur,non euidenter. Nox est vita hæc, quam in terris agimus; illucescet nobis dies splendidissimus in cælo, tunc videbimus Deum sicuti est,& facie ad faciem; in hac autem nocte per caliginem videmus, per speculum, & in ænigmate. D. Gregorius lib. citato cap.21. Isaias(inquit)ad videndum Dominum quadam se premi caligine sentiebat,dicens cap. 26. *Anima mea desiderauit te in nocte.* Ac si diceret, in hac obscuritate vitę præsentis videre te appeto,sed adhuc infirmitatis nubilo circumscribor.Dauid quoque huius noctis caliginem videns, claritatem veri luminis præstolatus ait, E Psalmo 5.*Manè astabo tibi,& videbo.* Adhuc ergo in nocte minùs se videre conspicit, qui ad videndum Deum futurum manè concupiscit. Sic D.Gregor.

In monte Ecclesia videtur Deus per caliginem,id est per fidem non euidenter.

D. Gregor.

Psal. 5.

CAPVT

CAPVT XII.

De fabricatione,& adoratione vituli.

EXODI CAP. XXXII.

1. VIDENS autem populus, quòd moram faceret descendendi de monte Moyses,congregatus aduersùs Aaron,dixit:Surge,fac nobis deos, qui nos præcedant: Moysi enim huic viro,qui nos eduxit de Terra Ægypti, ignoramus quid acciderit. Dixitque ad eos Aaron: Tollite inaures aureas de vxorum,filiorumque & filiarum vestrarum auribus,& afferte ad me. Fecitque populus quæ iusserat,deferens inaures ad Aaron. Quas cùm ille accepisset, formauit opere fusorio,& fecit ex eis vitulum conflatilem,dixeruntque: Hi sunt dij tui Israël, qui te eduxerunt de Terra AEgypti. Quod cùm vidisset Aaron,ædificauit altare coram eo, & præconis voce clamauit dicens: Cras solemnitas Domini est. Surgentesque manè,obtulerunt holocausta,& hostias pacificas,& sedit populus manducare,& bibere,& surrexerunt ludere.

2. QVADRAGINTA diebus permansit Moses cum Deo intra nubem. Visum est hoc tempus longum Israëlitis, visa est longa hæc apud montem Sinai mansio; quamobrem affecti tædio diuturnæ expectationis, cùm à Mose nullum nuntium acciperent,Deum ducem vię petierunt ab Aarone, vt ex illo monte statim proficiscerentur.

Videns populus,quòd moram faceret Moyses.

3. Rabbi Salomon aliam reddit rationem, cur populus petierit sibi deos fieri. Ait diabolum turbato aëre,feretrum Israëlitis ostēdisse, Mosemque mortuum esse nuntiasse; quamobrem illi ducem viæ ab Aarone postularunt. Veram causam reddit scriptura, Exod.32. *Videns populus, quòd moram faceret descendendi de monte Moyses,congregatus aduersùs Aaron dixit: Surge,fac nobis deos,qui nos præcedant. Moysi enim huic viro,qui nos eduxit de terra AEgypti,nescimus quid acciderit.* Cum ergo nescirent quid accidisset Mosi,ducem viæ petebant ab Aarone: Moses enim Aaronem & Hur in suum locum sufficerat,Exod.24.*Habetis Aaron,* (ait Moses seniioribus) *& Hur vobiscum,si quid natum fuerit quæstionis,referetis ad eos.* Aaron præcipuus erat, ideo ad eum populus concurrit,non ad Hur. Hebræi aiunt populum etiam ad Hur concurrisse: Hur autem iniquæ petitioni restitisse,atque ideo sputis multis in gutur immissis esse interfectum. Si verum hoc esset egregius martyr fuisset Hur, qui idcirco est occisus,quia deos fieri nouos noluit concedere; sed huius martyrij firmum testimonium requirimus.Nonnullis etiam placuit, hunc Aaronem ad quem confluxit populus, non fuisse fratrem Mosis; at nulla ratio est quæ id suadeat.

Cur populus deos sibi fieri postulauerit?

Exod.32.

Exod.24.

Surge,fac nobis deos,qui nos præcedant.

4. Caietanus vult,populum matutino tempore venisse ad Aaronem in lecto adhuc cubantem. Ex verbo (inquit)surge insinuatur,quòd matutinus fuit hic concursus, tanquam Aaron adhuc iacentem excitauerint,dicendo: surge, &c. Sed non est opus opinari ad Aaronem cubantem manè venisse populum;verbum enim, *surge*,verbum est excitandi ad opus hominem, quamuis neque sedeat,neque cubet. Vndè illud August.lib.de locut. Exod. locut.119. Sedenti(inquit) Aaroni loquebantur Israëlitæ,,an potiùs locutio est notanda,propter quod sæpe

Caietan.

D.August.

Sebast.Barradas Itiner.Israëlit.

A dicitur:Exurge Domine,aut surge Deus,iudica terram. Sic ille. Surge(inquiunt)hoc est,agedum,continuò fac nobis deos. Hebraicè nomen est, אלהים,numeri pluralis, significat tamen Deum numero singulari,& deos numero multitudinis.

Quæritur, *an petierint Hebræi fieri sibi multos deos,an vnum?* Multos petiuisse deos hæc verba probant: *Fac nobis deos,qui nos præcedant*, & illa Exod.32. *Hi sunt dij tui Israël qui te eduxerunt de terra AEgypti.* Vnum petiuisse suadet Aaronis factum, non enim plures deos fecit,sed vitulum vnum. Respondetur, petiuisse deos quos B in Ægypto coluerant,vel aliquem ex illis,ideoque noster interpres vertit; *fac nobis deos:* cùm potuisset vertere: *fac nobis Deum*; quasi dixerint, fac nobis deos Ægypti,qui nos præcedant.Hebraicè verbum est numeri pluralis. Respondeti etiam potest,vnum petiisse Deum, nimirum ipsum vitulum,quem fecit Aaron. Videtur enim Aaron vitulum fecisse non aliud idolum, quia populus vitulum postulauerat. Erit igitur sensus:fac nobis deos,qui nos præcedant,id est, Deum fac vitulum Ægypti, qui viam ostendat. Nam nomen *Elohim*,vt diximus, licet sit plurale,vnum tamen Deum significat, 1.Reg.28. *Mulier pythonissa cum videret vnum Samuelem* ascendentem,dixit Sauli Regi: *Deos vidi ascendentes de terra,*&c. Saul verò rogat: *Qualis est forma eius?* illa dixerat: *Video deos:* Saul rogat: *Qualis est forma eius?* cur non rogat, qualis est forma eorum? videlicet quia nomen,*Elohim*,vnum Deum significabat. Verba item illa Exod.32. *Hi sunt dij tui Israël,qui te eduxerunt de terra AEgypti*,sic explicantur: hic est Deus tuus qui te eduxit de terra Ægypti.Nam 2.Esdrę 9. in singulari numero verti interpres:*Cum fecissent vitulum conflatilem,& dixissent, iste est Deus tuus qui eduxit te de AEgypto,*&c.

An petierint Hebræi fieri sibi multos deos,an vnum?

Exod.32.

1.Reg.28.

Exod.32.

2.Esdra 9.

Act.7.in Glossa ord.sic habes: *Fac nobis deos.* 6.
dicunt propter duas columnas, quæ præcesserunt eos, in quarum honorem vnum factum est simulachum:sed ambæ columnę adoratæ,& ideò dicunt: qui præcedant nos, quia columna nubis in die, columna ignis in nocte præcedebat populum,&c. At verò rationem columnarum nullam habuisse videntur Israëlitæ in vitulo fabricando.

Acto.7.

Qui nos præcedant.

Petebant Deum ducem vię.Nonne colum- 7.

nam ducem viæ habebant, nubis, & ignis, quam ipsis oculis cernebant, quorsum ergo alium ducem viæ postulabant? Oleaster Exod. 32. ait credibile esse columnam ignis, & nubis toto tempore quo abfuit Moses defuisse Israëlitis, quoniam si columnam ducem haberent, non quærerent deos ductores: sed columnam nunquā defuisse Israëlitis, testatur scriptura Exod. 13. his verbis: *Nunquam defuit columna nubis per diem, nec columna ignis per noctem coram populo.* idem legitur 2. Esdræ 9. Respondendum est, non defuisse columnam; sed cùm viderent Hebræi tot dies illam quiescere, neq; viam ostendere, petiuisse Deum fieri qui viam ostenderet, columna enim in præteritis mansionibus non stetit tot dies: in hac mansione multo diutius permansit, quàm in reliquis. Vel petierūt Deum fieri, qui columnam moueret, & sic viam ostenderet.

Oleaster.

Columna nunquam defuit Israëlitis in deserto.

Exod. 13.

Cur postularint Hebræi deos duces, cum columnam ducem haberent?

Tollite inaures aureas de vxorum, filiorumq; & filiarum vestrarum auribus, & afferte ad me.

8. Indigebat idolum materia, ex qua fieret, illam petit Aaron, non lignum, aut æs, vel argentum, sed aurum, non quodlibet, sed inaurium. Rem sane proposuit difficillimam. *Tollite* (inquit) *inaures aureas de auribus vxorum, & filiorum, & adducite ad me, vt ex eis fabricentur dij,* quos petitis. Vos petitis vt faciam vobis deos, præbete mihi pretiosam materiam, ex qua illos faciam, vos dicitis; *fac nobis deos,* ego dico; afferte mihi vxorum, & filiorum inaures, vt ex illis eos faciam. Tempore illo etiam filij Hebræorum inaures ferebant, ideo filiorum petit inaures. Lege Plinium lib. 11. cap. 37. Tertull. lib. contra Iudæos cap. 1. ex monilibus fæminarum, & annulis virorum, ait conflatum vitulum. D. Ambros. epist. 56. annulos aureos scribit petiuisse Aaronem.

Aaron inaures aureas petit ab Hebræis.

9. Dubitatur, *cur Aaron inaures aureas postulauerit à populo postulante deos?* Caietanus existimauit in honorem idoli inaures petiuisse. Respondemus, Aaronem coactum à populo, mortemq; timentem, inaures petiuisse ad fabricandum idolum, vt à tanto illum scelere abduceret, difficillima postulatione; difficillimum enim erat, ex vxorum, ac filiorum, & filiarum auribus charissima ornamenta detrahere; & idolo fabricando tribuere. D. August. Exod. quæst. 141. Non absurdè (inquit) intelligitur, difficilia præcipere voluisse Aaron, vt hoc modo populum ab illa intentione reuocaret, &c. D. Bernard. epist 83. Aaron sceleratis tumultuantis populi clamoribus cessit, contra voluntatem suam, &c. Theodoretus quæst. 66. Aaron populi impetum reprimere tentauit verbis; vt autem vidit eos nulla ratione adduci posse, postulauit à mulieribus ornamenta aurea, affectum repellens affectu, nempe cupiditatem pecuniæ, & ornamentorum opponens insano dæmonum cultui. Sic ille. D. Ambros. lib. 7. epist. 56. Coactus (inquit) Aaron petiuit annulos eorum, & inaures mulierum, &c. Idem sentiunt Lyranus, Abulensis & alij.

Caietanus. Cur petiuit inaures aureas Aaron?

D. August.

D. Bernard.

Theodoret.

D. Ambros.

Formauit opere fusorio & fecit ex eis vitulum conflatilem.

10. Insanus populus tanta cupiditate deos sibi fieri cupiebat, vt ab ea cupiditate, tam difficili postulatione auocari non potuerit. Inaures aureas ab auribus vxorum, filiorum, & filiarum abstulerunt, & Aaroni libentissimè tradiderunt. Ille per artificem igne omnes conflauit, & fusorio opere vitulum fecit. Quæritur, *cur potius vitulum fecerit, quàm idolum aliud?* Respondetur, quia Ægyptij summoperè colebant vitulum, siue bouem, qui Apis à scriptoribus appellatur: de illo iam supra egimus, cùm de Ægypto verba fecimus lib. 1. cap. 1. Itaque Israëlitæ cùm in Ægypto maximè coli Apim bouem, siue vitulum vidissent, multi quoque ex ipsis coluissent, Apim sibi fieri ex auro illo postularunt. Gloss. interlin. Quia (inquit) bouem adorauerant in Ægypto, fortè aliud idolum non reciperent, &c. D. Hieron. lib. 2. contra Iouin. Populus Israël bouem Ægyptium prætulit Domini maiestati, &c. Philo lib. 3. de vita Mosis: Obliti Dei filij Israël cœperunt æmulari figmenta Ægyptia, facto vitulo aureo ad imitationem animalis eius regionis sacratissimi, &c. Lege Clementem lib. 6. constit. cap. 20. Lactant. lib. 4. cap. 10. D. Hieron. Oseæ lib. 2. cap. 6.

Cur Aaron vitulū potius fecerit, quàm aliud idolum?

Gloss interl.

D. Hieron.

Philo.

Quæritur secundò, *an sit factus integer vitulus?* Aiunt enim Lactantius lib. 4. cap. 9. Tertull. in lib. contra Iudæos cap. 1. Cyprianus lib. de bono patient. Ambros. lib. 5. de pœnit. cap. 8. Hieronymus Oseæ 7. August. Psal. 73. caput vituli esse factum. Lactantius: Aureum (inquit) caput bouis, quem vocant Apim, quòd eos in signo præcederet, figuratum, &c. Tertullian. Cùm aurum (inquit) fuisset igne conflatum, & processisset eis bubalum caput, huic figmento, relicto Deo, honorem dederunt, &c. D. Cyprian. Populus Iudaicus profanos deos ausus est postulare, vt itineris sui duces nuncuparet, caput bubalum, & terrestre figmentum, &c. August. Ipsum caput vituli Moyses in ignem misit, & comminuit, &c. Hieron. Israëlitæ vituli conflauerunt caput, &c. Respondetur, scripturam non appellare caput vituli, sed vitulum. Vnde colligitur integrum fuisse, non solum caput: hi autem Patres non aiunt duntaxat caput vituli esse formatum, sed ex parte totum intelligunt: totum vitulum, caput vituli appellant, idolum despicientes.

11. *An sit factus vitulus integer, an solū caput.*

Lactantius.

Tertullian.

D. Cyprian.

D. August.

Quæritur tertiò, *quomodo congruat cum petitione populi fabricatio vituli aurei?* Nam populus petit: *Fac nobis deos, qui nos præcedant.* Vitulus autem aureus præcedere illos non poterat, siquidem non mouebatur. Quónam queso modo idolum aureum immobile viæ dux esse poterat? Respondetur, populum petiuisse idolum, vt esset dux viæ, non motu suo, sed alieno, ab Israëlitis portatum. existimabat enim Apim, siue vitulum, Deum Ægyptiorum, ductum ante castra, ex auro fabricatum, viam ostensurum. Præterea in petitionibus populi, idololatriæ cupiditate furentis, non est opus rationem inquirere: vbi furor est, & insania, silet ratio.

12. *Quomodo vitulus aureus ostēdere potuerit viā.*

Quæritur quartò, *an hic vitulus vitales aliquas actiones habuerit?* Comedisse probatur ex Psal. 105. *Mutauerunt gloriam suam in similitudinem vituli comedentis fenum,* &c. Idque placet Paulo Brugensi, & aliis, addit. 3. Exod. 32. Quidam (inquit) dicūt, quòd ille vitulus videbatur exercere quædam opera similia operibus vitæ, sicut est comestio, & huiusmodi, quod potuit esse operatione dæmonum, &c. Respondetur, nullum habuisse vitæ signum, nullam vitalem actionem exercuisse, sed idolum fuisse aureum simile

13. *An vitulus vitales actiones habuerit? Psal. 105.*

simile vitulo, qualia erant multa alia gentium idola, de quibus Psalmo 13. canitur: *Simulachra gentium, argentum, & aurum opera manuum hominum, os habent, & non loquentur, oculos habent, & non videbunt, aures habent, & non audient, nares habent, & non odorabunt,* &c. hoc est, idola gentium, & dij, nullam vitalem exercent actionem. Verba Psalmi 105. non significant vitulum aureum comedisse fenum, sed factum esse in similitudinem vituli viuentis, qui fænum solet comedere.

Psal. 13.

Quintò quæritur, *an factus fuerit vitulus opera artificis, an opera dæmonis?* Opera dæmonis factum esse, probant verba Aaronis Exod. 32. Cùm enim argueretur à Mose, respondit: *Proieci illud,* id est, aurum *in ignem, egressusq; est hic vitulus,* &c. Aaron non ait se constasse vitulum, sed aurum in ignem coniecisse, egressumque esse vitulum, videlicet opera dæmonis. Non defuerunt, qui dicerent, Aaronem aurum in ignem proiecisse, vt in igne periret: dæmonem verò vitulum fabricasse. Respondendum est, vitulum egressum esse ex auro misso in ignem; non opera dæmonis, sed opera artificis, vt supra vidimus. Fusorio enim opere dicitur factus. verba Aaronis suo loco sunt explicanda.

14. *An vitulus opera dæmonis fuerit fabricatus? Exod. 32.*

Ædificauit altare coram eo.

15. Fabricatum idolum magna auiditate exceperunt Israëlitæ, eique omnia miracula à Deo facta in exitu ex Ægypto impiè ac furenter tribuerunt dicentes: *Hi sunt dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti,* &c. Insana plebs idololatriæ tenebris obcæcata, non cernebat fieri non posse, vt vitulus ex auro fabricatus educeret populum ex Ægypto. Videntur liberationem suam tribuisse Api boui Ægyptiaco, cuius vitulus ille aureus erat simulachrum. Aaron timorem mortis à se non expulit, sed vitulo quem fecerat, timore perculsus altare fabricauit, & festum diem populo nuntiauit, hac voce præconis, *cras solemnitas Domini est.* Hebraicè hoc loco *Iehouah* nomen est incommunicabile creatoris, quamobrem Caietan. Exod. 32. contra Aaronem exarsit. Cùm enim dixisset superius, Aaronem petiuisse inaures, vt idoli fabricationem impediret, videlicet, vt dissensio domestica in domo qualibet oriretur, reluctantibus mulieribus, & pueris suas inaures aureas dare; hoc loco sic scribit: Non meretur (inquit) tanta blasphemia Aaronis excusationem: blasphemiam vocat nominis *Iehoua* idolo attributionem. Etenim Aaron voce præconis clamauit dicens, *cras solemnitas Iehouah est.* Addit Caietanus: Insaniuit Aaron longè magis, quam alij. Nam alij non nisi Elohim idolo attribuerunt; ipse autem incommunicabile, & ineffabile nomen tetragrammaton attribuit idolo, nullo instigante, voce publica, &c. Sed respondemus Caietano, Israëlitas illos nouitios ex Ægypto egredientes appellasse vitulum Elohim, & Iehouah, siquidem Deum esse putabant. Ideoque Aaronem hoc nomine illum per præconem appellasse, non quòd idoli cultu insaniret, sed quòd populo placere vellet, & mortem effugere.

Aaron timore percussus fecit aliare vitulo.

Caietanus.

16. Quæritur, *an omnes Israëlitæ vitulum coluerint, & in idololatriam inciderint?* Respondetur, multos hoc scelere non fuisse contaminatos. Probatur ex Paulo 1. Corinth. 10. *Neque* (inquit) *idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis,* &c. *Sicut quidam,* dixit, *ex ipsis*: quia non omnes idololatriæ scelus commiserunt. D. August. in locution. Exodi. Totum (inquit) pro parte positum est, cùm dicitur: *Consurrexit populus in Aaron.* Apostolus enim, sicut reuera erat, quosdam eorum dixit hoc fecisse, non totum populum, vbi ait: *Neque idolis seruiamus, sicut quidam illorum.*

An omnes Hebræi vitulum coluerint? 1. Corint. 10.

D. August.

Obtulerunt holocausta, & hostias pacificas.

17. Indictum est festum ab Aarone, quomodo sit celebratum, nunc narratur. Surrexerunt manè Israëlitæ die festo, sacrificia obtulerunt vitulo turpissimo. Postea epulati sunt, post epulas verò surrexerunt ludere. Rabbi Salomon existimat verbum Hebræum, פצחק, *sachac,* hoc loco significare *idolum colere.* Eundem in modum interpretantur verbum *ludere* D. Thomas, gloss. ord. & alij. Idque probatur ex Paulo 1. Corint. 10. Ne (inquit) *idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis,* (videlicet Israëlitis) *quemadmodum scriptum est.* Exod. 32. *Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.* Videtur Paulus verbo (*ludere*) significasse idoli cultum, alioqui quorsum citasset verba, in quibus de ludis, non de idololatria mentio fiebat? Dicendum est Israëlitas illos post sumptum cibum ludos egisse, id est, choreas duxisse coram vitulo, & similia alia in honorem illius fecisse. Cùm verò choreas ducebant, ad vitulum qui in aliari erat, accedebant, ipsumque adorabant, ideo Paulus ait, lusum illum, & choreas fuisse cultum idoli. Verbum Hebræum, *sachac,* significat *ludere, videre,* & *iocari,* inde deducitur nomen *Isaac,* quod sonat *risum,* iuxta illud Sarę matris, Genes 21. *Risum fecit mihi Dominus.* Quòd autem lusus hic choreas significet, probatur illis verbis Exod. 32. *Cùm Moyses appropinquasset ad castra, vidit vitulum & choros, iratusq; valde.* Item: *Moyses dixit Iosue, vocem cantantium ego audio,* choreę enim cum cantu ducuntur.

Quid sit, surrexerunt ludere.

1. Corint. 10.

Exod. 32.

Genes. 21.

Exod. 23.

18. Quæritur, *an populus vinum biberit in his epulis?* Non bibisse confirmant verba illa Mosis Deut. 29. *Adduxit vos Dominus 40. annis per desertum, panem non comedistis, vinum & siceram non bibistis.* Bibisse autem nunc vinum sentit D. Basilius hom. 1. de ieiunio: Tabulas (inquit) quas ieiunium Mosis impetrauerat, ebrietas comminuit; dum Moses iudicat indignum, si populus ebrius legem acciperet à Deo. Item: Quod Moses ieiunus confecerat, id vnica temulentia reddidit irritum, &c. Idem opinatur D. Ambrosius lib. de Elia, & ieiunio: Tabulas (inquit) legis accepit abstinentia, contreri fecit ebrietas. Item: Fregit tabulas Moses indignum iudicans, vt ebrio populo lex daretur, &c. D. Hieron. lib. 2. contra Iouinianum: Frangit (inquit) audacter Moyses tabulas; sciebat enim Dei sermonem non posse audire temulentos, &c. August. quæst. 51. in Deut. Apparet (inquit) ex verbis Deuteronomij 29. tantum vini potuisse portare Israëlitas, quod possent citò consumere. Nam si omnino nihil secum attulissent, vnde esset illud de quo dictum est Exod. 32. *Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere?* non enim hoc de aqua diceretur, cùm & ipsius Mosis manifestissima verba sint, non fuisse illam vocem principiū belli, sed principiū vini. sic Aug. Philo quoque vinum potasse putat populum, lib. 3. de vita Mosis. Choreas (inquit) agebāt, & expleti mero congeminarunt temulentiam, vino pariter furentes, atque insania, &c. Idem probat Augustinus ex versione LXX. interpretum, qui sic

An populus vinum biberit? Deut. 29.

D. Basilius.

D. Ambros.

D. Hieron.

D. August.

Philo.

Exod. 32.

vertunt Exod. 32. *Vocem præcinentium vinum ego audio,*&c. Verba ſunt Moſis, dixerat Ioſue: *Vlulatus pugnæ auditur in caſtris.* Reſpondit Moſes iuxta LXX. interpretes. *Vocem præcinentium vinum ego audio,*&c. Auguſt. ait, reſpondiſſe Moſem vocem populi fuiſſe principium vini. Probabilis eſt Auguſtini ſententia, & Philonis, vinum bibiſſe Iſraëlitas; verba autem Deut. 29. de frequenti, & quotidiana potatione poſſunt intelligi; non bibiſtis vinum in deſerto frequentes. At non bibiſſe vinum in deſerto, Moſes abſolutè ait: *Panem* (inquit) *non comediſtis, nimirum viſitatum, quia comedebant manna, panem non vſitatum. Vinum, & ſiceram non bibiſtis,*&c. Nullam addit exceptionem. Quod verò adijcit Auguſt. ex verſione LXX interpretum: *Vocem præcinenti um vinum ego audio,* non ſignificat populum bibiſſe vinum, ſed vocem illius ſimilem eſſe non voci præcinentium pugnam, ſed voci præcinentium vinum, quia veluti ebrij vitulum colebant. Vix aquam in deſerto habere poterant, vnde ergo haberent vinum? Deus enim aquam illis ſuppeditabat; non vinum, tantus populus vnde tantum comparare vini poterat, quod ſatis eſſet tantæ multitudini? Dici poteſt iuxta alteram ſententiam habuiſſe vinum ex oppidis deſerto propinquis, ad quæ iumenta mittebant; vnde vino onerata in caſtra redibant. Si hoc concedatur, Moſis illa verba; *Vinum non bibiſtis in deſerto,* corruunt. Si enim ex oppidis vicinis deſerto vicinum offerri poterat, non deeſſent multi, qui huic negotiationi, lucroque vacarent; ferrentque in caſtra quotidie vini copiam. Potarent ergo vinum quotidie Hebræi, neque diceret Moſes: *Vinum, & ſiceram non bibiſtis,*&c. D. Auguſt. putat vinum in hoc vituli cultu conſumptum, ex Ægypto allatum eſſe; ſed non videtur veriſimile, vinum ab Ægypto allatum tot diebus duraſſe; veriſimilius dici poteſt, fuiſſe allatum ex oppido Iethro ſacerdotis Madian, non in feſto Hebræis.

D. Auguſt.

CAPVT XIII.

MORALE.

De fabricatione, & adoratione vituli.

Videns populus, quod moram faceret Moyſes.

1\. PERNICIOSISSIMA eſt prælati vigilantis abſentia. Abſente enim Moſe vigilante paſtore, tartareus lupus gregem Iſraëliticum inuaſit, & lacerauit. Reliquit Moſes vicarium Aaronem, ſed non reſtitit lupo vſque ad ſanguinem; velut mercenarius vidit lupum in grege graſſantem, & fugit. Fugiſſe autem dico, quia populo non repugnauit vſq; ad mortem, ſed illi obſecutus eſt, idolumque fabricauit, & altare extruxit. Repugnandum eſt peccato vſq; ad mortem, quod ſignificat Paul. ad Hebr. 12. dicens: *Nondum vſque ad ſanguinem reſtitiſtis, aduerſus peccatum repugnantes.* Hoc eſt, nondum perueniſtis ad ſummam reſiſtentiam, quæ fieri debet peccato, ea verò tunc fit, cùm ſanguinem peccato reſiſtentes effundimus, vitamq; amittimus, ne nos ſcelere aliquo inquinemus. Ad hanc reſiſtentiam non peruenit Aaron. Quamuis enim verbis reſtiterit, non reſtitit factis. Verbis autem reſtitiſſe ait Theodoretus quæſt. 66 in Exod. Primum (inquit) eorum impetum verbis reprimere tentauit, vt autem vidit eos nulla ratione duci poſſe, poſtulauit ornamenta aurea,&c. Non ſatis eſt verbis reſiſtere peccato, vſq; ad ſanguinem, & mortem reſiſtere neceſſe eſt, quod fecerunt martyrũ multa millia.

Abſentia paſtoris perniciem affert, omnibus.

Ad Heb. 12. Peccato reſiſtendum vſque ad ſanguinem, & mortem.

Theodor.

2\. Typus quidam fuit Aaron magni Petri, ſummi Pontificis totius orbis à Deo conſtituti. Lapſus eſt in peccatum Aaron timore perculſus mortis; lapſus etiam eſt in peccatum Petrus, eiuſdem mortis metu impulſus. Grauius tamen fuit Aaronis peccatum, quàm Petri; nondum creatus erat Pontifex Aaron ſynagogæ, quando peccatum commiſit: ſimiliter Petrus nondum creatus erat ſummus ſacerdos Eccleſiæ, quando in crimen incidit. Non amiſit fidem Aaron; non amiſit fidem Petrus. Pœnitentiam egit Aaron, veniamque à Deo conſecutus eſt: Petrus quoque; reſpexit enim Dominus Petrum, & Aaronem. Denique Aaronem poſt peccatum ſummo ſacerdotio populi ſui donauit, & Petro ſummum Pontificatum totius Eccleſiæ contulit. O ineffabilem Dei miſericordiam! commendauit hac in re pœnitentiam, quam qui agunt homines apud Deum, magno habentur in pretio. Sed obſerua, neq; Aaronem, neque Petrum, cùm peccatum commiſerunt, fuiſſe Pontifices. Aaron poſteà Pontifex creatus eſt, Leuit. 8. Petrus quoque poſt reſurrectionem Chriſti, Ioan. 21. Diſcant prælati non deſerere gregem, ſed illi ſemper inuigilare, ne turpiſſimos in grege vitulos exurgere videamus.

Peccauit Aaron peccauit etiã Petrus, ſed in gratiam Dei mox redierunt, & pontifices creati ſunt.

Fac nobis deos.

3\. Hoc eſt idololatrarum proprium multos Deos facere. Vnus eſt Deus, & increatus, nulloque modo fieri poteſt. At idolorum cultores multos exiſtimant eſſe deos, & multos faciunt Romani fecerunt Iouem, Martem, Mercuriũ, & multos alios. Similiter Ægyptij Apim Deum fecerunt, & alios, de quibus ſupra dictum eſt: Longum eſſet in diis numerandis immorari quos Ethnici fecerunt, hodieque faciunt abſq; prudentia, numen tribuentes creaturis, iuxta illud Ethnici Poëtæ de fortuna dictum:

Nullum numen habes, ſi ſit prudentia: ſed te
Nos facimus fortuna Deam, cæloq; locamus.

Idolorũ cultores faciunt deos. Habent enim Deos, qui fiunt: Deus verus non poteſt fieri.

4\. Nullum numen habebant dij gentium, ſed Deos faciebant, cæloque locabant, quia carebant gentes prudentia, atq; intellectu. Quemadmodum integrum ſpeculum vnum tantum vultum repræſentat; fractum verò multos: ſic intellectus hominis integer, ac prudens, vnum tantum intelligit Deum, fractus autem & imprudens, deos facit multos. Imprudentes, atq; inſipientes capit diabolus idololatria, vnde illud Sap. 14. Creaturæ Dei in odium factę ſunt, & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium, &c. Inſipientium pedes hac muſcipula capiuntur, ſapientium minimè. Creaturæ Dei ipſum dicitur argentum, aurum, vel alia quæcunque idolorum materia, quæ creatura eſt Dei, imò & ipſæ idolorum ſtatuę creaturę ſunt Dei, non dij: ſed hæ creaturæ Dei factæ ſunt ab hominibus in odium, quia idola odio magno digna ſunt. Græcè, εἰς βδέλυγμα, id eſt, facta ſunt *in abominationem*, idola enim ſunt abominabilia & odio habenda. Factæ etiam ſunt *in tentationem* animabus hominum, Græcè, εἰς σκάνδαλα, *in ſcandala*, quoniam impingunt homines in idola, & cadunt in idololatriam. Denique facta ſunt, idola *in muſcipulam*, Græcè, εἰς παγίδα ποσὶν ἀφρόνων, id eſt, *in laqueum*, vel *muſcipulam pedibus inſipientium*. Nam idolorum veneratione, veluti laqueo arctiſſimo irretiuntur inſipientes.

Inſipientes idola colunt, & Deos faciunt.

Idola ſunt muſcipula. ſcandalum. & laqueus ethnicorum.

5\. Inſpiciamus vitulum ab Aarone factum. Non erat ille Deus, vt Iſraëlitæ clamabant dicentes: *Hi ſunt dij tui Iſraël, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Creatura erat, id eſt, aurum in vitulum efformatum. Hæc creatura pedibus inſipientium Hebræorum fuit in laqueum, & in muſcipulam, quia illos hoc loqueo illaqueauit diabolus, & cepit hac muſcipula. Fuit illis in tentationem, & in ſcandalum, quia in idololatriam inciderunt; fuit in odium, & abominationem omnibus ſapientibus Dei cultoribus, qui ſimulachrum odio habebant, & execrabantur. Non enim omnes Hebræi vitulum coluerunt, vt ſupra dictum eſt.

6\. Idola etiam dicuntur metaphoricè opes, voluptates & honores, omneſque res caducæ, quas homines vehementer diligunt, & Deo præponunt peccantes. Hos deos homines faciunt, fiuntque ipſis hæc idola in odium, & abominationem, quoniam Deo odibiles & abominabiles reddunt; fiunt in laqueum, & muſcipulam, quia his idolis maximè dilectis irretiuntur, & veluti mures muſcipula inſipientes capiuntur, dum peccata mortifera committunt eorum cauſa.

Tollite inaures.

7\. Rapit homines inſipientes cupiditas magno impetu, omneſque perrumpit difficultates, quę ſe obiiciunt. Cupiebant Hebræi idolum: magno impetu illos rapuit cupiditas hæc, neque illam retardauit Aaronis difficillima poſtulatio: *Tollite inaures aureas ex auribus vxorum, filiorum, & filiarum, & date mihi* materiam auream, ex qua vobis deos faciam. Magna fuit poſtulationis difficultas, ſed maior fuit petentium cupiditas, quæ omnem vicit difficultatem. Frenãda eſt cupiditas, ſi vincere vis vitia, alioqui velut ferox equus, abiecto freno, magno impetu, in maxima te ſcelera præcipitabit, iuxta illud de idolorum cultoribus Iſraëlitis dictum Ierem. 8. *Apprehenderunt mendacium, & noluerunt reuerti; omnes conuerſi ſunt ad curſum ſuum, quaſi equus impetu vadens ad prælium,*&c. Quid non vincat cupiditas effrenata? quid difficilius quàm filios ipſos vita priuare? Rem hanc difficillimam perſuaſit Hebręis idololatria, Pſalm. 105. *Immolauerunt filios ſuos, & filias ſuas dæmonijs, & effuderunt ſanguinem innocentem, ſanguinem filiorum ſuorum, & filiarum ſuarum, quas ſacrificauerunt ſculptilibus Chanaan.* Vt improba cupiditas in ſcelera præcipitat; ſic ſancta cupiditas in ſancta opera impellit. Qui Deo placere cupit, & æternam conſequi ſalutem, pauperibus alacriter largitur pecuniam, etiam inaures aureas, ſi ſit opus, neque patitur ſe vinci ab his idololatris.

Idola hominum improborum ſunt voluptates, diuitiæ, honores, &c.

Ierem. 8.

Cupiditas omnia vincit, ſi freno caret.

Pſalm. 105.

8\. Inaures aureæ obedientiam ſignificant, vt docet D. Gregorius Iob 35. Nam maiorum mandata auribus percipiuntur, vt executioni mandentur, obtulerunt Iſraëlitæ vitulo inaures, hoc eſt, obedientiam, dicentes; *Fac nobis deos, qui nos præcedant,*&c. Illi præcedant, nos ſequemur; illi præcipiant, nos obediemus. Væ iis hominibus, qui idolis, id eſt, carni, mundo, & cacodæmoni, inaures, hoc eſt, obedientiam tribuunt. Væ iis quos hæ peſtes præcedunt, illiq; ſequuntur, & obtemperant. Felices verò ij ſunt, qui inaures aureas, id eſt, auream obedientiam Deo offerunt, nulla ſcoria inquinatam. Quemadmodum aures exornant inaures aureæ, ſic maximè exornat obedientia perfecta, quæ vbi primùm auribus præcipitur, ſtatim expletur, iuxta illud Pſalmi 17. *In auditu auris obediuit mihi.* Caueant viri religioſi ne inauribus aureis ſpolientur, id eſt, obedietia. Nam quemadmodum aureę illæ inaures in vitulum cornibus armatum conuerſę ſunt; ſic obedientia amiſſa conuertitur in ſuperbiam, & in obedientiam vitulo, ſiue tauro cornupetæ ſimilem, Pſal. 39. *Aures* (inquit) *perfeciſti mihi.* Perficiuntur aures his inauribus aureis rutilantiſſimis, obedientiæ fulgore decorantur, & velut pretioſi, lapidibus coruſcant. Seruet obediens aurum ſeruet gemmas ſuas, id eſt, obedientiam, ne nudus, & inermis inter hoſtes conſtituatur, vt Iſraëlitæ Exod. 32. *Videns Moyſes populum quòd eſſet nudatus, ſpoliauerat eos Aaron propter ignominiam ſordis, & inter hoſtes nudum conſtituerat.* Abulenſis nudatos dici putat Iſraëlitas propter ablatas inaures magni pretij, nudati erant auro, nudati quoque diuino auxilio propter perditam obedientiam: ſic inobediens nudatur fulgente obedientiæ auro, nuduſque inter hoſtes conſtituitur, & illorum iugo ſubiicitur, quia non vult iugo Dei ſubiici.

Inaures ſignificant obedientiam.

Pſalm. 17. De obedientia.

Pſalm. 39.

Exod. 32.

Hi ſunt dij tui Iſraël.

9\. Mira fuit horum hominum inſipientia. Dei illam potentiam, & maieſtatem, quam in monte Sinai viderant, obliti ſunt, & Deum in vitulum commutauerunt. Vidit Dominus hanc inſaniam, dixitque Moſi, qui in monte erat: *Receſſerunt citò de via quam oſtendiſti eis, feceruntque ſibi vitulum conflatilem, & adorauerunt,*&c. citò ſiquidem receſſerunt. Nam paucis ante diebus Deum mandata tradentem audiuerant magno cum terrore, vt terror eius eſſet in eis, & non peccarent, Exod. 20. At illi Dei timore abiecto, citò receſſerunt, nouumque ſibi Deum fecerunt. Nondum Dominus ex monte receſſerat, illi verò iam receſſerant ex via, quam Deus illis oſtenderat. Audierant paulò antè à Domino Exod. 20. *Non habebis deos alienos coram me, non facies tibi ſculptile.* illi verò Deum alienum fecerunt, & ſculptile, videlicet vitulum. O inſaniam hominum mente carentium! Pſal. 105. *Fecerunt vitulum in Horeb, & adorauerunt ſculptile, & mutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum. Obliti ſunt Deum qui ſaluauit eos, qui fecit magnalia in Ægypto, mirabilia in terra Cham, terribilia in mari rubro.* Gloria hominum eſt vera religio, & Deus verus; hanc gloriam ſuam, id eſt, Deum verum, impij homines mutauerunt in vitulum aureum, ſimilem vitulis qui agri herba paſcuntur. Similiter loquitur Paulus de idolorum cultoribus ad Roman. 1. *Mutauerunt* (inquit) *gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium,* &c. Gloria hominum eſt Deus: ignominia, & ſordes ſunt idola, Exod. 32. *Spoliauerat eos Aaron propter ignominiam ſordis,* &c. id eſt, propter ignominiam vituli. Deuteron. 32. *Peccauerunt ei, & non filij eius in ſordibus,* id eſt, in idolis.

Mira inſipientia, vituli adoratio.

Exod. 20.

Pſalm. 105.

Religio vera eſt gloria hominum, & honor.

Ad Rom. 1.

Exod. 32. Idola ſordes ſunt, & ignominia hominum. Deut. 32.

10\. Obliti ſunt Iſraëlitæ Deum qui ſaluauerat eos, qui propter ipſos admiranda miracula in Ægypto fecerat, & in mari rubro, Pſalmo 105. *Citò fecerunt, obliti ſunt operum eius,*&c. D. Hieron. vertit;

Pſal. 105.

vertit: *Citò obliti sunt operum eius*, &c. Hebraicè, מהרו *miharu*, id est, *accelerauerunt, obliti sunt celeriter*. Citò sanè obliti sunt tot operum mirabilium, quæ perpetua memoria digna erant; idem contingit hominibus, qui animi sui salutem parum curant: si fatentur, & peccata expiant pœnitentia, citò à gratia recedunt, citò Dei, & beneficiorum eius obliuiscuntur, properant vt à Deo recedant; *Citò* (ait Dominus) *recesserunt de via quam ostendisti eis*. ad reditum nimium cunctantur, tardique sunt, Ierem. 5. *Indurauerunt* (inquit) *facies suas supra petram, & noluerunt reuerti*.

Citò obliuiscimur viam salutis. — *Ierem. 2.*

11. Esdræ 9. de vitulo hoc sic scriptum est: *Cùm fecissent sibi vitulum conflatilem, & dixissent: Iste est Deus tuus, qui eduxit te de AEgypto feceruntq; blasphemias magnas*, &c Magna fuit blasphemia & facinus vitulum Deum appellare, & illa ei attribuere, quæ solius Dei sunt, nimirum liberationem ex Ægypti captiuitate, & tot miracula in ea perpetrata. *Hi* (inquiunt) *sunt dij tui Israël, qui eduxerunt te de terra AEgypti*. Magna blasphemia & facinus est, Deum verum relinquere, & idola colere, quod indicant illa Dei verba, Ierem. 2. *Obstupescite cæli super hoc, & portæ eius desolamini vehementer. Duo enim mala fecit populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas quæ continere non valent aquas.* Fons est Deus omnium bonorum increatus, omnia in se continens bona, & in homines illa affluenter emittens. Idola verò cisternæ sunt; factæ hominum manibus, cisternæ inquam dissipatæ, quæ neque vitam, neque aliquid boni possunt continere, aut habere, Psal. 125. *Simulachra gentium argentū, & aurum; opera manuū hominum*, &c. hoc est; idola aurum sunt, & argentum; quidquid aliud habent, opus est manuum hominum, statuæ quędam sunt, manibus hominum fabricatæ. Ideoque *os habent, & non loquentur, oculos habent, & non videbunt, aures habent, & non audient*. Deus homines facit loquentes, videntes, audientes: homines verò vitalia hæc opera suis statuis donare non possunt. Ideoque idola, quia ab hominibus fiunt, muta sunt, surda, & cæca. Sequitur: *Similes illis fiant qui faciunt ea*, &c. Similes idolis fiunt illorum cultores, cæci, surdi, & muti, neque enim Deum verum vident, neque veram doctrinam audiunt, aut loquuntur.

Esdræ 9. — *Magnum scelus est idololatria.* — *Ierem. 2.* — *Psal. 125.*

Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere.

12. Theodoretus quæst. 68. Sponsa (inquit) in ipso limine thalami nuptialis ad committendum adulterium declinauit, &c. Synagogam in sponsam accepit Dominus, cùm pactum cū ea fecit in monte Sinai, vt supra vidimus, Osee 2. *Sponsabo te mihi in iustitia, & iudicio, & in misericordia, & miserationibus*, &c. *Vocabit me vir meus*,

In ipso thalami nuptialis limine adulterium commisit synagoga. — *Osee 2.*

A &c. hoc est, synagoga virum suum me appellabit, quemadmodum vxor suum coniugem appellare solet. Ezech. 16. *Expandi amictum meum super te, & operui ignominiam tuam, & iuraui tibi, & ingressus sum pactum tecum, & facta es mihi*, &c. Amictum expādebat vir super feminam quam vxorem volebat ducere, ideò Ruth cap. 3. dicit Booz propinquo Ruth: *Expande pallium tuum super famulam tuam*, &c. Ait Deus se expandisse amictum super synagogam, & iurasse ei eam vxorem ducturum, foreque sponsum, & virum eius. In hunc virum suum dignitatis, maiestatisque infinitę perfida hæc sponsa adulterium perpetrauit, in ipso limine thalami. Sponsum exhorruit, non placuit ei apparens nube, ignéque (B) circundatus, terribilique voce ex monte Sinai loquēs, hinc dixit Mosi: *Non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur*. Mutum elegit vitulum, nullum vitæ opus habentem, coram quo non exhorruit, sed sedit manducare, & bibere, & surrexit ludere. Viderat in Ægypto voluptuosum idoli cultum, hūc elegit. Nuptias cum vero sponso celebrauit aspersa sanguine. Exod. 24. *Moses sumptum sanguinem respersit in populum, & ait: Hic est sanguis fœderis quod pepigit Dominus vobiscum*, &c. Nuptias verò cum idolo, epulando iniuit, & ludendo. Idolorum cultores lucos plantabant, in eis sub arborum vmbra, & amœnitate (C) deos suos colebant, & comessationibus vacabant. Deus verus Deuter. 16. has arborum amœnitates prohibet: *Non plantabis* (inquit) *lucum, & omnem arborem iuxta altare Domini Dei tui*. Deut. 12. *Subuertite omnia loca, in quibus coluerunt gentes deos suos super montes excelsos, & colles, & subter omne lignum frondosum; dissipate aras earum, & confringite statuas, lucos igne comburite*, &c. D. Hieron. Osee 4. In lege (inquit) præceptum est, vt iuxta altare lucus, & arbores non plantentur, ne scilicet passiua, & voluptuosa religio austeritatem vnius, & veræ religionis euertat, &c. & ad Galatas 5. idololatria, festiuitate, gula, ventre, & iis quę infra ventrem sunt delectatur. Sic ille. Austera est vera religio, amœnas fugit voluptatum vmbras, sub quibus flagitia committuntur, veram in Deo, diuinisque rebus voluptatem quærit. Falsa religio voluptatem (D) vitiorum consectatur, austeritatem fugit, non in Deo, sed in rebus creatis oblectatur. Ecce falsa religione imbutus populus, sedit comedere, & bibere, & surrexerunt ludere; Non loquatur nobis Dominus, aiebant, ne fortè moriamur, mutum veneremur vitulum, vt comedamus, & bibamus. At nescia mens hominum sortis futuræ; *Sedit populus comedere, & bibere, & surrexerunt ludere*. Postquam autem reuersus est ex monte Moses, in amaritudinem versa est epularum dulcedo, iuxta illud Ierem. 2. *Scito, & vide, quia malum, & amarum est reliquisse te Dominum Deum tuum*, &c.

Ezech. 16. — *Ruth. 3.* — *Exod. 24.* — *Idolorū cultores lucis, & comessationibus indulgebant sub arboribus.* — *Deut. 16.* — *Deut. 12.* — *D. Hieron.* — *Ierem. 2.*

CAPVT XIV.

EXODI CAP. XXXII.

1. LOcvtvs est autem Dominus ad Moysen dicens: Vade, descende, peccauit populus tuus; quem eduxisti de terra AEgypti. Recesserunt citò de via quam ostendisti eis: feceruntque sibi vitulum conflatilem, & adorauerunt, atque immolantes ei hostias dixerunt: Isti sunt dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra AEgypti. Rursumque ait Dominus ad Moysen: Cerno quòd populus iste duræ cer-

uicis

uicis sit: dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam. Moyses autem orabat Dominum Deum suum, dicens: Cur, Domine, irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de Terra AEgypti in fortitudine magna, & in manu robusta? Ne quæso dicant AEgyptij: Callidè eduxit eos, vt interficeret in montibus, & deleret è terra: quiescat ira tua, & esto placabilis super nequitia populi tui. Recordare Abraham, Isaac, & Israël, seruorum tuorum, quibus iurasti per temetipsum, dicens: Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cæli: & vniuersam terram hanc, de qua locutus sum, dabo semini vestro, & possidebitis eam semper. Placatusque est Dominus, ne faceret malum quod locutus fuerat aduersus populum suum. Et reuersus est Moyses de monte, portans duas tabulas testimonij in manu sua, scriptas ex vtraque parte, & factas opere Dei: scriptura quoque Dei erat sculpta in tabulis. Audiens autem Iosue tumultum populi vociferantis, dixit ad Moysen: Vlulatus pugnæ auditur in castris. Qui respondit: Non est clamor adhortantium ad pugnam, neque vociferatio compellentium ad fugam, sed vocem cantantium ego audio. Cumque appropinquasset ad castra, vidit vitulum, & choros, iratusque valdè, proiecit de manu tabulas, & confregit eas ad radicem montis: arripiensque vitulum quem fecerant, combussit, & contriuit vsque ad puluerem, quem sparsit in aquam, & dedit ex eo potum filiis Israël.

Peccauit populus tuus.

2. SCribebat Dominus in monte Sinai decem mandata in tabulis lapideis: populus verò ad montis radices primum illarum mandatum fregit, hoc enim erat primum mādatum, Exod. 20. *Non habebis deos alienos coram me, non facies tibi sculptile*, &c. Populus autem ait Aaroni, Exod. 32. *Fac nobis deos, fecitq; sculptile idolum*, ignorabat Moses tantum scelus. Aperuit Dominus scelus perpetratum idololatriæ: *Vade* (inquit) *descende de monte, peccauit populus tuus, fecerunt sibi vitulum conflatilem, & adorauerunt*, &c.

Primum primæ tabulæ mandatū Hebræi fregerunt, cùm in tabula scriberetur à Deo. — *Exod. 20.* — *Exod 32.*

Dimitte me, vt irascatur furor meus.

3. Scelus maximum, supplicium maximum exposcebat; nimirum, vt Deus populum qui eum reliquerat, relinqueret, ac penitus deleret. Itaque à Mose petit, vt patienter ferat hoc supplicio affici impios. *Cerno* (inquit) *quòd populus iste duræ ceruicis sit*, hoc est, inobediens, contumax, iugum mandatorum non recipiens, sed repellens ac frangens. *Dimitte me Moyses, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamq; te in gentem magnam*, &c. Cur ait Dominus: dimitte me Moses? Respondetur, quia Mose repugnante delere nolebat populum; erat enim Moses princeps populi illius, deletoque populo amittebat principatum. Quamobrem addidit: deleto hoc populo *faciam te in gentem magnam*, dimitte (inquit) me, patienter ferto extremum me supplicium de hoc populo sumere: eo autem extincto, alium tibi populum dabo, maiorem, meliorem, ac nobiliorem, cuius sis princeps: hic populus tuus duræ, & inflexibilis ceruicis est, patere eum extingui, ne me impedias tuis precibus. Isaię 48. *Scio* (ait Dominus) *quia durus es tu, & neruus ferreus ceruix tua, & frons tua ærea*, &c. Deut. 9. *Cerno quòd populus iste duræ ceruicis est, dimitte me, vt conteram eum, & deleam nomen eius de sub cælo, & constituam te super gentem quæ hac maior, & fortior sit*. Chaldæus sic vertit: Dimitte precationem tuam à facie mea, & irascatur furor meus contra eos, & consumam eos, &c.

Deus iratus est populo. Propter idololatriam vult eum omnino abolere. — *Isai. 48.* — *Deut. 9.* — *Vi orationis.*

Moyses autem orabat Dominum.

4. Populi sui charitate permotus Moses, noluit dimittere Dominum, vt irasceretur furor eius, (A) Israëlitasque disperderet: precibus obstitit Deo, duabus rationibus in ipsa oratione vsus. Prima est, parce Domine populo, ne Ægyptij dicant, te eduxisse populum hunc ex Ægypto, non vt fertiliorem aliam terram illi dares, sed vt callidè, & malitiosè, ac fraudulēter in deserto eum aboleres. hæc verò blasphemia honorem tuum apud gentes maximè lędet. Secunda ratio, pollicitus es Domine patribus nostris Abraham, Isaac, & Iacob, terram in quam pergimus: memento quæso patrum, & propter patres dimitte peccatum filiis, memento promissionis factæ, eamque ad exitum perducito. Hac Mosis (B) precatione placatus Dominus, supplicium illud grauissimum remisit, iterum Moses pro populo precatus est, Exod. 32. vt paulò post videbimus.

Moses erat pro populo.

Et reuersus est Moyses de monte portans duas tabulas.

5. Descendit de monte Sinai Moses, post quadraginta dies, quibus cum Domino versatus est, duas portans tabulas, comite Iosue, qui cum eo ascenderat, vt supra dictum est. Audiit Iosue Hebræorum qui in castris erant tumultum, & vociferationes, veritusque, ne prælij tumultus, & pugnantium clamores ij essent, quos audiebat; dixit Mosi: *Vlulatus pugnæ auditur in castris*. Moses verò respondit, se non audire (C) pugnæ clamorem, sed vocem cantantium, choreas enim ducebant cantantes Israëlitæ. Postquam verò castris propinquus, vitulum vidit ex auro fabricatum, choreasque Israëlitarum illum colentium, diuini honoris zelo excitatus, tabulas quas manibus ferebat abiecit, & fregit ad radicem montis. Quæritur, *an viderint Israëlitæ Mosem tabulas frangentem*? Respondetur, vidisse, in conspectu enim populi tabulas fregit, vt scriptum est Deut. 9. Quæritur secundò, *quorsum tabulas fregerit*? (D) Respondetur, fregisse in detestationem idololatriæ Hebræorum, vt indicaret quàm execrabile scelus committerent vitulum colendo. Deut. 9. sic ait Moses: *Cùm de monte ardente descenderem, & duas tabulas fœderis vtraque tenerem manu, vidissémque vos peccasse Domino Deo vestro, & fecisse vobis vitulum conflatilem, ac deseruisse velociter viam eius quam vobis ostenderat, proieci tabulas de*

manu

Moses descendit ex monte portans duas tabulas. — *Moses zelo Dei permotus tabulas fregit.* — *Deut. 9.* — *Deut. 9.*

manibus meis,confregiq; eas in conspectu vestro. Quæritur tertiò, *an peccarit Moses tabulas frangens digito Dei scriptas,& missas ad populum, summoq; in pretio habendas?* Respondetur,minimè peccasse, diuino enim zelo permotus tabulas fregit in conspectu populi,vt ostenderet, quàm ingens scelus sit idoli cultus, terroremque idololatris incuteret.

Arripiensq; vitulum quem fecerant combussit,& contriuit vsque ad puluerem.

Magnus Mosis zelus.

6. Non satis fuit ardentissimo Mosis zelo, tabulas fregisse, in vitulum quoque in altari collocatum inuolauit,arripiensque pessimum idolum igni tradidit,& fractum, atque contritum in puluerem redegit,puluerem verò sparsum in aquam potandum dedit Israëlitis. Timuit Aaron populum deos petentem, illiusque voluntati obsecutus est : At Moses diuina præditus audacia,neminem timuit, coram populo vitulum colente,in idolum velut hostem truculentissimum irruit, ex altarique arreptum in nihilum conuertit. Hæc audacia ac fortitudo hominis est quadraginta diebus ieiunantis,& cum Deo colloquentis. Obstupuerunt Hebræi,cùm illum in castra reuerentem conspexerunt, de quo dixerant,Exod.32. *Moysi huic viro qui nos eduxit de terra AEgypti ignoramus quid acciderit.* obstupefactique resistere non sunt ausi vitulum frangenti. Dubitatur, *quónam modo aureum vitulum contriuit Moses, & in puluerem redegerit?* Dicitur Exod 32. *combussisse illum, & contriuisse vsque ad puluerem.* Vitulus autem aureus comburi non potest, siquidem aurum in igne non comburitur,sed liquefit, & expurgatur. Respondetur, Mosem in ignem proiecisse vitulum, & liquefactum esse,vitulique formam amisisse, ideoq; dici vitulum combussisse, combussit enim non sicut lignum,quod consumitur,sed sicut aurum quod liquefit,& figuram amittit. Hebraicè verbum est *saraph*,quod significat *incendere*, & *igni tradere*, postea aurum amissa figura vituli, ex igne extractum in puluerem redegit,aliquibus instrumentis adhibitis. Abulensis aliis duobus modis dubio respondet. Primò, fuisse miraculum, Deumque aureum in igne combussisse,ita vt non liquefieret,sed in cineres conuerteretur, & puluerem. Secundo respondet,esse quasdam herbas, quæ si commisceantur auro in conflatione, non liquefiet, sed in cineres redigetur: hisque potuisse Mosem vti in combustione vituli, vt in puluerem conuerteretur. Denique ait, adhibita aliqua herba, fuisse combustum aurum,ita vt in carbonem redigeretur; postea à Mose hunc auri carbonem in puluerem tenuissimum redactum, ac si tereretur in mortario.

Moses vitulum aureum redegit in puluerem, & potum dedit Hebræis. — *Ieiunij vis.* — *Exod.32.* — *Exod.32. Quomodo Moses vitulum in puluerem redegerit?*

Quem sparsit in aquam,& dedit ex eo potum filijs Israël.

7. Videtur secum pugnare Moses. Nam Deut. 9. sic Hebræos alloquitur: *Peccatum vestrum quod feceratis,id est,vitulum,arripiens, igne combussi, & in frusta comminuens, omninóque in puluerem redigens proieci in torrentem qui de monte descendit.* Ecce ait vitulum se aureum redegisse in puluerem, & proiecisse in torrentem,qui ex monte Sinai defluit. Si proiecit puluerem in torrentem, in aqua ille demersus est. est enim grauis. Non ergo potuit dari Israëlitis in potum. Respondet

Deut.9. Quomodo Moses in torrentem proiecerit vitulum?

Abulensis Exod. 32. puluerem vituli sparsum fuisse in torrente, postea Israëlitas aquam torrentis potasse,in qua sparsus fuerat puluis. Similiter Isidorus Clarius Deuter.9. Intelligimus (inquit) Mosem accepisse ex illa aqua torrentis, in quam comminutus vitulus proiectus fuerat, & dedisse eum populo,qui peccauerat,&c. Non placet responsio, quia ex ea sequitur Israëlitas non bibisse puluerem aureum vituli,sed solùm aquam in quam proiectus est. At Exod.32. scriptum extat Mosem sparsisse *puluerem in aquam, & dedisse ex eo potum filijs Israël.* Ex puluere ergo dedit potum,non ex sola aqua torrentis. Caietanus quoque Deut. 9. vult, nomine torrentis intelligi aquam ex torrente haustam, ita vt indicetur in aqua torrentis pura,non in aqua maledicta datum potum. Respondeo, Mosem proiecisse partem pulueris in torrentem, partem verò alteram in potum dedisse populo,verum ergo est quod dicitur Deut.9. *In puluerem redigens, proieci in torrentem* : non tamen totum proiecerat,sed partem. Verum etiam est quod dicitur Exod. 32. *Dedit ex eo potum filijs Israël.* Hanc responsionem proponit Caietan. Deut. 9. preterea responderi potest puluerem aureum proiecisse in locum torrentis minimè profundum: postea verò puluerem collegisse, potumque ex eo Israëlitis præbuisse. Denique confugere possumus ad miraculum,ac dicere Mosem in torrentem proiecisse totum puluerem vituli; aquam verò illum à se expulisse velut execrabilem; tunc Mosem ex eo collecto potum dedisse filiis Israël.

Isidorus Clarius. — *Exod.32.* — *Deuter.9.*

8. Adhæc dubitatur, *quorsum Moses vituli puluerem potandum Hebræis præbuerit?* Respondetur, Mosem voluisse detestandum idolum omninò abolere,ita vt nulla ex illo auro vestigia permanerent: ideoque vitulum combussisse,in pulueremque redegisse, & in torrentem proiecisse, potum quoque Israëlitis dedisse, vt illum omnino disperderet. Vnde D. Ambrosius epist.56. Idololatriç (inquit) indignitate percitus fregit tabulas Moses, & comminuit vituli caput, atque in puluerem redegit, vt omnia impietatis vestigia aboleret, &c. D. Hieron. ad Fabiolam de vestitu sacerdotum, datum ait puluerem vituli in potum Isrëlitis contemptus causa: Israël (inquit) vituli puluerem,quem adorauerat, accipit in potum, in contemptum superstitionis, vt contemnere discat quod in secessum proiici videat,&c. Rabbi Salomon putat,potum hunc iis qui in crimine erant idololatriæ attulisse inflationem,vel languorem. Alij volunt,aureos pulueres barbis idololatrarum aureum tribuisse colorem, vt à cæteris qui non peccauerant discerni possent. Glossa ordin. sic habet, Tradunt Hebræi, quòd filij Israël bibentes aquam vituli puluere infectam, qui commiserant idololatriam, in barbis puluerem auri præferebant, quo signo rei apparebant, & interficiebantur. Abulensis Exod. 32. quęst. 32. existimare videtur, puluerem in iis qui crimen idololatriæ commiserant effecisse, vel aureas barbas, vel languorem, hoc autem signum Leuitis interficientibus datum,vt eos occiderent qui eo essent notati.

Quorsum Moses potandum dederit Hebræis puluerem vituli. — *D. Ambros.* — *D. Hieron.*

CAPVT

CAPVT XV.

MORALE.

De fractione tabularum, & vituli contritione.

1 DEsponsauerat Moses cum Deo synagogam, ferebatque ex monte duas tabulas digito Dei scriptas, veluti scripturam nuptialem: synagoga verò cum idolo spiritale commiserat adulterium, quamobrem ille tabulas magno cum dolore fregit. Vnde illud Theodoreti quæst.68.in Exod. Cùm sponsa in ipso limine thalami ad adulterium declinauerit,iure profecto Moses dotales literas effregit,&c. Significat autem hæc primarum tabularum fractio legis veteris abrogationem, vt docet D.Augustinus quæst.144. in Exod. Quod (inquit) Moyses tabulas fregisse videtur,magno mysterio figurata est iteratio testamenti noui, quoniam vetus fuerat abolendum,& constituendũ nouum,&c. D.Ambros. epist.56. Fractæ sunt primæ tabulæ, vt repararentur secundæ, quibus per Euangelij prædicationẽ perfidia comminuta euanuit,&c. D.Isidorus: Tabulæ imaginem demonstrabant priscæ legis. Aliæ iteratim incisæ noui testamenti habuere figuram: istæ non franguntur, vt ostenderetur noui testamenti eloquia permansura,&c. Hanc primarum tabularum,id est,veteris testamenti fractionem, & abrogationem, secundarum verò, id est,noui testamenti constitutionem,prædicit Dominus Ierem.31. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & feriam domui Israel, & domui Iuda fœdus nouum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum, vt educerem eos de terra Aegypti, pactum quod irritum fecerunt.* Ad Hebr.8. dicendo *Nouum* (ait Paulus) *veterauit prius,quod autem antiquatur,& senescit,prope interitum est.* hoc est, cùm Dominus Ierem.31.appellat *testamentum nouum*, indicat prius testamentum iam esse vetus,atque adeò esse propè interitum, vt sunt homines senes. Denique senuit testamentum vetus,& lex, & cum honore sepulta est, quod fractæ primæ tabulæ indicant.

Theodoret. — *D. August. Fractio primarum tabularum significat abrogationem legis veteris.* — *D. Ambros.* — *D. Isidorus.* — *Ierem.31.* — *Ad Heb.8.*

2 Duo hæc testamenta, ait Apostolus ad Galat.4. adumbrata esse à duabus Abrahę vxoribus Agar, ancilla, & Sara, libera: *Hæc* (inquit) *sunt duo testamenta. Vnum quidem in monte Sinai in seruitutem generans, quæ est Agar,*&c. Vetus testamentum, & synagoga, vt ancilla Agar filios generauit Iudæos in seruitutem, erat enim status ille seruorum, vt alibi ostendimus. At nouum testamentum, & Ecclesia, vt Sara libera filios generat liberos,& per repromissionem, vt genitus est Isaac. *Illa,* (ait Paulus) *quæ sursum est Ierusalem, libera est, quæ est mater nostra: Nos secundum Isaac promissionis filij sumus.* Addit: *Sed quid dicit scriptura?* (Genes.21.) *Eijce ancillam,& filium eius.* Eiecta est Agar ancilla ex domo Abrahę,& filius eius Ismael: eundem in modum eiecta est lex vetus ex Ecclesia domo Dei cum filijs Iudæis, qui ancillæ potius Agar, quàm Saræ liberæ filij esse volunt. Est autem eiectum vetus testamentum & lex ex Ecclesia, ne seruentur illius præcepta ceremonialia, & iudicialia. Decalogus non est eiectus,manet,semperquè manebit,quia lex naturalis, & Christi est. Manent etiam veteris testamenti libri,quia diuini sunt, & diuina veritate conscripti, de Christo multa prædicunt, & Ecclesia,multaque tradunt documenta eximia; *Sebast. Barradas Itener. Israelit.*

Duo testamenta adumbrata vxoribus Abrahæ. Ad Gal.4. — *Genes.21. Agar,id est, lex vetus, expulsa est ex Ecclesia.* — *Manent in Ecclesia libri veteris testamenti, canonicique sunt, & Ecclesiam multiplici sensu illustrant.*

tam literali, quàm mystico sensu, legentibus. Non enim minus est in veteri testamento Spiritus sanctus, quàm in nouo. D.Hieron.Psal.67. illa verba: *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ, & posteriora dorsi eius in pallore auri,* de duobus testamentis exposuit, & in vtroque ait Spiritum sanctum inueniri, & literalem sensum, ac mysticum: Cùm duobus (inquit) credideris testamentis, inuenies in vtroque Spiritum sanctum, & licet sit pulchritudo etiã iuxta literam scire quæ legas,tamen vis decoris omnis in sensu est. Exterior itaque verborum ornatus, in argenti nomine demonstratur,occultiora verò mysteria in reconditis auri muneribus continentur, &c. Verba autem Psalmi ita interpretatur: *Si dormiatis inter medios cleros.* hoc est, si quiescatis inter nouum, & vetus testamentum, inuenietis in duobus testamentis gratiam Spiritus sancti. Cleri dicuntur singuli libri, hoc est, Genesis, Exodus, Iudicum,Euangelia, Apostolus. *Pennæ, columbæ deargentatæ. Deargentatæ* clarum verbum significat diuinæ scripturæ. *Et posteriora dorsi eius in pallore auri*, hoc est, in interioribus spiritualiter mysteria intelliguntur,&c. Item: Si vsque ad consummationem vitæ præsentis, qua sæpe somnus accipitur, inter duo testamenta quiescatis, inuenietis in his Spiritum sanctum, cuius pennæ in prædicatoribus deargentatæ,pro eloquij pulchritudine resplendent: in posteriora verò, quæ scapulæ dicuntur, eo quod pectus operiant, bonæ conscientię fructus ostenditur, quæ post peractum Euangelium,in auri specie, id est, in honore regio,cõmutantur. Sic ille. Theodoretus: Cleros (inquit) nominat vates duo testamenta: dicit igitur, ad testamentorum doctrinam accedite, & videbitis omnem Spiritus sancti gratiam,&c. Cassiodorus: Cleros auctoritate patrum duo testamẽta debemus accipere, inter quæ monet quiescere Christianos, &c. Arnobius: Cleros hoc loco libros dictos, & Iudæi dicunt, & nostri plurimi tractatores, &c.

D. Hieron. Psal.67. — *In vtroque testamento est Spiritus sanctus.* — *Theodoret.* — *Cassiodorus.* — *Arnobius.*

Accipiens vitulum combussit, & contriuit.

Psal.68. *Zelus domus tuæ comedit me,*&c. Equidem zelus domus Dei Mosem comedit, & ad opera miranda agenda compulit. Primò zeli maximi fuit tabulas frangere in conspectu populi, in horrorem tanti facinoris. Secundò arripere vitulum. Tertiò in ignem inijcere, in puluerem redigere, in torrentẽ mittere, potumque dare Israëlitis. Quartò tot hominum millia non timere, ó quàm potens est animus Dei zelo, & diuini honoris amore incensus! Timuit Aaron populum, obsecutusque est, (licèt inuitus) eius turpissimę voluntati: At Mosis zelus timorem animo expulit; vnus homo tot hominum millia non timuit,sed idolum,quod colebant,arripuit, & in nihilum redegit. Aaron imago est Pontificis timidi, & mercenarij, qui videt lupum, & ouem illi tradit, quia timet. Moses imago est pontificis,zelo ardentis, ac magnanimi, qui neque lupos metuit,neque leones,omnibusque se opponit periculis, vt seruet oues. Ezech.1. *Animalia ibant, & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.* similem in modum Moses iuit ad Deum,& montem Sinai, & reuersus est in similitudinem fulguris. Vt fulgur enim zelo ardens, & coruscans vitulum combussit, & in cinerem redegit. Reuertebatur autem ille ex Dei colloquio: admirandas quippe vires dat Dei colloquium,id est,oratio,atque meditatio. hominem 3

Psal.68. — *De zelo Mosis* — *Zelus boni pontificis.* — *Ezechiel.1.* — *Oratio zelum suppeditat.*

inflammat Dei amore,& zelo,ita vt nullum pro Dei honore periculum subire reformidet, peccataque omnia, & idololatriam Ethnicorum disperdere conetur. Eam ob causam maria traiicit, terras peragrat, mille se obiicit vitæ discriminibus: videlicet, vt vitulum, id est, idola in puluerem redigat. Multos vitulos,id est,idola, videmus nostris temporibus redacta in puluerem apud Ethnicos, ab iis viris, qui cum Mose ascenderunt in montem orationis.

4 Quemadmodũ Moses ex monte descenderis, idolum in puluerem redegit: sic Christus descendens ex cælo,in cinerem conuertit gentium simulachra. Vidit Nabuchodonosor Rex Dan.2. statuam auream: postea vidit è monte lapidem descendentẽ,qui statuam euertit, in pulueremque comminuit. Christum indicabat lapis ille; in vitulum aureum, siue statuam auream, id est, idololatriam, per Apostolos, concionatoresque suos irruentem,eamque in puluerẽ redigentem.

Christus idololatriam disperdidit.

5 Moses in nihilum redegit vitulum, qui peccati materia erat, iuxta illud D.Ambrosij supra citatum: Comminuit Moses caput vituli, & in puluerem redegit, vt omnia impietatis vestigia aboleret,&c. Docet nos hoc factum omnia peccatorum abolere vestigia & omnes occasiones. Pœnitentiæ enim dolor, peccatum veluti vitulum arripit,redigitque in puluerem, ita vt nulla eius remaneat occasio.

Occasiones peccati abolendæ. D. Ambros.

6 Redactus est in puluerem à Mose vitulus, verùm postea non vnus tantùm, sed duo vituli resurrexerunt, qui in puluerem redacti non sunt, suósque cultores veluti cornibus in captiuitatẽ impulerunt. Etenim Ieroboam Rex decem tribuum, vt scriptum extat 3.Reg.12. *Fecit duos vitulos aureos, & dixit populo: Ecce dij tui Israel, qui te eduxerunt de terra Aegypti. Vnum ex illis adorandum collocauit in Bethel, alterum in Dan.* Nullus vero fuit ex sequentibus Regibus,qui vitulos,vt Moses comminueret. Reges populus secutus est, sed luerunt pœnas 4.Reg.17. *Et ambulauerunt filij Israel in vniuersis peccatis Ieroboam, quæ fecerat, & non recesserunt ab eis,vsquequo Dominus auferret Israel à facie sua, sicut locutus fuerat in manu seruorum suorum prophetarum; translatusq; est Israel de terra sua in Assyrios vsque in diem hanc.*

Duo vituli à Ieroboam rege excitati sunt, non desuit supplicium. 3.Reg.12. 4 Reg.17.

7 Quod Moses fecit, id facit Ecclesia feria quarta Cinerum. Moses vitulum aureum in puluerem redegit, potumque dedit Israëlitis: Ecclesia vitulum nostrum, illa die in puluerem conuertit, potandumque nobis præbet. Nonne corpus nostrum lasciuus vitulus est, ac superbus, quem colimus, veluti idolum, colique ab omnibus volumus, & honorari? Hunc vitulum Ecclesia in cinerem redigit, potandumque præbet, non ori corporis, sed ori animi, id est, intellectui, & memoriæ dicens: *Memento homo, quia puluis es,& in puluerem reuerteris.* Libenter puluerem potemus verè aureum, non inflabit nos, languore non afficiet,sed humilitatem afferet,& sanitatem, non barbam efficiet auream, sed auream animam.

Feria quarta Cinerum redigit Ecclesia vitulum in puluerem.

CAPVT XVI.

De supplicio sumpto ex cultoribus vituli.

EXODI CAP. XXXII.

1 Dixitque (Moses) ad Aaron: Quid tibi fecit hic populus, vt induceres super eum peccatum maximum? Cui ille respondit: Ne indignetur Dominus meus: tu enim nosti populum istum, quòd pronus sit ad malum: dixerunt mihi: Fac nobis deos, qui nos præcedant: huic enim Moysi, qui nos eduxit de Terra Ægypti, nescimus quid acciderit. Quibus ego dixi: Quis vestrum habet aurum? Tulerunt, & dederunt mihi: & proieci illud in ignem, egressúsque est hic vitulus. Videns ergo Moyses populum, quod esset nudatus, spoliauerat enim eum Aaron propter ignominiam sordis, & inter hostes nudum constituerat, & stans in porta castrorum, ait: Si quis est Domini, iungatur mihi. Congregatique sunt ad eum omnes filij Leui, quibus ait: Hæc dicit Dominus Deus Israël: Ponat vir gladium super femur suum: ite, & redite de porta vsque ad portam per medium castrorum, & occidat vnusquisque fratrem,& amicum, & proximum suum. Feceruntque filij Leui iuxta sermonem Moysi, cecideruntque in die illa quasi viginti tria millia hominum. Et ait Moyses: Consecrastis manus vestras hodie Domino, vnusquisque in filio,& in fratre suo, vt detur vobis benedictio.

Quid tibi fecit hic populus, vt induceres super eum peccatum maximum?

2 Postquam de vitulo supplicium sumpsit Moses; cultores quoque illius merita pœna affecit. In primis Aaronem reprehendit, quòd, licèt inuitus, tamen vitulum fecerit. *Quid* (inquit) *fecit tibi populus hic, vt induceres super eum peccatum maximum?* Maximum enim peccatum est idolorum cultus. Aaron autem non est fassus apertè peccatum, neque petiuit veniam, sed in populi pronitatem ad malum reiecit dicens: *Ne indignetur Dominus meus; tu enim nosti populum istum, quod pronus sit ad malum.* Quia in monte moram faciebas, postulauit à me Deum, qui eos duceret in hoc deserto. Timui sanè, vt verò à tanto scelere illos auocarem, inaures aureas petiui, ad fabricandum Deum. Inaures prompto animo mihi dederunt. Tantus enim impetus erat, quo in idolum ferebantur. Proieci aurum in ignem,egressusq; est hic vitulus. Non defuerunt qui dicerent, vitulum egressum esse ex auro, proiecto in ignem, dæmonis opera. At verbum, *egressus*, id non significat, sed significat, egressum esse vitulum ex igne opere fusorio Aaron enim nõ loquitur apertè. Fabricationem vituli paucissimis tangit verbis. Exiuit (ait Caietanus) vitulus eo modo, quo artificialia exeunt ex

Aaronis excusatio. *An vitulus dæmonis opera ex igne sit egressus?* *Caietan.*

Hugo Vict. materia,& arte,&c. Hugo victorinus: Egressus (inquit) est vitulus, opere scilicet hominis, non miraculo, &c. Hac de re sic scribit D. Augustinus,quæst. 145. Compendio (inquit) locutus est Aaron,non dicens,quòd ipse formauerit, vt exiret vitulus fusilis. An excusationis causa,timendo mẽritus est, tanquam ipse in ignem periturum aurum proiecerit, atque ipso non id agente, forma vituli exierit? Quod ideo non est credendum, hoc eum animo dixisse, quia neque latere Mosem posset,quid esset in viro,cum quo Deus loquebatur, & fratrem de mendacio non redarguit. Sic August.

D. August.

Videns Moyses populum, quòd esset nudatus.

3 Difficile est explicatu, quonam modo nudatum viderit populum Moses. Primus sensus cæteris potior est Lyrani, Abulensis, & Carthusiani; vidisse nudatum, & spoliatum inauribus aureis, quem sensum verba sequentia videntur indicare, scilicet, *spoliauerat enim eum Aaron.* Nam Aaron nudauit, & spoliauit populum auro, *propter ignominiam sordis*, id est, vt idolum sordidissimum,& ignominia plenum faceret; & inter hostes, & populos gentium, qui solitudini propinqui erant, inauribus spoliatum constituit. Cùm autem mos esset inaures gestare, Hebræi illis carentes nudati videbantur,& hostibus ipsis ludibrio expositi. Secundus sensus est Caietani, qui arbitratur, Mosem vidisse populum nudatum armis: spoliaverat enim eum Aaron, cùm Moses erat in monte, ne improbi aduersùs illos insurgerent. Hic sensus non videtur probabilis. Neque enim Aaroni petenti arma, præberent Israëlitę, neque causa vlla erat, cur ille peteret. Oleaster credit, vidisse Mosem populum nudatum fama, inter hostes, propter cultum vituli. Nudauerat enim eum Aaron, facto idolo,& collocato in altari. Verùm eo tempore,quod Moses rediit ex monte,nondum erat nudatus populus fama, quia nondum hostes eius nouerant peccatum. Præterea hostes erant cultores idolorum, ergo nulla apud eos erat infamia colere idolum,nullaq; fama nudati sunt Israelitæ apud eos. Potest addi sensus alius: Vidit Moses populum nudatum religione, lege diuina, Dei beneuolentia & auxilio, quibus nudauerat eos Aaron, fabricato idolo.

Quomodo populum viderit Moses nudatum.

4 Verbum Hebręum פרע, *parag*, significat *nudare*, vt vertit noster interpres. Significat etiam *vacare*, & *otiosum esse*; quamobrem Chaldæus sic vertit: *Viditque Moses populum, quod otiosus esset.* Otiosum enim fecerat eum Aaron, vt contaminaret eos nomine pessimo, in generationes suas, &c. Hoc est, vidit Moses reuersus ex monte populum, quod otiosus esset, & vacaret choreis,& ludis; viditq;, quod diem festum faceret in honorem idoli. Aaron enim fecerat hoc pessimum otium, ex quo populus magna ignominia inquinatus est, propter adorationẽ vituli. Significat etiam verbum Hebræum *dispergere*, vel *dissipare*. Ideo LXX. interpres vertunt: *Videns Moses populum, quod esset dissipatus, vel dispersus: dissipauit enim eum Aaron, gaudium inimicis suis, vel ludibrium inimicis suis,* &c. Sensus est: vidit Moses bonus pastor, quòd oues dispersæ erant, & dissipatæ. Disperserat enim eas vitulus ille, siue lupus, in gaudium, & ludibrium hostium.

Si quis est Domini, iungatur mihi.

5 In castris manebant Israelitæ apud montem Sinai, vt viri bellatores. Moses in porta vna castrorum stetit, volensque supplicio idololatras afficere, eos ad se vocauit, qui verum Deum colebant, vt supplicii essent administri. *Si quis* (inquit) *est Domini, adiungatur mihi*, hoc est, si quis Deum verum colit, non idolum pessimum, veniat ad me. Venerunt protinus ad eum omnes, qui ex tribu Leui erant, ex qua erat etiam Moses. Separatæ fuerunt in castris tribus Israel duodecim. Iudæ tribus in vno erat castrorum loco, tribus Ruben in alio, tribus Leui suas habebat plateas,& vicos, similiter & aliæ. Ait ergo Abulensis, Mosen stetisse in loco, in quo sub tentoriis habitabant Leuitæ, & clamasse: *Si quis est Domini, veniat ad me:* conuenisseque ad eum omnes Leuitas. At verò probabilius videtur, multos Leuitas & alios Hebræos, cùm Moses in castris versabatur, non fuisse in tentoriis, sed eum esse comitatos. Cùm igitur audierunt Leuitæ: *Si quis est Domini, iungatur mihi,* ei se adiunxerunt. Quæritur, *an omnes ex tribu Leui Domini fuerint, ita vt nullus vitulum adorauerit?* Pars quæ affirmat, probatur his scripturæ verbis, Exod. 32. *Congregati sunt ad eum omnes filii Leui.* Omnes ex tribu Leui affirmat conuenisse ad Mosem, ergo omnes Domini erant, nullusque vitulum colebat. Hanc sententiam sequitur Rabbi Salomon Hebręus, & Paulus Burgensis ait, communem esse Hebræorum antiquorum. Sequitur eandem Caietanus, & Abulensis. Obiiciuntur verba Mosis: *Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ponat vir gladium super fæmur suum. Ite, & redite de porta vsque ad portam, per medium castrorum, & occidat vnusquisque fratrem,& amicum,& proximum suum.* Iubet Moses Leuitas occidere fratres, & proximos. Ergo iubet occidere Leuitas. Nam Leuitarum fratres, & proximi, Leuitę erant. Huic obiectioni facilè respondetur, fratres vocari, & proximos non Leuitas, sed Hebræos, ex aliis tribubus. Omnes enim filii erant Iacob. Difficilior est altera obiectio ex aliis verbis sumpta: *Consecrastis* (ait Moses) *manus vestras hodie Domino, vnusquisque in filio, & in fratre suo, vt detur vobis benedictio.* Ait Moses, Leuitas filios suos occidisse, filii autem Leuitarum non possunt dici Hebręi ex aliis tribubus orti, ergo Leuitæ filios suos Leuitas interfecerunt. Responderi potest, hoc dixisse Mosem de animi præparatione: *Consecrastis manus vestras, vnusquisque in filio.* Quia parati estis, fratres,& filios etiam ipsos vita priuare, ob honorem Dei. Aliter responderi potest, Mosem, cùm dixit: *Ite & redite per medium castrorum, & occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum,* non iussisse, vt vnusquisque Leuitarum occideret fratrem,& proximum suum Leuitam, sed iussisse, vt nullam haberet rationem consanguinitatis: quasi diceret, ite, occidite omnes, sine discrimine, etiamsi sint fratres,& proximi. Similiter cùm dicit: *Consecrastis manus vestras vnusquisque in filio*, indicat illos nullam habuisse rationem consanguinitatis. Lyranus mavult nõ omnes Leuitas à peccato idololatriæ fuisse liberos, quę sententia probabilior est,& suauius scripturæ verba illa interpretatur: *Occidat vnusquisque fratrem suum.* & illa: *Consecrastis manus vestras, vnusquisque in filio,& in fratre suo.* Probat enim hanc opinionem verba illa Mosis Deuter. 33. in benedictione Leui. *Qui* (inquit) *dixit patri suo, & matri suæ, nescio vos, & fratribus suis; ignoro vos, & nescierunt filios suos,* &c. Verba autem illa, *Congregati sunt ad eum omnes filij Leui,* &c. signifi-

Sebast. Barradas Itiner. Israelit. *Leuitæ occidunt vituli cultores.* *Exod.32. An aliqui ex Leuitis adorauerint vitulum?* *Deut.33.*

significant congregatos esse ad Mosem omnes Leuitas, qui scelus idololatriæ non commiserant; vel, vt Lyranus, ait, dictio, *Omnes*, maiorem Leuitarum partem significat, quem in modum dicimus, tota ciuitas est in templo, cum tamen multi sint in domibus. Lege D. Hieronymum epist. 146. ad Damasum, & Euthymium, Ioan. 10. ad illa verba, *Omnes fures sunt*, &c.

6 Responderi etiam potest, non omnes Leuitas scelus effugisse idololatriæ, sed multos illud perpetrasse, Mosen verò in sua tribu illud punire voluisse. Itaque stans in porta castrorum suę tribus, clamauit; *Si quis* ex mea tribu Leuitica *est Domini, iungatur mihi.* Coniuncti sunt cum eo omnes Leuitæ sceleris puri, his dixit: *Occidat vnusquisque fratrem suum*, Leuitã, quia idolum coluit. Imperata fecerunt, consecrauerunt que manus suas vnusquisque in fratre, & filio eiusdem tribus. Illud fauet huic sententię, quòd soli Leuitæ ad clamantem Mosem concurrerunt. Numquid soli Leuitæ fuere Domini? cur illi qui erant Domini, ex aliis tribubus non concurrerunt simul, fueruntque sceleris vindices? sanè quia cum sua sola tribu Leuitica agebat Moses, eamque puniebat, vt cætera terrerentur, & sceleris grauitatem agnoscerent. Sed nimium astringit hæc opinio punitionem, relinquit enim impunitas cęteras omnes tribus; solam Leuiticam punit. Refutatur præterea ex verbis Mosis clamantis ad totum populum; *Si quis est Domini, iungatur mihi*, &c. Non enim vocat Leuitas solùm, sed ex omnibus tribubus illos omnes qui sunt Domini. Denique refellit hanc opinionem numerus occisorũ, occiderunt Leuitæ quasi viginti tria millia hominũ Exod. 32. At verò ex Leuitis non potuerunt tot millia hominum interfici à Leuitis, siquidem Leuitæ ad viginti tria millia non perueniebant. Numer. 3. *Omnes Leuitæ quos numerauerunt Moyses, & Aaron à mense vno, & supra fuerunt viginti duo millia.*

Num. 3.

7 Quæsitur, *cur ad Mosem vocantem eos, qui erant Domini, ex alijs tribubus, præter Leuiticam nulli conuenerint?* Responderi potest, nullos conuenisse, quia omnes scelere idololatriæ erant contaminati pręter Leuitas: hoc tamen non videtur verum. est enim veritati consentaneum, multos in aliis tribubus fuisse viros probos, qui idolum colere noluerunt; & Apostolus 1. Cor. 10. non ait, omnes fuisse idololatras, sed aliquos: *Neque* (inquit) *idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis.* Respondendum ergo videtur, illos metu perterritos, non esse ausos accedere ad Mosem, quem iratum videbant, & quia quorsum vocarentur, ignorabant. Præterea dici potest, Leuitas celeriter concurrisse: alias verò tribus expectasse, vt ex illis etiam viros vocaret Moses; quod non fecit, quia satis erant Leuitæ rei gerendæ. Adde id, quod Abulẽsis aiebat, Mosem clamasse in eo loco, in quo tentoria erant Leuitarum, atque ideo eos solum concurrisse ad Mosem.

Cur ex aliis tribubus non concurrerint ad Mosem.

1. Cor. 10.

Hæc dicit Dominus Deus Israel, ponat vir gladium super fæmur suum.

8 Videtur Dominus præceptum dedisse Mosi, vt propter scelus idololatriæ grauiter puniret populum, idque præceptum his verbis enuntiat: *Hæc dicit Dominus: vnusquisque gladium assumat*, & absque vllo discrimine obuios occidat propter tantum flagitium. Dubium existit, *quonam modo Leuitæ sceleris reos agnouerint, vt illos interficerent?* Numquid promiscuè, & absque vllo delectu, omnes obuios vita priuabant, tam reos criminis, quam innocentes? Hoc videtur sentire D. Gregor. Nyssenus: Leuitæ (inquit) ab altera extremitate castrorum, ad alteram confusè, vt quisque obuiam fieret, omnes interfecerunt; nemo interficientium, quis amicus esset, quis cognatus, quis alienus discernebat, sed vnicus, & par, aduersùs omnes, in quos inciderant, erat impetus, &c. Idem sentit Oleaster. At quis credat, Deum permisisse occidi homines innocentes, qui magno digni erant præmio, propterea quòd non abierant in consilio impiorum, & vitulum non adorauerant? Lyranus vult, cognitos reos sceleris, vel ex inflatione, siue languore, quem vituli aqua epota effecerat, vel ex barba aurea. Et Rupertus: Aiunt (inquit) quidam, quòd vitulum in puluerem redactum Moses Israëlitis in potu dederit in iudicium. Et hoc facto qui authores fuerunt sceleris, aureis prominentibus labiis publicati, vel deprehensi; ita demum non indiscretè cæsi, sed cum iudicio fuerunt puniti. Sic ille. Abulensis quoque quæst. 31. aliquod signum exterius datum esse vult Leuitis, ad dignoscendos eos, qui morte erant digni. Caietano placet, Leuitas non esse ingressos tentoria, sed illos solùm occidisse, qui in via occurrebant. Sentitque, non fuisse opus signo aliquo, quia idoli cultores occidebantur mandato Dei, Deus autem efficiebat, vt nullus in via occurreret innocens. Dubium est, quòd ait, *Liuitas non esse ingressos tentoria*, eosque solùm occidisse, quos in via reperiebant. Etenim non videtur verisimile, Hebræos cùm viderent districtis gladiis in viis punientes idololatras, in tentoria se non recepisse. Paucos ergo in plateis inueniebant Leuitæ, neque potuerunt occidere viginti tria millia hominum, si eos tantùm iuterficiebant, qui in via erant obuii, neque tentoria ingrediebantur. Dicimus potius, eos occidisse quos reperiebant in viis: cùm verò ad tentoria confugerent, ingressos esse ipsa tentoria. Probabile autem est, aliquod eis signum datum ad cognoscendos idololatras. Quod fuerit incertum est. Probabile etiam absque discrimine mandati Dei occurrẽtes vita priuasse, Deo punitionem sic dirigente, ac gubernante, vt nullus innocens morte mulctaretur.

Quomodo Leuitæ vituli adoratores agnouerint.

D. Gregor. Nyssenus.

Rupertus.

Cecciderunt quasi viginti tria millia hominum.

Hebraicè nunc, & Chaldaicè legitur, quasi tria millia, hominum esse trucidata; ex Latinis nonnulli legunt viginti tria millia, alii triginta tria millia, nostra tamen lectio vera est viginti tria millia, quæ habetur in correctis libris iussu Pont. Max. Probatur lectio ratione, quia in tanto idololatrarum numero non est probabile, occisa tantùm fuisse tria millia hominum. fuerũt igitur occisa viginti tria millia, qui numerus cum Hebræorum multitudine satis congruit.

9 *Numerus interfectorum propter vitulum.*

Consecrastis manus vestras hodie Domino.

Post occisos idololatras laudat Moses Leuitas. *Consecrastis* (inquit) *manus vestras Domino*; occidendo idoli cultores, filios, & fratres. Chaldæus sic vertit: *Obtulistis oblationes vestras hodie coram Domino, vnusquisque in filio suo, & fratre suo.* LXX. vertunt: *Impleuistis manus vestras Domino*; verbum enim Hebræum *implere* significat: *implere* autem *manus alicuius* est, *consecrare illum*, Iud. 17. 3. Reg. 13. Exod. 28. Quæritur,

10 *Laudat Moses factum Leuitarum.*

an Leuitæ electi fuerint ad ministrandum diuino cultui, propterea quòd occiderunt idololatras? Propterea electos ait Philo lib. 3. de vita Mosis: Moses (inquit) publicè laudata Leuitarum fortitudine, honorem eis decreuit perpetuum, conuenientem facinori præclarissimo. Decebat enim, vt qui in honorem Dei vltro arma sumpserant, & impios debellauerant, præmium acciperent ipsius cultum, & ceremonias, &c. Hoc videntur indicare hæc verba: *Consecrastis manus vestras vnusquisque in filio, & in fratre suo, vt detur vobis benedictio*; videlicet, vt vestra tribus Leuitica ad ministerium tabernaculi eligatur. hunc in modum hanc benedictionem interpretatur Rabbi Salomon, & alij Hebræi. Animaduertendum tamen est, eo tempore quo hæc dixit Moses, iam fuisse electos Leuitas in sacerdotes. Nam Exod. 28. ait Dominus Mosi: *Applica ad te Aaron cum filijs suis, vt sacerdotio fungantur mihi.* Item iubet Aaroni vestem fieri pontificiam. & cap. 29. eum, filiosque iubet consecrari. Obijcitur ergo opinioni propositæ. Tribus Leuitica, antequam idololatras occideret, iam electa erat ad ministrandum cultui diuino, ergo non fuit causa electionis ea occisio, præsertim cùm electus sit in pontificem Aaron, qui, licèt actu interno peccatum idololatriæ non commisit, actu tamen externo, maximè in vituli fabricatione, peccauit; ab Aarone autem omnes legis sacerdotes trahebant originem. Itaque crediderim Aaronem, & filios eius, electos non esse propter occisionem idololatrarum, sed quia Aaron frater erat Mosis, eiusque socius in educendo populo ex terra Ægypti: ideo videtur Dominus sacerdotium illi contulisse, & filiis. De reliquis Leuitis dubium est, quia illi antequam vituli cultores interficerent, nondum erant electi in ministerium tabernaculi: postea Num. 1. ait Dominus Mosi: *Tribum Leui noli numerare, sed constitues eos super tabernaculum testimonij, & cuncta vasa eius, & quidquid ad ceremonias pertinet.* Probabile igitur videtur ad electionem horum Leuitarum contulisse hunc eorum zelum aduersus idololatras, idque significasse Mosem hoc loco. Addo filios Aaron cum reliquis Leuitis occidisse idololatras; ab ijs autem omnes sacerdotes orti sunt. Verisimile ergo est, propter hoc etiam præclarum factum datum sacerdotium eorum filijs, quemadmodum datum est Phinees, Numer. 25. propter similem zelum, occiso in lupanari Hebræo quodam, & scorto, dixitque Dominus: *Erit tam ipsi, quam semini eius pactum sacerdotij sempiternum, quia zelatus est pro Deo suo.* Crediderim præterea, Aaronem ipsum distinxisse gladium, cæterorumque Leuitarum fuisse ducem, & animum à scelere alienissimum omnibus indicasse, occidendo vituli cultores. Quamobrem peracta pœnitentia, sacerdotio se exhibuit dignum, quo à Deo non est priuatus.

Philo.

An Leuitæ electi fuerint ad ministrandum in tabernaculo, quod occiderint vituli cultores?

Rabbi Salomon.

Exod. 28.

Numer. 1.

CAPVT XVII.

MORALE.

De supplicio sumpto ex cultoribus vituli.

Occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum.

1 *Psal. 57.* PSAL. 57. *Lætabitur iustus, cùm viderit vindictam, manus suas lauabit in sanguine peccatoris.* *Sebast. Barradas Itiner. Israelit.* Congruunt Mosi, & Leuitis verba hæc. Lætati sunt, quia tam nefarij sceleris vindictam viderunt, manusque suas lauarunt in sanguine idololatrarum. Lætati autem sunt, quia de maxima iniuria Dei sumebant supplicium, magno zelo. D. Ambros. epist. 56. Neque verò (inquit) aliquid durum videtur, pro vindicta iniuriæ cælestis, &c. Nullus Leuita rationem fratris, aut amici, aut filij habuit, qua in re docuerunt nos Deum cunctis rebus anteponere, etiam parentibus, fratribus, & filijs, iuxta illud Domini Luc. 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & vxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* D. Ambros. epist. 56. Quòd (inquit) fecit Moses occidi à proximis proximos, filios à parentibus, à fratribus fratres, præceptum est euidens, quia pręferenda est religio necessitudini, pietas propinquitati, &c. Omnia nostra Deus est, caducæ res nihil. Anteponenda sunt ergo omnia nihilo, id est, Deus creaturis. D. Ambros. eadem epist. Nesciunt suis parcere, qui nihil suum norunt, quoniam sanctis omnia Deus est, &c. Hi vituli cultores Deum viderant in monte, igne circundatum, neque tamen ignis memoria, quem maximè timuerant, illos ab idoli cultura retardauit: ideoque, vt dicitur Psal. 57. *Supercecidit ignis, & non viderunt solem.* hoc est, supercecidit ignis iræ diuinæ super eos, & occisi sunt, solisque aspectu priuati. Fuisse autem hunc ignem, & vindictam à Deo immissam, verba illa Mosis indicant: *Hæc dicit Dominus, Deus Israel, ponat vir gladium super femur suum, occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum.* Non enim voluit Dominus tantum scelus prætermittere impunitum. Quod si opponas, nónne Dominus Exod. 32. placatus est Mosis precibus? *Cur igitur iussit tot millia hominum occidi?* Respondetur, placatum esse, ne Israelitas omnino disperderet. Sic enim dixit Mosi: *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eas, faciamque te in gentem magnam.* Ne hoc faceret orauit Moses, *placatusque est Dominus, ne faceret malum quod locutus fuerat aduersus populum suum.*

D. Ambros.

Deus consanguineis anteponendus.

Luca 14.

D. Ambros.

Psal. 57.

Deus Mosem iussit punire vituli cultores.

Consecrastis manus vestras.

2 Non solùm manus suas lauarunt Leuitæ in sanguine peccatorum, sed etiam consecrarunt, quia velut victimas idololatras mactarunt. Psal. 98. *Honor Regis iudicium diligit.* Diligit honor Dei iudicium rectum, quoniam iustissimus iudex est: iudicium autem rectum nocentibus meritas pœnas retribuit, ideo Mosi præcepit, vt vituli cultores morte afficeret, quod ad eius honorem spectabat. Cùm ergo iussu Dei, Leuitę idoli sectatores morte mulctarunt, Honore Deum affecerunt, manusque suas iudicium Dei in sceleratos exercendo consecrarunt. honor Dei est rectum iudicium, honor etiam est Regis, omniumque iudicum. Magnum enim affert honorem iudicibus, in iudicando integritas, & incorrupta mens: contra verò auaritia, corruptusque animus, maximum dedecus parit. *Honor Regis iudicium diligit.* Item: Honor iudicis iudicium diligit, quia iudicium honorem parit, & partum tuetur: iudex nobilis diligit iudicium rectum, atque ita diligit, vt hos imitemur Leuitas, qui dicuntur consecrasse manus in fratribus, & in filiis. Non est personarum acceptor, omnibus est idem, neque fratris, neque

Psal. 98.

Rectum iudicium honor est Dei regis, & iudicis.

filij personam respicit, iuxta illud Deuteron. 1. A
Deut. 1. *Iudex non sit acceptor personarum.* dictum iudicibus: *Nulla erit distantia personarum, ita paruum audietis, vt magnum, neque accipietis cuiusquam personam, quia iudicium Domini est.* Deus summus iudex est, cæteri iudices vicarij Dei sunt. Itaque omnium iudicium Domini est, iudicet ergo iudex magna cum integritate,
Psal. 81. quia iudicium Domini est. Psalm. 81. *Ego dixi, dij estis.* Deos appellat iudices, Dei vicarios: summam ergo Dei iustitiam, summam in iudicando rectitudinem summi Dei imitatores, & vicarij seruent.

Stans in porta castrorum.

B

3 Non est passus Moses idololatriam radices
Principijs malorum obstandum. in populo agere, protinus illam eradicauit adhibito supplicio. Principijs enim obstandum
Psal. 100. est, ne mala per longas conualeant moras. sic Dauid Psalm. 100. *In matutino* (inquit) *interficiebam omnes peccatores terræ, vt disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.* In matutino, hoc est, celeriter, antequam radices peccata agerent, vita priuabam peccatores, vt Dei ciuitatem perpurgarem, exterminatis ab ea sce-
Psal. 57. leribus. Psalm. 57. *Priusquam intelligerent spinæ vestræ rhamnum, sicut viuentes, sic in ira absorbet eos:* hoc est, impij qui spinæ sunt, à Deo punientur, & absorbebuntur, antequam durescant, & C
crescant in rhamnum, qui duras habet spinas.
D. Hieron. D. Hieron. sic vertit: *Antequam crescant spinæ vestræ in rhamnum, quasi viuentes, quasi ira tempestas rapiet eos.* &c. & Chaldæus: *Priusquam impij teneri durescant, sicut spinæ, dum adhuc sunt sicut herba, tempestate, & turbine destruet eos,* &c. Extirpandæ sunt spinæ, id est, peccatores, & peccata, antequam corroborentur, & vires sumant ad malum peragendum, quod fecit Moses ex monte rediens, statim idolum arripuit, & in puluerem redegit, ita vt neque vestigium illius
Hæreses mox extinguendæ. extaret, eiusque cultores neci dedit. Hoc maximè in hæresi seruandum est, vt scintilla statim extinguatur ignis. Si Lutheri illa scintilla, quæ D
ex tartaro in terras insiluit, statim fuisset extincta, non exarsisset tot animarum incendium, si spina illa fuisset protinus eradicata, dum tenera erat, neque creuerat in rhamnum, non fuissent ex ea tot spinæ ortæ, tot hæreses, tot nouatores, veræque, atque antiquæ Apostolorum, & Patrum fidei hostes. At verò, vt cum Poëta antiquissimo Ennio dicam:

Moribus antiquis stat res Romana, virisque.

Stat antiqua fides, stant antiqui mores, ab Apostolis traditi, stat Ecclesia Romana, stat sedes magni Petri, stat pontifex summus, cadent omnes illius hostes.

Ponat vnusquisque gladium super fæmur suum.

E

4 Docet etiam locus hic ex sententia D. Am-
Mortificanda est caro. brosij, carnis, affectuumque prauorum mortifi-
D. Ambros. cationem Propinqua est caro, fratres, & filij nostri sunt affectus, hos propinquos arrepto mortificationis gladio cædere oportet. D. Ambros. epistola citata: Est (inquit) etiam ille Leuita verus, vltor, & vindex, qui carnem interimit, vt seruet spiritum; qualis erat Paulus, qui ait, 1. Corinth. 9. *Castigo corpus meum, & in ser-* 1. Corinth. 9.
uitutem redigo. Quid autem tam proximum, quàm caro animæ? quid tam proximum, quàm sunt passiones corporis? has in se Leuita bonus interemit spiritali gladio; qui est verbum Dei. Sic Ambros. His qui carnem affectusque mortificant, verè illud dici potest: *Consecrastis manus* D. Ambros.
vestras Domino, vt detur vobis benedictio. Consecratur enim animus Domino, cum carnem affectusque prauos mortificat, daturque illi Dei æterna benedictio. Contra verò illis, qui carnem affectusque eius effrenatos spiritui patiuntur dominari, illud Ierem. 48. congruit: *Male-* Ierem. 48.
dictus qui prohibet gladium suum à sanguine. Etenim benedictus est qui gladium suum exerit & omnes cupiditates, & quæ ex eis oriuntur peccata trucidat: maledictus verò qui gladium vagina continet, carnique, & illius affectibus morem gerit. *Mortificate* (ait Paulus ad Colos. 3.) *mem-* Ad Colos. 3.
bra vestra, quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & Ad Rom. 6.
auaritiam. Ad Rom. 6. *Non regnet peccatum in vestro mortali corpore, vt obediatis concupiscentijs eius.* In illis peccatum regnat, qui gladium mortificationis non exerunt: in ijs verò peccatum moritur, qui mortificationis gladio illud transfigunt: caue ne C
seruus peccati fias, huius regis siue tyranni imperium abijce, gladio te defende, & vince pessimam illius tyrannidem.

Ceciderunt in die illa quasi viginti tria millia hominum.

5

Numer. 12. *Erat Moyses vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra.* Vir hic Num. 12.
mitissimus super omnes homines viginti tria hominum millia trucidauit Dei zelo ductus, vt de eius iniuria vindictam sumeret. Non enim inter se pugnant mansuetudo, & iustitia, ac seueritas, sed benè conueniunt, & in eadem D
sede, & pectore morantur. Regem ac prælatum mansuetum esse oportet, ita tamen, vt scelera non patiatur impunitate crescere. D. D. Gregor.
Gregor. lib. 20. moral. cap. 6. Intueri (inquit) *Misericordia cum seueritate sociandæ est.*
libet in pectore Mosis, misericordiam cum seueritate sociatam; videamus amantem piè, & districtè sæuientem. Pensemus quibus visceribus populum amauit, pro cuius vita de libro vitæ deleri se petiit, sed tamen iste, qui tanto populi amore constringitur, contra eius culpas pensemus quanto zelo rectitudinis accendatur. Intus arsit amoris ignibus, foris accensus est zelo seueritatis: tanta fuit pietas, vt se pro illis coram Domino morti offerre non dubitaret; tanta seueritas, vt eos quos diuinitus E
feriri timuerat, ipse iudicij gladio feriret, &c. Item eodem loco: Circa subditos (inquit) inesse rectoribus debet, & iustè consolans misericordia, & piè sæuiens disciplina; sit itaque amor, sed non molliens, sit rigor, sed non exasperans, sit zelus, sed non immoderatè sæuiens, sit pietas, sed non plusquam expediat parcens, &c.

CAPVT

CAPVT XVIII.

De Mosis precatione pro populo.

EXODI CAP. XXXII.

FACto autem altero die, locutus est Moyses ad populum: Peccastis peccatum maximum: ascendam ad Dominum, si quo modo quiuero eum deprecari pro scelere vestro. Reuersusque ad Dominum, ait: Obsecro, peccauit populus iste peccatum maximum, feceruntque sibi deos aureos: aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo quem scripsisti. Cui respondit Dominus: Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo, tu autem vade, & duc populum istum quò locutus sum tibi: angelus meus præcedet te. Ego autem in die vltionis visitabo & hoc peccatum eorum. Percussit ergo Dominus populum pro reatu vituli, quem fecerat Aaron.

2 PLacauit quidem Moses Dominum in mõte, A
Moses ad Deum reuertitur, vt pro populo oret. consecutusque est precibus, ne populum deleret: at non omnino placauit. Erat enim maximum idololatrię scelus. Quamobrem iterum in montem ascendit, vt placet Deum. *Peccastis* (inquit) *peccatum maximum. Ascendam ad Dominum, si quomodo quiuero eum deprecari pro scelere vestro.* O pastorem vigilantem! non dormit, non quiescit, à Deo descendit ad oues. ab ouibus ascendit ad Deum. In primis peccatum populi fatetur: *Peccauit* (ait) *populus iste peccatum maximum, feceruntque sibi deos aureos.* Deinde admirabili raptus charitate sic precatur: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.*

Dele me de libro tuo.

3 Multis modis explicantur hæc verba. Sim-
De quonam libro petiuerit deleri Moses. plicior, & apertior sensus hic videtur: Aut dimitte, aut dele me de libro tuo, in quo famulos tuos tibi magis familiares, & charos scribis; dele me de libro in quo gratia tua, & familiaritate præstantes numeratos habes. Loquitur enim de Deo, quasi de rege summo; qui librum habet, in quo nobilissimos, & maximè familiares famulos scribit. Secundus sensus est Caietani: *Dele me de libro tuo,* id est, de libro principatus, in quo scribis eos, quos in mundo hoc vis cæteris dominari; si non dimittis populo, nolo fieri in gentem magnam, dominari nolo alii po-
D. Hieron. pulo magno, pereunte populo meo. Tertius C
sensus est D. Hieronymi epist. 151. ad Algasiam quæst. 9. qui librum appellari sentit librum viuentium, in quo singuli viuentes scripti sunt: *Dele me de libro tuo,* id est, interfice me, si populo
Num. 11. non vis peccatum dimittere. Hunc in modum Num. 11. ait idem Moses: *Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia grauis mihi est, sin*
Euthymius. *aliter tibi videtur, obsecro, vt interficias me.* Euthymius quoque Psal. 68. Vnus (inquit) est liber, in quo omnes scribuntur, qui vita digni sunt, & quem Dauid Psal. 68. viuentium appellauit,
D. Gregor. prædicens illos non diu post morituros, &c. De hoc libro verba Mosis interpretatur D. Gregor. D
lib. 10. moral. cap. 7. idem opinatur & Gene-
brardus Psal. 68. vbi ait duos esse libros, alterum vitæ temporarię, alterum vitæ æternæ: Mosem verò de libro loqui vitæ temporariæ:
D. Chrysost. *Dele me de libro vitæ,* id est, tolle me de hoc mũdo. Quartus sensus est D. Chrysost. in lib. de compunctione cordis, & lib. 3. de prouidentia. Existimat ille, verba hæc Mosis significare separationem à Christo, & ab æterna gloria. Estque sensus: *Dele me de libro vitæ æternæ,* separa me à vita, & gloria æterna. Ad hanc sententiam accedit D. Bernard. serm. 12. in Cantica, cùm D. Bernard.
hęc scribit: Loquitur Moses, quasi matris affectu, quam nulla possit delectare felicitas, ex ortibus quos parturivit. Verbi gratia, si mulieri pauperculę diues quispiam dicat, ingredere tu ad prãdium meum, sed quem gestas infantulum relinque foris, quoniam plorat, & molestus est nobis. Numquid illa faciet istud, annon magis eliget ieiunare, quàm exposito pignore charo, sola prandere cum diuite? Ita Moses noluit se introduci in gaudium Domini sui, foris remanente populo, cui affectione matris inhæret. Sic
ille. Quintus sensus est D. August. quæst. 147. D. August.
B Exod. Securus (inquit) hoc dixit Moses, vt in consequentibus ratiocinatio concludatur, id est, vt quia Deus Moysen de libro suo non deleret, sed populo peccatũ illũd dimitteret, &c. Est sensus; Aut dimitte populo peccatum, aut me dele de libro tuo; sed de libro tuo me non delebis, ergo populo scelus condona. Sextus
sensus Rabbi Salomonis: Dele mẽ de libro tuo, Rab. Salom.
hoc est, de libro legis, ita vt non dicatur lex Mosis, lex data huic populo, si illi non parcis.
Hunc sensum sequitur Burgensis: Petebat (in- Burgensis.
quit) Moses, quod lex non denominaretur nomine suo, nec etiam quòd gesta sua in eductione populi ex Ægypto, & aliis similibus, in memoriam reducerentur, ex quo populus, propter
quem laborauerat, erat perpetuò condemnan- C
dus, &c. Rabbi Moses Gerundensis vult, hæc verba dicta à Mose, quasi rapto extra se, non deliberatè, præ nimio populi amore. Lyranus ait, dicta secundum desiderium partis animę inferioris; non autem secundùm portionem superiorem. Abulensi placet dicta esse hyperbolicè. Si D. Hieronymi sensum sequamur, deliberatè, & secundùm portionem superiorem dicta sunt. Si sequamur sensum Chrysostomi, per hyperbolem sunt prolata. Hugo Victor. Ex impe- Hugo Vict.
tu (inquit) humanę affectionis, & fiducia magna in Deum, hoc dixit Moses, &c.

His Mosis verbis similia sunt verba illa D. D
Pauli ad Rom. 9. *Optabam anathema esse à Christo* 4 Ad Rom. 9.
pro fratribus meis: hoc est, optabam à Christo, id Quo sensu Paulus optarit esse anathema.
est, iussu Christi, anathema esse, hoc est, occidi, ac disperdi pro fratribus. Ita interpretatur D. D. Hieron.
Hieron. epist. 151. ad Agasiam quæst. 9. Per-
spiciemus (inquit) eundem, & Mosis, & Pauli esse affectum erga creditum sibi gregem. Pastor enim bonus Ioan. 10. ponit animam suam pro ouibus suis: mercenarius autem, cum vide-

rit lupum venientum fugit, & hoc ipsum est dicere: *Optabam anathema esse à Christo, & deleme de libro quem scripsisti.* Qui enim delentur *de libro viuentium,* Psal. 68. *& cum iustis non scribuntur,* anathema fiunt à Domino. Simulque cerne Apostolum quantæ charitatis in Christum sit, vt pro illo cupiat mori, & solus perire, dummodo omne in illum credat hominum genus, perire autem non in perpetuum, sed in præsentiarum. Vult Apostolus perire in carne, vt alij saluentur in spiritu, suum sanguinem fundere, vt multorum animæ conseruentur. Hæc Hieronymus. Significare autem anathema occisionem, idem D. Hieronymus eodem loco docuit, vnde anathema fieri, est occidi, D. Chrysostomus, & alij volunt Pauli sensum hunc esse: optabam separari à Christo, non amore, sed gloria, vt Iudęi salui fierent. Quid est (ait Chrysost. homil. 16. epist. ad Roman.) *optarim anathema esse à Christo?* Perinde est; ac si diceret: vellem ab eo choro separari, atque alienari, qui Christum circundat, non tamen ab ipsius amore separari velim; absit hoc, nam propter ipsius amorem hoc desiderio tantopere ardeo, sed illa Christi fruitione, & gloria priuari sustinuerim, vt gens mea in Christum credens, particeps fieret salutis æternæ, &c. Caietanus putat Paulum loqui de tempore quo Ecclesiam persequebatur propter Iudæos, hoc sensu: Non opto modò postquam Christo adhæsi, sed optabam, cùm Ecclesiam Christi persequebar, anathema esse à Christo, id est, separatus esse à Christo, pro fratribus meis Iudæis. idem sensus habetur in Glossa ordinaria.

Psalm. 68.

D. Chrysost.

Qui peccauerit mihi delebo eum de libro meo.

5 Si de libro vitæ æternæ intelligantur verba Mosis, *dele me de libro tuo,* facilis est sensus horum verborum: te ego ô Moses non delebo de libro vitæ, quia non peccasti mihi. Eos enim solùm ex hoc libro deleo, qui mihi peccant. Dicitur autē deleri de libro vitæ æternę is, qui mortifero peccato se inquinat; quòd si agat pœnitentiam, iterum scribitur. Si de libro vitæ temporariæ exponatur, obiicitur, *quod Deus non deleat de libro suo vitæ temporariæ eos, qui peccant.* Non enim eos statim occidit, qui peccant. Respondetur, non omnes occidere, attamen posse id facere, si velit, quia digni sunt morte. Sensus ergo erit: Ego non deleo de libro vitæ temporariæ innocentes, qui crimen non commiserunt, nocentes verò, si voluero, delebo, tu verò innocens es, populus est nocens.

Deus peccatores delet de libro vitæ.

In die vltionis visitabo & hoc peccatum aliorum.

6 Placatus est Dominus à Mose orante Exod. 32. & populum se non deleturum promisit: attamen non promisit se non puniturum: hoc loco audiuit Mosis orationem, populum non deseruit; angelum suum illi ducem viæ dedit, sed supplicium de peccato sumpsit. *Tu* (inquit) *vade, & duc populum istum, quò locutus sum tibi,* id est, duc illum in terram promissionis. *Angelus meus in columna nubis præcedet te. Ego autem in die vltionis visitabo,* id est, *puniam & hoc peccatum eorum.* Nondum enim meritas pœnas dedit populus. Quis sit *hic dies vltionis,* ambigitur. Lyranus diem iudicii interpretatur, alii tempus captiuitatis Babylonicæ. Sed facilè refelli possunt hæ interpretationes. Respondetur, diem vltionis appellari à Domino diem, in quo, postquā hæc dixit, populum supplicio affecit. Itaque verisimile est, Deum, peste immissa, vel plaga alia, Israëlitas puniuisse, postquam cum Mose in monte est locutus, vt intelligerent illi in Deum maximum peccatum esse commissum, cùm vitulus est fabricatus, & pro Deo adoratus. Puniuerat iam Moses, sed voluit Deus ipse punire, ne putarent illud supplicium esse Mosis, non Dei, hunc sensum indicant verba sequentia: *Percussit ergo Dominus populum pro reatu vituli,* quasi dicat: dixit Dominus: *Ego puniam populum in die vltionis.* Si quæritis quis sit *hic dies vltionis,* scitote percussisse Dominū populum pro peccato idololatriæ. Hunc sensum sequitur Lyranus, Abulensis, & Carthusianus. Hugo Victorinus de cæde à Leuitis facta interpretatur. Percussit (inquit) Deus populum, scilicet supradicta interfectione, quam fecerunt Leuitæ. Vnde etiam apparet, hoc instinctu Dei esse factum, non maleuolentia Mosis, &c. Forsitan dies vltionis dicitur dies ille, quo Dominus tulit sententiam, vt omnes à viginti annis, & supra in deserto vitam amitterent. Num. 14. *Omnes homines* (ait Dominus) *qui viderunt maiestatem meam, & signa quæ feci in Aegypto, & in solitudine, & tentauerunt me iam per decem vices, nec obedierunt voci meæ: non videbunt terram pro quā iurauī patribus eorum.* Item: *In solitudine hac iacebunt cadauera vestra, omnes qui numerati estis à viginti annis & supra, & murmuratis contra me, non intrabitis terram.* Supplicium hoc sumpsit Deus, tum pro murmuratione, de qua mentio fit eo capite, tum pro vituli adoratione.

Quisnam dicatur dies visitationis.

Hugo Vict.

Num. 14.

Ibidem.

Moses in monte Sinai quadraginta diebus permansit ieiunus, Exod. 24. accepitque à Deo duas tabulas quas fregit, postea Exod. 32. iterū ascendit in eundem montem, vt populo remissionem peccati idololatriæ impetraret. *Peccastis* (inquit) *peccatum maximum, ascendam ad Dominum, si quomodo quiuero eum deprecari pro scelere vestro.* Ascendit postea in eundem montem, & accepit à Deo secundas tabulas, Exod. 34. *Fuit ibi cum Domino quadraginta dies, & quadraginta noctes, panem non comedit, & aquam non bibit, & scripsit in tabulis verba fœderis decem.* Duabus ergo quadragesimis ieiunium seruauit Moses. Dubitatur, *an his duabus addenda sit alia, quam in monte peregerit,* cùm post confractas tabulas ascēdit, vt Deum pro peccato populi deprecaretur? Ieiunasse etiam tunc quadraginta diebus, probatur ex cap. 9. Deuteronomii, in quo Moses, postquam scripsit se in monte mansisse quadraginta diebus, & noctibus, & tabulas priores à Deo accepisse, subiicit: *Cum vidissem vos peccasse Domino, & fecisse vitulum, proieci tabulas de manibus meis, confregique eas in conspectu vestro, & procidi ante Dominum sicut prius, quadraginta diebus, & noctibus, panem non comedens, & aquam non bibens propter omnia peccata vestra, quæ gessistis contra Dominum, & eum ad iracundiam prouocastis.* Ecce Moses ait, se post vituli cultum, & confractas tabulas, procidisse ante Deum, & à potu, cibo que abstinuisse quadraginta diebus, vt peccatis populi veniam à Deo consequeretur. Respondetur Hebræos, vt Lyranus ait, existimare Mosem tres peregisse quadragesimas in monte Sinai; primam cùm primas accepit tabulas: secundam cùm ascendit in montem, vt Deum oraret pro peccato idololatriæ commisso: tertiam cùm accepit secundas tabulas. Caietanus

Exod. 32.

Exod. 34.

An Moses ieiunauerit tres quadragesimas?

Opinio Hebræorū & Caietani.

Deuter. 9. Hebræorum sententiam sequitur. Lyranus non reijcit. Et quidem qui bene verba citata Deut. 9. expenderit, probabilem illam iudicabit. Quod enim scriptura tacuit Exod. 32. id expressit Deut. 9. Obijcitur, à primo die, quo Moses primam quadragesimam in monte incepit, vsque ad diem expiationis, quo tres quadragesimas absoluisse fertur, vt infra dicetur, non posse numerari ter dies quadraginta. Sed hoc differamus modò vsque ad illum locum, quo scribitur Moses tabulas secundas ad populum attulisse.

8 Communis opinio est, tantùm quadragesimas duas ieiunasse Mosem, quæ Exod. 32. & 34. extant. Primam cùm primas tabulas accepit, secundam cùm accepit secundas, verba verò Deuter. 9. de secunda quadragesima interpretanda sunt, in qua pro vituli idololatria, & alijs populi peccatis Moses Dominum deprecatus est. *Cum vidissem* (inquit) *vos peccasse Domino, & fecisse vitulum, proieci tabulas de manibus meis, confregique eas in conspectu vestro.* Sequitur: *Et procidi ante Dominum, sicut prius quadraginta diebus, & noctibus.* Non dicit, se ascendisse in montem, & procidisse ante Dominum statim post confractas tabulas. Sed intelligendus est, ascendisse in montem, & procidisse ante Deum aliquot post diebus, cum secundas tabulas accepit, Exod. 32. Oleaster Deut. 9. his duabus prædictis aliam tertiam adiungit quadragesimam, quam egisse ait Mosem, postquam populus ab exploratoribus territus Deum grauissimè offendit. Probatur hæc quadragesima ex cap. 9. Deut. *In incendio quoque* (inquit Moses) *& in tentatione, & in sepulchris concupiscentiæ prouocastis Dominum, & quando misit vos de Cadesbarne dicens: Ascendite, & possidete terram quam dedi vobis, & contempsistis imperium Domini, & non credidistis ei, neque vocem eius audire voluistis, sed semper fuistis rebelles à die qua nosse vos cœpi. Et iacui coram Domino quadraginta diebus, ac noctibus.* Indicant verba hæc, Mosem post peccata Israelitarum, quæ numerat, quadraginta diebus ieiunasse. Hæc autem peccata post duas quadragesimas, de quibus diximus, commissa sunt. Ergo tertia quadragesima cum illis duabus est copulanda. At verò qui hanc tertiam quadragesimam admiserit, quatuor quadragesimas ieiunasse Mosem concedat necesse est. Nam eodem modo ostendunt hæc verba quartam quadragesimam, quo superiora tertiam. Intelligenda ergo sunt de secunda quadragesima dicta per recapitulationem.

Duas tantum quadragesimas ieiunauit Moses. Deut. 9.

Deut. 9. Oleastri alia quadragesima

CAPVT XIX.

MORALE.

De Mosis precatione pro populo.

1 TEr orauit Moses Deum, vt peccatum idololatriæ populo remitteret. Primò, cum in monte primas tabulas accepit, & à Deo audiuit populum fecisse vitulum conflatilem, eumque adorasse: tunc dixit illi Dominus Exod. 32. *Cerno quod populus iste duræ ceruicis sit. Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, & faciam te in gentem magnam.* Secundò orauit, postquam idoli cultores occidit, eodem capite: *Facto altero die locutus est Moses ad populum. peccastis peccatum maximum, ascendam ad Dominum, si quomodo quiuero eum deprecari pro scelere vestro.* In hac secunda oratione protulit Moses verba illa: *Aut dimitte eis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.* Tertiò orauit, Exod. 34. antequam secundas tabulas acciperet. Orasse autem turic pro peccatis populi, & ieiunasse secundam quadragesimam, supra diximus ex cap. 9. Deuteron. Hoc est boni pastoris munus pro ouibus Deum deprecari, easque oratione tueri. Psalm. 105. *Dixit* (Deus) *vt disperderet eos: si non Moyses electus eius stetisset in confractione in conspectu eius, vt auerteret iram eius.* Voluit Deus disperdere populum, at Moses iræ Dei orando occurrit, eumque placauit, stetit in confractione, Hebraicè nomen est פרץ *perets,* id est, *ruptura.* Metaphora est sumpta à strenuo milite, qui confracto, & perrupto muro, in ipsa muri confractione & ruptura fortiter hostibus se obijcit, ne vrbem ingrediantur. Sic Moses precando diuinæ iracundiæ se oppositit, ne Hebræos deleret. *Bonus pastor* (ait Dominus Ioan. 10.) *animam suam dat pro ouibus suis,* estque similis duci, qui in confractione muri hostibus se obijcit, vt populum tueatur; mercenarijs autem, qui lupum, & muri interruptionem vident, & fugiunt, illud dicitur Ezech. 13. *Non ascendistis ex aduerso, neque oppositistis murum pro domo Israel, vt staretis in prælio in die Domini.* & Ezech. 20. *Quæsiui* (inquit) *de eis virum qui interponeret sepem, & staret oppositus contra me pro terra, ne dissiparem eam, & non inueni.* Itaque boni pastoris est, Psal. 105. *pro ouibus stare in confractione in conspectu Dei.* Ezech. 13. *ascendere ex aduerso diuini furoris,* Hebraicè: *Non ascendistis in rupturas.* est enim eo loco nomen *perets.* Item: *opponere murum pro domo Israel, & stare in prælio,* & Ezech. 20. *interponere sepem, & stare oppositum contra diuinam iracundiam pro terra, ne dissipet eam.* Hæc præstitit Moses, vt vidimus. Aaron quoque Numer. 16. cum incendium à Deo immissum esset in populum, thuribulum accepit, *obtulitque thymiama, & stans inter mortuos, ac viuentes pro populo deprecatus est, & plaga cessauit.* Sap. 18. *Properans homo sine querela,* (id est, Aaron) *deprecari pro populis, proferens seruitutis suæ scutum orationem, & per incensum deprecationem allegans, restitit iræ.* Boni pastoris oratio scutum est oues protegens. Ex Græco sic vertitur: *Properans vir sine querela propugnauit, proprij ministerij arma, orationem, & incensi placationem ferens, restitit iræ.* In vita D. Ambrosij sic scribit Paulinus: Cum Ambrosius in lectulo detineretur, Comes Stilico dixisse fertur, quod tanto viro recedente de corpore interitus immineret Italiæ, vnde conuocatis ad se nobilibus viris illius ciuitatis, quos diligi à sancto sacerdote cognouerat; partim interminatus est illis, partim blando sermone persuasit, vt pergerent ad sanctum sacerdotem, suaderentque illi, vt sibi viuendi peteret à Domino commeatum, &c. Existimabat Stilico Ambrosium Pontificem murum esse Italiæ.

Exod. 32.

A

Bonus pastor oues tuetur, & pro eis orat.

Psal. 105.

B

Ioan. 10.

Ezech. 13.

Ezech. 20.

C

Psal. 105.

Ezech. 13.

Bonus pastor est murus ouium.

Ezech. 20.

Sapient. 18.

D

Oratio pastoris est scutum ouium.

Paulinus.

Viri sancti muri sunt Reipubl.

E

Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos.

2 Ieremiæ 7. ait Dominus prophetæ: *Tu noli orare pro populo hoc, neque assumas pro eis laudem, & orationem, & non obsistas mihi, quia non exaudiam te,* &c. *Non obsistas* (inquit) *mihi* tua oratione. Idem est quod ait Mosi: *Dimitte me,* id est, ne obsistas mihi tuis precibus. Quæritur, cur Ieremias, cum audiuit: *Non obsistas mihi,* Dominum non orauit, vt populo parceret, Moses autem cum audiuit: *Dimitte me, vt irascatur furor,* precatus

Ieremi. 7. De oratione Mosis, & Ieremiæ.

tus est Deum, ne deleret? Respondetur, Deum definitè imperasse Ieremiæ, ne oraret pro populo obstinato, quia decreuerat illum Babylonica captiuitate punire. Vnde ait: *Noli orare quia non exaudiam*, indignissimi enim sunt venia, & iam statui de eis meritum sumere supplicium. At Mosi non dixit: *Dimitte me, quia non exaudiam*, decreuerat enim precibus illius placari, ideo Ieremias non orauit, orauit verò Moses, neque dimisit Deum delere populum. Præterea maior erat Mosi causa orandi, quàm Ieremiæ, Deus enim volebat omnino populum abolere, & facere Mosem in aliam gentem magnam, vt dictum est. At Ieremiæ tempore nolebat omnino illum disperdere, sed volebat in exilium Babylonicum per aliquot annos mittere, & postea in patriam reducere. D. Ambrosius aliter putat, nimirum Ieremiam orasse Dominum, & veniam promeruisse. lib. 1. de pœnit. cap. 8. Ieremiæ (inquit) cùm dictum esset à Deo: *Noli orare pro populo isto*: tamen orauit, & veniam promeruit. Lege reliqua.

D. Ambros.

3. Obsistunt iræ Dei sanctorum preces, percutientem retinent manum: *Dimitte me* (ait Dominus Mosi.) Ierem. 17. *Si prophetæ sunt, & est verbum Domini in eis, occurrant Domino exercituum*, id est, resistant iræ eius. Nam verorum prophetarum est, Domino occurrere, & iram illius à populo auertere orando. D. Hieronymus: Quod ait Dominus: *Occurrant mihi, siue Domino exercituum*, illud ostendit, prophetam verum posse Domino precibus resistere, &c. & Ezechiel. 13. sicut murus hosti opponitur, & aduersario occurri solet ex aduerso, contraque venienti: ita Dei sententia sanctorum precibus frangitur, &c. Obiicies illud Iob 9. *Deus cuius iræ nemo resistere potest*. Si nemo resistere potest iræ Dei, quonam modo resistere possunt iusti? Respondetur; iræ Dei volentis punire neminem posse resistere, si ille nolit parcere. Nemo enim vi iram Dei inuiti continere valet. At iusti dicuntur Dei iræ resistere, ipso Deo volente, & precibus annuente. Nemo ergo potest iræ Dei resistere vi, sed possumus resistere precibus. Quemadmodum puer non potest patris furorem obnitendo comprimere; potest tamen flendo, atque orando. D. Gregor. lib. 9. mor. cap. 12. respondet, sanctos resistere Deo, quia Deus in precibus ipsis opitulatur. Iræ (inquit) Dei resisti valet, quando ipse qui irascitur, opitulatur. Et resisti omnino non valet, quando se ad vlciscendum excitat, & ipse precem non aspirat, &c. Item: Omnes (inquit) sancti qui iræ Dei obuiant, ab ipso accipiunt, vt contra impetum percussionis eius opponantur, atque (vt ita dixerim) cum ipso Deo se erigunt contra ipsum, eosque diuina vis sibi opponit secum. Quia in eo quod aduersum sæuientis iram foris obtinent; intus eos gratia irascentis fouet, & famulantes interius leuat, quos quasi aduersantes exterius tolerat. Portat ergo contradictionem deprecantium, quam aspirat, & velut nolenti opponitur quod ab ipso, vt fiat, imperatur. Sic ille. Velut inuitus punit Deus, seruis suis potestatem dedit retinendi furoris sui. *Dimitte* (inquit) *me*, ô Moses, ne furori meo obsistas tuis precibus. Hieronymus Ezech. 13. Cui dicitur: *Dimitte me*, ostenditur, quod tenendi habeat facultatem, &c. Idem epist. 12. ad Gaudentium, quando Deus dicit Mosi; *Dimitte me*, ostendit se teneri posse,

Ierem. 17. Iræ Dei obsistunt sanctorum preces.

D. Hieron.

Iob 9. Dei sententia frangitur sanctorum precibus.

D. Gregor. Iræ Dei nemo potest vi resistere, sed resistitur lacrymis, & precibus, ac pœnitentia.

D. Hieron.

A ne faciat, quod minatus est, Dei enim potentiam serui preces impediebant, &c. D. Gregor. lib. 6 citato: Quid est seruo dicere, *dimitte me*, nisi deprecandi ausum præbere? ac si apertè ei diceretur: pensa, quantum apud me valeas, & cognosce, quia obtinere poteris, quidquid pro populo exoras, &c.

D. Gregor.

Aut si non facis, dele me de libro tuo.

Quæritur, *quorsum Moses petiuerit deleri de libro vitæ*, si Deus eius precibus non annueret? *Aut dimitte* (ait) *eis hanc noxam, aut si non facis*, id est, si populo internecionem allaturus es, *dele me de libro*. Non videntur hæc verba fuisse charitatis. Nam si populus disperderetur à Deo, nihil prodesset populo, Mosem deleri de libro, inutilis ergo populo erat postulatio, nihilque charitatis continebat. Respondetur, maximæ charitatis hæc verba fuisse, his enim ostendit, tantum diligere populum, vt eo internecione deleto, in libro Dei esse nollet. Ostendit præterea, se vehementem dolorem ex eius euersione animo capere, vt Deus illi parceret, ne tanto dolore afficeret Mosem. D. Gregor. lib. 10. moral. cap. 7. Charitas (inquit) delinquente populo, Mosem vsque ad petitionem mortis precibus strauit, &c. D. Bernardus serm. 12. in Cant. Loquitur (inquit) Moses planè parentis affectu quam nulla posset delectare felicitas ex ortibus quos parturiuit. Non sedet Mosi solum se introduci in gaudium domini sui, foris remanente populo, cui licet inquieto, & ingrato, vice, & affectione matris inhæret. Dolet viscera, sed tolerabiliorem sibi iudicat torsionem, quàm euulsionem, &c.

4.

Charitas Mosis erga oues.

D. Gregor.

D. Bernard.

Qui peccauerit mihi, delebo eum de libro meo.

Cur homines ex libro vitæ deleantur ostendit Dominus. Non delentur ij qui Dei gratiam seruant, ideoque Moses non est deletus, delentur autem illi qui mortifero peccato animum commaculant. *Qui peccauerit mihi* (ait Dominus) *delebo eum de libro meo*. O Moses, non delebo, quia non peccasti mihi. Obiicies, liber vitæ dicitur ipsa Dei notitia, qua firmiter retinet se aliquos prædestinasse ad vitam æternam, vt ait D. Thom. 1. part. quæst. 24. art. 1. &, vt ait art. 3. est conscriptio ordinatorum in vitam æternam: atqui nullus ordinatus ad vitam æternam, & prædestinatus potest deleri de libro vitæ, ergo nemo ex libro vitæ deletur. Respondetur, prædestinatos scribi in libro vitæ simpliciter, vt docet D. Thom. art. 3. citato. Quia autem gratia donantur, scripti sunt secundum quid, & secundum præsentem iustitiam. Prædestinati, quod attinet ad prædestinationem, nunquam delentur: quicumque vero peccatum committunt, delentur secundum præsentem iustitiam, quòd si gratiam recuperent, rursus scribuntur. Hugo Cardinalis Apoc. 3. duas paginas ait habere librum vitæ, alteram prædestinationis, alteram præsentis iustitiæ: In libro (inquit) vitæ, duæ sunt paginæ, vna prædestinationis, à qua nullus deletur, qui in ea scriptus est, altera præsentis iustificationis, in qua scripti sunt reprobi, & cùm deficit in eis iustitia, deletur & scriptura, &c. Quæritur, *an prædestinati, qui flagitio se inquinant, ex libro vitæ deleantur*? Respondetur, deleri ex libro vitæ secundum præsentem iustitiam, qua carent, sed non secundum prædestinationem

5.

Quid sit liber vitæ.

Quomodo deleatur homo ex libro vitæ.

Hugo Card.

nem. Itaque scripti sunt simpliciter, sed deleti secundum quid; postea tamen gratiam recuperant, rursusque secundùm præsentem iustitiam, & gratiam scribuntur. Liber hic vitæ Apocal 20. dicitur aperiendus in die iudicii. *Libri* (inquit Ioannes) *aperti sunt, & alius liber apertus est, qui est vitæ*, &c. Nunc clausus est liber vitę, & prædestinationis, quia ignoramus, quinam sint prædestinati: tunc aperietur, quia cognoscemus quinam sint electi, & qui reprobi. Nam vt ait Ioan. eodem cap. *Qui non inuentus est in libro vitæ, missus est in stagnum ignis*, & de ciuitate cælesti sic loquitur, cap. 21. *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium, nisi qui scripti sunt in libro vitæ agni.*

Apoc. 20. In die iudicii aperietur liber vitæ.

Iidem.

Apoc. 21.

A Exiis sunt illi, de quibus Paulus ad Philip. 4. ait: *Cum clemente, & cæteris adiutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ*, &c. Aperientur etiam alii libri, vt ait Ioannes, id est, hominum conscientiæ, quæ nunc latent. Videat vnusquisque quid in libro suæ conscientię scribat, dum tempus suppetit; quæ malè scripsit deleat, aureis characteribus aurea scribat opera. Cauueamus autem maximè, ne per peccatum mortiferum de libro vitæ deleamur. Nemo nos delere potest, nisi ipsi nos deleamus. Homines, aut angeli delere nequeunt: Deus non delet, nisi nos atro sceleris alicuius atramento nomina nostra infano aspergamus ausu.

Ad Philip. 4.

Conscientiæ libri aperiendi sunt in iudicio.

CAPVT XX.

De *poenitentia populi.*

EXODI CAP. XXXIII.

1 LOcutusque est Dominus ad Moysem, dicens: Vade, ascende de loco isto tu, & populus tuus quem eduxisti de Terra Ægypti, in terram, quam iuraui Abraham, Isaac, & Iacob, dicens: Semini tuo dabo eam: & mittam præcursorem tui angelum, vt eliciam Chananeum, & Amorrhæum, & Hethæum, & Pherezæum, & Heuæum, & Iebusæum, & intres in terram fluentem lacte & melle. Non enim ascendam tecum, quia populus duræ ceruicis es, ne fortè disperdam te in via. Audiénsque populus sermonem hunc pessimum, luxit: & nullus ex more indutus est cultu suo. Dixitque Dominus ad Moysem: Loquere filiis Israël: Populus duræ ceruicis es, semel ascendam in medio tui, & delebo te. Iam nunc depone ornatum tuum, vt sciam, quid faciam tibi. Deposuerunt ergo filii Israël ornatum suum à monte Horeb. Moyses quoque tollens tabernaculum, tetendit extra castra procul, vocauitque nomen eius, Tabernaculum fœderis. Et omnis populus, qui habebat aliquam quæstionem, egrediebatur ad Tabernaculum fœderis extra castra. Cumq; egrediebatur Moyses ad tabernaculum, surgebat vniuersa plebs, & stabat vnusquisque in ostio papilionis sui, aspiciebantque tergum Moysi, donec ingrederetur tentorium. Ingresso autem illo tabernaculum fœderis, descendebat columna nubis, & stabat ad ostium, loquebaturque cum Moyse, cernentibus vniuersis quòd columna nubis staret ad ostium Tabernaculis. Stabantque ipsi, & adorabant per fores tabernaculorum suorum. Loquebatur autem Dominus ad Moysen facie ad faciem, sicut solet loqui homo ad amicum suum. Cumque ille reuerteretur in castra, minister eius Iosue filius Nun, puer non recedebat de tabernaculo.

Vade, ascende de loco isto, non ascendam tecum.

2 NOndum omnino placatus Dominus, iubet Mosem cum populo proficisci in terram repromissionis angelo duce, se cum eo iturum negat. Vade; ascende de loco isto in terram patribus promissam. Angelum meum mittam qui in columna nubis populum ducat. Ego autem cum eo non ascendam, quia populus duræ ceruicis est, ne fortè si scelus aliquod grauius in via perpetrauit, disperdam eum. Erat terra repromissionis altior Ægypto, ideo ascendebant, qui ex Ægypto illam petebant. hanc ob causam ait Dominus Mosi: *Vade, ascende de loco isto* in terram promissionis. Item: *Non ascendam tecum*, scilicet in eandem terram. Dubitatur, *quonam sensu dicat Dominus. Non ascendam tecum*, siquidem vbique est, & semper erat in castris Israëlitarum? Respondetur, Dei verba intelligenda esse de peculiari quadam prouidentia, & cura populi, non ascendam cum eo, non geram illius curam, vt egi hactenus, vel loquitur Do-

B minus more humano, quasi dicat, non curabo quid agat, relinquam eum propter tantum scelus, ita me geram, ac si cum ipsis non ascenderem, vel: angelum mittam, qui eos præcedat, & ducat, sed qui non loquatur nomine meo, neque dicat, *ego sum Deus*, &c. Lyranus sic interpretatur, non ascendam tecum per operationem miraculorum, sicut hactenus. Paulus Burgensis exponit de tabernaculo hunc in modum: Non ascendam tecum in tabernaculo, quia populus duræ ceruicis es. Non habitabo tecum in tabernaculo, quod iussi extrui. His verbis sentit Deum reuocasse tabernaculi fabricationem, quod fieri præceperat, & omnia ad tabernaculum attinentia. Eadem est interpretatio Caietani. Fieri autem præcepit Dominus tabernaculum Exod. 25. *Facies* (inquit) *mihi sanctuarium, & habitabo in medio eorum*, &c. Sequentibus captibus quomodo sit faciendũ docet, antequam primas tabulas Mosi daret, quas ille fregit. Fregit Moses tabulas in detestationem sceleris, Deus fregit tabernaculum, id est, noluit illud fabricari, noluit inter filios Israël in eorum castris habitare,

Lyranus.

Paul. Burg.

Exod. 25.

tare, & cum eis aſcendere in terram repromiſſionis. Fauet verſio Chaldæa, quæ ſic habet: Non faciam aſcẽdere maieſtatem meam in medio tui, quia populus durę ceruicis tu es, ne fortè diſperdam te in via, &c. Maieſtatem Dei appellare videtur, quę in tabernaculo oſtendebatur. Probabilis eſt hæc ſententia. Nam Deus dicitur ambulaſſe cum Iſraelitis per deſertum in tabernaculo. 2 Reg. 7. ait Dominus. *Ambulabam in tabernaculo, & in tentorio, per cuncta loca quæ tranſiui cum omnibus filijs Iſrael.* Idem eſt, *ambulabam*, quod *aſcendebam* in terram repromiſſionis. Deus enim poſtea rogatu Moſis voluit aſcendere cum populo, & tabernaculum extrui, vt infra videbimus.

2. Reg. 7.

Audiens populus ſermonem hunc peſſimum luxit.

3 *Populus luxit, & ornatum ſuum depoſuit.*

Paulò inferius ſic ſcriptum eſt: *Dixit Dominus ad Moyſen: loquere filiis Iſrael: populus duræ ceruicis es; ſemel aſcendam in medio tui, & delebo te, iam nunc depone ornatum tuum, vt ſciam quid faciam tibi.* Fecit Moſes quod Deus iuſſerat. Audiens autem populus ſermonem hunc peſſimum, hoc eſt, maximè acerbum, fleuit, & veſtes feſtiuas quas induerat, exuit. Moſes ordinem mutauit, hoc quod poſterius factum eſt, prius ſcripſit. Fleuit itaque populus, egitque pœnitentiam, depoſito ornatu. *Depone ornatum tuum,* (ait Dominus) *vt ſciam quid faciam tibi,* &c. hoc eſt, præbe ſigna pœnitentiæ, vt videam quam ſententiam in te ſim laturus, & an ſim tantum ſcelus dimiſſurus. Dicuntur hęc humano more, Deus enim omnia nouit.

Depone ornatum tuum.

4 *An ornatus, dicantur corona.*

Hunc ornatum diuinat Rabbi Salomõ, quem ſequitur Lyranus, fuiſſe coronas, quas capitibus præcipui ex populo impoſuerant, in die quo lata eſt lex in monte à Deo. Indicabant autem coronę illæ deſponſari populum cum Deo. Nam olim ſponſi in nuptiis coronari ſolebant, vt Iſai. indicat cap. 61. *quaſi ſponſum* (inquit) *decoratum corona, & quaſi ſponſam ornatam monilibus ſuis.* Sponſam quoque coronari ſolitam floribus aliqui dicunt, & D. Agnes in officio Eccleſiaſtico ait, tanquam ſponſam decorauit me corona, &c. Sed an hic mos fuerit tam antiquus, vt eo Iſraelitæ ex AEgypto exeuntes vterentur, valdè dubium eſt. Quòd ſi coronæ illæ ex floribus contextę erant, non potuit tot dies permanere earum viror. Alii volunt ornatum dici tabernaculum parvum quod Moſes à caſtris removit, ſed ſcripturæ verba indicãt alium fuiſſe ornatum, dum ait: *Moyſes quoque tollens tabernaculum, tetendit extra caſtra,* &c. Expendenda eſt particula, *quoque*. Dicendum eſt, & ornatum fuiſſe veſtes cultiores corporum, & ornamenta tabernaculorum, ideo LXX. interpretes vertunt; *Depoſuerunt ornatum ſuum, & veſtem à monte Horeb.* Item: *Deponite veſtes gloriarum veſtrarum, & ornatum,* &c. Obiicitur, populus antequam ornatum deponere iuberetur à Deo, iam exuerat cultiores veſtes. Nam priùs Moſes ait: *Populus luxit, & nullus ex more indutus eſt cultu ſuo,* &c. Poſtea ſubiicit Dei mandatum: *Depone ornatum tuum,* &c. Ergo nõ veſtes quas iam exuerat, ſed alium ornatum iubet Dominus deponere. Reſpondetur Moſem, vt paulo ante diximus, id quod factum eſt poſterius, ſcripſiſſe prius; prius

Iſai 61.

Veſtes cultiores exuerunt Iſraelitæ.

A enim Deus iuſſit ornatum deponere, poſtea luxit populus, & depoſuit ornatum veſtium.

Depoſuerunt filij Iſrael ornatum ſuum à monte Horeb.

5 Quid ſignificent verba hæc, *à monte Horeb.* ambigitur. Caietanus ait, Iſraëlitas montem Horeb, hoc eſt, Sinai ornaſſe, in quem Deus deſcendit ad legem dandam: Deum verò propter commiſſum crimen iuſſiſſe vt ornatum tollerent. Depoſuerunt ergo filii Iſraël ornatum ſuum à monte Horeb, id eſt, à monte Sinai ornatum abſtulerunt. Sed non eſt probabile Iſraelitas montem ornaſſe ad quem accedere, & B quem tangere vetabantur. Exod. 19. *Cauete, ne aſcendatis in montem, nec tangatis fines illius, omnis qui tetigerit montem, morte morietur.* Rectiùs Abulenſis ſic exponit: Depoſuerunt ornatum, id eſt, veſtes pretioſas, quas adduxerunt ex Ægypto, à monte Horeb, quia eo in loco eas exuerunt. Poſtea, quando induerint, ignoratur. Poteſt etiam hic eſſe ſenſus: Depoſuerunt ornatum de monte Horeb, id eſt, quem aſſumpſerant in monte Horeb. Dubitatur, *an his ornatus fuerit aſſumptus ob legem datam à Deo, an potius ob vituli feſtum, & honorem?* Reſpondetur, incertum eſſe, cur fuerit aſſumptus, fortè veſtes fuerunt cultiores, quibus in monte Sinai ſe ornauerunt, vt C Deo cum Moſe obuiam irent. Forſitan iam illas exuerant, iterumque induerunt ob honorem, & feſtum vituli, atque ideo iuſſit Deus, vt ornatum deponerent, quòd execrandus eſſet, & idololatriæ veſtigium. Ex noſtra verſione colligitur ſolitos eſſe ſic ornatos incedere. *Nullus* (inquit) *ex more indutus eſt cultu ſuo.* Hebraicè: *Non poſuit vir ornatum ſuum ſuper ſe.* Quæritur, *cur ornatum depoſuerint?* Reſpondetur, Iſraelitas exuiſſe ornatum propter pœnitentiam. Gloſſ. interlin. Quòd (inquit) nullus ex more indutus eſt cultu ſuo, factum eſt, vt habitu quoque pœnitentiam demonſtrarent. Caietan. Luxit populus, & nullus ex more indutus eſt cultu ſuo, D intus enim, & extra ſtatum pœnitentiæ aſſumſerunt, &c. LXX. vertunt, κατεπένθησαν ἐν πενθικοῖς, id eſt, *luxerunt in lugubribus*, videlicet induti veſtibus lugubribus.

Exod. 19.

Gloſſ. interl. Ornatum depoſuerunt Iſraelitæ propter pœnitentiam.

Caietanus.

Moyſes tollens tabernaculum tetendit extra caſtra procul.

6 *Quodnam fuerit tabernaculum, quod Moſes collocauit extra caſtra.*

Erant Iſraelitarum caſtra idololatriæ ſcelere contaminata, idcirco Moſes tabernaculum procul ab illis collocauit. Quæritur, *quodnam fuerit hoc tabernaculum?* Reſpondetur, non fuiſſe tabernaculum, quod Deus iuſſit extrui, id enim poſtea eſt extructum, vt infra dicetur. Neque etiam fuit tabernaculum, in quo habitabat Moſes. E In hoc enim diſcedente Moſe manebat ſemper Ioſue, vt illud cuſtodiret; in tabernaculo autem Moſis manebant vxor eius, & familia, neque opus erat Ioſue cuſtodia. Erat ergo hoc tabernaculum tentorium quoddam quod fecerat ad adorandum Deum, & conſulendum. Neque verò puto in hoc tabernaculum conueniſſe iudices, & principes populi cum Moſe ad agendum de Republica, ſed totum ſacris rebus fuiſſe dicatum, antequam alterum fabricaretur. Erat in caſtris Iſraelitarum collocatum; nunc procul ab illis fixum eſt, in pœnam ſceleris. Vocatum eſt autem à Moſe tabernaculum fœderis, cur ſit ita appellatum, reddit Lyranus hanc rationem. Quia (inquit) Dominus ibi cum Moſ

Lyranus.

Moſe familiariter loquebatur, & quia ibi decidebantur cauſæ, quæ poterant eſſe cauſæ contentionis, & diſcordiæ in populo, Abulenſis ait, appellatum tabernaculum fœderis, quia in eo poſitæ ſunt ſecundæ tabulæ, quas Moſes à Deo in monte accepit, continentes fœdus Dei cum populo, id eſt, decem mandata. Exiſtimat enim Abulenſis tabernaculum extra caſtra locatum eſſe, poſtquam Moſes ex monte redijt, ſecundaſque tabulas attulit. Sed ſuauis ſcripturæ contextus repugnat huic opinioni. Locatum igitur eſt tabernaculum procul à caſtris, antequam Moſes in montem abiret ad accipiendas ſecundas tabulas; dictumque tabernaculum fœderis, in memoriam fœderis cum Deo à populo initi. Quia verò populus fregerat fœdus, procul à caſtris conſtitutum eſt tabernaculum fœderis.

Omnis populus, qui habebat aliquam quæſtionem.

7 *Tabernaculum domus doctrinæ.*

Qui quæſtiones, & dubia habebant, ad tabernaculum ibant, vt à Moſe docerentur, quid eſſent acturi. Chaldæus ſic vertit: *Vocauit illud Moſes tabernaculum domus doctrinæ, & omnis qui quærebat doctrinam à facie Domini, egrediebatur ad tabernaculum domus doctrinæ* &c.

Cùmque egrederetur Moſes ad tabernaculum, ſurgebat vniuerſa plebs.

8 *Magnum honorem deferebat Moſi populus.*

Moſes proprium habebat tabernaculum, in quo habitabat in caſtris, veluti populi princeps. Sæpe verò vel quotidie egrediebatur ad tabernaculum dicatum Deo, vt illum oraret, ac conſuleret. Cùm verò ex caſtris ad tabernaculum egrederetur, magnum illi honorem populus exhibebat, omnes enim aſſurgebant, & ſtabant in oſtijs ſuorum papilionum, id eſt, ſuorum tabernaculorum, tergum Moſis aſpicientes, donec tabernaculum ingrederetur: poſtquam autem ingrediebatur, columna nubis deſcendebat ad oſtium vſque tabernaculi in cõſpectu omnium, loquebaturque Deus ex ea cum Moſe: populus D verò Dominum adorabat.

Loquebatur autem Dominus ad Moyſen facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum.

9 *Oleaſter. Quid ſit loqui facie ad faciem.*

Oleaſter exiſtimat, *loqui facie ad faciem* ſignificare *loqui familiariter*. Deumque cum Moſe collocutum, ſicut ſi duo amici colloquerentur, quorum alter eſſet in tenebris, alter in luce, vel ambo eſſent in obſcura nocte, aut loco. Caietanus quoque cenſet, Moſem non vidiſſe faciem Dei loquentis. Chaldæus vertit: *Loquebatur Moyſes cum Domino verbum ad verbum,* &c. LXX. interpretes: *Locutus eſt Dominus ad Moyſen præſens præſenti,* &c. Probatur hæc ſententia, quia dicitur Deus locutus cum Iſraelitis facie ad faciem, cùm legem dedit, perſpicuum autem eſt Iſraelitas faciem Dei non vidiſſe. Deuter. 5. ait Moſes: *Facie ad faciem locutus eſt nobis in monte de medio ignis,* &c. Probabilẽ reddit hic locus hanc ſententiam, oſtenditque loqui facie ad faciem cum aliquo ſignificare præſentem adeſſe, & loqui non per internuntium, aut interpretem, ſed per ſe ipſum. Loquebatur igitur cũ Moſe Deus, quia angelus qui nomine Dei loquebatur præſens aderat, & per ſe ipſum loquebatur, quamuis eius facies non videretur. Sic locutus dicitur Deus, id eſt, angelus, nomine Dei, facie ad faciem cum populo de medio ignis, quia præſens in

Chaldæus.

Deut. 5.

A monte aderat, & per ſe ipſum ad populum verba faciebat, à quo non cernebatur. Verùm aduerte Deut. 5. dixiſſe Moſem: *Facie ad faciem locutus eſt nobis Dominus.* ſed non addidiſſe illa verba: *Sicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum*, quæ addita ſunt, cùm dicitur: *Loquebatur Dominus ad Moyſen facie ad faciem, ſicut ſolet loqui homo ad amicum ſuum.* Homo autẽ cum loquitur ad amicum ſuum vultum amici cernit, neque enim ſolent amici in tenebris colloqui. Itaque probabilius videtur Deum, id eſt, angelum Dei tenentem locum dici cum Moſe locutum facie ad faciem, quia Moſes faciem angeli, qui corpus aereum aſſumpſerat, cernebat, ſicut ſolet amicus amici B cum quo ſermonem habet, faciem cernere. Sic vidit Iacob angelum Geneſ. 32. & dixit: *Vidi Deum facie ad faciem,* id eſt, angelum in corpore aſſumpto. Illa verba Deut. 5. *Facie ad faciem locutus eſt nobis in monte de medio ignis.* exponi poſſunt non de populo, ſed de Moyſe ſolo, qui nomine populi leges à Deo accipiebat. Eſtque ſenſus: facie ad faciem locutus eſt nobis Dominus, quia facie ad faciem locutus eſt mihi, qui ſequeſter veſter eram, & mediator. Vnde mox ſequitur: *Ego ſequeſter, & medius fui inter Dominum & vos in tempore illo, vt annunciarem vobis verba eius,* &c. Si obijcias, infrà petit Moſes à Deo: *Oſtende mihi faciem tuam.* Ergo non videbat faciem angeli, C reſpondebimus ſuo loco.

Deut. 5.

Geneſ. 32.

Deut. 5.

Miniſter eius Ioſue filius Nun puer, non recedebat de tabernaculo.

10 *Ioſue, recedente Moſe, cuſtodiebat tabernaculum.*

Cùm Moſes in caſtra reuertebatur in ſuum tentorium, cuſtodiebat tabernaculum Ioſue, non ſolus, ſed comitatus militibus. Cur dicatur *miniſter Moſis,* diximus hoc lib. 4. cap. o. *Puer* autem appellatur, id eſt, *iuuenis*, iam enim dux fuerat prælij contra Amalecitas.

CAPVT XXI.

MORALE.

De pœnitentia populi.

Non aſcendam tecum, quia populus duræ ceruicis es.

1 *Ierem. 2. Dura ceruix frãgit iugum.*

IEREM. 2. *A ſæculo confregiſti iugum meum, rupiſti vincula mea, & dixiſti, non ſeruiam,* &c. Confringit iugum *ceruix dura*, qualis erat Iſraelitarum; flexibilis, & obediens iugum libenter fert. Cum hominibus mollis ceruicis libenter Deus verſatur, cum ijs qui duram ceruicem habent, ambulare non vult. *Non aſcendam* (inquit) *tecum in terram repromiſſionis,* id eſt: Non ambulabo tecum, *quia populus duræ ceruicis es, ne forte diſperdam te in via,* &c. Etenim homines duræ ceruicis Dei E iram prouocant, vt eos diſperdat. Loquitur autẽ Dominus more humano. Quemadmodum ſi homo dicat ſeruo impio: nolo, vt me comiteris, ne fortè videam te aliquod ſcelus perpetrantem, & occidam: ita Deus: Nolo (inquit) tecum aſcendere in terram promiſſionis, ne videam te dura ceruice iugum frangere, & diſperdam te; videt tamen omnia Dominus, omnibus in locis adeſt, cum omnibus graditur. Ignis eſt ira Dei, iuxta illud Pſalm. 88. *Vſquequo exardeſcet ſicut ignis ira tua.* Si ignis materia caret, non inflammatur: ſic ſi Dei ira materiam non habet, id eſt, peccata noſtra, non exardeſcit: quod ſi habeat, aliquãdo protinus exardeſcit, aliquando diſſimulat peccata propter pœnitentiam, perindeque ſe gerit circa

Pſal. 88. Ira Dei eſt ignis aduerſus peccata.

circa ſupplicium,ac ſi ea non videret,iuxta illud Sap.11. *Diſimulas peccata hominum propter pœnitentiam.* Auguſt.in Exod.quæſt.159. Eſſe(inquit) Deum cum duræ ceruicis hominibus, nihil eſt aliud,quam puniendo adeſſe. Vnde cùm eo modo malis non adeſt, parcendo facit,quod pertinet ad illud Pſal.50. *Auerte faciem tuam à peccatis meis*, quia niſi auertit, aduertit. Sicut enim cera fluit à facie ignis, ſic pereunt peccatores à facie Dei. Sic ille. Caueamus igitur,ne iræ Dei peccata,veluti igni materiam præbeamus. Exardeſcet enim, & diſperdet nos. Eccleſiaſtici 28. *Secundum ligna ſyluæ, ſic ignis exardeſcit.* Eundem in modum ſecundùm peccata hominis,ita ira Dei in eum inflammatur. Num.16. exarſit iræ Dei incendium aduersùs Iſraelitas, materiam præbentes, & quatuordecim millia hominum incendit. Caueamus duram ceruicem, quæ Dei iugum frangit,eiuſque iram excitat.

Sap.11. D. Auguſt. Pſal.50. Eccli.28.

Semel aſcendam in medio tui, & delebo te.

2 Comminatio eſt Dei, ſed tamen, vt ait Burgenſis, eſt etiam vaticinium. *Populus duræ ceruicis es,* (ait Dominus) *ſemel aſcendam in medio tui,* videlicet per incarnationem. Incarnatus enim Deus aſcendit in medio populi Iſraelitici, à quo quia duræ ceruicis erat, cruci ſuffixus eſt. Sequitur; *& delebo te.* Deletus enim eſt omnino Iudæorum populus, quia Chriſtum in crucem egit, neque poſt reſurrectionem eum cognoſcere voluit Meſſiam eſſe. Deletus (inquam) à Tito, & Veſpaſiano, ita vt nunquam priſtinum ſtatum recuperauerit, vt alibi diximus tomo I. Concord. Rupertus interpretatur in eandem ſententiam: *Aſcendam in medio tui*; nam in terra videbor, & cum hominibus conuerſabor, & *delebo te* ſubauditur, de libro meo, quem ſcripſi, &c. Sed verbum Hebræum כלה, *calah*, nõ ſignificat *delere* ex libro, ſed *euertere*, & *conſumere*.

Venit Deus per incarnationem in populum Iudæorũ, & propter peccata di ſperdidit eum. Rupertus.

Depone ornatum tuum, vt ſciam, quid faciam tibi.

3 Interna quidem pœnitentia maximè placatur Deus, ſed externa quoque delectatur. *Depone* (inquit) *ornatum tuum, vt ſciam quid faciam tibi.* Rupertus in hunc locum: Niſi (inquit) ambulet peccator demiſſo capite, nondum ſe ſcire faetetur Deus, quid ei faciat. Nullam enim habet materiam ſtruendæ miſericordiæ, niſi ambitio, vel habitus pœnitentiæ præcedat, &c. Ambitio autem pœnitentiæ tunc præcedit, cùm eius præcedit demonſtratio. Sicut honorum eſt ambitio, ita & pœnitentiæ. Honorum ambitio vanos honores ambit, & expetit. Pœnitentiæ ambitio in humili pœnitentis habitu æternas ambit, & quærit dignitates. ô præclaram pœnitentiæ ambitionem! ô præclarum habitum, & ornatum! exuunt homines veſtium ornatum, vt pœnitentiam agant: ſed cùm corporis ornatum exuunt, animi ornatum multo maiorem induunt. 3.Reg.21. *Scidit Achab veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, ieiunauitque & dormiuit in ſacco, & ambulauit demiſſo capite.* Depoſuit Achab regium ornatum, induit pœnitentiæ habitum, multo ornatiorem. Oculos Dei hic habitus in ſe conuertit, eiuſque ſententiam reuocauit, eodem capite: *Factus eſt ſermo Domini ad Eliam dicens: Nonne vidiſti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus eſt mei cauſa, non inducam malum in diebus eius.* Nonne (inquit) vidiſti, ô Elia, Regem Achab induitum humilitatis, & pœnitentiæ ornatu? oculos meos ad ſe traxit ornatus, & ſententiam meam reuocauit. Dixit Dominus Iſraelitico populo: *Depone ornatum tuum, vt ſciam quid faciam tibi.* Depoſuit Achab ornatum ſuum, ſciuit Dominus quid faceret ei, videlicet ſententiam reuocauit, mala quæ per Eliam fuerat comminatus non intulit. Cùm peccator habitum aſſumit pœnitentiæ, ſcit Dominus, quid faciat ei boni, videlicet ſententiam deleat mortis, vitam gratiæ, peccatorumque tribuit remiſſionem.

Rupertus. Pœnitentia eſt interior, & exterior. Pœnitentia ambit cæleſtes dignitates. 3.Reg.21. Abiit. Habitus pœnitentiæ.

Luxit populus.

4 Ad ornatum pœnitentiæ lacrymæ pertinent, ſunt enim veluti fulgentes gemmæ pœnitentis oculos decorantes. Vnde Chryſoſtomus homil. 30. in Gen. Quidnam (inquit) oculis Dauidis formoſius lacrymarum imbre, & quaſi margaritarum decore ornatis? &c. Pſal.55. ait ipſe Dauid cum Deo loquens: *Deus vitam meam annuntiaui tibi, poſuiſti lacrymas meas in conſpectu tuo.* hoc eſt, vitæ meæ labores, & ærumnas tibi expoſui, tu lacrymas meas aſpexiſti. Hebraicè: poſuiſti lacrymas meas in vtre tuo, ſic pœnitentium lacrymas in conſpectu ſuo ponit Deus, illas aſpicit, & in vtre ſuo ponit velut vinum, liquorémve alium ſuauiſſimum. Quemadmodum flores odoratum ſtillant liquorem, ſic pœnitentis oculi ad Deum odoratas ſtillant lacrymas. Iob 16. *Ad Deum ſtillat oculus meus.* Funduntur quidem lacrymæ in terris, ſed ex oculis aſcendunt in cælum. De lacrymis viduæ ait Eccleſiaſticus cap.35. *A maxilla aſcendunt vſque ad cælum, & Domnus non delectabitur in illis.* Viduæ vexatæ lacrymæ aſcendunt ex maxillis illius vſque in cælum: Deus verò non delectatur in illis, quia viduam flere perſecutor cogit. Si lacrymæ ex maxilla viduæ aſcendunt in cælum, multo celerius aſcendunt ex oculis pœnitentis. In lacrymis viduæ afflictæ à perſecutore non delectatur Deus; at delectatur maximè in lacrymis cordis contriti, atque humiliati. Cor enim fons eſt, ex quo ſurſum fluunt aquæ hæ animum irrigantes, ac fœcundantes; cui illud congruit Ioan.4. *Fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* ô beatum fontem, o beatas aquas, quæ in cælum vſque, & vitam æternam ſaliunt! fit fons hic, id eſt, cor contritum iuuante Deo hominem: *Fiet* (inqui.) *in eo fons.* Lucæ 22. *Reſpexit Dominus Petrum, & egreſſus foras fleuit amare,* &c. & Pſalm. 146. *Flabit ſpiritus eius, & fluent aquæ.* Reſpicit Dominus peccatorem miſericordiæ ſuæ oculis, fontem in eo facit, egreditur foras ex peccato, & flet amarè. Flat Spiritus ſanctus & fontem facit, fluuntque lacrymarum ſalutiferæ vndæ, quibus omnia peccata demerguntur. Dominus hanc aquam ſitit, & petit à Samaritana Ioan.4. *Da* (inquit) *mihi bibere,* &c. Ergo quicumque peccata commiſimus, demus Domino ſitienti lacrymas pœnitentiæ, conſcientiã noſtram, veluti lectum, lacrymis lauemus, & irrigemus, vt peccatorum expurgemus ſordes, & fructum, ac nitorem gratiæ conſequamur, iuxta illud Pſal.6. *Laboraui in gemitu meo, lauabo per ſingulas noctes lectum meum, lacrymis meis ſtratum meum rigabo,* &c.

Lacrymæ pœnitentiæ. D. Chryſoſt. Pſal.55. Iob 16. Eccli.35. Ioan.4. Lucæ 22. Pſal.146. Ioan.4. Pſal.6.

Nullus ex more indutus eſt ornatu ſuo.

5 Qui induit ornatum pœnitentiæ, exuit ſe ornatu ſuo, Ionæ 3. de Niniuitarum Rege ſcriptum eſt: *Surrexit de ſolio ſuo, & abiecit veſtimentum ſuum à ſe, & indutus eſt ſacco, & ſedit in cinere,* &c.

Ioan.3.

Ecce

Habitus pœnitentiæ. Ionæ 3.

Ecce Rex potentiſſimus ornatum ſuum à ſe abiecit, ornatum pœnitentiæ aſſumpſit, populus quoque idem fecit. Ionæ 3. *Prædicauerunt ieiunium, & veſtiti ſunt ſaccis, à maiori vſque ad minorem,* &c. Illud verò mirum eſt, quòd ad iumenta vſque pœnitentiæ extendit habitum: *Homines* (inquit) *& iumenta, & boues, & pecora non guſtent quidquam, nec paſcantur, & aquam non bibant, & operiantur ſaccis homines, & iumenta.* Quemadmodum in magna lætitia equi opulentis phaleris exornantur, ſic in magno pœnitentiæ mœrore iuſſit Niniuitarum Rex iumenta pœnitentiæ ornamentis, id eſt, ſaccis exornari, & ieiunium ſeruare. Quia verò externus habitus ſatis non eſt, ſed internus etiam requiritur dolor pro peccatis commiſſis, & morum correctio; iubentur apud Ionam homines pœnitentiæ internum habitum ſimul cum externo induere. *Clament* (inquit) *ad Dominum in fortitudine, & conuertatur vir à via ſua mala, & ab iniquitate, quæ eſt in manibus eorum.* Iucundum fuit Deo hoc ſpectaculum, ſententiamque comminatoriam reuocauit, Ionæ 3. *Vidit Deus opera eorum, quia conuerſi ſunt de via ſua mala, & miſertus eſt ſuper malitiam quam locutus fuerat, vt faceret eis, & non fecit.* Ionæ 3.

Tollens tabernaculum tetendit extra caſtra procul.

6 Abſtulit Moſes tabernaculum extra caſtra Iſraelitarum propter cultum vituli: ſic Deus abſtulit tabernaculum ſuum, & habitationem, & regnum, collocauitque extra populum Iudæorum, iuxta illud Matth.21. *Auferetur à vobis regnum Dei.* Et cap.23. *Relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Ieiem.12. *Reliqui domum meam, dimiſi hæreditatem meam.* Eiectus eſt ex regno Saul, id eſt, populus Iſraeliticus, traditum eſt regnum Dauidi, & filijs eius, id eſt, Chriſto, & populo Chriſtiano. Moſe recedente, Ioſue non recedebat de tabernaculo; receſſit Moſes, hoc eſt, lex vetus, Ieſus verò cuius typus Ioſue fuit, nunquam recedit, ſemper vſque ad iudicium in ſuo erit tabernaculo, id eſt, in Eccleſia. Extra caſtra Iſraelitarũ, id eſt, extra portam Ieruſalem, cruci ſuffixus eſt Chriſtus in monte Caluariæ, ſignificans ſe derelicturum Iſraelitas. Ad Hebr.13. *Ieſus, vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt.* His adiungit: *Exeamus ergo ad eum extra caſtra improperium eius portantes,* &c. hoc eſt, relinquamus populum antiquum, antiquam Ieruſalem, antiquas legis ceremonias, & extra caſtra Iudæorum exeamus ad Chriſtum, improperium eius, id eſt, crucem portantes, venerantes, & complectentes, quæ Iudæis eſt ſcandalum, iuxta illud 1.Corinth.1. *Prædicamus Chriſtum crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum.* nobis autem eſt gloria ſumma.

Moſes tabernaculum extra caſtra Iſraelitarũ poſuit, ſic Deus regnum ſuum extra ſynagogã collocauit. Matth.21. Matth.23. Ierem.12. Ad Heb.13. 1. Corinth.1.

Surgebat vniuerſa plebs, & ſtabat vnuſquiſque in oſtio papilionis ſui.

7 Docet locus hic, populi rectores, & congregationum ſuperiores venerandos eſſe: aſſurgebat populus Moſi, & ſtabat venerationis cauſa: ſic aſſurgendum ſuperioribus, honorque maximus exhibendus, propter Deum, tam Eccleſiaſticis, quàm ſæcularibus, ſunt enim omnes Dei miniſtri. Rom.13. *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit. Non eſt enim poteſtas niſi à Deo.* Ibid. *Dei* (inquit) *miniſter eſt,* videlicet ſuperior. Pſal.81. iudices, & Reipublicæ moderatores dij dicuntur: *Ego* (ait Dominus) *dixi, dij eſtis, & filij excelſi omnes:* venerandi ergo ſunt hi dij, quibus Deus poteſtatem impertiuit ſuam. Exod.22. *Dijs non detrahes, & principi populi tui non maledices.* Quòd ſi ſuperior ignobili familia ſit ortus, nihilominus propter dignitatem, quam habet, magnopere colendus eſt, quod Amaſis, Aegypti Rex, ſuos Aegyptios ſapienter docuit, vt ſcribit Herodotus lib.2. Amaſim Regem (inquit) cùm inter initia regni Aegyptij contemnerent, vt quòd plebeius fuiſſet, neque inſigni familia ortus, eos ille ſolertia ad ſe non aſperitate perduxit: peluim auream, in qua tam ipſe, quàm conuiuæ pedes abluebant, confregit, ex eaque ſimulachrũ fecit, & in appoſitiſsimo vrbis loco collocauit, quod magnopere venerabãtur Aegyptij. Conuocatis deinde illis, aperuit, ex illa pelui, in qua pedes abluere, & euomere conſueuiſſent, factum eſſe ſimulachrum, quod tantopere venerabantur. Itaque dixit, ſe perinde, atque pelum eſſe factum; qui, ſi ante hac fuiſſet plebeius, inpræſentiarum tamen eſſet Rex, eoque iubere, vt ſibi honor haberetur, & reuerentia. Hunc in modum ad ſe traduxit Aegyptios, ita vt æquum cenſerent ei ſeruire. Sic Herodotus. Magno in honore habebat Dauid Saulem Regem quamuis hoſtem 1.Reg.24. *Percuſsit cor ſuum Dauid, eo quod abſcidiſſet oram chlamydis Saul.* Pœnituit Dauidem valde, quòd abſcidiſſet oram veſtis, qua Saul erat indutus, quia Chriſtus Domini erat, & propterea honore dignus, licet hoſtis improbus.

Honor magnus ſuperioribus deferendus. Ad Ro.13. Ibid. Pſal.81. Exod.22. Herodotus. 1.Reg.24.

CAPVT XXII.

Petit Moſes à Deo, vt populum præcedat, & gloriam ſuam ipſi Moſi oſtendat.

EXODI CAP. XXXIII.

1 DIxit autem Moyſes ad Dominum: Præcipis, vt educam populum iſtum: & non indicas mihi quem miſſurus es mecum, præſertim cùm dixeris: Noui te ex nomine, & inueniſti gratiam coram me. Si ergo inueni gratiam in conſpectu tuo, oſtende mihi faciem tuam, vt ſciam te, & inueniam gratiam ante oculos tuos: reſpice populum tuum gentem hanc. Dixitque Dominus: Facies mea præcedet te, & requiem dabo tibi. Et ait Moyſes: Si non tu ipſe præcedas, ne educas nos de loco iſto. In quo enim ſcire poterimus ego & populus tuus inueniſſe nos gratiam in conſpectu tuo, niſi ambulaueris nobiſcum, vt glorificemur ab omnibus populis qui habitant ſuper terram? Dixit autem Dominus ad

Moysen: Et verbum istud, quod locutus es, faciam: inuenisti enim gratiam coram me, & te ipsum noui ex nomine. Qui ait: Ostende mihi gloriam tuam. Respondit: Ego ostendam omne bonum tibi, & vocabo in nomine Domini coram te: & miserebor cui voluero, & clemens ero in quem mihi placuerit. Rursumque ait: Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & viuet. Et iterum: Ecce (inquit) est locus apud me, & stabis supra petram. Cumque transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea, donec transeam: tollamque manum meam, & videbis posteriora mea: faciem autem meam videre non poteris.

Non indicas mihi quem missurus es mecum.

2 DIxerat Dominus Mosi Exod.33. initio capitis: *Vade, ascende de loco isto tu, & populus tuus quem eduxisti de terra Aegypti, & mittam præcursorem tui angelum.* Nunc ait Moses: *Præcipis, vt educam populum istum, & non indicas mihi quem missurus es mecum.* Videtur Moses prima fronte Dei verbis repugnare. Nam Deus dixit: *Mittam præcursorem tui angelum.* Indicauerat ergo illi se missurum esse angelum itineris ducem: ille verò ait: *Non indicas mihi, quem missurus es mecum.* Respondetur, Dominum, cùm dixit, *Mittam præcursorem tui angelum*: loqui de angelo qui præcursor erat populi in columna nubis, & ignis. Cùm verò dixit Moses: *Non indicas mihi quem missurus es mecum*: non loquitur de angelo illo, qui populum præcedebat in columna, sed de peculiari aliquo comite suo. Dixerat enim Deus: *Non ascendam tecum, quia populus duræ ceruicis es.* Aiebat Deus, non ascendam cum populo hoc in terram repromissionis. Deus (inquam) qui cum Mose facie ad faciem loquebatur, qui omnes illi dubiorum nodos explicabat, dixerat: *Non ascendam cum populo*, neque verò ostè derat, quem vice sui esset missurus cum Mose, qui cum eo loqueretur, & dubia enodaret, de hoc loquitur hoc sensu: Domine, præcipis mihi, vt ducam populum in terram repromissionis: hactenus tu mihi aderas, opemque ferebas ad ducè dum populum, nunc dicis te nõ ascensurum nobiscum, & non indicas mihi quem vice tui relinquas, qui mecum colloquatur, & in tantis laboribus, ac dubijs mihi ferat opem. Caietanus, & Oleaster aliter explicant, aiunt Deum indicasse quidem Mosi se missurum angelum suum præcursorem populi, sed non indicasse quisnam angelus ille esset, ideoque dixisse Mosem: *Non indicas mihi quem missurus es mecum*; hoc est, non designas ipsum angelum, non ostendis mihi quis sit, & quantæ potentiæ. Lippomanus de Messia exponit: Non indicas mihi quem missurus es mecum, id est, Messiam, sed Messias non erat mittendus cum Mose: Moses autem ait: *quem missurus es mecum.* Ergo de Messia sensu literali non loquitur. Dici posset loqui de Messia secundùm diuinam naturam, non indicas mihi Verbum tuum quod missurus es mecum.

Exod. 33.

Lippoman.

Noui te ex nomine, & inuenisti gratiam coram me.

3 LXX. interpretes vertunt: *Noui te præ omnibus.* Dicitur autem Deus cognoscere ex nomine Mosem metaphoricè, quia Deo erat familiarissimus. familiarium enim solent nomina scire Reges. Vel dicitur cognoscere ex nomine, quod scriptum habebat in libro vitæ. Inuenire verò gratiam coram Deo, est illi placere, & esse gratum. Ait ergo Moses, cùm tibi sim familiarissimus, & gratissimus, te hoc testante, tamen non indicas mihi quem missurus es mecum.

A *Ostende mihi faciem tuam.*

Hebraicè legitur: *Ostende mihi*, דרכך, *derachecha*, id est, *viam tuam.* Chaldæus vertit: Ostende mihi *viam bonitatis tuæ.* Noster interpres vertit: Ostende mihi *faciem tuam*, quia idem significat, ostende mihi faciem tuam præcedentem me, & populum, ac si dixisset, ostende mihi viam tuam. Nam Moses petebat ostendi sibi faciem Dei, vt ostenderet viam, quod probatur ex responsione Domini; *Facies* (inquit) *mea præcedet te*, quasi diceret: Petis, vt ostendam tibi faciem meam quæ præcedat te, & viam ostendat: facies mea, & præsentia præcedet te, & ostendet viam; adero tibi, & opem feram. Caietan. exponit: Ostende mihi viam tuam, hoc est, intelligo viam, & ordinem gubernationis tuæ, quem merita populi postulant, peto vt ostendas viam tuam, id est, quid decreueris facere apud te. Oleaster: *Ostende mihi viam tuam*, id est, voluntatem tuam, & quomodo te possim placare. LXX. interpretes vertunt: *Ostende te ipsum mihi manifeste, vt videam te*, &c. August. quæst. 151. vertit; Ostende mihi te ipsum, vt scienter, γνῶῶ, videam te, &c. & hac quæstione & 2. de Trinitate, cap. 16. & epist. 112. secutus LXX. interpretes ait, postulasse Mosem à Deo, vt ipsi semetipsum ostenderet, id est, essentiam suam, vt eam cerneret. & D.Gregor. lib.18. moral. cap.37. Si (inquit) Deus erat, cum quo Moses facie ad faciem loquebatur, cur petebat Deum videre, quem videbat? sed ex hac eius petitione colligitur, quia eum sitiebat per incircumscriptę naturæ suæ claritatem cernere, quem iam cœperat per quasdam imagines videre, &c. Ita arbitrantur reliqui patres, qui versionem LXX. interpretum explanant. Apertè enim significat versio, Mosem postulasse visionem diuinæ essentiæ: *Ostende teipsum mihi manifeste vt videam te*, &c. Quid clarius dici potuit? idem etiam apertè significat nostra versio, ostende mihi faciem tuam. Cùm enim Deus facie ad faciem cum Mose loqueretur, non potuit postulare visionem faciei angelicæ, quam videbat oculis corporeis, sed conspectum expetiuit faciei, & essentiæ diuinæ. Cùm ergo LXX. interpretes grauissimos, nostramque versionem, & patres, patronos habeamus, sentiendum reor Mosem postulasse hoc loco diuinæ essentiæ visionem; & probatur, quia ait Moses, *Ostende mihi faciem tuam, vt sciam te*, id est, vt te cognoscam sicuti es. Lectio Hebræa nunc habet, *Ostende mihi viam tuam, vt cognoscam te*: sed ex ostensione viæ non sequebatur cognitio Dei, sequebatur autem ex ostensione essentiæ. Quòd si quis hanc Hebræam lectionem obijciat, respondebimus, LXX. interpretes, & nostrum correctiora habuisse exemplaria. Prima interpretatio suprà posita probabilitatem habet, si altera non haberet patres, & LXX. interpretes sectatores.

4

Moses petit sibi ostendi faciem Dei.

Caietan.

Oleaster.

B

C

D. August.

D. Gregor.

D

Faies

Facies mea præcedet te.

5 Non annuit Mosi Dominus, non ait ostendam tibi faciem meam, sed *facies mea præcedet te, & requiem dabo tibi*: facies quidem mea præcedet te in via hac, sed illam non cernes; præcedam te, sed inuisibiliter, & tandem in fine viæ requiem tibi concedam, hoc est, mortem tranquillissimam.

Si non tu ipse præcedas, ne educas nos de loco isto.

6 Vrget Moses: Domine, dicis te præcessurum me, & populum: sic fiat; si tu dux noster non fueris, iuxta hunc montem manere volumus, neque vltra progredi. hac enim in re scire potero me gratum tibi esse, & populus hic poterit cognoscere, se iam in gratiam tecum redijsse, si tu ipse eum educas, & tuo ducatu gloriosum apud omnes populos efficias, tuendo, & mirabilia operando. Concessit Dominus Mosi, quod petiuit: *Faciam* (inquit) *quod postulas, acceptissimus enim mihi es.*

Ostende mihi gloriam tuam.

7 Rursus Moses petit à Deo, vt essentiæ suæ gloriam ipsi ostendat. *Ostende* (inquit) *mihi gloriam tuam.* Ostendis mihi angelum in corpore assumpto, non ostendis mihi te ipsum; iterum atque iterum oro, vt essentiæ tuæ maiestatem, & gloriam ostendas. Hebraicè nomen est כבד, *cabod*, quod *gloriam* significat. Caietanus interpretatur: Ostende mihi honorem tuum. Non petit (inquit ille) Moses videre Deum sicuti est, sed secundùm quod honoratur, &c. Est alia interpretatio, quæ asserit, Mosem petiuisse hoc loco à Deo, vt demonstraret illi gloriam suam, hoc est, maiestatem corporeæ figuræ, quæ descensurus erat in montem Sinai, vt cum eo loqueretur. At verò sciebat Moses angelum esse illum qui apparebat in corpore assumpto, sciebat corpoream figuram esse ex aere compositam; petebat ergo à Deo iuxta hanc sententiam, vt ostenderet illi gloriam suam in corpore aereo, quod non videtur probabile. Quòd si dicas, Deus gloriam suam ita ostendit, videlicet in corpore aereo, non igitur mirum, si id Moses postulauerit. Respondetur, Deum quia noluit gloriam incorporeæ essentiæ ostendere homini viuenti, iuxta illud: *Non videbit me homo, & viuet*; ideo vt aliquid concederet, in figura corporea ostendisse, eiusque figuræ corporeæ gloria significasse summam gloriam essentiæ incorporeæ.

Petit Moses sibi ostendi gloriam Dei.

Caietanus.

Ego ostendam omne bonum tibi.

8 Ex hoc loco probatur Mosem vidisse quod petebat, scilicet essentiam diuinam: *Ego* (inquit) *ostendam tibi omne bonum.* Omne autem bonum est essentia diuina, ergo visionem eius concessit Deus Mosi. Verùm constat, omne bonum non appellari hoc loco diuinam essentiam, sed corpoream figuram, quam Dominus Mosi ostendit. Nam Deus ostendit omne bonum Mosi in monte Sinai; at verò non ostendit essentiam suam, sed corpus gloria plenum. Aliqui sic verba hæc exponunt: *Ostendam tibi omne bonum*, id est, essentiam, non tamen modò, sed cùm ad inferos descendero. Hugo Victorinus: Ostendam (inquit) omne bonum tibi, hoc erit in futuro; in quo visio Dei æterna est, &c. Glossa interlin. Ego ostendam omne bonum tibi, id est, requiem æternam dabo tibi, in qua est omne bonum in visione Dei, &c. At Deus loquitur de tempore paulò post futuro, non verò de tempore futuro post mortem Mosis, vt indicant Abulensis verba sequentia: *Et vocabo in nomine Domini.* Exod.33. quæst.17. ait, Deum demonstrasse Mosi corpus pulcherrimum, vt oculos corporis eius oblectaret, & essentiam diuinam, vt oblectaret animum. Verumtamen cùm Deus corporis illius pulcherrimi faciem Mosi ostendere noluerit, quomodo credendum est voluisse ostendere essentiam, quod erat multo maius? Aliam adiungit interpretationem idem autor, quæ huiusmodi est: *Ostendam tibi omne bonum.* omne (inquam) bonum quod homines corporaliter potest lætitia afficere. Oleaster ita interpretatur: Ostendam tibi omne bonum, id est, ostendam tibi omnia epitheta bonorum meorum, quæ sunt Exod.35. *Misericors, clemens, patiens, verax*, &c. Eadem est explanatio Caietani. Crediderim horum verborum: *Ostendam omne bonum tibi*; hunc esse sensum: Ostendam tibi maximum bonum; scilicet corpus pulcherrimum, ostendam tibi imaginem quandam maiestatis meæ, & gloriæ. Forsitan ostendit Mosi Deus imaginem quandam corporis Messiæ, quod erat omne bonum, id est, imago omnis boni, id est, Messiæ Dei, & hominis, sed hac de re infrà dicemus.

An essentia diuina appelletur hic omne bonum?

Hugo Vict.

Sebast. Barradas Itiner. Israelit.

A

Gloss. interl.

Abulensis opinio.

Oleaster.

Exod. 34.

Caietan.

B

C

D

Et vocabo in nomine Domini coram te.

9 Cùm Deus in pulcherrimo corpore coram Mose pertransijt, magna voce nomen Iehoua pronunciauit, id ait hoc loco se facturum, & infrà factum videbimus. Ostendam (inquit) tibi omne bonum, id est, corpus venustissimum, & cùm illud tibi ostendero, nomen Iehoua proferam. Hebraismus est *vocare in nomine*, significans *vocare nomen.* Vocabat autem nomen Iehoua, &c. Deus coram Mose, vt ostenderet. Dei esse imaginem illam, quæ videbatur. Vnde LXX. interpretes sic vertunt; καλέσω ἐπὶ τῷ ὀνόματι μοῦ κύριος, ἐναντίον σοῦ, id est, *Vocabo in nomine meo Dominus, coram te.*

Et miserebor, cui voluero.

10 Ne Moses hæc Dei dona suis tribuere posset meritis, adijcit Dominus: *Et miserebor cui voluero, & clemens ero, in quem mihi placuerit.* Ex Hebræo ad verbum sic redditur: *Et miserebor, cuius miserebor: & miserebor, cuius miserebor*; idem repetit. Hebraicè priori loco est verbum, חנן, *chanan*, posteriori est verbum, רחם, *racham*, quæ duo verba significant *misereri.* Sensus est: Moses, non ex tuis meritis gratiam apud me inuenisti, sed ex mea misericordia, nemo enim gratus mihi fit nisi illius ego miserear. Miserebor autem ei cui voluero misereri: miserebor eius cui misericordiam præstare libuerit. LXX. sic vertunt: *Miserebor cui miserebor, & clemens ero cui misertus fuero.* D. Paulus ad Rom.9. *Miserebor cuius misereor, & misericordiam præstabo cuius miserebor*, &c. Prædestinationem nemo meretur, aut primam gratiam, ex misericordia sola Dei sunt, miseretur ijs, quibus vult misereri. Postquam autem gratiam primam homo habet, ex misericordia Dei gratiæ incrementum per bona opera, & æternam gloriam meretur. Dei autem dona sunt merita nostra. Denique tam prædestinatio, quàm eius effectus ex misericordia Dei est,

Ad Rom. 9.

Chrysostomi interpretatio.

est, ne quis glorietur. D. Chrysostomus verba hæc de misericordia exponit, quàm Deus vituli cultoribus exhibuit, cùm enim plurimi peccatum commisissent, multos occidit, aliorum misereri voluit. Vnum (inquit) erat peccatum cunctorum Iudæorum vituli fictitij, & tamen alij quidem puniti sunt, alij autem puniti non sunt, itaque dixit: *Miserebor, cuiuscumque misereor.* Neque enim tuum est Moses scire, qui potissimùm digni sint benignitate, sed mihi hoc concedit. Ita Chrysost. quem sequuntur Theodoretus, & Theophylactus. Potest esse sensus, ait Dominus: Moses, non omnes vituli cultores occidi, miserebor enim cui voluero, quia nemini quidquam debeo.

Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo, & viuet.

11 Communis interpretatio horum verborum est: Non poteris videre essentiam meam, quia homo quamdiu in vita manet, cernere me nequit. D. August in quæst. in Exodum: Respondet (inquit) Dominus ad illud quod ei dictum fuerat: *Ostende mihi gloriam tuam*, vel ad illud: *Ostende mihi temetipsum manifeste, vt videam te.* Non poteris (inquit) videre faciem meam. Non enim videbit me homo & viuet. Ostendens Deum sicuti est apparere non posse huic vitæ quæ agitur in sensibus mortalibus corruptibilis carnis, &c. 2. Corinth. 12. Idem Augustinus sic interpretatur: Non me cernet homo, dum in hac mortali vita manserit, nisi à sensuum operatione rapiatur. At loqui videtur Deus de facie corporis, quod Mosi ostendit, in hunc sensum: Non poteris videre faciem corporis quod tibi ostendam. Non enim videbit illam homo, & viuet; sed oppressus tantæ gloriæ, & fulgoris conspectu efflabit animam. Probatur hic sensus, quia Dominus cùm ostendit corpus fulgentissimum Mosi, posteriora ostendit, faciem occultauit. Cur ita? quia non posset viuere Moses si eam cerneret, quod hoc loco significat.

D. August.

An intelligamur hæc verba de essentia diuina?

12 D. Augustini, & communem interpretationem liber sequi; de essentia sua loquitur Deus, quam nullus homo, dum viuit, potest cernere. Obijcies, essentiæ diuinæ conspectus non affert mortem homini, sed summam lætitiam, ergo non congruunt illi verba: *Non videbit me homo & viuet*, id est, non videbit me homo, quia visio essentiæ meæ morte illum afficiet. Respondetur, visionem diuinæ essentiæ homini in corpore mortali constituto (si concedatur alicui) necem allaturam, non poterit enim mortale corpus tantam capere gloriam, & gaudium. Si gaudium ex rebus caducis perceptum aliquando hominem vita priuat; quid de diuino illo gaudio, & amore sentiendum est? Legendus D. Thom. 1. part. quæst. 12. art. 11. Præterea sensus illorum verborum esse potest: *Non poteris videre faciem meam: non enim videbit me homo & viuet*, quia ego decreui essentiam meam hominibus vitam mortalem agentibus non ostendere, sed vita mortali perfunctis. Adde, posse hunc locum explanari de essentiæ diuinæ conspectu, & de visione corporeæ figuræ, quam Deus Mosi ostendit hoc pacto: Non poteris faciem meam videre, tum incorpoream faciem essentiæ, tum corpoream corporis pulcherrimi quod tibi ostendam. Quia non est capax homo harum visionum, dum viuit. Conceperant antiqui animo hanc opinionem, cum qui Deum vidisset

A moriturum, vnde illud Iacobi Genes. 32. *Vidi Deum facie ad faciem, & salua facta est anima mea*, id est, vidi Deum, & non sum mortuus, sed saluus sum. Manue Iud. 13. *Morte morientur*, (inquit) *quia vidimus Deum.* Sed videbant, & viuebant, quia angelos, non essentiam diuinam cernebant. Iudæi quoque, vt D. Hieron. refert, Isaiam occiderunt quòd Deum se vidisse asseruerit, Isa. 6. Audiamus Hieron. ad Damasum scribentem de verbis Isaiæ; Aiunt (inquit) Iudæi Isaiam idcirco interemptum, quia cum Moses posteriora Dei viderit, Isaias Dominum Sabaoth oculis carnalibus vidisse se scribat; super hoc, Deo dicente: *Nemo faciem meam videbit,*

Genes. 32. Existimabant antiqui visionem Dei mortem afferre.

D. Hieron. Isaias cur occisus à Iudæis.

B *& viuet*, &c.

Est locus apud me, & stabis supra petram.

13 Indicat Dominus Mosi, quemadmodum se illi ostensurus sit in monte Sinai. Est (inquit) locus apud me in monte. Tu verò vt me cernas, stabis super petram, id est, super rupem, quæ in eo loco est. Cùm verò ego transiuero in corpore fulgentissimo, collocabo te in foramine quodam huius rupis, & dextera mea te protegam, id est, foramen manu operiam, ne videas faciem meam, & moriaris. Postquam verò pertransiuero foramen, manum qua illud texeram tollam, & videbis posteriora mea. Faciem autem meam, vt dixi, videre non poteris. Sic factum est, vt narratur Exod. 34. Ascendit Moses in montem Sinai, stetit super rupem, collocauit eum Dominus in foramine quodam rupis, veluti in fenestra, pertransijt corporea illa imago pulcherrima; foramen siue fenestram manu clausit, postquam pertransijt foramen, manum abstulit, viditque Moses solum posteriora eius. Ex his compertum est Mosem non vidisse hic diuinam essentiam, sed tantum à tergo vidisse corpus ex foramine rupis in qua erat. Abulensis putat manum illam dexteram, qua Deus foramen operuit, fuisse nubem, quam apposuit oculis Mosis, ne faciem corporis conspiceret, posteà abstulit, vt posteriora videret. Verisimilius videtur fuisse manum corporis transeuntis, non enim nubes dextera Dei rectè appellatur. *Protegam* (inquit) *te dextera mea.* Item: *Tollam manum meam.*

Quonam modo ostenderit Dominus Mosi gloriam suam.

C Exod. 34.

Abulensis.

D

Quæritur, *an foramen significet aliquam cauernam rupis latam*, intra quam positus Moses posteriora Dei viderit; an significet *aliquod foramen*, siue *paruam scissuram rupis*, per quam Deum conspexerit? Sententia Abulensis est, fuisse petram concauam, in quam Moses ingredi poterat, & latere, ac Deum cernere per locum introitus ipsius cauernæ. Existimarim foramen fuisse aliquam rupis scissuram, vel latam rimam, in qua, id est, iuxta quam, Deus Mosem collocauit in rupe, vt per illam corpus pertransiens intueretur. Probatur, quia corporis fulgentis manus dextera texit ita foramen, vt Moses nihil videret, nisi fortè ipsam manum, manus autem non erat valdè magna, ergo & foramen paruum erat, non autem cauerna lata. Verisimile etiam est, Deum collocasse Mosem in lata aliqua cauerna rupis, quæ haberet foramen aliquod per quod veluti per fenestram Deum posset conspicere. Lege D. August. in Exod. quæst. 154. Caietanus vult, visionem hanc non fuisse corporalem, sed intellectualem, & veluti parabolam quandam Mosi propositam. Similiter D. August. quæst. 154. prophetiam fuisse ait, Hanc (inquit) prophe-

14 De foramine petræ, per quod Mose Deum vidit.

An fuerit visio hæc corporalis? D. August.

prophetiam potius fuisse, satis res ipsa indicat; quandoquidem de petra, vel cauerna eius, & de manus eius superpositione, de visione posteriorum eius, nihil postea visibili opere subsecutum legitur, &c. Dicendum est, hanc visionem corporalem fuisse, similiqué parabolicam, mysteriis plenam, vt infra videbimus, Exod. cap. 34.

A nis Dei, sed cælum longè separatum à terra. Cùm gloriam suam Christus discipulis tribus demonstrauit, *duxit illos in montem excelsum seorsum*; cur non ostendit gloriam suam Dominus discipulis in domo aliqua, vel ciuitate, vel vico, sed seorsum in monte? Nimirum quia Dei gloria non cernitur in terra, sed seorsum à terra in cælesti monte.

Non est terra capax tantæ visionis, in terra videmus posteriora Dei, id est, effectus potentiæ Dei, Deo multo posteriores, per quos Deus cognoscitur, iuxta illud Pauli ad Roman. 1. *Inuisibilia Dei per ea quæ facta sunt intellecta conspiciuntur.* Videmus Deum *stantes in rupe*, id est, Ecclesia, sed videmus *velut per foramen*, & vt ait Apost. 1. Corinth. 13. *Videmus nunc per speculum in ænigmate.* In cælo autem non posteriora solùm Dei, sed etiam faciem conspiciemus. *Tùc* (ait Paulus) *videbimus facie ad faciem*, &c. Item: *Cùm venerit, quod perfectum est, euacuabitur, quod ex parte est*, id est, cùm venerit visio, per quam perfectè Deus videtur, cessabit fides, per quam videtur imperfectè. Similitudine à paruulo sumpta hoc indicat: *Cùm essem paruulus, loquebar vt paruulus, sapiebam vt paruulus, cogitabam vt paruulus; quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli.* Cùm homo paruulus est, imperfectè sapit, cogitat, & loquitur: postquam verò ad virilem peruenit ætatem, imperfectionem hanc exuit, perfectéque sapit, cogitat atque loquitur. Nos in vita hac mortali paruuli sumus, & imperfectè de Deo sapimus, cogitamus, ac loquimur; in vita verò immortali viri erimus perfecti. Veniet, quod perfectum est, perfectéque Deum cognoscemus, de Deo perfectè sapiemus, cogitabimus, & loquemur.

3 In terra videmus posteriora Dei. Ad Rom. 1.

B 1. Corin. 13.

C

Ostende mihi faciem tuam. Item: *ostende mihi gloriam tuam.*

4 Maximè desiderabat Moses Dei faciem, gloriamque cernere, quis non cupiat creatorem suum, Regemque summum videre? 3. Reg. 10. *Vniuersa terra desiderabat vultum Salomonis, vt audiret sapientiam eius; quam dederat Deus in corde eius.* Si Salomonis vultum, & sapientiam vniuersa terra audire desiderabat, quanto maiori desiderio flagrare debet vniuersa terra vultum Dei videndi, & infinitam eius sapientiam audiendi! D. Ambr. Psal. 118. Si quem (inquit) nobilem, si quem fortem, si quê sapientem esse audiũt homines, tanquã supra hominem arbitrantes concupiscunt videre. Procedit Imperator, concurrunt omnes, & in tanta multitudine illum solum aspicere gestiunt, & de fulgore purpuræ plus quiddam esse in vultu Imperatoris existimant. Miraris si Dei vultus desiderabilis est, cùm conformem sui hominem, humanus omnis miratur affectus &c. Eodem loco arbitratur Ambrosius, Mosem præ magno desiderio Deum cernere cupiuisse oculis corporeis. Nouerat (inquit) Moses, quòd inuisibilem Deum facie ad faciem videre non possit, sed deuotio tanta mensuram supergreditur, & putauit Deo etiam hoc esse possibile, vt corporeis oculis faceret comprehendi, id quod est incorporeum, &c. At verò Dei essentiam oculis corporis videri non posse, docent Theologi 1. p. D. Thom. quæst. 12.

3. Reg. 10. Omnes Deum videre cupiunt.

D. Ambros.

D. Ambros.

E

Dei facies maximè desiderabilis est in terra, & in cælo etiam desideratur, iuxta illud 1. Petr. 1. *In quem desiderant angeli prospicere.* In terra desiderium

5 1. Petr. 1.

CAPVT XXIII.

MORALE.

Moses petit sibi ostendi gloriam Dei.

Non videbit me homo, & viuet.

1 Homines iusti post mortem Deum vident.

VT Caietanus ait, ex his verbis probatur, homines videre diuinam essentiam post mortem, non verò quandiu vita mortalis suppetit. Nam si post mortem non viderent homines Deum, satis fuisset dicere: *Non videbit me homo*, id est, nunquam videbit me homo aliquis, cùm igitur addit, *& viuet*, significauit, non posse homines videre Deum in vita hac mortali; visuros autem postquam illa perfuncti fuerint. Non videbit (inquit) me homo in terra, & viuet vitam perituram, videbit autem me in cælo, & viuet vitam sempiternam. Etenim in vita hac mortali pugna est; post pugnam iis, qui legitimè pugnarint, triumphus datur, id est, visio beata. D. Chrys. ad Philip. hom. 12. Infra, (inquit) id est, in terra te certare voluit Deus, supra verò, id est, in cælo te coronabit. non videtis hic, quomodo quos maximè honorãt, siue athletas, siue aurigas, non in stadio infra coronant, sed ad superiora vocatos Rex illic coronat? ita in cælo accipies palmam, &c. August. serm. 64. de temp. Omne (inquit) vitæ nostræ tempus stadium quoddam debemus putare virtutum, & ad cęleste brauium tota virtute cõtendere, &c. *Non coronabitur*, (ait Apost. 2. Timoth 2.) *nisi qui legitime certauerit.* Oportet igitur priùs in vita mortali præcedere certamen, post mortem verò sequetur corona, id est, visio Dei. Cum iis, qui currunt, & certant in stadio nos confert idem Apostolus; hîc currimus in stadio, post mortem traditur brauium, hoc est, constitutum præmium. 1. Corinth. 9. *Nestitis, quòd ij, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium? sic currite, vt comprehendatis.* In stadio mundi multi currunt, sed vnus tantum brauium, & præmium accipit; in stadio virtutum omnes qui legitimè cucurrerint, vel certauerint, coronam accipient.

Caietan.

D. Chrysost. In terra pugna est, in cælo visio Dei.

C

D. August.

2. Tim. 2.

1. Cor. 9. Hic stadium, in cælo præmium.

2 Certandum in terra fortiter, ac vigilanter.

Sic (inquit) *currite, vt comprehendatis præmium, & brauium*; non sitis in cursu virtutum segnes, ac desidiosi, sed veloces, vt præmium consequamini; vt autem velociter curratis, abiicite onera peccatorum, & illa omnia, quæ veloci cursui obstant. Vnde sequitur apud Paulum eodem capite: *Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.* Abiiciunt illi omnia, quæ obsistunt agoni, id est, certamini; sic nos omnia excutiamus, quæ nostræ obsistunt pugnæ, tanto maiori cum diligentia, quanto maior est corona nostra. Illorum corona, & præmium corrumpitur, paucis enim permanet diebus: corona verò nostra nunquam corrumpetur, sed per totam pętmanebit æternitatem. Est enim æterni Dei æterna visio, ac beatifica. Non est terra, in qua vitam traducimus, locus visio-

D

E

Dei faciem desiderant angeli, quia sine fastidio eum vident.

Eccl. 24.

desiderium hominis excitat facies Dei, si per fidem conspiciatur, sed non satiat omnino. In cælo desiderium excitat, & omnino satiat, quia euidenter cernitur à beatis, & absque vllo fastidio, iuxta illud Eccles. 24. *Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient.* Audiamus magnum Gregorium lib. 1. Reg. cap. 10. Moyses (inquit) qui faciem Dei ad videndum postulare dicitur, perfectionem designat electorum, qui iam speculum summæ lucis intuentur; sed tamen ad ipsam lucis veritatem pertingere vehementer cupiunt. ista quidem cognitio lucis, electorum desideria satiare non nouit, sed excitare; illa verò & satiare, & excitare. Nam tam iucunda res est, vt ineffabiliter concupiscatur, & tam plena, vt qui iam semper hanc in magno desiderio viderunt; semper ineffabili plenitudine satientur, &c. Et lib. 18. moral. cap. 39. idem Gregor. Angeli (inquit) vident, & videre desiderant. Ne enim sit in desiderio anxietas, desiderantes satiantur; ne autem sit in satietate fastidium, satiari desiderant, & desiderant sine labore, quia desiderium satietas comitatur; & satiantur sine fastidio, quia ipsa satietas ex desiderio semper accenditur. Sic quoque & nos erimus, & sitientes satiabimur, & satiati sitiemus, &c. In cælo Dei faciem cernemus, interim dum viuimus in terra, magno illius desiderio inflammatus, vnusquisque petat frequenter à Deo cum Mose; *Domine ostende mihi faciem tuam, Domine ostende mihi gloriam tuam*, non in vitâ hac mortali, sed cùm animam exhalauero. Dei faciem desiderat psalmographus vehementer, suumque desiderium his verbis explicat: *Quàm dilecta tabernacula tua, Domine virtutum, concupiscit, & deficit anima mea in atria Domini.* Magna est cupiditas quæ animam facit deficere, & deliquium pati. Addit, *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum*, exultationem enim cordi, ipsique carni affert vultus diuini, & cælestis Ierusalem dulcis memoria, dulceque desiderium. Psalm. 41. *Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus.* Vehemens desiderium est aquæ ceruo sitienti; sic vehemens desiderium Dei homini est, Deum bonorum omnium fontem videre cupienti. *Sitiuit* (inquit) *anima mea ad Deum fontem viuum. Quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* Ecce desiderium quod habet, ecce sitim, Deum sitit, Deũ videre desiderat. Quando (inquit) veniam, quando apparebo ante faciem Dei? quando ostendet mihi Dominus faciem, & gloriam suam? Psalm. 26. *Exquisiuit te facies mea, faciem tuam Domine requiram.* Requirat igitur facies nostra, & cor nostrum in hac vita faciem Dei. *Faciem* (inquit) *tuam Domine, requiram*, hoc vnum sit negotium nostrum, faciem Dei requirere, ita vt illam postquam ex vita hac discesserimus, videamus, & cum illa habitemus, iuxta illud Psalm. 139. *Habitabunt recti cum vultu tuo.* O tutissimam, omnique voluptate plenissimam habitationem! Nihil mali contingere; nihil boni potest deesse illis, qui cum vultu Dei in æternum habitant. Hæc domus est peregrinorum, ad quam in via hac anhelant, quam desiderant, spretis cæteris omnibus vitæ negotiis, iuxta illud Psalm. 26. *Vnam petij à Domino, hanc requiram, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ.* Vnum (inquit) petiui à Domino, vnam hanc rem semper inquiram, videlicet vt ostendat mihi Dominus faciem suam, & gloriam suam æternis diebus vitæ meæ; & vt videam voluptarem Domini. D. Hieronymus vertit: *Vt videam pulchritudinem Domini.* Vident enim beati pulchritudinem Domini, & perfruuntur summa voluptate, ex ea profluente. Hoc vnum, hæc vna res in hac vita petenda est, hæc inquirenda, ad illam omnia opera sunt dirigenda, vt tandem per desertum hoc, ex Ægypto liberati, in terram promissionis perueniamus.

D. Gregor. — *De desiderio videndi faciem Dei.* — *Psalm. 41.* — *Ibidem.* — *Psalm. 26.* — *Hoc sit negotium nostrum faciem Dei requirere.* — *Psal. 139.* — *Psalm. 26.* — *D. Hieron.*

Ego ostendam tibi omne bonum.

6 Psalmo 102. *Qui redimit de interitu vitam tuam, qui coronat te in misericordia, & miserationibus: Qui replet in bonis desiderium tuum: renouabitur vt aquilæ iuuentus tua.* Redimit Deus, & liberat de interitu, morteque sempiterna beatos homines, coronat eos gloriæ corona, mille gemmis exornata, propter magnam misericordiam suam renouatur, vt aquilæ beatorum iuuentus. Exuent enim corporis senectutem, morbos, imbecillitatesque omnes, & instar aquilarum agiles erunt, solemque iustitiæ intuebuntur. Denique replet in bonis desiderium eorum, quoniam ostendit illis omne bonum. Nam is cui omne bonum ostenditur, & traditur, repletum habet bonis desiderium. In vita hac mortali hominum desideria non implentur, non quiescunt, ad finem nunquam perueniunt; in circuitu ambulant huius mundi veluti iumenta molas pistrini agentia, nullumque ambulãdi finem reperiunt, iuxta illud Psalm. 11. *In circuitu impij ambulant.* & illud Psalmi 58. *Conuertentur ad vesperam, & famem patientur, vt canes, & circuibunt ciuitatem.* Sunt in terra multa mala permixta bonis, multæ spinæ permixtæ rosis; non possunt desideria quiescere, nisi videamus omne bonum, in quo nihil est mali. Fecisti nos Domine ad te, (ait Augustinus lib. 1. confess. cap. 1.) & inquietum est cor nostrum donec requiescat in te, &c. Psalm. 72. *Quid enim mihi est in cælo, & à te quid volui super terram?* hoc est, quid mihi est in cælo, quod possit animi mei capacitatem complere? quid est in terra, quod expetam, & desiderem? Nulla res extra te est, quæ mẽti meæ quietem afferre possit, aut saturitatem in cælo, aut in terra, tu solus requies es, & saturitas cordis mei. D. Thomas lib. 3. contra gent. cap. 63. Per diuinam (inquit) visionem consequuntur substantiæ intellectuales veram felicitatem, in qua omnino desiderium quietatur, & in qua est plena sufficientia omnium bonorum, quæ ad felicitatem requiruntur, &c. Psalm. 16. *Satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Non est in terra saturitas, famem patiuntur homines, vt canes, Psal. 58. *In cælo satiabimur, cùm apparuerit omne bonum. Bonum est nos hic esse*, aiebat Petrus in monte, cùm gloriam vidit Domini; bonum quoque est hominem in terra esse, vt cęlestem Dei gloriam fide, charitate, bonisque operibus consequatur, sed bonum est, & multò meliùs est esse in cælo, acto iam triumpho, gloriam Dei contemplantem.

Psalm. 102. — *In cælesti patria completur hominis desiderium & quiescit.* — *Psal. 11.* — *Psalm. 58.* — *D. August.* — *Psal. 72.* — *D. Thom.* — *Psal. 16.*

7 Beatitudo status est omnium bonorum congregatione perfectus, & ab omni malo alienus, hominibus igitur beatitudinem habentibus, omne bonum ostenditur, nullum ad eos pertingit malum. Apoc. 21. *Absterget Deus omnem lachrymam ab oculis eorum, & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra.* Hęc de malo pœnæ, de malo autem culpę: *Non intrabit in eam,* (id est, Ierusalem cęlestem) *aliquod coinquinatum, aut abominationem faciens, & mendacium.* In vita hac non est status boni alicuius, quia omnia breui pertranseunt tempore.

Apoc. 21. — *In hac vita non est status gloriæ.*

Etiam ipsius gloriæ, quam Christus discipulis in monte ostendit, non fuit status, sed transitus, breui temporis spatio transfiguratus apparuit, mox præteriit transfiguratio, & gloria illa. Et hoc loco ait Dominus Mosi: *Ego ostendam tibi omne bonum*; non in statu, sed in transitu. Hebræum verbum est *abar*, quod significat *transire*, verti potest ad verbum: *Ego transire faciam omne bonum super faciem tuam.* Gloriam suam manifestauit discipulis Dominus in monte Thabor, in transitu, transire enim fecit illam; in monte verò Sinai gloriam corporis illius venustissimi, in transitu quoque demõstrauit. Exod. 33. *Cùm transibit* (inquit) *gloria mea, ponam te in foramine petræ.* Nónne vides gloriam, non stantem, sed transeuntem in terra? At in cęlo stabit in æternum ostensa Dei facies, & gloria; stabit omne bonum, non pertransibit in sempiternum. Petrus videns Christi gloriam: *Faciamus* (inquit) *hic tria tabernacula.* Videlicet volebat, gloriam, quam cernebat, esse permanentem: illa verò protinus disparuit. hic est hominum error, res mox perituras sic concupiscunt, & possident, ac si stabiles essent. Vnde Seneca de breuitate vitæ cap. 4. Omnia (inquit) tanquam immortales concupiscitis, &c. Sic concupiscũnt omnia homines, ac si neque ipsi mortales essent, breuique tempore in vita mansuri, neque illa quæ concupiscunt essent transitura. Quem errorem nolunt in terra cognoscere; cùm fuisset cognitio vtilis. Sed in tartaro cognitio nullam vtilitatem affert, sed pœnam. Sap. 5. *Transierunt* (inquiunt) *omnia illa tanquam vmbra, & tanquam nuntius præcurrens, & tanquam nauis quæ pertransit fluctuantem aquam, cuius cùm præterierit non est vestigium inuenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus.* & post hæc, & alia additur: *Talia dixerunt in inferno hi, qui peccauerunt.* Dum viuimus, caducarum rerum transitum magno cum emolumento sæpè voluamus, ne postquam transierint, magno cum cruciatu eum cogitemus in inferno.

Exod. 33. — *Seneca.* — *Homines caduca bona putant esse perpetua.* — *Sapient. 5.* — *Omnia caduca bona breui tempore apparent.* — *Ibidem.*

Miserebor, cui voluero.

8 Nemo sibi quidquam tribuat, sed misericordiæ Dei, ex qua quidquid habemus boni, tanquam è fonte perenni emanat. *Miserebor* (inquit) *cui voluero.* Non præcedunt merita Dei vocationem ad fidem, & charitatem, euangelicamque legem: sed præcedit diuina misericordia, gratiamque suam nobis absque meritis donat, per liberum arbitrium concurrẽtibus. D. Leo serm. 1. de ieiun. decimi mensis. Causa (inquit) reparationis nostrę non est nisi misericordia Dei; quem non diligeremus, nisi prius nos ipse diligeret, & tenebras ignorantię nostræ suæ veritatis luce discureret, &c. D. Bernard. lib. de gratia, & libero arbitrio; Propter hoc (inquit) Dauid ingeminans Psalm. 113. ait: *Non Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*, quòd vtramque à Deo stolam, & iustitiæ scilicet expectaret, & gloriæ, &c. Ieremiæ 31. *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans*, &c. Ambros. epist. 84. Manifestat (inquit) per Ieremiam Dominus, quòd Dei gratiam nemo præueniat merito suo, &c. Ad Titum 2. *Non ex operibus iustitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti quem effudit in nos abunde per Iesum Christum saluatorem nostrum, vt iustificati gratia ipsius, hæredes simus, secundum spem vitæ æternæ.* Osee 13. *Perditio tua Israel: tantummodo ex me auxilium tuum.* Ex nobis perditio oritur; ex Deo per ipsius auxilium oritur gratia, & gloria. D. Bernardus loco citato: Quid habes quod non accepisti? crearis, sanaris, saluaris. Neque te ipsum creare, qui non eras; neque iustificare te peccator; neque mortuus poteras resuscitare, &c. D. Augustin. quæst. 154. in Exod. His (inquit) verbis: *Miserebor, cui misertus ero, & misericordiam præstabo, cui misericordiam præstitero.* prohibuit Deus hominem, velut de propriarum virtutum meritis gloriari, vt qui glorietur, in Domino glorietur. Non enim (ait) miserebor talibus, vel talibus, sed cui misericors fuero, vt neminem præcedentibus bonis operibus suis, misericordiam tantæ vocationis meruisse demonstraret. ita Augustinus.

Bona omnia ex Deo habemus. — *D. Leo.* — *D. Bernard.* — *Psal. 113.* — *Ierem. 31.* — *D. Ambros.* — *Deus nos præuenit auxilio suo.* — *Ad Tit. 2.* — *Osee 13.* — *D. Bernard.* — *D. August.*

9 Nemo quidem misericordiam vocationis ad primam gratiam meretur: post acceptam autem gratiam, cùm sit homo filius gratus Deo, eiusque bona opera per Dei auxilium facta in gratia, sint etiam grata: per illa incrementum meretur gratiæ, & gloriæ. D. Thom. 1. 2. quæst. 114. art. 3. Opus (inquit) meritorium est vitę æternæ ex condigno, secundùm quod procedit ex gratia Spiritus sancti, sic enim valor meriti attenditur secundùm virtutem Spiritus sancti, mouentis nos in vitam æternam, secundùm illud Ioan. 4. *Fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam.* Attenditur etiam pretium operis secundùm dignitatem gratiæ, per quam homo consors factus diuinæ naturæ, adoptatur in filium Dei, cui debetur hæreditas ex ipso iure adoptionis. Rom. 8. *Si filij, & hæredes.* Sic D. Thomas. D. Gregor. lib. 16. moral. cap. 12. Deus (inquit) prius agit in nobis aliquid sine nobis, vt subsequente quoque nostro libero arbitrio, bonum quod iam appetimus, agat nobiscum. Quod tamen per impensam gratiam, in extremo iudicio, ita remunerat in nobis, ac si solis processisset ex nobis, &c. Neque tamen gloriari homo potest nisi in Domino, qui sine meritis contulit primam gratiam, & postea misericordiam, & auxilium suum, gratiæ incrementum, & bona opera facere donat; quamobrem merita hominis dona dicuntur Dei.

Homo post acceptam primam gratiam incrementum meretur gratiæ — *D. Thom.* — *Ioan. 4.* — *Ad Rom. 8.* — *D. Gregor.*

CAPVT XXIV.

MORALE.

Moses petit sibi ostendi gloriam Dei.

Vocabo in nomine Domini coram te.

1 Diuus Augustinus secutus versionem LXX. interpretum, sic legit. *Ego transibo ante te in gloria mea, & vocabo nomine Domini in conspectu tuo, & miserebor, cui misertus ero, & misericordiam præstabo, cui misericordiam præstitero,* &c. Interpretatur hunc in modum de Christo Opt. Max. ille (inquit) loqui intelligitur, & dicere: *Transibo ante te,* de quo ait Ioan. 13. *Cùm venisset hora, vt transiret de hoc mundo ad Patrem*, ipse enim ante omnes sanctos transiuit ad Patrem de hoc seculo, parare eis mansiones regni cęlorum, quas dabit illis in resurrectione mortuorum, quoniam transiturus ante omnes, primogenitus à mortuis factus est. Grariam verò suam valde commendat, cùm dicit: Et *vocabo nomine Domini* in

D. August. interpretatio de Christo. — *Ioan. 13.*

in conspectu tuo, tanquam in conspectu populi Israel, cuius Moses cùm hæc audiret typum gerebat. In conspectu enim Iudaicæ gentis vbique dispersæ vocatur Dominus Christus in omnibus gentibus. *Vocabo* autem dixit, non *vocabor*. Sic fortasse significare voluit, seipsum hoc facere, id est, gratia sua fieri, vt vocetur Dominus in omnibus gentibus. Quod verò addidit: *Et miserebor, cui misertus fuero*; ibi expressiùs ostendit vocationem, qua nos vocauit in suum regnum & gloriam, non pro meritis nostris, sed pro misericordia sua. Hæc Augustinus. Breuiter hic est eius sensus: Ego transibo (ait Dominus) in die festo Paschatis, ex hoc mundo ad Patrem, ad parandũ sanctis mansiones in cælo. Et postquam transiuero, mittam Apostolos meos in omnes gentes ad promulgandum Euangelium, & vocabo per meos Apostolos, & concionatores nomine Iehoua; in conspectu tuo Moses, id est, in conspectu Israelitici populi, cuius tu figuram geris: faciam meis auxiliis, & gratia, per totum orbem vocari me Deum, & diuinis honoribus coli à populis fidem meam complectentibus, quos ego vocauero. Vocatio autẽ hęc ex misericordiæ meæ visceribus emanabit. Nam miserebor cui voluero, & clemens ero, in quem mihi placuerit. Ait verò Augustinus, hanc misericordiæ repetitionem significare firmiratem, aut iudicare misericordiam duplicem in gentes, & in Iudæos. Aut (inquit) Deus misericordiæ suæ firmitatem ista repetitione monstrauit: sicut Amen Amen, sicut fiat, fiat, sicut somnium Pharaonis, aut gentibus, & Hebræis hoc modo prænuntiauit Deus misericordiam se esse facturum, &c.

Transitus Christi ex terra in cælum, & Euangelii prædicatio.

D. August.

Vocatio Dei ex misericordia est.

Videbis posteriora mea.

2 Tertullianus lib. 4. aduersus Marcionem, cap. 22. putat, Mosem desiderasse videre Messiam, cùm ait: *Ostende mihi te ipsum*. Cùm (inquit) desiderasset Moyses conspectum Domini dicens: *Si inueni gratiam coram te, manifesta te mihi*; eum conspectum desiderauit, in quo hominem esset acturus, &c. Item: *Tunc videbis posteriora mea*, non lumbos, aut suras, sed quam gloriam desiderauerat, in posterioribus temporibus reuelandam, &c. Hoc impletum ait in monte Thabor, cùm Moses transfiguratum Christum vidit. Lib. aduersus Praxeam, cap. 14. Moysi (inquit) seruat Dominus conspectum suum, & colloquium facie ad faciem, in futurum. Nam hoc postea impletum est in montis secessu, sicut legimus in Euangelio visum cum Christo Mosem loquentem, &c. & D. Irenæus lib. 4. cap. 37. Moyses (inquit) cupiuit videre manifestè Verbum, quod secum loquebatur, & dictum est ei: *Sta in loco alto petræ, & manum meam contegam super te, quando verò transierit claritas mea, tunc videbis quæ sunt posteriora mea, facies autem mea non videbitur tibi, non enim videt homo faciem meam, & viuet*. Vtraque significans, quoniam & impossibile est homini videre Deum, & quoniam per sapientiam Dei in nouissimis temporibus videbit Deum homo in altitudine petræ, hoc est, in eo, qui est secundùm hominem eius aduentus. & propter hoc facie ad faciem confabulatus est cum eo, in altitudine montis, assistente etiam Elia, quemadmodum Euangelium retulit, restituens in fine pristinam repromissionem. hæc ille. Origenes homil. 12. in Exod. Moyses (inquit) cum Christo apparuit in gloria, & ibi comple-

Tertullian.

D. Irenæus.

Moses vidit posteriora Dei, id est, Christi humanitatem in monte Thabor.

Origenes.

A tur ei illa promissio, quam accepit in monte Sinai, cùm dictum est ei: *Videbis posteriora mea*, vidit enim quæ in posterioribus & nouissimis diebus facta sunt, &c. D. August. lib. 2. Trinit. cap. 17. *Posteriora Dei*, carnem Christi significare scribit, quod eam Verbum prope finem sæculi, id est, posterius acceperit, & Psalm. 120. ait posteriora Christi esse id, quod pro nobis posterius factus est. Facies (inquit) eius est, *in principio erat Verbum*. Posteriora eius sunt, *& Verbum caro factum est*, &c. Idem sentit D. Gregor. Iob 42. Damascenus in orat. de transfiguratione: Hodie (inquit) Moses humanitatis Christi cognitione illustratur, quam typicè olim edoctus fuerat. hoc enim per Dei posteriora significari dixerim, &c. Eodem loco ait Christum, qui petra est, in petra, id est, seipso, foramen aperuisse, per quod Moses eius videret gloriam. Iam (inquit) deitatis gloriam Moses perspicit, sub foramine, coopertus petræ, quæ Christus est, qui carnis suæ tanquam exiguam rimam strictim aperuit, immensoque lumine astantium oculos perstrinxit, &c.

D. August.

D. Damasc.

B

Ecce est locus apud me.

Locus hic qui apud Deum est, quem ille maximè tuetur, & veluti templum suum ornatissimum esse vult, Ecclesia est. Ita Augustinus interpretatur quæst. 154. in Exod. Ecclesiam (inquit) significat Dominus, dicendo: *Ecce locus penes me est*, tanquam templum suum commendans, &c. In hac petra stant Christiani positi in foramine petrę. Est autem foramen petræ fides, per quam veluti foramen Dei cernimus non faciem, sed posteriora. Per fidem enim non videmus Deum euidenter sicuti est, sed videmus eum ænigmatica quadam cognitione, veluti per posteriora. Theodoretus: Petrę foramen quid aliud, quàm fidei oculum intelligere debemus, quo ea conspicimus, quæ oculis corporeis nulla ratione contemplari possunt; &c. D. Gregor. lib. 35. moral. cap. 6. Locus (inquit) qui apud Deum est, Ecclesia est, de qua veritas conspicitur; quia ex sola Catholica Ecclesia veritas conspicitur, apud se esse locum Dominus perhibet, de quo videatur. In petra Moses ponitur, vt Dei speciem contempletur; quia nisi quis fidei soliditatem tenuerit, diuinam præsentiam non cognoscit, &c.

3 D. August. *In Ecclesia Christi Deus videtur per fidem veluti foramen petræ.*

Theodoret.

D. Gregor.

Significat etiam Moses populum Iudæorum. Non vidit Moses faciem Dei, sed posteriora; sic populus Iudæorum non vidit faciem Christi ante passionem, & ascensionem; vidit autem posteriora, quia post tempus ascensionis, & post aduẽtum Spiritus sancti in Christum multi ex Iudęis crediderunt. D. Gregor. lib. 26. moral. cap. 14. Per locum (inquit) Ecclesia, per petram Dominus, per Moysen verò multitudo Israeliticę plebis figuratur, quę Domino in terra prædicanti non credidit, ipsa ergo in petra stetit, terga Domini transeuntis aspiciens; quia videlicet post passionem, ascensionemque Dominicam, intra sanctam Ecclesiam deducta, fidem Christi perspicere meruit; & cuius præsentiam non vidit, eius posteriora cognouit, &c. Plerique præterea Iudæi Christi Dei faciem in primo aduentu transeuntis non viderunt; quia illum non cognouerunt Deum esse, & messiam. Sed videbunt posteriora in fine mundi, cùm Antichristus venerit.

4

D. Gregor.

D. Gregor. Nazianz. Orat. 2. de Theologia, poste-

5

D. Greg. Na. Posteriora Dei sunt effectus Dei.

posteriora Dei existimat significare effectus Dei, vt supra diximus: *Dei* (inquit) *posteriora* nihil aliud sunt, quàm ea post Deum signa, & argumenta, quæ eum nobis indicant, quemadmodũ vmbræ ille solis, & imagines, quę in aquis cernuntur, infirmis oculis solem repræsentant, quandoquidem eum intentis oculis cernere non possumus, &c. Theodoretus: Per posteriora (ait) Dei, intelligendæ sunt diuinę dispensationes, atque operationes, &c.

A

Theodor.

Non videbit me homo, & viuet.

6 Moraliter hæc verba exponit D. Gregorius de mortificatione carnis, lib. 18. mor. cap. 37. Quisquis (inquit) sapientiam, quæ Deus est, videt, huic vitæ funditus moritur, ne iam eius amore teneatur. Nullus quippe eam vidit, qui adhuc carnaliter viuit; quia nemo potest Deum simul amplecti, & sæculum. Qui enim Deum videt, eo ipso moritur, quòd vel intentione cordis, vel affectu operis ab huius vitæ delectationibus tota mente separatur. Vnde ad Moysen dicitur, *non videbit me homo, & viuet*, ac si apertè diceretur: nullus vnquam Deum spiritualiter videt, & mundo carnaliter viuit, &c. Hoc confirmat illis verbis Pauli ad Galat. 6. *Mihi mundus crucifixus est*, id est, mortuus mihi est mundus, vt mortuus me non videt, non curat; *& ego mundo mortuus sum*, & crucifixus, id est, ego instar mortui, mundum eiusque vanitatem non video, non appeto. D. Gregorii hæc sunt verba: Vt ostenderet Apostolus, quia per abiectionem qua se humiliando deiecerat, talis iam factus esset, vt neque ipse mundum, neque mundus ipsum concupisceret, non solùm ait se mundo crucifixum, vt ipse mundi gloriam quam appereret, tanquam mortuus non videret, sed etiam asseruit mundum sibi esse crucifixum, in quo tanta se humilitate deiecerat, vt mundus tanquam ad eum mortuus, Paulum humilem, & despectum iam videre nequaquam posset. hæc Gregor. Hominis se mortificaris, hoc est, mundum sibi crucifigens nihil ex eo tanquam ex mortuo cõcupiscit. Præterea crucifigit se ipsum mundo, ita vt nihil mundus ab eo expetat, veluti ab homine mortuo. O fælicem mortem, quæ veram parit vitam! *Non videbit Deum homo, & viuet*, sed morietur, quia hac fælici morte moritur, videns Deum per contemplationem. Oratio enim, meditatio, & Dei, diuinarumque rerum contemplatio, hominem mundum mortuum, Deo verò viuum efficit.

D. Gregor.

De mortificatione carnis.

Ad Gal. 6.

B

CAPVT XXV.

Apparet in monte Deus Mosi in corpore fulgenti, & tabulas secundas tradit.

DEVTERONOMII CAP. X.

1 IN tempore illo dixit Dominus ad me: Dola tibi duas tabulas lapideas sicut priores fuerunt, & ascende ad me in montem: faciésque arcam ligneam, & scribam in tabulis verba, quæ fuerunt in his, quas antè confregisti, ponésque eas in arca. Feci igitur arcam de lignis setim, cúmque dolassem duas tabulas lapideas instar priorum, ascendi in montem habens eas in manibus. Scripsítque in tabulis iuxta id, quod priùs scripserat, verba decem, quæ locutus est Dominus ad vos in monte de medio ignis, quando populus congregatus est, & dedit eas mihi. Reuersúsque de monte descendi, & posui tabulas in arcam, quam feceram, quæ hucusque ibi sunt, sicut mihi præcepit Dominus.

EXODI CAP. XXXIV.

2 AC deinceps: Præcide, ait, tibi duas tabulas lapideas instar priorum, & scribam super eas verba, quæ habuerunt tabulæ quas fregisti. Esto paratus manè, vt ascendas statim in montem Sinai, stabísque mecum super verticem montis. Nullus ascendat tecum, nec videatur quispiam per totum montem: boues quoque & oues non pascantur econtrà. Excidit ergo duas tabulas lapideas, quales anteà fuerant: & de nocte consurgens ascendit in montem Sinai, sicut præceperat ei Dominus, portans secum tabulas. Cúmque descendisset Dominus per nubem, stetit Moyses cum eo, inuocans nomen Domini. Quo transeunte coram eo, ait: Dominator Domine Deus, misericors & clemens, patiens & multæ miserationis, ac verax, qui custodis misericordiam in millia: qui auferis iniquitatem, & scelera, atque peccata, nullúsque apud te per se innocens est. Qui reddis iniquitatem patrum filiis ac nepotibus in tertiam & quartam progeniem. Festinúsque Moyses curuatus est pronus in terram, & adorans ait: Si inueni gratiam in conspectu tuo Domine, obsecro vt gradiaris nobiscum, (populus enim duræ ceruicis est) & auferas iniquitates nostras atq; peccata, nósque possideas. Respondit Dominus: Ego inibo pactum videntibus cunctis, signa faciam quæ nunquam visa sunt super terram, nec in vllis gentibus, vt cernat populus iste, in cuius es medio, opus Domini terribile quod facturus sum. Obserua cuncta quæ hodie mando tibi.

Dixitque Dominus ad Moysen: Scribe tibi verba hæc, quibus & tecum, & cum Israël pepigi fœdus. Fuit ergo ibi cum Domino quadraginta dies, & quadraginta

ginta noctes: panem non comedit, & aquam non bibit; & scripsit in tabulis verba fœderis decem. Cúmque descenderet Moyses de monte Sinai, tenebat duas tabulas testimonii; & ignorabat quòd cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini. Videntes autem Aaron & filii Israël cornutam Moysi faciem, timuerunt propè accedere. Vocatíque ab eo, reuersi sunt tam Aaron quàm principes synagogæ. Et postquam locutus est ad eos, venerunt ad eum etiam omnes filii Israel: quibus præcepit cuncta quæ audierat à Domino in monte Sinai. Impletísque sermonibus, posuit velamen super faciem suam. Quod ingressus ad Dominum, & loquens cum eo, auferebat donec exiret; & tunc loquebatur ad filios Israël omnia quæ sibi fuerant imperata. Qui videbant faciem egredientis Moysi esse cornutam, sed operiebat ille rursus faciem suam, si quando loquebatur ad eos.

Præcide tibi duas tabulas lapideas.

4 Post illa, quæ præcesserunt, iussit Dominus Mosi, vt duas tabulas lapideas præcideret, & in montem Sinai ascéderet. Exod. 34. *Præcide* (inquit) *duas tabulas lapideas instar priorum, & scribam super eas verba quæ habuerunt tabulæ quas fregisti; esto paratus manè, vt ascendas statim in montem Sinai, nullus ascendat tecum.* Iubet etiam ne videatur quispiam per totum montem Sinai, boues quoque, & oues non pascantur è regione eius. Causa reuerentiæ illius loci, in quo Deus cum Mose loquebatur legemque illi dabat. Iussis obtemperauit Moses: tabulas duas excidit, præparauitque ad scribenda decem Dei mandata, & de nocte consurgens summo diliculo in montem ascendit.

Exod. 34.

Cúmque descendisset Dominus per nubem.

5 Ascendit Moses ad Deum in montem; Deus verò descendit ad Mosem. Vt enim homo cum Deo versetur, oportet ascendere, Dei verò maiestatem descendere ad vermiculum. Descendit Deus per nubem, videmus enim per speculum in ænigmate. Stetit verò Moses coram eo, inuocans nomen Iehoua, magna voce clamabat: *Dominator Domine, Deus misericors & clemens, patiens, & multæ miserationis, ac verax, qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem, & scelera, atque peccata, nullusque apud te per se innocens est. Qui reddis iniquitatem patrum filijs, ac nepotibus, in tertiam & quartam progeniem.* Hæc Dei epitheta protulit Moses transeunte Domino, Exod. 34. quo, id est, Deo transeunte coram eo, id est, Mose, ait: *Dominator Domine Deus,* &c. Implet Dominus, quod promiserat Exod. 33. illis verbis: *Cùm transibit gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dextera mea, donec transeam.* Transiuit ergo angelus in nomine Dei, coram Mose posito in foramine rupis, transiuit (inquam) in corpore maiestate pleno, & fulgore, vt supra diximus; manu sua foramen clausit; ea sublata vidit Moses per foramen terga corporis, non faciem; qua re significabatur, non posse hominem in vita mortali Deum cernere, sicuti est, sed videre posteriora posse, id est, Dei effectus, opera, Incarnationem, Passionem, &c. Significabatur etiam corporis humani gloria, & splendor post resurrectionem: tunc verò cùm Dominus pertransiuit in corpore illo, inclamauit Moses hæc vndecim nomina Dei.

Epitheta Dei recitantur magna voce.

Exod. 4. Exod. 33.

Apparuit Deus Mosi in corpore fulgentissimo.

Dominator Domine Deus.

6 Hebraicè יהוה יהוה אל, *Iehouah, Iehouah, el,* hoc est, *Deus, Deus, Deus.* Hæc enim nomina *Deum* significant. De Iehoua lib. 1. diximus. *El* significat *fortem.* Innuitur hoc loco sanctissima Trinitas, quidquid velit Abulensis,

A qui videtur Hebræum codicem non consuluisse. Tertium nomen est, רחום, *rachum,* id est, *misericors.* Quartum, חנום, *chanum,* significans *clemens.* Quintum, ארך אפים *erec apaim,* id est, *longus naribus,* vel, *longus furore,* qui furorem, & iram differs, id est, patiens, longanimis. Sextum, *multæ miserationis.* Septimum, *verax,* ואמת רב חסד, *rab chesed ve.emet,* id est, *magnus misericordia & veritate.* Octauum, *qui custodis misericordiam in millia.* Nonum, *qui aufers iniquitatem, & scelera, atque peccata.* Decimum, *nullusque apud te per se innocens est.* ונקה לא ינקה *venace lo ienace,* verbum *naca* significat *mundare.* Eadem hæc verba Hebræa cap. 1. Nahum prophetæ sic

Dei epitheta in monte Sinai prolata.

B vertit noster interpres: *Mundans non faciet innocentem,* hoc est, Deus non ostendet vos esse à peccatis mundos, & innocentes, mundans vos, hoc est, non puniens vos, sed puniet. Nam cùm non punitur peccator, videtur innocens esse. Eadem verba Hebræa extant Num. 14. vbi interpres sic vertit: *Nullum innoxium derelinquens,* id est, nullum dignum supplicio derelinquens, innocentem, vel mundatum, sed puniens, derelinquitur enim peccator vt innoxius, vel innocens, vel mundatus, cùm non punitur: hoc loco Exod. 34. vertit: *Nullus apud te per se innocens est,* sensus ferè idem videtur, qui in capite 14. Num. Exod. 34.

C idem enim ferè est: Nullum innoxium derelinquens, id est, supplicium sumens de peccatoribus: &, *nullus apud te per se innocens, siue innoxius est.* nullus, inquam qui puniri debet peccator. Ostendunt misericordiam Dei superiora nomina; hoc ostendit iustitiam, quæ peccatoribus supplicium tribuit. Alii hæc verba hunc sensum habere volunt: Nullus apud te per se innocés est, id est, nullus merito suo per se solum est innocens apud te. Denique hic videtur sensus huius loci: Nemo apud te per se, & suo merito innocens est, & mundus à peccato, & supplicio, quod peccato debetur. Vndecimum nomen est, *qui reddis,* Hebraicè, פקד, *poced, visitans iniquitatem patrum in filijs, ac nepotibus, in tertiam & quartam generationem.* Qua de re diximus 3. tomo Concord. lib. 8. cap. 28.

D

7 Dubium est, *an Moses protulerit hæc Dei nomina?* Abulensis, Caietanus, Burgensis, & alii volunt Deum, qui Mosi in fulgenti corpore apparebat, ea protulisse. Probatur hæc opinio, quia Deus Exod. 33. ait Mosi: *Vocabo in nomine Domini coram te.* Ergo Deus ipse vocauit nomen Domini coram Mose, & cætera nomina, quæ retulimus. Lectio Hebræa anceps est, potestque significare, Deum hęc nomina pronuntiasse, vt se misericordem, & iustum esse doceret Israëlitas; potest etiam significare, Mosem Deum his nominibus inuocasse, & honorasse. Lectio Hebręa ad verbum sic habet: Descendit Dominus in nube, & stetit cum eo ibi, & inuocauit in nomine

Exod. 33.

An Moses Dei nomina hæc, siue epitheta proclamarit?

ne Domini, & transiuit Dominus ante faciem eius, & clamauit Iehoua, el, &c. Hoc est, descédit Dominus, & cum Mose stetit in monte Sinai, & ipse Dominus inuocauit nomen Iehoua, & transiuit ante faciem Mosis, & clamauit ipse Dominus, Iehoua, Iehoua, el, &c. Noster interpres dubiam lectionem ad Mosem retulit sic vertens: *Cùm descendisset Dominus per nubem, stetit Moyses cum eo, inuocans nomen Domini. Quo transeunte coram eo ait: Iehoua, Iehoua, el,* &c. Dicendum est, Mosem inuocasse nomen Domini, & illa omnia nomina pertranseunte Deo protulisse. Ea verò prius Deus pertransiens protulit, & ab eo Moses eadem didicit, & pronunciauit, postquam à Deo prolata sunt. Quòd autem Deus nomina protulerit, probatur ex cap. 14. Numer. in quo Moses sic Deum alloquitur: *Magnificetur fortitudo Domini, sicut iurasti dicens: Dominus patiens, & multæ misericordiæ, auferens iniquitatem, & scelera, nullumq; innoxium derelinquens, qui visitas peccata patrum in filios, in tertiam & quartam generationem.* Probatur præterea, quia Exod. 33. ait: *Ego vocabo in nomine Domini coram te,* videlicet, coram Mose.

Num. 14.

Exod. 33.

8. Multi cum D. Augustino existimarunt, Mosem vidisse diuinam essentiam, sed hoc loco posteriora tantùm vidisse constat corporis fulgentis, non essentiam Dei; si verò essentiam Dei vidisset, maximè hoc loco vidisset, cùm à Deo petiuit: *Ostende mihi faciem tuam.* Item: *Ostende mihi gloriam tuam;* at non est ostensa illi nunc essentia, vt exposuimus, neque est locus alius qui ab eo conspectam probet. Affertur ille locus Numer. 12. *Ore ad os loquor ei, & palam, non per ænigmata & figuras Dominum videt.* At verò, si locus hic probat, Mosem vidisse essentiam diuinam, non semel, sed sæpissimè illam vidit: nam sæpissimè cum Mose Deus loquebatur. Significant ergo verba Numer. 12. idem quod illa Exod. 33. *Loquebatur Dominus ad Moysen facie ad faciem;* quæ suprà iam sunt explicata.

Numer. 12.

Exod. 33.

Scripsit in tabulis verba fœderis decem.

9. Permansit Moses in monte Sinai cum Domino quadraginta diebus, & noctibus, à cibo, potuque abstinens. Accepit verò à Domino in tabulis lapideis, quas dolauerat, & in montem attulerat, decem mandata scripta; reuersusque est ad Israëlitas, qui in castris erant tabulas portans. Primæ tabulę scriptæ fuerunt digito Dei, & à Deo angelico ministerio ad scribendum præparatæ, Exod. 31. *Dedit Dominus Moysi in monte Sinai duas tabulas testimonij lapideas, scriptas digito Dei.* & cap. 32. *Reuersus est Moyses de monte, portans duas tabulas testimonij in manu sua, scriptas ex vtraque parte, & factas opere Dei, scriptura quoque Dei erat sculpta in tabulis.* Hæc de primis tabulis quas fregit Moses dicta sunt. De secundis quæ fractæ non sunt, sed in arca conseruatæ, dubium est, an sint scriptæ à Deo, an à Mose? Quòd à Deo scriptæ sunt, probant hæc verba Dei Exod. 34. *Præcide tibi duas tabulas lapideas instar priorum, & scribam super eas verba, quæ habuerunt tabulæ quas fregisti.* Et Deuteron. 10. *Scribam* (inquit) *in tabulis verba quæ fuerunt in ijs, quas antè confregisti.* Item Moses eodem cap. *Scripsit* (inquit) scilicet Deus, *in tabulis iuxta id quod priùs scripserat, verba decem, quæ locutus est vobis in monte, de medio ignis:* id est, mandata decem decalogi. A Mose autem scriptas esse secundas tabulas probant hæc verba Exod. 34. *Dixit Dominus ad*

Primæ tabulæ scriptæ sunt digito Dei.

Exod. 32.

An secundæ tabulæ scriptæ sint digito Dei?

Exod. 34.

Deut. 10.

Exod. 34.

A *Moysen: Scribe tibi verba hæc, quibus, & tecum, & cum Israël pepigi fœdus. Fuit ergo ibi cum Domino quadraginta dies, & quadraginta noctes, panem non comedit, & aquam non bibit, & scripsit in tabulis verba fœderis decem.* Abulensis Exod. 34. quæst. 3. respondet, Deum scripsisse non solùm primas, sed secundas etiam tabulas. Verba illa Dei, quę opposita sunt ex cap. 34. Exod. *Scribe tibi verba hæc, quibus, & tecum, & cum Israël pepigi fœdus.* de tabulis dicta negat. Sic verò exponit: scribe tibi non in tabulis, sed in libro, verba hęc, quibus tecum, & cum Israël pepigi fœdus, hoc est, scribe in libro mandata hæc quæ tibi modò tradidi; tradiderat enim Dominus tunc mandata quædam Exod. 34.

B Mosi. Vrgent vehementiùs verba sequentia: *Fuit ibi Moyses cum Domino quadraginta dies, & quadraginta noctes, & scripsit in tabulis verba fœderis decem.* Quísnam scripsit nisi Moyses, non in libro, sed in tabulis: Respondetur, verba hæc: *Scripsit in tabulis mandata:* non esse referenda ad Mosem, sed ad Deum. Nam præcessit: *Fuit ibi cum Domino quadraginta dies, & quadraginta noctes,* &c. Sequitur: *Et scripsit* (videlicet Dominus) *in tabulis mandata.* Esse autem sic exponendum hunc locum indicant loca citata, in quibus Deus apertè dicitur decem mandata in secundis tabulis scripsisse, & initio huius cap. 34. ait, *Scribam super eas verba,* &c. quod pollicitus est

C initio capitis, dicitur fecisse his verbis: *Scripsit in tabulis verba fœderis decem.* Hanc opinionem sequitur Lyranus, Caietanus, Oleaster, & alij.

D. Augustinus quæst. 166. in contraria est sententia, non à Deo, sed à Mose scriptas arbitratur has secundas tabulas. De Moyse (inquit) dictum est, quòd ipse scripserit, cui etiam Deus paulo ante dixerat, *Scribe tibi verba hæc,* &c. Item: Posteriores tabulæ, iubente Deo, tam ab homine (id est, Moyse) excisæ sunt, quàm ab homine scriptæ, &c. Idem sentit D. Cyprianus in lib. de operibus Card. in tract. de Spiritu sancto, Carthusianus, & alij. Probatur opinio verbis 10.

D. August.

D citatis: *Scripsit* (videlicet Moses,) *in tabulis verba fœderis decem.* Locis ex scriptura allatis, qui aduersantur, respondetur, in scriptura dici, Deum scripsisse has tabulas, & Mosem. Deum quidem, quia eas iussit scribere, Mosem verò, quia eas ipse scripsit manu sua, literásque insculpsit. Ego in priorem opinionem propendeo. Existimarim tabulas à Deo fuisse scriptas. Nam si Deus primas tabulas quas frangendas præsciebat, digito suo scripsit, æquum est, vt credamus, digito etiam suo scripsisse secundas, quæ in arca perpetuò erant conseruandæ. Obicies, tabulas primas Deum, id est, angelum nomine Dei

E præparasse, excidisse, ac dolasse; secundas excidisse, & dolasse Mosem, non mirum ergo esse si primas angelus scripserit, Moses secundas; quamuis in arca essent conseruandæ. Respondetur, minus esse præparare tabulas, quàm scribere, siue sculpere literas, minus Moses fecit, maius fecit Deus. Præterea diceremus, Mosem scripsisse in tabulis mandata: sed quia plura loca scripturę initio allata, apertè dicunt, Deum illa scripsisse, idcirco huic opinioni magis assentimur.

In his tabulis dicuntur Exod. 34. scripta decem verba fœderis, id est, decem mandata, quæ mandata fœderis appellantur, quia eorum obseruatio ad fœdus Dei cum populo initum pertinebat. Appellatur etiam arca, in qua tabulæ 11.

Quid scriptum fuerit in secundis tabulis.

Hebr. 9. *D. August.*

erant, ad Hebr. 9. *arca testamenti*, id est, fœderis, quia tabulas continebat, in quibus mandata fœderis erant scripta. Dicitur etiam *arca testimonij, & tabulæ testimonij*: quia testabantur mandata illa pactum Dei. Ad hæc decem mandata, docet Augustinus quæst. 140. reuocari cætera omnia præcepta fœderis. Cùm (inquit) tam multa locutus sit Deus, duæ tantùm tabulæ dãtur Moysi, futuræ in arca. Nimirum omnia cætera, quæ præcepit Deus, ex illis decem præceptis pendere intelliguntur, &c.

Ignorabat, quòd cornuta esset facies sua ex consortio sermonis Domini.

12. Ex colloquio Domini cum Mose in monte, splendor mirus in facie Mosis effulsit: ignorabat autem ille faciem suam esse splendidam. Cùm ergo ad filios Israël in castra venisset, propè ad eum accedere timuerunt Aaron, & alij principes viri, qui illum comitabantur. Vocati tamen propè accesserunt, accessit quoque populus, cui à Deo accepta præcepta tradidit.

Vnde sit ortus fulgor faciei Mosis?

Dubitatur, *vndènam splendor ortus sit in vultu Mosis?* Abulensis vult ortum cùm Moses corpus illud fulgentissimum vidit per foramen, à corporis enim fulgore fulgorem accepisse arbitratur. Hebraicè sic habetur: *Ignorabat Moses quòd pellis faciei eius cornuta esset in loqui eo cum illo.* Ortus ergo est splendor ex colloquio Mosis cum Deo. Verisimile est ortum illa die, qua splendidissimum vidit corpus, quòd voluerit Deus aliquid illi ex fulgore corporis quod videbat communicare. Sic in transfiguratione montis Thabor, eidem Mosi non solùm ostendit corpus suum fulgentissimum, sed splendorem etiam illi impertiuit, & Eliç. *Visi enim sunt in maiestate*, vt ait D. Lucas cap. 9. Denique per miraculum effectus à Deo est hic Mosis fulgor, eo die quo in corpore fulgentissimo illi in mõte Sinai apparuit.

Luca 9. *Cur dicatur cornuta facies Mosis?* *2. Corint. 3.*

Dubitatur secundò, *cur facies Mosis dicatur cornuta*, cùm cornua non haberet? Respondetur, propterea dici cornutam, quia fulgida erat, & fulgoris radios, veluti cornua, emittebat, quos tam Aaron, quàm reliqui synagogæ proceres refugerunt. hos splendores radios appellat Paulus 2. Corinth. 3. *gloriam: Ita* (inquit) *vt non possent intendere filij Israël in faciem Moysi propter gloriam vultus eius*. Et Chaldæus: Nesciebat Moses, quòd multiplicatus esset *splendor gloriæ* vultus sui, cum loqueretur cum eo, &c.

Impletis sermonibus posuit velamen super faciem suam.

Moses velamine tegebat faciem. *Cur Moses faciem suam fulgidam esse ignorauit.*

13. Ignorabat Moses splendidam esse suam faciem, postquam ad castra venit, id cognouit, quoniam vidit, Aaronem, & synagogę proceres non audere ad ipsum accedere. Postquam ergo præcepta quæ à Deo acceperat, populo proposuit, velamine faciei splendorem texit. Auferebat autem illud, cùm loquebatur cum Deo, donec à loco in quo loquebatur exiret. nihil enim tunc velamine opus erat. Cùm exibat, rursus velamen assumebat, ne oculos intuentium, radiis splendoris offenderet. Videbant autem omnes, exeuntis faciem esse fulgidam. Magnus quidem erat fulgor vultus Mosis, siquidem intueri illum Israëlitæ non poterant, quomodo ergo fieri potuit, *vt splendidam faciem suam ignoraret?* Abulensis causam hãc reddit, quia splẽdor ille nõ terminabatur aliqua re,

A ideò ait esse à Mose ignoratum. Verumtamen & si non terminabatur aliqua re, tamen per aërem dispergebatur, cùm magnus esset, ita vt non possent filij Israël in faciem eius intendere, vt Paulus ait 2. Corinth. 3. Cur igitur Moses aërem illuminatum à radiis vultus sui non cernebat? Cur saltem barbam non videbat fulgentem, quam ante oculos habebat? Responderi potest, Mosis mentem sic ex Dei colloquio fuisse ad res diuinas translatam, vt splendorem illum corporeis oculis non cerneret: vel dici potest, mentem Mosis in iis quæ in monte viderat, & in præceptis, quæ à Deo acceperat cogitandis, sic fuisse occupatam, vt fulgorem B non aduerteret. nisi velis rem miraculo tribuere.

Quamdiu permanserit fulgor in facie Mosis.

Quæritur præterea, *quamdiu splendor in facie Mosis permanserit?* Caietanus arbitratur, durasse eo tempore, quo præcepta Dei Moses populo recitauit. Abulensis Exod. 34. quæst. 26. putat, durasse vsque ad mortem Mosis. Nam beneficium, quod Deus gratis donat, non aufert; nisi is, qui accepit, indignum se illo præstiterit. Moses autem semper dignus fuit, data luce. Præterea si Deus abstulisset lucem à vultu Mosis, magna ignominia illum affecisset, existimasset enim populus ablatam propter aliquod crimen, igitur illam non abstulit. Fortè durauit C tandiu splendor ille, quandiu populus fuit propè montem Sinai, postea desijt, ne Mosi opus esset tecta facie cum populo loqui, id enim molestum est. desiit autem absque vlla ignominia Mosis, quia videbat populus non esse iam necessarium. 14.

CAPVT XXVI.

MORALE.

De secundis tabulis Mosi datis.

Præcide duas tabulas & scribam super eas.

Pœnitentia reparat fractas mandatorum Dei tabulas.

TVnc franguntur tabulæ, in quibus decem D mandata scripta sunt, cùm frangimus aliquod ex decem mandatis. Misericordia autem Dei fractionem hanc absque remedio non reliquit. Quemadmodum Mosi iussit vt secũdas tabulas pararet, in quibus rursus mandata scriberet, sic homini iubet, vt cor, ipso Deo auxiliante, prępareт, in quo iterum præcepta sua, & gratiam renouet. Præparatur autem cor, reparanturque fractæ tabulæ per pœnitentiam, contritio cordis, contritioni medetur tabularum, fractio cordis, fractioni medetur mandatorũ Dei. Tabulas reparatas collocauit Moses in arca ornatissima, in sanctis sanctorum; sic E nos postquam mandata Dei reparauerimus, diligentissimè ea custodiamus, veluti in arca, ab omni hominum conspectu remota, in locoque tutissimo collocata. Obserua præterea, quid egerit Moses, quomodo tabulas fractas reparauerit; montem ascendit, orauit, à cibo, potuq; diebus quadraginta abstinuit. Hæc facienda sunt pœnitentibus, à turbis oportet secedere, mentis cogitationes colligere, veluti in monte Sinai cum Domino colloqui, orare, ieiunium obseruare Vultu splendido ferebat Moses decem mandata Dei in tabulis lapideis scripta. Animo autem gratiæ splẽdore rutilãte, in tabulis cordis carnalibus, vt Paulus appellat, eadẽ mãdata exarata fert is, qui pœnitentiam verè agit. Splẽdor verò gratię, fulgorẽ Mosis lõgè superat. 1.

D. Paulus

2. Corinth. 3 *In tabulis cordis scribit Spiritus sanctus.* *Ibidem.* *Exod. 31.* *D. August.*

D. Paulus 2. Corinth. 3. Corinthios epistolam suam appellat commendatitiam, scriptam in cordibus: *Numquid* (inquit) *egemus commendatitijs epistolis ad vos, aut ex vobis? epistola nostra vos estis.* Appellat præterea epistolam Christi: *Manifestati,* (inquit) *quòd epistola estis Christi, ministrata à nobis & scripta non atramento, sed spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus.* Has epistolas Spiritus sanctus scribit; ipse Dei mãdata, atque consilia in tabulis cordis carneis exarat. Nam *dextræ Dei* dicitur *digitus*; tabulæ autem digito Dei dicuntur scriptæ, Exod. 31. *Dedit Dominus Moysi duas tabulas testimonij lapideas scriptas digito Dei.* August. serm. 6. de verbis Apostoli: Lex (inquit) digito Dei scripta est, hoc est, in spiritu Dei, &c. In tabulis cordis carnalibus, non lapideis scribit Spiritus sanctus. Non enim inscribit mandata sua, & gratiam suam tribuit lapideis hominibus duræ ceruicis, ac superbis, sed instar carnis mollibus, flexibilibus, atque humilibus.

Misericors, clemens, patiens.

Vndecim Dei nomina. *Nomina indicantia misericordiam Dei.* *Duo nomina iustitiam indicant.* *D. Hieron.* *Exod. 34.* *Exod. 20.*

2. Vndecim Dei nomina Exod. 34. recitantur. Primum, est nomen quadriliterum, *Iehoua*, quod essentiam significat, & tanquam præcipuum geminatur, *Iehoua, Iehoua*. Secundum, est *el*, quod significat *Deum*, & *fortem*. Quid Deo fortius mente concipi potest? Quæ sequuntur, Dei magnam indicant misericordiam, videlicet, *Misericors, clemens, patiens, & multæ miserationis, qui custodis misericordiam in millia, qui aufers iniquitatem, & scelera, atque peccata.* Nónne vides, quot nominibus Dei misericordia significetur? Adiunguntur tamen duo nomina, quæ iustitiam demonstrant: *Nullus apud te per se innocens est, qui reddis iniquitatem patrum filijs, & nepotibus in tertiam, & quartam progeniem.* D. Hieronymus Ezech. 18. hoc etiam nomen misericordiæ Dei tribuit, non iustitię. Non seueritatis est, (inquit) iram tenere vsque ad tertiam, & quartam generationem, sed signum misericordiæ pœnam differre peccati, quando enim Moses dicit, Exod. 34. *Domine, Deus miserator, & misericors, patiens, & multæ miserationis.* Et infert: *Reddens iniquitatem patrum super filios, & filios filiorum.* hoc indicat, quòd tantæ sit misericordiæ, vt non statim puniat, sed sententiam differat puniendi. &c. Item in sententiam sanctissimi Patris, sed reuocant me verba Domini, Exod. 20. ex quibus colligitur, punitionem filiorum propter patres, esse tribuendam iustitiæ: *Ego* (inquit) *sum Dominus Deus tuus fortis, zalotes, visitans iniquitatem patrum in filios, in tertiam, & quartam generationem, eorum qui oderunt me: & faciens misericordiam in millia ijs qui diligunt me, & custodiunt præcepta mea.* hoc misericordię est, illud iustitiæ.

D. Bernard. *De misericordia Dei,* *2. Cor. 1. Deus pater misericordiarum.*

3. Est Deus misericors, & iustus, sed misericordia, & beneficentia ex illius oritur visceribus, ad supplicium autem quodammodo cogitur, vt D. Bernard. ait serm. 5. de natali Domini. Quòd (inquit) miseretur Deus, proprium est illi, ex se enim sumit materiam, & quoddam seminarium miserendi. Nam quòd iudicat, & condemnat, nos eum quodammodo cogimus, vt longè aliter de corde ipsius miseratio, quàm animaduersio procedere videatur, &c. Quamobrem dicitur à Paulo 2. Corinth. 1. *Pater misericordiarum.* Vnde D. Bernardus: Non (inquit)

D. Bernard. *D. Ambros.* *Psalm. 114.* *Apoc. 4.* *Genes. 9.* *Psal. 100.* *Iustitia Dei sæpe meditanda.* *D. Gregor.*

A dicitur pater iudiciorum, vel vltionum, sed pater misericordiarũ, quòd miserendi causam, & originem sumat ex proprio, iudicandi vel vlciscendi magis ex nostro. &c. D. Ambrosius in orat. de obitu Theodosij, in illa verba Psal. 114. *Misericors Dominus, & iustus, & Deus noster miseretur.* obseruat nomen misericordis esse bis positum, iusti verò nomen semel tantùm, misericordia ex vtraque parte conclusum. Bis (inquit) misericordiam posuit, semel iustitiam. In medio iustitia est, gemino septo misericordię inclusa, &c. Iustitiam sepit, & velut septum concludit misericordia, ne homines scelera committentes, pro meritis disperdat. Apoc. 4. *Iris* B *erat in circuitu sedis.* Vidit Ioannes Dei thronum iride cinctum, iris autem misericordiæ signum est, & fœderis, quòd Deum cum hominibus fecit, Gen. 9. *Arcum* (inquit) *meum ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram.* Caueamus tamen, ne magna Dei misericordia abutamur, caueamus valde, ne quia Deus bonus est, nos simus mali. Psal. 100. *Misericordiam* (inquit Dauid) *& iudicium cantabo tibi Domine.* Cantabat Deo Dauid non solam misericordiam, sed etiam iudicium; meminerat non solùm misericordem esse, sed etiam iustum. Nos quoque misericordiam Dei celebremus, & iustitiam, opera summæ misericordiæ Dei animo C sæpe voluamus, opera item iustitiæ, frequenter cogitatione versemus, quæ quidem in summam admirationem, & vitę correctionem nos adducent, si recta trutina expendantur. Quis non admiretur, cùm oculis animi internis cernit angelorum maximam multitudinem ex cælo, absque vllo remedio, in tartareos rogos deturbatam? Quis non admiretur, cùm videt vniuersum terrarum orbem diluuio ob peccata hominum demersum? Quis non admiretur tartarei ignis æternitatem? Hæc, & alia opera diuinæ iustitiæ sunt, hæc sunt supplicia quæ illi subeunt, qui Dei iustitiam obliuiscuntur; vt enim ait D. Gregorius lib. 16. moral. cap. 31. D Dei misericordia obliuisci eius dicitur, qui iustitiæ Dei fuerit oblitus. Quia quisquis eum nunc iustum non timet, postea inuenire non valet misericordem, &c.

Ex consortio sermonis Dei.

Ex colloquio cũ Deo oratione, & meditatione oritur fulgor mentis, & corporis. *Ad Philip. 3* *D. August. Orationes breues iacula spiritalia sũt*

4. Ortus est fulgor in facie Mosis ex consortio Dei, ac colloquio cum Deo habito. Similem in modum in hominibus fulgor mẽtis oritur, & corporis. Est autem fulgor mentis virtus, præcipuè charitas; fulgor verò corporis est modestia, & castitas. Charitate & reliquis virtutibus illuminatur, modestiaque & castitate E illustratur ille, qui frequenter cum Deo mente colloquitur, ac versatur, non in monte Sinai, sed in monte cęli, iuxta illud Pauli ad Philip. 3. *Nostra conuersatio in cælis est.* Cum Deo colloqui possumus, vel vocali oratione, vel mentali. optimum est instar Mosis longa vti oratione. Qui tamen non valet longa vti, vtatur breui, sæpissimè in Deum rapiat mentem, & saltem paucis verbis cum eo sæpissimè loquatur. Quem morem antiqui illi patres Ægypti obseruasse dicuntur, virtutum excellenti lumine splendidi. August. epist. 121. ad Probam: Dicuntur (inquit) fratres in Ægypto crebras habere orationes breuissimas, & raptim quodammodo iaculatas, &c. Egregia sunt hæc iacula ad debel-

landum mundum, ac demonem, & ad illuminandum virtutibus hominem; præsertim si ex arcu contento iaciantur, id est, ex animo attento, Deique cupido. Illuminatam fert mentem huiusmodi iaculator; qui verò orationi non studet, mentem obscuram habet, hinc illud D. Chrysost. lib. 1. de orando Deo: Cùm video (inquit) quemquam non amantem orationis studium, neque huius rei feruida, vehementiq; cura teneri, continuò mihi palam est, nihil eum egregiæ dotis in animo possidere, &c. Qui egregias dotes non possidet, faciem non habet illuminatam. Lucę 9. *Facta est, dum oraret, species vultus eius altera, & vestitus eius albus, & refulgens.* Sic per orationem mutatur vultus noster, firmque modestus, mutatur animus, mutatur vestitus, denique totus homo ex consortio Dei luce illustratur. Psalm. 33. *Accedite ad Deum, & illuminamini.* Accessit Moses ad Deum, & illuminatus est. Accedamus etiam nos, & illuminabimur. Sol est splendidissimus, radios lucis suæ omnibus impertit. Accedamus sæpius ad augustissimam Eucharistiam, in qua verus Deus Christus est, & ex tanti sumptione Sacramenti illuminabimur, vt docet D. Augustinus Psalm. 33. Manducando (inquit) crucifixum, & bibendo illuminamur. Accedamus, vt corpus & sanguinem eius accipiamus. Accedamus ad eum, vt illuminemur. Hęc ille. Coniiciamus oculos in discipulos Christi, nónne lux facti sunt ex consortio, & colloquio Christi? *Vos* (inquit Dominus) *estis lux mundi.* Accesserunt proximè ad solem iustitiæ discipuli, ex consortio, & colloquio Dei lux facti sunt.

D. Chrysost. — Luc. 9. — Psal. 33. — D. August.

Ex quinto capite Matthæi discimus, exemplum virtutum, quod hominibus præbetur, splendorem esse in facie, in manibus, in animo, corporeque viri probi, ait Dominus sic: *Luceat lux vestra coram hominibus, vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cælis est.* Vult Dominus nos aperta facie, absque velo apparere coram hominibus, vt lucem exempli videant, & solem, id est, Deum à quo lux emanat glorificent. Cauenda tamen gloria inanis, iuxta illud Matthęi 6. *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, vt videamini ab eis.* Absque velo ostendenda est lux hominibus, vt glorificent Deum, sed humilitatis velo tegenda est, ne per inanem gloriam ostendatur. D. Gregor. homil. 11. in Euangelia: Per hoc quod agimus laudes exteriùs non quæramus. Sic autem fit opus in publico, quatenus intentio maneat in occulto, vt de bono opere proximis præbeamus exemplum, & tamen per intentionem, qua soli Deo placere quærimus, semper optemus secretum, &c. Ignorabat Moses faciem suam esse splendidam, sic vir humilis lucem animi sui veluti ignorat; quia se non iactat, aut superbit.

Matth. 5. — Matth. 6. — D. Gregor.

Posuit velamen super faciem suam.

6. Splendorem suum Moses velamine tegebat, loquens cum Israëlitis. Significat autem hoc Mosis velamen, cæcitatis velamen, quo tectum est Iudæorum cor, & oculi; qui legis Mosis non vident splendorem, hoc est, spiritum, & vaticinia de Christo. 2. Corinth. 3. *Vsque in hodiernum diem* (ait Paulus) *id ipsum velamen in lectione veteris testamenti manet non releuatum, quoniam in Christo euacuatur. Sed vsque in hodiernum diem, cùm legitur*

De velamine Iudæorum & cæcitate. 2. Corinth. 3

A *Moyses, velamen positum est super cor eorum. Cùm autem conuersi fuerint ad Dominum, auferetur velamen.* Cùm loquebatur cum Hebręis Moses, velabat faciem: cùm lex legitur, & vetus testamentum, loquitur Moses cum Iudæis: sed tectam habet fulgentem faciem, id est, spiritales, splendentésque de Christo sensus, quos Iudæi obcæcati non intelligunt; habent enim cæcitatis velum super cor & intellectum. Cùm Moses post colloquium cum populo conuertebatur ad colloquendum cum Deo, velamen auferebat: eundem in modum (vt Paulus ait) cùm Iudæi conuertentur ad Christum, auferetur velamen à corde eorum, & intelligent scripturas. Velamen enim hoc in Christo euacuatur, hoc est, cęcitas Iudæorum per Christi fidem, & per conuersionem ad Christum tollitur. De cæcitate Iudæorum egimus tom. 1. Concord. lib. 2. c. 1.

B

7. Ibidem.

Addit Paulus: *Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur à claritate in claritatem, tanquam à Domini spiritu,* hoc est, Moses velatam habebat faciem, Iudæi velamen habent super cor. At nos legis nouæ ministri nullum habemus velamen, sed facie reuelata, id est, nullo velamine operta, gloriam Domini speculantes in eandem imaginem transformamur, hoc est, Christi gloriam velut in speculo contemplantes, in imaginem illius gloriosam transfiguramur, μεταμορφούμεθα, à claritate in claritatem, id est, proficientes in dies, & ex minori claritate, & gloria ad maiorem ascendentes. Sic Psal 83. dicitur: *Ibunt de virtute in virtutem,* id est, de robore ibũt in robur, in dies maius robur comparabunt. Illud *speculantes,* à speculo deductum est. Nam Græcè legitur κατοπτριζόμενοι, speculum autem dicitur κάτοπτρον, significat ergo Paulus ministros nouæ legis, veluti in speculo, gloriam Dei cernere absque velo, & in eam transformari, quemadmodum speculum transformatur in rem obiectam, eius imaginem recipiendo. Habet duo speculum, nimirum recipit imaginem rei obiectæ, & sic in eam transformatur, eandemque videndam exhibet: sic boni ministri Euangelij, gloriæ Dei imaginem recipiunt, ablato Mosis velamine, & in eamdem imaginem transfigurantur à Spiritu sancto eam recipientes, sicut speculum: præterea eandem imaginem & gloriam Dei hominibus cernendam proponunt, docendo Euangelium, tum verbo, tum exemplo. Huc attinet illud capitis 4. eiusdem epistolæ: *Deus qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ad illuminationem scientiæ claritatis Dei in facie Christi Iesu,* hoc est, Deus qui initio mundi dixit, *fiat lux, & facta est lux,* ipse corda nostra fide sua illuminauit, ad illuminationem scientiæ Dei gloriosæ, quæ est in facie Christi, hoc est, illuminauit nos Deus, vt ostenderemus nostræ doctrinæ, & exempli lumine scientiam, (Græcè, γνώσεως & δόξης) & cogitationem Dei gloria, & claritate plenam, quę cernitur in facie non Mosis, sed Christi. Græcè ἐν προσώπῳ, id est, *in facie,* vel, *in persona* Christi. Colligit quoque Paulus ministrorum noui testamenti gloriam, eodem capite his verbis: *Quòd si ministratio mortis, literis deformata in lapidibus, fuit in gloria, quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria?* Si (inquit) Mosis facies glorificata, & illuminata est, propterea quòd legẽ veterem abrogãdam filiis Israël ministrauit; maiori sanè gloria, & claritate illustrabũtur ij, qui

Ministri Testamenti noui sine velo Dei gloriam speculantur.

Psalm. 83.

Ibidem.

nouam

nouam legem nunquam abrogandam toti orbi ministrant. Legis ministrationem appellat ministrationem mortis, nouæ verò ministrationem vocat ministrationem spiritus. Etenim noua à Christo lata vi sua per merita Christi, spiritum, & vitam gratiæ donat; vetus autem spiritum, & vitam gratiæ vi sua dare non valebat. Est ergo noua lex spiritus, & vitæ; vetus est lex mortis, quia vitam gratiæ largiri, & à morte peccati homines liberare nequibat. Liberabantur autem per merita Christi, quæ futura erant, & ad legem nouam pertinebant. Præterea dicitur lex mortis lex vetus, quia pœnam mortis frangentibus inferebat, ad Heb. 10. *Irritam quis faciens legem Moysi, sine vlla miseratione duobus, vel tribus testibus moritur.* De his plura diximus tomo 1. Concord. lib. 1. cap. 5.

Heb. 10.

Non solùm velamen habent Iudæi, sed etiam Ethnici multi adhuc habent, qui excæcati à diabolo Euangelij fulgorem non vident, sed Deus paulatim eorum corda illuminat, vt cernimus nostra hac ætate. 2. Corinth. 4. ait Apostolus: *Quòd si opertum est Euangelium nostrum, in ijs qui pereunt est opertum,* hoc est, si Euangelium quod prędicamus velo opertum est aliquibus, illis opertum est, qui in tartareos mittuntur rogos. Adiicit Apostolus: *In quibus Deus huius sæculi*

Diabolus velamine tegit oculos hæreticorũ, Ethnicorũ, & aliorum. 2. Corint. 4.

Ibid.

A *excæcauit mentes infidelium, vt non fulgeat illis illuminatio Euangelij gloriæ Christi, qui est imago Dei.* Docet quisnam velamen cæcitatis super oculos infidelium posuerit, videlicet Deus huius sæculi, hoc est, diabolus, qui eo sæculo in idolis, vt Deus colebatur. Hic est, qui velamina Iudæis, Mahometanis, Ethnicis, hereticisque imposuit, vt Euangelij non videant splendorem, & à tenebris incredulitatis, in tenebras orci æternas transmigrent. Ipsis etiam Christianis qui veram fidem habent, & in peccato perseuerant, velamina diabolus imponit; positum est velamen super cor eorum, & super oculos intellectus. Non vident, se tartareis flammis maximè esse propinquos, ipsas flammas sempiternas non considerant, Dei iudicium non volunt animo, velamen ferunt super oculos, & veluti pistrini iumenta, in circuitu ambulant, Psal. 11. mundique molas agunt. Dei misericordia remedium exhibet pœnitentiæ, & conuersionis ad Dominum, vt enim ait supra Paulus: *Cùm conuersi fuerint ad Dominum, auferetur velamen.* Vtinam conuertantur, & velamine ablato æterna tormenta cernant, in quæ velatis pergunt oculis.

Velamen etiam habẽt improbi Christiani.

B



LIBER QVINTVS.

CAPVT I.

De tabernaculo, & ijs, quæ oblata sunt ad illud construendum.

EXODI CAP. XXV.

1. LOQVTVSQVE est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere filiis Israël, vt tollant mihi primitias: ab omni homine qui offeret vltroneus, accipietis eas. Hæc sunt autem quæ accipere debetis: Aurum, & argentum, & æs, hyacinthum & purpuram, coccumque bis tinctum, & byssum, pilos caprarum, & pelles arietum rubricatas, pellésque ianthinas, & ligna setim: oleum ad luminaria concinnanda: aromata in vnguentum, & thymiamata boni odoris: lapides onychinos, & gemmas ad ornandum ephod, ac rationale.

EXODI CAP. XXXV.

2. ET ait Moyses ad omnem cateruam filiorum Israël: Iste est sermo quem præcepit Dominus, dicens: Separate apud vos primitias Domino. Omnis voluntarius & prono animo offerat eas Domino: aurum & argentum, & æs, hyacinthum & purpuram, coccumq; bis tinctum, & byssum, pilos caprarum, pelléque arietum rubricatas, & ianthinas, ligna setim, & oleum ad luminaria concinnanda, & vt conficiatur vnguentum, & thymiama suauissimum, lapides onychinos, & gemmas ad ornatum superhumeralis & rationalis.

EXODI CAP. EODEM.

3. EGRESSA QVE omnis multitudo filiorum Israël de conspectu Moysi, obtulerunt mente promptissima atque deuota primitias Domino, ad faciendum opus tabernaculi testimonij. Quidquid ad cultum, & ad vestes sanctas necessarium erat, viri cum mulieribus præbuerunt, armillas & inaures, annulos & dextralia: omne vas aureum in donaria Domini separatum est. Si quis habebat hyacinthum, & purpuram, coccumq; bis tinctum, byssum & pilos caprarum, pelles arietum rubricatas, & ianthinas, argenti æriſque metalla, obtulerunt Domino, lignáque setim in varios vsus. Sed & mulieres doctæ, quæ neuerant, dederunt hyacinthum, purpuram, & vermiculum, ac byssum, & pilos caprarum, sponte propria cuncta tribuentes. Principes verò obtulerunt lapides onychinos, & gemmas ad superhumerale & rationale, aromatáque & oleum ad luminaria concinnanda, & ad præparandum vnguentum, ac thymiama odoris suauissimi componendum. Omnes viri & mulieres mente deuota obtulerunt donaria, vt fierent opera quæ iusserat Dominus per manum Moysi. Cuncti filij Israël voluntaria Domino dedicauerunt.

Tabernaculũ templum dicitur ligneũ, & portatile.

4. ANTEQVAM primas tabulas frangeret, præcepit Mosi Dominus in monte, vt tabernaculum, id est, templum portatile, exqueret, peterétque à filiis Israël ea, quæ extructioni necessaria essent, vt scriptum est Exod. 25. post fractas tabulas, propter vituli adorationem, iratus Deus deleturum se populum minatus est, Exod. 32. Placatus verò Mosis deprecatione, factusque propitius, cum populo habitare voluit, construíque tabernaculum. Moses igitur ad fabricationem se accingit, Exod. 35. eaque petit ab Israëlitis, quæ Dominus petere iusserat, Exod. 25. De tabernaculo non multa dicemus, quia ex iis, quæ de templo diximus tomo 2. Concord. intelligi ea poterunt, quæ omissa fuerint. Aduertendum est in Exodo bis de tabernaculi constructione agi, semel cap. 25. & sequentibus, in quibus Dominus docet Mosem, quomodo sit construendum; iterum cap. 35. & sequentibus, in quibus indicatur, quomodo fuerit constructum.

A

Separate

Separate apud vos primitias Domino.

5. Pro primitiis, Hebraicè est, תרומה, *Teruma* nomen, quod significat *oblationem*, siue *eleuationem*. Eleuabatur enim oblatio coram Domino. Pro, *separate*, Hebraicè legitur, קחו, *kechu*, id est, *accipite* apud vos, vel ex vobis, *oblationem Domino*. Non cogit Dominus, aut Moses Israëlitas offerre primitias has, sponte vult eos offerre, & animo voluntario. Vnde sequitur: *Omnis voluntarius, & prono animo offerat eas*, id est, primitias, *Domino*. Si verò aliquis munera hæc dare nollet, non cogeretur dare. Res offerendæ hæ erant, aurum, & argentum, & æs, hyacinthum, purpura, coccusque bis tinctus, & byssus, pili caprarum, pelléque arietum rubricatæ, & ianthinæ, ligna setim, & oleum ad luminaria concinnanda, & vt conficeretur vnguentum, & thymiama suauissimum, lapides onychini, & gemmę ad ornatum superhumeralis, & rationalis. Hyacinthus pannos significat, colore cęlesti imbutos: purpura, & coccus bis tinctus, pannos rubei coloris; byssus lini præstantissimi genus est; pili caprarum opus erant ad conficienda saga cilicina, quibus tegebatur tabernaculum; pelles arietum rubricatæ, dicuntur pelles arietum rubeo colore infectæ, ex quibus operimentum quoddam tabernaculi factũ est; pelles ianthinæ appellantur Hebraicè pelles תחשים *techasim*, id est, *taxorum*, vt nonnulli volunt. LXX. interpretes vertunt *pelles hyacinthinas*, & Chaldæus quoque, similiter noster interpres, Ezech. 16. *tachas* vertit *ianthinum*: *Calceaui te ianthino*, & hoc loco *techasim* vertit *ianthinas*. Dicuntur autem pelles ianthinæ, pelles violacei coloris. Color est etiam hyacinthi, *violæ* enim Græcè ἴα appellantur, & ἄνθος *florem* significat, vnde fit ἰάνθινος. Ligna setim vertũt LXX. *imputribilia*. D. Hieronymus Ioëlis 3. de arboribus setim sic scribit: Tam grandes (inquit) arbores sunt, vt latissima ex illis tabulata cædantur, lignumque fortissimum est, & incredibilis leuitatis, ac pulchritudinis, quæ ligna in locis cultis, & in Romano solo, absque Arabię solitudine, non inueniuntur. Sic ille. & Isaiæ 41. Lignum (inquit) est imputribile, & leuissimum omnium lignorum tam in fortitudine, quàm in nitore, solidiratem superat, & pulchritudinem, &c. Hebraicum nomen est, שטים, *setim*, quod significat *spinas*, Isaiæ 41. *Dabo in solitudinem seta* vertit Hieron. *spinam*, sicut Theodotio verterat. Spinas autem intelligit arbores, ex quibus tabernaculum constructum est, ita vt sensus sit: In solitudine producam arbores setim pulcherrimas. Ait idem Hieronymus, ligna setim habere similitudinem aliarum arborum, quæ dicuntur spinæ albæ, colore & foliis, sed magnitudine sunt præstantiora ligna setim. Forsitan propter similitudinem cum albis spinis, *seta* vertit in spinam. Sed verisimilius est, spinas appellasse arbores, quia nomen Hebræum, *seta*, significat *spinam*. Ioëlis 3. *Fons de domo Domini egredietur, & irrigabit torrentem spinarum*. Hebraicè dicitur, *torrentem setim*, posset verti: *Irrigabit torrentem arborum setim*. Hieron. maluit cum Symmacho vertere *spinarum*, siue propter similitudinem, quam habent cum spinis albis, siue quia proprias spinas, & vepres significare voluit, quasi diceret: Irrigabit torrentem veprium. Sic enim interpretatur, non iuxta alienam, sed iuxta propriam sententiam: Egredietur de Ecclesia fons,

Israëlitæ spõte offerunt Domino aurum, & cætera ad fabricandum tabernaculum.

De arboribus setim. D. Hieron.

Isaiæ 41.

Spinæ albæ, & arbores.

Ioël. 3.

D. Hieron.

A vt spinas nostras, & peccata commutet in Domini noualia, & ariditatem nostram riget aquis largissimis; & pro spinis, ac vepribus flores virtutum multiplices germinemus, &c. Et iterum epist. 50. ad Pammachium: Fluuius, (inquit) qui irrigat torrentem spinarum, quæ suffocant sementem patrisfamilias, &c. Philo lib. 3. de vita Mosis, tabulas tabernaculi ex electis cedris factas esse ait. Existimat ergo ligna setim cedros significare. Idẽ existimat Arias Mõtanus in apparatu. Rabbi Salomon apud Lyranum Exod. 25. sic ait: Iacob vidit in Spiritu sancto, quòd filij sui facturi erant tabernaculum in deserto, post exitum de Ægypto, & secum portauit in B Ægyptum semina, & radices talium arborum, & ibi plantauit, & nutriuit, præcipiens filijs suis, vt exeuntes de Ægypto secum portarent. Caret dictum autoritate.

Rabbi Salomon.

Obtulerunt mente promptissima, atque deuota primitias Domino.

6. Iniquam, & turpem illam liberalitatem, quę inaures aureas ad vitulum fabricandum obtulerant, deleuerunt nunc Israëlitæ sancta, & vera liberalitate, primitias ad tabernaculum Dei construendum offerendo. Laudatur eorum voluntas: promptissima enim mente atque deuota, ea quæ postulauerat Moses, obtulerunt, C aurum, argentum, gemmas, inaures, armillas, annulos, & cætera. Infudit Deus eorum animis hanc voluntatis promptitudinem, quæ tanta fuit, vt plura obtulerint, quàm erant opus tabernaculi fabricationi, iusseritque Moses præconis voce nunciari, vt finem offerendi facerent. Exod. 36. *Quotidie manè populus offerebat, vnde artifices venire compulsi, dixerunt Mosi: plus offert populus quàm necessarium est. Iussit ergo Moyses præconis voce cantari: Nec vir, nec mulier quidquam offerat vltrà in opere sanctuarij, sicq; cessatum est à muneribus offerendis, eo quòd oblata sufficerent, & superabundarent.* Quæres, *vnde nam aurum, argentum, gemmas, cæterásque res pretiosas habuerint Hebræi in deserto?* Respondetur, ex Ægypto omnia hęc attulisse. D Dei enim prouidentia factum est, vt ea, quæ fabricando tabernaculo necessaria erant, ex Ægypto afferrentur. Nam, vt suprà diximus, Hebræi Ægyptios spoliauerunt, Deo iubente, Exod. 12. *Petierunt ab AEgyptijs vasa argentea & aurea, vestémque plurimam. Dominus autem dedit gratiam populo coram AEgyptijs, vt commodarent eis, & spoliauerunt AEgyptios.* Quæ ergo ab Ægyptijs acceperant, ad extruendum Dei tabernaculum contulerunt. Quemadmodum autem Deus AEgyptiis voluntatis promptitudinem dedit, vt Hebræis abeuntibus, bona sua commodarent, sic Hebræis mentis dedit alacritatem, vt ab Ægyptiis accepta bona, tabernaculi constructioni magna voluntate donarent. E

Promptæ Israëlitarum mens ad offerendum.

Exod. 36.

Vnde habuerint Israëlitæ ea quæ obtulerunt.

Exod. 12.

CAPVT II.

MORALE.

De oblationibus Israëlitarum ad construendum tabernaculum.

Obtulerunt mente promptissima, atque deuota primitias.

1. DELECTATVR Dominus oblationibus hominum, quæ prompta, ac deuota voluntate fiunt, Marc. 12. *Sedens Iesus contra gazophylacium aspiciebat, quomodo turba iaciaret es in*

Prompta & deuota voluntas Deum oblectat.

Marc. 12.

gazophylacium. Sedit Dominus è regione gazophylacij, quia delectabitur illo spectaculo, delectabile enim est cernere, in Dei gazophylacia homines mittentes dona alacri animo. 2. Corinth. 9. *Hilarem datorem diligit Deus.* Diligit hilarem datorem, prompta voluntate dantem, libentérque inspicit. Multi autem diuites iactabant multa in gazophylacium, qui habuisse videntur promptam voluntatem, sed à pauperrima vidua superati sunt. *Cùm venisset* (inquit Marcus) *vidua vna pauper, misit duo minuta, quod est quadrans, & conuocans Dominus discipulos suos, ait illis: Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit: Omnes enim ex eo, quod abundabat illis, miserunt, hæc verò de penuria sua omnia, quæ habuit, misit totum victum suum.* Magna fuit voluntatis viduæ huius promptitudo, totum namque victum suum in gazophylacium Dei misit; hæc verò promptitudine, & difficultate operis, & humilitate diuites vicit.

2. Corint. 9. — Prompta & deuota voluntas viduæ. — D. Cyprian.

D. Cyprianus in tract. de opere & eleemosynis: Non de patrimonio (inquit) sed de animo opus viduæ examinans Christus, & considerans non quantũ, sed ex quanto dedisset, dixit: *Vidua ista plus omnibus misit in dona Dei.* Considerat quidem Dominus, quantum offertur, sed magis considerat ex quanto, id est, ex quanto offertur voluntate & virtute.

Magis considerat Dominus ex quãto offertur, quàm quantũ offertur. — D. Gregor. — Genes. 4. — D. Gregor.

D. Gregor. lib. 22. moral. ca. 12. Omne, (inquit) quod datur Deo, ex dantis mente pensatur. Gen. 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* D. Gregor. loco citato: Non dicit sacrum eloquium: Respexit ad munera Abel, & ad munera Caïn non respexit, sed priùs ait: *Quia respexit ad Abel*, ac deinde subiungit, *& ad munera eius.* Ex dantis quippe corde id quod datur, accipitur. Idcirco non Abel ex muneribus, sed ex Abel munera ablata placuerunt. Prius namque ad eum loquitur Dominus respexisse, qui dabat, quàm ad illa, quæ dabat. Hæc D. Gregorius.

Ex dantis mẽte & corde accipitur quod offertur.

Prius Deus respexit ad viduam, quæ dabat, quàm ad duo minuta, quæ dabat. Dantium corda, & voluntates aspexit magis, quàm munera; ideo duo minuta pauperis diuitum munera superarunt. Sic Exod. 35. promptissimam illam mẽtem, ac deuotam, qua Israëlitæ munera tabernaculo construendo offerebant, magis respexit, quàm ipsa munera, priusquam mentis promptissimæ, ac deuotæ mentio facto est, quàm munerum. 2. Corint. 8. promptissimam Macedonum voluntatem indicat Paulus ad largiendam eleemosynam.

2. Cor. 8.

Secundùm virtutem, (inquit) *& supra virtutem,* (Græcè, δύναμιν) *voluntarij fuerunt*, hoc est, ad largiendum promptissimam habuere voluntatem iuxta vires, & facultates suas, secundùm quod poterant obtulerunt, & plus quàm poterant supra vires.

D. Greg. Na.

D. Gregor. Nazianz. orat. qua se excusat, &c. Hoc (inquit) est pulcherrimum, & piissimum, quòd Deus nequaquam ex dignitate dantis, sed virtute, & qualitate fructificantis, mensurat donum, &c.

Pilos caprarum.

Matth. 10. — Deus paruas etiam oblationes remunerat.

2. Non magna solùm munera, sed parua etiam, voluntate oblata Deus accipit, & remunerat: pilos caprarum, & similia non despicit. Matth. 10. *Quicunque potum dederit vni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ, tantùm in nomine discipuli, Amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Quid potest esse minus, quàm calix aquæ frigidæ? hunc recipit summus Rex, & minimum munus maximo munere remunerat. Qui potest, offerat gemmas, aurum, argentum, cæterasque huiusmodi res pretiosas: qui hęc offerre non valet, offerat pilos caprarum, voluntate magna, ac deuota omnia Deo erunt accepta.

2. Corin. 8. — D. Hieron.

2. Corinth. 8. *Quemadmodum promptus est animus voluntatis,* (ait Paulus) *ita sit & perficiendi ex eo, quod habetis. Si enim voluntas prompta est secundùm id, quod habet, accepta est, non secundum id, quod non habet.* D. Hieronymus Ezech. 40. velle se ait de templo Ezechielis scribere: Vt si (inquit) ego in tabernaculum Dei pelles caprarum, pilosque obtulero; alius qui diues est, pro qualitate meritorũ, vel ferrum, vel æs, vel argentum, aurumque, & pretiosissimos lapides offerat, & non nostra, quia sunt minora, contemnat, &c.

Origenes. — D. Greg. Na.

Lege eundem Hieron. in prologo in tract. Origenis super Iosue. Origen. homil. 13. Vtinam (inquit) mihi esset possibile, vnum esse ex principibus, & offerre gemmas, sed quia hæc supra me sunt, certè vel pilos caprarum habere merear in tabernaculo Dei, &c. D. Gregor. Nazianz. in orat. qua se excusat, &c. aurum, argentum, & alia ait oblata, & inter reliqua pilos caprarum. Et addit: Ita & nos faciamus in hoc tabernaculo Ecclesiæ. Et hic quidem paruum, alius verò magnum quid, omnes autem pariter inferamus in habitaculum Christi: vnusquisque ex his, quæ habet, fructificet Deo, peccator pœnitentiam, qui bene currit, perseuerantiam, iuuenis continentiam, senex prudentiam, &c.

Obtulerunt mente promptissima ac deuota.

3. Obtulerant mente promptissima Hebræi vitulo conficiendo aurum: nunc mutata voluntate, eadem promptitudine, & forsitan maiori, aurum, argentum, cæteraque dona offerunt tabernaculo construendo. Mutanda voluntas est ex malo in bonum, ex vitiis ad virtutem traducenda, ita vt tanta promptitudine, ac feruore Deo nos, nostraq; offeramus, & illi seruiamus, quanto seruiuimus idolis mundi.

D. Thom. — Verus pœnitens maiori conatu seruit Deo, quàm mundo seruiuerat.

D. Thomas Matth. 3. hunc ait tertium esse fructum pœnitentiæ. Est (inquit) triplex fructus dignus pœnitentię. Primus est, vt puniat in se, quod commisit, & hoc iudicio sacerdotis. Secundus est, vt fugiat peccata, & occasiones peccati. Tertius est, vt tantùm studeat ad bene agendum, quãtum studuit ad peccandum.

Ad Rom. 6. — D. Gregor. — D. August.

D. Paul. ad Roma. 6. *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ, sicut enim exhibuistis membra vestra seruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra seruire iustitiæ in sanctificationem.* Hęc verba Pauli D. Gregor. 19. lib. moral. 25. ita exponit: Saltem tales estote in fructibus bonorum operum, quales fuistis in actione vitiorum, &c. D. Augustin. Psal. 31. Quales impetus habebas ad mundum, tales habeas ad artificem mundi, &c.

Homines mundo seruiunt magno conatu, Deo multi seruiũt oscitanter. — D. Gregor.

4. Magna equidem est eorum hominum, qui mundum diligunt, ad res diuinas desidia, parua voluntatis promptitudo, ad res autem caducas impetus summus, volũtatis promptitudo maxima. Pro caducis rebus adipiscendis omnes labores fortiter subeunt, pro comparandis rebus cælestibus laborem imbecilliter fugiunt. Audiamus D. Gregor. loco indicato: Sæculi (inquit) dilectores in terrenis rebus fortes sunt, in cælestibus debiles. Nam pro temporali gloria vsque ad mortem desudare appetunt, & pro spe perpetua, ne parum quidem in labore subsistunt,

stunt, pro terrenis lucris quaslibet iniurias tolerant, & pro cælesti mercede, vel tenuissimi verbi ferre contumelias recusant. Terreno iudicio toto etiam die assistere fortes sunt; in oratione verò coram Domino, vel vnius horæ momento lassantur, sæpe nuditatem, deiectionem, famem, pro acquirendis diuitiis, atque honoribus tolerant, superna autem laboriosè quærere tanto magis dissimulant, quanto ea retribui tardius putant, &c. At Dei dilectores, qui verè ad Deum conuertuntur, voluntatis promptitudinem, & cordis impetum mutant, & à mundanis rebus ad cælestes conuertunt; quo impetu mundo seruiebant, eo seruiunt Deo. Ad quærendas terrenas res erant fortes, debiles verò ad quærendas res cælestes; conuersi fortiter ad Deum fortes fiunt ad res cęlestes comparãdas, debiles ad comparandas res terrenas; pro gloria temporali vsque ad mortem desudabant, sudorem iam non pro inani mundi gloria, sed pro æterna consequenda fundunt;

Iusti feruido corde Deo seruiũt magno pectoris conatu.

pro terrenis lucris iniurias ferebant, iam pro cælesti lucro ac præmio omnes contumelias æquo animo ferũt; deniq; quidquid pro mundo tolerabãt, prompta voluntate tolerant pro Christo, & sicut exhibuerunt membra sua seruire vitiis, sic illa exhibent seruire iustitię, vt Paulus ait; imò promptiori voluntate Christo, & iustitiæ seruiunt, quàm seruierant vitiis, & mundo, iuxta illud Baruch 4. *Sicut fuit sensus vester, vt erraretis à Deo, decies tantum conuertentes, iterum requirite eum.*

Baruch 4. — D. Gregor. — Isaia 40.

Iusti (inquit D. Greg.) longius atq; distẽtius studiosos se Deo exhibẽt, quàm sæculo fuisse meminerunt, &c. Isai. 40. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem.* Mutãt fortitudinem, (ait Gregor.) quia qui fortes fuerãt in carne, fortes esse student in spiritali opere, &c. Fortes fuerant in caducis rebus quærendis, mutant hanc fortitudinem, fortioresq; fiunt in quærẽdis rebus cælestibus,

Psal. 83. — Psalm. 15.

vnde illud Psal. 83. *Ibunt de virtute in virtutem*, id est, de fortitudine in fortitudinem, in dies erunt robustiores ad conficiendum iter in cælum, relicto itinere mundi, & Psal. 15. *Multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea accelerauerũt*, hoc est, multiplicati sunt vitia eorum, & peccata, cùm seruiebant mundo, postea verò nuntium remittentes mundo, ad Deum accelerauerunt, alacriterque promptissima voluntate illi se obtulerunt.

Aurum, argentum, æs, hyacinthum, & purpuram, coccumq́; bis tinctum, & byssum, pilos caprarum, & pelles arietum rubricatas, pellesq́; ianthinas, & ligna setim.

Viri docti spolia Ægypti & opes ad construẽdum Ecclesiæ tabernaculũ offerunt.

5. Aurum, argentum, opusque, quibus Ægyptum spoliauerunt Israëlitæ, ad fabricandum Dei tabernaculum contulerunt: sic doctos homines oportet scientiam, siue loquentiam, qua spoliant Ægyptum, id est, scriptores ethnicos, ad construendam Ecclesiam cõferre. Est enim Ecclesia Dei tabernaculum. Docent viri religiosi humaniores literas, docẽt Philosophiam; Ethnicos, Marcum Tullium, Maronem, reliquosq; oratores, & Poëtas Græcos, ac Latinos peruolutant, docent Philosophiam, Aristotelis libros exponunt, aliosque legunt autores Ægypti incolas, denique spoliant Ægyptum suis opibus. Finis est opes Ægyptiorum in tabernaculum Dei ædificandum conferre. Quisquis sapientiæ aurum habet, scientiarumque argentum, non mundo offerat, sed Deo voluntate prompta. Heu quot ingenia, scientiæ opibus ornata, mundo se mancipant, non Deo.

D. Bernard.

Legat quæso, qui huiusmodi est, epistolam D Bernardi 104. Missam ad Gualtherum; inter alia dolẽs, quòd ingenium, & scientiam, perituris offerret rebus, sic scribit: Doleo super te, Gualtere charissime, cogitans nimirum illud tuę iuuentutis decus, & ingenij acumen, scientiæ, & eruditionis ornatum, tuos illos mores ingenuos, quàm inanibus studiis atteras, dum de tantis muneribus, non autori Christo, sed rebus deseruias transitoriis, &c. Dolendum sanè est super illos, qui, cùm possint Ecclesiæ tabernaculum ingenio suo exornare, non Ecclesię, sed mundo, & diabolo illud dedicant. Deplorãdi hi sunt, imitandi verò Hieronymi, Augustini, Ambrosij, Gregorij, multique alij, tum antiqui, tum recentiores, qui ingenium suum Ecclesiæ tabernaculo decorando magna cum laude Deo offerunt: sanguineis verò lacrymis hæretici sunt deflendi, qui, si quid ingenij Deus illis dedit, id ad hæreses, vel fabricandas, vel defendendas, & ad euertendũ Dei tabernaculũ diabolo exhibẽt.

Lyranus. — Quid significent oblationes Israëlitarum.

6. Rectè Lyranus ea, quæ Hebræi obtulerunt, moraliter sic interpretatur: Per aurum (inquit) intelligitur sapientiæ fulgor, quam offerunt Doctores; per argentum verò puritas conscientiæ, quam offerunt innocẽtes; per æs sonoritas eloquentiæ, quam offerunt prædicatores: per hyacinthum coloris cælestis, intelligitur meditatio cælestium rerum, quam offerunt contemplatiui; per purpuram intelligitur recordatio passionis Christi; per coccum bis tinctum, geminæ charitatis incendium; per byssum, honestas conuersationis, per pilos caprarum, ex quibus fiunt cilicia, asperitas pœnitentiæ, per pelles arietum rubricatas, desiderium martyrij; per ligna setim, quæ sunt imputribilia, firmitas in bono; per oleum, pietatis suauitas; per lapides onychinos, exempla ædificatiua; per gemmas, bona intelliguntur, quæ Ecclesiam ædificant. Hæc ille.

CAPVT III.

De artificibus tabernaculi.

EXODI CAP. XXXV.

1. ECCE vocauit Dominus ex nomine Beseleel filium Vri, filij Hur de tribu Iuda, impleuitque eum Spiritu Dei, sapientia, & intelligentia, & scientia, & omni doctrina ad excogitandum, & faciendum opus in auro, & argento, & ære, sculpendisq; lapidibus, & opere carpentario, quidquid fabre adinueniri potest, dedit in corde eius. Ooliab quoque filium Achisamech de

trib u

tribu Dan: ambos erudiuit sapientia, vt faciant opera abietarij, polymitarij, ac plumarij, de hyacintho ac purpura, coccoq; bis tincto, & bysso, & texant omnia, ac noua quæque reperiant.

EXODI CAP. XXXVI.

2. FECIT ergo Beseleel, & Ooliab, & omnis vir sapiens, quibus dedit Dominus sapientiam & intellectum, vt scirent fabre operari quæ in vsus Sanctuarij necessaria sunt, & quæ præcepit Dominus. Cumque vocasset eos Moyses, & omnem eruditum virum, cui dederat Dominus sapientiam, & qui sponte sua obtulerant se ad faciendum opus, tradidit eis vniuersa donaria filiorum Israël. Qui cùm instarent operi, quotidie manè vota populus afferebat. Vnde artifices venire compulsi, dixerunt Moysi: Plus offert populus quàm necessarium est. Iussit ergo Moyses præconis voce cantari: Nec vir nec mulier quidquam offerat vltra in opere Sanctuarij. Sicque cessatum est à muneribus offerendis, eò quòd oblata sufficerent & superabundarent.

Vocauit Dominus ex nomine Beseleel.

3. ELEGIT Dominus ad extruendum tabernaculum suum artifices; duos nominatim vocauit Beseleel ex tribu Iuda, & Ooliab ex tribu Dan neque solùm vocauit sed ea sapientia erudiuit, quę ad hoc opus necessaria erat. De Beseleel sic ait Moses, Exod. 35. *Impleuit eum Spiritu Dei, sapientia & intelligentia, & scientia, & omni doctrina ad excogitandum, & faciendum opus in auro, & argento, & ære, sculpendisque lapidibus, & opere carpentario, quidquid fabre adinueniri potest, dedit in corde eius.* Hæc de Beseleel. Addit Moses de vtroque, videlicet Beseleel, & Ooliab: *Ambos erudiuit sapientia, vt faciãt opera abietarij, polymitarij, ac plumarij de hyacintho, ac purpura coccoque bis tincto & bysso, & texant omnia, ac noua quæque reperiant,* &c. *Abietarius* ab arbore abiete dicitur faber lignarius, opus eius dicitur opus carpentarium. *Polymita vestis*, qualem Iacob fecit dilecto filio Ioseph, appellatur vestis diuersorum colorum, à πολὺ id est, *multum*, & μίτος id est, *filum*, quia ex filis diuersorum colorum est contexta: *Polymitarius* verò dicitur, qui ex variis filis varios colores miscet. *Plumarius* vocatur acupictor.

Artifices tabernaculi Deus sapientia donauit. *Exod. 35.* *Abietarius.* *Polymitarius.* *Plumarius.*

Cùm vocasset eos Moyses, & omnem virum eruditum.

4. Non soli duo artifices Beseleel, & Ooliab, tabernaculum construxerunt, hi duo præcipui fuere architecti, illis se alij adiunxerunt, sponteque laborem, & operam suam tabernaculi fabricationi obtulerunt, Exod. 36. *Fecit Beseleel, & Ooliab, & omnis vir sapiens, quibus dedit Dominus sapientiam, & intellectum, vt scirent fabre operari, quæ in vsus Sanctuarij necessaria sunt.* Indicat hic locus, plures fuisse tabernaculi fabricatores; accepisse verò à Deo sapientiam & intellectum, vt id facerent. Sponte sua se obtulisse indicant verba sequentia eodem cap. 36. *Cùm vocasset eos Moyses, & omnem eruditum virum, cui derat Dominus sapientiam, & qui sponte sua obtulerant se ad faciendum opus.*

Exod. 36. Plures fuerũt tabernaculi artifices. *Ibidem.*

Tradidit eis vniuersa donaria.

5. Beseleeli, & ceteris artificibus tradidit Moses, nihil sibi retinens, omnia quæ filij Israël ad construendum tabernaculum obtulerunt. Artifices autem fideliter in diuinum opus, tum operam suam, tum donaria omnia contulerũt, nihil suffurantes. Cùmque viri ac fæminę plus offerrẽt, quàm esset necessarium, id Mosi significarunt, qui per pręconem nuntiari iussit populo, ne quid amplius offerret.

Fideles fuerũt artifices.

A

MORALE.

De artificibus tabernaculi.

6. QVEMADMODVM Deus ad construendum tabernaculum artifices vocauit; sic vocauit artifices ad construendam Ecclesiam, quæ est illius tabernaculum. Ad Ephes. 4. *Ipse dedit quosdam quidem apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò euangelistas, alios autem pastores & doctores, ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi.* Christus (inquit Paulus) artifices vocauit, deditque ad cõsummationem sanctorum, id est, ad perfectionem sancti tabernaculi Ecclesiæ, in opus ministerij, in ædificationem corporis Christi, id est, vt Ecclesiam, quæ corpus Christi mysticum est, ædificent velut tabernaculum, & in hoc ministerium operam suam conferant. D. Hieronymus eodem capite: Apostoli, (inquit) pastores & doctores id habent operis, vt secundùm dispẽsationem, & officia sibi credita, Ecclesiã Christi, id est, corpus, ædificent. Si quis igitur non ędificat Ecclesiam Christi, nec plebem sibi subiectam instruit, vt de subiecto populo Christi Ecclesia construatur, iste neque apostolus, neque propheta, neque pastor, neque magister est appellandus. Sic ille. Artificibus tabernaculi dedit Deus sapientiam & intellectum ad illud construendum; sic artificibus tabernaculi Ecclesiæ tribuit Deus cælestem sapientiam, & intellectum ad illam exædificandam. Primi artifices apostoli fuerunt, hos Spiritus sanctus sapientia impleuit, & intellectu, linguisque variis donauit in die Pẽtecostes. De Beseleel sic scribit Moses: *Impleuit eum Deus Spiritu Dei, sapientia, & intelligentia, & scientia, & omni doctrina ad excogitandum.* Beseleel princeps fuit, & pręcipuus artifex tabernaculi: Petrus princeps fuit, & præcipuus artifex Ecclesiæ, eum supra cæteros omnes impleuit Spiritus sanctus sapientia, & intellectu, & doctrina ad fabricandum tabernaculum.

B C D

Ad Ephes. 4. Deus vocauit artifices apostolos & alios ad construendum Ecclesiæ tabernaculum. *D. Hieron.* *Artifices tabernaculi, id est, Ecclesiæ, impleuit Deus sapiẽtia.* *D. Petrus præcipuus artifex & princeps tabernaculi.*

7. Videant sacerdotes, videant pastores, qui operam suam tabernaculo Dei extruendo impendere volunt: videant, inquam, requiri ab extructoribus sapientiam, & intellectum. Apostolis Spiritus sanctus Ecclesiæ initio sapientiam, & intellectum infudit: nunc labore comparanda hæc sunt, & diuino auxilio. Non vacent otio pastores, sed studiis, ex quibus pabula possint colligere, quæ præbeant ouibus;

Sacerdotes & pastores oportet esse sapientes.

ouibus; vacent præterea orationi, vt diuinam sapientiam, intellectusque illuminationem à Deo consequantur, ignorantiam fugiant, audiantque D. Bernardum in serm. ad verba illa Euang. *Ecce nos reliquimus omnia.* Quando (inquit) poterit ignorantia excusare hominem, qui se doctorem insipientium profitetur? ignorans vtique ignorabitur, imò & multos ignorare faciet, & ignorari. Quid enim periculi sit, vbi non inuenit pastor pascua, ignorat dux itineris viam, vicarius nescit Domini voluntatem; Ecclesia experitur, &c. Obserua, quod Paulus ait, ad Ephes. loco citato: *Dedit pastores, & doctores.* Oportet enim pastorem esse doctorem, sapiẽtia præditum, oportet esse videntem, si cæcus, pastor cæcum ducat populum, ambo in foueam cadant. Non ait Paulus (inquit Hieronymus) alios pastores, & alios magistros, sed alios pastores, & magistros; vt qui pastor est, esse debeat & magister, nec in Ecclesiis, quanuis sanctus sit, pastoris sibi nomen assumere, nisi possit docere, quos pascit, &c. Dionysius Areopagita l. 1. de Ecclesiastica hierarchia, cap. 1. Qui sacerdotem (inquit) seu Pontificem dicit, augustiorem, prorsusque diuinum insinuat virum, totius sanctę scientiæ peritissimum, &c. Origen. Danda (inquit) nobis est opera, vt sapientes simus, & hęc quæ audimus de scripturis sanctis proferre in tempore, & aptare possimus, & componere, atque ex his adornare tabernaculum Deo &c.

D. Bernard. *Ephes. 4.* *D. Hieron.* *D. Dionys. Areopag.* *Origenes.*

Qui sponte sua obtulerant se ad faciendum opus.

8. D. Augustinus quæst. 170. in Exod. Laudandus (inquit) est in his omnibus, non attractus ad opus seruiliter animus, sed liberaliter, & sponte deuotus, &c. Artifices illi sponte sua se obtulerunt ad faciendum opus tabernaculi, omniaque fecerunt gratis. Vtinam in artificibus nostri tabernaculi, id est, Ecclesię, hoc inueniremus, vt sponte sua, diuinoque amore adducti, non honorum, vel pecuniarum cupiditate tracti, tabernaculi huius sanctissimi opus facerent. D. Bernard. super illa verba, *Ecce nos reliquimus omnia.* Tertiò dictum est Petro, pasce, nec mulge, seu tõde vel semel additum est, &c. Pascendi ergo oues amore ducatur pastor, non mulgendi, vel tondendi. Hæc erat Pauli gloria, gratis tabernaculum Dei construere. 1. Corinth. 9. ostendit tabernaculi, id est, Ecclesiæ artifices, sumptum ab iis, quos docent, posse accipere. *Nescitis* (inquit) *quoniam qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt? & qui altari deseruiunt, cum altari participant? & ita Dominus ordinauit iis, qui Euangelium annuntiant, de Euangelio viuere.* Addit, se hac ordinatione vti noluisse, gratisque Euangelium, & sine sumptu eorum, quos docebat, annuntiasse. *Ego* (inquit) *nullo horum vsus sum. Non autem scripsi hæc, vt ita fiant in me, bonum est mihi magis mori, quàm vt gloriam meam quis euacuet.* Item: *Quæ est merces mea?* Respondet, *vt Euangelium prædicans sine sumptu ponam Euangelium.* O sapientissimum diuini tabernaculi architectum! Sic enim se appellat 1. Corinth. 3. *Vt sapiens* (inquit) *architectus, fundamentum posui.* Gratis operam suam magno cum labore in fabricatione domus Dei collocabat: id verò vt præstare posset, labore manuum victum comparabat. Actor. 20. *Argentum, & aurum, aut vestem nullius concupiui, sicut ipsi scitis. Quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ.* Deut. 25. *Non ligabis os bouis terentis in area fruges tuas.* Allegoricè loco indicato Paulus hæc verba de artificibus tabernaculi exponit, quibus non est alligandum os; quia suppeditandus est eis cibus. Sed animaduertant artifices, non esse alligandum os bouis triturantis, eum enim qui ab Ecclesia beneficia, & opes accipit, oportet in area versari, ac triturare, non autem otiosè sudorem pauperum potare. Conceditur tibi (ait D. Bernardus epist. 2.) vt si benè deseruis, de altario viuas, non autem vt de altario luxurieris, & superbias, &c. Conceditur tibi, vt ere non alligato verseris in area, si trituraueris: quòd si triturare non vis, aream ne ingrediaris. Tunc triturat bos, cùm paleam à tritico secernit; tunc triturat pastor, cùm peccatum ab homine separat, &c. vt separet, omnem conatum, & laborem adhibet.

A B C D

Artifices tabernaculi diuino amore, & deuotione ducantur. *D. Bernard.* *1. Corin. 9. Pauli exemplum.* *1. Corin. 3.* *Actor. 20.* *Deuter. 25. Bos triturans, &c.* *D. Bernard.*

Plus offert populus quàm necessarium est.

9. Obseruat D. Augustin. quæst. 171. tabernaculi artifices bonis moribus ornatos fuisse, nihilq; ex iis, quæ offerebantur, sibi vsurpasse. Nam Exod. 36. sic scriptum est: *Cùm instarent operi, quotidie manè vota populus offerebat. Vnde artifices venire compulsi dixerũt Mosi: Plus offert populus quàm necessarium est. Iussit ego Moyses præconis voce cantari: Nec vir, nec mulier quidquam offerat vltrà in opere Sanctuarij.* D. Augustinus. Notandum (inquit) est, quòd illi, qui sapientes appellantur effectores operum, sancti etiam moribus tales erant, vt cùm ipsi susciperent omnia, quæ populus offerebat, existimans necessaria, ex quibus illa omnia complerentur; viderunt plus offerri, quàm erat necesse, & dixerunt Mosi, atque ille per pręconem vltrà populum offerre prohibuit. Poterant autem, si vellent, multa auferre, sed modestia prohibuit, vel religio terruit. Sic August. Nullus fuit inter illos artifices Iudas, qui furtiuos haberet loculos; fideliter tractanda sunt bona Ecclesiæ, ita vt tabernaculo Domini omnia impendantur; fideliter tractandum est patrimonium Christi, Ecclesiasticaque beneficia, ita vt non fiant superbiæ, voluptatisq; alimenta, sed pauperum subsidia.

D. August. *Exod. 36.* *D. August.* *Fideles fuẽt artifices, nihil suffurãtes.*

CAPVT IV.

De tabulis tabernaculi.

EXODI CAP. XXVI.

1. FACIES & tabulas stantes tabernaculi de lignis setim, quæ singulæ denos cubitos in longitudine habeant, & in latitudine singulos, ac semissem. In lateribus tabulæ duæ incastraturæ fient, quibus tabula alteri tabulæ connectatur: atq; in hunc modum cunctæ tabulæ parabũtur. Quarum viginti erunt in latere meridiano, quod vergit ad Austrum. Quibus quadraginta

ginta bases argenteas fundes, vt binæ bases singulis tabulis per duos angulos subiiciantur. In latere quoque secundo tabernaculi, quod vergit ad Aquilonem, viginti tabulæ erunt, quadraginta habentes bases argenteas, binæ bases singulis tabulis supponentur. Ad occidentalem verò plagam tabernaculi facies sex tabulas, & rursum alias duas, quæ in angulis erigantur post tergum tabernaculi. Eruntq; coniunctæ à deorsum vsque sursum, & vna omnes compago retinebit. Duabus quoque tabulis, quæ in angulis ponendæ sunt, similis iunctura seruabitur. Et erũt simul tabulæ octo, bases earum argenteæ sedecim, duabus basibus per vnam tabulam supputatis. Facies & vectes de lignis setim quinque ad continẽdas tabulas, in vno latere tabernaculi, & quinque alios in altero, & eiusdem numeri ad occidentalem plagam: qui mittentur per medias tabulas à summo vsque ad summum. Ipsas quoque tabulas deaurabis, & fundes in eis annulos aureos, per quos vectes tabulata cõtineant: quos operies laminis aureis. Et eriges tabernaculũ iuxta exemplar, quod tibi in monte monstratũ est.

EXODI CAP. XXXVI.

2. FECIT & tabulas tabernaculi de lignis setim stantes. Decem cubitorum erat longitudo tabulæ vnius: & vnum ac semis cubitum latitudo retinebat. Binæ incastraturæ erant per singulas tabulas, vt altera alteri iungeretur, sic fecit in omnibus tabernaculi tabulis. E quibus viginti ad plagam meridianam erant contra Austrũ, cum quadraginta basibus argenteis. Duæ bases sub vna tabula ponebantur, ex vtraque parte angulorum, vbi incastraturæ laterum in angulis terminantur. Ad plagam quoque tabernaculi, quæ respicit ad Aquilonem, fecit viginti tabulas, cum quadraginta basibus argenteis; duas bases per singulas tabulas. Contra occidentem verò, id est, ad eam partem tabernaculi, quæ mare respicit, fecit sex tabulas, & duas alias, per singulos angulos tabernaculi retro; quæ iunctæ erant à deorsum vsque sursum, & in vnam compaginem pariter ferebantur. Ita fecit ex vtraque parte per angulos, vt octo essent simul tabulæ; & haberent bases argenteas sedecim, binas scilicet bases, sub singulis tabulis. Fecit & vectes de lignis setim quinque, ad continendas tabulas, vnius lateris tabernaculi; & quinque alios ad alterius lateris coaptandas tabulas, & extra hos quinque alios vectes, ad occidentalem plagam tabernaculi contra mare. Fecit quoque vectem alium, qui per medias tabulas ab angulo vsque ad angulum peruenirent. Ipsa autem tabulata deaurauit, fusis basibus earum argenteis. Et circulos eorum fecit aureos per quos vectes induci possent: quos & ipsos laminis aureis operuit.

3. *Tabernaculũ domus erat lignea, ex tabulis fabricata. & cortinis tecta.*

ERAT tabernaculum templum portatile ex ligneis tabulis fabricatum, & cortinis quatuor tectum. Viginti tabulæ ligneæ efficiebant latus, siue parietem australem; viginti aliæ latus septentrionale; occidentalem autem tabernaculi parietem octo claudebãt. Pars tabernaculi orientalis patebat, & velo tantùm tegebatur. Singulæ tabulæ longitudinem decem cubitorum, latitudinem cubiti vnius, & dimidij habebant, crassitudinem, vt ait Iosephus, digitorum quatuor. Copulabantur autem hæ tabulæ per incastraturas, per quas vna in alteram infigebatur, illiq́ue adhærebat. Stabant innixæ basibus argenteis, vnaquæque tabula duas habebat bases, easq́ue infixas terræ, vt totum tabernaculum, quod ex illis constabat, firmum, atque immobile consisteret. LXX. interpretes pro *tabulis* vertunt στύλους, id est, *columnas*.

Facies & vectes.

4. *Tabulis constabat tabernaculũ, quæ basibus & vectibus continebantur.*

Præter bases argenteas, vectes quoque fieri præcepit Dominus de lignis setim ad continendas tabulas, firmiterq́ue statuendas. Erant autem in tabulis circuli, siue annuli quidam aurei, per quos rotundi vectes immittebantur, omnéq́ue tabulas continebant. Quinque vectes erant in latere australi, quinque in septentrionali, totidem in occidentali parte. Præter hos, in ipsa parte occidentali vectis alius erat, vt illum parietem ligneũ, & extremum, in quo reliqui duo coniungebantur, fortiùs contine-

A ret. Exod. 36. *Fecit vectes quinque ad continendas tabulas vnius lateris tabernaculi, & quinque alios ad alterius lateris coaptandas tabulas, & extra hos quinque alios vectes ad occidentalem plagam tabernaculi contra mare*, id est, Occidentem. *Fecit quoque vectem alium, qui per medias tabulas ab angulo vsque ad angulum peruenirent.* Abulensis arbitratur, hunc vectem per ipsam tabularum crassitudinem fuisse immissum, non per annulos aureos; dicit enim scriptura: *Fecit vectem alium, qui per medias tabulas ab angulo vsque ad angulum peruenirent.* Per medias tabulas interpretatur ille, per crassitudinem tabularum. At hæc interpretatio non videtur vera, quod probatur ex cap. 26. Exodi. *Facies* (ait Dominus) *& vectes de lignis setim, quinque ad continendas tabulas in vno latere tabernaculi, & quinque alios in altero, & eiusdem numeri ad occidentalem plagam, qui mittentur per medias tabulas à summo vsque ad summum.* Vectes hi, de quibus hic sermo habetur, per medias tabulas mittebantur, à principio vsque in finem illarum, non tamen mittebantur per crassitudinem ipsam tabularum, sed per annulos, siue circulos aureos, vt constat: ergo vectis ille, de quo loquimur, potuit immitti per annulos aureos, tabulis infixos; non per crassitudinem tabularum. Videtur hoc probabilius, nullum enim vectem Deus præcepit induci per crassitudinem tabularum. Lyranus putat, hunc vectem in orientali fronte tabernaculi fuisse collocatum, & parietes duos, australem, & septentrionalem

Exod. 36.

Exod. 26.

Vectes tabernaculi.

trionalem ab orientali parte colligasse. Sed scriptura indicat, illum per medias tabulas, & per medios circulos aureos, instar reliquorũ, fuisse immissum. In parte autem orientali nullæ erant tabulę, quia locus erat velo tectus, non ligneo pariete. Quæritur, *an hi vectes positi sint in parte tabernaculi interna, an in externa*? Caietanus ait, fuisse positos in parte interiori, Iosephus verò positos ait in parte, siue fronte exteriori. annulos enim vectium in exterioribus frontibus tabularum locat. Idem sentit Lyranus, & Abulensis.

Ipsas tabulas deaurabis.

5. Tabulæ tabernaculi omnes deauratæ erant, & vectes quoque: deauratæ inquam erant, id est, laminis aureis opertæ, Exod. 36. *Ipsa tabulata deauraui, fusis basibus earum argenteis, & circulos eorum fecit aureos, per quos vectes induci posset, quos* id est, vectes, *& ipsos laminis aureis operuit.* Vectes laminis aureis operti sunt, tabulę quoque. Pẽtes, *an tabulæ tam ex interiori parte tabernaculi, quàm ex exteriori essent deauratæ*? Respondet Abulensis Exod. 26. quæst. 13. fuisse deauratas ex vtraque parte. Caietanus in parte tantùm interna aurũ agnoscit, ornatus enim hic, (vt ille ait) nõn erigebatur foris, sed intus: at verò Iosephus sic scribit lib. 3. antiquit. cap. 5. Erãt tabulæ ligneę, vicenæ ex vtroque latere; crassitudine digitorum quatuor, latitudine vnius, & dimidij cubiti, intus & extra laminis aureis contectæ, &c. Hunc autem ornatum Dei habitaculum exigebat, vt eius aurei parieres foris, intusq́ue auro coruscarent.

Tabulæ tabernaculi laminis aureis erant opertæ, & vectes.

Iosephus.

Ad occidentalem plagam tabernaculi facies sex tabulas.

6. *Tabulæ octo in occidẽtali parte tabernaculi. Exod. 36.*

Ad occidentalem plagam tabernaculi iussit Dominus constitui sex tabulas, addiq́ue illis duas alias. Exod. 36. *Ad occidentalem plagam tabernaculi facies sex tabulas, & rursum alias duas, quæ in angulis erigantur post tergum tabernaculi.* De his tabulis quæritur, *quot cubitos haberent latitudinis*? Inde enim pendet latitudo tabernaculi. Quæstioni respondẽt Lyranus, Abulensis, & alij, sin-

A gulas habuisse dimidium cubitum latitudinis, idq́ue fit verisimile, quoniam tota tabernaculi latitudo videtur fuisse decem cubitorum, habebat autem sex tabulas, quarũ singulæ cubiti erant vnius, ac dimidij latitudinis, omnes verò sex efficiebant latitudinem tabernaculi nouem cubitorum. Additæ sunt duæ aliæ, de quibus loquimur, vt impleretur numerus decem cubitorũ. Vnde efficitur, has duas tabulas simul vnũ tantùm habuisse cubitum, singulas dimidium: adiunctas verò reliquis ad angulos tabernaculi decem cubitorum numerum expleuisse. Iosephus sic scribit lib. 3. antiquit. cap. 5. Posterioris parietis tabernaculi sex tabulæ fabicbant nouem cubitos, quibus coniunctæ sunt aliæ duæ

B tabulæ, ex medio cubito sectæ, quas angulares posuerunt, ad instar maiorum tabularum, &c. Ait, has duas tabulas fuisse minores reliquis, reliquas enim appellat maiores. ait præterea, fuisse sectas ex medio cubito. Sed videtur sibi repugnare, ait enim eodem cap. tabernaculi latitudinem fuisse duodecim cubitorum, latitudinem verò hanc efficiebãt sex tabulæ, singulæ vnius cubiti, & dimidij, efficiebant autem cubitos nouem. Addebantur duę aliæ in angulis, quibus tribuendi sunt tres cubiti latitudinis, vt duodecim latitudinis cubitos habeat paries occidentalis tabernaculi. Habebant ergo singulæ, ex sententia Iosephi, cubitũ, & dimidium latitudinis, quòd existimat Caietanus. Vnde fit,

C vt latitudo tabernaculi fuerit duodecim cubitorum. Sed pluribus placet decem tantùm cubitos latitudinis habuisse. Dicendũ est, altitudinem tabernaculi fuisse decem cubitorũ, tot enim cubitos altitudinis habebant omnes tabulę. Longitudo tabernaculi fuit cubitorũ triginta. Nam in latere australi erant viginti tabulæ, totidem in latere aquilonari, singulæ verò cubitum habebant, & dimidium latitudinis, latitudoq; omnium viginti tabularum longitudinem efficiebat tabernaculi triginta cubitorũ. Latitudo tabernaculi fuit cubitorum decem. vt suprà collegimus.

Iosephus.

Latitudo tabernaculi decem fuit cubitorum. longitudo cubitorum triginta, altitudo cubitorum decem.

CAPVT V.

De operimentis tabernaculi.

EXODI CAP. XXVI.

TABERNACVLVM verò ita facies: Decem cortinas de byssо retorta, & hyacintho, ac purpura, coccoq; bis tincto, variatas opere plumario facies. Longitudo cortinæ vnius habebit viginti octo cubitos: latitudo quatuor cubitorum erit. Vnius mensuræ fient vniuersa tentoria. Quinque cortinæ sibi iungentur mutuò, & aliæ quinque nexu simili cohærebunt. Ansulas hyacinthinas in lateribus ac summitatibus facies cortinarum, vt possint inuicem copulari. Quinquagenas ansulas cortina habebit in vtraque parte, ita insertas, vt ansa contra ansam veniat, & altera alteri possit aptari. Facies & quinquaginta circulos aureos quibus cortinarum vela iungenda sunt, vt vnum tabernaculum fiat. Facies & saga cilicina vndecim, ad operiendum tectum tabernaculi. Longitudo sagi vnius habebit triginta cubitos: & latitudo, quatuor: æqua erit mensura sagorum omnium. E quibus quinque iunges seorsum, & sex sibi mutuò copulabis, ita vt sextum sagum in fronte tecti duplices. Facies & quinquaginta ansas in ora sagi vnius, vt coniungi cum altero queat: & quinquaginta ansas in ora sagi alterius, vt cum altero copuletur. Facies & quinquaginta fibulas æneas, quibus iungantur ansæ, vt vnum ex omnibus operimentum fiat. Quod autem superfuerit in sagis quæ parantur tecto, id est, vnum sagum quod amplius est, ex medietate eius operies posteriora tabernaculi. Et cubitus

ex vna parte pendebit, & alter ex altera, qui plus est in sagorum longitudine, vtrumque latus tabernaculi protegens. Facies & operimentum aliud tecto de pellibus arietum rubricatis, & super hoc rursum aliud operimentum de ianthinis pellibus.

EXODI CAP. XXXVI.

2. FECERVNTQVE omnes corde sapientes ad explendum opus tabernaculi, cortinas decem de bysso retorta, & hyacintho, & purpura, coccoq; bis tincto, opere vario, & arte polymita: quarum vna habebat in longitudine viginti octo cubitos, & in latitudine quatuor. vna mensura erat omnium cortinarum. Coniunxitque cortinas quinque, alteram alteri, & alias quinque sibi inuicem copulauit. Fecit & ansas hyacinthinas in ora cortinæ vnius ex vtroque latere, & in ora cortinæ alterius similiter, vt contra se inuicem venirent ansæ, & mutuò iungerentur. vnde & quinquaginta fudit circulos aureos, qui morderent cortinarum ansas, & fieret vnum tabernaculum. Fecit & saga vndecim de pilis caprarum ad operiendum tectum tabernaculi: vnum sagum in longitudine habebat cubitos triginta, & in latitudine cubitos quatuor: vnius mensuræ erant omnia sæga: quorum quinque iunxit seorsum, & sex alia separatim. Fecitque ansas quinquaginta in ora sagi vnius, & quinquaginta in ora sagi alterius, vt sibi inuicem iungerentur. Et fibulas æneas quinquaginta, quibus necteretur tectum, vt vnum pallium ex omnibus sagis fieret. Fecit & opertorium tabernaculi de pellibus arietum rubricatis: aliudq; desuper velamentum de pellibus ianthinis.

Decem cortinas facies.

3. EX tabulis constructum tabernaculum operimenta quatuor tegebant. Primum, cortinæ: secundum, saga cilicina: tertium, pelles arietum rubricatæ: quartum, pelles ianthinæ, *Decem* (ait Dominus Exod. 26.) *cortinas de bysso retorta, & hyacintho, ac purpura, coccóque bis tincto, variatas opere plumario facies.* Cortinarum numerus denarius erat. Materia byssus erat retorta, id est, linum, retortis, & duplicatis filis; præterea materia erant fila hyacinthini coloris, & fila coloris purpurei, ac cocci bis tincti. Fiebant autem opere plumario, id est, vario & diuersorum colorum, quales sunt volucrum plumæ. Longitudo singularum viginti octo cubitorum erat, latitudo, quatuor cubitorum; ex his decem, quinque cortinæ inter se ansulis connectebantur: similiter connectebantur quinque aliæ, fiebantq; ex decem cortinis duæ. Hę verò duę simili nexu copulabantur, fiebatque ex decem cortinis vna, quæ super tabulas tabernaculi ante omnia alia tegumenta pelliũ extendebatur.

Tabulis extructum tabernaculum quatuor tegebant operimenta. Exod. 26.

De cortinis tabernaculi.

4. Dubium est, *an in his cortinis*, opere plumario factis, *fuerint facti Cherubini?* Pars affirmans confirmatur, quia Exod. 26. Hebraicè Cherubinorum fit mentio his verbis, חשב תנשה אתם כרובים סנשה: *Cherubim magase choseb thagase otam*, id est, *Cherubim opere artificis facies eas.* LXX. interpretes sic verterunt: Cherubim opere textoris facies eas. Chaldæus hoc pacto: Figuras Cherubim facies. Itaque fuisse in cortinis illis Cherubinos figuratos sensit D. Aug. in Exod. quæst. 173. Opere (inquit) textili Cherubim iussit in aulæis fieri, &c. Caietanus quoque: Non intelligas (inquit) Cherubinos duntaxat textos, sed adiunctis floribus, & aliis consonis. Idem arbitratur Abulensis. At D. Hieronymus epist. 130. ad Marcellam, vocem Cherubim ait hoc loco significare opus varium, atque depictum, eius hæc sunt verba: In Exodo, cæterisque locis, vbi describuntur vestes, plumaria arte contextæ, opus Cherubim, id est, varium, atque depictum esse factum describitur, ita tamen vt ו vau literam, Cherubim non habeãt, quia vbicunque cum hac litera scribitur, animalia magis, quàm opera significant. Sic ille. Significat ergo nomen Cherubim, si habeat ו vau, Cherubinos; si hac litera careat, significat opus varium, ac depictum. Sine litera vau legit hoc loco noster interpres, ideo vertit, *decem cortinas facies variatas*, neque vllam Cherubinorum fecit mentionem. Dici tamen potest, Cherubinos habuisse cortinas, diciq; variatas, quia Cherubinis, & variis floribus, ac picturis erant ornatę.

An in cortinis facti fuerint Cherubini?

D. August.

Caietan.

5. Secundum operimentum tabernaculi fuere saga cilicina, confecta ex pilis caprarum, erant autem numero vndecim, singula lõgitudinem habebant cubitorum triginta, & latitudinem cubitorum quatuor. Quinq; saga inter se ansis coniugabantur, similiter sex reliqua, fiebántq; duo saga; rursus hæc duo saga inter se copulabantur, & fiebat ex omnibus vnum magnum sagum, quod totum tegebat tabernaculũ. Tertium operimentum, fuere pelles arietum rubro colore infectæ. Quartum, pelles ianthinæ, hæ fuere supremum tabernaculi tegumentum, quod oportuit ex crassis, duriśque esse pellibus animalium, erant autem coloris violacei, vt suprà diximus.

Saga pelles rubricatæ. Pelles ianthinæ.

CAPVT VI.

De duabus domibus tabernaculi, & duobus velis.

EXODI CAP. XXVI.

1. FACIES & velum de hyacintho, & purpura, coccoq; bis tincto, & bysso retorta, opere plumario & pulchra varietate contextum: quod appendes ante quatuor columnas de lignis setim, quæ ipsæ quidem deauratæ erũt, & habebunt capita aurea, sed bases argenteas. Inferetur autem velum per

per circulos, intra quod pones arcam testimonij, quo & Sanctuarium, & Sanctuarij sanctuaria diuidentur. Pones & propitiatorium super arcam testimonij in Sancto sanctorum: mensamq; extra velum: & contra mensam candelabrum in latere tabernaculi meridiano: mensa enim stabit in parte Aquilonis. Facies & tentorium in introitu tabernaculi de hyacintho, & purpura, coccoque bis tincto, & bysso retorta, opere plumarij. Et quinque columnas deauratis lignorum setim, ante quas ducetur tentorium: quarum erunt capita aurea, & bases æneæ.

EXODI CAP. XXXVI.

2. FECIT & velum de hyacintho, & purpura, vermiculo, ac bysso retorta, opere polymitario, varium atque distinctum: & quatuor columnas de lignis setim, quas cum capitibus deauratis, fusis basibus earum argenteis. Fecit & tentorium in introitu tabernaculi ex hyacintho, purpura, vermiculo, byssóque retorta, opere plumarij: & columnas quinque cum capitibus suis, quas operuit auro, basesque earum fudit æneas.

3. TABERNACVLVM triginta cubitos habuit longitudinis, latitudinis verò decem, vt pluribus placet, altitudinis decem. Longitudo ab oriente versùs occidentem protendebatur. Ostium enim oriẽtem spectabat. Iosephus: Tabernaculum (inquit) statuit Moses versum ad orientem, vt sol surgens radios in illud mitteret, &c. Latitudo verò protendebatur ab austro versùs aquilonem. Diuisa erat longitudo tabernaculi in duas partes, in domum interiorem, quæ dicitur Sancta sanctorum, & in domum exteriorẽ, quæ appellatur Sancta. Domus interior quadrata erat decem cubitorũ longitudinis, decem altitudinis, totidem latitudinis. Erat autem in parte occidentali tabernaculi separata à domo exteriori velo quodã, Exod. 26. *Facies* (ait Dominus) *& velum de hyacintho, & purpura, coccóque bis tincto, & bysso retorta, opere plumario, & pulchra varietate contextum.* Hoc velum ante Sancta sanctorum appendebatur, in quatuor columnis ex lignis setim fabricatis, & deauratis. Capita verò habebant aurea, sed bases argenteas. Domus exterior viginti cubitos longitudinis habuit, decem latitudinis, totidem altitudinis; in ostio eius velum alterum appensum erat, in quinque columnis deauratis; quarum capita aurea erant bases æneæ. Velum autem simile fuit velo domus interioris, Exod. 26. *Facies tentorium* (ait Dominus) *in introitu tabernaculi, de hyacyntho, & purpura, coccóque bis tincto, & bysso retorta opere plumario, & quinque columnas deauratas lignorum setim, ante quas ducetur tentorium.*

Iosephus.

Domus interior, siue sancta sanctorum.

Exod. 26.

Domus exterior, siue sancta.

Exod. 26.

4. In Sanctis sanctorum, siue in Sanctuario sanctuarij, id est, in domo interiori, arca erat ex lignis setim fabricata, Cherubini, & propitiatorium intra velum. In Sanctis, siue in Sanctuario, extra velum primum, collocatum erat altare thymiamatis, in quo odores Deo offerebantur. Ex parte australi positum erat candelabrũ aureum, ex parte septentrionali mensa è regione candelabri, Exod. 40. & cap. 26. *Pones* (ait Dominus) *mensam extra velum, & contra mensam candelabrum in latere meridiano, mensa enim stabit in parte aquilonis.* Lege Paulum ad Hebr. 9. *Tabernaculum* (inquit) *factum est primum*, tabernaculum primum appellat domum exteriorem, *in quo erant candelabra*, vnum erat candelabrum, sed multa habebat candelabra, id est, septem lucernas. Græcè λυχνία, *& mensa, & propositio panum, quæ dicitur Sancta*, hoc est, quæ domus exterior, & tabernaculum, appellatur Sancta, ἁγία. Hæc Paulus de primo dicit tabernaculo, de domo autem interiori, siue oraculo adiungit: *Post velamentum autem secundum, tabernaculum, quod dicitur Sancta sanctorum, aureum habens thuribulum, & arcam testamenti, circumtectam ex omni parte auro, in qua vrna aurea habens manna, & virga Aaron, quæ fronduerat, & tabulæ testamenti, superque eam erant Cherubim gloriæ obumbrantia propitiatorium*, &c. Dubitas, an appellet Apostolus *tabernaculum secundum*, an *velamentum secundum?* Respondetur, appellare velamentum secundum, quod oppãsum erat ante oraculum, vt ex Græco contextu constat, δεύτερον καταπέτασμα. Vides, fuisse in tabernaculo interiore arcam, propitiatoriũ, Cherubinos. An fuerit altare thymiamatis, iam ostendimus 2. tomo Concord. Euangel. lib. 3. cap. 19. Eodem libro diximus de arca, de propitiatorio, de Cherubinis, de candelabro, de mensa, de altari thymiamatis, de velamentis, de ingressu in Sancta, & in Sancta sanctorum. Si libet, lege, eadem repetere non est opus.

Altare thymiamatis, mensa.

Exodi 40. & 26.

Hebr. 9.

Ibid.

Arca, propitiatorium, cãdelabrum.

CAPVT VII.

De atrio, & paxillis tabernaculi, de altari holocaustorum, & labro æneo.

EXODI CAP. XXVII.

1. FACIES & atrium tabernaculi, in cuius australi plaga contra meridiem erunt tentoria de bysso retorta: centum cubitos vnum latus tenebit in longitudine. Et columnas viginti cum basibus totidem æneis, quæ capita cum cælaturis suis habebunt argentea. Similiter & in latere aquilonis per longum erunt tentoria centum cubitorum, columnæ viginti, & bases æneæ eiusdem numeri, & capita earum cum cælaturis suis argentea. In latitudine verò atrij, quod respicit ad occidentem, erunt tentoria per quinquaginta cubitos, & columnæ decem, basesque totidem. In ea quoque atrij latitudine, quæ respicit ad orientem, quinqua-

quinquaginta cubiti erunt. In quibus quindecim cubitorum tentoria lateri vno deputabuntur,columnæque tres & bases totidem,& in latere altero erunt tentoria cubitos obtinentia quindecim,columnæ tres,& bases totidem. In introitu verò atrij fiet tentorium cubitorum viginti ex hyacintho & purpura, coccoq; bis tincto, & bysso retorta, opere plumarij: columnas habebit quatuor, cum basibus totidem. Omnes columnæ atrij per circuitum vestitæ erunt argenteis laminis, capitibus argenteis,& basibus æneis. In longitudine occupabit atrium cubitos centum, in latitudine quinquaginta,altitudo quinque cubitorum erit. fietq; de bysso retorta, & habebit bases æneas. Cuncta vasa tabernaculi in omnes vsus,& ceremonias,tam paxillos eius,quàm atrij ex ære facies.

EXODI CAP. XXXVIII.

2. FECIT & atrium,in cuius australi plaga erant tentoria de bysso retorta,cubitorum centum,columnæ æneæ viginti cum basibus suis, capita columnarum, & tota operis cælatura,argentea. AEquè ad septentrionalem plagam tentoria,columnæ,basesque & capita columnarum eiusdem mensuræ,& operis,ac metalli erant. In ea verò plaga,quæ ad Occidentem respicit, fuerunt tentoria cubitorum quinquaginta,columnæ decem cum basibus suis æneæ,& capita columnarum, & tota operis cælatura,argentea. Porrò contra Orientem quinquaginta cubitorum parauit tentoria: è quibus quindecim cubitos columnarum trium, cum basibus suis, vnum tenebat latus: & in parte altera(quia inter vtraque introitum tabernaculi fecit)quindecim eqùe cubitorum erant tentoria, columnæque tres, & bases totidem. Cuncta atrij tentoria byssus retorta texuerat. Bases columnarum fuere æneæ, capita autem earum cum cunctis cælaturis suis argentea: sed & ipsas columnas atrij vestiuit argento. Et in introitu eius opere plumario fecit tentorium ex hyacintho, purpura, vermiculo,ac bysso retorta, quod habebat viginti cubitos in longitudine, altitudo verò quinque cubitorum erat,iuxta mensuram, quam cuncta atrij tentoria habebant. Columnæ autem in ingressu fuere quatuor cum basibus æneis, capitaque earum & cælaturæ argenteæ.

Longitudo atrij centum cubitorũ: latitudo quinquaginta.

3. CIRCVMDATVM erat tabernaculũ,quod descripsimus, atrio magno ex columnis, appensisque cortinis constructo. Longitudo atrij centum fuit cubitorum, latitudo quinquaginta. Longitudo ab oriente in occidẽtem proferebatur, latitudo ab austro in septentrionem. Ex parte australi in longitudine centum cubitorum, stabant columnæ viginti, ex his tentoria siue cortinæ pendebant, ex bysso retorta confectæ. Columnæ autem altitudinis erãt quinq; cubitorum. Itaque altitudo atrij quinque erat cubitorum, Exod. 27. *In longitudine occupabit atrium cubitos centum, in latitudine quidquaginta, altitudo quinque cubitorum erit.* Ex parte septentrionali similiter viginti columnæ statuebantur quinque cubitorum altitudinis, appensis cortinis, siue tentoriis, vt in parte australi. De iis columnis Exod. 27. sic scriptum est: *Omnes columnæ atrij per circuitum vestitæ erunt argenteis laminis capitibus argenteis, & basibus æneis.* & cap. 38. *Fecit & atrium ex cuius australi parte erant tentoria de bysso retorta cubitorum centum, columnæ æneæ viginti cum basibus suis. Capita columnarum, & tota operis cælatura, argentea. AEquè ad septentrionalem partem tentoria, columnæ, bases, & capita columnarum eiusdem mensuræ, & operis, ac metalli erant.* Hinc constat columnas atrij æneas fuisse, ex ære fabricatas, argenteis laminis vestitas, & cælatas. Eodem cap. 38. *Cuncta atrij tentoria byssus retorta texuerat; bases columnarum fuere æneæ: capita autem eorum cum cunctis cælaturis suis argentea: sed & ipsas columnas atrij vestiuit argento.* Iosephus lib. 3. antiq. cap. 5. bases columnarum, siue vallorum, vt ipse appellat, mucronatas fuisse ait, imæ hastæ similes, & in terram defixas, vt firmiores essent.

Exod. 27.

Atrium circumdabant cortinæ appensæ ex columnis.

Ibidem.

Exod. 38.

Ibidem.

A Post tabernaculum versus occidentem, in latitudine atrij quinquaginta cubitorum, columnæ erant decem, similiaque tentoria. Ante tabernaculum latitudo quinquaginta cubitorum, quæ respiciebat orientem, in tres partes distributa est: nimirum in duo latera, & introitum, qui in medio erat laterum. Vnum latus quindecim cubitos habebat, & tres columnas cum tentoriis suis: ex altera parte alterum latus similiter quindecim cubitos latitudinis obtinebat, columnas tres, & cortinas. Introitus verò atrij viginti cubitos habebat latitudinis, columnas quatuor, & velum appensum, siue tentoriũ viginti cubitorum, nõ ex sola bysso retorta, sed ex hyacintho & purpura, coccoq; bis tincto, & bysso retorta opere plumarij confectum. Illud

B etiam obseruandum est, ad stabiliendas, & extendẽdas cortinas, siue tentoria tabernaculi, & atrij, paxillos fuisse adhibitos, qui humi defixi funes tenaciter retinerent. De iis Exod. 27. fit mentio his verbis: *Cuncta vasa tabernaculi in omnes vsus, & ceremonias, tam paxillos eius, quàm atrij, ex ære facies.* & cap. 38. *Paxillos tabernaculi, & atrij per gyrum fecit æneos.* Iosephus loco indicato, in vallis æreis, siue columnis, annulos fuisse scribit, quibus funes innectebantur; funes verò clauis cubitalibus æreis, humi confixos, columnas firmasse, & contra ventorum vim tabernaculum muniuisse. Clauos cubitales appellat paxillos æreos vnius cubiti, etiam vox Hebræa, יתד, *iathed*, *paxillum* significat, & *clauum*. De

C clauis tabernaculorum Isaias 33. *Tabernaculum* (inquit) *quod neqùaquam auferri poterit, nec auferẽtur claui eius in sempiternum. & omnes funiculi eius non rumpentur.* & cap. 54. *Dilata locum tentorij tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne parcas,*

Exod. 27.

De paxillis tabernaculi.

Exod. 38.

Isaiæ 33.

Isaiæ 54.

longos fac funiculos tuos, & clauos tuos consolida. Funium etiam,& paxillorum mentio fit Numer. 3. *Erunt sub custodia eorum columnæ atrij per circuitum, cum basibus suis, & paxillis cum funibus.* Dubiũ pariunt verba illa citata ex cap. 27. Exodi: *Cuncta vasa tabernaculi in omnes vsus, & ceremonias, tam paxillos eius, quàm atrij ex ære facies,* &c. Nam multa vasa tabernaculi aurea erant, Exod. 25. *Parabis acetabula, ac phialas, thuribula, & cyathos in quibus offerenda sunt libamina, ex auro purissimo.* Item: *Emunctoria, & vbi, quæ emuncta sunt, extinguantur, fiant de auro purissimo.* Hæc vasa omnia tabernaculi erant, non ærea, sed aurea. Respondemus, Dominum Exod. 27. cùm dixit: *Omnia vasa tabernaculi ex ære facies.* non esse locutum de

B iis vasis, quæ aurea esse præceperat cap. 25. sed de aliis, vt de vasis altaris holocaustorum, quod ære erat opertum, & vasa habebat ærea. Exod. 27. *Facies altare de ligno setim, quod habebit quinque cubitos in longitudine, & totidem in latitudine,* id est, quadratum, *& tres cubitos in altitudine, cornua autem per quatuor angulos ex ipso erunt, & operies illud ære, faciesque in vsus eius lebetes ad suscipiendos cineres, & forcipes, atque fuscinulas, & ignium receptacula, omnia vasa ex ære fabricabis.* Erat hoc altare in atrio tabernaculi: dicebatur autem holocaustorum à præcipuo sacrificij genere, id est, ab holocausto, quo tota victima incendebatur. In hoc enim altari animalia Deo in odorem suauitatis igne incensa offerebantur. In altari autem thymiamatis, quod in domo exteriori situm fuit, offerebantur odores. De altari holocaustorum diximus tomo 2. Concord. lib. 3. cap. 32.

Nu̇m. 3.

Exod. 27.

Exod. 25.

Ibidem.

Exod. 27.

Ibid.

Altare holocaustorum in atrio erat tabernaculi.

5. Erat præterea in atrio tabernaculi labrum æneum, hoc est, lauacrum ex ære fabricatum in modum conchæ, basi suffultum, quo continebatur aqua ad abluendas manus, pedesque sacerdotum. Exod. 30. *Facies & labrum æneum cum basi sua, ad lauandum: ponesque illud inter tabernaculum testimonij, & altare; & missa aqua lauabunt in ea Aaron, & filij eius, manus suas, ac pedes, quando ingressuri sunt tabernaculum testimonij, & quando accessuri sunt altare, vt offerant in eo thymiama Domino.* Nam nudis pedibus, & lotis, sacerdotes tabernaculum ingrediebantur; nudis etiam, & lotis pedibus, in atrio ministrabant. De hac ablutione sacerdotum diximus tomo 2. Concord. lib. 3. cap. 34. Hoc lauacrum dicitur factum de speculis mulierum, Exod. 38. *Fecit & labrum æneum cum basi sua, de speculis mulierum, quæ excubabant in ostio tabernaculi.* LXX. interpretes sic vertunt: Fecit luterem æneum de speculis ieiunantium, quæ ieiunauerunt apud ostia tabernaculi, &c. Chaldæus sic: Fecit labrum ex ere de speculis mulierum, quæ veniebant, vt orarent in ostio tabernaculi fœderis, &c. Hebraicè legitur: Fecit labrũ במראת הצבאת, *bemaroth ab sobeoth*, hoc est, *de*, vel *in speculis militantium*. Rabbi Abraham ait, fuisse in Israël mulieres Deum colentes, quæ spreta mundi vanitate, sua specula Domino offerebant, quia non erant illis opus. Ex his ergo speculis factum videtur labrum. Vnde Lyranus: Dicunt (inquit) expositores nostri communiter, quòd istæ erant fœminæ deuotæ, quæ veniebant frequenter ad ostium tabernaculi, ratione cultus diuini, & in signum, quòd nolebant ampliùs intendere ornatui exteriori, obtulerunt specula sua, quorum capsæ erant æneæ, & de illis factũ est vas prædictũ, &c. Fuisse autem fœminas

Labrũ æneũ erat in atrio.

Exod. 30.

Exod. 38.

Lyranus. Labrum factum est ex speculis mulierum.

A quæ excubarent ad ostium tabernaculi, indicat locus lib. 1. Reg. cap. 2. in quo legitur de filijs Heli, *quòd dormiebant cum mulieribus, quæ obseruabant ad ostium tabernaculi.* Hebraicè idem est participium, *sebeorh*, id est, *militantibus*, siue *excubantibus*. Caietanus aliter interpretatur, hoc pacto: Fecit concham æream talem, quòd in illa videbant se ipsas exercitus mulierum: ita vt significetur, æs conchæ maximè tersum, ac politum fuisse, instar speculorum. Tertia interpretatio est huiusmodi: *Fecit labrum de speculis mulierum*, non quòd ex speculis ipsis labrum fabricauerit, sed quòd ornauerit, & in circuitu eius affixerit specula, vt sacerdotes maculas faciei cernere possent, & abluere. Caietani opinio

B non placet. Primam videntur significare verba nostræ versionis, quę ab Hebræa lectione non dissentit: *Fecit labrum de speculis mulierum*, hoc est, ex ære speculorum, non ex capsis, siue tegumentis, vt ait Lyranus, nam specula illa non erant vitrea, sed ærea politissima.

1. Reg. 2.

Caietan.

6. Duæ tamen occurrunt obiectiones: Prima est, labrum illud fuisse magnum, oportuisse ergo multa speculorum millia offerri, vt fieri ex ære illorum. Non videntur autem tot mulierum millia ad ostium tabernaculi excubasse. Præterea labrum factum est, antequam erigeretur tabernaculum, ex speculis, quæ obtulerant

C fœminæ. Nullæ verò fœminę ante tabernaculi erectionem excubabant, id est, veluti milites vigilabant ad ostium illius. Ergo non est factum labrum ex speculis fœminarum, quæ excubabant ad ostium tabernaculi. Priori obiectioni responderi potest, in populo Israëlitico fuisse ingẽtem fœminarum multitudinem, ex quibus multa, millia ad ostium tabernaculi excubabãt, hæ verò obtulerunt Deo aliqua millia speculorum æneorum. Posterior difficilior est. Responderi potest, ante constructionem tabernaculi, vt suprà diximus, fuisse aliud tabernaculum à Mose extructum, de quo agitur Exod. 33. & ante ostium huius tabernaculi vigilasse fœminas, & orasse. Responderi etiam potest fœminas, postquam erectum est tabernaculũ, cœpisse excubare ante eius ostium, has autem fœminas, antequam extrueretur tabernaculum, obtulisse specula, ex quibus fabricatũ est labrum æneum. Hebraicè præteritum est: *Fecit labrum de speculis excubantium, quæ excubuerant ad ostium tabernaculi.* LXX. vertunt, *quæ ieiunauerunt.* Præterea dici potest, post tabernaculum erectum excubasse fœminas antè ostium illius, & obtulisse specula, post labrum æneum fabricatum. Fecit autem Beseleel artifex labrum æneum, & in speculis, vel de speculis mulierum, postea oblatis, ornauit.

Obiectiones.

Excubabant in ostio tabernaculi.

Dubium est, *an fœminæ, & viri præter Leuitas in atrium tabernaculi licuerit ingredi.* D. Thomas 12. quæst. 102. art. 4. ad 6. licuisse putat: In atrio (inquit) erat altare holocaustorum, in quo offerebantur Deo sacrificia, & ideo in atrio poterat esse populus, qui huiusmodi Deo offerebat per manus sacerdotum, &c. In eadem opinione est abulensis, Exod. 27. quæst. 8. Offerentes (ait) sacrificia intrabant in atrium tabernaculi, & ibi coquebant carnes sacrificiorum, & epulabantur coram Domino. Lege eundem in Leuiticum quæst. 14. Deut. 12. *Comedetis ibi in conspectu*

7. *An alijs præter Leuitas licuerit ingredi atrium tabernaculi. D. Thom.*

Abulens.

Deut. 12.

Deut.16. *ctis Domini Dei vestri.* & cap. 16. *Epulaberis coram Domino in loco, quem elegerit Dominus, vt inhabitet*
Ezechiel 46. *nomen eius ibi.* Item Ezech. 46. culinarum templi fit mentio: *Hæc est domus culinarum, in qua coquent ministri domus Domini victimas Domini.* Co-
1.Reg.2. quebantur ergo victimæ in templo, 1.Reg.2. *Quicunque immolasset victimam, veniebat puer sacerdotis, dum coqueretur carnes, & habebat fuscinulam in manu sua, & mittebat eam in lebetem, vel in caldariam, aut in ollam, sive cacabum, & omne quod leuabat fuscinula, tollebat sacerdos sibi.* Præterea Leuitici
Leuit.7. 7. legimus: *Qui offert victimam pacificorum Domino, tenebit manibus adipem hostiæ, & pectusculum, cumq; ambo oblata Domino consecrauerit, tradet sacerdoti.* Nonne vides, offerentem fuisse propè altare, siquidem tenebat manibus adipem hostiæ, & pectusculum, eaque tradebat sacerdoti?
Psalm. 25. Psal. 25. *Lauabo inter innocentes manus meas, & circum-*
Psalm. 26. *dabo altare tuum Domine.* Psal. 26. *Circuiui, &*

A *immolaui in tabernaculo eius hostiam vociferationis.* Circumdabat igitur Danid, & circuibat altare holocaustorum, quod erat in atrio, & cum vociferatione, & cantu offerebat hostias Domino. Psal. 42. *Introibo* (inquit) *ad altare Dei.* Psal.42.

At alij sunt, qui volunt, non fuisse fas aliis, 8.
præter sacerdotes, & Leuitas, ingredi atrium sacerdotum. Probatur, quia Leuit. 1. Dominus Leuit.1.
iubet *hostiam offerri ad ostium tabernaculi testimonij.* &c. Concedimus, præter sacerdotes, & Leuitas, nemini laico fuisse fas ingredi atrium sacerdotum, sed offerentes hostias excipimus. Hi
B enim offerebant illas ante ostium tabernaculi testimonij, id est, ante ostium non atrij, sed ipsius tabernaculi, vbi testimonium erat, id est, tabulę mandatorum, fœdus Dei testantes. Is autem locus erat in atrio sacerdotum ante altare holocaustorum.

CAPVT VIII.

De sumptibus tabernaculi, & exemplari, & numeratione populi.

EXODI CAP. XXX.

1. VANDO tuleris summam filiorum Israël iuxta numerum, dabunt singuli pretium pro animabus suis Domino, & non erit plaga in eis, cùm fuerint recensiti. Hoc autem dabit omnis qui transit ad nomen, dimidium sicli iuxta mensuram templi. Siclus viginti obolos habet. Media pars sicli offeretur Domino. Qui habetur in numero à viginti annis & suprà, dabit pretium. Djues non addet ad medium sicli, & pauper nihil minuet. Susceptámque pecuniam, quæ collata est à filiis Israël, trades in vsus tabernaculi testimonij, vt sit monimentum eorum coram Domino, & propitietur animabus eorum.

EXODI CAP. XXV.

8. INSPICE, & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est.

EXODI CAP. XXXVIII.

3. OMNE aurum quod expensum est in opere Sanctuarij, & quod oblatum est in donariis, viginti nouem talentorum fuit, & septingentorum triginta sicl orum, ad mensuram Sanctuarij. Oblatum est autem ab his, qui transierunt ad numerum à viginti annis & suprà, de sexcentis tribus millibus, & quingẽtis quinquaginta armatorum. Fuerunt præterea centum talenta argenti, è quibus conflatæ sunt bases Sanctuarij, & introitus vbi velum pendet. Centum bases factæ sunt de talentis centum, singulis talentis per bases singulas supputatis. De mille autem septingentis & septuaginta quinque, fecit capita columnarum, quas & ipsas vestiuit argento.

4. STATVIT Deus pecuniam à populo tribui
Populus cùm numerabatur pecuniam soluebat sumptibus tabernacli. in sumptus tabernaculi, Exod. 30. Cùm enim populus numerabatur, singuli ex numeratis sicli dimidium soluebant, id est, duos denarios. Numerabantur autem illi, qui viginti vel
Num.1. plures annos iam egerant. Numer. 1. *Tollite* (inquit Dominus) *summam vniuersæ congregationis filiorum Israël, per cognationes, & domos suas, & nomina singulorum, quidquid sexus est masculini à vigesimo anno, & suprà, omnium virorum fortium ex Israël, & numerabitis eos per turmas suas.* Eodem capite numerantur Israëlitæ à viginti annis, & suprà, præter Leuitas, repertaque sunt sexcenta tria millia virorum, quingenti quinquaginta; singuli verò soluerunt dimidium sicli, id est, duos denarios, in sumptus tabernaculi. Quæritur, *an*
An singulis annis numerarentur Israëlitæ? *singulis annis numerarentur Israëlitæ, vt expensas tabernaculo suppeditarent?* Fonseca, Caietani scholiastes, Exod. 30. sic scribit; Sentiunt Hebræi

C hanc dimidij sicli pensionem non semel tantùm, sed singulis annis in propitiationis festo à singulis Israëlitis factam esse. Nam consuetum erat sæpius numerare populum, vt gratia illum multiplicandi tam mirabiliter, patriarchis promissa, fidem augeret, &c.

Attamen non videtur in more fuisse positum, vt singulis annis populus numeraretur. Si 5.
enim singulis annis numeraretur, cognitus esset Danidi numerus Israëlitarum, nec iussisset
eos numerari, 2.Reg.24. dicens: *Numerate populum, vt sciam numerum eius.* Præterea differre 2.Reg.24.
D oportebat in longius tempus numerationem, vt illi multiplicarentur, qui numerandi erant, & addendi numero præterito. Numerabantur ergo cùm opus erat. Dimidium autem sicli absque populi numeratione soluebatur in vsus tabernaculi, vel templi, quod probatur ex Ioseph o, qui lib. 7. de bello, cap. 26. ait, Vespasianũ *Dimidiũ sicli soluebatur tabernaculo.*

dimidium

Ioseph. dimidium sicli indixisse Iudæis victis, quod A
templo soluebatur. Tributum (inquit) Iudæis indixit, vbicumque degerent, binasque drachmas singulis annis, deferre in Capitolium iussit: ita vt antehac templo pendebant, &c. Duæ drachmæ duo sunt denarij, siue dimidium sicli, quod soluebatur templo. Idem videtur solutum tabernaculo, antequam templum exædificaretur, absque populi numeratione.

6. Quæritur præterea, *an numeratio prima popu-*
An prima populi numeratio illa fuerit, cuius sit mentio cap. 1. Num. *li illa fuerit, cuius sit mentio* cap. 1. Numerorum? Non fuisse primam, probatur; quia ex c. Exod. 38. colligitur, alteram fuisse ante illam, cuius pecunia impensa est constructioni tabernaculi. Sic enim eo capite scriptum est: *Omne aurum,*
Exod.38. *quod expensum est in opere Sanctuarij, & quod oblatum est in donarijs, viginti nouem talentorum fuit, & septingentorum triginta sicl orum, ad mensuram Sanctuarij. Oblatum est autem ab ijs, qui transierunt ad numerum à viginti annis, & suprà, de sexcentis tribus millibus, & quingentis quinquaginta armatorum. Fuerunt præterea centum talenta argenti.* Nonne vides, aurum expensum in fabricatione Sanctuarij, id est, tabernaculi, oblatum esse ab iis, qui transierunt ad numerum à vigesimo anno, & suprà? Facta est ergo numeratio populi ante extructum tabernaculum, ex qua aurum est collectum, quod in constructionem illius est collatum; perspicuè enim hoc verba allata significant. Abulensis Numer. 1. putat, populum numeratum esse bis in hac mansione, semel ante fabricationem tabernaculi, iterum; postquam est fabricatum. Idem arbitratur Lyranus. Caietanus existimat, primam numerationem fuisse imperfectam, secundam perfectam; & in secunda non fuisse solutum dimidium siclum.

7. Existimat autem interpres, Exod. 38. verbis
Exod.38. *De summa pecuniæ soluta tabernaculo.* bis citatis non significari aurum esse solutum à numeratis, sed solùm argentum, de quo ibidem legitur: *Fuerunt præterea centum talenta argenti, è quibus conflatæ sunt bases Sanctuarij, & in-*
D *troitus vbi velum pendet. Centum bases factæ sunt de talentis centum, singulis talentis per bases singulas supputatis. De mille autem septingentis, & septuaginta quinque, fecit capita columnarum, quas & ipsas vestiuit argento.* Probatur hæc sententia; quia (vt Lyranus numerat) summa centum talentorum argenti, & mille septingentorum, & septuaginta quinque sicl orum, quæ Exod. 38. proponitur, exæquat summam numeratorum sexcentorum trium millium, & quingentorum quinquaginta, si singulis dimidium siclum tribuas, quod à singulis soluebatur. Præterea probatur ex textu Hebræo, qui sic habet: *Omne aurum factum ad opus Sanctuarij, & fuit aurum oblationis, nouem, & viginti talenta, & septingentorum, & triginta sicl orum in sicl o Sanctuarij, & argentum numeratorum synagogæ centum talenta, & mille, & septingenti & quinque, & septuaginta, dimidium sicli omni transeunti super visitatos, à filio viginti annorũ, & suprà, sexcẽtis millibus, & tribus millibus, & quingentis, & quinquaginta, & fuerunt centũ talenta argenti ad fundendas bases.* Ex hoc textu colligitur, aurum non fuisse oblatum à numeratis, sed centum talenta argenti, & sicl os mille, & septingentos, & quinque, & septuaginta. LXX. interpretes, (vt alia omittam) sic vertunt: *Argenti demptio à visitatis viris*; id est, numeratis synagogæ, *centum talenta*, &c. Similiter vertit Chal-

dæus: Argentum tantùm, non aurum tribuunt numeratis.

At verò nostra versio, correcta iussu S. Pon- 8.
tificis, quę secunda est, perspicuè indicat, autũ *An numeratis aurum oblatum sit tabernaculo?* oblatũ esse à numeratis, postquam enim summam auri oblati descripsit, subiicit: *Oblatum est autem ab ijs, qui transierunt ad numerum à viginti annis, & suprà*, &c. Num quid clariùs dici poterat, autũ oblatum esse à denumeratis? Cõcedamus ergo opus est, à numeratis datum esse aurum. Interpretes nostram versionem ad sensum Hebræi textus trahere volunt. Ego vim nolo facere verbis perspicuis; Itaque crediderim, aurum esse oblatum voluntariè à numera-
B tis, argentum verò datum esse ex præcepto Domini, iubentis dimidium sicli solui à singulis. Hoc modo vulgatæ versionis sensus facilis est, videlicet: *Omne aurum, quod expensum est in opere Sanctuarij, & quod oblatum est in donarijs, viginti nouem talentorum fuit. Oblatum est autem ab ijs, qui transierunt ad numerum à viginti annis, & suprà*, &c. Hoc (inquit) aurum oblatum est Deo voluntate prompta à numeratis. Subiicit: *Fuerunt præterea centum talenta argenti, è quibus conflatæ sunt bases*, hoc est, præter aurum, quod sponte obtulerunt, soluerunt etiam propter numerationem, centum talenta argenti, & mille septingentos septuaginta quinque sicl os. Nam hæc
C summa centum talentorum, & sicl orum, exæquat numerum numeratorum, si vnicuique talento tribuantur tria sicl orum millia. Ex his sequitur populum bis fuisse numeratus in hac mansione montis Sinai; semel ante tabernaculi exędificationem, iterum, postquam est constructum, inuentumque esse eundem numeratorum numerum. Nam Exod. 38. numerantur sexcenta tria millia, & quingenti quinquaginta armati, Numer. autem cap. 1. idem numerus est.

Dici etiam potest, sensum nostræ versionis 9.
esse, aurum, & argentum, de quo fit mentio, oblatum esse voluntariè ab iis, qui numerati sunt postea, Numer. 1. quasi dicat, omne aurum, cuius hîc fit mentio, oblatum est ab iis, qui postea numerati sunt, & quorum fuit numerus sexcenta tria virorum millia, & quingenti quinquaginta. Ab iis autem dicitur oblatum aurũ, quia in numeratis omnes viri principes, & præcipui populi, qui aurum habebant, continebantur. Centum quoque talenta argenti, &c. luxta hanc expositionem fit, vt in monte Sinai semel tantùm sit numeratus populus; de qua numeratione agitur Numer. 1. Exod. autem 38. non est numeratus populus; sed ponitur numerus eorum, qui postea sunt numerati, quia aurum obtulerunt, & argentum.

Fuit ergo vna tantùm numeratio populi, 10.
quod suadetur, quia idem penitus est numerus *Vna fuit numeratio populi.* numeratorum, Exod. 38. & Numer. 1. Non solet autem in numerationibus idem numerus inueniri: nam etiam si pauci menses interfluant, aliqui in illis expleri vigesimum annum, & transeunt ad numerum, illumque augent, aliqui etiam moriuntur, & numerum minuunt, ita vt numerus idem reperiatur. Præterea inter duas illas numerationes pauci menses interpositi sunt. Quorsum igitur opus fuit, duas facere numerationes tam breui tempore? Dices, primam fuisse opus, vt soluerentur dimidium sicli, ad constructionem tabernaculi, at verò, vt constat ex dictis, populus plura offerebat dona tabernaculo, quàm opus erat, ita vt

præconis voce iussus sit ab offerendo cessare. Non est igitur numeratus populus; quia non indigebat tabernaculum pensione illa dimidij sicli, vt construeretur. Vnde sequitur, centum illa talenta argenti impensa tabernaculi constructioni, non fuisse collecta ex numeratione populi, sed sponte oblata. Alioqui dicendum erit, populum non plus sponte obtulisse, quàm esset necessarium. Vnde efficitur, non posse certò colligi, vnum talentum tria tantùm siclorum millia continere, ex loco illo Exod. 38. vt non nulli colligunt.

11. Ad hæc quæritur, *an Deus verbis solùm docuerit Mosem, quomodo extruendum esset tabernaculum?* Deus Mosi ostēdit exemplar tabernaculi. Exod. 27. Respondetur breuiter, non solis verbis hac de re egisse cum Mose, sed exemplar etiam totius tabernaculi ostendisse. Probatur ex cap. 27. in quo loquens Dominus de altari ait: *Cauum intrinsecus facies illud, sicut tibi in monte monstratum est.* & cap. 25. *Inspice*, inquit, *& fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est.* Exod. 25. Item eodem cap. 25. *Facient mihi Sanctuarium, & habitabo in medio eorum, iuxta omnem similitudinem tabernaculi, quod ostendam tibi, & omnium vasorum in cultum eius.* Ibidem. Ostendit igitur Dominus, in monte Sinai, Mosi tabernaculi ideam quandam, & exemplar, idque videtur illi tradidisse, postea verò verbis explicasse. Sic templi exemplar Dauidi tradidit. 1. Paralip. 28. *Dedit Dauid Salomoni descriptionem porticus templi.* 1. Paral. 28. Ad finem verò capitis: *Omnia* (inquit Dauid) *venerunt scripta manu Domini ad me, vt intelligerem vniuersa opera exemplaris.*

CAPVT IX.

MORALE.

De tabernaculo.

Facient mihi Sanctuarium, & habitabo in medio eorum.

1. HABITABAT Deus *lucem inaccessibilem*, vt ait Apostolus, 1. Timoth. 6. & Isai. 66. *Cælum* (inquit) *sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum.* & Ieremiæ 23. *Numquid non cælum, & terram ego impleo?* Non capit illum terra, non capit cælum, quomodo igitur ait Exod. 25. *Facient mihi Sanctuarium, & habitabo in medio eorum?* Obstupescit sapientissimus Rex Salomon 3. Reg. 8. & clamans ait: *Ergò ne putandum est, quòd verè Deus habitet super terram? Si enim cælum, & cæli cælorum te capere non possunt, quanto magis domus hæc quam ædificaui?* Vtrumque verum est, Deum neque terra capit, neque cælum, & in templis suis habitat. Ar neque cælo, neque terra, neque templis comprehenditur essentia, maiestasque diuina. Neque in templis ita dicitur habitare, aut in cælis, vt comprehendatur ab illis, sicut homines à domibus suis comprehenduntur. Isai. 40. *Quis mensus est pugillo aquas, & cælos palmo ponderauit? quis appendit tribus digitis molem terræ?* Pugillis Deus continet aquas, cælos palmo ponderat, terram tribus digitis appendit; quia neque ab aquis, neque à cælis, neque à terra comprehenditur, sed hæc omnia ipse comprehendit. Si templum queritur, quod Dei maiestatem, atque infinitatem exæquet, ipse Deus est. D. Thom. 1. Corinth. 3. Est (inquit) de ratione templi, quòd sit habitaculum Dei, secundùm illud Psalmi, *Deus in templo sancto suo.* Vnde omne illud, in quo Deus habitat, potest dici templum, habitat enim Deus principaliter in se ipso, quia ipse solus se comprehendit; vnde & ipse Deus templum Dei dicitur Apocal. 21. *Templum non vidi in ea: Dominus enim Deus omnipotens templum illius est.* In cælesti Ierusalem non vidit Ioannes vllum Dei templum, quia Deus ipse illius est templum.

1. Timot. 6. Isai. 66. Ierem. 23. Exod. 25. 3. Reg. 8. Deus neque templis, neque cælo comprehenditur. Isaiæ 40. D. Thom. Deus in se ipso habitat. Apoc. 21.

In cælo non est vllum templum, quia certunt beati Deum, euidentiqué cognitione cognoscunt: at in terra multa sunt templa, quia fidei cognitio obscura est; neque videtur ab omnibus Deus facie ad faciem. Non indigent beati sacramentis, & adhortationibus, ad virtutem inflammantibus, & à vitiis deterrentibus, non indigent Ecclesiis, in quas conueniant, vt sacris interfint, conciones audiant, Deoque honorem debitum ac reuerentiam præstent: eorum templum Deus est. Est etiam templum, & tabernaculum cælestis Ierusalem, iuxta illud Apocal. 21. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis.* Apoc. 21. Peregrini verò, & viatores, qui in terram promissionis faciunt iter, multis indigent Dei tabernaculis, & templis, vt Deo sacrificia per sacerdotes ritè consecratos offerant, vt Eucharistiam, cæteraque sacramenta percipiant, vt ad conciones audiendas conueniant, vt Deum orent. Quamuis enim in omni loco Deum oremus, iuxta illud Pauli 1. Timoth. 2. *Volo viros orare in omni loco leuantes puras manus*, tamen templum peculiaris est orandi locus, precationibus valde accommodatus, quia in eo Deus peculiari modo inhabitat, veluti in palatio suo, ad quod vult conuenire famulos suos, & supplicationes suas proponere. 2. Paral. 7. ait, *Oculi mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem eius, qui in loco isto* (id est, in tēplo) *orauerit.* Si in templo Iudæorū olim oculi Dei erant aperti, & aures erectæ ad orationem supplicantium in eo; quid quæso dicendum est nunc de templis Christianorum? sunt equidem in eis oculi Dei aperti, vt orantes videant, & aures, vt eos audiant; id postulauit Salomon 2. Paral. 6. *Quicumque* (inquit) *orauerit in loco isto, exaudi de habitaculo tuo*, id est, de cælis, *& propitiare: si clauso cælo pluuia non fluxerit propter peccata populi, & deprecati te fuerint in loco isto, & confessi nomini tuo, & conuersi à peccatis suis, cùm eos afflixeris; exaudi de cælo Domine, & dimitte peccata seruis tuis, & populi tui Israël, & doce eos viam bonam per quam ingrediantur, & da pluuiam terræ. Fames si orta fuerit in terra, & pestilentia, ærugo, & aurugo, & locusta, & bruchus, & hostes, vastatis regionibus, portas obsederint ciuitatis, omnisque plaga, & infirmitas pressérit; si quis de populo tuo Israël fuerit deprecatus cognoscens plagam, & infirmitatem suam, & expanderit manus suas in domo hac, tu exaudies de cælo.* Et in fine orationis: *Aperiantur quæso* (ait) *oculi tui, & aures tuæ intentæ sint ad orationem, quæ fit in loco isto.* Respondit Dominus cap. 7. *Oculi mei erunt aperti, & aures meæ erectæ ad orationem eius, qui in loco isto orauerit.* Isai. 56. *Domus mea, Domus orationis vocabitur cunctis populis.* Templum Dei est palatium summi regis. Templum, locus est orationis. 2. Paral. 7. 2. Paral. 6. In templis sunt aperti oculi Dei, & aures, vt orantes audiant. Salomonis oratio. Isaiæ 56.

3. Reges peculiaria, magno cum ornatu, sibi extruunt palatia, omnibus ciuitatis domibus præstantiora, in quibus habitent, id enim exigit reuerentia, quæ à populo illis exhiberi debet. Sic Deus, summus Rex, peculiare, & vnicum exædificauit tabernaculum, velut palatium, idque ornatissimum, in quo inter filios Israël habita

habitaret: id quod reuerentia, & cultus, qui diuinæ naturæ debetur, flagitabat. Nam cultus Dei ad reuerentiam præcipuè dirigitur; ea autem magis reueremur, quæ excellentia sunt & ornata, & à vulgaribus rebus separata. D. Thomas 12. quæst. 102. art. 4. Totus (inquit) exterior cultus Dei ad hoc præcipuè ordinatur, vt homines Deum in reuerentia habeant. Habet autem hoc humanus effectus, vt ea, quæ communia sunt, & non distincta ab aliis, minùs reuereatur; ea verò quæ habent aliquam excellentię discretionem ab aliis, magis admiretur, & reuereatur. Et inde etiam hominum cōsuetudo inoleuit, vt reges, & principes, quos oportet in reuerentia haberi à subditis, & pretiosioribus vestibus ornentur, & ampliores, ac pulchriores habitationes possideant. Et propter hoc oportuit, vt speciale tabernaculum, & specialia vasa, & speciales ministri ad cultum Dei ordinarentur, vt per hoc ad maiorem Dei reuerentiam animi hominum ducerentur. Hactenus D. Thomas. D. Thom. Cum magna reuerētia colendum est Deum, peculiari cultu, & peculiari domo.

4. Voluit autem Dominus, vnum tantùm esse tabernaculum, cui vnicum templum successit, iuxta illud Psal. 77. *Ædificauit sicut vnicornium* (videlicet cornu) *sanctificium suum, id est*, Sanctuarium suum, *in terra.* Quemadmodum enim vnicornis, siue Monoceros, vnum tantùm cornu habet: sic populus Iudęorum vnum tantùm habuit tabernaculum, cui successit vnicum templum. Sed erant præterea in oppidis multæ synagogæ, in quas conuenibant. In lege quidem veteri vnicum erat tabernaculum, siue templum, sed erant multa sacrificia, multa enim ac diuersa animalia immolabātur Deo. At in lege noua multa sunt templa, sed vnicum tātùm sacrificium. Nō enim multa animalia in multis templis mactantur, sed vnicus Christus Opt. Max. in omnibus templis incruentè immolatur; quod quidem sacrificium infinito interuallo omnia Iudæorum sacrificia post se relinquit. Sacrificia illa per se ipsa Deo non fuere grata, vt D. Thomas docet 12. quæst. 102. art. 3. ad 1. Dicendum, (inquit) quòd Deus non volebat huiusmodi sacrificia sibi offerri, propter ipsas res, quæ offerebantur, quasi eis indigeret. Vnde dicitur Isaię primo: *Holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & hircorum & agnorum nolui:* sed vlebat ea sibi offerri, tum ad excludendam idololatriam, tum ad significandum debitum ordinem mentis humanæ in Deum; tum etiam ad significandum mysterium redemptionis humanæ per Christum. Sic illo Sacrificium autem legis nouæ per seipsum Deo gratissimum est. Antiquis sacrificiis vnum tabernaculum, & vnum altare fuit satis. Nouo sacrificio, atque stupendo, multa sunt construenda. Vnde D. Thomas art. 4. ad 3. Cultus (inquit) nouæ legis, in cuius sacrificio spiritalis gratia continetur, est secundùm se Deo acceptus, & ideo multiplicatio altarium, & templorum acceptatur in noua lege, &c. Sacrificia legis veteris abroganda erant, ideo vnum tantùm fuit eorum altare, vt eo destructo intelligerent Iudæi, sacrificia simul cum altari finem accepisse. Nam si toto orbe licuisset illis templa habere, & altaria, nunquam sacrificandi finem fecissent. At sacrificium noui, & æterni testamenti vsque ad orbis finem permanebit, nunquam abrogabitur. Ideo toto orbe multa habet, semperque habebit templa, atque altaria. Psal. 77. Sub veteri lege vnum erat templū, & multæ synagogæ. D. Thom. D. Thom. Sacrificium legis nouæ habet templa, & altaria.

Ipsas tabulas de auribus.

Considera quæso, lector optime, pulchritudinem tabernaculi iussu Dei fabricati. Ex quo planè colligitur, dicata Deo templa ipsis Regum palatiis debere esse præcellentiora. Quanto Deus omnibus Regibus præcellit, tanto par est Dei palatia Regum palatiis præcellere. Id tamen fieri non potest, quia Dei præcellentia infinita est: templorum, verò ornatus finitus. Sit quidem finitus, sed decorus. Templum Dei, siue tabernaculum, est cælestis Ierusalem, iuxta illud Apocal. 21. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus.* &c. D. Gregor. 1. Reg. 3. Templum (inquit) Dei superna patria est, de qua Psalmo 10. dicitur: *Dominus in Templo sancto suo, Dominus in cælo sedes eius.* Vide, quàm sit ornatum hoc tabernaculum. Apoc. 21. *Totum est aurum mundum, simile vitro mundo; fundamenta muri eius, omni lapide pretioso ornata, duodecim portæ, duodecim margaretæ.* Similia cælesti Ierusalem decet esse tabernacula Dei in terra. 2. Paral. 2. ait Salomon: *Domus, quam ædificare cœpio, magna est, magnus est enim Deus noster super omnes Deos.* Qualis habitator, talis est domus; magnus habitator est Deus, magnam, atq; ornatam domum postulat, quæ reuerentiam maiestatis infinitæ hominum cordibus ingeneret. Philo in lib. de Cherubim: Etiamsi tota terra aurum, aut siquid auro pretiosius, repentè fieret, moxque per opificum artes, in porticus, vestibula, aulas, areas, ędesq; sacras impenderetur, ne scabellum quidem Dei pedibus posset fieri. Sic ille. At verò non repudiat benignus Dominus domos ab hominibus oblatas. Quòd si opes non supperant ad exędificandum magnum, atque ornatum tabernaculum, non repudiat paruum, & paupere ornatu mundum. Sicut gemmas, & aurum recepit oblatum, & pilos etiam recepit capratum; ita deaurata recipit templa, & illa quoque, quæ paupere, & mundo ornatu sunt instructa. 5. D. Greg. 1. Psal. 10. Apoc. 21. 2. Paral. 2. Deus eximiā postulat domum in qua habitet. Philo.

Curent ergo sacerdotes, quibus tabernaculi Dei cura incumbit, vt ornatum sit, vt niteat, vt nihil illo appareat, quod ad reuerentiam ingredientes non excitet. Diligant decorem domus Dei, iuxta illud Psal. 25. *Domine, dilexi decorem domus tuæ.* & nihil in ea indecorum esse patiantur. D. Ambros. lib. 2. de officiis cap. 21. Maximè (inquit) sacerdoti hoc conuenit, ornare Dei templum decore congruo, vt etiam hoc cultu aula Domini resplendeat, &c. Egregiè hoc curabat Nepotianus, vt testatur D. Hieronymus in epitaphio ad Heliodorum: Erat (inquit) solicitus, si niteret altare, si parietes absque suligine, si paramenta tersa, si ianitor creber in porta, vela semper in ostiis, si sacrarium mundum, &c. Item: Basilicas Ecclesiæ, & Martyrum conciliabula, diuersis floribus, & arborum comis, vitiumque pampinis adumbrauit, vt quidquid placebat in Ecclesia, tam dispositione, quam visu, presbyteri laborem, & studium testaretur, &c. Psalm. 117. *Constituite diem solemnem in condensis, vsque ad cornu altaris*, hoc est, festum diem agite, & condensis ramis arborum, ac frondosis templum ornate, vsque ad cornu altaris. 6. Psalm. 25. D. Ambros. Sacerdotes templi ornatum curent. D. Hieron. Psalm. 117.

Facient mihi Sanctuarium.

Erat Sanctuarium, siue tabernaculum Domini, multarum rerum vmbra. Iosephus lib. 3. antiquit. cap. 8. hanc vniuersitatis naturam repræsentasse scribit: Si quis (inquit) tabernaculi fabricam 7. Iosephus. Tabernaculū vniuersitatis naturam repræsentabat.

fabricam contempletur, & sacerdotis ornatum, & vasa, quibus inter sacrificandum vtimur, comperiet, Mosem diuinum virum fuisse. In his enim omnibus repręsentatam quodammodo vniuersitatis rerum naturam inuenire licet, si quis prudenter singula consideret. Hæc ille. Diuisus est hic mundus in tres partes, cælum, terram, & mare; sic tabernaculum in tres partes diuisum erat, in domum interiorem, & exteriorem, & atrium. Domus interior, in quam nemini fas erat ingredi, præter Pontificem semel in anno, cælum adumbrabat hominibus inaccessibile; domus exterior terram; atrium mare significabat. [*Iosephus.*] Item Iosephus: Tertiam (inquit) partem, id est, domum interiorem, Moses soli Deo assignauit, eo quòd cælum hominibus sit inaccessibile; duabus partibus, id est, domo exteriori, & atrio, terram, & mare significat. Sic ille. [*Iosephus.*] Addit: Per duodecim panes in mensa dispositos, annum significauit, in duodecim menses diuisum; per septem lucernas, impositas candelabro, septem planetarum cursum. Vela ex quatuor coloribus contexta, elementorum naturam designant. Nam byssus terram referre videtur, ex qua lini hoc genus prouenit: purpura verò mare, eo quòd conchylij cruore sit fucata: aërem verò hyacinthus repræsentare videtur, sicut puniceus color ignem. Hęc ex Iosepho. Lege Philonem lib. 3. de vita Mosis. [*D. Thom.*] Similem in modum D. Thomas 12. quæst. 112, art. 4. Pars (inquit) illa tabernaculi, quæ dicitur Sancta sanctorum, figurabat sæculum altius, quod est spiritualium substantiarum: pars verò illa, quæ dicitur Sancta, exprimebat mundum corporalem, & ideo Sancta à Sanctis sanctorum distinguebantur velo, quod quatuor coloribus erat distinctum, & per quos quatuor elementa designantur. Bysso terra, purpurâ significatur aqua, hyacintho, aër, cocco bis tincto, ignis, &c. Item D. Paulus ad Hebr. 8. Sanctis sanctorum cælum empyreum adumbratum esse docet, in quod nulli homini licuit ingredi ante Christum. Primus summus Pōtifex Christus in hæc Sancta sanctorum, id est, in cælum non sine sanguine introiuit, viamque nobis aperuit. Sed Paulum audiamus. [*Heb. 8. Sancta sanctorum vmbra erat cæli.*] *In priori* (inquit) *tabernaculo semper introibant sacerdotes sacrificiorum officia consummantes. In secundo autem semel in anno solus pontifex non sine sanguine. Hoc significante Spiritu sancto nondum propalatam esse sanctorum viam, adhuc priori tabernaculo habente statum.* Significabat (inquit) Spiritus sanctus nondum patere hominibus viam in Sancta sanctorum cælestia, dum permanebat, & stabat lex vetus. Aperuit autem Christus viam in Sancta sanctorum, & proprio sanguine effuso in ea primus introiuit: [*Ibidem.*] *Christus* (inquit Paulus) *assistens pontifex futurorum bonorum per amplius, & perfectius tabernaculum, non manu factum,* id est, non huius creationis, *neque per sanguinem hircorum, aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta,* &c. Introibat semel in anno cum sanguine sacrificij Pontifex in Sancta sanctorum: sic Christus semel in cælum introiuit cum sanguine, quem in cruce immolatus copiosè effudit: docetque nos non vacuis manibus, nihil passos introituros in eadem Sancta sanctorum, sed cum bonis operibus, & patientia.

8. [*Quódnã dicatur à Pau-*] Rogas, quódnam sit illud tabernaculum, quod Paulus appellat perfectius, & amplius tabernaculo Israëlitarum, & non manu factum; neque huius creationis. [*In tabernaculum perfectius & amplius.*] Chrysostomus, & alij corpus Christi putant appellari tabernaculum. Theodoretus, & alij humanam Christi naturam. Per hoc autem tabernaculum, siue sit corpus, siue humana Christi natura, introiuit Christus in cælum, per hoc (inquam) tabernaculum sanguine conspersum, vnde illud Isaiæ 63. [*Isa. 63.*] *Quis est iste qui venit de Edom tinctis vestibus de Bosra? quare rubrum est indumentum tuum?* Secundùm diuinitatem in cælo erat Dominus, & in toto orbe: secundùm humanitatem verò, quę diuinitatis erat, velut tabernaculum, introiuit in sancta, id est, in cælum; non enim erat in cælo secundùm humanitatem. Præterea humanitas Christi tabernaculum diuinitatis est, multo amplius, & perfectius tabernaculo Mosis, vt constat; neque est huius creationis, id est, eius structuræ, quâ constructum erat tabernaculum. Non est manu facta, vt tabernaculum, est enim Spiritus sancti opera fabricatum, admirabile humanitatis Christi tabernaculum, amplissimum, ac perfectissimum. Catharinus per Virginem Deiparam ait, velut per tabernaculum introisse Christum in cælum; nam ex Virgine natus est. Nos tomo 1. lib. 6. cap. 5. iam latè ostendimus, beatissimam Virginem fuisse Dei tabernaculum.

9. [*Tabernaculum perfectius & amplius est cælum.*] Alij aiunt tabernaculum, per quod Christus introiuit, esse cælos. Lege D. Thom. ad Hebr. 9. Placet mihi hæc sententia. Dicitur igitur cælum empyreum Sanctum sanctorum, in quod Christus in die Ascensionis introiuit. Sancta verò dicitur reliquorum cælorum aggregatio. Dicitur etiam tabernaculum amplius, & perfectius tabernaculo Mosis, non manu hominum factum, neq; creationis, aut fabricationis eiusdem, quâ Mosis tabernaculum est fabricatum. Per hoc tabernaculum pertransiuit Christus. Omnes enim cęlos penetrauit, & per illud introiuit semel in sācta, id est, per aggregationem cęlorum inferiorum ingressus est cælum supremum empyreum. His adde, si placet, aliam interpretationem, quæ huiusmodi est: Christus per hunc mundum, qui similis est tabernaculo, vt suprà diximus; estque tabernaculum amplius tabernaculo Mosis, & perfectius, non factum manu artificis; vt tabernaculum Mosis, neque eiusdem structuræ, introiuit semel in Sancta, id est, in cælum, &c. Nam Christus in mundo hoc, velut tabernaculo, versatus est, sanguinemque in cruce effudit, & ascendit in cælum, velut in Sancta sanctorum, non sine sanguine, per hunc mundum inferiorem.

10. Adumbrat etiam tabernaculum Ecclesiam Dei. Quemadmodum tabernaculum ex multis tabulis constructum erat: sic Ecclesia ex multis construitur Christianis. Erant tabernaculi tabulæ inter se maximè coniunctæ, Exod. 26. sic Christianos oportet esse maximè inter se fidei & charitatis vinculo copulatos. Tabulæ tabernaculi auro fulgebant: Christiani auro fulgeant charitatis. Firmissimè collocatę erant tabulæ tabernaculi, vnaquæque duas habebat bases argenteas. Præterea vectibus auro tectis firmabantur, ne ventorum turbine impulsæ cederēt: sic Christiani in fide, & charitate stabiles esse debent, duabusque basibus, id est, rerum diuinarum consideratione, & patientia firmati, ne laborum, tentationumque impetu concussi ruant. Firmabant tabulas tabernaculi deaurati vectes, easq; coniungebant: sic proximi aureus

amor Christianos firmet, ac coniungat. Opertum erat tabernaculum cortinis variis: sic oportet Christianos opertos esse variis virtutibus.

11. [*Tabernaculũ Ecclesiam, & Christianos adumbrat.*] Primum operimentum ex bysso erat retorta, Exod. 26. & hyacintho, ac purpura, coccoq; bis tincto, variatum opere plumario. Byssus, id est, candidum linum, candidam indicat castitatem. Sunt fila byssi retorta, & duplicata, quia castitatem retortam, duplicatam, & fortem esse necesse est, ne insurgente forti tentatione frangatur. Hyacinthus colorem habet cælestem, Christiani color exemplum est. Sit hyacintho similis, colorem, id est, vitæ conuersationem habeat cælestem, iuxta illud Pauli: *Conuersatio nostra in cælis est.* Purpura imperium significat in cupiditates animi effrenatas. Bis tinctus coccus, Dei, & proximi amore tinctam charitatem adumbrat. [*D. Gregor. Quid significet byssus, hyacinthus, &c.*] D. Gregorius lib. 31. moral. cap. 10. quid hæc significent, ita explicat: Quid (inquit) per byssum significatur, nisi immaculata carnis incorruptio? quid per hyacinthum, nisi spes cælestium? quid per purpuram, nisi cruor, ac tolerantia passionum? quid per coccum bis tinctum, nisi charitas demōstratur? quæ pro perfectione bis tingitur, quia Dei, & proximi dilectione decoratur, &c.

12. [*Exod. 36. Quid significet quatuor operimenta tabernaculi.*] Secundum tabernaculi operimentum erant saga, ex pilis caprarum confecta, Exod. 36. *Fecit* (inquit) *saga vndecim de pilis caprarum.* Indicant hæc saga cilicina pœnitentiam, & corporis macerationem, ac mortificationem, quia oportet esse tectam animā aduersùs dęmonis insidias, [*Psal. 68.*] iuxta illud Psal. 68. *Operui in ieiunio animam meam.* Eximium tegumentum sunt hæc saga cilicina aduersùs animi procellas. [*D. Gregor.*] D. Gregorius loco citato. Per pilos (inquit) caprarum, ex quibus ciliciorum asperitas texitur, dura pœnitentium afflictio designatur, &c. Tertium operimentum, erant pelles arietum rubricatæ, quæ sanguinis significant effusionem. Christiani enim pro fide Catholica sanguinem, vitámque profundunt. Est autem sanguis Martyrum, suntque Martyres ipsi Ecclesiæ eximium operimentum, ac simul ornamentum. Quartum tabernaculi tegumentum erant pelles ianthinæ, coloris violacei, ac cælestis, qui color demonstrat intentionem Christianorum in omnibus rectè factis celestem esse debere, hoc est, cęlum, Deumque, non inanem gloriam, spectare. Tegit hæc cortina cæteras, quia bona intentio ad omnes virtutes se extendit.

13. [*Exod. 26.*] Multæ fiebant cortinę, vt legitur Exod. 26. sed postea omnes connectebantur: *Facies decem cortinas,* (ait Dominus) *quinque cortinæ sibi iungentur mutuò, & aliæ quinque nexu simili cohærebunt; facies quinquaginta circulos aureos, quibus cortinarum vela iungenda sunt, vt vnum tabernaculum fiat.* [*Vnitas Ecclesiæ.*] Eundem in modum multos Deus populos ad Ecclesiam adduxit, multa regna, multas ciuitates, & oppida. Omnia tamen vult vnius fidei, pacis, & charitatis vinculis esse connexa. Quod [*D. Cyrillus.*] obseruauit D. Cyrillus lib. 9. de adoratione. Poteris (inquit) decem aulæa accipere, atque existimare, summam esse omnium, quæ vbique sunt Ecclesiarum, quæ minimè in diuersas sententias, & compugnātes opiniones diuisæ sunt: sed coniunctæ spiritu, & quasi in vnum constrictæ per vnitatem, quæ est in Christo per fidem. Vbique enim & in omnibus vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma. Hæc ille. Hanc pacem petit à Deo Paulus: *Deus* (inquit ad Rom. 15. [*Rom. 15.*] *repleat vos omni gaudio, & pace in credendo.* Pacem oportet cum fide, & Ecclesia Catholica habere, non autem fidei bellum inferre, si vis habere gaudium verum. Item eodem capite Apostolus: *Deus patientiæ,* (ait) *& solatij det vobis id ipsum sapere in alterutrum secundum Iesum Christum, vt vnanimes vno ore honorificetis Deum.* [*Ibidem.*]

Sub sagis, & pellibus erant cortinæ, ex bysso confectæ, hyacintho, coccoque bis tincto, vt diximus. 14. His cortinis, ait D. Gregor. significari iustorum vitam, qui Dei contemplatione fruuntur; sagis verò, & pellibus, vitam superiorum, à quibus hi proteguntur. D. Gregor. lib. 25. moral. cap. 21. [*D. Gregor.*] Vt in interiore (inquit) tabernaculi byssus fulgeat, coccus coruscet, hyacinthus cæruleo colore resplendeat: desuper pelles, & cilicia, imbres, ventos, & puluerem portant. Nequaquam ergo contra tectorem suum, exteriora agentem murmuret is, qui intra Ecclesiam sanctam spiritaliter fulget. Si enim tu securè interiùs, vt coccus rutilas, cilicium, quo protegeris, cur accusas? Sic ille. Etiam D. Thomas, cortinis & pellibus tabernaculi indicari ait prelatos, qui in summo loco tabernaculi Ecclesiæ sunt, idque protegunt, à pluuia, ventisque, & puluere defendunt, 12. quæst. 112. art. 4. ad octauum. Per operimenta tabernaculi (ait D. Thomas) designantur prælati, & doctores, [*D. Thom.*] in quibus debet renitere cælestis conuersatio, quod significatur per pelles hyacinthinas: promptitudo ad martyrium, quod significant pelles rubricatę: austeritas vitæ, & tolerantia aduersitatum, quod significatur per saga cilicina, &c.

CAPVT X.

MORALE.

De iis, quæ erant in tabernaculo.

Arcam de lignis setim compingite.

1. [*Sancta sanctorum adumbrabant cælum empyreum.*] ERANT in Sanctis sanctorum arca, propitiatorium, & Cherubini, de iis omnibus diximus tomo 2. Concord in tract. de templo Salomonis. Adumbrāt autem Sancta sanctorū cælum empyreum, vt suprà ostēdimus. Est enim Sanctum sanctorum, quia locus est sanctissimus. In Sanctis sanctorum arca erat, propitiatorium, & Cherubini, super quos sedere dicebatur Deus, iuxta illud Psalm. 98. [*Psal. 98. 1. Paral. 13.*] *Qui sedet super Cherubim.* In Cherubinis enim sedens oracula reddebat. Similem in modum in cælo empyreo Deus est, super omnes Cherubinos, & angelos sedens, & præsidens, omnium Dominus. Illi autem diuinam essentiam perpetuo intuentur, Exod. 25. [*Exod. 25. D. Cyrillus. In cælo Cherubini sunt, propitiatorium, arca Dei.*] *Respiciant se mutuò versis vultibus in propitiatorium.* D. Cyrillus lib. 9. de adorat. Quòd (inquit) Cherubim propitiatorium aspiciunt, supernarum virtutum inexplebile Dei videndi desiderium indicare videtur, &c. Est præterea in cælo propitiatorium, id est, infinita Dei misericordia, qua peccata mundi tolerat, ac dissimulat propter pœnitentiam, iuxta illud Sap. 11. [*Sapient. 11.*] *Dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam.* ad quam vult confugere peccatores, & pœnitentiam agere. Est etiam arca, in qua conclusæ sunt, & absconditæ rationes, & causæ rerum omnium, quæ in hoc orbe fiunt, hæc autem est diuina sapientia.

D. Thomas

D. Thom. D.Thom. loco citato ad sextum: Sunt (inquit) in illo intelligibili sæculo rationes omnium eorũ, quę in hoc sæculo perficiuntur, quodam modo clauſæ, ſicut rationes effectuum clauduntur in ſuis cauſis, & rationes artificiatorum in artifice: & hoc ſignificatur per arcam, &c. In arca erant tabulæ decem mandatorum, virga Aaron, & manna; quia veluti in arca ſeruantur Dei man-
Virga Aaron. data, vt ex illis nos iudicet Deus; ibi virga eſt Aaron, hoc eſt, poteſtas Chriſti ſumma ad iudicandum totum orbem. Eſt etiam dulce manna cum virga, quia non damnabit omnes, ſed multos æterna gloria dulciter donabit. Ideo virga Domini, ſicut virga Aaron, florida eſt, & fructũ parit, quia non damnabit omnes homines iudex Chriſtus, ſed quamplurimos in regnum cæleſte vocabit. Tecta erant Sancta ſanctorum velo, quia tectum erat cælum empyreum hominibus. Nemo illuc hominum ante Chriſtum ingrediebatur, nemo Deum videbat: at Chriſto patiente, velum templi ſciſſum eſt, quia reſeratum eſt cælum, viaque ad videndum Deum ſuper Cherubinos ſedentem patuit. Hæc de cælo dicta ſint.

2. Sancta ſanctorum adumbrant Eccleſiam. In Eccleſia autem militante, quæ in terris verſatur, in Sanctis ſanctorum, hoc eſt, in præcipua, & ſanctiſſima eius parte, id eſt, in altaribus, eſt arca infinitorum theſaurorum, videlicet Euchariſtiæ ſacramentum, in quo theſauri infiniti clauſi ſunt; quia in eo Chriſtus, infinitus Deus, & homo, eſt abſconditus. Erat in arca illa antiqua dulce manna: eſt in hac noſtra arca, id eſt, ſacramento Euchariſtiæ, multo pretioſius, & dulcius manna: ſpiritalis vitæ vires maximè corroborans. Erat in arca virga Aaron florida, & fructuoſa: eſt in hac noſtra arca, id eſt, ſacramento Chriſti poteſtas admirabilis, & pontificatus, qui flores, fructuſque in animis hominum mortificos efficit. Aaronis enim Pontificis virga ſignificat poteſtatem Chriſti, & pontificatum ſummum floribus, fructibuſque fœcundiſſimum. O quantum diſtant templa Chriſtianorum à tabernaculo, temploque Salomonis. In templo Salomonis, & tabernaculo
De ſancta Euchariſtia. Moſis, arcam venerabatur populus, & Deum,
Pſalm. 98. cuius illa erat ſcabellum, iuxta illud Pſalm. 98. *Adorate ſcabellum pedum eius, quoniam ſanctum eſt:* in templis autem Chriſtianorum præſens realiter in Euchariſtia Chriſtus, Deus, & homo colitur, & adoratur adoratione latriæ à populo Chriſtiano. O mirabilem dignitatem templorum noſtrorum! Admirabilis eſt arca noſtrorum templorum, quia admirabilis eſt Dei benignitas. In locum, vbi erat antiqua arca, nemini, niſi ſummo ſacerdoti ſemel in anno licebat ingredi, populus è templo ſubmotus ex atriis Deum adorabat: at in templis Chriſtianorum fas eſt ad locum, in quo arca Dei, id eſt, Euchariſtiæ ſacramentum eſt, accedere; neque hoc ſatis fuit diuinæ benignitati hominibus concedere, conceſſit aliquid multo maius, aliquid mirabile, ac ſtupendum, cõceſſit (inquam) & iuſſit, vt diuinam ipſam infinitorum theſaurorum arcam, id eſt, admirandum Euchariſtiæ ſacramentum, & Deum ipſum, ac hominem Chriſtum in eo contentum, ore reciperemus, & in viſcera magno cum amore, gratiæque incremento traiiceremus. Lex noua filiorum Dei eſt; Chriſtianos, ſicut filios Deus corpore, ſanguineque paſcit ſuo. Sed aduertant Chriſtiani, in arca antiqua tabulas fuiſſe decem manda-

A torum concluſas, quoniam eum, qui ad arcam Dei, id eſt, ſacramentum ſtupendum Euchariſtiæ accedit, Dei mandata ſeruare oportet. Quod ſi roges, *quid indicent Cherubini?* Reſpondebo, indicare angelos, qui Chriſtum in Euchariſtiæ ſacramento exiſtentem comitantur, ac venerantur, vt oſtendimus tom. 1. Concord. l. 7. c. 7. D. Ambr. Luc. 1. Non dubites (inquit) aſſiſtere angelum, quando Chriſtus aſſiſtit, quando D. Ambroſ. Chriſtus immolatur, &c. & D. Gregorius lib. D. Gregor. 4. dialog. Quis fidelium habere dubium poſſit, in ipſa immolationis hora, ad ſacerdotis vocem cælos aperiri, in illo Ieſu Chriſti myſterio angelorum choros adeſſe, ſummis ima ſociari, terrena cæleſtibus iungi, &c.

B D. Gregor. homil. 6. in Ezechiel. & Rupertus 3. in Exodum, duobus Cherubinis duo teſtamẽta exiſtimant demonſtrari. Nam Cherub ſigni- Duo Cherubini duo ſignificant teſtamenta. ficat, ſicut magiſter. Cherubim, ſicut magiſtri. Noſtri autem magiſtri ſunt duo teſtamenta, vetus, atque nouum, quia cęleſtem doctrinam nobis tradunt. Reſpiciunt ſe mutuò; quia vetus teſtamentum reſpicit nouum, eaque prædicat, quæ nouum continet. Verſos habent vultus in propitiatorium, id eſt, Chriſtum, quia vtrumque teſtamentum Chriſtum iuruetur, & de eo loquitur. Sedebat olim Dominus ſuper Cherubinos, indeque reſponſa dabat; nunc ſe-
C der ſuper duo teſtamenta, indeq; nobis reſpondet, noſque docet.

D. Cyrillus lib. 9. de adoratione, arcam ait 4. Chriſtum adumbraſſe, & D. Gregor. homil. 22. D. Gregor. Arca (inquit) ipſe nobis factus eſt, de quo ſcri- Arca Chriſtum adumbrat. ptum nouimus, Coloſſ. 2. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ abſconditi.* Coloſ. 2. Arca intra velum eſt, Redemptor noſter in cælo, &c. Illud quoque eſt ponderandum, in arca domus ſuæ Deum, non aurum, aut gemmas ſeruari iuſſiſſe, ſed mandata ſua, velut theſaurum pretioſiſſimum. Hac re docet nos, quænam ſint veræ diuitiæ, & theſauri. Eſt enim mãdatorum Dei obſeruatio, Mãdata Dei ſunt aurum. vnde illud Dauidis Pſal. 118. *Dilexi mandata tua* Pſalm. 118.
D *ſuper aurum, & topazion.* Origenes homil. 9. in Origenes. Exod. Habeat (inquit) Chriſtianus arcam teſtamenti, in qua ſint tabulę legis, vt in lege Dei meditetur die, ac nocte, & memoria eius arca, & bibliotheca efficiatur librorum Dei: ſit intra ipſum vrna mannæ repoſita, id eſt, intellectus dulcis verbi Dei: ſit & virga Aaron, id eſt, doctrina ſacerdotalis, & florida ſeueritas diſciplinę. Sic ille. Super arcam erat propitiatorium, quoniam ſuper eos, qui mandata cuſtodiunt, eſt miſericordia Dei.

Facies altare ad adolendum thymiama.

In Sanctis, id eſt, in domo exteriori, erat in 5.
E primis altare thymiamatis ante velum, in quo Altare thymiamatis quid ſignificet. ſingulis diebus, manè, & veſperi, ſuauiſſimus Deo odor offerebatur. Hoc odore, ait Origenes, Origenes. bonum odorem indicari, quem Chriſtianus exhalare debet. Habeat (inquit Origenes) in penetralibus pectoris ſui altare incenſi, vt ipſe dicat, quia Chriſti bonus odor ſumus, &c. D. D. Gregor. Gregor. hom. 22. in Ezechiel. altare thymiamatis corda eſſe dicit, ex quibus in cælum ſanctorum deſideriorum ſuauiſſimus odor aſcendit. Arca (inquit) intra velum eſt, Redemptor noſter in cęlo: altare verò aureum, in quo thymiama incenditur, eſt ante velum; quia ſanctorum corda, quæ cum magis virtutibus in Dei amore ſuccenſa ſunt, per ſanctum deſiderium in illo

illo ardent, quem adhuc reuelata facie videre A non poſſunt, &c. Item: Quouſque ante velum ſumus, oportet, vt quaſi thymiamatis incenſum, flamma amoris ardeamus, &c. Philo. Philo lib. 3. de vita Moſis, altaris ſuffitu ſignificari ait gratiarum actionem, quam Deo debemus. Per altare (inquit) odoramentorum ſignificatur debita pro terrenis, aquaticiſque rebus gratiarum actio, &c.

Facies & menſam.

6. Erat altare thymiamatis mediũ, menſa verſus aquilonem erat conſtituta, quæ duodecim
Quid ſignificet menſa, Origenes. habebat panes. Hac menſa Origenes Dei, &
B duodecim Apoſtolorum verba adumbrari putat, homil. 9. Menſa (inquit) habens duodecim panes, in parte collocetur aquilonis, reſpiciens
Verbum Dei, panis Dei eſt. ad auſtrum. Panes iſti apoſtolicus Chriſtiano ſint ſermo, quo vtimur quotidie, &c. Sunt igitur verba Dei panis noſter quotidianus. In parte aquilonis collocatur menſa, quia à frigido aquilone panditur omne malum, Ierem. 1. Verbo autem apoſtolico, ac diuino, frigus aquilonare repellitur, meditando, diligenterque illud conſiderando, iuxta illud Pſalmi 38. *Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exar-*
Pſal. 38. *deſcet ignis.* & illud Luc. 24. *Nonne cor noſtrum ar-*
Luca 24. *dens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis ſcripturas?* ardet cor, cùm loquitur Deus. Habebat menſa velut labium quoddam, & ſuper labium corona erat, ſuper coronam altera
Exod. 25. corona aureola. Exod. 25. *Facies illi labium aureum per circuitum, & ipſi labio coronam interraſilem altam quatuor digitis, & ſuper illam alteram coronam aureolam.* Eundem in modum menſa verbi Dei labia neceſſe eſt habeat doctorum, & concionatorum, à quibus verbum Dei prædicetur. Super hęc autem labia, ſi rectè ſuo fungantur munere, corona imponetur ſummæ gloriæ eſſentialis, & aureola quædam, quæ doctorum aureola appellatur. Præterea habebat menſa
D vectes auro tectos, quibus portabatur, menſam enim verbi Dei per totũ orbem portari oportet. Ad hæc, menſam propoſuit Deus in taber-
Menſa S. Euchariſtia. naculo antiquo: menſam verò aliam propoſuit in tabernaculo Eccleſiæ. Sed infinita eſt inter antiquam menſam, & noſtram diſtantia. Habet enim noſtra menſa panem viuum. *Ego ſum panis*
Ioan. 6. *viuus*, ait Dominus Ioan. 6. cæteri panes mortui ſunt, nihil habent vitæ. Noſter panis viuus eſt, quia Deum viuum & hominem Chriſtum continet Euchariſtiæ ſacramentum... Viuus panis viuos poſtulat comedentes, viuos, inquam, diuina gratia. Nemo accedat mortuus, & peccato mortifero inquinatus. Si Deus cibus eſt tuus: tu quoque cibus es Dei. Offer illi cor viuum, humile, & charitate feruidum, vt hoc ferculo
E delectetur. Iuſtin. lib. de Chriſti agone cap. 4.
Iuſtinus. Eo (inquit) ad Euchariſtiam percipiendam eris dignior, quo corde humilior, mente mundior, dilectione feruentior, virtutibus ſolicitior, & vita ſanctior fueris inuentus, &c.

Facies candelabrum, facies & lucernas ſeptem.

7. Candelabrum aureum illuminans templum,
Lux Spiritus ſancti. Spiritus ſancti lucem adumbrat, Eccleſiam illuſtrantem. Septem erant lucernæ cãdelabri aurei: ſeptem ſunt Spiritus ſancti dona. Hæc lux illuminauit Propheras, & Apoſtolos, hæc illuminauit Concilia, hæc illuminat ſummũ Pon-
Sebaſt. Barrada Itiner. Iſraelit. tificem, ne in fidei doctrina, & morum poſſit errori caligine offundi, hæc illuminat verbi Dei menſam, hoc eſt, ſacram ſcripturam, vt à doctoribus poſſit intelligi. Præterea candelabrũ hoc adumbrat lucem, qua hominis animus collu-
C ſtratur à Spiritu ſancto. Lucernæ in candelabro ardentes adumbrant illas lucernas, (vt ait Origenes) de quibus Luc. 12. dicit Dominus: Luca 12. *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris.* Origenes hom. 9. in Exod. Sciat (in- Origenes. quit) Chriſtianus, ſibi in ſanctis candelabrum luminis collocandum, vt ſint ei lucernæ ſemper ardentes, & lumbi ſuccincti, & ipſe, tanquam ſeruus, qui expectat Dominum ſuum redire de nuptiis. Sed iſtud candelabrum in auſtro collocet, vt ad aquilonem reſpiciat. accęſſo enim lumine, id eſt, vigilanti corde, reſpicere ſemper debet aquilonem, & obſeruare eum, qui ab aquilone eſt: ab aquilone enim accenduntur mala vniuerſæ terræ. Vigilans ergo, & ſolicitus, & ardens, intueatur ſemper aſtutias diaboli, & ſemper aſpiciat, vnde ſit ventura tentatio, vnde hoſtis irruat, vnde inimicus obrepat. Sic Origenes.

CAPVT XI.
MORALE.

C De iis, quæ erant in atrio tabernaculi.

Facies & altare.

ERAT in atrio tabernaculi altare holocauſtorum, de quo dictum eſt, tomo 2. Con- 1.
cord. in tract. de templo. Duo erant altaria in tabernaculo, alterum thymiamatis, & odoris ſuauiſſimi, hoc erat in Sanctis, hoc eſt, in domo exteriori; alterum erat in atrio propter fumum, & ignem perpetuum. In Eccleſia verò præter altare veriſſimum auguſtiſſimi ſacrificij Euchariſtiæ, duo dicuntur metaphoricè altaria, alterũ thymiamatis, & odoris ſuauiſſimi, id eſt, ora-
Oratio & mortificatio duo altaria. tionis, iuxta illud Pſalm. 140. *Dirigatur oratio mea,*
Pſal. 140. *ſicut incenſum, in conſpectu tuo.* Alterum mortifica-
D tionis, & pœnitentiæ, in quo vitia, & improbæ cupiditates immolantur, iuxta illud Apoſtoli
Rom. 12. ad Rom. 12. *Vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem.* Viuens eſt hoſtia, quia viuens offertur corpus, ſed improbis cupiditatibus immolatis. D. Gregor. homil. 22.
D Gregor. in Ezech. Hoſtia (inquit) occiditur, vt offeratur, ſed hoſtia viuens eſt corpus Domino afflictũ. Quod & hoſtia dicitur, & viuens, quia viuit in virtutibus, & eſt vitiis occiſum, &c. Habeat anima (inquit Origenes homil. 9. in Exod.) in ſe
Origenes. altare, in quo continentiæ cultro ſuperbiam, quaſi taurum, immolet, iracundiam, quaſi arietem, iugulet, luxuriam, omnemque libidinem, tanquam hircos, & hædos, litet, &c. Idem Origen. homil. 5. in Num. candelabro tabernaculi ait ſignificari ipſos Apoſtolos, qui illuminant accedentes ad Deum; eos quoque, qui ſcientiæ & doctrinæ lumen aliis oſtendunt. Addit Origenes: Alij ſunt menſa ſacra, ſcilicet quicunque
Origenes. habent panes Dei, & reficiunt, & paſcunt animas eſurientes iuſtitiam. Alij ſunt altare incenſi, quicunque orationibus, & ieiuniis, die ac nocte vacant in templo Dei, orantes non ſolùm pro ſemetipſis, ſed & pro vniuerſo populo: illi verò quibus arcana myſteria credidit Deus, & occultorum prouidentiæ ſuæ iudiciorum ſecreta commiſit, arca teſtamenti Dei appellentur. Porro qui per hoſtias precũ, ſupplicationumq;

victimas, Deum hominibus reddunt propitiũ, A
& pro hominibus interueniãt, propitiatorium
nominentur. At qui meruerint multitudinem
ſcientiæ, & abundantes diuitias, in agnitione
Dei Cherubim intelligi poſſunt. Cherubim
namq; multitudo ſciẽtię interpretatur. Sic ille.

Fecit & labrum cum baſi ſua.

2. Erat præterea in atrio tabernaculi lauacrum,
in quo corpora ſacerdotes abluebant: in Eccle-
ſia verò admirandum eſt lauacrum, in quo ani-
mas homines omnibus ſordibus expurgant,
nempe baptiſmus. Admirandum ſanè lauacrũ
eſt, quod omnes animarum ſordes abluit, red-
ditq; ita mundas, vt cælorum regno dignę ſint. B
ſed hoc lauacrum ſemel tantùm adiri poteſt.
Quia verò homines baptiſmi aqua emundati,
rurſus ſe vitiorum cœno inquinant, alterum
quoq; paratum eſt lauacrum, videlicet pœnitẽ-
Lauacrũ baptiſmi, & pœnitentiæ.
tiæ ſacramentum, quo contracta poſt baptiſmũ
inquinamenta abluuntur. Non deſunt lauacra
in Eccleſia: qui ſordidus eſt, ſuæ imputet negli-
gentiæ, quia, cùm ſuperat aquarum copia ma-
Iſaiæ 1.
gna, lauari non vult. Clamat Dominus Iſa.1.
Lauamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum
veſtrarum ab oculis meis, quieſcite agere peruerſè. Vo-
cat nos ad lauacrum, multi autem in ſordibus
ſuis, & cœno iacere malunt, porcis ſimiles, iux-
2.Pet.2.
ta illud 2.Petr.2. *Sus lota in volutabro luti*, &c. Vi- C
deant autem ſacerdotes, ne ſorde aliqua conta-
minati ad altare Dei accedant. Lauacrum pœ-
nitentiæ, & confeſſionis priùs adeant, benéque
mundata conſcientia, atque lota, ad ſtupendum
ſacrificium offerundum accedant.

De ſpeculis mulierum.

3. *Fecit Moſes labrum de ſpeculis mulierum.* Specula
D. Gregor. Dei mandata ſunt ſpecula.
autem ait D.Gregorius homil. 17. in Euangel.
ſignificare Dei mandata. Specula (inquit) mu-
lierum ſunt præcepta Dei, in quibus ſe animæ
ſanctæ ſemper aſpiciunt, & ſi quæ in eis fœdi-
tatis ſunt maculæ, deprehendunt, &c. Fæminæ
ſpeculum inſpiciunt, vt ſe ornent: ſic animę D
Dei mandata intuentur, vt ſe virtutum ornatu
decorent. Specula vultus maculas oſtendunt;
mãdata Dei cordis inquinamenta demonſtrãt.
Qui Dei mandata meditatur, animi ſui inqui-
namenta cernit, & in labro pœnitẽtiæ ſe abluit,
atq; ornat. Erubeſcit is, qui ſordibus infectam
faciem habet, ſi eam intuetur in ſpeculo: qui
verò faciem in ſpeculo conſpectam abluit, nul-
lo iam pudore ſuffunditur. Vnde vates regius
Pſal.118.
Pſal.118. *Vtinam* (inquit) *dirigantur viæ meæ ad*
cuſtodiendas iuſtificationes tuas; tunc non confundar,
cùm perſpexero in omnibus mandatis tuis. hoc eſt,
vtinam ſeruem legem, & mandata tua; tunc, ſi E
illa obſeruauero, cùm veluti ſpecula ea inſpexe-
ro, non afficiar pudore, nullam enim in vultu
maculam oſtendent. Obſerua autem quòd ait
in omnibus mandatis tuis. Oportet enim non vnũ,
vel alterum, ſed hæc omnia ſpecula inſpicere, &
diligenter omnium peccatorum maculas in-
quirere; oportet mandata omnia ſeruare, ma-
culas omnes abluere, ſi vel vna grauis ma-
neat, confuſionem, & pudorem parit ſempiter-
Seneca.
num. Seneca lib.1. Natural. quæſt. inuenta ait
ſpecula, vt homo ſe noſceret. In fine libri: In-
uenta (inquit) ſunt ſpecula, vt homo ipſe ſe
noſceret. Multi ex hoc conſecuti primò ſui no-
titiam, deinde & ad quoddam conſiliũ, formo-
ſus vt vitaret infamiam, deformis vt ſciret redi-
mendum eſſe virtutibus, quidquid corpori de-
eſſet, iuuenis vt flore ætatis admoneretur, illud
tempus eſſe diſcendi, & fortia audendi, ſenex,
vt indecora carnis deponeret, & de morte ali-
quid cogitaret. Sic ille. Egregium ſpeculum eſt
conſcientia: in hoc animę videtur facies, & qua-
lis ſit homo agnoſcitur, deformiſne peccato, an
pulcher virtutibus. hoc ſpeculum intuendum
ſæpe eſt, ſi te cupis cognoſcere. In eodem libro
cap.6. Eſt (inquit) alicuius ſpeculi talis natura,
vt maiora multo quàm videat, oſtendit, & in
portẽtoſam magnitudinem augeat formas, ali-
cuius inuicem talis eſt, vt minuat, &c. His ſpe-
culis illi ſimiles ſunt, qui veritatem non ſequũ-
tur, ſed res aut nimium extollũt, aut minuunt.
Cap.5. Sunt (inquit Seneca) ſpecula, quæ videre
extimeſcas. Tanta deformitate corruptam fa-
ciem viſentium reddunt, ſeruata ſimilitudine in
peius, &c. His ſpeculis ſimiles ſunt obtrectato-
res. Addit Seneca: Sunt ſpecula, quę cùm vide-
ris, placere ibi vires tuæ poſſint. in tantum la-
certi creſcunt, & totius corporis ſupra huma-
nam magnitudinem habitus augetur, &c. His
ſpeculis ſimiles ſunt adulatores.

Quæ excubabant in oſtio tabernaculi.

Obtulerunt Deo ſpecula fæminæ illæ probæ, 4.
quæ in oſtio tabernaculi excubabant. An *alia*
Fæminæ ſpecula Deo offerunt.
poſtea emerint, illis oblatis, quæſtio eſſe poteſt. Sed
non emiſſe reſpondetur, quia in oſtio taberna-
culi excubabant, & Deo ornatu corporis con-
tempto ſeruire decreuerant. Ait D.Hieronym.
D.Hieron.
epiſt.12. fæmineum genus eſſe φιλόκοσμον, hoc
eſt, *amicum ornatus*. Latinè earum ornatus dici-
tur *mundus muliebris*, hic fæminarum eſt mun-
dus: ſpeculum eſt velut mappa mundi fæminei,
in eo enim, veluti in mappa mundi ſui, cernunt
corporis ſui ornamenta. Quæ verò mundum
hunc ſpernunt, eius mappam, id eſt, ſpeculum,
Deo offerunt, quia ornare nolunt corpus, ſed
animam: ſpecula mutant in mandata, mundũ,
id eſt, ornatum corporis; in ornatum animæ
transferunt, pulueri, & cineri, id eſt, hominibus
placere nolunt, ſed ſummo, atq; omnipotenti
Deo, cuius oculi perpetuo in ornatu, vel turpi-
tudine animarum defixi ſunt. In mandatis Dei,
velut ſpeculis, perſpiciunt, ne confundantur,
Pſal.118. Erubeſcunt fæminæ, quæ decori cor-
poris ſtudent, cùm ornatu corporis ante ocu-
los hominum carent. Erubeſcunt illæ, quæ pul-
chritudinem animæ curant, cùm ante oculos
Dei ornatu animæ ſe priuatas vident, Pſal.44.
Pſalm.44.
Omnis gloria eius ab intus. Gloria, & pulchritudo
fæminæ, quæ Dei oculis placere cõcupiſcit, in-
tus eſt in anima: foris pãnoſa, intus eſt ſpecioſa,
vt Bernardus ait, ſcribẽs ad Sophiam virginẽ,
D.Bernard.
epiſt.113. Filiæ (inquit) Babylonis induuntur
purpura & byſſo, & ſubinde conſcientia pan-
noſa iacet. Fulgent monilibus, moribus ſordẽt.
Cõtra, tu foris pãnoſa, intus ſpecioſa reſplẽdes,
ſed diuinis aſpectibus, nõ humanis, &c. Internũ
hunc decorem affert, & auget maximè lauacrũ
confeſſionis, & conſcientię examinatio in aſpe-
ctu ſpeculorũ, id eſt, mandatorum facta. Affert
etiam confeſſio laudis diuinæ, earum quæ ante
Deum excubant. De vtraque confeſſione, tam
peccatorum, quàm diuinæ laudis exponit D.
D. Bernard. Confeſſio decorem affert animæ.
Bernard. epiſt. citata, illa verba Pſal.95. *Confeſſio*
& pulchritudo in conſpectu eius, id eſt, in conſpectu
Chriſti: Ama (inquit Bernardus) confeſſionem,
ſi affectas decorem. Cõfeſſioni iungitur decor,

iungitur

Pſal.95.
iungitur pulchritudo, Pſal.95. *Confeſſio, & pul-* A
chritudo in conſpectu eius. Vbi confeſſio, ibi pul-
chritudo; ſi peccata ſunt, in confeſſione lauan-
tur; ſi bona opera ſunt, confeſſione commen-
dantur. Cùm mala tua confiteris, ſacrificium
eſt Deo ſpiritus contribulatus; cùm beneficia
Dei confiteris, immolas Deo ſacrificium lau-
dis. Sic ille.
Excubaſſe dicuntur fęminę in oſtio taberna-
Militare Deo, qui dicantur.
5. culi. Hebraicè verbum eſt צבא, *ſaba*, quod ſi-
gnificat *militare*, & *pugnare*, & nomen *ſaba*, ſi-
gnificat *exercitum, ſabaot, exercitus*, numero plu-
rali, ſignificat etiam *pugnam* & *militiam*. Leuitis,
qui tabernaculo miniſtrabant, tribuitur hoc
Num.4.
verbum, Num.4. *Tolle ſummam filiorum Caath, de* B
medio Leuitarum per domos, & familias ſuas à trige-
ſimo anno & ſuprà, vſque ad quinquageſimum an-
num, omnium qui ingrediuntur, vt ſtent, & miniſtrent
in tabernaculo fœderis. Hebraicè, כל באל צבא,
col ba la ſaba; id eſt, omnium qui veniunt, vt mi-
litent, vel omnem venientem ad pugnam, vel
exercitum, vt miniſtrent in tabernaculo. Chal-
dæus vertit: *Omnium qui veniunt, vt per turmas*
miniſtrent. Item, Num.8. *A viginti quinque annis,*
Num.8.
& ſuprà ingredientur, vt miniſtrent tabernaculo fœ-
deris, &c. Hebraicè לצבא צבא, *liſbo ſaba*, id eſt,
ad militandum militiam in tabernaculo. Dice-
bãtur Leuitę in tabernaculo militare militiam,
id eſt, miniſtrare miniſteria. Vertunt LXX. in- C
terpretes, Numer.8. λειτουργεῖν λειτουργίας. Exod.38.
Exod.38.
dicuntur fæminæ *ſebaoth aſer ſabu*; id eſt, fæminæ
militantes, quæ militabant in oſtio tabernacu-
li, quę excubabant, & orabant, ac ieiunabant, &
miniſtrabãt in oſtio tabernaculi. Forſitan enim
tabernaculo in iis miniſtrabant; quæ fęminæ
facere poſſunt, veſtes conſuendo, abluendo, &
ſimilibus. Militare autem dicebantur Leuitę,
propter multitudinem, & ordinem. Quemad-
modum enim in exercitu multitudo eſt mili-
tum, & ordo: ſic in Leuitis erat miniſtrantibus.
Præterea militare dicuntur, quia veluti milites
Leuitæ cur dicerentur militare.
Dei erant; ſic etiam ſcriptura militiam cæli vo-
cat aſtra, propter multitudinem, & propter or- D
Sophon.1.
dinem, Sophon.1. *Qui adorant militiam cæli*, &
aliis locis, ita hæ mulieres excubaſſe dicuntur,
& militaſſe, propter multitudinem earum, &
quia vt milites vigilabant ad oſtium taberna-
culi, & orabant, vt vertit Chaldæus, & ieiuna-
bant, iuxta verſionem LXX. interpretum.
Denique velut milites erant Domini Dei
6. Sabaoth, id eſt, exercituum. Non ſolùm enim
in exercitibus Dei militant viri, ſed etiam fę-
D. Chryſoſt. Non ſolũ viri, ſed etiam fæminæ pugnant cõtra diabolum.
minę, vt Chryſoſtomus dixit homil.8. in Matt.
Communis (inquit) fæminis ac viris aduersùs
diabolum pugna eſt, & contra huius mundi
poteſtates. Neq; teneritudo ſexus his congreſ- E
ſibus impares facit, &c. Commune eſt bellum
fæminis, ac viris; milites ſunt viri, milites etiam
fæminæ, excubantes in oſtio tabernaculi. Sępe
autem fæminæ viros ipſos in hoc bello, fortitu-
dine, trophæiſq; poſt ſe relinquunt. Quamob-
D.Chryſoſt.
rem D.Chryſoſt addit loco indicato: Sæpe in
huiuſmodi acie fortiùs viris fæminę decertarũt,
ac trophæis inſignibus claruerunt, &c. Hoc fę-
minarum eſt, & virorum, qui ſe religioni manci-
parunt, militare in tabernaculo Domini, id eſt,
in Domo Dei, in cœnobio excubare, & ieiu-
nare, inſtar militum cum carne, mundo, & ca-
codęmone pugnare, multaſque de iis hoſtibus
reportare victorias. Libet cũ tabernaculo Mo-
ſis ipſam religionem, id eſt, domũ Dei cõferre,
Sebaſt. Barradas Itiner. Iſraelit.

CAPVT XII.

MORALE.

Confertur religioſus ſtatus cum Sanctis ſanctorum.

EST religio Sancta ſanctorum. Sancta eſt, 1.
quia ſanctas habet conſtitutiones, ſancta-
que Dei præcepta, & conſilia ſeruanda propo-
nit. Sancta ſanctorum eſt, quia ſancti illi ſunt,
qui religionis conſtitutiones, Deique præcepta,
& conſilia, quæ conſtitutiones cõtinent, obſer-
uant. In Sanctis ſanctorum Cherubini erant,
in quibus ſedebat Deus, iuxta illud Pſalmi 98.
Pſal.98.
Qui ſedet ſuper Cherubim. In religione ſuperiores
ſunt, ſiue prælati, Cherubinis ſimiles. Nam ſi
Congregatio religioſa eſt Dei tabernaculum.
nomen Cherubim ſignificat, ſicut magiſtros,
prælati religionũ ſicut magiſtri ſunt, quia ſub-
ditos docent, corrigunt, dirigunt. Si verò no-
men Cherubim ſignificat multitudinem ſciẽ-
tiæ, prælatos habere oportet multitudinem
Prælati ſimiles Cherubinis.
ſcientiæ, vt ſuo munere rectè fungantur. Cheru-
bini ſcientiam cum ſummis virtutibus coniun-
ctam habent: ſic prælati ſcientiam habere de-
bent cum ſumma probitate copulatam. Cheru-
bini verſos habebant vultus in propitiatorium;
prælati verſos habeant intellectus oculos in
Chriſtum, eum meditando intueãtur, eius cau-
ſa oues paſcant, intentionem ſuam in eum diri-
gant. In Cherubinis tabernaculi ſedebat Deus,
& ex illis præcipiebat. Exod.25. ait Dominus
Exod.25.
Moſi: *Inde præcipiam, & loquar ad te ſupra propitia-*
torium, ac de medio duorum Cherubim. In ſuperiori-
bus ſedet Deus, quia vicem obtinent Dei, &
ex illis præcipit, & loquitur ſubditis religioſis.
Vox enim prælati, vox Dei eſt. Loquebatur
autem Deus ſuper propitiatorium, quia iis reli-
gioſis valdè propitius eſt, qui ſuperiorum voci
obtemperant.
Sub Cherubinis arca erat, quæ dicitur ſca- 2.
Thren.2. Pſal.98.
bellum pedum Dei. Thren.2. *Non eſt recordatus*
ſcabellum pedum ſuorum in die furoris ſui. Pſal.98.
Subditi prælatis religioſi.
Adorate ſcabellum pedum eius. Sub ſuperioribus
ſubditi eſt cor, quod arca non eſt mundi, ſed
Dei: non enim mundi ſeruat vanitatem, ſed
Dei theſauros. In arca tabulę erant, id eſt, Dei
mandata, in tabulis ſcripta. In corde viri reli-
gioſi, religionis conſtitutiones ſunt, & regulæ,
veluti theſauri, reconditę; ſunt etiam tria vo-
ta, quæ regulis, & conſtitutionibus continen-
De tribus votis religioſorum.
tur. Auream paupertatem in corde reconditam
habeat, auream caſtitatem, auream obedien-
tiam. Petiuit Dominus olim à Seraphico Fran-
ciſco tres oblationes. Cumque ille reſpõdiſſet,
ſe nihil habere aliud, præter corpus, & ani-
mam, & indumentum. Mitte (dixit Dominus)
manum in ſinum tuum, & quæ inueneris offer
mihi. Miſit magnus Franciſcus manũ in ſinum,
Aurea moneta D. Franciſci.
indeque tres extraxit magno miraculo mone-
tas aureas, & fulgentiſſimas, quas intellexit ex
Deo tria vota ſignificare omni theſauro pre-
tioſiora. Hæc vota aurea, & mandata Dei, ac
conſilia in arca ſua, hoc eſt, corde ſuo, ſeruat
probus religioſus. Præterea erat in arca taber-
naculi manna, de quo Sapient.16. legimus:
Sap.16.
Panem de cælo præſtitiſti illi, omne delectamentum in
ſe habentem, & omnis ſaporis ſuauitatem. In viro
religioſo eſſe oportet manna dulce deuotionis,
omne delectamentum in ſe habens, & dulce-
dinem. Dulcedo, quam Deus religioſis infun-
Dulcedo deuotionis.
dit cordibus, mundi, carniſque mortiferas dul-

cedines

Psal. 76. cedines pellit, ac fugat, iuxta illud Psal. 76. *Renuit consolari anima mea; memor fui Dei, & delectatus sum.* Renuit anima probi religiosi voluptatibus mundi oblectari, quia Dei dulcedinem degustat. Cùm mundi se offert voluptas, illam respuit, Deum in memoriam reuocat, in eoque diuinam voluptatem reperit, quæ mundanam fugat. Audi Augustinum lib. 9. Confess. cap. 1. (D. August.) Quàm suaue (inquit) mihi subitò factum est, carere suauitatibus nugarum, & quas amittere metus fuerat, iam dimittere gaudium erat. Eiiciebas enim eas à me, tu vera, & summa suauitas, eiiciebas, & intrabas pro eis omni voluptate dulcior. Sic Augustinus.

3. Ad hæc erat in arca virga Aaron, quæ fronduerat, flores, fructumque produxerat. Num. (Numer. 17.) 17. *Turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati sunt.* Est in pectore boni religiosi virga mortificationis, quæ cælestes flores, fructusque producit. (Mortificatio.) Initio mundi, cùm terra aquis erat submersa, nullos flores, nullos ferebat fructus, dixitque Deus, Genes. 1. (Genes. 1.) *Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum vnum, & appareat arida.* Postquam verò congregatæ sunt aquæ in locum vnum, dixit: *Germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum.* Itaque post aquarum congregationem, herbas, flores, fructusque terra produxit. Quid similius terræ aquis demersæ, quàm homo terrenus, prauis cupiditatibus submersus, & affectibus? quamdiu sic submersus est, diuinos flores, fructusque non fert, postquam verò mortificatione, veluti virga Aaronis, mare procellosum, id est, prauos affectus exsiccat, congregat, ac constringit, rationique obedientes reddit, tunc arbores, flores, fructusque cælestes profert. Congregantur aquæ terrestres in locum vnum: at aquæ cælestes toto cælo diffunduntur. Nam appetitus terrestres frænandi sunt, charitas, quę cęlestibus aquis similis est, in omnes est diffundenda. Hugo Victor de Sacramentis, 1. part. cap. 23. (Hugo Vict.) Aquæ, (inquit) quæ super cælos sunt, congregantur in locum vnum, & quæ sunt supra cælum, non congregantur, sed relinquuntur diffusæ. Quid putas hoc est, nisi quòd charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, & istæ sunt supercælestes aquæ. Charitas amplificanda semper est, & dilatanda. Quæ autem sub cælo sunt aquæ, congregandæ sunt in locum vnum, vt inde per certos exitus ordinatos ducatur. Quoniam affectus animæ interior, nisi certa lege constringatur, non potest apparere arida, nec germina producere. Sic ille. Denique Sancta sanctorum vndique aureis fulgebant tabulis: sic probus religiosus vndique charitate, aureisque charitatibus operibus fulgeat.

4. Tectæ erant tabulæ laminis aureis, quę mallei percussiones ferunt, igneisq; flammis fiunt splendidiores: ita religiosi charitas pœnitentię, laborumque, quos religio affert, ictus patienter toleret, atque in eis magis ac magis in dies rutilet. His addamus Sancta sanctorum velo fuisse contecta, quod ante arcam erat oppansum. Sub velo sit absconditus religiosus, nolit eos audire, qui dicunt Ioan. 7. (Ioan. 7.) *Manifesta teipsum mundo, vt te laudet & admiretur.* Psal. 26. (Psal. 26.) *Abscondit me in tabernaculo suo, in die malorum, protexit me in abscondito tabernaculi sui.* Dies hi malorum sunt, & periculorum; abscondimur ergo in tabernaculo Dei sub velo. *Intra in cubiculum tuum,* (ait Dominus Matth. 6.) *& clauso ostio ora patrem tuum in abscondito.* (Matth. 6. Religiosorũ duplex collectio: corporis, & animi.) Opus autem est religiosis duplici velo, hoc est, tum corporis, tum animi collectione. Corporis velum, est cubiculum, animi velum, est solitudo mentis, Cantic. 4 (Cant. 4.) bis dicitur hortus conclusus anima sancta: *Hortus,* inquit, *conclusus, hortus conclusus.* Duplex enim septum postulat religio. Vbi verò hoc duplex septum est, floribus, fructibusque viget hortus; vbi deest, bruta animantia, feræq; flores conculcant, arbores, fructusque dispergunt. Brutæ enim cupiditates, si animi collectio deest, hortum ingrediuntur, omnémque pessundant amœnitatem. Iob 40. (Iob. 40.) *Omnes bestiæ agri ludent ibi.* Ludunt, & illudunt bestiæ agri, hoc est, cacodæmones, in corde illius religiosi, qui septum in horto non habet. Vnde D. Gregor. (D. Gregor.) in eadem verba: An (inquit) immundis spiritibus non est ludere, mentes hominum modò ficta promissione decipere, modò vacuis terroribus irridere, modò eis transitoria gaudia, quasi permansura imprimere, modò permansuras pœnas quasi transitorias leuigare, &c. Paradisus voluptatis, & deliciarum Dei, est religio. Habeant ergo religiosi paradisi Dei custodiam. Genes. 3. (Genes. 3.) *Collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ.* Ante hunc paradisum collocare oportet egregiam custodiam, videlicet Cherubim, & flammeum gladium, atque versatilem. Lignum vitæ, id est, gratiam, quæ hominibus affert vitam, defendāt Cherubini, hoc est, superiores vigilātes, ne serpens tartareus ingrediatur, illamque diripiat. Defendat gladius igneus, id est, mortificatio, igne charitatis succensa. Nihil introeat, quod à Cherubinis, id est, superioribus, non sit examinatum, & igneo gladio à subditis probatum. Sit versatilis gladius, qui in omnes corporis, animiq; partes se verset, omniaq; rescindat, atque comburat, quæ religiosum statum non decent.

De exemplari tabernaculi.

Inspice, & fac secundùm exemplar, quod tibi in monte monstratum est.

5. Exemplar tabernaculi Deus in monte Sinai demonstrauit Mosi, præcepitque vt exemplar inspiceret, & iuxta exemplar tabernaculum construeret. (Christus est exemplar nostrum; inspiciamus & faciamus.) In monte Sinai demonstrauit Dominus Mosi exemplar tabernaculi construendi, in monte autem Caluariæ aliud multo præstantius exemplar Ecclesiæ construendę nobis ostendit, videlicet Christum cruci suffixum. Est enim Christus Ecclesiæ, hoc est, Christianorum, exemplar, iuxta illud Ioan. 13. (Ioan. 13.) *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Hæc præter alias causas fuit incarnationis causa, & passionis Filij Dei; redimere nos voluit effuso sanguine; milléque cruciatibus toleratis patientissimè. Voluit etiam exemplar esse nostrum, quod intueamur, & mores, vitamque nostram intuendo componamus. *Inspice,* inquit, *& fac.* Non satis est inspicere, sed necesse est etiā facere. Inspicere oportet exemplar Christum, eius vitam, humilitatem, paupertatem, mundi despicientiam, summamq; patiētiā intueri oportet intellectus oculis meditādo. At scientia hæc practica est, ad praxim transire oportet. *Fac* (inquit Dominus) *secūdùm exemplar.* Itaque

Itaque hæc duo maximæ curæ esse debēt Christiano, inspicere, & facere. Meditatio inspicit, praxis facit. Destinet ergo Christianus quotidie tempus aliquod meditationi, quo Christi Opt. Max. vitam, mortem, opprobria, cruciatus, magno affectu consideret. Inspiciat exemplar suum, Christum, in monte Caluariæ, ex ligno inter latrones pendentem, vulneribus confectum, sanguine toto corpore cruentatum. Inspiciat illius inauditam inter tot cruciatus māsuetudinem, patientiam, humilitatem, paupertatem, ac nuditatem. Inspiciat flagrantem toto pectore charitatem, qua ductus pro peccatis hominum in crucem agi voluit. Recta ttutina hæc omnia expendat, & faciat, ad praximque transeat, hoc est, patientiam, humilitatem, cæterasque virtutes, quas in exemplari inspicit, imitetur. Ad Hebr. 12. (Heb. 12.) *Per patientiam curramus ad propositum nobis certamen, aspicientes in authorem fidei, & consummatorem Iesum, qui proposito gaudio sustinuit crucem, confusione contempta.* Inspiciamus exemplar, inspiciamus ducem (inquit Paulus) & faciamus, hoc est, sub duce cruentato, fortiterque dimicante certemus. Et D. Petrus, epist. 1. cap. 2. (1. Petri 2.) *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius.* Inspiciamus ergo vestigia Domini, ducisque nostri præcedentis, & faciamus, hoc est, iisdem vestigiis iter in cælum habeamus.

6. Longum iter (ait Seneca epist. 6.) per pręcepta, breue, & efficax est per exempla, &c. (Seneca. Breue iter per exemplum Dei.) Si per exempla hominum breue fieri virtutis iter dixit Philosophus, quid dicēdum erit de exemplo summi Dei, & hominis Christi? Breue equidem, & dulce facit iter, tam admirabile exemplum, si tamen inspiciatur attentè. Psal. 76. (Psal. 76.) *In mari via tua, & semitæ tuæ in aquis multis, & vestigia tua non cognoscentur.* Olim cùm mare rubrum cum populo suo pertransiret Deus, vestigia nō reliquit: at cùm rubrum passionis mare pertransiit, vestigia reliquit, non leuiter impressa, sed ad memoriam sempiternam. Volebat enim in hoc mari rubro multos habere, qui vestigiis, in eo impressis, insisterent. Inspice igitur exemplar, ô Christiane, & fac. si peccatorum inquinamentis contaminatus es, pudore suffundere, & veram age pœnitentiam, inspecto Dei templo, iuxta illud Ezechiel. 43. (Ezechiel 43.) *Ostende domui Israël templum, & confundantur ab iniquitatibus suis.* Videant Christiani templum, & tabernaculũ Dei, hoc est, humanitatem Christi in monte Caluariæ, & confundantur, agantque pœnitentiam ab iniquitatibus suis.

CAPVT XIII.

De erectione, & vnctione tabernaculi.

EXODI CAP. XL.

LOCVTVSQVE est Dominus ad Moysen, dicens: Mense primo, prima die mensis, eriges tabernaculum testimonij, & pones in eo arcam, dimittésque ante illam velum: & illata mensa, pones super eam, quæ ritè præcepta sunt. Candelabrum stabit cũ lucernis suis, & altare aureum in quo adoletur incensum, coram arca testimonij. Tentorium in introitu tabernaculi pones, & ante illud altare holocausti: labrum inter altare & tabernaculum, quod implebis aqua. Circumdabisque atrium tentoriis, & ingressum eius. Et assumpto vnctionis oleo vnges tabernaculum cum vasis suis, vt sanctificentur: altare holocausti & omnia vasa eius: labrum cum basi sua: omnia vnctionis oleo consecrabis, vt sint Sancta sanctorum. Applicabisque Aaron, & filios eius ad fores tabernaculi testimonij, & lotos aqua indues sanctis vestibus, vt ministrent mihi, & vnctio eorum in sacerdotium sempiternum proficiat. Fecitque Moyses omnia quæ præceperat Dominus. Igitur mense primo anni secundi, prima die mensis, collocatum est tabernaculum. Erexitq; Moyses illud, & posuit tabulas ac bases & vectes, statuitque columnas, & expandit tectum super tabernaculum, imposito desuper operimento, sicut Dominus imperauerat. Posuit & testimonium in arca, subditis infra vectibus, & oraculum desuper. Cúmque intulisset arcam in tabernaculum, appendit ante eam velum, vt expleret Domini iussionem. Posuit & mensam in tabernaculo testimonij ad plagam septentrionalem extra velum, ordinatis coram propositionis panibus, sicut præceperat Dominus Moysi. Posuit & candelabrum in tabernaculo testimonij è regione mensæ in parte australi, locatis per ordinem lucernis, iuxta præceptum Domini. Posuit & altare aureum sub tecto testimonij contra velum, & adoleuit super eo incensum aromatum, sicut iusserat Dominus Moysi. Posuit & tentorium in introitu tabernaculi testimonij, & altare holocausti in vestibulo testimonij, offerens in eo holocaustum, & sacrificia, vt Dominus imperauerat. Labrum quoque statuit inter tabernaculum testimonij & altare, implens illud aqua. Laueruntque Moyses & Aaron ac filij eius manus suas & pedes, cùm ingrederentur tectum fœderis, & accederent ad altare, sicut præceperat Dominus Moysi. Erexit & atrium per gyrum tabernaculi & altaris, ducto in introitu eius tentorio. Postquam omnia perfecta sunt, operuit nubes tabernaculum testimonij, & gloria Domini impleuit illud. Nec poterat Moyses ingredi tectum

rectum fœderis, nube operiente omnia, & maiestate Domini coruscante, quia cuncta nubes operuerat. Si quando nubes tabernaculum deserebat, proficiscebantur filij Israël per turmas suas: si pendebat desuper, manebant in eodem loco. Nubes quippe Domini incubabat per diem tabernaculo, & ignis in nocte, videntibus cunctis populis Israël per cunctas mansiones suas.

Erexit Moyses illud.

2. ANNO secundo ab exitu ex Ægypto, mense primo, id est, mense Nisan, in quo ex Ægypto Israëlitæ exierant, prima die mensis, iussu Dei erexit Moses tabernaculũ iuxta montem Sinai. Exod. 40. *Erexit Moyses illud, & posuit tabulas, & bases, ac vectes, statuitq; columnas, & expandit tectum super tabernaculo.* Agebatur iam annus vnus à discessu populi ex Ægypto. Discesserunt enim decima quinta die mensis primi, erectum verò est tabernaculũ prima die eiusdem mensis primi, anno secundo post discessum. Hoc autem anno ferè toto iuxta montem manserunt Hebræi; nam mense tertio primi anni apud mõtem castrametati sunt, vt dicitur Exod. 19. mense primo anni secundi eodem in loco manebant, Exod. 40. quia columna itineris dux ad iter nondum vocabat. Erectum tabernaculum Moses sacro vnxit oleo, eiusque vasa, vt Deus imperauerat, Exod. 40. *Assumpto (inquit) vnctionis oleo vnges tabernaculum cum vasis suis, vt sanctificentur, altare holocausti, & omnia vasa eius. Labrum cum basi sua, omnia vnctionis oleo consecrabis, vt sint Sancta sanctorum*, id est, vt sint sanctissima, & mihi consecrata, ac dicata. Quod si quæras, *an totum tabernaculum fuerit perfusum oleo, eiusq; vasa omni ex parte?* Respondendum est, non fuisse perfusum totum tabernaculum oleo, sed aliquas eius partes; idem de vasis dicendum est, nõ enim omni ex parte vncta sunt, sed nonnullis in partibus olei respersionem suscepere. Confirmatur, quia maxima olei copia fuisset opus, si totum tabernaculum, eiusq; omnia vasa omni ex parte fuissent oleo perfundenda. Sic extremæ vnctionis sacramento inungitur Christianus ex vita discedens, cùm tamen non totus perfundatur oleo sacro, sed aliquibus in membris solùm inungatur.

Exod. 40.

Erexit Moyses tabernaculum anno secũdo post discessũ ab Ægypto.

Moses erexit Dei vnxit tabernaculum. Ibid.

3. Eodem oleo, quo tabernaculum vnctum est, sunt etiam vncti sacerdotes. Quomodo autem faciendũ esset, docet Dominus Mosem Exod. 30. *Facies (inquit) vnctionis oleum sanctum, vnguentum compositum opere vnguentarij, & vnges ex eo tabernaculum testimonij, & arcam testamenti, mensamque cum vasis suis, candelabrum, & vtensilia eius: altaria thymiamatis, & holocausti, & vniuersam supellectilem, quæ ad cultum eorum pertinet: Aaron, & filios eius vnges.* Aromata, ex quibus oleum componi iussit, eodem capite describuntur his verbis: *Sume tibi aromata primæ myrrhæ & electæ quingentos siclos, & cinnamomi medium, id est, ducentos quinquaginta siclos, calami similiter ducentos quinquaginta, casiæ autem quingentos siclos in pondere sanctuarij, olei de oliuetis mensuram Hin, faciesque vnctionis oleum.* Siclus pondus habet dimidiæ vnciæ. Myrrha, vt Plinius est auctor, lib. 12. cap. 15. est arbor, cuius altitudo ad cubita quinq; surgit. Eius folium oliuæ folio simile est, verùm crispius, & aculeatum: bis singulis annis incidit, vt fluat ex ea liquor. Sponte etiam sudat prius quàm incidatur, diciturque stacte ille sudor, cui nulla myrrha præfertur. Stacte autem nomen est Græcum, στακτή, id est, *stilla*, à στάζω, *stillo*.

De oleo, quo tabernaculũ vnctum est, & sacerdotes.

Aromata ex quibus componebatur oleum.

Plinius. Myrrha arbor.

Stacte.

A Psal. 44. stacte dicitur gutta: *Myrrha, & gutta à vestimentis tuis.* D. Hieronymus vertit, *myrrha, & stacte.* Hebraicè, רוש מר דרור, *ros; mar deror*, caput myrrhæ liberæ, id est, myrrham præcipuam, & primam & liberè fluentem, antequam arbor incidatur. LXX. interpretes vertunt: *Sume florem myrrhæ electæ*, &c. & D. Hieron. epist. 140. ad Principiam: Narrant (inquit) ij, qui aromatum nouere virtutes, stactem florem esse myrrhæ, &c. *Sume tibi* (ait Dominus) *aromata primæ myrrhæ, & electæ*, id est, sume tibi ducentas quinquaginta vncias myrrhę illius, quę ab arbore sponte sua defluit, hæc enim prima est, & electa, odorísque suauitate præstans, iuxta illud

Psal. 44. D. Hieron.

D. Hieron.

B Eccles. 24. *Quasi myrrha electa dedi suauitatem odoris.* Præter myrrham adhibebantur cinnamomi sicli ducenti quinquaginta, totidem calami aromatici, quingenti verò sicli casię, quam dicunt esse canellam. Sed quænam aromata sint cinnamomum, & casia, incertum est. Olei verò mensura certa erat, quę appellatur Hin, tantumque dicitur continere, quantum septuaginta duo oua. Huiusmodi vnguento odorifero iussit Dominus vngi tabernaculum, & sacerdotes, prohibuitque reliquis, ne eo vngerentur, Exod. 30. *Hoc (inquit) oleum vnctionis sanctum erit mihi in generationes vestras, caro hominis non vngetur ex eo, & iuxta compositionem eius non facietis aliud, quia sanctificatum est, & sanctum erit vobis.* C *Homo quicunque tale composuerit, & dederit ex eo alieno, exterminabitur de populo suo.*

Eccli. 24.

Exod. 30. Oleum, sicut vnguentum vnctionis, prohibitum.

Operuit nubes tabernaculum.

4. Postquam erectum est tabernaculum, & vnctum, Deoque dicatum, præsentię suę signo illustrauit illud Dominus, & velut possessionem domus suæ accepit. Exod. 40. *Postquam omnia perfecta sunt, operuit nubes tabernaculum testimonij, & gloria Domini impleuit illud. Nec poterat Moyses ingredi tectum fœderis, nube operiente omnia, & maiestate Domini coruscante, quia cuncta nubes operuerat.* D Erat nubes illa fulgida, quemadmodum illa, quę in transfiguratione Domini visa est, Matth. 17. *Ecce nubes lucida obumbrauit eos.* Similem in modum exædificato templo à Solomone, in ipsa dedicatione domus suæ possessionem Deus accepit, ostenditque se cum magna gloria eam ingredi. Intulerunt sacerdotes arcam in oraculum, lib. 3. Reg. cap. 8. *Factum est autem cùm exiissent sacerdotes de sanctuario, nebula impleuit domum Domini, & non poterant sacerdotes stare, & ministrare, propter nebulam. Impleuerat enim gloria Domini domum Domini.* Non poterat Moses ingredi tabernaculum, quia nube fulgentissima opertum erat: sic sacerdotes in templo Salomonis stare, & ministrare non valebant, quia nebula, siue nubes splendidissima, templum impleuerat.

Erectum tabernaculum Deus nube operuit, quæ illius maiestatem indicabat. Exod. 40.

Matth. 17.

3. Reg. 8.

CAPVT

CAPVT XIV.

MORALE.

De erectione, & vnctione tabernaculi.

Mense primo, prima die mensis eriges tabernaculum testimonij.

1. ERECTVM est tabernaculum prima die mensis Nisan, qui nostro Martio, & Aprili respondet, LXX. interpretes vertunt: *In neomenia*, id est, in luna noua. Lunares enim erant menses Hebræorum. Prima dies erat prima luna, luna verò prima mensis Nisan, prima dies erat anni sacri. Tabernaculum, siue templum, adumbrabat Christi corpus, Ioan. 2. *Soluite (inquit) templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud: ille autem dicebat de templo corporis sui.* Dirutum est hoc tabernaculum à Iudæis, post tres dies in ipso mense Nisan erectum est, & excitatum. Nónne tibi videtur erectum tabernaculum, cùm corpus illud sanctissimum, quod iacebat in sepulchro, magno coruscans splendore surrexit? D. Cyrillus lib. 4. in Ioan. cap. 28. tunc erectum ait tabernaculum, cùm Christus est incarnatus, Ioan. 1. *Et Verbum caro factũ est, & habitauit in nobis.* Græcè ἐσκήνωσεν, verbum est ductum à σκήνη, id est, *tabernaculo*, significat, *habitare in tabernaculo*. D. Cyrillus: Dicimus tabernaculum, quod tunc erigebatur, sanctissimum Christi corpus significasse, in quo plenitudo Deitatis habitauit, &c. Eodem loco docet, lunam nouam, qua tabernaculum est erectum, mundi renouationem indicare, quam Christus aduentu suo effecit. Neomenia (inquit) id est, luna, denotat Saluatoris aduentum, quo renouamur, quo omnia noua facta videmus, &c. Addit, mensem Nisan, qui anni sacri est primus mensis & verni temporis, vel illud adumbrasse, quod sol iustitiæ Christus in orbem attulit, transactis hyemis tempestatibus. Mense (inquit) primo tabernaculum erectum est, quando mitigata hyemis sæuitia, verni temporis pulchritudo resplendet, & terra floribus decoratur. Hyemis tempestas, id est, diaboli tyrannis, & vires tempore Christi ceciderunt, flores autem meritò sanctos dicemus, &c. Christum verò ver mundo attulisse, idem Cyrillus lib. 10. de adoratione ait verba Isaiæ 52. significare, iuxta versionem LXX. interpretum. Noster interpres sic habet: *Ego ipse, qui loquebar, ecce adsum.* LXX. sic vertunt: *Ego qui loquebar, adsum, sicut ver in montibus.* D. Cyrillus: Audio Christum per Prophetam dicentem: Ego, qui loquebar, adsum, sicut vernum tempus in montibus. Quod enim in montibus vernum tempus efficit, vt arbores nouo germine coronentur, hoc idem in nobis Saluatoris aduentus effecit, &c. Idem Pater lib. 17. de adoratione, mortuorum resurrectionem significatam docet erectione illa tabernaculorum, quæ in die scenopegiæ fiebat. In resurrectione enim tabernacula nostra, id est, corpora, ex sepulchris erigentur. D. Cyrillus loco citato: Scenopegiæ (inquit) festum existimandum est indicare illam omnium corporum resurrectionem, quorum primitiæ Christus fuit. Sic ille.

Tabernaculũ erectum est prima die anni sacri die neomenia.

Ioan. 2.

D. Cyrillus.

Ioan. 1. Tabernaculũ significat Christi corpus.

D. Cyrillus.

D. Cyrillus. Vernũ tempus attulit terra Christus.

D. Cyrillus.

D. Cyrillus.

D. Cyrillus.

2. Potest etiam tabernaculum Ecclesiam significare, Ecclesiæ autem tabernaculum erectum dicitur in nouilunio, propter rerum nouitatem A & tempore verno, propter virtutum amœnitatem. Vnde illud Canticorum 2. *Surge, propera amica mea, & veni. Iam enim hyems transiit, imber abiit, & recessit, flores apparuerunt in terra nostra.* Est etiam Christianus tabernaculum Dei, diruitur aliquando à dæmone, vt autem erigatur, statutum est tempus vernum quadragesimę, quod significat, oportere Christianos, veluti arbores, resloreſcere, & pœnitentiæ fructus producere, iuxta illud hymni Ecclesiastici: *Dies venit, dies tua in qua resloreat omnia, lætentur in hac ad tuam per hanc reducti gratiam.* Sed non est expectandum quadragesimæ tempus, vt tabernaculum erigatur. Est enim cùm cecidisse cernitur, statim, vt erigatur, totis viribus elaborandũ est. Videamus, quanto animi ardore Dauid tabernaculum, siue templum, Deo optet statuere, Psal. 131. *Si introiero (inquit) in tabernaculum domus meæ, si ascendero in lectum strati mei: si dedero somnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem, & requiem temporibus meis, donec inueniam locum Domino, tabernaculum Deo Iacob.* Neque domum suam introire, neque somnum volebat capere, si priùs locum templo Domini extruendo non inuenisset: eundem in modum, qui tabernaculum Dei euertit, neque domum suam introeat, neque in lectum ascendat, neq; somnum oculis suis det, donec suum tabernaculum erigat. C Ecquis ferat tabernaculum Dei æquatum solo videre? Peccatum Dei tabernacula solo æquat; pœnitentia erigit, D. Petrus 2. epist. cap. 1. tabernaculum appellat corpus suum. *Iustum (inquit) arbitror, quamdiu sum in hoc tabernaculo, suscitare vos in commonitione, certus quòd velox est depositio tabernaculi mei*, id est, corporis mei. Origenes homil. 17. in Numer. Paulum ait fuisse fabrum tabernaculorũ, vt Lucas docet Actor. 18. transiatum verò esse ad fabricanda tabernacula cælestia, id est, homines iustos, qui Dei sunt tabernacula. Sicut alij Apostoli (ait Origenes) ex piscatoribus piscium, piscatores hominum facti sunt, ita & Paulus à faciendis tabernaculis terrenis ad cælestia tabernacula construenda translatus est. Construit enim cælestia tabernacula, docens vnumquemque viam salutis: facit tabernacula, cùm ab Ierusalem in circuitu vsque ad Illyricum replet Euangelium Dei Ecclesias construendo. Sic Origenes.

Cant. 2.

Christianus est tabernaculum Dei quod per pœnitentiam erigitur.

Festinandũ est ad pœnitentiam.

Psal. 131.

2. Pet. 1.

Origen.

Postquam erectum est tabernaculum, vnxit illud Moses, eaque vnctione præcellentissimam Christi vnctionem adumbrauit. Christi humanitas, Verbi tabernaculum erat, hanc Deus admirabili vnxit Spiritus sancti vnguento, quod cælum, terrasq; lętissimo odore complet. Gratia enim doniſque diuini Spiritus admirabilibus vnctus est Christus, Isai. 61. *Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me.* Dan. 9. *Et vngatur sanctus sanctorum.* Actor. 10. *Quomodo vnxit eum Deus Spiritu sancto, & virtute*, &c. Et Psalm. 44. *Vnxit te Deus, Deus tuus, oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Omnes homines, angelósque superauit Christus vnctione gratiæ, donorumq; Spiritus sancti. Ille solus maiorem gratiam habet, quàm omnes simul angeli, & homines, idco vnctus dicitur præ consortibus suis, id est, præ omnibus, qui à Spiritus sancti gratia vncti sunt. Quia verò olim sub antiquo testamento reges, & sacerdotes, ac prophetæ vngi solebant; idcirco etiam Christus rex, & sacerdos, & prophetа vnctus præ consortibus suis dicitur, id est, præ omnibus regibus, & sacerdotibus, ac

3. Tabernaculũ vnctũ; Christus vnctus.

Isai. 61. Daniel. 9. Actor. 10.

Psalm. 44. Vnctio Christi superauit omnes vnctiones.

prophetis. Omnes enim longissimo superat [A]
interuallo. Vnctus etiam dicitur vnione hypostatica, humanitas enim cum supposito Verbi diuini copulata, diuinitate ipsa Verbi, veluti vnguento fragrantissimo, est delibuta. Vnctionem indicat nomen Christi, quod vnctum significare constat, quemadmodum Hebræum, quo etiam vtimur, Messias. Cant. 1. *Oleum effusum nomen tuum.* Nónne oleum effusum est nomen Christi, quod vnctum oleo effuso significat? Significat autem hoc nomen in scriptura regem, Psal. 88.2. Reg. 1. & 23. & 19. & Iud. 9. arbores dicuntur iuisse, vt vngerent super se regem. Itaque cùm Dominus appellatur Iesus Christus, perinde est, ac si appellatur [B]
Iesus Rex, Rex inquam, per antonomasiam, omnibus enim regibus antecedit infinito interuallo. Post erectum tabernaculum vnxit illud Moses oleo: sic postquam humanitas Christi in sacrosancto Virginis vtero ab Spiritu sancto perfecta est temporis momento, & erecta, velut Dei tabernaculum, eodem vncta est omni gratia, omnibusque donis. Postea verò extra vterum Virginis erectum est hoc tabernaculum, id est, humanitas Christi, coram hominibus in natiuitate, & post dies octo inuncta vnguento pretiosissimo, id est, sanguine, cùm Dominus est circumcisus. Nomen impositum [C]
est Iesus, id est, Saluator, quod vnctionem illam maximam indicabat, qua in passione, & cruce vnctus est. Vt enim nos seruaret, sanguine vngi oportuit sanctissimum illud tabernaculum. Fuit autem ille sanguis salutiferum omnibus mundi vulneribus vnguentum.

Cant. 1. Vnctus significat regem.

4. Deniq; Dei tabernaculũ, Ecclesia est. Quemadmodum Christus est vnctus inuisibili Spiritus sancti oleo: ita Christiani vnguntur, quanuis longè diuersa mensura. 1. Ioan. 2. *Vnctionem habetis à sancto.* Item: *Sicut vnctio eius docet vos de omnibus.* Item: *Vnctionem quam accepistis ab eo, maneat in vobis.* A Christo, id est, vncto, dicimur [D]
Christiani, id est, vncti hac vnctione. D. Hieron. epist. ad Principiam, ad illa verba Psalm. 44. *Præ consortibus tuis, vel, præ participibus tuis:* Participes (inquit) apostolos, credentésque significat, quibus vnctionis suæ vocabulum Christus tribuit, vt ab vncto vocentur vncti, id est, à Christo Christiani, &c. Vnguntur Christiani oleo Spiritus sancti inuisibili, quemadmodum Christus, à quo habent nomen. Vnguntur prętereà oleo visibili in Baptismo, Confirmatione, extrema Vnctione, & in sacramento Ordinis. Odorifero oleo vngebatur tabernaculum: odorifero Spiritus sancti oleo vngitur Christianus. Odorem ergo exempli boni semper exhalet, iuxta illud Pauli 2. Corint. 2. *Christi bonus odor sumus.* Oleum misericordiam significat, [E]
misericors sit Christianus, præsertim erga pauperes, mittat oleum suum in vasa vacua, id est, pauperes, rebus necessarijs vacuos, vt misit mulierilla, 4. Reg. 4. cui dixit Elisæus, *pete vasa vacua.* Myrrha prima ad vnguentum conficiendum numeratur, Exod. 30. & in vestimentis Christi, Psalm. 44. *Myrrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis.* Myrrhæ, id est, vitiorum omnium mortificationis, Christiano prima cura sit: Christo quotidie myrrham electam offerat; effrenatas cupiditates morte mulctando. D. Hieronymus, epist. citata: Initium (inquit) est vestimentorum Christi, suscipere mortem illius, & in sua carne monstrare, &c. & Principiam sic alloquitur: Mortificasti membra tua super terram, & quotidie Christo offers myrrham. *Christi bonus es odor*, & propterea stactem, id est, stillam, vel guttam, exhibes Domino, &c. Item: Huic (inquit) mundo mortua est, & nihil aliud, nisi de cælestibus cogitans, loquere ad sponsum tuum, Cant. 5. *Manus meæ stillauerunt myrrham, digiti mei, myrrha pleni.* Sic Hieronymus.

1. Ioan. 2. Ibidem. Ibidem. Christiani sunt vncti. D. Hieron. Psal. 44.

2. Corint. 2. Bonũ exemplũ est odor suauis.

Psal. 44. Myrrha, id est, mortificatio cura sit Christiano. D. Hieron.

Idem. Cant. 5.

5. Significat etiam myrrha pœnitentiam, ea autem, vt ex Plinio diximus, præstantior est myrrha, quæ fluit ex arbore, non incisa: eundem in modum pœnitẽtia, quæ ex animo fluit, non inciso iam præsentis mortis timore, cùm incolumes, & sani sumus, præstantior est illa, quàm impendẽs ceruicibus mors, velut extorquet, percusso eius fortitudine animo. Placet myrrha Domino, hoc est, pœnitentia vera, etiam illa, quæ inciso fluit pectore horrendæ metu mortis. Psalm. 50. *Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.* Non despicit Deus myrrham. Cinnamomi, & calami odorati ducentos quinquaginta siclos iubet vnguento adhiberi: at myrrhę multo plures, nempe quingentos, placet enim valde myrrha, id est, pœnitentia. Illud quoq; obseruandum, quod additur Exod. 30. *pondere Sanctuarij* esse ponderandam myrrham, & cætera aromata, sacramenta enim, & pœnitentia, cæteræq; virtutes, pondere Sanctuarij, id est, Ecclesiæ Catholicæ, sunt expendendæ, cuius rectissima est statera. Fuge hæreticorum stateram, non ponderes in illa fidem, aut pœnitentiam, reliquasque virtutes, vel sacramẽta. Fallax fides in illa põdus habet, non vera. Oseæ 12. *Chanaan in manu eius statera dolosa.* Fuge oleum hęreticorum, myrrham non habet. D. Hieron. Ezech. 16. Habent (inquit) cacodæmones simulati olei lenitatem, dulcia per hæreticos pollicentes, quæ vertuntur in amaritudinem, & quæ detestatur propheta, Psal. 140. commemorans: *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.*

Pœnitentiã indicat myrrha. Psalm. 50. Oseæ 12. D. Hieron. Psal. 140.

6. Denique erectum est, & vnctum tabernaculum, Exod. 40. *Et operuit nubes tabernaculum testimonij, & gloria Domini impleuit illud.* Similiter cùm erectum est tabernaculum, id est, Christi humanitas in vtero Deiparæ Virginis, eodẽ instãti vncta est à Spiritus sancti summa gratia ac donis. Vngimur quidem & nos, sed nõ in vtero, delitescimus enim peccato originali inquinati in vtero, postquam nascimur, in baptismo vngimur: at Dominus, in quo nullũ poterat esse peccatum, ipso conceptionis puncto vnctus est. In hunc sensum exponit D. Gregorius verba Psal. 44. *Vnxit te Deus tuus præ consortibus tuis.* Videlicet, quia Christus ipso conceptionis instanti est vnctus, homines eius cõsortes postea vngũtur. D. Grego. l. 9. epist 61. Vnctus (inquit) est Christus oleo, dono videlicet Spiritus sancti, sed præ consortibus vnctus est; quia omnes nos priùs peccatores homines existimus, & postmodũ per vnctionem Spiritus sancti sanctificamur. Ipse autẽ ibi à Spiritu sancto vnctus est, vbi cõceptus. Nec ante conceptus, & postea vnctus est, sed hoc ipsum de Spiritu sancto ex carne Virginis concipi, à Spiritu sancto vngi fuit. Sic Gregor. Præter hæc significatur sic copulatio diuini suppositi cum humana natura. Quemadmodũ tabernaculum gloria Domini impleuit: sic humanã Christi naturã impleuit gloria Dei. Verbũ enim diuinũ, naturã humanã sibi copulauit, & gloria diuinitatis illã repleuit.

Exod. 40. Psal. 44. Christus ipso instanti conceptionis vnctus est, & gloria diuinitatis repletus. D. Gregor. D. Gregor.

CAPVT

CAPVT XV.

De consecratione sacerdotum.

EXODI CAP. XXIX.

SED & hoc facies, vt mihi in sacerdotio consecrentur. Tolle vitulum de armento, & arietes duos immaculatos, panésque azymos, & crustulam absq; fermento: quæ conspersa sit oleo, lagana quoque azyma oleo lita: de simila triticea cuncta facies. Et posita in canistro offeres: vitulum autem & duos arietes. Et Aaron ac filios eius applicabis ad ostium tabernaculi testimonij. Cumque laueris patrem cum filiis suis aqua, indues Aaron vestimentis suis, id est, linea & tunica, & superhumerali, & rationali, quod constringes balteo. Et pones tiaram in capite eius, & laminam sanctam super tiaram, & oleum vnctionis fundes super caput eius: atque hoc ritu consecrabitur. Filios quoque illius applicabis, & indues tunicis lineis, cingésque balteo. Aaron scilicet & liberos eius, & impones eis mitras: eruntque sacerdotes mihi religione perpetua. Postquam initiaueris manus eorum, applicabis & vitulum coram tabernaculo testimonij. Imponentq; Aaron & filij eius manus super caput illius, & mactabis eum in conspectu Domini, iuxta ostium tabernaculi testimonij. Sumtumque de sanguine vituli, pones super cornua altaris digito tuo, reliquum autem sanguinem fundes iuxta basim eius. Sumes & adipem totum qui operit intestina, & reticulum iecoris, ac duos renes, & adipem qui super eos est, & offeres incensum super altare: carnes verò vituli & corium & fimum combures foris extra castra, eò quòd pro peccato sit. Vnum quoque arietem sumes, super cuius caput ponent Aaron & filij eius manus. Quem cum mactaueris, tolles de sanguine eius, & fundes circa altare, ipsum autem arietem secabis in frusta. Iotaque intestina eius ac pedes pones super concisas carnes, & super caput illius. Et offeres totum arietem in incensum super altare: oblatio est Domino, odor suauissimus victimæ Domini. Tolles quoque arietem alterum, super cuius caput Aaron & filij eius ponent manus. Quem cùm immolaueris, sumes de sanguine eius, & pones super extremum auriculæ dextræ Aaron & filiorum eius, & super pollices manus eorum ac pedis dextri, fundesq; sanguinem super altare per circuitum. Cumq; tuleris de sanguine qui est super altare, & de oleo vnctionis, asperges Aaron & vestes eius, filios & vestimenta eorum, Consecratisque ipsis & vestibus, tolles adipem de ariete, & caudam, & aruinam, quæ operit vitalia, ac reticulum iecoris, & duos renes, atque adipem qui super eos est, armumque dextrum, eò quòd sit aries consecrationis: tortamque panis vnius, crustulam conspersam oleo, laganum de canistro azymorum, quod positum est in conspectu Domini: ponésque omnia super manus Aaron & filiorum eius, & sanctificabis eos eleuans coram Domino. Suscipiésque vniuersa de manibus eorum: & incendes super altare in holocaustum, odorem suauissimum in conspectu Domini, quia oblatio eius est. Sumes quoq; pectusculum de ariete, quo initiatus est Aaron, sanctificabisq; illud eleuatum coram Domino, & cedet in partem tuam. Sanctificabisque & pectusculum consecratum, & armum quem de ariete separasti, quo initiatus est Aaron & filij eius, cedéntque in partem Aaron & filiorum eius iure pirpetuo à filiis Israël: quia primitiua sunt, & initia de victimis eorum pacificis quæ offerunt Domino. Vestem autem sanctam, qua vtetur Aaron, habebunt filij eius post eum, vt vngantur in ea, & consecrentur manus eorum. Septem diebus vtetur illa qui pontifex pro eo fuerit constitutus de filiis eius, & qui ingredietur tabernaculum testimonij vt ministret in Sanctuario. Arietem autem consecrationis tolles, & coques carnes eius in loco sancto: quibus vescetur Aaron & filij eius. Panes quoque, qui sunt in canistro, in vestibulo tabernaculi testimonij comedent, vt sit placabile sacrificium, & sanctificentur offerentium manus. Alienigena non vescetur ex eis, quia sancti sunt. Quòd si remanserit de carnibus consecratis, siue de panibus vsque manè, combures reliquias igni: non comedentur, quia sanctificata sunt. Omnia, quæ præcepi tibi, facies super Aaron & filiis eius.

LEVITICI CAP. VIII.

LOCVTVSQVE est Dominus ad Moysen dicens: Tolle Aaron cum filiis suis, vestes eorum, & vnctionis oleum, vitulum pro peccato, duos arietes, canistrum

cum

cum azymis, & congregabis omnem cœtum ad ostium tabernaculi. Fecit Moyses vt Dominus imperauerat, congregatáque omni turba ante fores tabernaculi ait: Iste est sermo, quem iussit Dominus fieri. Starimque obtulit Aaron, & filios eius. Cúmque lauisset eos, vestiuit Pontificem subucula linea, accingens eum balteo, & indués eum tunica hyacinthina, & desuper humerale imposuit, quod astringens cingulo, aptauit rationali, in quo erat doctrina, & veritas. Cidari quoque texit caput, & super eam contra frontem posuit laminam auream, consecratam in sanctificationem, sicut præceperat ei Dominus. Tulit & vnctionis oleum, quo liniuit tabernaculum cum omni supellectili sua. Cumque sanctificans aspersisset altare septem vicibus, vnxit illud, & omnia vasa eius, labrumque cum basi sua sanctificauit oleo. Quod fundens super caput Aaron, vnxit eum, & consecrauit. Filios quoque eius oblatos vestiuit tunicis lineis, & cinxit balteis, imposuitque mitras, vt iusserat Dominus. Obtulit & vitulum pro peccato: cumque super caput eius posuisset Aaron, & filij eius manus suas, immolauit eum: hauriens sanguinem, & tincto digito tetigit cornua altaris per gyrum: quo expiato & sanctificato, fudit reliquum sanguinem ad fundamenta eius. Adipem verò, qui erat super vitalia, & reticulum iecoris, duósque renunculos cum aruinulis suis, adoleuit super altare: vitulum cum pelle, & carnibus, & fimo, cremans extra castra, sicut præceperat Dominus. Obtulit & arietem in holocaustum: super cuius caput cùm imposuissent Aaron & filij eius manus suas, immolauit eum, & fudit sanguinem eius per circuitum altaris. Ipsumque arietem in frusta concidens, caput eius, & artus, & adipem adoleuit igni, lotis priùs intestinis, & pedibus, totumque simul arietem incendit super altare, eo quòd esset holocaustum suauissimi odoris Domino, sicut præceperat ei. Obtulit & arietem secundum, in consecratione sacerdotum: posueruntque super caput eius Aaron, & filij eius manus suas. Quem cùm immolasset Moyses, sumens de sanguine eius, tetigit extremum auriculæ dextræ Aaron, & pollicem manus eius dextræ, similiter & pedis. Obtulit & filios Aaron, cumque de sanguine arietis immolati tetigisset extremum auriculæ singulorum dextræ, & pollices manus, ac pedis dextri, reliquum fudit super altare per circuitum, adipem verò, & caudam, omnémque pinguedinem, quæ operit intestina, reticulumque iecoris, & duos renes, cum adipibus suis, & armo dextro separauit. Tollens autem de canistro azymorum, quod erat coram Domino, panem absque fermento, & collyridam conspersam oleo, laganumque, posuit super adipes, & armum dextrum, tradens simul omnia Aaron & filiis eius. Qui postquam leuauerunt ea coram Domino, rursum suscepta de manibus eorum, adoleuit super altare holocausti, eo quòd consecrationis esset oblatio in odorem suavitatis, sacrificij Domino. Tulitque pectusculum eleuans illud coram Domino, de ariete consecrationis, in partem suam, sicut præceperat ei Dominus. Assuméns que vnguentum, & sanguinem qui erat in altari, aspersit super Aaron, & vestimenta eius, & super filios illius, ac vestes eorum. Cumque sanctificasset eos in vestitu suo, præcepit eis dicens: Coquite carnes ante fores tabernaculi, & ibi comedite eas: panes quoque consecrationis edite, qui positi sunt in canistro, sicut præcepit mihi Dominus dicens: Aaron & filij eius comedent eos. Quidquid autem reliquum fuerit de carne, & panibus, ignis absumet. De ostio quoque tabernaculi non exibitis septem diebus vsque ad diem, quo complebitur tempus consecrationis vestræ: septem enim diebus finitur consecratio, sicut & impræsentiarum factum est, vt ritus sacrificij compleretur. Die ac nocte manebitis in tabernaculo obseruantes custodias Domini, ne moriamini, sic enim mihi præceptum est. Feceruntque Aaron & filij eius cuncta, quæ locutus est Dominus per manum Moysi.

3. DE consecratione sacerdotum agitur Exod. 28. & 29. & Leuit. 8. Post erectum templum Domino, siue tabernaculum, consecrati & vncti sunt sacerdotes, qui in eo ministrarent. Sacerdotes autem instituit Deus, Aaronem, fratrem Mosis, & quatuor filios Aaronis, Nadab, Abiu, Eleazar, & Ithamar. Exod. 28. *Applica* (inquit) *ad te Aaron fratrem tuum cum filijs suis de medio filiorum Israël, vt sacerdotio fungantur mihi, Aaron, Nadab, & Abiu, Eleazar, & Ithamar.* Ab his postea orti sunt omnes sacerdotes: nemo enim sacerdos esse poterat, qui non esset ex posteris Aaronis. Facta est publicè consecratio coram populo, ante ostium erecti tabernaculi, Leuit. 8. *Congregata omni turba ante fores tabernaculi, ait Moses: Iste est sermo, quem iussit Dominus fieri, statimq; obtulit Aaron, & filios eius, cúmque lauisset eos, vestiuit Pontificem.* Ab ablutione cœpit consecratio. Pontificem Aaronem, & filios lauit Moses, postea Pōtificem vestibus sacris induit, quæ numerantur Exod. 28. & Leuit. 8. cùm in caput eius vnguentum effudit odoriferum, iuxta illud Psalm. 132. *Sicut vnguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron.* Præter hanc præcipuam capitis vnctionem, secunda alia adhibita est, oblata namque sunt à Mose sacrificia, immolataque arietis sanguine vnxit extremam partem dextræ auriculæ Aaronis, pollicem

Exod. 28.

Publicè facta est consecratio sacerdotum.

Leuit. 8.

Vnctus est Aaron pontifex, & filij, Psalm. 132.

pollicem quoque manus dextræ, & pollicem pedis dextri. Addita est tertia vnctio, vnguentum odoriferum, quo vnxerat tabernaculum. Cum sanguine victimę permiscuit Moses, & aspersit tam Aaronem, quàm illius vestes pontificales, consecratúque Aaronem, & vestes eius hac aspersione sanguinis, & vnguenti. Ad hæc, ait Dominus Exod. 29. *Tolles adipem de ariete, & caudam, & aruinam, quæ operit vitalia, ac reticulum iecoris, & duos renes, atque adipem qui super eos est; armumq; dextrum, eo quòd sit aries consecrationis, tortámque panis vnius, crustulam conspersam oleo, laganum de canistro azymorum, quod positum est in conspectu Domini, ponésque omnia super manus Aaron, & filiorum eius, & sanctificabis eos eleuans coram Domino.* Leuit. 8. *Qui* (id est, Aaron, & filij eius) *postquam eleuauerunt ea coram Domino, rursus suscepta de manibus eorum, adoleuit Moyses super altare holocausti, eò quòd consecrationis esset oblatio in odorem suauitatis.*

Exod. 29.

Leuit. 8.

4. Sic consecratus est summus sacerdos tribus vnctionibus: minores verò sacerdotes eius filij duabus tantùm vnctionibus sunt consecrati. Præcipua enim capitis vnctio illis non est tributa. Postquam enim aqua abluti sunt, & vestibus sacerdotalibus induti, vnxit Moses sanguine arietis, singulorum auriculę dextrę extremum, & pollices dextrę manus, dextríque pedis. Hæc fuit prima vnctio. Post hæc, eosdem aspersit, & consecrauit vnguento cum sanguine permixto, & eorum vestes, Exod. 29. *Cumq; tuleris de sanguine, qui est super altare, & de oleo vnctionis, asperges Aaron, & vestes eius, filios & vestimenta eorum, consecratisq; ipsis vestibus tolles adipem.* Hæc fuit secunda vnctio. Tandem eorum manibus, & Aaronis imposuit Moses adipes, & cetera, quæ postquam eleuauerunt coram Domino, adoleuit Moses in altari holocaustorum. In septem dies protracta est sacerdotum consecratio, Exod. 29. *Septem diebus consecrabis manus eorum, & vitulum pro peccato offeres per singulos dies ad expiandum.*

Aaron tribus vnctionibus est consecratus, minores sacerdotes duabus.

Exod. 29.

Exod. 29.

5. Septem quoque diebus tabernaculo se continuerunt sacerdotes, Leuit. 8. *De ostio tabernaculi non exibitis septem diebus vsque in diem, quo complebitur tempus consecrationis vestræ. Septem enim diebus finitur consecratio sicut & impræsentiarum factum est, vt ritus sacrificij compleretur.* Magister histor. Leuit. 8. putat, his diebus septem quotidie ea facta esse, quæ prima die facta sunt: Singula (inquit) iteratuit Moses septem diebus, non tamen vestiuit sacerdotes, quia semel induti, septem diebus non deposuerunt vestes sanctas, neque de atrio tabernaculi sunt egressi, &c. Iosephus videtur annuere lib. 3. antiquit. cap. 9. Sanguine (ait) victimarum, ornatum Aaronis, & filiorum eius aspersit Moses, purificans eos fontanis aquis, ac vnguento, vt Dei fierent sacerdotes. Atq; hoc modo per septem dies, ipsos & vestes eorum curabat. Sic ille. Et Caiet. Leuit. 8. Relege (inquit) caput vigesimum nonum, & inuenies, quòd omnes ceremoniæ peractæ primo die consecrationis, repetendæ erant singulis diebus, &c. Alij existimarunt, prima die omnia facta esse, vt diximus, sex verò diebus consequentibus oblationes fuisse iteratas, non tamen vnctionem. Ex scriptura constat, per singulos sex dies consequentes immolatum esse vitulum, & cōsecratas esse manus sacerdotum, Exod. 29. *Septem diebus consecrabis manus eorum, & vitulum pro peccato offeres per singulos dies ad expiandum.* Quomodo autem his diebus manus consecrarentur, dubium est. Prima enim die consecratæ iam erant vncto pollice, vt dictum est.

Septē diebus in tabernaculo manserunt sacerdotes.

Leuit. 8.

Iosephus.

Caietan.

Exod. 29.

6. Dubitatur ergo, *an vnctio illa pollicis sit sepius adhibita, an verò aliter manus consecratæ dicantur?* Obseruandum est, verbum Hebræum, מלא, *male*, quod noster interpres vertit *consecrare*, significare, *implebis*, quamobrem illud Exod. 29. *Septem diebus consecrabis manus eorum*: verti potest, *implebis manus eorum*. Hic loquendi modus frequens est in sacris literis, cùm de sacerdotibus agitur, Iud. 17. *Impleuit vnius filiorum suorum manum, & factus est ei sacerdos.* Item eodem capite: *Impleuit manum eius, & habuit sacerdotem apud se.* Num. 3. *Sacerdotum, qui vncti sunt, & quorum repletæ, & consecratæ manus, vt sacerdotio fugerentur.* 3. Reg. 13. *Quicunque volebat, implebat manum suam: & fiebat sacerdos excelsorum.* Eccles. 45. *Completuit manus eius*, id est, Moses manus Aaronis, *& vnxit eum sancto.* Exod. 32. quod loco legimus Leuitis, qui vituli cultores occiderant, dictum esse: *Consecrastis manus vestras hodie Domino.* Verti potest ex Hebręo, *impleuistis manus.* Constat ergo consecrari manus sacerdotum per impletionem: hæc autem impletio à nonnullis dicitur esse impletio oblationum, implebantur enim oblationibus sacrificiorum manus sacerdotum, cùm consecrarentur, vt vidimus. Sic exponit Lyranus, Exod. 29. Impletio (inquit) manuum refertur ad ea, quæ ponebantur super manus Aaron, & filiorum eius, vt eleuarentur coram Domino, &c. Abulensis quoque: Septem (inquit) diebus pones super manus eius sacrificia. Idem sentiunt Oleaster, & Lippomanus, cuius hæc sunt verba, Exod. 28. Quòd autem ait, *implebis manus eorum*, est, suppeditabis illis victimas, & trades in manus eorum, vt eas offerant, &c. Addit idem auctor: Alij interpretantur: Tu mittes eos in possessionem sacerdotij. Nam cùm aliquis mittitur in possessionem alicuius rei, traditur aliquid in manu eius. Alij exponunt, consecrabis, impletio enim manuum symbolum est initiationis, quod fiebat initiatione, & impletione pugillorum. Hæc ille. Caietan. 3. Reg. 13. impletionem manuum putat esse vnctionem. Et Ind. 17. Suspicari (inquit) licet, quòd implebant manus oleo, vel quòd implerentur manus aliquo primùm Deo offerendo. Crediderim tamen, quòd *implere* sumitur pro *perficere*, perfectio autem requisita ad manus sacerdotales, erat vngere manus. Hæc Caiet. LXX. interpretes Exod. 29. vertunt, τελειωσεις, id est, *perficies* manus. Qui enim aliquod opus implet, illud perficit. Prima opinio mihi videtur probabilior, quam verbum ipsum *impleo* indicat. Implebantur namque manus sacerdotum carnibus sacrificiorum: nunquam autem legitur, impletas esse oleo, prima enim die, qua maximè oleo essent implendę, vnctus tantùm est pollex dextræ manus, vt diximus.

Ibid.

Iud. 17.

Quid sit implere manus sacerdotum.

Ibidem.

Num. 3.

3. Reg. 13.

Eccli. 45.

Exod. 32.

Lyranus.

Abulens.

Caietan.

Implebantur manus sacerdotum carnibus sacrificiorum.

CAPVT XVI.

MORALE.

De consecratione sacerdotum.

Sed & hoc facies, vt mihi sacerdotes consecrentur.

OSTENDIT nobis hic locus, quanto in pretio oporteat habere sacerdotes, quos Deus

Sacerdotum dignitas magna.

Deus sic ornat, & extollit. A populo illos separat, sibi ministros applicat, vestes illis peculiares iubet fieri, & vngi solemni ritu. Si veteris legis sacerdotes tanti à Deo facti sunt, quanti fieri debent nouæ legis sacerdotes? Illos Deus elegit, vt bruta animantia immolarent: hos eligit, vt stupendum Eucharistiæ sacrificium offerant. Si illis vnctionem, & consecrationem instituit; quis, nisi planè amens, neget nouæ legis sacerdotibus vnctionem, & consecrationem meritò adhiberi? Si vestes peculiares antiquis sacerdotibus tribuit, quis neget nostris sacerdotibus ad offerendum augustissimum sacrificium peculiares, easq; ornatissimas vestes esse tribuendas? Dicet aliquis, *hæc omnia cum lege veteri esse antiquata.* Respondemus, abrogatam quidem esse legem veterem, eiusque ceremonias, sacrificia, & sacerdotium: at verò abrogatio hæc non abrogauit hoc argumentum à minori ad maius: Si Deus tanti fecit sacerdotium, quo bruta animantia offerebantur, quanti faciet sacerdotium nouæ legis, quo Christus Deus Opt. Max. Offertur.

2. Imò Deus in sacerdotibus veteris testamenti illa iussit fieri, vt Ecclesiam doceret, quid in sacerdotibus noui testamenti fieri oporteret, qui sacerdotibus antiquis longè præcellunt. Vnum tantùm summum sacerdotem in toto populo antiquo instituit Deus. Hac re adumbrauit in populo suo, id est, Ecclesia toto orbe diffusa, vnum tantùm fore summum sacerdotem, omnibus sacerdotibus, totique Ecclesiæ præpositum. Vnus tantùm erat Pontifex in synagoga: in Ecclesia verò toto orbe diffusa, multos voluit Deus esse Pontifices, & Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, sed vnum, qui reliquis omnibus præesset. Diuersæ erant vnctiones olim Pontificis, & sacerdotum: diuersæ quoq; nunc sunt vnctiones Pontificum, & inferiorum sacerdotum, diuersæ etiam vestes sacræ. Quis nõ admiretur Ecclesiasticam hierarchiam, sacramque monarchiam, si consideratione adhibeat? quis non videat in illa cælestem quandam maiestatem, Dei sacerdotibus maximè dignam? Quis non admiretur, & obstupescat, si sacrificium, quod Pontifices, & sacerdotes offerunt, ante oculos mentis proponat, nempe Christum Deum Opt. Max. Obstupuit Regina Saba 3. Reg. 10. cùm Salomonis sapientiam audiuit, & domum vidit, quam ædificauerat, & cibos mensæ eius, & ordines ministrantium, vestesque eorum, & alia, quæ eodem loco numerantur: eundem in modum admiratur, & obstupescit animus bene affectus, qui hierarchiam contemplatur Ecclesiasticam, ordines ministrorum, ac vestes, & præcipuè cibum mensæ summi Salomonis Christi, id est, sacrificium, & sacramentum augustissimæ Eucharistiæ. Dixi animum bene affectum, vt de animis quorundam hominum taceam, quibus hæresis cimmerias offudit tenebras, qui neque stupendam sacrificij maiestatem, neque ministrantium dignitatem videnr, sed quia cæci sunt, in illam petram impingunt, cadunt, & conteruntur, de qua Dominus dixit: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Super hanc petram (inquit Dominus) ædificabo Ecclesiam meam: ergo, qui super hanc petram ædificatus non fuerit, ex Ecclesia non est. Dominus enim non ædificauit super Petrum partem Ecclesiæ, sed totam Ecclesiam; igitur non est ex Ecclesia

Admirabilis est Eccles. & hierarch.

A Christi, qui Petrum, & eius successores summos Pontifices esse, totique Ecclesiæ præesse non confitetur. Sed pergamus.

Applica ad te Aaron fratrem tuum cum filijs.

Vocat Deus ad sacerdotium Aaronem, fratrem Mosis, sacerdotiumque illi, & filiis largitur. *Applica* (inquit) *ad te Aaron fratrem tuum, cum filijs suis, vt sacerdotio fungantur mihi:* iubetque illos consecrari, & vestibus sacris induros in tabernaculo ministrare. Hoc est, quod Paulus ait ad Hebr. 5. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo, tanquam Aaron.* Quemadmodum B verò summi sacerdotis honorem sibi non sumpsit Aaron, ita neque Petrus; vocatus est à Deo Aaron, vocatus etiam Petrus. *Pasce* (inquit Dominus) *oues meas.* At hæretici hoc habent, vt à Deo per veros Pontifices non vocati, ipsi se ipsos vocent. Non habent miseri vocationem, sed æternam damnationem. Fugiamus ambitionem, quæ non vult Dei vocationem expectare, sed ad honorem se intrudit. Sidonius Apollinaris lib. 7. in concione de quodam Episcopo eligendo: Maximè (inquit) est ambiendus, quia minimè est ambitiosus: non studet suscipere sacerdotium, sed mereri, &c. Nemo sibi honorem ambiat, sed à Deo clarificatio- C nem accipiat, quemadmodum Christus, de quo Paulus capite citato ait: *Christus non semetipsum clarificauit, vt Pontifex fieret, sed qui locutus est ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te, quemadmodum & alio loco dicit: Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* At verò ambitiosi clarificare se cupiunt, & ad honores Ecclesiasticos non vocati currunt. Quamobrem Bernardus epist. 42. ait: Curritur ad Ecclesiasticas curas, tanquam sine curis iam quisque victurus sit, cùm ad curas peruenerit, &c. *Qui Episcopatum desiderat,* (ait Paulus 1. Timoth. 3.) *bonum opus desiderat.* Vtinam hi ambitiosi ad bonum opus hoc currerent, hoc est, ad gregem Christi pascendum verbo, exemplo, oratione, eleemosynis, perpetua visitatione, & inspectione, ac vigilantia. Vtinam cùm ad Ecclesiasticos honores currunt, currerent ad liberandas animas ex faucibus luporum: at verò qui ambitiosi sunt, quosque ambitio calcaribus stimulat, ad honorem, pecuniam, magnique nominis vmbram currunt potius, quàm ad fugandos lupos. Expellant hi animo ambitionem, expectent, vt vocentur à Deo, tanquam Aaron. Psal. 117. *Aperite mihi portas iustitiæ, ingressus in eas confitebor Domino. Hæc porta Domini, iusti intrabunt in eam.* Iustitiæ portæ sunt, portę templi, iustis aperiuntur, iusti intrabunt in eas, & per eas ad Ecclesiasticas dignitates, moribus ornati, virtutibus E exculti: non ambitiosi, morumque labe conspurcati: at hi ambiunt, iusti verò, & perfecti timent. Vnde illud D. Gregor. ad illa verba lib. 1. Regum: *Tulit Samuel lenticulam olei, & effudit super caput eius,* id est, Saulis: Cùm (inquit) sancti viti ad primatum sanctę Ecclesię sustolluntur, vehementer expauescunt, ne onus tanti ordinis sibi iudicio hominum sit impositum, non ordinatione conditoris, &c.

Heb. 5.

Aaron vocatus ad sacerdotium à Deo.

Apollinaris.

Non sit ambitiosus sacerdos.

D. Bernard.

1. Timoth. 3.

Psal. 117.

D. Gregor.

Tu laueris patrem cum filijs suis aqua.

Ante omnia ablutio Pontifici, & sacerdotibus adhibetur. Ea verò eximiam illam signifi-

D. Bernard.

cat puritatem, quæ necessaria est Dei ministris. A Væ ministris infidelibus (ait D. Bernardus, sermone de conuersione ad Clericos cap. 27.) qui necdum reconciliati, reconciliationis alienæ negotia, quasi homines, qui iustitiam fecerint, apprehendunt! Væ filiis iræ, qui se ministros gratiæ profitentur! Væ illis, qui ambulantes in carne, Deo placere non possunt, & placare velle præsumunt! &c. Quasi dicat, væ immundis sacerdotibus, qui alios mundare volunt, antequam abluantur! Oportet ergo Dei ministros, sacerdotes ablutos esse, à peccatisque mundos, & cum Deo reconciliatos, vt reconciliationis populi negotia agant. Oportet filios esse, non B iræ Dei, & peccati, sed gratiæ, quia gratiæ sunt ministri. Oportet non ambulare in carne, sed eius immunditiam abluere, Deoque placere, vt illum populo possint placare. Isa. 52. *Mundamini, qui fertis vasa Domini,* &c. Si ij, qui ferunt vasa Domini, mundari iubentur, quidnam dicendum erit de iis, qui ferunt corpus, sanguinemq; Dei Christi? Egregiè D. Chrysost. homil. 60. ad populum Antiochenum: Quo (inquit) non oportet esse puriorem tali fruentem sacrificio? quo solari radio non oportet esse splendidiorem manum, carnem hanc diuidentem, os quod igni spirituali repletur, linguam, quæ tremendo nimis sanguine rubescit? Hæc ille. Equidem ipsis radiis solaribus oportet similes esse C sacerdotes; eos enim lucem mundi Dominus appellauit, Matth. 5. *Vos* (inquit) *estis lux mundi.* Solares radij in terram descendunt, sterquilinia, cæteraque sordida terræ loca perlustrant, nihil tamen inde impuritatis haurit sol: eundem in modum tanta debet puritate splendescere sacerdos, vt, licèt sordidissima peccatorum sterquilinia radiis suis perlustret, nihil tamẽ impuritatis contrahat, sed omnem fuget à sordidis pectoribus immunditiam peccatorum.

Oportet sacerdotes purè habere conscientiam & ablutam.

Isaiæ 52.

D. Chrysost.

Matth. 5.

Psal. 14. quærit Dauid: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Respondet: *Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam.* hoc est: Quis ministrabit tibi in D taberniaculo tuo, quod in monte collocatum est? Is sanè minister dignus erit, qui ablutus fuerit, & omni turpi macula caruerit, cuiusq; opera iusta fuerint, ac sancta. Abluant Dei ministri omnes maculas animi, præcipuè verò maculam fœditatemque impudicitiæ; pudicitiam, velut ædituum, & antistitem templi Dei, id est, animi sui habeant, quæ omnes libidinis immunditias longè propellat, iuxta illud Tertulliani in libro de cultu fœminarum: Cùm omnes templum simus, illato in nos, & conseruato Spiritu sancto, eius templi ædituus, & antistes pudicitia est, quæ nihil immundum inferri sinit, &c. Isidorus Pelusiota maiorem sacerdotibus castitatis puritatem exigit, quàm ab iis, qui eremum colunt. Epist. 284. ad Palladium Episcopum: E Mulierum (inquit) congressus fuge. Nam eos, qui sacerdotum munere funguntur, sanctiores, ac puriores esse oportet illis, qui ad montes se contulerunt: siquidem illi, & sui, & plebis; hi autem sui duntaxat curam gerunt. Atque illi in dignitatis fastigio collocati sunt, omnesque illorum vitam scrutantur, &c. Sicut in facie macula facilè cernitur, sic in sacerdote impudicitia. Iam verò si cum fœminis, propter animarum salutem, & confessionem diu versandum sit, cauendum maximè est, ne consuetudo virtutem castitatis emolliat, & ex leone catulum efficiat,

Castitas maximè necessaria est sacerdoti.

Tertulliã.

Isidor. Pelus.

De castitate.

A hoc est, ex viro graui, & virtute prædito efficiat imbecillem hominem, & libidinosum. Idem Isidorus: Si aliqua (inquit) necessitas, vt cum mulieribus congrediaris, obstringat, oculos habe humi deiectos, cumque pauca locutus fueris, auola; ne fortè diuturna consuetudo vires tuas emolliat, & instingat, & velut leonem nacta, comam amputet, dentes eripiat, vngues euellat, ac deinde deformatum leonem, & ridiculum redditum, pueris etiam eludendum præbeat. Hæc Isidorus. Egregiũ verò illud est consilium, quod præbet: Si (inquit) necessitas obstringat, vt cum mulieribus colloquatis, oculos habe humi deiectos, &c. Hinc illud Ecclesiast. 9. *Auerte faciem tuam à muliere compta, & ne circumspicias speciem alienam: propter speciem mulieris multi perierunt,* &c. De Rogerio, viro religiosissimo, & castitatis studiosissimo, ex familia magni Francisci, D. Antoninus hæc refert, 3. part. tit. 24. cap. 3. §. 9. Oculos ita prudenter à vanis aspectibus refrenabat, quòd vix aliquam mulierem aspiciebat in facie, etiam matrem suam vetulam, & deuotissimam: & cùm confessor illi diceret, cur pater aspicere times? Respondit vir prudẽs & deuotus: Quamdiu homo facit, quod in se est, peccata, & occasiones malorum pro viribus fugando; & Deus facit, quod in se est, vt à malis eum præseruate non omittat. Sed si tu peccati periculo te exponis, maximè in tali materia, iustum est, vt Deus te derelinquat. Hæc Anton. Cauebamus ergo fœminarum aspectum, & tactum. Idem sanctissimus Archiepiscopus, eadem part. 3. tit. 23. cap. 9. §. 5. Quidam (inquit) frater alium accusauit, quòd manum tetigerit mulieris. Ille respondit: Mulier bona fuit, tunc præses ait: Pluuia bona est, & terra bona, lutum tamen ex horum commixtione generatur: sic & manus viri, licèt bona sit, similiter & mulieris, ex coniunctione tamen illarum cogitatio nonnunquam, vel affectio mala exurgit, &c. Ead. part. tit. 19. cap. 12. §. 7. D. scribens Marię de Oegnies, sanctissimæ fœminæ, vitam: Cùm (inquit) quidam familiaris illius amicus, ex excessu spiritalis affectionis, manum eius aliquando stringeret, licèt casto animo nihil turpe cogitaret, sensit tamen primos motus sibi insurgere. Cumque illa prorsus hoc ignoraret, audiuit vocem de excelso hanc: *Noli me tangere:* neque tamen intellexit, quid significaret. Volebat Deus, tanquam zelotes, castitatem amicæ suæ custodire, & amicum familiarem propter imminentia pericula castigare. Vnde cùm illa diceret: audiui nunc quandam vocem, & quid significet, ignoro, scilicet: *Noli me tangere.* Ille quid esset, intelligens, sibi de cætero diligentiùs cauit, & Deo gratias agens discessit. Hæc D. Anton. Ierem. 11. sacrificiorum carnes dicuntur sanctæ. *Numquid* (inquit) *carne sancta auferent à te malitias tuas?* Sanctæ etiam sunt carnes sacerdotum, qui Deo oblati sunt velut sacrificia, & vncti, & illi dicati, ac castitatis voto consecrati. Sunt ergo illorum carnes sanctæ, & vt sanctæ tangendæ, ac tractandæ.

Oportet sacerdotes purè habere conscientiam & ablutam.

Psal. 14.

Castitas maximè necessaria est sacerdoti.

Tertulliã.

Isidor. Pelus.

De castitate.

D. Bernard.

Isidor. Pelus.

Eccli. 9.

D. Antonin.

Ierem. 11.

D. Anton.

Oleum vnctionis fundes super caput eius.

Effudit Moses super caput pontificis oleum 6. odoriferum, id verò, vt ait D. Thom. 1. 2. quæst. 111. art. 5. ad 8. indicabat à pontifice diffundi potestatem consecrandi alios, sicut oleum à capite deriuatur ad inferiora. Congruunt huic loco verba magni Gregorij in lib. 1. Reg. c. 10. Loquitur ille de Saüle vncto in Regem à Samuele:

D. Thom.

D. Gregor. — *Vnctio sacerdotum.* — *Matth. 6. Psal. 103. Psal. 44.*

nos loquimur de Aarone vncto à Mose in sacerdotem summum. Hoc (inquit Gregor.) hac vnctione exprimitur, quod in sancta Ecclesia nunc etiam materialiter exhibetur; quia, qui in culmine ponitur, sacramenta suscipit vnctionis. Quia verò ipsa vnctio sacramentum est, is qui promouetur, bene foris vngitur, si intus virtute sacramenti roboretur, &c. Solebant Israëlitæ oleo capita vngere; lætitiæ causa, iuxta illud Matth. 6. *Cùm ieiunas, vnge caput tuum.* & Psalm. 103. *Vt exhilaret faciem suam in oleo.* & Psalm. 44. dicitur *oleum lætitiæ.* Quia ergo festiuus dies erat totius Reipubl. cùm pontifex creabatur, oleo lætitiæ caput eius vngebatur.

D. Gregor. Olei virtutes quadrant in sacerdotes. — *D. Franciscus quanti fecerit sacerdotes.* — *Matth. 25.* — *1. Reg. 10.*

7. Præterea egregiè quadrant in pontifices olei virtutes, quas D. Gregor. citato loco refert: Oleum (inquit) aliis liquoribus superfertur: oleum ignem fouet: oleum vulnera curare consueuit, &c. Quemadmodum oleum aliis liquoribus superfertur, ita summus Pontifex toti superfertur Ecclesię; alij Pontifices peculiaribus Ecclesiis, & sacerdotibus superferuntur, sacerdotes verò laicis. Seraphicus S. Franciscus ita superferri sacerdotem arbitrabatur, vt sæpe diceret, referente D. Antonino, si sancto venienti de cęlo, & pauperculo alicui sacerdoti me contingeret obuiare, ad sacerdotis manus deosculandas citiùs me conferrem, & sancto dicerem? Expecta me, sancte, quia manus huiusmodi verbum vitæ contrectant, & vltra humanum aliquid possident, &c. Oleum ignem fouet, hoc sacerdotum est munus, ignem charitatis, qui in lampadibus Christianorum à Spiritu sancto accensus est, toto conatu fouere, neque verò si petant virgines stultę, Matth. 25. id est, peccatores: *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur.* Respondere possunt: *Ne fortè non sufficiat nobis, & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis.* Quia qui animarum curam suscipit, & vnctus est, tantum olei habere debet, vt subditis omnibus dare possit. Væ iis prælatis, qui in animis stultarum virginum, id est, peccatorum, oleum deesse, & ignem extingui sciunt! neque tamen, etiam si magno cum labore oleum instillant. Pręterea oleum vulnera curare consueuit, hoc magnum opus est sacerdotum, videlicet peccatorum vulneribus medicinam adhibere, instar illius Samaritani, qui Lucæ 10. vulneribus semimortui Iudæi oleum infudit, & vinum, vt eum sanitati restitueret. 1. Reg. 10. ait Samuel ad Saulem: *Ecce vnxit te Deus super hæreditatem suam in principem, & liberabis populum eius de manu inimicorum eius, qui in circuitu eius sunt.* Hæc verba sibi dicta putet is, qui aliis pręest; Ecce vnxit te Deus super familiam, & hæreditatem suam, quorsum te vnxerit, diligenter considera: nimirum, non te vnxit, vt te honoribus extollas, vt cutem cures, vt voluptatibus indulgeas: sed vt instar optimi ducis, cui ciuitas credita est, ab hostibus vndique obsessa, semper vigiles, semper arma feras, semper hostibus obuiam eas, qui in circuitu Ecclesiæ tuę sunt. Vt enim ait summus Pontifex Petrus: *Aduersarius diabolus, tanquam leo rugiens circuit.* Si circuit dux tartareus, turpissimū est dormire ducem, à Deo datum populo suo. Si ille circuit ciuitatem, & obsidet, quærens quem deuoret, ignauię nota inurendus est dux Ecclesiasticus, qui ciuitatem suam diu noctuq; non circuit, quærēs quem à deuoratione eripiat. Hæc est præcipua cura pręlatorum, peccatores à deuorante leone eripere.

1. Reg. 9. — *D. Gregor.* — *D. Gregor. Quærat lucra animarū sacerdos.* — *D. Chrys.*

8. 1. Reg. 9. *Duxit Samuel Saulem in extremam partem ciuitatis, ibique vnxit eum.* In ciuitate, hoc est, Ecclesia, multi sunt gradus; extrema illius pars sunt peccatores, & si nobilissimi, ac potentissimi sint; quod vtinam illi animo voluerent. In hac extrema parte vngitur prælatus, quia præcipuam curam habere debet peccatorū, vt ad gratiam redeant, & eorum qui in periculo peccandi versantur, ne à leone deuorentur. Itaque vt tartareus leo circuit ciuitatem: sic prælatus circuire debet Ecclesiam suam, maximè verò in extrema parte ciuitatis vigilare debet, hostibusque se opponere. D. Gregor. 1. Reg. 9. In extrema (inquit) ciuitatis parte Rex vngitur, quia sanctæ Ecclesiæ rector ordinatur pro peccatoribus, non pro iustis. Hinc enim Veritas dicit: *Non veni vocare iustos, sed peccatores, ad pœnitentiam.* hinc iterum dicit: *Non opus habent sani medico, sed malè habentes.* Sic Gregor. Quòd autem ait, non ordinari rectorem Ecclesiæ pro iustis, sed pro peccatoribus, intelligendum est, præcipuè pro peccatoribus ordinari, vt eos iustos efficiat. Denique prelatum vngit Dominus super hæreditatem & Ecclesiam suam, vt ab hostibus illam liberet. D. Gregor. Vnctionis fructus est, cultus diuinę hereditatis. Ille ergo officium vnctionis exequitur, qui sola quęrit lucra animarum, &c. Quære lucra animarum, & lucra corporum parum curabis. Chrysostomus hom. 3. Act. Vnius animæ perditio tantam habet iacturam, vt nulla ratio possit æstimare, &c. Inæstimabilis iactura est animæ si amittitur, inæstimabile quoque lucrum si inuenitur.

Sumes de sanguine eius, & pones super extremum auriculæ dextræ Aaron, & filiorum eius.

Obedientia sacerdotis. — *Sacerdotis robur aduersus vitia.* — *D. Thom.* — *Philo.*

9. Iussit Dominus tam aures dextras, quàm pollices dextros manuum, & pedum sacerdotaliū vngi sanguine victimæ. Vnctio auris dextræ significat sacerdotum dextram fortemque obedientiam, paratam ad obediendum Deo, & superioribus, qui Dei locum obtinent, viriliter, ac fortiter, etiam in rebus difficilibus. Hæc enim obedientia maximè est laudabilis. Vnctio dextri pollicis, manuum, & pedum sacerdotalium, operum sanctitatem indicabat. Dexteram manum, reliquisque digitis fortiorem pollicem exigit Dominus, opera enim Dei, manu prompta, validaque facienda sunt. Similiter pedem dextrum pollicemque pedis dextri postulat; vt indicet, oportere sacerdotes fortiter dextro pede viam mandatorum Dei, & cæli currere, à sinistra autem via, quæ ducit ad tartara, pedem auertere. Sāguine victimæ immolatæ inunguntur tam aures, quàm manus, & pedes, vt meminerit sacerdos sanguinē à Christo effusum hæc omnia ab eo flagitare, scilicet obedientiam, & bonorum operum, atque itinerum dexteritatem. D. Thomas loco citato: Vt (inquit) sacerdotes essent obedientes legi, in oblatione sacrificiorum, significatur intinctione auris dextræ; & quòd essent soliciti, & prompti in executione sacrificiorum, significatur intinctione manus dextræ, & pedis, &c. Aliter Philo lib. 3. de vita Mosis: Tinxit (inquit) Moses tria membra initiatorum, auriculam extremam, manum extremam, pedem extremum, hæc omnia dextra significans virum perfectum debere purum esse

Sacerdos sit perfectus sermone & opere.

sermone, & opere tota vita. Sermonem enim auditus iudicat, manus significat opera, pes totius vitæ transitum. Quoniam autem hęc singula extrema sunt, & dextra, intelligendum est, in singulis requiri profectum, & cupiditatem extremæ fælicitatis, ad quam, velut scopum, vitæ actiones referendæ sunt, &c.

Asperges Aaron, & vestes eius, filios, & vestimenta eorum.

Sacerdos cū seueritate permisceat mansuetudinem. — *3. Reg. 7. D. Gregor. Bases Ecclesiæ sunt sacerdotes.* — *D. Gregor.* — *D. Gregor.*

10. Iussit Dominus aspergi pontificem, & sacerdotes, eorumq; vestes sanguine permixto cum vnguento odorifero; ea aspersio adumbrat, pōtifices, & sacerdotes debere, instar vnguenti, siue olei, mansuetudinis laude præstare, mansuetudinem tamē, cùm opus est, seueritati esse permiscendam, quod significat sanguis permixtus oleo. In basibus quibusdam vasorum templi, 3. Reg. 7. insculpti erant *leones, boues, & Cherubini.* Bases, ait D. Gregor. adumbrare sacerdotes, quia bases sunt, & fundamenta Ecclesiæ, hom. 17. in Euangelia: Sacerdotes (inquit) dum solicitudinem regiminis tolerant, quasi more basiū superimpositum onus portant, &c. In basibus insculpti Cherubini indicant, in sacerdotibus oportere insculptam esse sapientiam; nam nomen Cherubini, *multitudinem* significat *scientię*, vel quasi *magistros*, vt diximus. In basibus (inquit Gregorius) Cherubini exprimūtur, quia decet, vt sacerdotum pectora plenitudine scientię sint repleta, &c. Præter Cherubinos oportet in basibus, id est, sacerdotibus, insculpi boum laborem perpetuum, magna cum patientia, & mansuetudine coniunctum, & leonum terrorem, ita vt patiēs sit, & mitis prælatus: si verò ad pellenda peccata opus sit leonis terror, id est, seueritas, & supplicium tunc adhibeatur. D. Greg. Per leones (inquit) terror seueritatis: per boues verò patientia mansuetudinis figuratur, &c. Item: Iram mansuetudo condiat, & mansuetudinem, ne fortè dissoluta sit, zelus districtionis accendat. Hæc ille.

Non prætereant sacerdotes vulneratos.

11. Notus ille Samaritanus, qui à latronibus vulneratum hominem reperit, & duxit in stabulum. Dicitur Luc. 10. in vulnera eius oleum infudisse, & vinum: sic sacerdos vulneribus medeatur oleo mansuetudinis, & vino seueritatis: at verò illo capite 10. D. Lucæ legimus, præteriisse sacerdotem, præteriisse Leuitam, vulnerati verò hominis nullam habuisse curam. Arguit sanè hæc narratio nonnullorum sacerdotum negligentiam; qui cùm vulneratos homines, & à tartareis latronibus Dei gratia spoliatos cernunt, neque oleum vulneribus infundunt, neque vinum. Bonus ille Samaritanus à iumento, quo vehebatur, descendit, vulneratum hominem illi imposuit, & duxit in stabulum, & curam illius egit; discant prælati curam gerere vulneratorum, qui illis à Deo traditi sunt, siquidem Samaritanus sic curam gessit vulnerati, quem casu in via reperit. Nè prætereat prælatus, viso vulnerato, sed, si opus sit, ex mula descendat, alliget vulnera, infundat oleum, & vinum, ducat domum suam, & curam illius agat diligenter, donec sanitatem illi afferat. Videlicet, hoc est esse prælatum, non honore extolli, pecuniæ studio ęstuare, diliciis abundare. Meminerit pontifex nominis sui, significat enim pontis factorem, vt D. Bernardus ait, epist. 42. Omnibus igitur super tumidum, rapidum, ac procellosum huius mundi fluuium pontem fa-

Sit pontifex pontis in cælum factor. — *D. Bernard.*

ciat, quo in regnum cælorum pertransire possint. Caueat verò ne qui pontes aliis fabricare debet, quibus in cælum possint peruenire, ipse sibi, & aliis, malo exemplo, & negligentia pontem extruat, per quem cum multis aliis ad orcū perueniat. D. Bernardus epist. 42. Hoc agens (inquit) implebit pontifex non solùm pōtificis officium, sed etiam nominis etymologiam; pōtem vtiq; se ipsum faciens inter Deum, & proximum. Pertingit pons iste vsq; ad Deum ea fiduciâ, qua non suam, sed Dei gloriam quærit: pertingit vsq; ad proximum illa pietate, qua & ipsi proximo, nō sibi prodesse desiderat. Sic ille.

De ostio tabernaculi non exibitis septem diebus.

Luca 14. — *Excelsa turris est sacerdotium. Considerent ij, qui sacerdotes esse volūt, an possint eam ædificare, & tueri.* — *D. Bernard.* — *D. Bernard.* — *Genes. 19.* — *D. Gregor.* — *D. Gregor.*

12. Leuit. 8. iubentur sacerdotes antiqui non exire de ostio tabernaculi septem diebus consecrationis suæ, vt discant sacerdotes nostri, cùm ad sacerdotale officium consecrantur, in templo, vel domi secum Deo continere per aliquot dies, & susceptum sacerdotij pondus diligēter considerare, atq; ea, quæ ad exequendum tantum munus necessaria sunt, comparare. Luc. 14. ait Dominus: *Quis ex vobis volens turrim ædificare non prius sedens computat sumptus, qui necessarij sunt, si habeat ad perficiendum. Ne postea quàm posuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes qui vident, incipiant illudere ei dicentes: Quia hic homo cœpit ædificare, & non potuit consummare.* Excelsam turrim ædificat, qui sacerdotium suscipit: ergo sedeat, & vacet per aliquot dies, rerumque cælestium meditationi mentem tradat, diligenterque computet sumptus, qui necessarij sunt ad celsam hanc turrim perficiendam, eósque comparet, ne postea si castitate, reliquisque sacerdotalibus virtutibus carere reperiatur, incipiant illudere ei. D. Bernard. in serm. ad Clericos, c. 29. Vtinam (inquit) turrim inchoaturi, sedentes computarent, ne fortè sumptus nō habeant ad perficiendum, sumptuosa turris est, &c. Sumptuosa turris est, vt ait D. Bernard. para sumptus, ô sacerdos, parare potes, si velis, iuuante Deo; castitatem potes illibatam seruare, animum ab omni mortiferi peccati labe immaculatum, eisque virtutibus, quas status sacerdotalis flagitat, exornatum. Quòd si castitatem seruare non vis, non te cogit Ecclesia sacros suscipere ordines: antequam suscipias, melius est vxorem ducere, quàm in sacerdotio turpiter viuere: quia si susceperis sacrum ordinem, voto castitatis astrictus, vxorem ducere non vales. D. Bernardum audi loco citato: Melius esset saluari in gradu humili, quàm in cleri sublimitate, & deterius viuere, & districtius iudicari, &c. Dixit angelus ad Loth, Gen. 19. *In monte saluum te fac.* Respōdit Loth: *Non possum in monte saluari, est ciuitas hæc parua, & saluabor in ea.* D. Gregor. Altitudo (inquit) montium est munditia continentium, &c. Videant, & considerent ij, qui sacerdotes esse volunt, vtrùm possint castitatem perpetuam seruare, & in montis altitudine saluari. Quòd si castitatem perpetuam constanter seruare nolunt; ad paruam confugiant ciuitatem, id est, ad vitam coniugalem. Vt enim ait D. Gregor. Coniuges quasi paruam ciuitatem inueniunt, in qua ab ignibus defendantur, &c. Parua autem ciuitas hæc est vita coniugalis. Melius est in vita coniugali ab ignibus libidinis defendi, quàm in monte sacerdotij celsissimo, ignibus his tartareis inflammari.

CAPVT XVII.

De primis sacrificiis oblatis ab Aarone,& de filiorum duorum morte.

LEVITICI CAP. IX.

1. FACTO autem octauo die,vocauit Moyses Aaron & filios eius, ac maiores natu Israël,dixitq; ad Aaron: Tolle de armento vitulum pro peccato; & arietem in holocaustum,vtrumque immaculatum,& offer illos coram Domino. Et ad filios Israël loqueris: Tollite hircum pro peccato, & vitulum atque agnum annicu-los & sine macula,in holocaustum,bouem & arietem pro pacificis: & immolate eos coram Domino,in sacrificio singulorum similam conspersam oleo offerentes. hodie enim Dominus apparebit vobis. Tulerunt ergo cuncta quæ iusserat Moyses ad ostiũ tabernaculi:vbi cùm omnis multitudo astaret, ait Moyses: Iste est sermo,quem præcepit Dominus: facite,& apparebit vobis gloria eius.Et dixit ad Aaron: Accede ad altare,& immola pro peccato tuo:offer holocaustum, & deprecare pro te & pro populo.cumq; mactaueris hostiam populi,ora pro eo,sicut præcepit Dominus.

Apparuitque gloria Domini omni multitudini: & ecce egressus ignis à Domino, deuorauit holocaustum,& adipes qui erant super altare. Quod cùm vidissent turbæ, laudauerunt Dominum, ruentes in facies suas.

LEVITICI CAP. X.

2. ARREPTISQVE Nadab,& Abiu,filij Aaron,thuribulis,posuerunt ignem,& incensum desuper,offerentes coram Domino ignem alienum: quod eis præceptum non erat. Egressusque ignis à Domino, deuorauit eos, & mortui sunt coram Domino.Dixitq; Moyses ad Aaron:Hoc est quod locutus est Dominus: Sanctificabor in iis qui appropinquant mihi,& in conspectu omnis populi glorificabor.

3. PRIMA die mensis primi Nisan erexit Moses tabernaculum, vt dicitur Exod. 40. eadem die Aaronem, eiusque filios in sacerdotes consecrauit, quę consecratio per septem dies perfecta est.Perfecta consecratione,die octaua mensis Nisan, obtulit Aaron prima sacrificia, præsente populo,in altari holocaustorũ, vt legitur Leuit.9.filiis ministrantibus.Nouam sacerdotum ministrationem,nouaque Aaronis sacrificia illustrauit Dominus nouo miraculo. Ignis namque à Deo missus, sacrificiũ in altari collocatum,coram populo deuorauit, atq; consumpsit, indicãs accepta fuisse Deo sacrificia,Aaronemque & filios ab ipso sacerdotes esse constitutos. Illustris fuit hæc dies octaua sacrificiis primis Aaronis, & ignis ex cælo dati miraculo, sed lugubris fuit duorum filiorum Aaronis interitu. Nam Nadab,& Abiu, Aaronis filii, alienum ignem thuribulis imposuerunt, & suffimentum obtulerunt Domino in igne alieno; quamobrem igne diuinitus correpti sunt,& subitò occisi.

Octauã die mensis Nisan obtulit Aaron primum sacrificium.

Egressus ignis à Domino.

4. Primam illam sacerdotum ministrationem honorauit Deus, igne diuinitus in sacrificium emisso. *Sitne emissus ex cælo*, dubitatur. Non esse emissum ex alto, id est, ex cælo, indicant verba Leuit 9. *Egressus enim dicitur ignis à Domino*, id est, à tabernaculo, à Sanctis sanctorum, vbi sedes erat Domini. Sic existimat Philo lib. 3. de vita Mosis: Accidit (inquit) insigne prodigium. Nam ex adytis ignis emicuit, vt repente flamma prorumpens rectà ferretur in altare,&c. Probabile etiam est è cælo descendisse, diciq; egressum à Domino, quia ex cælo missus erat à Deo. Appellatur hic ignis gloria Domini, Leuit.9. *Apparuit gloria Domini omni multitudini: & ecce egressus ignis à Domino deuorauit holocaustum, & adipes, qui* A *erant super altare. Quod cùm vidissent turbæ, laudauerunt Dominum ruentes in facies suas.* Gloria Domini, hoc est, ignis glorificans Dominum, ignis gloriam Dei manifestans, apparuit. Israëlitæ autem in facies suas corruerunt, Deum adorantes, atque laudantes magno clamore. Verbum enim Hebræum, *ranan*, significat *clamare*, & *clamando laudare*. Aliter locus explicari potest hoc pacto: *Apparuit gloria Domini* in nube splendida, & ex illa egressus est ignis. Hic autem ignis per miraculum datus, in altari holocaustorum conseruatus est. Nam iussit Deus in altari ignem permanere perpetuum, Leuit. 9. *Ignis in altari meo semper ardebit: quem nutriet sacerdos subijciens ligna manè per singulos dies.* B Permansit ergo hic ignis in altari, & per desertum in altari humeris Leuitarum portatus est, vsque in terram repromissionis. Omitto alia, quæ de igne sacro diximus tom.2.Concord.lib.3.cap.33.

In primũ sacrificium Aaronis emissus est ignis à Deo. Leuit. 9.
Philo.
Ibid.
Ibid. Sacer ignis à Deo emissus in altari seruatus est.

Offerentes coram Domino ignem alienum.

5. Alienus ignis appellatur ignis, qui à Deo non erat datus. Alienum enim esse oportebat à tabernaculo, in quo solius ignis sacri diuinitus dati vsus erat, vt August. docet, quæst.31. in Leuiticum: Non licebat (inquit) igne alieno incẽsum imponere Domino, quia ex illo igne, qui C diuinitus ad altare venerat, deinceps custodito, omnia erant incendenda, quæ in tabernaculo accendi oportebat,&c. Itaque igne à Deo donato incendenda erant sacrificia, inflammandę lucernæ tabernaculi, offerendumque Deo thymiama in altari thymiamatis. De igne hoc egimus loco citato, & de xylophoria, quã ligna congregabantur, quibus nutriretur. Filij Aaron, Nadab, & Abiu, arripuisse dicuntur thuribula, & imposuisse incensum, siue thymiama, obtulisseque coram Domino ignem alienum. Verbum *arripere* significat *aliquam*

in nouis

Ignis alienus dicitur ignis profanus, nõ missus à Deo. D. August.
Duo filij Aaron occisi sunt à Deo.

in nouis sacerdotibus, in prima ministrationis die *celeritatem,& auiditatem ministrandi*. Hebraicum verbum *lagac*, significat *accipere*. Lyranus & Hebræi vino plenos fuisse volunt. Idque probatur,quia post illorum necem, Deus præcepit Aaroni summo sacerdoti, Leuit.10. *Vinum, & omne quod inebriare potest, non bibetis tu, & filij tui, quando intratis in tabernaculum testimonij, ne moriamini.* Sed non est satis firma probatio, quamuis colorem habeat. Quæritur, *vbinam sint occisi hi sacerdotes?* Videntur occisi intra ipsum tabernaculum, iuxta altare thymiamatis. Nam dicuntur imposuisse thymiama igni, & obtulisse Deo ignem alienum. Thymiama autem offerebatur Deo in altari thymiamatis, quod erat ante Sancta sanctorum. Attamen respondetur, occisos in atrio sacerdotum, ante fores tabernaculi, quia Leuit. 10. Moses vocatis filiis patrui Aaron ait ad eos: *Ite, & tollite fratres vestros de conspectu sanctuarij, & asportate extra castra*, &c. Filij patrui Aarõ nõ erant sacerdotes; non igitur illis licebat ingredi in tabernaculum, vsque ad altare incensi; iussi ergo sunt tollere sacerdotes interfectos, non ex loco propinquo altari thymiamatis, vel ex priori domo tabernaculi, sed ex atrio sacerdotum, in quo ipsi ignem profanum acceperant, non cęlitus datum, illique thymiama imposuerunt. Probationi oppositæ respondetur, verum esse, Nadab, & Abiu imposuisse thymiama igni & obtulisse Deo ignem alienum, sed hæc illi fecerunt in atrio sacerdotum, non autem in tabernaculo iuxta altare thymiamatis. Neque mirum id est, quia nouitij ministri erant, neque ceremoniis sacerdotum satis instructi.

Leuit. 10.
Ibid.

Tulerunt eos, sicut iacebant, vestitos lineis tunicis.

6. Ex atrio sacerdotum asportarunt extra castra mortuos sacerdotes consanguinei, indutos vestibus sacerdotalibus, videlicet tunicis lineis. Vnde exploratum fit, ab igne neque corpora in cinerem esse redacta, neque vestes combustas. Emissus enim à Deo ignis, Dei minister, occidit corpora, neque vltra progressus est.

Capita vestra nolite nudare.

7. Aaronem, & filios duos, qui superstites erant, videlicet Eleazar, & Ithamar, Moses prohibet Nadab mortem, & Abiu deflere, pœna mortis denunciata, si faciant. *Capita* (inquit) *vestra nolite nudare, & vestimenta nolite scindere, ne fortè moriamini.* Alios vult hunc deplorare interitum: *Fratres* (inquit) *vestri, & omnis domus Israël plangant incendium quod Dominus suscitauit: vos autem non egrediemini fores tabernaculi, alioquin peribitis, oleum quippe sanctæ vnctionis est super vos.* Signum luctus erat, nudare caput. LXX. interpretes vertunt, κεφαλὰς ὑμῶν οὐκ ἀποκιδαρώσετε id est, *capita vestra cidara non denudabitis.* Erat etiam luctus, & doloris signum vestimentorum scissio. Ierem. 41. aliud indicium luctus additur, videlicet barba rasa. *Venerunt* (inquit) *viri, rasi barba, & scissis vestibus squalentes.* Calcei quoque in luctu deponebantur, ora velabantur, & lugentium cibi edebantur. Ezechiel. 24. prohibet Dominus prophetam mortuam lugere vxorem, & luctus indicia ostendere his verbis: *Mortuorum luctum non facies, corona tua circumligata sit tibi, & calceamenta erunt in pedibus tuis, neque amictu ora velabis, neque cibos lugentium comedes.* D. Hieronymus co-

Sebast. Barradas Itiner. Israëlit.

Prohibentur Aaron, & filij, occisorum mortem deflere.
Signa luctus
Ierem. 41.
Ezech. 24.

A ronam circumligatam capiti vocari putat comam, quę tondebatur in luctu. In eandem sententiam LXX. sic interpretantur: *Erunt crines tui colligati super te.* Deut. 14. sic iubet Dominus: *Non vos incidetis, nec facietis caluitium super mortuo.* hoc est, non incideris cultris corpus vestrum, neque caluum efficieris caput, propter mortuum. Non ergo Iudæi comam radebant in funere. Caluitium tamen fecisse, & comam rasisse, vel depilasse, probatur, Isaię 22. *Vocabit Dominus in die illa ad fletum, & ad planctum, & ad caluitium, & ad cingulum sacci.* Si Dominus vocabat ad caluitium, licebat Iudæis caput decaluare. Amos 8. *Inducam* (inquit Dominus) *super omne dorsum* B *vestrum saccum, & super omne caput caluitium.* Ezech. 7. *In omni facie confusio, & in omnibus capitibus eorum caluitium.* Respondetur, Deut. 14. prohiberi caluitium, quod Ethnici in funere facere solebant inter oculos: in reliquis autem locis permissum fuisse caluitium, id est, capitis rasuram. Isaiæ enim 22. vbi nostra versio sic habet: *Vocabit Dominus ad caluitium.* LXX. interpretantur pro *caluitio* ξύρησιν, id est, *rasuram.* Deuter. 14. Hebraicè sic habetur, לא תשימו קרחה בין עיניכם *lo tasimu earchah ben genecem*, id est, *non ponetis caluitium inter oculos vestros.* Videtur ergo prohiberi genus aliquod caluitij peculiare Ethnicis. Chaldæus sic vertit: *Non facietis caluitium inter oculos vestros.* C & LXX. interpretes: *Non imponetis caluitium in medio oculorum vestrorum.*

D. Hieron.
Deut. 14.
Isaiæ 22.
Amos 8.
Ezechiel. 7.
Caluitium in funere.
Isaiæ 22.
Deut. 14.

Mortui sunt coram Domino.

8. *Cur à Deo hi duo sacerdotes vita sint priuati*, dubium est. Numquid quia in atrio sacerdotum thymiama Deo obtulerunt, cùm deberet in altari thymiamatis offerri? an quia ignem alienum thuribulis imposuerunt? Verba Mosis hęc sunt: *Arreptis thuribilis posuerunt ignem, & incensum desuper offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat.* His verbis causa necis continetur. Respondetur, causam mortis fuisse, D quòd igni profano non dato, diuinitus thymiama, siue incensum, imposuerint. Forsitan etiam simul causa fuit, quòd extra altare thymiamatis, thymiama obtulerunt. Lyranus putat, præceptum accepisse hos sacerdotes, ne ignem profanum offerrent, verba enim illa: *Quod eis præceptum non fuerat*, sic exponit: Minus (inquit) dicit Moses, & plus significat, quia non solùm eis pręceptum non fuerat, imò etiam prohibitum, ne alio igne vterentur, quàm illo, qui datus fuerat à Deo,&c. Idem sentit Caietan. & alij. At verba illa: *Quod eis præceptum non fuerat*, præceptum illis datum non indicant, sed temeritatem quandam, quòd ausi sint ignem alienum offerre, cùm viderent alium ignem è cælo emissum. E Interrogare namque debuerant Mosem, quémnam ignem thuribulis essent imposituri. Satis autem probabile est, si mandatum accepissent imponendi thuribulis ignem, à Deo datum non fuisse illos illud transgressuros in prima ministratione, nisi fortè vino erant perturbati, & obliti. Quòd si vino perturbati ignem alienum obtulissent, cùm ea fuisset causa cędis, non præteriisset illam Moses.

Cur sint vita priuati duo filij Aaron.
Lyranus.

Sanctificabor in iis, qui appropinquant mihi.

9. Ostendit Moses, cur Deus sacerdotibus necem intulerit ob peccatum non admodum graue, videlicet, quia eos, qui ipsi per sacerdotium

Deus sacerdotes, si officio rectè non fungantur, punit.

propinquiores ſunt, punit. *Sanctificabor* (inquit Dominus) *in iis, qui mihi appropinquant*, hoc eſt, ſanctum me oſtendam, & ſanctitatis amatorem, puniendo ſacerdotes, qui mihi viciniores ſunt per miniſterium ſuum: *Et in conſpectu omnis populi glorificabor*, ſupplicium ſumendo de miniſtris meis, & domeſticis domus meæ, qui in tabernaculo meo mihi ſeruiunt.

CAPVT XVIII.

MORALE.

De primis ſacrificijs, & morte Nadab, & Abiu.

Tolle de armento vitulum pro peccato, & arietem in holocauſtum.

Primum & nouum ſacrificium teſtamenti veteris oblatū eſt in menſe Niſan. Nouum, primumq; ſacrificium teſtamenti noui oblatū eſt eodem menſe Niſan. Ioan. 13.

1. PRIMA die, qua ſacrificium obtulit ſummus ſacerdos Aaron, ignis à Deo diuinitus eſt miſſus. Fuit illa dies menſis Niſan octaua, dies nouę miniſtrationis noui ſacrificij veteris teſtamenti, nouique ignis à Deo dati. Dies verò decima quarta eiuſdem menſis Niſan dies fuit noui ſacrificij teſtamenti noui. Nouum enim ſtupendumque Euchariſtię ſacrificium in cœna vltima obtulit ſummus ſacerdos Chriſtus, & offerri inſtituit à ſuis ſacerdotibus. Fuit etiam dies noui ignis, id eſt, noui, & eximij amoris Chriſti erga homines, iuxta illud Ioan. 13. *Cùm dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos.* Nouum enim amorem (quod attinet ad effectum) oſtēdit Chriſtus erga homines, cùm ſacrificium, ſacramentumque Euchariſtiæ inſtituit. Fuit præterea dies noui ignis, quia in illa die Dominus noui ignis, id eſt, mutui amoris nouum mandatum hominibus dedit. *Mandatum nouum* (inquit) *do vobis, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos*. In die, qua ſummus ſacerdos Aaron primū ſacrificium obtulit, miſerando euentu duo illius filij occiſi ſunt, quia alienum ignem thuribulis impoſuerunt. Eo autem tempore, quo ſummus ſacerdos Chriſtus primum Euchariſtiæ ſacrificium incruentum obtulit, & poſtea cruentum; occiſus eſt vnus ex eius filiis, id eſt, diſcipulis, Iudas, qui ſuſpenſus crepuit medius, quoniam thuribulo cordis ſui alienum ignem auaritiæ impoſuit, quo inflammatus magiſtrum vendidit argenteis triginta. Hunc ignem auaritię vt extingueret, aquam Dominus adhibuit, & pedes eius lauit, ſed ardens flamma non eſt extincta, quia infælix Iudas noluit, Deo iuuante, eam extinguere: liberum enim habebat arbitrium.

Ignis nouus noui teſtamenti, amor.

Iudas igne auaritiæ incenſus perijt.

Ignem alienum.

Ignis Dei charitas. Luca 12. D. Bernard. Ignis diaboli.

2. Erat in tabernaculo ignis ſacer ex cęlo datus: erat etiam ignis profanus, & alienus, ac vulgaris: ſic in hoc mundo ignis eſt ſacer, videlicet charitas. Emittitur autem è cęlo, & datur à Deo: *Ignem veni mittere in terrā*, ait Dominus Luc. 12. *& quid volo, niſi vt accendatur?* Eſt alius ignis alienus, qui emittitur ex orco, ſcilicet ignis concupiſcentiæ, auaritiæ, libidinis, ambitionis, inuidiæ, de quo D. Bern. ſerm. 2. de Purificat. Habet (inquit) diabolus ignem ſuum, ignem concupiſcentiæ carnalis, ignem inuidiæ, ambitionis. Si quis alienum hūc ignem in diuino offerre præſumpſerit ſacrificio, etiamſi patrem habeat Aaron, morietur in iniquitate ſuā, &c. Caueamus maximè, ne corda noſtra huiuſmodi igne alieno inflammentur; caueat magnopere ſacerdos, ne alienum ignem in corde ferat, cùm ad altare Dei accedit. Sacer ignis, id eſt, charitas, in pectore noſtro ſemper ardeat, & ſemper nutriatur, ne aliquando extinguatur; nutriatur, inquam, diuinarum rerum meditatione, & operibus bonis, iuxta illud Domini Leuit. 6. *Ignis in altari ſemper ardebit, quem nutriet ſacerdos ſubijciens ligna manè per ſingulos dies.* Dei altare cor Chriſtiani eſt, in eo ignis charitatis ſemper ardeat, eumq; meditatio rerum cæleſtium, æternique ignis ſemper nutriat, per ſingulos dies. Nutritur ignis charitatis, conſideratione ignis ęterni. Qui enim æterni ignis cruciatum conſiderat, dat operam, ne charitas extinguatur, ſed ſemper augeatur. Nutritur etiam conſideratione ligni crucis, id eſt, paſſionis Chriſti, ſimilibuſq; aliis ſanctis cogitationibus.

Dei amor in altari, id eſt, corde, ſemper ardeat. Leuit. 6. Nutritur ignis Dei meditatione.

3. D Gregor. lib. 25. moral. cap. 7. nutriri vult ignem hunc ſanctorum virorū exemplis, mēte conſideratis, & diuinæ ſcripturę teſtimoniis. Itā enim ſcripturæ teſtimonia, quàm ſanctorum virorum exempla ignem charitatis vehementer inflammare ſolēt. Verba ſanctiſſimi Patris hæc ſunt: Sacerdos (inquit) in altari ignem nutriēs, quotidie ignem ſubiiciat, id eſt, fidelis quiſque, ne in eo charitatis flamma deficiat, in corde ſuo tam exempla præcedentium, quàm ſacræ ſcripturæ teſtimonia congerere non deſiſtat. Nam quaſi quędā fomenta igni dare, eſt in excitatione charitatis, vel exempla Patrum, vel præcepta dominica miniſtrare, &c. Itē: Ignis iſte in corde noſtro citiùs extinguitur, niſi adhibitis exemplis Patrū, & dominicis teſtimoniis reparetur, &c. Item cap. 8. Ne diuina præcepta nos terreant, ſanctorū Patrū nos exempla confortant, & ex eorū cōparatione facere nos prǽſumimus, quod ex noſtra imbecillitate formidamus, &c. Per ſingulos autem dies adhibēda ſunt igni ligna matutino tempore, per ſingulos namq; dies manè, vel alio tempore opportuno, eligendū tempus eſt, quod ſanctis meditationibus impēdatur.

D. Gregor. Exēpla ſanctorū incendunt corda. Idem. Idem.

4. Leuit. 6. ait Dominus: *Ignis eſt iſte perpetuus, qui nunquam deficiet in altari.* Perpetuus eſt ignis charitatis: ſi Chriſtianus eum non extinguat, per totā durabit ęternitatem. Caue igitur Chriſtiane, ne ignem extinguas perpetuū, & in perpetuas detrudaris tenebras. In die primi ſacrificij Aaronis datus eſt à Deo ignis cæleſtis: ſic in die primi ſacrificij ſacerdotis Chriſtiani datur, & augetur à Deo ignis charitatis, ſi ille pura mente ſacrificium offerat. Indicat autem hæc cæleſtis ignis in ſacrificium emiſſio, Deū, quotieſcunque ſacrificium Euchariſtiæ auguſtiſſimæ offertur, nouum charitatis ignem ſacerdotibus donare. ô felices illos, ſi ignis emiſſionem peccatis non prohibeant, eumque ſanctis meditationibus nutrientes, perpetuum efficiant in corde.

Leuit 6. Ignis charitatis ſit in corde perpetuus.

Sanctificabor in iis, qui appropinquant mihi.

5. Sanctificatur Deus, iuſtuſque eſſe oſtēditur, cùm de illis ſuppliciū ſumit, qui ſupplicio digni ſunt. Vnde D. Hieron. Ezech. 28. Sanctificatio (inquit) Dei, eſt pœna peccantium, &c. Sanctificatur etiam, & glorificatur, cùm illis pœnam irrogat, qui ei appropinquant, hoc eſt, cùm domeſticos ſuos ſacerdotes, & viros religioſos punit ob delicta. Sicut enim gloria eſt viri iuſti, domeſticos ſuos puniēdo, à peccatis deterrere; ſic gloria eſt Dei, familiares ſuos caſtigando, à delictis etiam paruis reuocare. Ezech. 9. iubet Dominus

Sanctificatur Deus, cùm punit. D. Hieron. Ezech. 9.

Dominus ſex viros ciuibus Ieroſolymitanis necem inferre, aitque illis: *A ſanctuario meo incipite*, &c. Erat enim idolorum cultoribus contaminatum. Contaminant valdè ſanctuarium Dei, id eſt, templum, ſacerdotes vitiis contaminati. A ſanctuario igitur incipiat ſupplicium, mundetur Dei tabernaculum, ſi vitioſis miniſtris fuerit inquinatum. Inquinatum erat Dei tabernaculum duobus ſacerdotibus filiis Heli, 1. Reg. 2. vna die vtrunque Deus puniuit morte, & tabernaculum mundauit. Attendant ſacerdotes diuino cultui, ne à Deo occidantur, vt Nadab, & Abiu, filij Aaronis. Diligentes ſint in ritibus, ac ceremoniis Eccleſię obſeruandis, ne ignem profanum pro ſacro offerant, ne illos duos filios Heli imitentur, quos Deus occidit, de quibus 1. Reg. 2. legitur: *Filij Heli, filij Belial, neſcientes Dominum, neque officium ſacerdotum ad populum.* Caueant ſacerdotes Chriſtiani, ne filij ſint Belial, id eſt, abſque iugo, & inobedientes Dei pręceptis. Caueant, ne officium habeant ſacerdotum, officium autem ſacerdotum neſciant, & quàm excellentem virtutem, & conſcientiæ puritatem requirat, non intelligant.

Timeant ſacerdotes, qui Deo appropinquāt, ſupplicium Dei. 1. Reg. 2.

6. Intelligant autem Chriſtiani, non ſolùm ſacerdotes, ſed omnes etiam Chriſtianos Deo appropinquare. Pſalmo 148. dicitur populus Iſraëliticus, *populus appropinquans Deo.* Si populus Iſraëliticus populus fuit appropinquans Deo, multo magis Chriſtianus illi appropinquat. *Sanctificabor* (ait Deus) *in iis, qui appropinquant mihi*, (cùm eos pœnis afflixero) *& in conſpectu omnis populi glorificabor*. Maximè enim Deus ſanctificatur, & glorificatur, cùm Chriſtianus pœnis afflictus patienter fert, & Deum laudat, illique agit gratias. Maximè ſanctificatus, & glorificatus eſt Deus in martyribus ſibi appropinquātibus. Sanctificatus eſt ipſe, id eſt, ſanctum ſe oſtendit, quia ad mortem vſq; pro eius ſanctitate martyres decertarunt: & glorificatus eſt, quia magnam illi gloriam tam ſtrenui milites attulerūt. Attamen martyres etiam ab ipſo ſanctificati ſunt, & glorificati; ſanctificati quidem ſunt, quia ſanctitatis magnum cumulum propter martyrium receperūt; glorificati ſunt, quia æterna gloria in cælo, in terra verò honore maximo ſunt condecorati. Quia verò Chriſtiani propinqui ſumus Deo, gratiam eius recipimus, & dona ſpiritualia abundanter: Ethnici verò, Iudæi, Mahometani, & hæretici, populi ſunt remoti, & non appropinquantes Deo. Quemadmodum dona eius abundanter recipimus, cauendum eſt, ne ſupplicia etiam grauiora recipiamus, iuxta illud Amos 3. *Tantummodo vos cognoui ex omnibus cognationibus terræ. Idcirco viſitabo ſuper vos omnes iniquitates veſtras.* Chriſtianos tantummodo cognouit Deus ex omnibus cognationibus terræ; cęteros populos videtur non cognoſcere, quoniam ipſi Deum non cognoſcunt, non ſic illos curat, vt Chriſtianorum populum, neque ſic illis dona tribuit, & ſupplicia in hac vita. *Dum iudicamur autem*, id eſt, ſupplicio afficimur, (ait Paulus 1. Corinth. 11.) *à Domino corripimur, vt non cum hoc mundo damnemur.* & 2. Machabæor. 6. *Multo tempore non ſinere peccatoribus ex ſententia agere, ſed ſtatim vltiones adhibere, magni beneficij eſt indicium. Non enim ſicut in aliis nationibus Dominus patienter expectat, vt eas, cùm iudicij dies aduenerit, in plenitudine peccatorum puniat: ita & in nobis ſtatuit, vt peccatis noſtris in finem deuolutis ita demum in nos vindicet.* Quamobrem Chriſtiani timeant, & toto pectoris conatu omne flagitium fugiant, ne ſeruos voluntatem Domini ſcientes, & non facientes, grauiùs Deus puniat, iuxta illud Luc. 12. *Ille ſeruus, qui cognouit voluntatem domini ſui, & non præparauit, & non fecit ſecundùm voluntatem eius, vapulabit multis. Qui autem non cognouit, & fecit digna, plagis vapulabit paucis.* Denique ſanctificatur Deus in iis, qui appropinquant ei, & glorificatur in conſpectu populi, cùm illos ſupplicio afficit.

Pſalmo 148. Populus Chriſtianus eſt populus appropinquans Deo. Amos 3. 1. Corint. 11. 2. Machab. 6. Supplicium ſumere eſt Dei beneficium. Luc. 12.

7. Sanctificatur etiam maximè in eis, qui ipſi appropinquant, & glorificatur, cùm illos cæleſtibus donis ornat. Quemadmodum enim Domino honorem afferunt famuli ornatè induti: ſic Deo gloriam pariunt famuli eius pretioſis animi veſtibus, hoc eſt, virtutibus exornati. Sanctitas famulorum, ſanctitatem indicat Domini, iuxta illud 1. Petr. 1. *Secundùm eum qui vocauit vos ſanctum, & ipſi in omni conuerſatione ſancti ſitis. Quoniam ſcriptum eſt, ſancti eritis, quoniam ego ſanctus ſum.* Hinc illud Domini Matthæi 5. *Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum qui in cælis eſt.* Quaſi dicat: Induite lucem gratiæ, & bonorum operum, tanquam veſtem præclaram, vt hac veſte exornati, Deum, veluti famuli, coram videntibus vos glorificetis.

Deus glorificatur in ſeruis ſuis, id eſt, in iuſtis. 1. Pet. 1. Matth. 5.

CAPVT XIX.

De conſecratione, & miniſterio Leuitarum.

NVMERI CAP. IV.

1. LOCVTVSQVE eſt Dominus ad Moyſen, & Aaron dicens: Tolle ſummam filiorum Caath de medio Leuitarum per domos, & familias ſuas, à trigeſimo anno, & ſupra, vſque ad quinquageſimum annum, omnium qui ingrediuntur, vt ſtent, & miniſtrent in tabernaculo fœderis. Hic eſt cultus filiorum Caath: Tabernaculum fœderis, & Sanctum ſanctorum ingredientur Aaron, & filij eius, quando mouenda ſunt caſtra, & deponent velum quod pendet ante fores, inuoluentque eo arcam teſtimonij, & operient rurſum velamine ianthinarum pellium, extendentque deſuper pallium totum hyacinthinum, & inducent vectes. Menſam quoque propoſitionis inuoluent hyacinthino pallio, & ponent cum ea thuribula, & mortariola, cyathos, & crateras ad liba fundenda: panes ſemper in ea erunt: extendentque deſuper pallium coccineum, quod rurſum operient velamento ianthinarum pellium, & inducent vectes. Sument & pallium hyacinthinum quo

operien candelabrum cum lucernis,& forcipibus suis,& emunctoriis, & cunctis vasis olei,quæ ad concinnandas lucernas necessaria sunt,& super omnia ponent operimentum ianthinarum pellium,& inducent vectes. Nec non altare aureum inuoluent hyacinthino vestimento, & extendent desuper operimentum ianthinarum pellium,inducentq; vectes. Omnia vasa,quibus ministratur in Sanctuario,inuoluent hyacinthino pallio,& extendent desuper operimentum ianthinarum pellium, inducentque vectes. Sed & altare mundabunt cinere, & inuoluent illud purpureo vestimento,ponentque cum eo omnia vasa, quibus in ministerio eius vtuntur, id est,ignium receptacula,fuscinulas,ac tridentes,vncinos,& batilla; cuncta vasa altaris operient simul velamine ianthinarum pellium,& inducent vectes. Cumque inuoluerint Aaron, & filij eius Sanctuarium, & omnia vasa eius in commotione castrorum, tunc intrabunt filij Caath vt portent inuoluta, & non tangent vasa Sanctuarij,ne moriantur. Ista sunt onera filiorum Caath,in tabernaculo fœderis. Super quos erat Eleazar filius Aaron sacerdotis, ad cuius curam pertinet oleum ad concinnandas lucernas,& compositionis incensum,& sacrificium quod semper offertur, & oleum vnctionis,& quidquid ad cultum tabernaculi pertinet, omniumque vasorum,quæ in Sanctuario sunt. Locutusq; est Dominus ad Moysen,& Aaron dicens: Nolite perdere populum Caath,de medio Leuitarum, sed hoc facite eis vt viuant, & non moriantur,si tetigerint Sancta sanctorum. Aaron,& filij eius intrabunt, ipsique disponent opera singulorum,& diuident,quid portare quis debeat. Alij nulla curiositate videant quæ sunt in Sanctuario, priusquam inuoluantur, alioquin morientur. Locutusq; est Dominus ad Moysen dicens: Tolle summam etiam filiorum Gerson per domos,ac familias,& cognationes suas,à triginta annis, & supra, vsque ad annos quinquaginta. Numera omnes qui ingrediuntur, & ministrant in tabernaculo fœderis. Hoc est officium familiæ Gersonitarum, vt portent cortinas tabernaculi, & tectum fœderis,operimentum aliud,& super omnia velamen ianthinum,tentoriumque quod pendet in introitu tabernaculi fœderis,cortinas atrij, & velum in introitu,quod est ante tabernaculum. Omnia quæ ad altare pertinent, funiculos, & vasa ministerij,iubente Aaron,& filiis eius, portabunt filij Gerson, & scient singuli, cui debeant oneri mancipari. Hic est cultus familiæ Gersonitarum in tabernaculo fœderis, Eruntque sub manu Ithamar filij Aaron sacerdotis. Filios quoque Merari per familias,& domos Patrum suorum recensebis,à triginta annis, & supra, vsque ad annos quinquaginta,omnes qui ingrediuntur ad officium ministerij sui,& cultum fœderis testimonij. Hæc sunt onera eorum. Portabunt tabulas tabernaculi,& vectes eius,columnas,ac bases earum,columnas quoque atrij per circuitum, cum basibus, & paxillis suis. Omnia vasa, & supellectilem ad numerum accipient, sicque portabunt.

NVMERI CAPVT VIII.

ET locutus est Dominus ad Moysen dicens: Tolle Leuitas de medio filiorum Israël, & purificabis eos iuxta hunc ritum: aspergantur aqua lustrationis, & radant omnes pilos carnis suæ. Cumque lauerint vestimenta sua, & mundati fuerint, tollent bouem de armentis,& libamentum eius, similam oleo conspersam. Bouem autem alterum de armento tu accipies pro peccato,& applicabis Leuitas coram tabernaculo fœderis,conuocata omni multitudine filiorum Israël. Cumq; Leuitæ fuerint coram Domino,ponent filij Israël manus suas super eos,& offeret Aarõ Leuitas, munus in conspectu Domini à filiis Israël, vt seruiant in ministerio eius. Leuitæ quoque ponent manus suas super capita boum,è quibus vnum facies pro peccato, & alterum in holocaustum Domini, vt depreceris pro eis. Statuéique Leuitas in conspectu Aaron,& filiorum eius,& consecrabis oblatos Domino,ac separabis de medio filiorum Israël vt sint mei. Et postea ingredientur tabernaculum fœderis,vt seruiant mihi. Sicque purificabis,& consecrabis eos in oblationem Domini, quoniam dono dati sunt mihi à filiis Israël. Pro primogenitis,quæ aperiunt omnem vuluam in Israël, accepi eos. Mea sunt enim omnia primogenita filiorum Israël, tam ex hominibus, quàm ex iumentis, ex die,quo percussi omne primogenitum in terra Ægypti, sanctificaui eos mihi,& tuli Leuitas pro cunctis primogenitis filiorum Israël, tradidique eos dono Aaron, & filiis eius de medio populi, vt seruiant mihi pro Israël in tabernaculo fœderis,& orent pro eis, ne sit in populo plaga, si ausi fuerint accedere ad Sanctuarium. Feceruntque Moyses, & Aaron, & omnis multitudo filiorum Israël super Leuitis, quæ præceperat Dominus Moysi. Purificatique sunt, & lauerunt

lauerunt vestimenta sua, eleuauitque eos Aaron in conspectu Domini, & orauit pro eis, vt purificati ingrederentur ad officia sua in tabernaculum fœderis coram Aaron,& filiis eius,sicut præceperat Dominus Moysi. De Leuitis ita factum est. Locutusque est Dominus ad Moysen dicens: Hæc est lex Leuitarum, à viginti quinque annis,& supra,ingrediantur,vt ministrent in tabernaculo fœderis. Cumq; quinquagesimum annum ætatis impleuerint, seruire cessabunt, eruntque ministri fratrum suorum in tabernaculo fœderis,vt custodiant quæ sibi fuerint commendata, opera autem ipsa non faciant. Sic dispones Leuitis in custodiis suis.

Leuitæ ministri erant templi.

3. IN templo antiquo Leuitæ ministri erant sacerdotum,& tabernaculo mancipati; ideoq; iussu Dei ad id officium sunt consecrati. Sic in Ecclesia diaconi & subdiaconi ministri sunt sacerdotum, & sacro ritu ad id ministerium consecrantur,nomenque retinent Leuitarum. Vnde D. Laurentius martyr inclytus, quia summi Pontificis diaconus erat, Leuita dicitur. Leuitæ autem veteris testamenti,Leuitæ appellabantur,quia à Leui,filio Iacob,ducebant originem. De illis diximus 3. tomo Concord. lib. 3.cap.54. Consecratio eorum traditur Num. 8. in hunc modum: *Aspersi sunt aqua lustrali,raserunt omnes pilos carnis suæ, vestesq; lauerunt.* Adducti sunt in ostium tabernaculi, conuocato populo imposuerunt Israëlitæ manus super eos, quia Deo offerebantur, vt Dei sacerdotibus ministrarent,obtuleruntque illos Aaroni Pontifici, velut munus Deo: Aaron verò sibi oblatos obtulit Deo. Oblata etiam sunt sacrificia in hac Leuitarum oblatione. Num. 8. boues duo immolati sunt, alter in holocaustum, alter pro peccato. Vides,optime lector,hęc omnia spirare puritatem ministrorum Dei: vestes abluendæ sunt,quę cernuntur,hoc est, fama abluenda est,ne sordida sit fama ministrorum Dei; nemo sordidam tolerat vestem, ne toleret Dei minister sordidam famam, ne toleret sordidissimum peccatum in corde. Parum hoc est. *Radant* (inquit) *omnes pilos carnis suæ.* hoc est, tanta sit in eis puritas,& carnis munditia, vt ne pilus quidem libidinis, hoc est, ne minimum quidem aduersus castitatem peccatum in ea esse permittatur. Nam,vt est in prouerbio, *etiam pilus facit vmbram.* O Dei minister, si vis, ne pilus libidinis in carne tua oriatur, ferto semper tecum nouaculam, de qua dicitur: *Radant omnes pilos carnis suæ.* Qui nouaculam non habet,pilos patitur excrescere carnis,qui hanc habet,orientem pilum protinus exscindit. Nouacula autem hæc,est castitatis studium ardens, quod in ministris Dei esse oportet, qui carnem suam Deo per castitatis votum consecrarunt.

Num. 8. Leuitarum consecratio.

In ministris sacerdotum magna requiritur puritas, & castitas.

Sacerdotes,& Leuitæ,à Leui,filio Iacob,orti sunt omnes. Nam Leui,filius Iacob,tres filios habuit, *Gerson, Caath, & Merari*, vt Exod. 6. scriptum est. Ex his tribus filiis Leui, familiæ Leuitarum tres amanarunt, & sacerdotes. Nam à Caath orta est familia Caathitarum, à Gerson, familia Gersonitarum,à Merari, familia Meraritarũ. A Caath non solùm nati sunt Leuitę, sed etiam sacerdotes. Caath enim genuit Amram, patrem Aaronis,& Mosis. Aaroni, & posteris eius tradidit Deus sacerdotium. Ex reliquis filiis Caath, orta est familia Caathitarum. Ipsi quoque filii Mosis non erant sacerdotes, sed Leuitæ,ex familia Caathitarum, siquidem Moses filius erat Amram, filij Caath. Leuitarum munus erat in circuitu tabernaculi excubare, ipsum tabernaculum, eiusque vasa per solitudinem ferre,illud erigere, cùm erat erigendũ, & deponere, cùm erat deponendum. Caathitæ portabant sanctiora omnia velata,vt arcam, & cętera. Gersonitæ,molliora, vt cortinas,pelles, & cætera. Meraritæ,duriora, vt tabulas, colũnas,& similia. De iis satis dictũ est in Concord. Euang. Quoto anno incipererit ministrare, & quoto anno desinerent, docetur Numer. 8. his verbis: *Hæc est lex Leuitarum: A viginti quinque annis,& supra,ingrediantur,vt ministrent in tabernaculo fœderis. Cumq; quinquagesimum annum ætatis impleuerint, seruire cessabunt, eruntq; ministri fratrum suorum in tabernaculo fœderis, vt custodiant, quæ sibi fuerint commendata. Opera autem ipsa non faciant.* Numer. 4. iubet Dominus numerari Leuitas ab anno trigesimo vsque ad quinquagesimum, vt stent, & ministrent in tabernaculo fœderis. Capite autem 8. citato iubet ingredi, vt ministrare incipiant in tabernaculo, in grauioribus oneribus, vsque ad annum quinquagesimum; postea inseruiant eidem tabernaculo in custodiendis iis rebus tabernaculi, quæ illis fuerint commendatę. Onera grauiora portare adolescentibus cõuenit, vt tabernaculi tabulas, colũnas,& cætera; senibus autem quibus vires nõ suppetunt, satis est res tabernaculi diligenter custodire. At sunt senes quidam corpore, iuuenes forti animo, qui onera grauiora Ecclesiæ malunt portare, quàm leuiora. Vident enim quantum sibi glorię comparent, si grauioribus oneribus subiiciant humeros. In religionibus præsertim, & in cęteris etiam congregationibus, is maximum cęteris exemplum prębet, qui tota die, vsque ad senectutis vesperam pondus sustinet. Nõ omnibus Leuitis eadem onera imponebantur, sed aliis sanctiora, aliis molliora, aliis duriora, (vt diximus) imponebantur: similiter in Ecclesia non omnibus paria imponuntur onera. Attamen prouidendum est, vt iis, quibus maiora, & duriora imponuntur onera, maiora etiam dentur auxilia. Alia, si placet, vide lib. 3. Concordiæ Euang.

Exod. 6.

Numer. 8. Quoto anno incipererit ministrare Leuitæ, & desinerent.

LIBER

LIBER SEXTVS

CAPVT I.

De sacrificijs.

1\. CReati atque vncti sunt à Deo sacerdotes, vt sacrificia in tabernaculo, & templo, lege Mosis permanente, offerret. Leuitæ quoque instituti sunt, vt in tabernaculo, siue templo ministrarent. De sacrificiis verò dedit Deus præcepta in hac mansione montis Sinai, quæ extant in Leuitico.

Cur Deus voluerit sibi offerri sacrificia. D. August.

2\. Multis de causis voluit ab initio mundi Dominus offerri sibi sacrificia ab Abel, Adamo, Noë, & aliis Patribus. Primò, vt Christi passionem, sacrificiumque admirabile adumbrarent. August. lib. 22. contra Faustum, cap. 17. Sacrificij (inquit) Christi promissiuas figuras in victimis animalium celebrari oportebat, propter commendationem futuræ carnis, & sanguinis, per quam vnam victimam fieret remissio peccatorum, de carne, & sanguine contractorum. Huius itaque veri sacrificij religiosa prędicamenta Hebræi celebrarunt, &c. D. Thom. 1. 2. quæst. 102. art. 3. Animalia (inquit) offerebantur in lege, vt vnum Christi singulare, & præcipuum sacrificium figuraretur, tanquam perfectum per imperfecta, &c. Secundò, voluit Dominus sibi offerri sacrificia, vt spiritales hostias offerendas à nobis designarent. D. August. lib. 10. de Ciuitate Dei, cap. 5. Quęcunque (inquit) in tabernaculi, siue templi ministerio, multis modis de sacrificiis leguntur, diuinitus esse præcepta ad dilectionem Dei, & proximi significandam referuntur. In his enim duobus præceptis lex pendet, & prophetæ, &c. Lege Origenem hom. 1. in Leuiticum. D. Hieron. Isai. 1. Hostiæ, (inquit) & immolatio victimarum, non principaliter à Deo quæsita sunt: sed ne idolis offerrentur, vt de carnalibus victimis, quasi per typum, & imaginem ad spirituales hostias transiremus, &c.

D. Thomas. Sacrificia adumbrabãt passionem Christi, & spirituales Christianorũ hostias. D. August. D. Hieron.

D. August. Soli Deo sacrificium offertur.

3\. Tertiò, voluit Deus sacrificiis coli, quia sacrificium magnus est Dei cultus, ita vt soli Deo possit offerri, vnde illud Augustini lib. 10. de Ciuitate Dei, cap. 4. Sacrificium nullus hominum est, qui audeat dicere deberi, nisi Domino soli. Multa de cultu diuino vsurpata sunt, quæ honoribus deferuntur humanis, siue humilitate nimia, siue adulatione pestifera. Quis verò sacrificandum censuit, nisi ei, quem Deum, aut sciuit, aut putauit, aut finxit? Sic ille. Obiicies, *nónne sanctis sacrificium offerimus Eucharistiæ?* Respondet Concil. Trident. sess. 22. cap. 3. Ecclesia, (inquit) quamuis in honorem, ac memoriam sanctorum, non nullas interdum Missas celebrare consueuerit, non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronauit. Vnde nec sacerdos dicere solet, offero tibi sacrificium, Petre, vel Paule, sed Deo, de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, &c. Legẽdus D. Thom. 2. 2. quæst. 85. art. 2. & lib. 3. contra Gentes, cap. 120.

Conc. Trid. Sanctis nõ offeruntur sacrificia.

Cur sacrificiũ soli Deo possit offerri. D. Thom.

4\. Quæritur, *cur sacrificium soli Deo possit offerri?* Respondetur ex D. Thoma, 1. 2. quęst. 102. art. 3. In oblatione (inquit) sacrificiorum protestabatur homo, quòd Deus esset primum principium creationis rerum, & vltimus finis, ad quem essent omnia referenda. Et quia pertinet ad rectam ordinationem mentis in Deum, vt mens humana non recognoscat alium primum actorem rerum, nisi solum Deum, neque in aliquo alio finem suum constituat: propter hoc prohibebatur in lege, offerri sacrificium alicui alteri, nisi Deo, secundùm illud Exod. 22. *Qui immolat dijs, occidetur, præterquam Domino soli.* Sic D. Thomas. Eodem loco docet, quónam modo protestaretur homo, in sacrificiis Deum esse primum principium creationis rerum, & vltimum finem: Per sacrificia (inquit) repræsentabatur ordinatio mentis in Deum, ad quam excitabatur, qui sacrificium offerebat. Ad rectam autem mentis ordinationem in Deum pertinet, quòd omnia, quæ habet homo, recognoscat à Deo, tanquam à primo principio, & ordinet in Deum, tanquam in vltimum finem. Et hoc repræsentabatur in oblationibus, & sacrificiis, secundùm quod homo ex rebus suis, quasi in recognitionem, quòd haberet eas à Deo, in honorem Dei eas offerebat, secundùm quod dixit Dauid 2. Paralip. 29. *Tua sunt omnia, & quod de manu tua accepimus, reddimus tibi.* Et ideo in oblatione sacrificiorum protestabatur homo, quòd Deus esset primum principium creationis rerum, & vltimus finis. Hæc D. Thomas.

Exod. 22. D. Thom. Per sacrificia homo protestatur Deum esse principiũ rerum omnium, & finem. 2. Paral. 29.

An Deo iubẽte latæ sint leges sacrificiorum? Rupert.

5\. Quæritur, *an Deo volente, ac iubente, latæ sint leges sacrificiorum?* Rupertus lib. 1. in Isai. cap. 6. ait, Mosem instituisse Israëlitis sacrificia, Deo non volente, sed permittente. Huiusmodi (inquit) sacrificia Moyses ordinauit, non Deo volente, sed permittente, quia talibus sacrificiis in Ægypto assueti Israëlitæ seruire diis alienis, à consuetudine arceri non poterant, &c. Theodoretus quoque libro 7. de curandis affect. scribit, Deum indulsisse Iudæis sacrificare ad eorum imbecillitatem. Et D. Cyrillus lib. 4. contra Iulianum, & lib. 9. Permittens (inquit) Deus sacrificare Iudæos, eo quòd in Ægypto id facere consueuerant, &c. Et D. Hieron. Isai. 1.

D. Cyrillus. D. Hieron.

Iuxta

Iuxta Hebraicum (inquit) numquam se hostias Iudæorum voluisse demonstrat. Et Isai. 60. Quo modo victimæ concessę sunt populo Israël, nõ quod per se bonę essent, sed ne dæmonibus offerentur: ita, &c. Lege D. Clementem lib. 1. Recognit. Tertullianum lib. 2. contra Marcionem, cap. 18. Augustin. lib. 18. contra Faustum, cap. 6.

Iussit Deus ferri leges sacrificiorũ.

6\. Respondeo, Mosem sacrificiorum leges tulisse: non solùm permittente Deo, sed etiam volente, & iubente: quod patet ex toto libro Leuitici, & aliis. Non autem erant grata Deo per se ipsa, quasi Deus eis indigeret, vt docet D. Irenæus lib. 4. contra hær. cap. 32. & D. August. lil. 10. de Ciuit. Dei, cap. 5. ideoque ait Dominus, Psal. 49. *Nunquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* Grata tamen erant propter pietatem offerentium. Vnde Gen. 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* Prius respexit ad Abelis iustitiam, ac deuotionem, postea ad munera. Isai. 1. *Holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui.* Nolebat autem sacrificia ita offerri, vt ab immundis hominibus offerebantur: mundos esse volebat eos, qui offerebant, ideo sequitur: *Lauamini, mundi estote, &c.*

Psalm. 49. Genes. 4. Isai. 1.

D. Hieron. Deus sacrificia instituit, vt populum à sacrificijs idolorum auocaret. Tertullian.

7\. His adde, propterea etiam Deum sacrificia instituisse, vt ab idolorum sacrificiis populum reuocaret. D. Hieron. Isai. 1. Hostiæ, (inquit) & immolatio victimarum, non principaliter à Deo quęsita sunt, sed ne idolis offerentur, & vt de carnalibus victimis, quasi per typum, & imaginem ad spiritales hostias transiremus, &c. & Tertullian. lib. 2. contra Marcionem, cap. 18. Deus (inquit) populum pronum in idololatriam, & transgressionem eiusmodi officiis religioni suæ voluit astringere, quibus superstitio sæculi agebatur, vt ab eo auocaret illos, sibi iubens fieri, quasi desideranti, ne simulachris faciendis delinqueret, &c.

An Deus Mosi dederit leges sacrificiorum? Ierem. 7.

8\. Quęritur, *an Deus præceperit Mosi, vt leges ferret sacrificiorum?* Non pręcepisse probatur ex cap. 7. Ieremiæ, in quo sic loquitur Dominus: *Non sum locutus cum Patribus vestris, & non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra AEgypti, de verbo holocaustomatum, & victimarum, sed hoc verbum præcepi eis dicens: Audite vocẽ meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus, & ambulate in omni via quam mandaui vobis, vt bene sit vobis.* & Isaiæ. 1. *Cùm veneritis ante conspectum meum, quis quæsiuit hæc de manibus vestris, vt ambularetis in atrijs meis.* Respondetur, Deum præcepisse Mosi, vt leges ferret sacrificiorum, vt constat ex libris Exodi, Leuit. & Deuteron. Verba Ieremię explicantur primò hoc pacto: *Non sum locutus cum Patribus vestris, & non præcepi eis in die, qua eduxi eos de terra AEgypti.* hoc est, cùm ex monte Sinai locutus sum cum Patribus vestris, nullam feci sacrificiorum mentionem. Neque enim tanti ea feci, vt legis decalogo ea adiungerem. Quod à Patribus vestris requisiui, mandatorum meorum fuit obedientia, dicens: *Audite vocem meam, & ero vobis Deus, & vos eritis mihi populus: & ambulate in omni via, quam mandaui vobis.* Si Dominus hæc posteriora verba: *Audite vocem meam.* protulisset in monte Sinai, recta esset responsio, sed in monte Sinai sola decem præcepta pręcepit. Postea quemadmodum pręcepit, vt audirent vocem ipsius, ita pręcepit, vt sacrificia offerrent. Secundò, Exod. 15. legitur, venisse populum in Mara, constituisse ei Dominum præcepta, atque iudicia, & dixisse: *Si audieris vocem Domini Dei tui, & quod rectum est coram eo, feceris, & obedieris mandatis eius, custodierísque omnia præcepta illius, cunctum languorem, quem posui in AEgypto, non inducam super te. Ego enim Dominus sanator tuus.* Forsitan igitur de præceptis in hac mansione Mara, antequam in Sina populus perueniret, traditis, loquitur Dominus; tunc non est locutus cum Patribus de sacrificiis, sed dixit. *Audite vocem meam*, &c. Aliter dici potest, Deus cùm ex monte locutus est, de sacrificiis non egisse, sed decalogum pronuntiasse: postea verò hoc verbum Israëlitis præcepisse: *Audite vocem meam*, & de sacrificiis præcepta tradidisse, Ieremiam verò intelligendum de pronuntiatione decalogi, & de tabulis, in quibus de sacrificiis nihil Deus præcipit.

Isaiæ 1. Verba Ieremiæ explicantur. Exod. 15.

9\. Tertiò respondetur, populum vana quadam fiducia ductum existimasse, propter templum non esse vrbem expugnandam, quamobrem Ieremias eodem cap. 7. ait: *Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes: Templum Domini, templum Domini, templum Domini est.* Peccata non cauebant, in templo, & in sacrificiis fiduciam ponebant. Ierem. 7. *Ecce vos confiditis in sermonibus mendacij, qui non proderunt vobis, furari, occidere, adulterari, iurare mendaciter, libare Baalim, & ire post Deos alienos, quos ignoratis. Et venistis, & stetistis coram me in domo hac, in qua inuocatum est nomen meum, & dixistis: liberati sumus, eo quòd fecerimus omnes abominationes istas.* Cùm ergo Israëlitæ in templo, & sacrificiis fiduciam quandam inanem haberent, operibus carentem; deprimit hanc fiduciam Deus, ostendens sacrificia non fuisse id, quod Deus præcipuè in lege quærebat, sed obedientiam mandatorum: *Holocaustomata* (inquit) *addite victimis, & comedite carnes*, hoc est, holocausta, quæ sunt præcipua sacrificia, ex quibus nihil carnium comeditur, adiungite victimis, id est, hostiis pacificis, & comedite vos omnium carnes, nihil mihi offeratis. Nulla enim mihi sacrificia vestra placebunt, quia sordibus peccatorum, & idololatriæ estis contaminati: perinde me habeo, ac si Patribus vestris nulla tradiderim præcepta de sacrificiis. Cùm enim Patres vestros eduxi de terra Ægypti, non sum locutus cum eis de verbo talium holocaustorum, & victimarum. Sacrificia offerri postulaui puro animo, & nulla idololatriæ sorde inquinato, idque pręcipuè pręcepi, vt vocem audirent meam, & mandata mea seruarent: quod vos non facitis.

Ierem. 7. Ierem. 7. In sacrificijs Deus præcipuè obedientiam postulabat.

10\. Quæritur, *quot fuerint sacrificiorum genera?* Respondetur, fuisse tria. Primum, & præcipuum appellatur holocaustum. Secũdum, sacrificium pro peccato. Tertium, victima, siue hostia pacifica. De holocausto agit Moses Leuitici cap. 1. & 2. de hostia pacifica, cap. 3. De sacrificio pro peccato, cap. 5. & 6.

Tria fuere genera sacrificiorum.

11\. Tandem quæritur, *an omnia animalia Deo immolarentur.* Respondetur, minimè. Ex terrestribus enim solùm boues, arietes, oues, & capræ, siue hœdi immolabantur. Ex volucribus, turtures tantùm, & columbæ. In emundatione verò leprosi, passeres. Pisces non iussit Deus sibi offerri, vt ait D. Thomas, quia in aqua viuunt magis alieni ab hominibus, quàm cætera animalia, quæ in aëre viuunt, sicut homines. Præterea, quia ex aqua extracti moriuntur, neque poterant in templo occidi, atque immolari.

An omnia animalia Deo sacrificarentur?

CAPVT

CAPVT II.

De holocausto.

LEVITICI CAP. I.

1. VOCAVIT autem Moysen, & locutus est ei Dominus de tabernaculo testimonij dicens: Loquere filiis Israël, & dices ad eos: Homo qui obtulerit ex vobis hostiam Domino de pecoribus, id est, de bobus, & ouibus offerens victimas, si holocaustum fuerit eius oblatio, ac de armento, masculum immaculatum offeret ad ostium tabernali testimonij, ad placandum sibi Dominum, ponetque manum super caput hostiæ, & acceptabilis erit, atque in expiationem eius proficiens. Immolabitque vitulum coram Domino, & offerent filij Aaron sacerdotes sanguinem eius, fundentes per altaris circuitum, quod est ante ostium tabernaculi. Detractaque pelle hostiæ, artus in frusta concident, & subiicient in altari ignem, strue lignorum antè composita, & membra quæ sunt cæsa desuper ordinantes, caput videlicet, & cuncta quæ adhærent iecori, intestinis, & pedibus lotis aqua: adolebitque ea sacerdos super altare in holocaustum, & suauem odorem Domino. Quod si de pecoribus oblatio est, de ouibus, siue de capris holocaustum, masculum absque macula offeret: immolabitque ad latus altaris, quod respicit ad aquilonem coram Domino: sanguinem verò illius fundent super altare filij Aaron per circuitum, diuidentq; membra, caput & omnia quæ adhærent iecori, & ponent super ligna, quibus subiiciendus est ignis: intestina verò, & pedes laüabunt aqua, & oblata omnia adolebit sacerdos super altare in holocaustum, & odorem suauissimum Domino. Si autem de auibus, holocausti oblatio fuerit Domino, de turturibus, aut pullis columbæ, offeret eam sacerdos ad altare, & retorto ad collum capite, ac rupto vulneris loco, decurrere faciet sanguinem super crepidinem altaris, vesiculam verò gutturis, & plumas proiiciet prope altare ad orientalem plagam, in loco in quo cineres effundi solent, confringetq; ascellas eius, & non secabit, neq; ferro diuidet eam, & adolebit super altare, lignis igne supposito. Holocaustum est, & oblatio suauissimi odoris Domino.

2. DE holocausto agitur Leuitici 1. Est autem nomen hoc Græcum ὁλόκαυστον, id est, *totus*, & καίω, id est, *cumburo*. Totum enim animal comburebatur. Hebraicè dicitur, עולה *gola*, à verbo עלה *gala*, quod significat *ascendere*, quia sacrificium erat super cætera sacrificia ascendens, omniaque superans. Præterea totum animal in altare ascendebat, totum in fumum, in cælum abibat, nihilque carnium, vel offerenti, vel sacerdoti cedebat.

Holocaustum sic appellatur.

Erat sacrificium ascendens.

Masculum immaculatum offeret.

3. Agitur hoc loco de holocausto sumpto ex armento, hoc est, ex bobus. Offerebatur autem vitulus masculus, & immaculatus. Nam in holocaustum non offerebatur fœmella; sed tantummodo masculinum animal, atque immaculatum. Leuit. 22. *Homo quidquid illud obtulerit in holocaustum Domini, vt offeratur per vos, masculus immaculatus erit ex bobus, & ouibus, & ex capris. Si maculam habuerit, non offeretis, neque erit acceptabile.* Masculus autem offerebatur, quia perfectior est fœmina, vt docet Philo. Præterea erat animal immaculatum, hoc est, perfectum, atque integrum; non enim de maculis pellis, aut velleris agitur, sed de maculis, & imperfectione corporis. Magna autem diligentia disquirebantur maculæ animalis Deò immolandi, vt Philo indicat lib. de Victimis.

In holocaustum masculum animal offerebatur, & immaculatum. Leuit. 22.

Ad ostium tabernaculi.

4. Iubetur offerri hostia holocausti ad ostium tabernaculi. Dubium est, *quódnam dicatur hoc loco ostium tabernaculi?* Et, *An ingrederentur offerentes atrium sacerdotum, accederentq; ad altare holocaustorum ad offerendas hostias?* Lyranus Leuit. c. 1. sic respondet: Dicunt expositores nostri communiter, quòd per ostium tabernaculi intelligitur ostium atrij sacerdotum, vbi probabantur animalia, vtrùm essent aptà ad offerendum, antequam introducerentur in atrium. Hebræi autem dicunt, quòd non probabantur ibi, sed extra atrium totaliter, in vna exedra ad hoc parata. Et ideo quòd dicitur hîc, *ad ostium tabernaculi*, exponunt de loco, qui erat extra atrium, & ille locus erat ante ostium tabernaculi, in quo erat arca, & propitiatorium. & hoc magis concordat litteræ. Sic Lyranus. Idem Leuit. 22. affirmantem sequitur opinionem, aitque offerentes animalia in sacrificium ingressos fuisse atrium tabernaculi, in quo erat altare holocaustorum. Eandem sequitur Abulensis Leuit. 1. Aliqui (inquit) errant in hoc, existimãtes quòd animalia offerebãtur à sacerdotibus apud ostiũ tabernaculi, & quòd non intrabãt vulgares intra atrium tabernaculi. Sed falsum est, quoniam, cùm vulgares offerrent victimas pacificas, intrabant intra atrium tabernaculi, & ibi comedebant partem victimarum suarum. coram altari holocaustorum, &c. Idem sentit Oleaster. Probatur ex cap. 7. Leuitici, vbi iubetur, vt offerens victimam, teneat manibus adipem, & pectusculum, & Deo offerat, tradatque sacerdoti, hoc autem fiebat iuxta altare.

Lyranus. Victima offerebatur ad ostium tabernaculi.

Abulensis. Offerãtes victimas atriũ ingrediebantur tabernaculi.

Ponetq; manum super caput hostiæ.

Super caput hostiæ immolandæ imponebat offerens

Cur offerens manum super caput victimæ imponebat. Theodoret.

offerens manus suas, vt indicaret se hostiam, & seipsum Deo offerret. Theodoretus in Exod. quæst. 61. putat, offerentem suffecisse loco sui victimam, vt mortem sibi debitam illa toleraret. Victimis (inquit) manus imponebant ij, qui offerebant, hoc autem indicabat, hostiam illam in eius locum, qui eam offerebat, suffici, vt quæ pro ipso moreretur, &c. Lyranus ait, offerentem significasse manuum impositione, quòd renuntiabat iuri suo, & possessioni animalis. Caietanus vult, impositionem manuum fuisse dedicationem victimæ Deo. Abulensis existimat, indicasse hanc ceremoniam, offerentem animalis possessioni renuntiare, illudque Deo tradere. Addit, offerentem imposuisse manus super caput animalis, vt imprecaretur pœnas peccatorum suorum, super caput eius, ita vt Deus, cui homo pro peccatis mortis pœnam debebat, animal occideret pro homine. Sic Leuit. 16. sacerdos imponit manus super caput hirci, confiteturque peccata populi, & precatur, vt pœnas hominibus debitas in hircum transferat.

Immolabitque vitulum coram Domino.

6 Caietanus putat, ipsum offerentem iugulasse vitulum. Sed dicendum est, hoc officium fuisse sacerdotum, non autem offerentium. Est itaque sensus: immolabit vitulum, non per se, sed per sacerdotes. Vitulus autem dicitur immolandus, non bos maior; quia, vt ait Abulensis, licèt aliquis de bobus offerret holocaustũ, non deberet bouem veterẽ, aut quatuor vel quinque annorum offerre; sed vitulũ, qui tener est, iuxta illud Psalm. 50. *Tunc imponent super altare tuum vitulos.* Postquam offerens imponebat hostiæ capiti manus suas: primò, sacerdos illam immolabat iugulans: secundò, sanguinem fusum in crateras sacerdotes offerebant Deo, fundentes illum per circuitum altaris holocaustorum: tertiò, detrahebant pellem: quartò, diuidebant victimam in frusta: quintò, laüabant aqua pedes victimæ, & intestina: sextò, struem lignorum componebant in altari, & super ligna animalis membra ordine disposita collocabant, subiectoque igne incendebant omnia: non enim indiuisum animal in altare ascendebat, sed in frusta sectum. Aderatque sacerdos interim, dum holocaustum comburebatur; ei dabatur pellis victimæ holocausti, Leuit. 7. *Sacerdos, qui offert holocausti victimam, habebit pellem eius*, &c.

Vitulus offerebatur in holocaustum.

Psalm. 50.

Sacrificii ordo & ritus.

Leuit. 7.

7 Quæritur, *in quem locum reciperetur tanta sanguinis copia*, quanta iuxta altare ex sacrificiis innumeris effundebatur? Abulensis respondet hoc pacto: Leuit. 1. quæst. 20. dicendum est, quòd sanguis ille subitò in nihilum conuertebatur, aut inuisibiliter in materiam aëriam cedebat, aut quidquid aliud inde gigneretur, &c. Miraculo rem tribuit, cuius nulla est mentio, vel in scriptura, vel in sacris illius interpretibus. Respondetur quæstioni, iuxta altare fuisse subterraneos canales, & meatus absconditos, per quos sanguinis illa copia, cùm opus erat, aqua permixta emittebatur. Audiamus Aristæam. Tantus (inquit) est eductarum aquarum assiduus fluxus, vt perennem fontem inundare putes. Sed mirabilior est, & ferè inenarrabilis, subterraneorum conceptaculorum magnitudo, quæ ad quinque vsque stadia per circuitum templi cuncta penetrat. Plumbeæ ad ea fistulæ, quacunque per muros & templi solum, quibus omnia abluantur, & mundentur descendunt. Sunt & apud aræ basim frequentes aperturæ, omnibus quidem nisi iis, qui ministrant incognitæ; quarum influxu, & impetu, omnis ex hostiarum multitudine cruor purgetur. Sic ille. Montanus quoque in apparatu, puteum fuisse scribit in atrio, pertuso canali per montem pertingente vsque ad torrentem: lapide imposito cum ansa, in quem sanguis cum aqua infusus ad torrentem defluebat.

Montanus.

In quem locũ confluere et sanguinis magna copia ex victimis effusa.

Aristæas.

Et suauem odorem Domino.

8 Suauem sibi esse victimarum odorem ait Dominus, quia illis colebatur, & quia Christi sanguinem adumbrabant. Pagninus vertit, *in odorem quietis*. hoc est, in odorem placationis. Placabatur enim Deus, & velut quiescebat sacrificiis, rectè, & cum contritione oblatis. Odor hic spiritalis est: nam odor corporalis carnium combustarum non est suauis, sed potiùs molestus.

Odor sacrificiorum, quomodo fuerit gratus Deo.

9 Vnde dubium excitatur simile superiori; *quomodo posset in templo grauis ille odor carnium combustarum tolerari?* Abulensis quæst. 21. sic respondet: Credendum (inquit) est, quòd Deus totum fœtorem, qui ex illis sacrificiis erat exhalandus, aut totaliter abstulerit, aut in suauem odorem conuerterit, quoniam altàs nullus tantum, & tam quotidianum fœtorem tolerare posset, &c. Sed nulla est tanti, tamque perpetui miraculi memoria. Dicendum potiùs est, odorem illum carnium non adeò fuisse intolerandum; offerebantur enim in atrio, sub dio, in loco ventis exposito, potueruntque remedia aliqua adhiberi, quibus odor grauis pelleretur. Adde, illum odorem non fuisse assuetis Iudæis grauem, quia odor erat sacrificiorum Deo oblatorum. Erat sub dio altare, vt diximus. Quæret igitur aliquis, *num sacerdotes, cùm pluebat, sacrificia offerrent*; neque enim ignis ardere, neque carnes poterant pluuia impediente comburi. Respondemus, tempore imbrifero non fuisse omissa sacrificia, sed tabulato aliquo opertum fuisse altare, quo imbres propellerentur, possentque sacerdotes suo fungi munere.

Quomodo posset combustarum carnium odor ille nimius tolerari. Abulensis.

Erat altare sacrificiorum sub dio Pluuiali tempore quid ageretur.

Quòd si de pecoribus oblatio est.

10 Nunc agitur de holocausto ex pecoribus. Hoc erat vel ouibus, vel ex capris, offerebatur autem animal integrum, & sine macula; præterea masculinum. Non erat fas offerre ouem in holocaustum, aut capram, vt Iosephus ait lib. 3. antiquit. cap. 10. Mactabatur in holocaustum agnus, & hœdus, & hi quidem anniculi, id est, vnius anni; bouem verò immolare licebat grandiorem. Immolatos tamen arietes in holocaustum, leges Leuit. 8. & 9. & aliis locis. Iugulabatur in primis victima ad latus altaris, quod respicit ad aquilonem coram Domino, id est, coram tabernaculi ostio. Mundo vase excipiebatur sanguis, & fundebatur à sacerdotibus per circuitum altaris: diuidebatur in frusta animal, & altari impositum totum incendebatur, vt dictum est de Vitulo.

De holocausto pecorum.

Si autem de auibus.

11 *De holocausto volucrum.*

Agitur de holocausto ex auibus. Non iussit Dominus offerri sibi aquilas, accipitres, aliasque maiores aues, & nobiliores, nam rapaces sunt. Non decet altare Domini huiusmodi recipere volucres. *Cur turtures offerebantur, & pulli columbarum. Lyranus.* Auiculas paruulas, & humiles iubet Dominus offerri: videlicet turtures, & pullos columbarum. Turtures (ait Lyranus) offeruntur, quia maiores turtures sunt meliores, & pinguiores: pulli verò columbarum, quia minores pulli ad cibum sunt præstantiores. *Lyranus.* Addit idem: Voluit Dominus prouidere deuotioni pauperum, vt qui non haberent animalia maiora, possent offerre minora, & qui non haberent minora, possent offerre auiculas. *Ritus sacrificii.* Autem sacerdos ad altare offerebat, caput in collum retorquebat; deinde, vt nōnulli cum Hebræis volunt, vngue collum rūpebat. Sed verisimilius est, ferro iugulatas aues à sacerdotibus. Verbum autem Hebræum *malach*, significat *secare*, neque probāt Hebræi significare, *vngue secare*. Videntur moti verbis, quæ sequuntur: *Non secabit, neque ferro diuidet eam.* Sed non est hic sermo de diuisione colli, aut gutturis, sed totius volucris. Rupto gutture sacerdos à summitate, & crepedine altaris, per parietem ipsius altaris effundebat sanguinem. Vesiculam autem gutturis, & plumas prope altare proiiciebat, ad partem orientalem, *Volucres non diuidebantur in partes.* in locum, in quo cineres effundebantur: confringebat præterea volucris alas, neque eam dissecabat in frusta, sicut alia animalia, sed integram igni imponebat. *Genes. 15.* Sic Abraham, Genes. 15. *Animalia reliqua diuisit, aues autem non diuisit.*

12 *Iuge sacrificium quod fuerit.*

Inter holocausta celebre erat iuge sacrificium; quod idcirco iuge vocatur, quia singulis diebus semper offerebatur. Immolabantur autem quotidie duo agni, vnus manè, alter vespere. De hoc holocausto hoc extat præceptum, *Leuit. 6.* Leuit. 6. *Cremabitur in altari tota nocte vsque manè.* Agni enim verspertini carnes per totam noctem ad matutinum vsque tempus incendebantur paulatim. Itaque noctu etiam Deo sacrificabatur. De agno, quòd manè immolabatur, non præcipit lex, vt per totam diem comburatur, vsque ad vesperam, sed, vt vult Abulensis, comburebatur, vt reliqua holocausta. Caietanus tamen existimat, durasse eius combustionem vsque ad vesperam, quousque alter agnus succederet. At verò quia interdiu alia sacrificia offerebantur, probabilior est sententia Abulensis. *Numer. 28.* Lege caput 28. Numer. *Vnum agnum offeretis manè, alterum ad vesperum holocaustum iuge est.*

CAPVT III.

MORALE.

De sacrificiis.

1 DEcreuerat Deus filium suum vnigenitum in mundum mittere, immolandum in cruce, veluti sublimi altari, pro peccatis hominum. Hanc ob rem in lege sacrificia instituit, quæ illius admirabilem immolationem sanguinisque effusionem adumbrarent. Itaque visum est

A nonnullis, Apocal. 13. Christum dici agnum, *Apoc. 13.* qui occisus est ab origine mundi. Occisus enim est re ipsa, postquam in mundum est missus, & in crucem actus; sed occisus est in vmbris & figuris ab origine mundi vsque ad crucem. *Christus agnus occisus ab origine mundi, in vmbris & figuris.* Nam in sacrificio Abel, & cæteris postea oblatis, Christi occisio præfigurabatur. Sed alium sensum habet locus ille, fortè probabiliorem, videlicet, non esse coniungenda verba illa, *ab origine mundi*, cum agno, *qui occisus est*, sed cum superioribus verbis hoc modo: *Quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ agni, qui occisus est ab origine mundi*, hoc est, quorum nomina non sunt scripta ab origine mundi, in libro vitæ agni Christi, B qui occisus est. Reddunt huic sensum probabiliorem verba illa cap. 17. eiusdem Apocalypsis: *Quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ à constitutione mundi*, &c. *Apoc. 17.* Græcè tum cap. 13. tum 17. eadem verba sunt, ἀπὸ καταβολῆς κόσμου, id est, *ab origine*, seu *constitutione mundi*. Dicuntur autem nomina hominum scripta in libro vitæ ab origine mundi, quia in origine mundi homines esse cœperunt, cùm tamen ab æterno in eo scripta sint. 1. Petr. 1. dicitur, Christus, *1. Petr. 1.* *agnus præcognitus ante mundi constitutionem, manifestatus autem vltimis temporibus.* Præcognita enim est ab æterno eius incarnatio & mors, quæ postea sacrificiis est adumbrata.

2 *Sacrificia antiqua agnū Dei adumbrarunt.*

C Præcesserunt sacrificia innumera aduentum agni, sed non potuerunt populum à peccatis emundare. Vt enim ait Paulus ad Hebr. 10. *Impossibile est, sanguine hircorum & taurorum auferri peccata.* *Ad Hebr. 10.* Opus fuit alio sacrificio, quod efficere posset id, quod præcedentia sacrificia efficere non potuerunt. Missus est ergo in mundum agnus Dei, idque perfecit solus, quòd innumeri agni, innumeri vituli, hircique, capræ, & oues immolatæ perficere nequiuerunt. Quamobrem Ioannes Baptista extento digito, *Ioan. 1.* agnum admirabilem indicans ait: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* Quasi dicat: D Non potuerunt tot agnorum, & aliorum animalium millia, in templo hactenus immolata, peccata mundi tollere. *Solus agnus Dei immolatus peccata mundi potuit tollere.* Ecce, indico vobis agnum vnicum, qui in cruce immolatus illa auferet. Agnus est Dei, & agnus est Deus, si enim non esset Deus, non posset tantam vim eius sanguis habere, vt mundi peccata tolleret. Impossibile est, sanguine taurorum, & hircorum, auferri peccata. Necessarius est sanguis Dei. Ecce agnus Dei, ecce Deus agnus, qui tollit peccatum mundi. Ipse Dei agnus ait, *Psal. 39.* Psalm. 39. *Sacrificium, & oblationem noluisti, aures autem perfecisti mihi*, &c. hoc est, Pater, victimas & oblationes noluisti tibi offerri; perfecisti autem mihi aures, hoc est; incarnari me, & corpus sumere, atque aures voluisti, E obtemperantes mandato tuo, de immolatione pro hominibus in cruce. Ad Hebræos 10. *Ad Hebr. 10.* legitur: *Corpus autem aptasti mihi*: hoc est, cùm naturam non haberem, in qua immolari possem; corpus humanum, cum humana anima coniunctum, mihi aptasti, & supposito diuino adiunxisti, vt in eo possem mortem subire, & in ara crucis sacrificium offerre, quo mundi peccata tollerem. Sequitur: *Holocaustum & pro peccato non postulasti, tunc dixi: ecce venio.* hoc est, non postulasti ab hominibus potissimum sacrificium holocausti, aut sacrificium pro peccato, neque enim poterant hæc sacrificia mundi *Ibid.* peccata

Ibid. peccata auferre. Apud Paulum ad Hebr. 10. legitur: *Holocaustomata, & pro peccato, non tibi placuerunt, tunc dixi: ecce venio*, hoc est, quia sacrificia legis non postulasti, neque tibi placuerunt ad delenda peccata, dixi: ecce venio in mundum, vt sim sacrificium, & immoler in cruce, & instar agni immaculati peccata mundi tollam.

3 *Christus in cruce velut agnus immolatus, fuit holocaustum.*

Fuit sacrificium Christi holocaustum. Vt holocaustum potissimum erat sacrificium: sic agnus in cruce immolatus præstantissimum omnium sacrificium est. Est *gola*, quod nomen *ascendentem* sonat. Ascendit enim super omnia sacrificia sacrificium Christi. Animal, quod in holocaustum offerebatur, immaculatum esse B oportebat, & masculum, ac perfectum: ita Christus immaculatus fuit, ac perfectissimus. *1. Petr. 1.* Vnde D. Petrus epist. 1. cap. 1. *Scientes* (inquit) *quòd non corruptibilibus auro, vel argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis: sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi, & incontaminati.* Corruptibili auro, & argento redimuntur capti ab hostibus serui; homines autem ex peccati captiuitate, non auro, aut argento, sed multo maiori pretio redempti sunt, nempe sanguine perfectissimi, atque immaculatissimi agni Christi, qui sanguis infinitum habet pretium. Voluntarium sacrificium erat holocaustum: sic voluntaria fuit Christi immolatio in cruce, *Isaia 53.* Isaiæ 53. *Oblatus est, quia ipse voluit.* Imponebantur hostiæ manus, & peccata offerentis: Christo autem qui totius mundi fuit hostia, imposita sunt omnium hominum peccata, *Ibid.* Isaiæ 53. *Posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.* Masculam sanè, ac fortissimam oportebat esse victimam, vt tam graue onus ferre posset: vires oportuit habere Dei. Sanguis hostiæ per circuitum altaris effundebatur, quia sanguis Christi, per circuitum totius orbis effusus est, totum namque orbem sufficienter expiauit potentissimum hoc holocaustum. Holocausti nomen significat totum incensum; D quis non cernat, Christum in cruce, amore erga Deum, & homines totum incensum? quis non cernat, illum ardore tormentorum totum inflammatum? *Hic est sanguis meus*, (ait Dominus *Matth. 26.* Matth. 26.) *noui testamenti*, &c. Sanguis hircorum, agnorum, & taurorum, sanguis fuit veteris testamenti: sanguis verò Christi, sanguis est testamenti noui.

4 *Abrogata sunt sacrificia veteris testamenti. Permanet vnicum Christi sacrificium pro omnibus.*

Abrogata sunt antiqua sacrificia; templum Ierosolymitanum, in quo solo fundi poterat sacrificiorum sanguis, euersum est; Christi vnicum manet sacrificium toto orbe. Præteriit quidem crucis sacrificium cruentum, sed permanet idem sacrificium incruentum. E Idem enim Christus cruentè in cruce immolatus est, incruentè verò quotidie immolatur in sacrificio Eucharistiæ. Diuersæ quidem sunt oblationes, sed eadem est victima oblata in cruce, & in extrema cœna, quæ vsque ad iudicii diem à sacerdotibus Christi immolatur. Vnam solam victimam offert Ecclesia, nempè Christum sed quotidie eandem immolat incruentè, incruentoque sacrificio cruentum illud in cruce peractum repræsentat, realiter existente Christo sub panis, & vini speciebus. *Psalm. 109.* *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum.* (ait vates Psalm. 109.) *tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Veluti pœnituit Domi-

Sebast. Barradas Itiner. Israelit.

A num sacerdotii veteris testamenti, quia illud abrogauit: at sacerdotii noui testamenti nunquam pœnitebit. Quamdiu orbis permanebit, permanebunt in orbe huius sacerdotii sacrificia, neque vnquam extinguentur. Hoc est iuge sacrificium, & perpetuum, ad finem vsque orbis permansurum in Ecclesia. *Vsque ad iudicium permanebit Christi sacrificiū. Conc. Trid.* Audiamus Tridentinam Synodum, Session. 22. cap. 1. Quia (inquit) per mortem sacerdotium Christi extinguendum non erat; in cœna nouissima, qua nocte tradebatur, vt dilectę sponsæ suæ Ecclesiæ, visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in cruce peragendum repræ- B sentaretur; eiusque memoria in finem vsque sæculi permaneret, atque illius salutaris virtus, in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur peccatorum, applicaretur. Chistus sacerdotem, secundùm ordinem Melchisedech, se in ęternum constitutum declarans; corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini, Deo Patri obtulit, ac sub earundem rerum symbolis Apostolicis, quos tunc noui testamenti sacerdotes constituebat, vt sumerent, tradidit, & eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, vt offerrent, præcipit per hæc verba: *Hoc facite in meam commemorationem.* Ita Concilium. Ita- C que abrogata sunt omnia legis antiquę sacrificia. Vnum in lege noua sacrificium permanet, omnia illa infinito interuallo superans. *D. Leo.* D. Leo sermone 8. de Passione. Nunc (inquit) carnalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum, vna corporis & sanguinis tui, Domine, implet oblatio. Quoniam tu es verus agnus Dei, qui tollis peccata mundi, & ita in te vniuersa perficis mysteria, vt sicut vnum est pro omni victima sacrificium; ita vnum de omni gente fit regnum. Sic ille.

5 *Martyres sunt Dei sacrificia.*

Sunt & alia sacrificia in Ecclesia, non tamen propriè, sed metaphoricè hoc nomine D nuncupantur. Etenim sacrificia Deo gratissima sunt martyres, de quibus illud dicitur, *Sap. 3.* Sapient. 3. *Tanquam aurum in fornace probauit illos, & quasi holocausti hostiam accepit illos.* *D. August.* D. Augustin. serm. 44. de sanctis, de martyre loquens: Quot (inquit) ante mortem pertulit pro Christo supplicia: tot ei de se obtulit sacrificia, &c. *Qui se mortificant, Dei sunt sacrificia.* Sunt etiam sacrificia Deo maximè placentia, viri probi, qui se suaque corpora illi per mortificationem immolant, iuxta illud Apostoli ad Roman. 12. *Ad Rom. 12.* *Obsecro vos, fratres, per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum.* In veteri testa- E mento hostiæ mortuæ offerebantur Deo: in nouo offeruntur hostiæ viuæ, videlicet corpora, quę ita immolantur, vt tamen non occidantur. Non occiduntur quidem corpora, sed occiduntur cupiditates, ambitio, libido, auaritia, cæteręque huiusmodi. Occisis autem cupiditatibus effrenatis, tunc verè viuunt corpora. Item, in veteri testamento obsequium λατρεία, id est, cultus ille diuinus sacrificiorum, corporeus erat; quia occidebantur animalia, fundebatur sanguis, imponebantur altari, & igne incendebantur: at in nouo testamento corporum nostrorum sacrificium est λατρεία λογική, id est, *cultus spiritalis*, quia corporum spiritales cupiditates, non ipsa corpora macta-

mactamus, & altari imponimus. Præterea sacrificium, quod offerebatur in testamento veteri, non poterat profanis vsibus applicari: sic corpora nostra, quę Deo in sacrificium offeruntur, à profanis, & sceleratis mundi vsibus longè remouenda sunt, & per sanctitatem renouanda. Vnde sequitur apud Paulum: *Et nolite conformari huic sæculo, sed reformamini in nouitate sensus vestri.* hoc est, immolate vos Deo, & nolite mundi vsibus vos mancipare iam Deo immolatos. Origenes homil. 1. in Leuiticum: Habes (inquit) & tu vitulum, quem offerre debeas. Vitulus est, & quidem valde superbus caro tua, &c. Habemus in carne victimas, quas Deo offeramus, vt idem Origenes ait, ad Roman. 12. videlicet carnis effrenatas cupiditates: Vnusquisque (inquit) si superbiam sui corporis vincat, immolat vitulum; si iracundiam superet, arietem iugulat; si libidinem vincat, in holocaustum offert hircum; si vagos, & lubricos cogitationum resecet volatus, columbas, & turtures immolat, &c. Superauit iram Dauid, cùm 1. Reg. 24. Saulem in spelunca occidere noluit. Admirabile Deo sacrificium obtulisse docet D. Chrysostom. tomo 1. homil. de Dauide, & Saule: Sacrificium (inquit) obtulit Dauid, idque admirabile; non quidem mactato vitulo, aut agno, sed quod his erat multo honorificentius, mansuetudinem offerens Deo, occisa iracundia. Et factus est idem tum victima, tum sacrificus, tum altare, &c. Admirabile sacrificium offert Deo, qui iracundiam, & odium immolat: admirabile etiam offert ille, qui libidinis petulantem, fœtentemque hircum mactat, carnem macerando ac mortificando.

Origenes. — *Cupiditates effrenatæ mortificandæ sunt.* — *D. Chrysost.*

6 Hostiæ imponebat manus offerens: sic carni, quam Deo offerimus, imponendæ sunt manus. Etenim macerãda est, verberanda, ac mortificanda, ne spiritui resistat. Origenes homil. 1. in Leuit. Impone (inquit) manum tuam super hostiam tuam, vt sit accepta Domino, & iugula illam contra Dominum, hoc est, impone ei continentiæ frænum, & manum disciplinæ, ne auferas ab ea: sicut imposuit manum carni suæ Apostolus, qui decebat: *Macero corpus meum, & in seruitutem redigo*; & iugula illam contra Dominum, mortificans sine dubio mẽbra tua, quæ sunt super terram. Sic ille. Philo in lib. de Victimis ait, manuum impositione super victimam significari manuum munditiam, & offerentis innocentiam: Quòd (inquit) manus imponuntur victimæ, euidens indicium est innocentię, vitæque sine culpa exactę. Postulat enim Deus à sacrificante primùm bonam mentem, sanctam, & in pietate exercitam, deinde vitam benefactis ornatam, vt dum manus imponit, possit libera conscientia dicere: hæ manus, neque muneribus corruptæ, neque innocenti sanguine pollutæ sunt: noxam, iniuriam, vulnus, vim nemini intulerunt, nulli rei turpi præbuerunt ministerium, sed rebus honestis, ac vtilibus. Hęc Philo.

Carni imponendæ sunt manus. — *Philo.* — *Offerentis innocentia significatur impositione manuum.*

7 Pellis detractio, & victimæ in frusta dissectio, operum nostrorum examen, & discussionem adumbrat, vt placet D. Gregorio, lib. 1. moral. cap. vlt. Pellem (inquit) hostiæ detrahimus, cùm à mentis nostræ oculis superficiem virtutis amouemus. Cuius artus in frusta concidimus, cùm distinguentes, subtiliter, membratimque eius intima cogitamus, &c. Ablutio intestinorum, cordis significat ablutionem, vt Philo ait: Per intestina (inquit) lota subinnuitur oportere cupiditates ablui, abstergique maculas contractas ex ebritate, & crapula, vitiis humanę vitæ valde noxiis, &c. Pedum ablutio, affectuum indicat munditiam, sunt enim affectus animæ pedes. Ne autem terrenis sordibus inquinentur, per cælum, non per terram gradiantur. Philo: Pedum (inquit) lotio significat, non humi posthac incedendum, sed per æthera. Amans enim Deum animæ re vera in cælum à terra emicat, sumptisque alis petit sublimia. Sic Philo.

Examen operum. D. Gregor. — *Cordis ablutio. Philo.* — *Affectuum munditia.* — *Philo. Incedendum est per cælum pedibus animæ, id est, affectibus.*

8 Obserua, quęnam animalia Deus sibi iusserit offerri, nimirum boues, oues, arietes, capras, & hædos, turtures, & pullos columbarum. Omnia hæc mansueta sunt, vt obseruat Philo in libro de Victimis: Animalia (ait) quæ in sacris mactari solent, aut terrestria sunt, aut volatilia: sed volatilium cùm sint innumeræ species, præteritis cæteris omnibus, duas tantùm selegit Moses, quoniam columba inter natura mansuetas, & gregatim volantes est mitissima; turtur verò inter solitarias circuratu facillima. Terrestrium quoque innumeris gregibus omissis, tria præcipuè genera secreuit, boum, ouium, caprarumque, vt mansuetiora, &c. Hinc colligimus, mansuetos, ac humiles oportere esse viros religiosos, qui Deo se offerunt, atque immolant. Considera columbæ mãsuetudinem, ouium, boumque mititatem, & obedientiam. Armenta magna bonum, (ait Philo) magni greges caprarum, & ouium, ab vno quouis aguntur; nec solùm viro, sed etiam puero, dum exeunt in pascua, rursusque ad septa redeunt, &c. Sic religiosorum iam ætate prouectiorũ armenta quędam maiora, & aliorum religiosorum minorum greges minores, à prælato quouis, summa cum mansuetudine se agi, debent pati.

Mansueta animalia iussit Deus sibi offerri. Philo. — *Humilitas, & obedientia necessaria est religiosis.* — *Philo.*

9 Non præcepit Deus, gallinas, aut perdices, aut alia animalia exquisita sibi immolari; sed communia, boues, arietes, capras, vt discant diuites delicias fugere, & communibus tantùm escis vti temperanter. Philo in libro de Victimis: Temperantiæ signum fuisse scribit, panes propositionis, qui in templo ante Deum semper proponebantur, absque aliis cibis: Admonent (inquit) nos panes temperantiæ: panis enim alimento contentus esse potest sectator sapientiæ habiturus sanum corpus, & mentem sobriam. Cupediæ verò, placentæ, bellaria, commentaque alia curiosa pistorum, & coquorum, gustui præ cæteris sensibus illiberali, & inerudito seruientium, ad miseri ventris desideria, conciliant morbos, tum corpori, tum animo plerunque insanabiles, &c.

Philo. Temperantia seruanda in cibis.

10 Animalia terrestria dissecabantur in frusta, & Deo incendebantur, aues autem non dissecabantur, quod etiam fecisse legimus Abraham, Genes. 15. his verbis: *Diuisit ea per medium*, id est, vaccam, capram & arietem; *aues autem non diuisit*, id est, turturem, & columbam. Theodoretus, quæst. 1. in Leuit. Quemadmodum (inquit) Abraham volatilia non diuisit, ita neque Moses ea iubet diuidi. Nam qui volant ex toto corde diligentes Deum, non partiuntur animum, collocantes eum, tum in terrenis, tum in cælestibus, sed totum sursum ferunt, &c. D. August. serm. de Quinquagesima, animalibus diuisis similes esse ait homines carnales, per discordiam diuisos, & odia; auibus verò non diuisis, homines

Genes. 15. — *Theodoret.* — *Charitas, & concordia seruanda.* — *D. August.*

homines spiritales charitate coniunctos: Tria (inquit) animalia diuisisse dicitur Abraham; aues non diuisit. Quare hoc? quia in Ecclesia carnales diuiduntur: spiritales omnino non diuiduntur. Carnales diuiduntur, quia sibi inuicem aduersantur; aues, id est, spiritales, non diuiduntur; quia est illis cor vnum, & anima vna in Deum. Est enim illis vnum velle, ac nolle. Illis enim auibus similes sunt, turturi, vel columbæ, &c. Item: Ideo aues Abraham non diuisit; quia spiritales, quibus est cor vnum, & anima vna, diuidi, & à Dei amore, vel proximi separari non possunt. Sic August. Auibus autem similes esse homines spiritales, eodem loco his verbis indicat: Carnales vitiorum grauibus compedibus premuntur in mundo: spiritales diuersarum virtutum pennis eleuantur in altum. Et quoties sacerdos dixerit: *Sursum corda*: securi, & fideliter dicunt se habere ad Dominum, &c. Columba & turtur (ait Rupertus in Leuit. cap. 7.) gemitum pro cantu habent, turtur soliuagus, columba gregatim gemere consueuit, &c. Eodem capite scribit, turturem vitam significare solitariam, columbam verò vitam cœnobiticam. Etenim eos, qui solitariam, vel cœnobiticam vitam ducunt, spiritales esse oportet, & res cælestes considerando semper volare: oportet quoque in hac lachrymarum valle gemere, neque vanę lætitiæ cor tradere, oportet item se Deo immolare.

Carnales diuiduntur spiritales vniuntur. — *D. August. Volantibus auibus sunt similes viri spiritales.* — *Rupertus. Columba & turtur gemitum pro cantu habent. Turtur significat vitam solitariam. Columba cœnobiticam.*

11 Retorquebatur caput columbæ, cùm immolabatur: sic retorquendum est caput religiosi viri, retorquendum est iudicium eius, qui se Deo sacrificat, ita vt superiori suo humiliter obtemperet. Vesicula gutturis, & plumæ proiiciebantur in locum cinerum, Leuitici cap. 2. *Vesiculam gutturis, & plumas proiiciet prope altare in loco in quo cineres effundi solent.* Hoc magnopere congruit viro spiritali, vesiculam gutturis, hoc est, gulam, & plumas, id est, inanem gloriam, & fastum à se repellere, & in locum cinerum proiicere. Quisnam locus est cinerum? sanè sepulchrum est, in quo corpora nostra in cineres rediguntur. In locum cinerum viri spiritales vesicam gutturis, & plumas, id est, gulam & superbiam proiiciunt, cineres, in quos redigendi sunt, animo voluunt, clamantes: *Memento homo, quia puluis es, & in puluerem cineresq; reuerteris.* & illud Ecclesiastici 10. *Quid superbit terra, & cinis?* Præter hæc, confringebantur alæ turturi, & columbæ, quæ immolabatur, Leuit. 1. *Confringet ascellas eius*, &c. Alæ elationem indicant, vt placet Cyrillo; confringendæ sunt alæ, hoc est, confringenda est elatio ab iis, qui se Deo immolant. D. Cyrillus lib. 16. de adorat. Alarum (inquit) confractio figura est, sanctorum mentem non alta sapere, sed humilibus consentire, & tanquam inferiora quærere. Elatus est enim semper hominum arrogantium animus, & sursum fertur, & in humilioribus considere non sustinet, modestumq; sensum, atque humilem contemnit. Confractio igitur axillarum, abiectionem arrogantię figuratè designat. Sic ille.

Obedientia, Leuit. 2. — *Superbia fugienda, & gula.* — *Eccli. 10.* — *Leuit. 1. Alæ frangendæ, id est, elatio.* — *D. Cyrillus.*

12 Denique animalia, quæ immolabantur, immaculata erant, & omni corporis vitio carentia: sic homines, qui se Deo offerunt, hoc maximè curent, vt immaculati sint, & omni vitio careant. Audiamus Philonem in lib. de Victimis, de examine loquentem, quo victimarum disquirebatur integritas. Requiruntur (inquit) integra hæc omnia, & illæsa partibus omnibus, & maculis etiam, næuisque carentia. Tanta enim cautela vtuntur in hoc negotio, & qui offerunt victimas, & ipsi sacrificii, vt probatissimi sacerdotum, peritissimique ab extremis pedibus exorsi per totum corpus inquirant, quę sunt conspicua; ne ventre seminibusque celetur vel minima labecula, &c. Indicat examen hoc illud, quo conscientię maculas, & labeculas etiam minores, debent in se illi inquirere, qui ad stupendum Eucharistiæ sacrificium accedunt. Quamobrem Philo addit hæc verba: Admonentur his symbolis, qui victimas mactandas offerunt, vt quoties accedunt ad altaria, vel nuncupaturi vota, vel reddituri; nullum vitium, nullumque morbum afferant in anima, sed conentur immaculatam in conspectu Dei producere, &c.

Philo. — *Examen sacrificiorum.* — *Conscientiæ puritas ad Eucharistiã.* — *Philo.*

CAPVT IV.

De oblationibus ex panibus & farina.

LEVITICI CAP. II.

1 Anima cùm obtulerit oblationem sacrificij Domino, simila erit eius oblatio, fundétque super eam oleum, & ponet thus, ac deferet ad filios Aaron sacerdotes: quorum vnus tollet pugillum plenum similæ & olei, ac totum thus, & ponet memoriale super altare in odorem suauissimum Domino, quod autem reliquum fuerit de sacrificio, erit Aaron & filiorum eius, Sanctum sanctorum de oblationibus Domini. Cùm autem obtuleris sacrificium coctum in clibano: de simila, panes scilicet absque fermento, conspersos oleo, & lagana azyma oleo lita. Si oblatio tua fuerit de sartagine, similæ conspersæ oleo & absque fermento, diuides eam minutatim, & fundes super eam oleum. Sin autem de craticula fuerit sacrificium, æquè simila oleo conspergetur: quam offerens Domino, trades manibus sacerdotis. Qui cùm obtulerit eam, tollet memoriale de sacrificio, & adolebit super altare in odorem suauitatis Domino; quidquid autem reliquum est, erit Aaron, & filiorum eius, Sanctum sanctorum de oblationibus Domini.

2 Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento fiet, nec quidquam fermenti aut mellis adolebitur in sacrificio Domino. Primitias tantùm eorum offeretis

ac munera: ſuper altare verò non imponentur in odorem ſuauitatis. Quidquid obtuleris ſacrificij, ſale condies, nec auferes ſal fœderis Dei tui de ſacrificio tuo. In omni oblatione tua offeres ſal. Si autem obtuleris munus primarũ frugum tuarum Domino de ſpicis adhuc virentibus, torrebis igni, & confringes in morem farris, & ſic offeres primitias tuas Domino, fundens ſupra oleum, & thus imponens, quia oblatio Domini eſt, de qua adolebit ſacerdos in memoriam muneris; partem farris fracti, & olei ac totum thus.

Similа erit eius oblatio.

3 LEuitici 2. de oblationibus agitur, quæ ex farina, & panibus fiebant. Hebraicè dicitur huiuſmodi oblatio, קרבן מנחה, *corban, minchab. Corban* ſignificat *oblationem*, *minchab* verò ſignificat *munus*. Ita vertit noſtrer interpres, Geneſ. 32. Quo capite legimus, Iacob miſiſſe *minchab*, id eſt, *munus*, fratri ſuo Eſau. Hoc cap. 2. Leuitici vertit *ſacrificium*, hoc pacto: *Anima cùm obtulerit oblationem ſacrificij*: ſic etiam vertunt LXX. interpretes: erat enim genus ſacrificij non ex animalibus, ſed ex rebus vitæ expertibus. Fiebat autem multis modis ex farina, vel ex panibus. Primo modo offerebatur ſimila, id eſt, optima farina, & fundebatur ſuper farinam oleum, atque imponebatur thus. Ex huiuſmodi farina tollebat ſacerdos pugillum plenum, & totum thus; imponebatque igni altaris in odorem ſuauiſſimum Domino, & in memoriale, videlicet, vt Deus offerentis eſſet memor. Leuit. 5. præcipitur, vt ſimila pro peccato offeratur, ſed ſine oleo, & thure in monimentum offerentis: *Tradet* (inquit) *eam*, id eſt, farinam, *ſacerdoti: qui plenum ex ea pugillum hauriens cremabit ſuper altare in monimentum eius, qui obtulerit.* Quod ex farina remanebat, ablato pugillo, id erat ſacerdotum. Leuit. 7. docetur æqualem eſſe debere inter ſacerdotes diſtributionem. *Sacerdos*, (inquit) *qui offert holocauſti victimam, habebit pellem eius, & omne ſacrificium ſimilæ, quod coquitur in clibano, & quidquid in craticula, vel ſartagine præparatur, eius erit ſacerdotis, à quo offertur: ſiue oleo conſperſa, ſiue arida fuerint, cunctis filijs Aaron menſura æqua per ſingulos diuidetur.*

Geneſ. 32. De minchab oblatione ex farina.
Leuit. 2.
Simila erat optima farina.
Leuit. 5. Simila pro peccato offerebatur, ſine thure, & oleo.
Leuit. 7. Æqualis inter ſacerdotes diſtributio.

Cùm obtuleris ſacrificium coctum in clibano.

4 Secundo modo offerebatur mincha ex panibus, vel laganis, coctis in clibano. Offerebantur autem panes abſque fermento, & conſperſi oleo. Similiter & lagana azyma erant, & vncta oleo. Tertiò offerebatur mincha ex ſartagine: offerebantur videlicet placentæ, ex ſimila confectæ, azymæ, & oleo vnctæ, quæ poſtquam in ſartagine frixæ erant, minutatim diuidebantur in multas partes, oleoque perfundebantur, incendebantur verò aliquæ partes, aliæ ſacerdotum erant. Quartò offerebatur mincha ex craticula. Ex ſimila enim, id eſt, farina delicata, placentæ fiebant, oleo conſperſæ, & in craticula coquebantur, quemadmodum aſſari ſolent piſces. Offerebat partem aliquam Deo ſacerdos, quæ dicitur memoriale: *Tollet* (inquit) *memoriale de ſacrificio*, id eſt, tollet ſacerdos de oblatione ex craticula partem, & incendet Deo, in memoriam offerentis, vt ſuprà diximus. Reliquum ſacerdotalis iuris erat, & dicitur Sanctum ſanctorum de oblationibus Domini, quia erat Deo oblatum, & à profanis vſibus, & cibis ſeparatum.

4 Oblatio ex panibus & laganis, & ex placentis.

Abſque fermento fiet.

5 Excludit Dominus à ſuis oblationibus fermentum, & mel: *Omnis* (inquit) *oblatio*, (Hebraicè, *omnis minchab*) *quæ offertur Domino, abſque fermento fiet, neque quidquam fermenti, ac mellis adolebitur in ſacrificio Domini.* Excludit fermentum, & mel; ſalem ſemper adhiberi iubet. *Quidquid obtuleris ſacrificij* (Hebraicè *omnem oblationem minchab*) *ſale condies, nec auferes ſal fœderis Dei tui de ſacrificio tuo.* Hebraicè, *de minchab tua, in omni oblatione tua offeres ſal*, &c. Dicitur autem ſal fœderis, quia ad fœdus diuinum cum populo ſpectabat, vt ſal in omni oblatione adhiberetur. De pacto ſalis dictum eſt tom. 2. Concord. lib. 7. cap. 13. Excludebatur fermentum, & mel à ſacrificio Domini, neque poterat Deo in altari incendi aliquid fermenti, aut mellis, aut quod eſſet fermentatum, vel melle aſperſum. Verùmtamen tam fermenti, quàm mellis primitiæ, & munera offerebantur. Nihil autem Deo incendebatur, ſed omnia ſacerdotibus cedebant, Leuit. 2. *Primitias eorum*, id eſt, fermenti & mellis, *offeretis, ac munera, ſuper altare verò non imponentur in odorem ſuauitatis*, &c. Quæritur, *quomodo fermenti primitiæ, & munera offerentur?* Numquid fermentum ipſum offerebatur? Reſpondetur, non offerebatur fermentum ipſum nudum, ſed in panibus fermentatis. Tunc ergo dicitur fermentum offerri, cùm offerebantur ea, quæ fermentata erant, mel verò ipſum per ſe offerri poterat.

5 Mel, & fermentum non offerebatur Domino in ſacrificiis.
Sal in ſacrificiis offerebatur.
Mellis primitiæ & munera offerebantur Deo. Leuit. 2.
Panes fermentati offerebantur Deo.

De ſpicis adhuc virentibus.

6 Mincha etiam offerebatur ex ſpicis primis, & nouis. Quomodo ſint offerendæ, hîc docetur: *Si obtuleris munus*, (Hebraicè, *ſi obtuleris minchab*) *primiarum frugum tuarum Domino, de ſpicis adhuc virentibus, torrebis igni.* Dicuntur ſpicæ virentes, quia non erant omnino maturæ, ac duræ, quam ob cauſam torrebantur igni, poſtea confringebantur grana, in modum farris, illis confractis oleum infundebatur, imponebaturque thus. Partem huius farris fracti, & confecti ex ſpicis oleo conſperſi, ſacerdos incendebat in altari in memoriam muneris, id eſt, in memoriam illius, qui munus offerebat, nihil autem thuris ſibi tollebat ſacerdos, ſed totum Deo adolebat.

6 Oblatio ex ſpicis virentibus.

CAPVT V.

MORALE.

De oblationibus ex panibus & farina.

1 PArua etiam dona ab hominibus recipit Deus, non ſolùm recipit vitulos, agnos, oues & arietes, ſed etiam ſimilam, lagana, placentas ex clibano, & ſartagine. Sic etiam Exod. 25. non ſolùm aurum, argentum, & alia dona magna accipit, ſed etiam pilos caprarum. Quamobrem D. Cyrillus lib. 9. de Adoratione, ſic

1 Munuſcula parua recipit Deus.
D. Cyrillus.

ſcribit: Non aurum (inquit) ſolùm quærebat Deus, aut ea fortaſſe, quæ vulgo ſuppeditari difficilè poſſent; etiam pilos caprarum quærebat, & arietum pelles. Vt oſtenderet exiguum, ac vile munus, ſi nihil is, qui offerre decreuerit, præſtantius habeat, minimè à Deo reſpui, aut etiam fortaſſe rebus, quæ in maximo pretio ſunt, æquari, aut magis quoque laudari, vt Chriſtus fecit, cùm non ſine admiratione viduam illam excepit, quæ in gazophylacium exiguum quidem donum intulit, ſed magnum ijs fortaſſe, qui in ſumma inopia verſantur, quos veriſimile eſt, etiam viliſſimarum rerum amiſſione vexari. Sic ille. Iubet autem Dominus has paruas oblationes, ſimilam, panes, placentas, conſpergi oleo, quo deuotio animæ ſignificatur. Hoc oleum deuotionis etiam minimas oblationes, magnas reddit. Qui enim hoc oleum habet, quamuis paruas offerat, magnas tamen offerre deſiderat.

Deuotio adumbratur oleo.

2 Præterea prouidit Dominus paupertati offerentium, vt ait D. Thomas, quæſt. 102. art. 3. ad 12. Lex (inquit) in ſacrificijs prouidere voluit paupertati offerentium, vt qui non poſſet habere animal quadrupes, ſaltem offerret auem: hanc qui non poſſet habere, offerret panem, &c. Fauet huic dicto D. Thomæ illud Leuit. 5. *Si non quiuerit manus eius duos offerre turtures, aut duos pullos columbarum, offeret pro peccato ſuo ſimilæ partem ephi decimam.* & illud Leuit. 12. *Si non inuenerit manus eius, nec poturerit offerre agnum, ſumet duos turtures, vel duos pullos columbarum.* Et D. Cyrillus lib. 16. de Adoratione: Extenuat (inquit) Deus ſacrificij geneta, etiam ad exigua, & quæ quiuis ſuppeditare, & non multo labore parare poſſit, vt latiorem viam, & magnis, & exiguis hominibus (vt opinor) ad laudabilia facta patefaciat, &c.

2 D. Thom. Prouidit Dominus paupertati offerentium.
Leuit. 5.
Leuit. 12.
D. Cyrillus.

3 Citato loco D. Thomas ſcribit, panem ſignificare Chriſtum, vt compertum eſt. Ait enim Chriſtus Ioan. 6. *Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi.* Hunc panem cæleſtem ait ſignificatum ſpicis, quæ offerebantur, quia velut in ſpica fuit pro ſtatu legis naturæ in fide Patrum: ſignificatum verò ſimila, in doctrina legis Prophetarum; indicatum etiam pane formato in clibano, quia igne Spiritus ſancti in vtero ſanctiſſimæ Virginis eſt conceptus; pane quoque adumbratum in ſartagine cocto, & craticula, propter labores, quos ſuſtinuit, & crucem.

3 Ioan. 6. Chriſtus panem adumbratus eſt.

4 Lyranus moraliter ait ſimilam, ſiue farinam offerre ſcholaſticos Theologos, quia offerunt Deo ſtudium Theologiæ, quæ eſt proxima prædicationi verbi Dei, quemadmodum farina eſt proxima materia panis. Panes in clibano coctos ait offerre magiſtros, qui ex charitate ſacram ſcripturam docent ſcribendo, ſacrarumque literarum ſtudio occupantur, quaſi in clibano clauſo. Panes coctos in ſartagine, & frixos ait offerre magiſtros, qui publicè docent ex charitate, quique diligenti ſtudio, & cura, veluti friguntur. Panes coctos in craticula ait offerre concionatores, lagana offerre eos, qui confeſſiones audiunt, ſpicas virentes eos, qui pueros bonis informant moribus, ſunt enim pueri, velut ſpicæ virentes.

4 Lyranus. Sacrificis eorum, qui ſacris vacant ſtudiis.

5 D. Cyrillus lib. 16. de Adoratione, hiſce oblationibus indicari putat ſanctorum virorum labores, qui, velut farina in mola, conteruntur, iuxta illud D. Ignatij: Frumentum Chriſti ſum, beſtiarum dentibus molar, &c. Velut in clibano aduruntur, & tanquam per ignem probantur. Videtur ſcriptura (ait Cyrillus) ſanctorum virorum laudes nobis indicare, quas aduſtione, laboribus, & contritione ſua peperunt. Clibanus enim, & craticula, atque etiam illa per molam facta comminutio, ſigna ſunt contritionis, ac laboris eorum, qui tanquam per ignem probantur, &c. Miſericordiam autem quam conſequuntur ſuis laboribus, oleo, odorem ſuauitatis thure, ſignificari docet.

5 D. Cyrillus. Adumbrantur his oblationibus ſanctorũ labores.

D.Gregor. homil. 12. in Ezechielem, ſimila frixa in ſartagine, zelum adumbrari dicit: Nullum (inquit) Deo tale eſt ſacrificium, quale eſt zelus animarum. Tunc ſimila frigitur in ſartagine, cùm munda mens iuſti per zelum ſancti amoris crematur, &c. Item: Omnis ſpiritalis zelus doctoris animam frigit, quia valde cruciatur, dum infirmos quoſque æterna deſerere, & rebus temporalibus delectari conſpicit. Paulus zelo animarum cruciatus dicebat 1. Corinth. 12. *Quis ſcandalizatur, & ego non vror?* Sic Gregorius.

6 D. Gregor. Zelus animarum indicatur ſimila frixa.
1. Corinth. 2.

Neque quidquam fermenti, ac mellis adolebitur in ſacrificio Domini.

Cauendum eſt fermentum, quod à ſacrificio repellitur. Quemadmodum tumefacit maſſam fermentum: ſic mentem facit ſuperbia. Cauendus eſt ſuperbiæ tumor ijs, qui ad ſacrificandum accedunt. Philo in lib. de offerentibus victimas: Iubet (inquit) legiſlator, omnem oblationem ſine fermento fieri, dignum non exiſtimans, vt fermentum imponatur altari, propter tumiditatem, quam efficit. Figuratur præcepto ne quis elatus ad altare accedat, tumidus faſtu, & arrogantia, ſed aſpiciens Dei magnitudinem ſuam mortalitatem agnoſcat, quantumuis cæteris fortunatior: & vera æſtimatione animos elatos reprimat, cauens inſidiatricem ſuperbiam, &c.

7 Superbia eſt fermentum tumefaciens cordã. Philo.

Indicat etiam fermentum, malitiam, & nequitiam: ad ſacrificium autem Domini non afferenda eſt malitia, ſed ſinceritas & puritas mentis, iuxta illud 1. Corinth. 5. *Epulemur, non in fermento malitiæ & nequitiæ, ſed in azymis ſinceritatis, & veritatis.* Eſt fermento ſimilis malitia & peccatum: *Modicum fermentum* (ait Apoſtolus eodem capite) *totam maſſam corrumpit.* Sic vnum mortiferum peccatum corrumpit hominem, ita vt ſic corruptus, in ſterquilinium Orci mittatur. D. Paulus 1. Corinth. 5. cum fermento confert hominem libidinoſum, de quo agit, eoque expurgari debere Corinthios ſcribit: *Expurgate* (inquit) *vetus fermentum*, &c. Deinde pellendos ex conſortio improbos docet velut fermentum, ne cæteros corrumpant; *Si is* (inquit) *qui frater nominatur, eſt fornicator, aut auarus, aut idolis ſeruiens, aut maledicus, aut ebrioſus, aut rapax, cum eiuſmodi neque cibum ſumere.* Athanaſius in quæſt. ad Antiochum, quæſt. 32. de improbis hominibus illa verba Pauli exponit; *Modicum fermentum totam maſſam corrumpit.* Hæc illius verba ſunt; Hoc propter malos, & peruerſos homines dicit. Nam quemadmodum vetus fermentum exiguum quidem eſt, multum autem farinæ fermentari facit; eundem in modum malus homo, qui in ſe nutrit malitiam, impertit etiam alijs, & fit ſcandalum, multoſque lædit. Propterea rurſus dicit Paulus; *Expurgate vetus fermentum, vt noui ſitis*; hoc eſt, expellite malum, & prauum ex vobis, aut vos ab ipſo recedite.

8
1. Corinth. 5.
Peccatum eſt ſimile fermento.
1. Cor. 5.
D. Athanaſ.

Fugienda est improborum familiaritas.

Quandoquidem omnis malitia inquinat hominem. Sic ille. Vt putre pomum reliquis putrefactionem affert, nisi ab illis separetur: sic putris homo, & improbus familiaribus suis nequitiam communicat, nisi ab eius familiaritate discedant. Augustin. epist. 89. Timendum est, ne plura putrescant, dum putribus parcitur, &c. Seneca in lib. de tranquill. animi, cap. 7. Initium (inquit) morbi est ægris sana miscere, &c. Et eodem capite docet, vitia serpere instar pestis, & contactu suo nocere: quamobrem amicos eligendos esse, nulla vitiorum peste infectos, ne contactu, vel afflatu suo nos peste vitiorum suorum inficiant. Serpunt vitia, (inquit) & in proximum quemque transiliunt, & contactu nocent. Itaque vt in pestilentia cauendum est, ne corruptis iam corporibus, & morbo flagrantibus assideamus, quia pericula trahemus, afflatuque ipso laborabimus: ita in amicorum legendis ingenijs dabimus operam, vt quàm minimè inquinatos assumamus. Sic Seneca.

D. August. *Seneca.* *Seneca.*

9 *Abulens.*

Abulensis ait, Deum à sacrificijs repulisse fermentum, vt in memoriam reuocaret exitum ex Aegypto. Non enim tunc propter celeritatem, potuerunt Israelitæ farinam fermentare; quamobrem festum azymorum institutum est, vt supra vidimus. Vult Deus beneficiorum suorum memoriam perpetuam in nobis esse, quod Philo existimat significatum igne illo, qui in altari holocaustorum semper ardebat. Est enim beneficiorum memoria ignis, quia cor inflammant beneficia Dei in memoriam adducta, & amore diuino animum incendunt. Quem non inflammabunt hominem summa Dei beneficia, si considerentur? quis poterit sine cordis ardore summum creationis meditari beneficium, vel conseruationis? quis sine amoris flammis Christi gesta, & redemptionem, crucem, mortemque mente voluet? Perpetuus erat ignis ille sacer: sic perpetuas esse oportet gratiarum pro tot beneficijs actiones, quia perpetua sunt ipsa Dei beneficia, neque vnquam Deus nobis cessat benefacere. Audiamus Philonem in lib. de offerentibus victimas: Quia (inquit) perennes Dei gratiæ, neque deficiunt, neque intermittuntur, sed interdiu, noctuque fruendas se præbent nobis hominibus; gratiarum actionem sacra flamma figurat, semper iustaurandam, ne quando extinguatur. Sic ille.

Beneficia Dei perpetuæ memoriæ sunt mandanda. *Philo.*

10 *D. Thom. Mel fugiendum est, id est voluptas.* *Philo.*

Mel quoque repulit Deus à sacrificijs; voluptatis enim dulcedinem, ac delicias aspernatur. D. Thomas loco citato. Mel (inquit) non offerebatur in sacrificijs Dei, ad excludendam omnem carnalem dulcedinem, & voluptatem ab ijs, qui Deo sacrificare intendunt, &c. Philo item loco indicato: Mel non ducit Dominus dignum, vt imponatur altari; fortassis quòd hæc figura doceat, profanam ducendam quamcunque voluptatem nimiam, dulcem haustu, sed cruciatus afferentem difficiles, à quibus animam concussam labefactari necessum est. Et D. Hieronymus epist. 12. ad Gaudentium: *Mel* (inquit) Prouerb. 5. *distillare* dicuntur *labia meretricis*, quòd ad tempus impinguat vescentium fauces, & postea felle amarius inuenitur. Vnde & in Domini sacrificijs mel non offerunt, ceraque contempta, quæ mellis hospitium est, oleum accenditur in templo Dei, quod de amaritudine exprimitur oliuarum. Pascha quoque, id est, agnus paschalis, cum amaritudinibus, id est, cum lactucis agrestibus, comedi iubetur. Ita Hieron. indicat, mel voluptatem significare, pellendamque voluptatis turpem dulcedinem, pœnitentiæ verò, & mortificationis sanctam amaritudinem complectendam. Ex amaritudine (inquit Hieron.) oliuarum exprimitur oleum, &c. sic ex amaritudine pœnitentiæ exprimitur Dei misericordia: at mel turpis voluptatis (vt idem ait) impingitur ad tempus vescentium fauces, & postea felle amarius inuenitur. Fugiendum ergo mel est malæ voluptatis. Fugienda quoque cera, in qua mel gignitur, quæque, vt Hieronymus vocat, hospitium mellis est: hoc est, fugiendæ sunt occasiones illæ omnes, ex quibus turpis voluptas exoriri potest, quæque velut hospitium illius sunt.

D. Thom. *D. Hieron. Prouerb. 5.* *D. Hieron. Amplectendo pœnitentia.*

11 *D. Cyrillus. Mel dicitur significare nuptias legitimas, sed ab altari repellitur, quia altaris ministris vxorem ducere fas non est.* *D. Cyrillus.*

D. Cyril. lib. 15. de Adoratione, mel ait significare nuptias: Mel (inquit) si pro figura carnalis voluptatis accipiatur, mundanam hanc (vt opinor) & à carnalibus delectationibus non alienam vitam significat. Nuptiæ enim honorabiles sunt, nec culpandus Christianus, qui illis legitimè vtitur, &c. Reijcit quidem Deus ab altari suo mel, sed tamen recipit in primitias & munera, vnde D. Cyrillus: Non est (inquit) reijciendum mel: nuptiæ namque recipiuntur, &c. At verò quemadmodum in antiquo templo, quamuis in munera, & primitias reciperetur mel, tamen ab altari, & sacrificio reijciebatur: sic in Ecclesia quamuis in laicis hominibus honorabilium nuptiarum mel recipiatur; tamen ab altari Christi, & sacrificio repellitur: Non enim fas est, sacerdotem habere vxorem. Malachiæ 1. *Ab ortu solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Munda oblatio vocatur Eucharistiæ mundissimum sacrificium. Mundissimum autem sacrificium mundissimos flagitat sacerdotes, ac omni castitate purissimos. Malach. 3. *Purgabit filios Leui, & colabit eos, quasi aurum, & quasi argentum*, &c. LXX. vertunt: Et *effundet eos.* Fudit Christus sacerdotes noui Testamenti, & colauit, quasi aurum & argentum, sacerdotes suos. Purum voluit esse aurum, purum argentum, purum sacerdotium, omni castitatis puritate fulgentissimum. D. Cyrillus lib 2. de Adorat. in hæc verba Malachiæ: Veluti nouam (inquit) recusionem, ac reformationem sacerdotij futuram dicit. Verbum enim *fundet*, & *purgabit*, quasi de auro, atque artifice dictum ad hanc intelligentiam nos adducit, &c.

Malachiæ 1. *Sacerdotes mundissimos esse oportet.* *Malach. 3.* *D. Cyrillus.*

12 *Mel significat diuinam dulcedinem.* *Origenes. Prophetæ sunt apes, eorum opera sunt fauci.* *Prouerb. 24.* *In diuinis scripturis mel reperitur.*

Significat quidem mel mundanam voluptatem, sed significat etiam diuinam dulcedinem. Nihil enim dulcius quàm dulcedo Dei. Quamobrem Origenes hom. 2. in Isaiam ait, prophetas apes esse, eorumque opera fauos esse mellis. Inueniuntur (inquit) prophetæ apes esse, faui eorum scripturæ sunt, quas reliquerunt, &c. Item illud Prouerb. 24. *Comede, fili mi, mel, quia bonum est*, de diuino melle scripturarum exponit: Si videas (inquit) apes prophetas, & opus eorum mella, vel fauos videbis, quomodo intelligas illud: *Comede mel, fili.* Si quis meditatur eloquia diuina, & nutritur sermonibus Scripturarum, complet mandatum diuinum, iubens: *Comede mel, fili.* Bonum est hoc mel, quod in scripturis inuenitur, &c. Sermones scripturarum mel appellat: sermones quoque nostros, & opera vult esse mel, vt illa comedat Dominus, de quo scribit Isaias: *Butyrum, & mel comedet.*

Opera

Origenes. Opera bona & sermones, mel sunt Christi.

Opera nostra (ait Origenes) dulcia, sermones nostri suauissimi, & vtiles, mella sunt, quæ manducat Christus: si verò sermones nostri amaritudine sunt pleni, ira, turpiloquio, vitijs, non comedit ab his sermonibus saluator. Sic ille. Sint ergo opera nostra dulcia, sint dulces sermones, & opera, vt illis oblectetur Dominus. Scripturarum quoque, & sanctorum librorum fauis mentem nostram pascamus, dulcemque reddamus Deo. Prouerb. 6. vbi nostra versio habet: *Vade piger ad formicam.* Versio LXX. interpretum sic habet: *Vade ad formicam, o piger*, vt est in Biblijs editis iussu S. Pontificis. Additur: *Aut vade ad apem, & disce, quomodo operaria est*, quæ verba refert Origenes. D. etiam Ambrol. lib. 5. hexam. cap. 21. & D. Hieron. Ezechielis 3. & Biblia citata. Eamus igitur ad apes, hoc est, ad fauos, id est, libros, quos nobis sancti viri scripsere, eorumque dulci, frequentique lectione animum pascamus.

Prouerb. 6. *Apis operaria est mellis, sic vir bonus.*

In omni oblatione tua offeres sal.

13 *Gratia sal est.*

Vt insulsus cibus repellitur: sic insulsum sacrificium ab altari olim repellebatur. Omnis oblatio sale condienda erat. Qui vult à Domino recipi, ne sit insulsus, sale gratiæ sit conditus, gratia enim admirabile, & spirituale est sal. Quemadmodum sal condit cibos: sic gratia hominem condit, saporemque Deo suauissimum illi præbet. Insulsissimus est homo hoc sale carens, à mensa Domini repellitur, etsi cibus sit, hominum iudicio, pretiosissimus. Cibus videtur pretiosissimus, rex potentissimus, totius orbis monarcha: at verò si gratiæ sale careat, à conuiuio Dei repellitur. Contra verò homo pauperrimus, si diuino gratiæ sale sit conditus, in mensam Dei recipietur. Sal carnes conseruat, ne putrescant, vnde Philo lib. de offerentibus victimas. Sal (inquit) conseruator est corporum, secundo post animam ordine. Nam sicut anima causa est incorruptionis corporum; sic sal quàm diutissimè tuetur ea, reddit que quodammodo immortalia, &c. Eundem in modum gratia conseruata, & nō amissa, conseruat animam, conseruatque etiam corpora, per totam æternitatem. Nec moritur morte spiritali anima illa, quæ gratiæ sale est condita semper. Nec moritur morte æterna corporali corpus illud, cuius anima gratiam habet: in totam viuunt æternitatem, si gratiæ sal non desit, tam anima, quàm corpus. Quamobrem sal significare potest perseuerantiam incorruptam in gratia, & virtute.

Philo. Sal corpora conseruat.

14 *D. Cyrillus. Sal significat prudentiam.* *D. Thom.*

D. Cyrillus in fine lib. 12. de Adoratione, sale prudentiam ait significari: Sale (inquit) sacrificium aspergebatur. Quæ figura significat, prudenter nos Deo dicare debere, curandumque esse nobis, vt noster ad Deum accessus illi sit quàm suauissimus, &c. D. etiam Thomas, 12. quæst. 102. art. 3. sale ait indicari discretionis sapientiam. Nam discretio, & prudentia in omnibus nostris spiritalibus sacrificijs adhibenda est. Inuisa namque sunt, si hoc sale careant, quidquid absque prudentia feceris, insulsum erit. Obseruat Philo loco indicato, altare Græcè dici θυσιαστήριον, à nomine, θυσία, quod significat *sacrificium*, & à verbo, τηρεῖν, quod significat *seruo*: Vocat (inquit) scriptura Thysiastirium, eximio nomine, παρὰ τὸ διατηρεῖν τὰς θυσίας, id est, *à conseruandis victimis*, &c. Meritò sanè appellatur altare hoc nomine, sacrificia enim conseruabat. At dices, imò comburebat, & consumebat. Respondemus, altare consumpsisse quidem sacrificia, sed illa consumptione æterna illa reddidisse, siquidem merita offerentium manserunt in sempiternum. Sic videtur consumitis, qui se mortificat, & immolat Deo: at verò immolat se thysiastirio, hoc est, in altari conseruatore sacrificiorum. Seruatur enim meritum sacrificij mortificationis, in totam æternitatem.

Philo. Altare sacrificia conseruabat. *Mortificatio.*

CAPVT VI.

De hostia pacifica, adipe, & sanguine.

LEVITICI CAP. III.

1 Quod si hostia pacificorum fuerit eius oblatio, & de bobus voluerit offerre, marem siue fœminam, immaculata offeret coram Domino. Ponetque manum super caput victimæ suæ, quæ immolabitur in introitu tabernaculi testimonij, fundentque filij Aaron sacerdotes sanguinem per altaris circuitum. Et offerent de hostia pacificorum in oblationem Domino, adipem qui operit vitalia, & quidquid pinguedinis est intrinsecus: duos renes cum adipe quo teguntur ilia, & reticulum iecoris cum renunculis. adolebuntque ea super altare in holocaustum, lignis igne supposito: in oblationem suauissimi odoris Domino. Si verò de ouibus fuerit eis oblatio, & pacificorum hostia, siue masculum obtulerit, siue fœminam, immaculata erunt. Si agnum obtulerit coram Domino, ponet manum suam super caput victimæ suæ: quæ immolabitur in vestibulo tabernaculi testimonij: fundentque filij Aaron sanguinem eius per circuitum altaris. Et offerent de pacificorum hostia sacrificium Domino: adipem & caudam totam cum renibus, & pinguedinem quæ operit ventrem, atque vniuersa vitalia, & vtrumque renunculum cum adipe qui est iuxta ilia, reticulumque iecoris cum renunculis. & adolebit ea sacerdos super altare in pabulum ignis & oblationis Domini. Si capra fuerit eius oblatio, & obtulerit eam Domino, ponet manum suam super caput eius: immolabitque eam in introitu tabernaculi testimonij. Et fundent filij Aaron sanguinem eius per altaris circuitum. Tollentque

lentque ex eà in pastũ ignis Dominici, adipem qui operit ventrem, & qui tegit vniuersa vitalia: duos renunculos cum reticulo, quod est super eos iuxta ilia, & caruinam iecoris cum renunculis: adolebitque ea super altare sacerdos in alimoniam ignis, & suauissimi odoris. Omnis adeps Domini erit iure perpetuo in generationibus, & cunctis habitaculis vestris: nec sanguinem, nec adipem omnino comedetis.

2 *Hostia pacifica offerebatur pro beneficio, vel iam impetrato, vel impetrando.*

HOstia pacifica Hebraicè dicitur, זבח שלמים *zebach selamim*, id est, *sacrificium pacificorum*. LXX. interpretes vocant θυσιαν σωτηριου, id est, *sacrificium salutaris*, vel *salutis*. Offerebatur enim pro pace, & salute data, vel impetranda. Pro beneficio iam dato offerebatur in gratiarum actionem; pro beneficio obtinendo rationem habebat postulationis. Hostia pacifica, quæ in gratiarum actionem immolabatur, Leuitici 7. appellatur זבח תודה, *zebach, todah*, id est, *sacrificium laudis*. In holocaustum solum masculum animal fas erat immolare: in hostiam pacificam, quia inferius sacrificium erat, licebat siue masculum siue fœminam mactare, vt constat ex cap. 3. Leuitici. Præterea non mactabantur aues, columbæ, vel pulli columbarum. Victima holocausti tota incendebatur Deo, nihil sacerdoti, præter pellem, nihil offerenti concedebatur: At hostiæ pacificæ victima non incendebatur tota Deo in altari, sed pars tantùm; secunda pars dabatur sacerdoti; tertia offerentibus. Quæ pars Deo offeratur, indicatur Leuit. 3. si victima erat ex bobus: *Offerent* (inquit) *de hostia pacificorum in oblationem Domino, adipem, qui operit vitalia, & quidquid pinguedinis est intrinsecus, duos renes cum adipe, quo teguntur ilia, & reticulum iecoris cum renunculis*. Postea de hostia pacifica ex ouibus eodem loco agitur, & capris, & ex illis adipem offerendum, & alia refert. Sacerdotibus ex hostia pacifica dabatur pectusculum animalis, & armus dexter, Leuit. 7. *Pectusculum erit Aaron, & filiorum eius, armus quoque dexter, de pacificorum hostijs cedet in primitias sacerdotis*. Leuit. 10. *Pectusculum, quod oblatum est, & armum, qui separatus est, edetis in loco mundissimo. Tu* (Aaron) *& filij tui, & filiæ tuæ tecum, tibi enim ac liberis tuis reposita sunt, de hostis salutaribus* (id est, pacificis) *filiorum Israel*. Offerentium reliquæ erant animalis partes. Fortè propterea non offerebantur in hoc sacrificio turtures, aut pulli columbarum; quia non poterant satis commodè diuidi in has tres partes.

Hostia pacifica. — *Leuit. 7.* — *Leuit. 7.* — *Ex hostia pacifica pars Deo dabatur, pars sacerdoti, pars offerentibus.* — *Leuit. 3.* — *Leuit. 7.* — *Leuit. 10.*

3 *Carnes hostiæ pacificæ in templo comedebantur.*

Carnes autem hostiæ pacificæ in ipso templo coram Domino comedebantur, iuxta illud Deuter. 16. *Epulaberis coram Domino tuo, tu, filius tuus, & filia tua, seruus tuus, & ancilla tua, & Leuites, qui est intra portas tuas, aduena, ac pupillus, & vidua, qui morantur vobiscum*. 1. Reg. 1. *Immolauit Elcana, deditque Phenennæ vxori suæ, & cunctis filijs eius, & filiabus partes*. Erant in templo culinæ, in quibus sacrificiorum carnes coquebantur à sacerdotibus, vt indicat Ezechiel, cap. 46. *Iste* (inquit) *est locus, vbi coquent sacerdotes pro peccato, & pro delicto, vbi coquent sacrificium*. Et inferius: *Hæc est domus culinarum, in qua coquent ministri domus Domini victimas populi*. 1. Reg. 2. *Veniebat puer sacerdotis, dum coquerentur carnes, & habebat fuscinulam tridentem in manu sua, & mittebat eam in lebetem, vel in caldariam, aut in ollam, siue in cacabum, & omne, quod leuabat fuscinula, tollebat sacerdos sibi*. In templo siue tabernaculo improbus hic puer hæc improbè faciebat: in templo ergo carnes coquebantur, post oblatum Deo adipem, vt epularentur offerentes sacrificium. Ante oblatum adipem, crudæ erant sacrificij carnes. Vide intelliges verba illa eiusdem capitis: *Etiam antequam adolerent adipem, veniebat puer sacerdotis, & dicebat immolanti, da mihi carnem, vt coquam sacerdoti, non enim accipiam à te carnem coctam, sed crudam*, &c. De hostia pacifica agitur etiam Leuit. 7. *Hæc* (inquit) *est lex hostiæ pacificorum: si pro gratiarum actione oblatio fuerit, offerent panes absque fermento conspersos oleo, & laganа azyma vncta oleo, coctamque similam, & collyridas olei admixtione conspersas, panes quoque fermentatos*. Eodem capite præcipitur, vt hostiæ pacificæ carnes eadem die comedantur, qua fuerit oblata pro gratiarum actione, nihil verò in sequentem diem supersit. Si autem pro aliquo beneficio à Deo impetrando, hostia pacifica offerebatur, vel sponte, vel ex voto facto; eadem etiam die carnes erant comedendæ: si in sequentem diem aliquid remaneret, fas erat sequenti die comedi, quidquid verò in tertium diem ex hostiæ carnibus supererat, igne absumebatur. Oportebat autem mundos esse comedentes, vt ostendunt hæc verba, Leuit. 7. *Anima polluta, quæ ederit de carnibus hostiæ pacificorum, quæ oblata est Domino, peribit de populis suis*.

In templo coquebantur carnes hostiæ pacificæ. — *Ezech. 46.* — *1. Reg. 2.* — *Ibidem.* — *Leuit. 7.* — *Oportebat mundos esse, qui hostia vescebantur pacifica.* — *Leuit. 7.*

Nec sanguinem, nec adipem omnino comedetis.

4 Iussit Dominus adipem hostiæ pacificæ sibi offerri, hoc loco omnem adipem suo iure sibi vendicat: *Omnis* (inquit) *adeps Domini erit, iure perpetuo*. Quæritur, *an Deus vendicet sibi adipem omnium animalium, ita vt Israelitis fas non esset vllo adipe vesci?* Respondet Caietanus, non fuisse fas edere adipem animalium, quæ immolari possunt, vt boum, ouium, caprarum, columbarum, & turturum; aliorum autem animalium, quæ immolabilia non erant, vt bubalorum, anserum, gallinarum adipem licitum fuisse in cibum sumere; animalium verò immolabilium adeps ab animalibus, quæ non immolabantur, tollebatur, & sacerdotibus in altari incendendus afferebatur. Probatur opinio, quia Leuit. 3. dicitur; *Omnis adeps Domini erit iure perpetuo*. Adeps autem animalium non immolabilium non erat Domini, hoc est, non poterat Domino in altari incendi. Ergo erat Israelitarum. Præterea Leuit. 7. hoc præceptum extat; *Loquere filijs Israel, adipem ouis, & bouis, & capræ non comedetis, Adipem cadauëris morticini, & eius animalis, quod à bestia captum est, habebitis in variòs vsus. Si quis adipem, qui offerri debet in incensum Domini, comederit, peribit de populo suo*. Prohibet Dominus comedi adipem animalium immolabilium, ouis, bouis, & capræ; ait verò periturum de populo suo illum, qui adipem comederit, qui offerri debet in incensum Domini; at soli adipes animalium immolabilium Deo poterant offerri, Leuit. 17. *Si venatione*, (inquit) *atque aucupio ceperit feram, vel auem, quibus vesci licitum est, fundat sanguinem eius*, &c. Iubet fundi sanguinem, non iubet tolli adipem. Itaque Lyranus hæc verba; *Omnis adeps Domini erit iure perpetuo*, sic exponit; Omnis adeps incenderur ad honorem Domini. Hoc tamen intelligendum est de sacrificiis. Sic ille. Et

An liceret Israelitis vesci adipe aliquorum animalium. — *Leuit. 3.* — *Leuit. 7.* — *Leuit. 1.* — *Lyranus.*

Abulensis. Et Abulensis: Lex (inquit) in qua dicitur: *Omnis adeps Domini erit iure perpetuo*. de adipibus immolatorum animalium dumtaxat intelligitur, &c. Addit: Præter adipes immolatorum animalium sunt alij, quibus vesci non licet, scilicet adipes bouis, & ouis, & capræ, etiam si non offerantur, hoc tamen non vetatur hac lege, sed ea, quæ habetur Leuit. 7. cùm dicitur: *Adipem ouis, bouis, & capræ non comedetis*, &c.

Leuit. 7.

5 Adeps quidem non omnino videtur prohibitus, sanguinem verò nullo modo in esum vsurpari licebat, Leuit. 7. *Sanguinem omnis animalis non sumetis in cibo, tam de auibus, quàm de pecoribus, omnis anima, quæ ederit sanguinem, peribit de populis suis*. reddit Dominus rationem huius præcepti, Leuit. 17. *Homo* (inquit) *quilibet de domo Israel, & de aduenis, qui peregrinantur inter eos, si comederit sanguinem, obfirmabo faciem meam contra animam illius, & disperdam eam de populo suo. Quia anima carnis in sanguine est, & ego dedi illum vobis, vt super altare in eo expietis pro animabus vestris, & sanguis pro animæ piaculo sit*. Duplex redditur ratio. Prior est, quia anima carnis, siue animalium, in sanguine est, hoc est, quia vita animalium in sanguine consistit, sanguine enim alitur; tolle sanguinem, animal statim moritur. Qui ergo sanguinem animalis edit, vitam ipsam animalis videtur edere, vel potiùs ipsum animal viuum. Posterior ratio est, quia Deus dedit Israëlitis sanguinem sacrificiorum, ad expiationem animarum; ideò vt suprà vidimus, per circuitum altaris fundebatur. At Hebræos 9. *Omnia penè* (inquit Paulus) *in sanguine secundùm legem mundantur, & sine sanguinis effusione non fit remissio*. Oportebat quidem sanguinem animalium fundi, vt fieret remissio, non tamen per effusionem hanc remissio fiebat peccatorum, sed per effusionem sanguinis Christi, quæ præfigurabatur. Nam, vt ait idem Apostolus ad Hebr. 10. *Impossibile est, sanguine taurorum, & hircorum, auferri peccata*. Per Christi ergo venturi sanguinem, quem sanguis sacrificiorum adumbrabat, contritis Israëlitis peccata remittebantur.

Leuit. 7. — *Leuit. 17. Sanguine vesci non licebat Israelitis.* — *Ad Hebr. 9.* — *Ad Hebr. 10.*

CAPVT VII.
MORALE.
De hostia pacifica, adipe, & sanguine.

1 PAcifica victima, vel pro impetrando beneficio offerebatur, eratque beneficij quædam à Deo postulatio: vel immolabatur pro beneficio iam impetrato, & laudis, siue gratiarum actionis erat sacrificium. Egregiè sanè fit postulatio beneficij à Domino, cùm postulationem ipsam aliqua comitatur oblatio. Nam, vt legitur Prouerb. 18. *Donum hominis dilatat viam eius, & ante principes spatium ei facit*. Sic oblationes, pœnitentia, & opera bona, dilatant viam qua postulatio ad Deum intret, & spatium latum ei faciunt. Psal. 118. petit Dauid: *Intret postulatio mea in conspectu tuo*. Vt autem postulatio intret, dilitant viam opera misericordiæ, & pœnitentiæ, veluti hostiæ pacificæ oblatæ Deo, iuxta illud Pauli ad Hebr. 13. *Beneficentiæ, & communionis nolite obliuisci, talibus enim hostijs promeretur Deus*. Beneficium, & eleemosynam hostias vocat, quibus Deum promeremur. Ergo cùm aliquid ab eo postulamus, has illi hostias offeramus, quibus eum promereamur, & id consequamur diuina largitate, & misericordia, quod postulamus.

Prouerb. 18. Opera bona dilatant viam postulationis. — *Psalm. 118.* — *Ad Hebr. 13.*

2 *Gratiæ agendæ post adeptum beneficium.*

Postquam verò beneficium quod petimus adipiscimur, gratiæ Domino agendæ sunt; oblatis etiam hostiis eleëmosynæ, ac laudis, Oseæ 14. *Reddemus vitulos labiorum nostrorum*, hoc est, adepto beneficio reddemus vitulos, quos labiis nostris promisimus, vel, *Reddemus vitulos labiorum*. id est, laudes, & gratiarum actiones. D. Hieron. Vitul (inquit) labiorum, laudes in Deum sunt, & gratiarum actio, &c. Ad Hebræos 13. *Per ipsum*, scilicet Christum, (ait Apostolus) *offeramus hostiam laudis semper Deo*, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius, &c. LXX. interpretes pro; *reddemus vitulos labiorum nostrorum*. vertunt, *reddemus fructum laborum nostrorum*, &c. Egregius sanè fructus est labiorum, & oris nostri, laus Dei. Iam non immolantur Deo vituli, immolemus igitur laudes, & gratiarum actiones, eleëmosynas, & alia opera bona. Psal. 68. ostendit vates, quàm sit Deo gratum hoc labiorum sacrificium, vitulisque illud anteponit: *Laudabo* (inquit) *nomen Dei cum cantico, & magnificabo eum in laude, & placebit Deo super vitulum nouellum cornua producentem, & vngulas*. Psal. 65. post adeptum beneficium sacrificia offeruntur: *Transiuimus* (inquit) *per ignem, & aquam, & eduxisti nos in refrigerium*. Magnum fuit beneficium ex igne, & aqua liberatio: sequitur gratiarum actio, oblatis sacrificiis: *Introibo in domum tuam in holocaustis*, id est, cum holocaustis, *reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt labia mea, & locutum est os meum in tribulatione mea, holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum; offeram tibi boues cum hircis*. Anna sterilis postulauit à Deo filium, preces eius exaudiuit Dominus; quamobrem in gratiarum actionem filium appellauit Samuel, 1. Reg. 1. *Concepit Anna, & peperit filium, vocauit nomen eius Samuel, eò quòd à Domino postulasset eum*. Posteaquam est ablactatus, vt eodem capite scriptum est: *Adduxit eum secum in vitulis tribus, & tribus modijs farinæ, & amphora vini*. Non enim solùm verbis, sed etiam oblatione gratias Anna egit: denique non solum vitulos obtulit, farinam, & vinum, sed eundem etiam filium, quem postulauerat & obtinuerat: *Dedit mihi Dominus* (ait Anna) *petitionem meam, quam postulaui eum, idcirco ego commodaui eum* (id est, Samuelem) *Domino cunctis diebus, quibus fuerit commodatus Domino*. Eximia hostia pacifica fuit illa, quam in cruce obtulit Christus, videlicet se ipsum agnum immaculatum, vt pacem & salutem mundo impetraret à Deo: impetrauit quod voluit, & gratias egit immortales. Ad Coloss. 1. *Pacificans* (ait Apostolus) *per sanguinem crucis eius, siue quæ in terra, siue quæ in cœlis sunt*. Et ad Ephes. 2. *Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum*. Vides, Christum hostiam fuisse pacificam in cruce.

Gratiæ agendæ post adeptum beneficium. — *Osee 14.* — *D. Hieron.* — *Ad Hebr. 13.* — *Psalm. 68.* — *Psalm. 65.* — *1. Reg. 1.* — *Christus hostia fuit pacifica.* — *Ad Coloss. 1.* — *Ad Ephes. 2.*

3 *Pectus & armus hostiæ pacificæ dabatur sacerdoti.*

Ex hostia pacifica duæ partes sacerdotis erant, videlicet pectusculum, & armus dexter. D. Cyril. lib. 16. de adorat. armo fortitudinem, pectusculo, sensus animi, ac mentis, id est, sapientiam, & prudentiam significari docet. Et D. Thom. 12. quæst. 102. art. 3. Significabatur (inquit) per pectus, quòd sacerdoti erat necessaria sapientia cordis, ad instruendum populum, fortitudo ad sustentandum defectus significatur per armum sinistrum, &c. Indicãt igitur hæ duæ partes, sacerdoti necessarium esse armum, id est,

Pectus & armus hostiæ pacificæ dabatur sacerdoti. — *D. Thomas.*

Sacerdoti necessaria est sapientia, & fortitudo.

id est, fortitudinem, & pectusculum, hoc est, sapientiam pectoris humilem. Etenim sacerdos fortitudine carens, si videt lupum venientem, vt ait Dominus Ioan. 10. *Dimittit oues, & fugit, & lupus rapit, & dispergit oues*: si verò sapientiam humilem non habet, cæcusque est, & superbus, cæcos ducet in foueam, iuxta illud Domini dictum Matth. 15. de Pharisæis: *Cæci sunt, & duces cæcorum, cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foueam cadunt.* Excepit Samuel conuiuio Saülem, Regem creandum, 1. Reg. 9. *Leuauit autem coquus armum, & posuit ante Saül. Dixitq; Samuel: Ecce quod remansit, pone ante te, & comede, quia de industria seruatum est tibi.* De industria seruatus est Regi futuro armus, quia reges, & prælatos humeros habere oportet robustos ad portanda onera. Id quoque indicabant excelsi humeri ipsius Saülis, quem Deus elegit. Vt enim dicitur 1. Reg. 10. *Stetit in medio populi, & altior fuit vniuerso populo ab humero, & sursum.* Talem oportet esse sacerdotem, nimirum vniuerso populo altiorem ab humero, & sursum; humeros oportet habere angelicos, quibus animas Dei sanguine emptas in cœlum portet.

Ioan. 10. *Matth. 15.* *1. Reg. 9.* *Regi armus necessarius.* *1. Reg. 10.* *Sacerdotis humeri sint angelici.*

4 At verò onus non curant aliqui, sed honorem, ideo quantum humerorum sit robur, non considerant, sed inconsideratè onus illis imponunt angelicis humeris formidandum, vt ait D. Bern. serm. 2. de Ascensione: O peruersitas (inquit) filiorum Adam, quia cùm ascendere difficillimum sit, descendere autem facillimum, ipsi, & leuiter ascendunt, & difficiliùs descendunt, parati ad honores, & ecclesitudines graduum Ecclesiasticorum, ipsis etiam angelicis humeris formidandos. Sic Bernardus. Currus Israël vocatur Elias, 4. Reg. 2. Currus Ecclesiæ suæ est prælatus, quia in cœlum illam portare debet. Graue onus est, videat currus, an possit cum onere currere. Certè magnus ille Ambrosius cum onere ita currebat, vt postquam currere desiit, quinque Episcopi id facerent, quod ille faciebat solus, vt in vita eius legitur. O vtinam multos haberemus Ambrosios, qui se totos animarum saluti fortiter impenderent, neque aliis rebus vacarent! O fortissimum Episcopum! cum ipso Imperatore congredi ausus est. Cùm Ecclesiam ingredi vellet Theodosius Imperator, fortitudine magna illũ prohibuit, propter cædes Thessalonicæ editas. Admonuit verò Imperatorem, vt non in vestem Imperatoriam maculas cõiiceret; sed in vilem corporis puluerem, quem illa tegebat. Libet eius verba describere, ostendunt enim non esse vestium nitorem, aut diuitiarum, & imperij considerandum splendorem, sed latentem sub iis puluerem, iuxta illud: *Memento homo, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Theodoretus lib. 5. Ecclesi. histor. cap. 17. Imperatori (inquit) aduentanti Mediolanum, & in sacrum templum ingredi cupienti, extra sacra vestibula obuiam procedit Ambrosius, vetatque in templum intrare, & his ferè verbis illum affatur: Est verisimile, Imperator, te ignorare cædis à te perpetratæ magnitudinem, neque post sedatam iracundiam peruidere ratione admissum facinus. Nam Imperatorius fortassè principatus peccatum agnoscere non sinit, sed potestas offundit rationi caliginem. Verùm, quæ sit natura nostra, & quàm fragilis, ac fluxa, considerandum est, & in puluerem, ex quo orti sumus, & in quem sumus recasuri, acies mentis est intendenda, neque ipse splendore purpuræ

Onus est prælatio. *Ambrosii labor.* *Ambrosii fortitudo restitit Imperatori.* *Theodoret.*

A deceptus, corporis purpura operti imbecillitatem ignorare debes. Sic Ambrosius. Paruit Imperator bonus Episcopo, & discessit. Postea verò cùm persuasusà Ruffino in Ecclesiam veniret, existimans Ambrosium facultatem daturum ingrediendi, fortis Pontifex Ambrosius, fortissima hæc protulit verba: Ego (inquit) Ruffine prædico, me Imperatorem ab introitu sacri vestibuli prohibiturum. Quòd si imperium in tyrannidem mutauerit, cædem lubens equidem excipiam, &c. At longè distabat à tyrannide Imperator, certauit Ambrosius non cum tyranno, sed cum bono Imperatore. Qui tandem adepta facultate Ecclesiam ingressus pronus in pauimentum se abiecit, manibus euellens capillos, lacrymasque fundens. Vide, quàm celsum armũ, quàm celsam fortitudinem dederit Deus sacerdoti, Ierem. cap. 1. *Dedi* (inquit) *te in ciuitatem munitam, & in columnam ferream, & in murum æreum super omnem terram, regibus Iuda, Principibus eius.*

D. Ambrosii fortitudo. *Ierem. 1.*

5 Armus coctus dabatur sacerdotibus, in sacrificio Nazaræorum, Numer. 6. Vult D. Cyrillus similem esse sacerdotis fortitudinem, & seueritatem, videlicet coctam, & clementem; non crudam, & quodammodo crudelem. Lib. 16. de adorat. Coctum (inquit) armum assumi iussit, in quo, veluti crudam illam sæuitatem, & extra conuenientem rationem egressam, à sanctorum fortitudine reiicit. Neque enim acerbos, ac rigidos decet esse eos, qui Deo dicati sunt, neque austeriorem animum habere, sed leui quodam, molliq́ue modo, & summa solertia ea perficere, quæ ad virtutem pertinent. Sic ille.

D. Cyrillus Sacerdos seueritatem coniungat cũ benignitate.

6 Dicitur armus, siue humerus sacerdotis dexter, quia in dexteram, non sinistram, operari debet, iuxta illud Domini, Ioan. 21. *Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis.* Mittendum est rete in dexteram, non in sinistram: sanctam, ac puram intentionem spiritalis piscator habeat, si pisces concludere vult sagena sua. Sequitur enim Ioan. 21. *Miserunt, & iam non valebant illud*, id est, rete, *trahere præ multitudine piscium. Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua*, ait Dominus. Non operetur sinistra intentione sacerdos, sed dextra, adeóque disterà sinistra, vt sinistra manus penitus ignoret, quid faciat dextera. Omnem in operibus sinistram intentionem nesciat. Quisquis autem puram vult intentionem, & armum, siue humerum dextrum, fortémque habere, charitatem habeat, charitas enim, vt Bernard. ait serm. 1. in octaua Paschal. castificat animum, & purificat intentionem. Præterea Cant. 8. *Fortis ex vt mors dilectio.* Psal. 67. *Pennæ columbæ deargentatæ* dicuntur, *& posteriora eius in pallore auri.* Posteriora columbæ sunt eius, vt dicam, armi. Nostræ colũbæ, id est, animæ posteriora, quibus onera fert, charitatis auro oportet radiare. Dicitur idem armus, Leuit. 7. *armus separationis.* Separata enim esse oportet sacerdotis opera ab operibus subditorum, sicut separata sunt opera pastorum ab operibus ouium, vt alibi diximus. Itaque armo fortitudo indicatur sacerdotis.

Ioan. 21. *Recta intentio.* *Ibidem.* *D. Bernard. Charitas purificat intentionem & fortis est.* *Cant. 8.* *Psal. 67* *Leuit. 7.*

Pectusculo autem indicatur sapientia humilis, pectus arrogans maximè dedecet sacerdotem, ideo humile pectusculum illi datur. Pectus humile sapientia rerum diuinarum plenum sacerdotem decet. Quale Hieronymi pectus erat, qui epist. 32. ad Abigaum, sic ait: Nihil ita à pueritia conatus sum vitare, quàm tumentem animum, & ceruicem erectam, &c.

7 *Pectusculum humile sapientia plenum sacerdotem decet.*

Idem

D. Hieron.

Idem D. Hieronym. Ezech. 16. Sacerdotes (inquit) in quibus debet esse doctrina, & legem requirunt, ex ore eorum accipiunt pectusculum. Ioannes super pectus recumbit Domini, vt de fonte vberrimo hauriret fluenta sapientiæ, &c. Idem Hieron. epist. 3. de Nepotiano: Lectione (inquit) assidua, & meditatione diuturna, pectus suum bibliothecam fecerat Christi, &c. Sic bonus sacerdos pectusculum suum bibliothecam facit Christi, discendoque, & assiduè legendo sapientiam comparat.

Christi bibliotheca.

8 Appellatur pectusculum, quod datur sacerdoti, *pectusculum eleuationis*, Leuit. 7. *Pectusculum eleuationis & armum separationis tuli à filijs Israël de hostijs eorum pacificis, & dedi Aaron, & filijs eius.* Eleuationis dicitur pectusculum, quia Domino eleuatum offerebatur; armus dicitur separationis, quia à reliqua carne separabatur, & sacerdoti dabatur. Separatum oportet esse armum, siue humerum sacerdotis, ab hominibus seculi, ita vt non terrenis negotiis, & oneribus, sed cælestibus portandis se subiiciat, iuxta illud 2. Timoth. 2. *Labora sicut bonus miles Christi Iesu: Nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus, vt ei placeat, cui se probauit.* Pectus autem oportet esse pectusculum eleuationis, id est, pectus humile, & eleuatum in res cælestes. Hac de re D. Gregor. lib. 1. epist. 24. sic scribit: Diuina lege sacerdos armum & dextrum accepit, & separatum, vt separatio eius non solùm sit vtilis, sed etiam sit singularis; neque inter malos tantummodo, quæ recta sunt, faciat, sed bene quoque operantes subditos, sicut honore ordinis superat, ita etiam morum virtute transcendat, &c. Item: Pectusculum cum armo sacerdoti tribuitur, vt quod de sacrificio præcipitur sumere, hoc est de semetipso discat conditori suo immolare, & non solùm pectore, quæ recta sunt, cogiter, sed spectatores suos ad sublimia armo operis inuitet. Sic Gregor.

Pectus eleuationis est sacerdotis. *Armus separationis erat sacerdotis.* *2. Timoth. 2.* *D. Gregor.*

9 Præterea sacerdoti pectusculum dabatur, & armus dexter, quoniam sacerdotibus in nouo testamento humile pectusculum aperire debemus, peccata etiam secretissima per confessionem humiliter aperientes. Est etiam armus, siue humerus offerendus, vt onus ferat pœnitentiæ, quod imposuerint. Dent igitur Christiani sacerdotibus pectusculum, id est, pectus humile illis aperiant. Nam humile oportet esse pectus, quod peccata confitetur; sacrificium enim Deo, vt est in Psalm. 50. *Spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non despeciet.* Dent quoque humerum, & impositam peccatorum satisfactionem libenter tolerent, sibi maximè vtilem.

Pœnitentiam agens pectusculum, & armum offert sacerdoti. *Psalm. 50.*

10 Omnis adeps victimarum Deo offerebatur. Adeps animæ, & pinguedo, est deuotio, hæc offerenda est Deo, iuxta illud Psal. 65. *Holocausta medullata offeram tibi*, &c. Sacrificia amat Deus, medulla, atque adipe deuotionis plena; hilarem enim datorem, & deuotum diligit. Felix anima, quæ adipe hoc, & hac pinguedine impletur, semperque cum propheta eam postulat, dicens Psal. 62. *Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea, & labijs exultationis laudabit os meum.* Robusta est anima hoc adipe, & pinguedine plena, armum habet dextrum ad ferenda onera omnia, pro Christo imposita; exultationis habet labia, hoc est, exultantia, quibus Deum laudat alacriter. Carnem ipsam habet, & corpus exultans, non in vanitates mundi, sed in Deum, vnde illud Psalm. 83. *Caro mea, & cor meum exultauerunt in Deum viuum.* Væ animæ, quæ deuotionis caret adipe, macilenta enim est, vix ossibus hæret, Nazaræis illis similis, de quibus Ieremias Thren. 4. sic scribit: *Non sunt cogniti in plateis, adhæsit cutis eorum ossibus*, &c. Similis est illis principibus Sion, de quibus ait, Thren. 1. *Facti sunt principes eius, velut arietes, non inuenientes pascua, abierunt absque fortitudine ante faciem subsequentis.* Arietes non inuenientes pascua, macilenti sunt, & adipe carent; sic Christiani considerationis pascua non curantes, carent animæ pinguedine, id est; deuotione; carent quoque fortitudine, abeuntque, velut arietes macilenti, quò dæmones, & tentationes ducunt. Quemadmodum alimenta corporis homini adipem afferunt corporeum; sic alimenta animi adipem afferunt spiritalem. D. Cyrillus lib. 16. de adorat. Adeps (inquit) mentis pinguedinem, & visceruum, quæ per sancti Spiritus subministrationem optimè pasta sunt, indicat. Nam vt alimentorum copia in animantibus pinguedinem efficit: sic diuinorum munerum largissima participatio sanctorum hominum mentes omnibus bonis complet, &c. Dauidem confert Ecclesiasticus cum adipe, cap. 47. *Quasi adeps separatus à carne, sic Dauid à filiis Israël.* Congruit similitudo viris deuotis, à carnis cupiditatibus separatis. Adeps enim deuotionis à carne separatus est, quia non potest adeps hic cum carnis lenociniis copulari. Deuotus homo à carnalibus desideriis cor separat, vt Dei suauitatem possit degustare, & cum psalmographo canit Psal. 76. *Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, & delectatus sum.* Renuit anima viri deuoti consolari in terrenis, caducisque rebus, has obliuiscitur, Dei sui memoria, mundi oblitus, delectatur. Habet deuotus vir voluptates suas, quas, quia experitur, mundi voluptates fastidit. Gregor. Cant. 1. Fastidit (inquit) sancta mens omnia, quæ per corpus sentit, & in illa spiritalia tota transmutari concupiscit, &c.

Deus deuotionis medulla, & adipe plena sacrificia amat. *Psalm. 65.* *Psalm. 62.* *Psalm. 83.* *Macilenta anima sit, quæ caret deuotione.* *Thren. 4.* *Thren. 1.* *D. Cyrillus.* *Eccli. 47.* *Deuotus vir est adeps separatus à carne.* *Psalm. 76.* *Deuotus vir res terrenas fastidit.* *D. Gregor.*

11 Denique prohibuit Deus Iudæos sanguinem edere: victimarum sanguinem ad altare fundi iussit. Significabatur Christi venturi sanguis sanguine animalium. Deo offerebatur sanguis, quoniam Deo oblatus est Christi sanguis. Sanguine victimarum expiabantur peccata, quia sanguis Christi omnia mundi peccata expiauit; eiusque vi, quàm repræsentabat sanguis victimarum, peccata Israëlitarum, contritionem habentium, expiabantur, ad Hebr. 9: *Omnia in sanguine secundùm legem mundantur, & sine sanguinis effusione non fit remissio.* Non fiebat remissio sine sanguinis effusione, quia nulla facta est in mundo remissio sine effusione sanguinis Christi. Leuit. 17. *Anima carnis* (ait Dominus) *in sanguine est, & ego dedi illum vobis, vt super altare in eo expietis pro animabus vestris, & sanguis pro animæ piaculo sit.* Vt anima, id est, vita carnis, id est, corporis, in sanguine consistit, ablato enim sanguine corpus moritur; sic vita animi nostri in sanguine posita est, in sanguine, inquam, Christi. Qui vitam gratiæ viuit, per meritum sanguinis Christi viuit: corpus quoque quod in resurrectione resurget, & viuet, per sanguinem Christi resurget, & viuet. Itaque anima & vita hominis in sanguine Christi sanctissimo est.

Sanguine sacrificiorum adumbratur Christi sanguis. *Ad Hebr. 9.* *Leuit. 17.* *Vita animæ nostræ in sanguine Christi posita est.*

De sanguine victimarum ait Dominus: *Ego* 12

dedi vobis illum, vt super altare in eo expietis pro animalibus vestris, & sanguis pro animæ piaculo sit. Repræsentabat sanguis ille, Christi sanguinem, hic verè datus est nobis, vt in eo expiemus pro animabus nostris, & sanguis Dei pro animæ nostræ piaculo, & expiatione sit: *Vt super altare* (inquit) *in eo expietis,* &c. Sacrificium indicatur super altare crucis, & super altare Ecclesiæ, in quo super altare expiamus pro animabus nostris, cùm corpus, & sanguis Christi Deo offertur. Nihil pretiosius Christi sanguine, illius enim pretio totus mundus redemptus est. Quid pretiosius quàm totius mundi pretium? ait verò S. Thomas in hymno Ecclesiastico, alloquens Christum: Me immundum munda tuo sanguine; cuius vna stilla saluum facere totum mundum posset omni scelere, &c. Tanti pretii fuit sanguis Christi, vt vna eius gutta, siue stilla saluum facere potuerit totum mundum. Sufficienter quidem id effecit, efficaciter autem id efficit in eis, qui in Christum credunt, eumque amant, & mandata eius custodiunt.

Sanguine Christi expiantur peccatus.

Infiniti pretii est sanguis Christi.

D. Thomas.

13 Psal. 50. Dauid Psal. 50. petit aspergi hyssopo sanguinis Christi.

Psal. 50. *Asperges me* (inquit) *Domine hyssopo, & mundabor, lauabis me, & super niuem dealbabor.* De sanguine Christi loquitur; hyssopo sanguinis Christi mundari petit Propheta, & lauari, & super niuem dealbari. Non enim sanguis brutorum animalium aspersus hyssopo hoc poterat efficere, sed Christi sanguis. Mundat autem Christi sanguis omnes, quos aspergit, lauat, & super niuem dealbat, donat enim gratiam, quæ animam super niuem candidam facit, & decoram. Hic sanguis in conspectu semper est Dei, vt propter eum peccata remittat. Antequam re ipsa in cruce effunderetur, ab initio mundi vsque ad crucem sacrificiorum sanguine voluit sanguinem hunc significari; postea in cruce voluit re ipsa effundi. Sacrificia animalium brutorum, post crucem Domini abolita sunt; nulla iam est effusio sanguinis animalium, post Christi crucem, quoniam iam effusus est Christi sanguis in cruce. Quotidie quoque in altari effunditur, quotidie enim in altari Christus immolatur incruentè, effusioque sanguinis in cruce repræsentatur. Genes. 4. ait Dominus ad Cain: *Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra.* Vocem habuit sanguis Abel, sed multo maiorem vocem habet sanguis Christi multoque suauiorem. Sanguis Abelis vindictam postulans clamabat; at sanguis Christi, clamat postulans misericordiam; vnde Apostolus ad Hebr. 12. *accessistis* (inquit) *ad sanguinis aspersionem, melius loquentem quàm Abel,* &c. Loquebatur Abel, quia sanguis eius vindictam de fratre petebat: at multo melius loquitur sanguis Christi, quia misericordiam etiam inimicis postulat. D. Cyrill. lib. 15. de adorat. Abel (inquit) sanguis clamauit ad Dominum, damnans fratrem homicidam; & ille pretiosus Christi sanguis ad Deum pro nobis meliora loquitur. Effusus enim est, vt pretium esset pro vita omnium, &c.

Genes. 4.

Semper in altari Christi sanguis pro nobis clamat melius quàm Abel.

Ad Hebr. 12.

D. Cyrillus.

14 Christus fontes sanguinis sui in Ecclesia reliquit.

Denique huius sanguinis fontes in Ecclesia aperuit Christus, nobisque reliquit, vt ad eos accedamus, nostraque delicta abluamus, gratiamque consequamur. Etenim sacramenta, fontes sunt sanguinis Christi. Accedamus sæpissimè ad fontem pœnitentiæ, & fontem Eucharistiæ; alacriter, & cum gaudio hauriamus cælestes aquas, quæ animas abluunt, & tartareos ignes extinguunt, Isaias cap. 12. *Hauritis* (inquit) *aquas in gaudio de fontibus saluatoris.* ô beatos fontes sanguinis Christi! Fontes sunt saluatoris, fontes redemptoris, fontes salutis, fontes redemptionis, fontes gratiæ, fontes gloriæ sempiternæ. Hircorum, taurorumque sanguis legis veteris euanuit: Christi sanguinis fontes permanent. *Hic* (ait Dominus Matth. 26.) *est sanguis meus noui testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Testamenti typicus sanguis transiit, noui testamenti sanguis permanet. Sanguis typicus veteris testamenti emundabat carnem, hoc est, legales quasdam immunditias; sanguis Christi verus, emundat conscientiam, corda, mentem, ad Hebr. 9. *Si sanguis hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat, ad emundationem carnis; quanto magis sanguis Christi emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti?* Potentissimus est Christi sanguis, ad ipsam penetrat conscientiam, & ad ipsam mentem: abluit animam, eamque super niuem dealbat, vt ait vates Psalmo 50. *Asperges me hyssopo, & super niuem dealbabor.*

Isaiæ 12.

Matth. 26.

Ad Hebr. 9.

Psalm. 50.

15 Propitiatorium nostrum Christus est, per sanguinem, vt Paulus docet ad Rom. 3. *Christum proposuit propitiationem per fidem, in sanguine ipsius.* Græcè dicitur, ἱλαστήριον, id est, *propitiatorium.* Est enim Christus mundi propitiatorium, per sanguinem suum, propter quem mundo Deus fit propitius. Sanguine suo acquisiuit, & emit Deus Ecclesiam; hoc est pretium superans omne pretium, quo pretiosissima gemma empta est. Act. 20. ait Paulus: *Ecclesiam acquisiuit Deus sanguine suo.* Quamobrem Petrus epist. 1. cap. 2. Ecclesiam vocat *populum acquisitionis,* id est, acquisitum sanguine Christi. & cap. 1. *Scientes* (inquit) *quòd non auro, vel argento redempti estis sed pretioso sanguine, quasi agni immaculati Christi,* Denique, vt ait Ioann. Apoc. 1. *Dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo.* Balneum nobis fecit sanguinis, succensum amoris igne; dilexit, & lauit: nos lauemur, & diligamus.

Ad Rom. 3.

Christus Ecclesiæ est propitiatorium per sanguinem. Sanguine Deus Ecclesiam acquisiuit.

Actor. 20.

1. Petr. 2.

Apoc. 1.

16 D. August. sanguine existimat significari peccatum, quia per sanguinem fit, & carnem. D. Gregor. Psalmo 50. desideria carnalia Haymo similiter illud Psalmi: *Libera me de sanguinibus,* sic exponit: Libera me à peccatis, quæ veniunt per suggestionem sanguinis. & Cassiodorus: Liberari se Propheta petit de carnalibus desideriis, &c. Prohibetur ergo esus sanguinis, id est, prohibentur desideria carnalia, & peccata, Effundendus est hic corruptus sanguis, quidquid edimus, absque hoc sanguine edendum est, hoc est, quidquid facimus, absque peccato faciendum est. 1. Reg. 14. *Populus versus ad prædam tulit oues, & boues, & vitulos, & mactauerunt in terra, comeditque populus cum sanguine. Nuntiauerunt Saul. Qui ait, præuaricati estis. Voluite ad me iam nunc saxum grande.* In illo verò grandi saxo iussit iugulari animalia, sanguinemque totum fundi, priusquam comederentur. Cauendum est, ne cum sanguine, id est, peccato comedamus. Effundamus totum peccati sanguinem in saxo, siue petra grandi, id est, in Christo: opera nostra omnia ad illum adducentes, illique absque sanguine hoc offerentes. Psalmo 136. *Beatus, qui timebit, & allidet paruulos tuos ad petram.* Fælix sanè ille est, qui desideria sua carnalia, etiam parua, ad petram grandem Christum allidit, totumque peccati sanguinem fundit.

Haymo. Psalm. 50.

Cassiodorus.

Sanguis prohibetur, id est, peccata, & desideria carnalia.

1. Reg. 14.

Psalm. 136.

CAPVT

CAPVT VIII.

De sacrificio pro peccato, & delicto.

LEVITICI CAP. IV.

1 Locutúsque est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere filiis Israël: Anima, quæ peccauerit per ignorantiam, & de vniuersis mandatis Domini, quæ præcepit, vt non fierent, quippiam fecerit: si sacerdos, qui vnctus est, peccauerit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino: & adducet illum ad ostium tabernaculi testimonij coram Domino, ponétque manum super caput eius, & immolabit eum Domino. Hauriet quoque de sanguine vituli, inferens illum in tabernaculum testimonij. Cúmque intinxerit digitum in sanguine, asperget eos septies coram Domino contra velum Sanctuarij. Ponétque de eodem sanguine super cornua altaris thymiamatis gratissimi Domino, quod est in tabernaculo testimonij, omnem autem reliquum sanguinem fundet in basim altaris holocausti in introitu tabernaculi Et adipem vituli auferet pro peccato, tam eum qui vitalia operit, quàm omnia quę intrinsecus sunt: duos renunculos, & reticulum quod est super eos iuxta ilia, & adipem iecoris cum renunculis, sicut aufertur de vitulo hostiæ pacificorum: & adolebit ea super altare holocausti. Pellem verò & omnes carnes, cum capite & pedibus & intestinis & fimo, & reliquo corpore, efferet extra castra in locum mundum, vbi cineres effundi solent: incendétque ea super lignorum struem quæ in loco effusorum cinerum cremabuntur. Quòd si omnis turba Israël ignorauerit, & per imperitiam fecerit quod contra mandatum Domini est, & posteà intellexerit peccatum suum, offeret pro peccato suo vitulum, adducétque eum ad ostium tabernaculi. Et ponent seniores populi manus super caput eius coram Domino. Immolatóque vitulo in conspectu Domini, inferet sacerdos, qui vnctus est, de sanguine eius in tabernaculum testimonij, tincto digito aspergens septies contra velum. ponétque de eodem sanguine in cornibus altaris, quod est coram Domino in tabernaculo testimonij: reliquum autem sanguinem fundet iuxta basim altaris holocaustorum, quod est in ostio tabernaculi testimonii. Omnémque eius adipem tollet, & adolebit super altare: sic faciens: & de hoc vitulo quo modo fecit & priùs: & rogante pro eis sacerdote, propitius erit eis Dominus. Ipsum autem vitulum efferet extra castra, atque comburet sicut & priorem vitulum: quia est pro peccato multitudinis.

2 Si peccauerit princeps, & fecerit vnum è pluribus per ignorantiam, quod Domini lege prohibetur, & posteà intellexerit peccatum suum; offeret hostiam Domino, hircum de capris immaculatum. Ponétque manum suam super caput eius: cúmque immolauerit eum in loco vbi solet mactari holocaustum coram Domino, quia pro peccato est, tinget sacerdos digitum in sanguine hostiæ pro peccato, tangens cornua altaris holocausti, & reliquum fundens ad basim eius. Adipem verò adolebit supra, sicut in victimis pacificorum fieri solet: rogabitque pro eo sacerdos, & pro peccato eius, & dimittetur ei.

3 Quòd si peccauerit anima per ignorantiam, de populo terræ, vt faciat quidquam de his quæ Domini lege prohibentur, atque delinquat, & cognouerit peccatum suum, offeret capram immaculatam. Ponétque manum super caput hostiæ quæ pro peccato est, & immolabit eam in loco holocausti. Tolletque sacerdos de sanguine in digito suo: & tangens cornua altaris holocausti, reliquum fundet ad basim eius. Omnem autem adipem auferens, sicut auferri solet de victimis pacificorum, adolebit super altare in odorem suauitatis Domino: rogabítque pro eo, & dimittetur ei. Sin autem de pecoribus obtulerit victimam pro peccato, ouem scilicet immaculatam; ponet manum super caput eius, & immolabit eam in loco vbi solent cædi holocaustorum hostiæ. Sumetq; sacerdos de sanguine eius digito suo, & tangens cornua altaris holocausti, reliquum fundet ad basim eius. Omnem quoque adipem auferēs, sicut auferri solet adeps arietis qui immolatur pro pacificis, cremabit super altare in incensum Domini: rogabitque pro eo, & pro peccato eius, & dimittetur ei.

4 *Hostia pro peccato dicitur peccatum Leuit. 10.*

Leuitici cap. 4. & sequentibus agitur de hostia pro delicto, & peccato. Hostia pro peccato Hebraicè dicitur, חטאת, *chatah,* id est, *peccatum.* Leuit. 10. rogat Moses filios Aaron: *Cur non comedistis hostiam pro peccato in loco sancto.* Hebraicè legitur: Cur non comedistis peccatum in loco sancto, id est, victimam pro peccato oblatam. Oseæ 4. *Peccata populi mei comedent,* id est, sacrificia, & victimas pro peccato, comedent sacerdotes. Peccatum verò, siue chatah dicitur

Sebast. Barradas Itiner. Israelit.

Osea. 4.

dicitur peccatum scienter commissum, & hostia pro eo oblata, vt vult D.Hieron. peccatum verò per ignorātiam commissum, & hostia, pro eo immolata, appellatur delictū, Hebraicè אשם,

Ezech. 40. *assam.* Ezech. 40. *Duæ* (inquit) *mensæ hinc, & duæ mensæ inde, vt immoletur super eas holocaustum, & pro peccato, & pro delicto.* Hebraicè, אשם, חטאת, עלה, *golah, catah, assam,* holocaustum, peccatum, & delictum, id est, hostia, quæ offertur in holocaustum, hostia, quæ offertur pro peccato, & quæ offertur pro delicto, super mensas immolabantur.

D. Hieron. D. Hieronymus eodem cap. 40. Ezech. sic exponit hæc sacrificia: Mensæ (inquit) ex vtraque parte binæ sunt positæ, vt primum immoletur holocaustum, quod totum sacer ignis absumebat; deinde pro peccato, & ad extremum pro ignorantia, quod vel scientes commisimus,

Leuit. 6. vel ignorantes, &c. Leuit. 6. *Ista est lex hostiæ pro peccato.* Hebraicè, ista est lex catah peccati, id

Leuit. 7. est, sacrificij pro peccato. Leuit. 7. *Hæc quoque lex hostiæ pro delicto*: Hebraicè, hæc est lex, *assam,* delicti, id est, hostiæ pro delicto.

5

Leuit. 4. De sacrificiis oblatis pro peccato commisso per ignorantiam.

Leuit. 4. de sacrificiis agitur pro peccato commisso per ignorantiam offerendis. In primis, de hostia immolanda pro peccato sacerdotis: secundò, de hostia mactanda pro peccato populi: tertiò, de hostia pro peccato principis: quartò, de hostia pro peccato cuiuslibet hominis: *Anima* (inquit) *quæ peccauerit per ignorantiam, & de vniuersis mandatis Domini, quæ præcepit, vt non fierent, quippiam fecerit: si sacerdos, qui vnctus est, peccauerit, delinquere faciens populum, offeret vitulum.*

De sacrificio summi sacerdotis. De sacerdote summo sermo est, ideo LXX. vertunt ἀρχιερεὺς, id est, *sacerdotum princeps.* similiter Chaldæus vertit: Si sacerdos magnus peccauerit. Illa verba, *qui vnctus est,* hoc indicant. Nam sacerdotis magni vnctio vnctioni aliorum sacerdotum præcellebat, vngebatur enim eius caput, cæterorum verò minimè. Præterea ipsa hostia pro peccato, maior quàm hostia principis probat, de pontifice loqui scripturam: si igitur pontifex per ignorantiam peccaret, delinquere faciens populum, vel per ignorantiam doctrinæ, vel ignoranter scandalum aliquod præbens, offerebat Deo vitulum immaculatum: adducebat illum ad ostium tabernaculi, imponebatque manus super caput eius, vt suprà dictum est de aliis sacrificiis, & immolabat. Excipiebatur sanguis in vasis præparatis, partem verò in paruum aliquod vas effusam inferebat non in Sancta sanctorum, sed in sancta, in locum in quo erat altare thymiamatis; intingensque digitum in sanguinem, aspergebat eo septies ante velum, quo Sancta sanctorum operiebantur, vngebatque cornua altaris thymiamatis; reliquam sanguinis eiusdem partem ad basim altaris holocaustorum fundebat. Auferebat autem ex vitulo pro peccato adipem, sicut auferri diximus ex hostia pacifica, & adolebat in altari holocaustorum. Carne huius hostiæ pro peccato, neque offerentibus, neque sacerdotibus, vesci fas erat, pellis quoque igne extrà castra comburebatur.

Leuit. 4. Leuit. 4. *Pellem, & omnes carnes, cum capite, & pedibus, & intestinis, cum fimo, & reliquo corpore efferet extra castra in locum mundum, vbi cineres effundi solent; incendetque ea super lignorum struem, quæ in loco effusorum cinerum cremabuntur.* Hinc intelliges lo-

Ad Hebr. 13. cum Pauli ad Hebr. 13. *Quorum* (inquit) *anima-*

Leuit. 6. *lium infertur sanguis pro peccato in sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra.* Leuit. 6. *Hostia, quæ cæditur pro peccato, cuius sanguis infertur in tabernaculum testimonij ad expiandum, in sanctuario non comedetur, sed comburetur igni.* Leuit. 16.

Leuit. 16. *Vitulum, & hircum, qui pro peccato fuerant immolati, & quorum sanguis illatus est in sanctuarium, vt expiatio compleretur, asportabunt foras extra castra, & comburent igni tam pelles, quàm carnes eorum, ac fimum.*

6 *De sacrificio populi.*

Populi victima si per ignorantiam peccaret, eadem erat, afferebat vitulum ad ostium tabernaculi; seniores, id est, populi rectores, manus super caput eius imponebant, neque enim turba populi omnis id poterat facere. Post immolatum vitulum inferebat sacerdos, qui vnctus est, id est, summus, sanguinis partem in sancta, aspergebat septies, ante velum oraculi, vngebat cornua altaris thymiamatis, residuum sanguinis fundebat iuxta basim altaris holocaustorum. Omnem verò adipem adolebat; comburebaturque vitulus extra castra, & sacerdos pro populo Deum precabatur.

7 *De sacrificio principis.*

Principis hostia diuersa erat, & minor, quàm hostia summi sacerdotis, & populi; neque verò seruabantur in ea ceremoniæ prædictæ. Non fit mentio regis, quia cùm Moses hæc scripsit, regem non habebant Israëlitæ; ipse Moses princeps erat, cui successit Iosue, & alij principes, qui appellantur iudices. Si igitur per ignorantiam peccaret princeps, non offerebat vitulum, sed hircum pro peccato. Imponebat illius capiti manus, immolabatur à sacerdote hircus, sed sanguis eius non inferebatur in sancta, neque cornua altaris thymiamatis imbuebat. Immittebat sacerdos digitum in sanguinem, tingebatque cornua altaris holocaustorum, reliquum ad basim fundebat. Adipem præterea adolebat hirci, & pro principe orabat.

8 *De sacrificio hominis priuati.*

Hostia etiam priuati hominis à cæteris differebat. Si per ignorantiam peccabat, non offerebat masculam hostiam; sed capram, vel ouem. Imponebat illi manus, immolabatur à sacerdote, qui illius sanguinem non inferebat in sancta, sed cornua tantùm altaris holocaustorum vngebat; reliquum ad basim immittebat. Adipem incendebat, & pro offerente hostiam, preces Deo offerebat. Sanguis hostiæ, quam offerebat sacerdos summus, pro peccato suo, vel populus, inferebatur in sancta, & corpora animalium extra castra comburebantur. At verò sanguis hostiæ oblatæ pro principe, vel priuato aliquo homine, non inferebatur in sancta, neque corpora animalium extra castra cremabantur. Quæritur ergo, *quidnam fieret de carnibus harum victimarum pro peccato?* Respondetur,

Carnes sacrificiorum pro peccato sacerdotalis iuris erant. carnes harum victimarum iuris fuisse sacerdotalis. Leuit. 6. *Ista est lex hostiæ pro peccato, in loco vbi offertur holocaustum, immolabitur coram Domino. Sacerdos, qui offert, comedet eam in loco sancto, in atrio tabernaculi. Omnis masculus de genere sacer-*

Leuit. 6. *dotali vescetur de carnibus eius.* Leuit. 5. præcipit

Leuit. 5. Dominus propter pauperes, vt pro peccati certo quodam genere offeratur agna, vel capra. Quòd si is, qui peccauit, non possit offerre pecus; offerat duos turtures, aut duos pullos columbarum; vnum pro peccato, alterum in holocaustum. Si verò neque turtures, neque pullos potuerit offerre, offerat pro peccato similam absque oleo, & absque thure: *Non mittet* (inquit) *in eam oleum, nec thuris aliquid imponet, quia pro peccato est.*

9

Aduerte hoc loco, cum sacrificiis simul obtulisse Israëlitas libamenta quædam, vt vocant. Quinque

Libamenta cū sacrificijs offerebantur. Quinque numerat Abulensis, Num. 15. quæst. 5. thus, oleum, salem, vinum, & panem; aitque, altare fuisse similem mensæ, dicique mensam, Malach. 1. In mensa autem non carnes solùm, sed etiam sal, vinum, panis, & oleum apponuntur. In mensa verò Dei thus additus. Legendum caput 15 Numerorum.

10. *De sacrificio pro peccato, id est, de vacca rufa.*

Præter hæc appellatur sacrificium pro peccato vacca rufa, ex cuius cineribus aqua lustrationis fiebat, Leuit. 19. *Pro peccato vacca combusta est.* Hebraicè חטאת, *catah ipsa,* id est, *peccatum ipsa.* Peccatum dicitur, quia hostia erat pro peccato. Lege idem caput 19. *Ait Dominus Mosi, præcipe filijs Israël, vt adducant ad te vaccam rufam ætatis integræ, in qua nulla sit macula, nec portauerit iugum.* Hanc vaccam, siue vitulam coloris rubei, siue sanguinei, quæ iugum nunquam portauerat, sacerdos immolabat, non in tabernaculo, vbi cætera animalia immolari solebant, sed extra tabernaculum. Extra castra enim educebatur in locum distantem ab altari holocaustorum, neque inferebatur sanguis eius in sancta. In conspectu populi mactabatur; tingebat verò sacerdos digitum in sanguine eius, & conuersus ad fores tabernaculi, septem vicibus aspergebat sanguinem. Postea penitus in cineres vaccam rufam redigebat; comburebat enim coram omnibus carnes eius, pellem, fimum quoque, sanguinem verò nō effundebat ad basim altaris holocaustorum, sed cum carnibus tradebat flammę. Mittebat præterea in flammam, quæ vitulam vorabat, lignum cedrinum, & hyssopum herbam, & coccum bis tinctum.

Ex cineribus vaccæ rufæ fiebat aqua expiationis. Colligebantur vaccę huius cineres, & effundebantur extra castra, in loco mundo, ibique custodiebantur, vt, cùm opus esset, cum aqua miscerentur, fieretque aqua expiationis, siue lustrationis, qua aspergerentur immundi, & mun-

Numer. 19. ditiæ legali restituerentur. Numer. 19. *Qui tetigerit cadauer hominis, & propter hoc septem diebus fuerit immundus, aspergetur ex hac aqua die tertio, & septimo, & sic mundabitur.* Huius aquæ meminit

Ad Hebr. 9. Apostolus ad Hebr. 9. *Si sanguis* (inquit) *hircorum, & taurorum, & cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quanto magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti.* Emundationem huius aquę appellat Paulus emundationem carnis, vel corporis, quia emūdabat eius aspersio legales quasdam irregularitates externas: at sanguinis Christi aspersio ipsam emundat conscientiam, totamque animam.

11. *De duobus hircis, quorū vnus immolabatur, alter in desertū mittebatur.*

Leuit. 16. duo hirci offeruntur pro peccato, sed non immolatur vterque. Nam diuina sorte missa, vnus mactabatur, alter socius in desertum portabatur, veluti onustus Israëlitarum peccatis. Leuit. 16. offerebat summus sacerdos, hircum hunc Deo, & posita vtraque manu super caput eius, confitebatur omnes iniquitates filiorum Israël, & vniuersa delicta, atque peccata eorum. Quæ imprecans capiti eius, emittebat illum per hominem paratum, in desertū, in quo à feris lacerabatur. Socius immolabatur in tabernaculo, hic à feris in solitudine laniabatur. Imprecabatur autem capiti hirci peccata Israëlitarum sacerdos deprecans, vt flagella, quę pro peccatis merebantur, in caput hirci reciderent, longeque ab Israëlitis recederent in

Leuit. 16. solitudinem. Dicitur hic hircus Hebraicè, Le-

uit. 16. עזאזל, *gazazel,* LXX. interpretes appellant ἀποπομπαῖον. Noster interpres eos secutus, vocat *hircum emissarium,* quia in desertum emittebatur. Verbum אזל, *azal,* significat *abire,* & *recedere,* עז, *guez,* significat *caprum,* vnde *gazazel* significat *caprum abeuntem in desertum,* vel *recedentem,* id est, emissarium, & apopombæum.

CAPVT IX.

MORALE.

De sacrificio pro peccato, & delicto.

1. *Christus hostiam se obtulit pro peccato.*

ADVMBRAT hostia pro peccato Christum Opt. Max. qui pro peccatis totius orbis semetipsum in cruce Deo obtulit hostiam pro peccato, quamobrem à Paulo peccatum appellatur catah, id est, victima pro peccato

Ad Rom. 8. oblata, ad Rom. 8. *De peccato* (inquit) *damnauit peccatum.* hoc est, Christus per hostiam pro peccato damnauit, & destruit peccata orbis. Hostia autem pro peccato ipse fuit in cruce obla-

2. Corint. 5. tus. & 2. Corinth. 5. *Eum, qui non nouerat peccatum pro nobis peccatum fecit, vt nos efficeremur iustitia Dei in ipso.* Nullum in se peccatum Christus nouerat, quia nullum peccatum commisit: at illum Pater pro nobis fecit peccatum, quia cùm innocentissimus esset, fecit illum hostiam pro peccatis nostris, vt nos per hanc admirabilem hostiam pro peccato id assequeremur, quod legis veteris sacrificia conferre non poterant, nimirum iustitiam, & gratiam: *Vt nos* (inquit) *efficeremur iustitia Dei in ipso.* Per ipsum enim, & per merita hostię huius pro peccato iusti efficimur, & sancti: si tamen eius fidem complectamur, & mandata obseruemus.

2. *Sacrificia pro peccato Christum adūbrarunt. Ad Heb. 13.*

Sacrificia illa pro peccato, quorum sanguis inferebatur in sancta, typum fuisse Christi, idem Apostolus indicat ad Hebr. 13. *Quorum* (inquit) *animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra. Propter quod & Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.* Pontifex in die expiationis vitulum immolabat, & hircum, eorumque sanguinem inferebat in Sancta sanctorum, corpora verò extra castra combure-

Leuit. 16. bantur, Leuitic. 16. *Vitulum, & hircum, qui pro peccato fuerant immolati, & quorum sanguis illatus est in sanctuarium, vt expiatio compleretur, asportabunt foras castra, & comburent igni, tam pelles, quàm carnes eorum, ac fimum.* Horum animalium sanguis inferebatur in Sancta sanctorum per pontificem: aliorum, de quibus supra diximus, non inferebatur in Sancta sanctorum, sed in sancta: omnium verò corpora cremebantur extra castra, & extra vrbem. Typus indicat Christum hostiam fuisse pro peccato, eiusque sanguinem illatum in cælum Deo summopere placuisse, mundumque expiauisse. Oblatam verò indicat hanc hostiam extra castra, id est, extra portam ciuitatis Ierusalem in monte Caluariæ. *Propter quod* (ait Paulus) *Christus extra portam passus est,* videlicet vt typo satisfaceret. Extra castra autem, hoc est, extra portam Ierusalem, Christum passum ait Paulus, vt significaret, extra Ierusalem, hoc est, extra ceremonias Iudaicas, quæ in Ierusalem seruabantur, oportere exire, & à lege veteri recedere illos, qui ad eum veniunt, & in eum credunt: *Habemus* (inquit) *altare, de quo edere non habent potestatem, qui tabernaculo deseruiunt. Quorum enim animalium infertur sanguis pro*

peccato in sancta per pontificem, horum corpora cremantur extra castra: propter quod & Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus ergo ad eum extra castra improperium eius portantes. Non enim habemus hîc manentem ciuitatem. hoc est, habemus altare noui sacrificij augustissimæ Eucharistię, de quo non possunt Iudæi edere, quod indicant sacrificia animalium, quorũ sanguis infertur in sancta. Quemadmodum enim illorum carnes extra castra, & vrbem ferebantur, & cremabantur, nemoque illas edebat: sic Christus extra Ierusalem delatus est, & cruci affixus, nullusque intra Iudæorum castra manens, illius carnem edere, illiusq; sanguinem bibere potest. Exeamus ergo ad illum extra castra Iudæorum, id est, extra ceremonias, extra legem, imò & extra hunc mundum. Non enim habemus hîc manentem ciuitatem, sed cælestem inquirimus.

Extra castra comburebãtur sacrificia. Extra castra passus est Christus.

3. Leuitic.4. *Si sacerdos*, (inquit) *qui vnctus est, peccauerit, offeret pro peccato suo vitulum.* Pontifices legis antiquæ pro peccatis suis sacrificia offerebant; at summus Pontifex legis nouæ Christus, non pro peccatis suis, sed pro alienis obtulit sacrificium. Illi non semel, sed sępius sacrificia cruenta offerebant, quia semel offerre non erat satis: Christus verò semel tantùm sacrificium cruentum in cruce obtulit, quia satis superque vnum fuit. Instituit tamen incruentum Eucharistię sacrificium, in quo eadem est victima Christus, quæ quotidie immolatur incruentè, & sacrificium cruentum in cruce oblatum repræsentat. Ad Hebr.7. *Talis* (inquit Paulus) *decebat, vt nobis esset pontifex sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & excelsior cælo factus, qui non habet necessitatem quotidie, quemadmodum sacerdotes priùs pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populi; hoc enim fecit semel se ipsum offerendo. Lex enim homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes, sermo autem iurisiurandi, qui post legem est, filium in æternum perfectum.* Lex vetus sacerdotes constituebat infirmitatem habentes peccati, ideo necesse erat, non solùm pro delictis populi, sed etiam pro suis offerre victimas: at filius pontifex ille perfectus, quem Deus iureiurando constituit, Psal.109. *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum.* infirmitatem peccati nullam habuit; sanctus est, innocens, impollutus, longè à peccatoribus & peccatis separatus, ad dexteram Dei super cælos sedens: non habuit necessitatem pro suis delictis offerre hostiam, quia omni delicto carebat. Pro populi delictis semetipsum victimam obtulit semel; eaque vna victima, semel in cruce immolata, totius mundi peccata expiauit, ad Hebr. 10. *Christus pro peccatis offerens hostiam in sempiternum sedet in dextera Dei. Vna enim oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos.*

Leuit. 4. — Ad Hebr. 7. Summus sacerdos Christus non obtulit pro se hostiam pro peccato. — Psal. 109. — Innocentissima hostia fuit Christus. — Ad Hebr. 10.

4. Sacerdotes legis veteris sacrificia pro peccato offerebant, quæ peccata auferre non poterant; Christus sacrificium obtulit, quod sufficienter omnia peccata sustulit, & in cineres redegit. Id quod significabat animalium illorum combustio, quæ pro peccatis pontificis, & populi mactabantur. Quemadmodum in cineres animalia illa pro peccato oblata redigebantur extra castra; sic peccata, quę per Christi hostiam remittuntur, in cineres penitus statim rediguntur, quod attinet ad culpam, quamuis pœnę pars aliqua remanere possit soluenda. Extra castra verò in cineres rediguntur, quia extra hominem iam sunt, qui per gratiam mundantur. Psal.50. ait vates: *Asperges me, Domine, hyssopo, & mundabor, lauabis me, & super niuem dealbabor.* Mundatur enim is, cui peccata dimittuntur, & abluitur, peccatique sordes longè ab illo recedunt. Preterea super niuem dealbatur, quia gratia Dei, & iustitia, quæ niuem candore superat, exornatur. Ad Roman. 6. *Vetus homo noster simul crucifixus est, vt destruatur corpus peccati, & vltra non seruiamus peccato.* Simul cum Christo crucifixus est homo vetus, vt destruatur corpus peccati, & in cineres redigatur; quemadmodum corpus animalis, quod pro peccato immolabatur. Destructo autem corpore peccati, iam nemo peccato seruiat. Sacerdotes legis veteris pro peccatis, quæ ab hominibus sui temporis committebantur, sacrificia offerebãt; Christus sacrificium obtulit etiam pro peccatis, quæ ante oblatum sacrificium commissa fuerant. Tanta potentia est huius sacrificij pro peccato, vt ad delendum etiam peccata primi parentis, & cætera consequentia vim habuerit. Ad Roman. 3. *Quem proposuit* (ait Paulus) *Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ propter remissionem præcedentium delictorum.* Pręcedentia delicta appellat peccata, quæ sub priore testamento præcesserunt Christi hostiam, ad quæ remittenda fusus est eius sanguis. Ad Hebr.9. *Noui* (inquit) *testamenti mediator est Christus, vt morte intercedente in redemptionem earum præuaricationum, quæ erant sub priori testamento, repromissionem accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis.* Non solùm per sacrificium hoc pro peccato, id est, per Christum, peccati repromissionem accipimus, sed æternam etiam hæreditatem: *Vt repromissionem* (inquit) *accipiant, qui vocati sunt, æternæ hæreditatis.*

Sacrificia pro peccato non auferebãt peccatũ, Christus sacrificium pro peccato, abstulit omnia peccata. — Psal. 50. — Ad Rom. 6. — Destruẽdum est corpus peccati, & in cineres redigendum. — Christi sacrificiũ omnium temporum peccata sufficienter deleuit. — Ad Rom. 3. — Ad Hebr. 9.

5. Itaque Christus hostia est pro peccato, quia per eius sanguinem peccata dimittuntur; hostia est pro gratia, quia per eius merita gratia donatur; hostia est pro gloria, quia per eius passionem gloria sempiterna hominibus confertur. Ad Roman. 3. *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei*, &c. Omnes homines in peccatum inciderunt, egent verò summopere gloria cęlestis patriæ, vt Deo fruantur, finemque suum consequantur, nec fiant dæmonibus similes æternis tormentis mancipati. Cùm tamen tantopere gloria egeant, mendici sunt, atque inopes; opibus carent, quò illam possint comparare: at verò viscera misericordiæ Dei amplissimas illis opes præbuerunt, nimirum sanguinem suum, pretium infinitum, quo illam possint emere. Præbuerunt illis hostiam pro peccato, vt à peccatis absoluerentur, hostiam pro gratia, vt gratia exornarentur, hostiam pro gloria, vt gloriam sempiternam consequerentur. Magnam Deo gloriam attulerunt hæc misericordiæ viscera; quamobrem verba Pauli de gloria Dei explicantur, quæ maximè elucet in Dei misericordia, hunc in modum: *Omnes peccauerunt, & egent gloria Dei.* hoc est, opus habent gloria Dei, quæ in condonatione peccatorum, in largitione gratiæ, & æternæ glorię cernitur. Opus habent, vt Deus in illis glorificetur per peccatorum remissionem. Caietanus gloriam Dei ait appellari, gloriam hominis apud Deum, habet enim magnam gloriam, & honorem apud Deum homo iustus, impius ea caret. Erant homines coram Deo contempti, & abiecti; per hostiam

verò,

Christus fuit hostia pro peccato, & pro gratia, & pro gloria. — Ad Rom. 3.

verò, quam Christus obtulit, magnum apud eum honorem, & gloriam adepti sunt.

6. Preter Christi hostiam, habemus hostiam, quam offeramus pro peccato; quę ex Christi sanguine, ad delendum peccatum habet vim, est pœnitentia. Hanc victimam offerre oportet pro peccato eum, qui peccatum commiserit. Neque verò solùm in lege noua victima hæc ad expiandum peccatum necessaria est, sed necessaria fuit semper, & in lege naturæ, & in lege veteri. Nunquam enim Deus peccatum dimisit, absque pœnitentia. Itaque pœnitentia sacrificium est tàm legis naturæ, quàm legis veteris, atque nouæ, quod Dauid Psalm.50. omnibus animalium sacrificiis anteponit: *Si voluisses* (inquit) *sacrificium, dedissem vtique: holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non despicies.* Iam Deus sacrificia illa legis antiquæ despexit, & abrogauit, pœnitentiæ verò & contritionis sacrificium nunquam despiciet, nunquam abrogabit: *Cor* (inquit) *contritum, & humiliatum Deus non despicies.* Sacrificium appellat August. pœnitentiam Achab, serm.58. de tempore: Achab (inquit) sacrificium contriti, & humiliati cordis Deo offerre non distulit, &c. 3. Reg.21. *Scidit vestimenta sua Achab, & operuit cilicio carnem suam, ieiunauitq́, & dormiuit in sacco, & ambulauit demisso capite.* Non despexit Deus hoc pœnitentiæ sacrificium, imò respexit, & Heliæ ostendit dicens: *Nónne vidisti humiliatum Achab coram me? Quia igitur humiliatus est mei causa, nõ inducam malũ in diebus eius.* D. Hieron. in epitaphio Fabiolæ: O felix (inquit) pœnitentia, quæ ad se Dei traxit oculos! quæ furentem sententiam Dei confesso errore mutauit, &c. Si Achabi illud sacrificium cordis contriti (qualecunque fuerit) respexit Deus, quàm benignis oculis sacrificia respiciet eorum, quorum corda amor Dei, & dolor peccati transfigit? D. Gregor. homil.10. in Ezechiel. Pensandum (inquit) est, quomodo & in electis suis mœror amaritudinis placeat, qui amittere timent Dominum. Si sic ei placuit & reprobi Achabi pœnitentia, qui timebat perdere præsens sæculum, aut quomodo ei grata non sit spontanea afflictio pro culpis, in eis, qui placent, si hæc ad tempus placuit, & in eis, qui displicebant? Sic ille. Peccatrix illa mulier, Luc.7. ad pedes Christi prostrata sacrificium hoc offerebat, despexit illam Pharisæus, sed non despexit sacrificium Christus. Pharisæus dixit, despiciens: *Hic, si esset Propheta, sciret vtique, quæ & qualis est mulier, quæ tangit eum, quia peccatrix est.* At Christus respiciens sacrificium Pharisæo despicienti id ostendit, & laudat sigillatim omnes eius actus numerans: *Hæc* (inquit) *lacrymis rigauit pedes meos, & capillis tersit, ex quo intraui, non cessauit osculari pedes meos.* Item: *Vnguento vnxit pedes meos: propter quod dico tibi, remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Nunquam Deus despexit, nunquam despiciet hoc sacrificium pro peccato. Obtulit illud primus parens Adam, non despexit Deus primi parentis primum pœnitentię sacrificium. Euæ quoque primæ matris non despexit contritionem. *Ad Caini verò munera non respexit*, respexisset tamen ad sacrificium pœnitentiæ, si illud obtulisset. At infælix desperauit dicens: *Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam merear.* Obtulerunt Deo pœnitentiam alij in lege naturæ, neminem despexit Deus,

Hostia pro peccato offerenda nunc est cordis pœnitentia. Addẽda oris confessio, & satisfactio. — Pœnitentia cordis, est sacrificium legis naturæ, & veteris, & nouæ. Psalm. 50. — Non despicit Deus cor contritum. — D. August. Pœnitentia Achab. — 3. Reg. 21. — D. Hieron. — D. Gregor. — Luc. 7.

7. In lege etiam veteri multi obtulerunt, sed addebant contritioni, animalium sacrificium. Summus sacerdos vitulum, princeps hircum, reliqui capram, vt diximus, cuius sacrificij oblatione peccatum suum confitebantur, vt ait D. Thomas 3. part. quæst. 84. ad 2. In hoc, (inquit) quòd oblationem faciebat aliquis pro peccato suo, quodammodo suum peccatum sacerdoti confitebatur, & secundùm hoc dicitur Prouerb. 28 *Qui abscondit scelera sua, non dirigetur, qui autem confessus fuerit, & reliquerit ea, misericordiam consequetur.* Sic D. Thomas. Genebr. Psalm. 31. Ex Rabbinis (inquit) has istius confessionis habemus circunstantias. Primò, illa fiebat coram sacerdote; secundò, imponendo manus capiti hostiæ immolandæ, & id quidem inter cornua; tertiò, distinctè commemorando peccatum, de quo pœnitentiam ageret; quartò, detestando peccatum, & promittendo, se nunquam reuersurum. Id autem appellabant confessionem verborum, quòd fieret conceptis verbis, & solemni more. Sic ille. In lege noua contritioni confessio additur sacramentalis, & omnium pecatorum sigillatim, facienda sacerdoti Dei vicario: ipsaq; pars est eximij sacrificij, id est, pœnitentiæ. Additur quoque satisfactio. Hoc sacrificium Deus non despicit, sed magni facit, & illud offerentibus omnium peccatorum largitur absolutionem. Aperiuntur in confessione animi vulnera, effunditur peccatorum sanies, & sequitur sanitas. Si sanari vis, ostende vulnera. Boëtius lib.1. de consolat. *Si opera* (inquit) medicantis expectas, oportet vt vulnus tuum detegas, &c. Stulti hominis est, propter pudorem nolle volnera aperire. Horat. lib. 1. epist. 12.

Stultorum incurata pudor malus vlcera celat.

Et D. Gregor. hom.40. in Euangelia: Quid (inquit) est peccatorum confessio, nisi quædam quasi vulnerum ruptio? quia peccatum salubriter aperitur in confessione, quod pestiferè latebat in mente. Vulnera cutis, in superficiem trahunt humorem putredinis, & confitendo peccata, quid aliud agimus, nisi malum, quod in nobis latebat, aperimus. Sic ille.

Cõfessio peccatorum adumbrata. — D. Thomas. — Prouerb. 28. — Genebrard. — Aperienda sunt vulnera peccatorũ, si sanari cupis in confessione. — Boëtius. — Horat. — D. Gregor.

8. Solius hominis est hoc sacrificium. Non enim angeli pœnitentiam agunt, quia non peccant; non agunt dæmones, quia in peccato sunt obstinati; non agunt bruta animantia, quia ratione, & peccato carent. Soli homines pœnitentiam veram agere possunt, dum vitam in hoc terrarum orbe ducunt. Nam tartareis ignibus mancipati, pœnitentiam quidem agere possunt, sed non veram. Vnde illud Sapient.5. *Pœnitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes*, &c. Ergo dum vita suppetit, qui peccata commiserunt, hoc sacrificium Deo offerant, siue sacerdotes sint, siue principes, siue populares. Deus enim sacrificium pro peccato (vt vidimus Leuit.4.) & à sacerdote summo, & à principibus, & à popularibus flagitat. Conqueritur verò Dominus, Ieremiæ 8. de populo suo, quòd pœnitentiam agere nolit, & peccata sua hoc sacrificio delere: *Quare* (inquit Dominus) *auersus est populus iste in Ierusalem auersione contentiosa? Nullus est, qui agat pœnitentiam super peccato suo dicens, quid feci?* Auertuntur homines à Deo per peccatum mortiferum: conuertuntur verò ad Deum per pœnitentiam. Auersio contentiosa, auersio dicitur pertinax. LXX. vertunt, *Auersione impudenti.* Auertuntur aliquando homines

Pœnitentia est solius hominis sacrificium. — Sapient. 5. — Ieremiæ 8. — Increpantur, qui nolunt pœnitẽtiam agere.

à Deo

à Deo auersione pertinaci, atque impudenti, nolunt per pœnitentiam ad Deum conuerti, nolunt actiones suas, & peccata considerare: Sed veluti effrenati equi cursu citato, in Orcum tendunt. Vnde sequitur eodem capite Ieremiæ: *Omnes conuersi sunt ad cursum suum, quasi equus impetu vadens ad prælium.* Asina, qua vehebatur Balaam viso gladio, quem angelus distrinxerat, à cursu, quem tenebat, recessit, Num. 22. *Cernens asina angelum stantem in via euaginato gladio, auertit se de itinere.* Vtinam equi hi effrænati qui cursu citato tartarum petunt, Deum ante se viderent, districtum habentem gladium æterni supplicij, diuerterent sanè ab itinere ad flammas ducente sempiternas: at, vt ait Dominus eodem cap. 8. Ieremiæ, cæci sunt hi equi, gladium Dei districtum non vident, iudicium Dei, & supplicium æternum non considerant. *Populus meus* (ait Dominus) *non cognouit iudicium Domini,* &c.

Ibidem. — Num. 22. — Ierem. 8.

9. Caueamus maximè auersionem à Deo per peccatum mortiferum. Quòd si fragilitas nostra in peccatum inciderit; caueamus auersionem contentiosam, ac pertinacem. A peccato protinus resurgamus. Eodem capite Ieremiæ ait Dominus: *Nunquid qui cadit, non resurget? Et qui auersus est, non reuertetur?* Qui cadit in lutosa via, protinus summa festinatione resurgit, qui auertitur ab itinere recto, vbi primùm id nouit, ad iter rectum reuertitur. Qui cadit, nullo modo se in luto iacere patitur, qui à recta via deflectit, cùm primùm id videt, mox ad rectam viam contendit: eundem in modum, qui in peccatum mortiferum cadit, ne patiatur se in fœtidissimo hoc luto iacere, sed protinus exurgat, Deo iuuante. Qui à recto cæli itinere auersus est, non pergat vlteriùs, ne peccata peccatis accumulet, sed qua via iter faciat, diligenter consideret, cumque viderit, eam in æternas flammas tendere, mox in viam reuertatur, quæ ad æterna ducit gaudia. Cùm nauis frangitur, non aurum, aut argentum complectitur naufragus, sed summa cum properatione tabulam arripit, in qua possit seruare vitam. Fracta naui, & amissa gratia, naufragus est peccator, ante omnia summa cum acceleratione, omissis aliis, ad tabulam accurrat, in qua animam possit saluam facere, tabula autem post naufragium est pœnitentia, vt omnibus patet.

Ad pœnitentiam vulneratus peccati telo mox confugiat.

10. Corde contrito & humiliato concipitur pœnitentia. *Cor* (inquit) *contritum, & humiliatum Deus non despicies;* scindendum est in primis cor dolore, & conterendum; deinde peccata sunt confitenda. Ioëlis 2. *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra,* &c. Cùm peccata confitemur sacerdoti, tunc scindimus cor, & veluti victimę sanguinem effundimus. Quemadmodum verò præ dolore vestimenta scindebant Israëlitæ: sic doloris cultro pœnitens scindit cor. Addenda præterea sunt opera satisfactoria: imponebant offerentes manus victimę pro peccato oblatæ, nos imponamus sacrificio pœnitentiæ manus, id est, opera digna pœnitentiæ, iuxta illud Baptistæ, Matth. 3. *Facite fructum dignum pœnitentiæ.* Nam pœnitentiæ arbor dignos se fructus parit, fletum, corporis macerationem, ieiunia, cilicium, eleemosynas, precationes. Ioëlis 2. *Conuertimini ad me* (ait Dominus) *in toto corde vestro, in ieiunio, & in fletu, & in planctu.* Ionę 3. *Niniuitæ prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis à maiore vsque ad minorem.* D. Hieron. eodem capite ait,

Psalm. 50. — Ioëlis 2. — Cor dolore scindendum pro peccato. — Matth. 3. — Fructus producendi digni pœnitentia. — Ioëlis 2. — Ionæ 3. — D. Hieron.

dignum victum pœnitentiæ esse ieiunium, & dignum habitum esse cilicium: Dignus (inquit) & victus, & habitus pœnitentiæ, ieiunium, & cilicium Niniuitarum. Eodem loco cilicium, & ieiunium appellat arma pœnitentiæ, auxilia peccatorum, &c. His armis diabolum superamus, orcum vincimus, hic pœnitentiæ victus cælestes epulas comparat, hic habitus cælestia nobis indumenta præstat.

11. Præterea pœnitentia nostra parit pœnitentiam Dei. Propter peccatum mortiferum minatur Deus, se hominem flammis ęternis traditurum: at si pœnitentiam egerit peccator de peccato suo, agit Deus quodammodo pœnitentiam de supplicio suo. Ieremiæ 18. *Repente* (ait Dominus) *loquar aduersus gentem, & aduersus regnum, vt eradicem, & destruam, & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo, quod locutus sum aduersus eam, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitaui, vt facerem ei.* Non cadit in Deum pœnitentia, sed pœnitere dicitur metaphoricè Ionæ 3. Ionas, Deo iubente, ingressus Niniuem, illius euersionem voce contenta proclamauit, dicens: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur,* &c. Quod audientes Niniuitę pœnitentiam egerunt, egit quoque Deus pœnitentiam de supplicio suo; præterierunt quadraginta dies, & Niniue stetit, stare autem illam fecit pœnitentia. Sed prius illam euertit. Nam manibus, & domibus, atque incolis, Niniuem stare fecit pœnitentia: sed Niniuem, quod attinet ad mores improbos, euertit, vt D. August. ait lib. 21. de Ciuit. Dei, cap. 24. Stantibus (inquit) mœnibus atque domibus, euersa est ciuitas in perditis moribus, &c. Hoc est pœnitentiæ officium, mores improbos destruere, homines verò stare facere.

Pœnitentia nostra Dei pœnitentiam parit. — Ieremiæ 18. — Pœnitentia non cadit in Deum. Ionæ 3. — D. August.

12. Denique vituli corpus, quod pro peccato offerebatur, redigebatur in cineres. Redigendum est in cineres, & destruendum corpus peccati, ita vt nullum peccatum mortiferum, nulla eius occasio permaneat; permaneat verò gratia, per pœnitentiam acquisita, neque vnquam ab anima alio commisso peccato discedat. Leuit. 3. iubet Dominus offerri sibi hostiæ pacificæ caudam: *Offerent* (inquit) *de pacificorum hostia sacrificium Domino, adipem, & caudam totam.* Extrema victimę pars cauda est, quamobrem perseuerantiam in gratia, & bonis operibus significat, vsque in finem vitæ Deo offerendam. Gloss. interlin. Cauda (inquit) finis est corporis: hæc immolatur cùm opus bonum ad finem perducitur, &c. D. Gregor. in fine lib. 1. moral. Caudam (inquit) hostiæ offerre præcipimur, vt videlicet, omne bonum quod incipimus, etiam perseuéranti fine compleamus, &c. Dilectus ille Iacobi filius Ioseph, veste ad talos vsque pertingente induebatur: sic dilecti filij Christi gratia, & virtutibus induuntur, vsque ad mortem permanentibus. D. Gregor. Ioseph (inquit) talarem tunicam habuisse perhibetur, talaris tunica actio est consummata. Quasi enim protensa tunica talum corporis operit, cùm bona actio ante Dei oculos vsque ad vitæ terminum nos tegit. Sic ille. Non consequitur palmam is, qui in stadio currit, nisi vsque ad metam, finemque currat: eundem in modum cęlestem gloriam non adipiscitur is, qui antequam ad finem vitæ perueniat, in cursu deficit, atque consistit. 1. Corinth. 9. *Nescitis* (ait Paulus) *quòd ij qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit*

Post pœnitentiam perseuerantia. — Leuit. 3. — Gloss. interl. — D. Gregor. — D. Gregor. — De perseuerantia. — 1. Corint. 9.

pit brauium? Sic currite, vt comprehendatis. Currunt in stadio multi, omnes ad metam peruenire contendunt, nullusque à cursu desistit, hos nobis imitandos proponit Apostolus: *Sic* (inquit) *currite, vt comprehendatis.* Hos imitamini, ne desistatis currere in huius vitæ stadio, donec ad metam perueniatis; in cursu perseuerate, vt palmam, & brauium æternæ beatitudinis comprehendatis. Multi in stadio currunt, sed non omnibus datur corona, vnus tantùm illam consequitur. At in nostro stadio currentibus, & perseuerantibus vsque in finem, omnibus corona tribuitur, non quidem corruptibilis, moxque peritura, sed incorruptibilis, perpetuoque duratura. Quæ quidem certissimè nobis traditur, si à gratia non discesserimus. Vnde Paulus: *Ego* (inquit) *sic curro non quasi in incertum,* &c. Cucurrit Paulus; certum sibi proposuit scopum, ad quem cursum dirigeret, nimirum beatitudinem, quæ certa est omnibus perseuerantibus. Cucurrit, & in cursu perseuerauit: ideo coronam est consecutus. Audiamus illius verba 2. ad Timoth. 4. *Bonum* (inquit) *certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, iustus iudex. Non solum autem mihi, sed & ijs qui diligunt aduentum eius.* Qui bonæ vitæ cursum pœnitentia paracta aggressus est, cursum consummet, bonum certamen vsque ad mortem cum hostibus tartareis certet, fidem per charitatem operantem seruet, procul dubio repositam inueniet sibi coronam in cælo sempiternam.

2. Timot. 4.

13. Iubet Dominus populum pro peccato immolare vitulum, sacerdotem eandem hostiam offerre, principem verò offerre hircum. Ex hoc præcepto colligit Theodoretus, quanta sit Sacerdotis dignitas, his verbis: Præcipit Dominus sacerdotem vitulum sacrificare; populum similem hostiam offerre, docens quanta sit sacerdotij dignitas, quam vniuerso populo parem fecit: Principem autem hircum offerre iubet. Tam procul abest à sacerdotali dignitate is, cui corporeum imperium commissum est, &c. Idem Theodoret. quæst. eadem docet, cur Leuit. 5. iubeat Dominus offerri pro peccato similam absque thure & oleo: Quia (inquit) oleum lætitiam indicat, thus autem suauem odorem, quorum vtroque priuatur peccatum. Sic ille. Fœtet peccatum, mœstitiam parit, non conuenit peccatori thuris suauis odor, aut oleum lætitiæ.

Dignitas sacerdotij. — Theodoret. — Theodoret.

14. Erat vacca rufa sacrificium pro peccato, vt supra vidimus, ea verò, vt Augustinus, D. Gregor. & alij aiunt, Christi sacrificium adumbrat. D. August. quæst. 33. in Numer. Iuuenca (inquit) rufa carnem Christi significat, sexus fœmineus est propter infirmitatem carnis, rufa est propter cruentam passionem, &c. Erat iuuenca hæc ætatis integræ, Numer. 19. quia Dominus integram agens triginta trium annorum ætatem, passus est. Erat sine macula, quia in Christo nulla fuit peccati macula. Theodoretus: Quòd vacca (inquit) carebat macula, expertem peccati Christum innuit, &c. Additur Numer. 19. *Nec portauerit iugum,* quia Christus liber erat omni solutus seruitutis iugo, vt ait Theodoretus; præterea quia iugum peccati non subiit, vt ait Augustin. D. Isidorus in Numer. cap. 16. Vitula (inquit) rufa caro est saluatoris, rosea sanguine passionis, ætatis integræ, quia perfecta

De vacca rufa. — D. August. — Theodoret. — Numer. 19. — Vacca rufa vmbra fuit Christi. — D. Isidorus.

ætate passionem suscipit, quod autem non est impositum super illam iugum, hoc ostendit, quia caro Christi non est subiugata delicto, &c. Sequitur: *Eductam extra castra immolabit* (scilicet sacerdos *in conspectu omnium.* Nonne vides, carnem Christi eductam extra castra, id est, extra ciuitatem Ierusalem, immolatam in conspectu omnium Iudæorum? Theodoretus: Quòd (inquit) vacca immolatur extra castra, passionem saluatoris extra portam Ierusalem peractam designat, &c. Et August. Eiectus (inquit) est Dominus passurus extra ciuitatem, &c. Aspergebat sacerdos sanguine vitulæ septies contra fores tabernaculi, quia Christi sanguine tabernaculum Dei, id est, Ecclesia aspergitur, & mundatur septies, id est, perfectè. Nam perfectio indicatur numero septenario, totum enim tempus septem diebus per hebdomadas reuoluitur.

Theodoret. — D. August.

15. Comburebatur igne vitula: Christus autem amoris igne inflammatus est: ignis ille, quo vacca rufa inflammabatur, charitatem adumbrabat, quæ Christum ad passionem duxit. Cineres vitulæ admixti aquæ viuenti legales immunditias purgabant. Adumbrabat hoc Christi passionem, & merita, admixta aquæ viuenti baptismi, omnium hominum crimina expiare: Ad Hebr. 9. *Si sanguis hircorum, & taurorum, aut cinis vitulæ aspersus inquinatos sanctificat ad emundationem carnis, quanto magis sanguis Christi emundabit conscientias nostras.* Cùm vacca comburebatur, sacerdos in flammam mittebat lignum cedrinum, hyssopum, coccumque bis tinctum. Lyranus tria hæc vult significare tres personas, quæ cum Christo passæ sunt; hyssopo humili herba ait significari Virginem Deiparam, quæ Christo maximè est compassa; ligno cedrino Ioannem, qui instar Cedri, ad diuina contemplanda eleuatus est; cocco bis tincto, latronem, qui tam mente, quàm corpore Christo compatiebatur: Dicerem potiùs latronem humili hyssopo significari: Virginem verò Deiparam, cocco bis tincto, propter geminam charitatem, qua maximè prædita fuit, Dei, & proximi. Theodoretus putat, lignum cedrinum significasse genus mortis Christi, nimirum crucem, cui est suffixus, coccus bis tinctus eius charitatem tam erga Deum, quàm erga homines adumbrare potest, hyssopus humilitatem, *humiliauit enim semetipsum* (vt Paulus ait) *vsque ad mortem crucis.* D. August. in Numeros, quæst. 33. Lignum (inquit) cedrinum spes est, quæ debet in supernis firmiter habitare; hyssopus, fides, quæ, cum sit herba humilis, radicibus hæret in petra; coccinum, charitas, quòd feruorem spiritus igneo colore testatur, &c. Vult itaque Augustinus, cedri ligno spem significari, quia spes excelsa est, vt cedrus, & excelsam sperat cæli gloriam. Hyssopo vult significari fidem, quia petræ firmissimæ, id est, autoritati diuinæ innititur, quemadmodum hyssopus radicibus hæret in petra; cocco bis tincto charitatem. D. quoque Gregor. lib. 6. moral. cap. 25. hyssopo fidem indicari putat, cedro spem, cocco bis tincto, charitatem. Quemadmodum ergo in flammam, qua deflagrabat vitula, cedri lignum, hyssopus, & coccus mittebatur; sic in flammam illam summi amoris, qua Christus in cruce incensus erat, mittere nos debemus semper fidei actus, & spei, maximæque charitatis, eum semper ex toto corde diligentes, qui

Merita Christi indicata aqua expiationis. — Ad Heb. 9. — Tria illa quid significent, cedrus, hyssopus, & coccus, in flammam vacca immissa. — Lyranus. — D. August. — D. Gregor.

qui pro nobis mori voluit. Denique is qui vitulam comburebat, immundus erat vsque ad vesperam : ad denotandum (ait Theodoretus) eos , qui Christum crucifixerunt, &c. Crucifixerunt Christum Iudæi ; immundi facti sunt vsque ad vesperam mundi , id est, vsque ad finem , quia tunc conuertentur ad Christum, & emundabuntur.

Theodoret.

16 Hircus emissarius , siue apopompæus, de quo etiam supra egimus,improbos, vt Origenes vult, significat. Duo hirci afferebantur ad sacerdotem; mittebantur sortes super eos,vna Domino,altera hirco emissario. Leuit.16. hircus, cuius exibat sors Domino , pro peccato offerebatur: alter autem in desertum emittebatur, portans populi iniquitates. En duo hominum genera. Sunt quidam similes capro, cuius sors Domino exiit ; quia Domino est immolatus, sunt enim quidam homines iusti ex sorte Domini, qui se Domino immolant , dum carnem macerant, & spiritui subiiciunt. Sunt alii similes capro apopompæo , siue emissario , qui peccatis suis,& alienis, quorum sunt causa onusti, in desertum, hoc est , orcum emittuntur. Origen. homil.9. in Leuiticum: Nos (inquit) singulos manet sors, vna ex duabus:aut enim bene agentes sors Domini sumus , aut malè agentes sors nostra nos ducit ad eremum : si bene vixeris, sortem tuam facies Dominum; si verò libidini seruias , sæculum diligas, & malitiam non oderis , sortem tuam feceris hirci apopompæi, vt abducaris; in desertum. Item : Quoniam is qui in sorte Domini est, spem gerit non in præsenti sæculo , sed in futuro , & cuius sors Dominus est, quotidie moritur; propterea is quidem super quem sors Domini ceciderit , iugulatur, & moritur: ille autem , qui in sortem contrariam ceciderit, non est dignus, vt moriatur : quia qui in sorte Domini est, non est de hoc mundo, ille verò de hoc mundo est, qui in mundo dimittitur, & mundus, quod suum est, diligit. Ideo non occiditur , neque dignus est iugulari ad altare Dei , neque sanguis eius ad basim altaris meretur effundi. Sic Origenes. Eodem loco ait, duos hircos adumbrare duos latrones cum Christo crucifixos , quorum alter fuit sortis Domini , alter sortis hirci emissarij: Vide (inquit) latronem , qui confitebatur Dominum factum esse sortem Domini, & abductum esse in paradisum : illum verò alium blasphemantem , sortem factum esse hirci apopompæi, qui in eremum abduceretur inferni, &c. Autor commentar.in Marcum, inter opera D.Hieron. cap.15. scribit , hirco emissario similem fuisse Barabbam , à Iudæis dimissum ; illi verò, qui mactatus est, similem fuisse Christum in cruce immolatum. Rupertus capro immolato ait Christum indicari ; hirco autem emissario Antichristum, qui peccatis onustus in orcum mittetur. Simile sacrificium extat Leuit.14. Eo capite, leprosus post emundationem lepræ duos passeres offert sacerdoti. Vnus ex illis immolabatur; alter sanguine passeris immolati tingebatur , dimissusque euolabat. Passer immolatus ex sententia Theodoreti, quæst.19.in Leuit. Christum significat,qui pro leprosis hominibus immolatus est. Passer autem qui tinctus sanguine euolabat, (vt reor) hominem adumbrat, qui Christi aspersus sanguine euolat in cælum. Beda duobus passeribus vult indicari duas hominis partes,animam,& corpus. Passer immolatus corpus indicat immolandum ,' & mortificandum: passer dimissus atque euolans animam significat in cælestia desideria volantem. Etenim si corpus non immolatur, anima terræ adhæret. Quòd si corpus mortificetur , cupiditatum vinculis soluta anima in cælestia tendit.

De hirco emissario.

Origenes.

CAPVT X.

De oblationibus principum, & alijs.

NVMERI CAP. VII.

1 FActum est autem in die qua compleuit Moyses tabernaculum , & erexit illud, vnxitque & sanctificauit cum omnibus vasis suis , altare similiter & omnia vasa eius. Obtulerunt Principes Israël , & capita familiarum , qui erant per singulas tribus , præfectique eorum qui numerati fuerant , munera coram Domino, sex plaustra tecta cum duodecim bobus. Vnum plaustrum obtulere duo duces, & vnum bouem singuli , obtulerúntque ea in conspectu tabernaculi. Ait autem Dominus ad Moysẽ : Suscipe ab eis vt seruiant in ministerio tabernaculi, & trades ea Leuitis,iuxta ordinem ministerij sui. Itaque cum suscepisset Moyses plaustra,& boues, tradidit eos Leuitis. Duo plaustra & quatuor boues dedit filiis Gerson, iuxta id quod habebant necessarium , quatuor alia plaustra, & octo boues dedit filiis Merari secundum officia , & cultum suum , sub manu Ithamar filij Aaron sacerdotis Filiis autem Caath non dedit plaustra,& boues, quia in sanctuario seruiunt , & onera propriis portant humeris. Igitur obtulerunt duces in dedicationem altaris die qua vnctum est, oblationem suam ante altare. Dixitque Dominus ad Moysen ; singuli duces per singulos dies offerant munera in dedicationem altaris. Primo die obtulit oblationem suam Nahasson filius Aminadab, de tribu Iuda, fueruntque in ea acetabulum argenteum,pondo centum triginta siclorum, phiala argentea habens septuaginta siclos iuxta pondus sanctuarij. vtrunque plenum simila conspersa oleo in sacrificium, mortariolum ex decem siclis aureis plenum incenso , bouem de armento, & arietem , & agnum anniculum in holocaustum, hircumque pro peccato, & in sacrificio pacificorum boues duos , arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque

quinque : hæc est oblatio Nahasson filij Aminadad. Secundo die obtulit Nathanael filius Suar,dux de tribu Issachar, acetabulum argenteum appẽdens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos,iuxta pondus sanctuarij, vtrunque plenũ simila conspersa oleo in sacrificium , mortariolum aureum habens decem siclos plenum incenso,bouem de armento, & arietem,& agnum anniculum in holocaustum ; hircúmque pro peccato , & in sacrificio pacificorum boues duos, arietes quinque,hircos quinque,agnos anniculos quinque,hæc fuit oblatio Nathanael filij Suar. Tertio die princeps filiorum Zabulon Eliab , filius Helon , obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos,phialam argenteam habentem septuaginta siclos ad pondus sanctuarij; vtrunque plenum simila conspersa oleo in sacrificium,mortariolum aureum appendens decem siclos plenum incenso, bouem de armento,& arietem,& agnum anniculum in holocaustum , hircúmque pro peccato,& in sacrificio pacificorũ boues duos,arietes quinque,hircos quinque, agnos anniculos quinque : hæc est oblatio Eliab filij Helon. Die quarto princeps filiorum Ruben , Elisur filius Sedeur , obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos,phialam argenteam habentem septuaginta siclos ad pondus sanctuarij, vtrunque plenum simila conspersa oleo in sacrificium , mortariolum aureum appendens decem siclos plenum incenso, bouem de armento, & arietem,& agnum anniculum in holocaustum , hircúmque pro peccato: & in hostias pacificorum boues duos,arietes quinque,hircos quinque,agnos anniculos quinque:hęc fuit oblatio Elisur filij Sedeur. Die quinto princeps filiorum Simeon Salamiel filius Surisaddai,obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos,phialam argentèam habentem septuaginta siclos , ad pondus sanctuarij, vtrunque plenum simila conspersa oleo in sacrificium, mortariolum aureum appendens decem siclos plenum incenso, bouem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum,hircumque pro peccato, & in hostias pacificorum boues duos,arietes quinque hircos quinque,agnos anniculos quinque:hæc fuit oblatio Salamiel filij Surisaddai. Die sexto princeps filiorum Gad Eliasaph filius Duel , obtulit acetabulum argenteum,appendens centum triginta siclos,phialam argenteam habentem septuaginta siclos ad pondus sanctuarij , vtrunque plenum simila conspersa oleo in sacrificium, mortariolum aureum appendens decem siclos plenum incenso bouem de armento, & arietem,& agnum anniculum in holocaustum, hircumque pro peccato:& in hostias pacificorum boues duos, arietes quinque , hircos quinque, agnos anniculos quinque : hæc fuit oblatio Eliasaph filij Duel. Die septimo princeps filiorum Ephraim,Elisama filius Amiud obtulit acetabulum argenteum, appendens centum triginta siclos,phialam argenteam, habẽtem septuaginta siclos ad pondus sanctuarij, vtrunque plenum simila conspersa oleo in sacrificium:mortariolum aureum appendens decem siclos plenum incenso,bouem de armẽto,& arietem & agnum anniculum in holocaustum, hircumque pro peccato, & in hostias pacificorum, boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque: hæc fuit oblatio Elisama filij Amiud. Die octauo princeps filiorum Manasse Gamaliel filius Phadassur, obtulit acetabulum argenteum appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos ad pondus sanctuarij,vtrunque plenum simila conspersa oleo in sacrificium, mortariolum aureum appendens decem siclos plenum incenso;bouem de armento,& arietem,& agnum anniculum in holocaustum hircúmque pro peccato,& in hostias pacificorum boues duos,arietes quinque,hircos quinque, agnos anniculos quinque: hæc fuit oblatio Gamaliel, filij Phadassur. Die nono princeps filiorum Beniamin , Abidan filius Gedeonis obtulit ; acetabulum argenteum, appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos ad pondus sanctuarij , vtrunque plenum simila conspersa oleo in sacrificium,& mortariolum aureum appendens decem siclos, plenum incenso, bouem de armento,& arietem,& agnum anniculum, in holocaustum,hircumque pro peccato , & in hostias pacificorum boues duos , arietes quinque, agnos anniculos quinque:hæc fuit oblatio Abidan filij Gedeonis. Die decimo princeps filiorũ Dan, Ahiezer, filius Ammisaddai obtulit, acetabulum argenteum,appendens centũ triginta siclos,phialam argenteam,habentem septuaginta siclos,ad pondus sanctuarij vtrunque plenum simila conspersa oleo in sacrificium,mortariolum aureum appendens decem siclos plenum incenso,bouem de armento,& arietem; & agnum anniculum in holocaustum, hircumque pro peccato , & in hostias pacificorum boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque: hæc fuit oblatio

Ahiezer filij Amisaddai. Die vndecimo princeps filiorum Aser, Phegiel filius Ochran obtulit acetabulum argenteum, pendens centum triginta siclos, phialam argenteam, habentem septuaginta siclos ad pondus sanctuarij, vtrumque plenum simila conspersa oleo in sacrificium: mortariolum aureum, appendens decem siclos plenum incêso, bouem de arméto, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum, hircumq; pro peccato, & in hostias pacificorum boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque: hæc fuit oblatio Phegiel, filii Ochran. Die duodecimo princeps filiorum Nephthali, Ahira, filius Enan obtulit acetabulum argenteum, appendens centum triginta siclos, phialam argenteam habentem septuaginta siclos ad pondus sanctuarii, vtrunque plenum, similia oleo conspersa in sacrificium; mortariolum aureum appendens decem siclos plenum incenso, bouem de armento, & arietem, & agnum anniculum in holocaustum, hircumque pro peccato: & in hostias pacificorum boues duos, arietes quinque, hircos quinque, agnos anniculos quinque: hæc fuit oblatio Ahira filii Enan. Hæc in dedicatione altaris oblata sunt à principibus Israël in die, qua consecratum est: acetabula argentea duodecim, phialæ argenteæ duodecim: mortariola aurea duodecim: ita vt centum triginta siclos argenti haberet, vnum acetabulum, & septuaginta siclos haberet vna phiala, id est, in commune vasorum omnium ex argento, sicli duo millia quadringenti pondere sanctuarii: mortariola aurea duodecim plena incenso denos siclos appẽdentia pondere sanctuarii, id est, simul auri sicli centum viginti: boues de armento in holocaustum, duodecim arietes, duodecim agni, anniculi duodecim, & libamenta eorum, hirci duodecim pro peccato. In hostias pacificorum, boues viginti quatuor, arietes sexaginta, hirci sexaginta, agni anniculi sexaginta. Hæc oblata sunt in dedicatione altaris quando vnctum est.

De Paschate celebrato in deserto montis Sinai.

NVMERI CAP. IX.

2 LOcutus est Dominus ad Moysen in deserto Sinai, annō secundo, postquam egressi sunt de terra Ægypti, mense primo dicens: Faciant filii Israël Phase in tempore suo, quarta decima die mensis huius ad vesperam, iuxta omnes ceremonias, & iustificationes eius. Præcepitque Moyses filiis Israël, vt facerent Phase. Qui fecerunt tempore suo, quarta decima die mensis ad vesperam in monte Sinai. Iuxta omnia quæ mandauerat Dominus Mosi, fecerunt filii Israël. Ecce autem quidam immundi, super anima hominis, qui non poterant facere Phase in die illo, accedentes ad Moysen & Aaron, dixerunt eis, immundi sumus super anima hominis, quare fraudamur vt non valeamus oblationem offerre Domino in tempore suo, inter filios Israël; Quibus respondit Moyses: State vt consulam quid præcipiat Dominus de vobis: Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere filiis Israel. Homo qui fuerit immundus super anima, siue in via, procul in gente vestra, faciat Phase Domino in mense secundo, quarta decima die mensis ad vesperam, cum azymis, & lactucis agrestibus comedent illud: non relinquent ex eo quippiam vsque manè, & os eius non confringent, omnem ritum Phase obseruabunt. Si quis autem & mundus est, & in itinere non fuit, & tamen non fecit Phase, exterminabitur anima illa de populis suis, quia sacrificium Domino non obtulit tempore suo, peccatum suum ipse portabit. Peregrinus quoque, & aduena si fuerint apud vos, facient Phase Domino, iuxta ceremonias, & iustificationes eius. Præceptum idem erit apud vos, tam aduenæ, quàm indigenæ.

De numeratione populi in monte Sinai.

NVMERI CAP. I.

1 LOcutusq; est Dominus ad Moysen, in deserto Sinai, in tabernaculo fœderis, prima die mensis secundi, anno altero egressionis eorum ex Ægypto dicens: Tollite summam vniuersæ congregationis filiorum Israel, per cognationes, & domos suas, & nomina singulorum; quidquid sexus est masculini à vigesimo anno, & supra omnium virorum fortium ex Israel, & numerabitis eos per turmas suas, tu & Aaron, eruntque vobiscum principes tribuum, ac domorum in cognationibus suis.

De

De castrorum metatione.

NVMERI CAP. II.

4 LOcutusque est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens: Singuli per turmas signa, atque vexilla, & domos cognationum suarum castrametabuntur filii Israël, per gyrum tabernaculi fœderis. Ad orientem Iudas figat tentoria per turmas exercitus sui: eritque princeps filiorum eius Nahasson filius Aminadab, & omnis de stirpe eius summa pugnantium, septuaginta quatuor millia sexcenti. Iuxta eum castrametati sunt de tribu Issachar, quorum princeps fuit Nathanaël filius Suar. & omnis numerus pugnatorum eius, quinquaginta quatuor millia quadringenti. In tribu Zabulon princeps fuit Eliab filius Helon. omnis de stirpe eius exercitus pugnatorum, quinquaginta septem millia quadringenti. Vniuersi qui in castris Iudæ enumerati sunt, fuerunt centum octoginta sex millia quadringenti: & per turmas suas primi egredientur. In castris filiorum Ruben ad meridianam plagam erit princeps Elisur filius Sedeur: & cunctus exercitus pugnatorum eius qui numerati sunt, quadraginta sex millia quingenti. Iuxtà eum castrametati sunt de tribu Simeon: quorum princeps fuit Salamiel filius Surisaddai: & cunctus exercitus pugnatorum eiusqui numerati sunt, quinquaginta nouem millia trecenti. In tribu Gad princeps fuit Eliasaph filius Duel: & cunctus exercitus pugnatorum eius qui numerati sunt, quadraginta quinque millia sexcenti quinquaginta. Omnes qui recensiti sunt in castris Ruben, centum quinquaginta millia & mille quadringenti quinquaginta per turmas suas: in secundo loco proficiscentur. Leuabitur autem tabernaculum testimonij per officia Leuitarum & turmas eorum. quomodo erigetur, ita & deponetur. Singuli per loca & ordines suos proficiscentur.

5 Ad occidentalem plagam erunt castra filiorum Ephraim, quorum princeps fuit Elisama filius Ammiud: cunctus exercitus pugnatorum eius, qui numerati sunt, quadraginta millia quingenti. Et cum eis tribus filiorum Manasse, quorum princeps fuit Gamaliel filius Phadassur: cunctusque exercitus pugnatorum eius qui numerati sunt, triginta duo millia ducenti. In tribu filiorum Beniamin princeps fuit Abidan filius Gedeonis: & cunctus exercitus pugnatorum eius qui recensiti sunt, triginta quinque millia quadringenti. Omnes qui numerati sunt in castris Ephraim, centum octo millia centum per turmas suas: tertii proficiscentur. Ad Aquilonis partem castrametati sunt filii Dan: quorum princeps fuit Ahiezer filius Ammisaddai: cunctus exercitus pugnatorum eius qui numerati sunt, sexaginta duo millia septingenti. Iuxta eum fixere tentoria de tribu Aser: quorum princeps fuit Phegiel filius Ochran: cunctus exercitus pugnatorum eius qui numerati sunt, quadraginta millia & mille quingenti. De tribu filiorum Nephthali princeps fuit Ahira filius Enan. cunctus exercitus pugnatorum eius, quinquaginta tria millia quadringenti. Omnes qui numerati sunt in castris Dan, fuerunt centum quinquaginta septem millia sexcenti: & nouissimi proficiscentur. Hic numerus filiorum Israël, per domos cognationum suarum & turmas diuisi exercitus, sexcenta tria millia quingenti quinquaginta. Leuitæ autem non sunt numerati inter filios Israël: sic enim præceperat Dominus Moysi. Feceruntque filii Israël iuxta omnia quæ mandauerat Dominus. Castrametati sunt per turmas suas, & profecti per familias ac domos patrum suorum.

6 *Principes tribuum plaustra obtulerunt.*

DVodecim tribus duodecim habebant principes. Hi cùm erectum est tabernaculum, dona obtulerunt Deo, quæ numerantur cap. 7. Numerorum. In primis quia ad portandum tabernaculi plaustra opus erant, obtulerunt duodecim principes sex plaustra cum bobus duodecim. Duo principes plaustrum vnum obtulerunt, duodecim obtulerunt, sex plaustra, & duodecim boues. Erant autē plaustra tecta, ad ferenda vasa tabernaculi: illa tradidit Moses Leuitis, non quidem Caathitis, quia arcam cæteraque onera sanctiora ferebant humeris, sed Gersonitis, & Meraritis. Gersonitis dedit duo plaustra, & boues quatuor, quia molliora ferebant, vt cortinas tabernaculi, & similia, neque pluribus indigebant. Meraritis dedit plaustra quatuor, & boues octo, quia duriora portabant, scilicet tabulas, columnas; & similia, necessaria quæque erant illis plura plaustra. Post oblata plaustra, obtulerunt iussu Domini huiusmodi duces populi Israël alia munera, singuli per singulos dies, vt leges Numer. 7.

7 *Morale. Boni principes Ecclesiæ opem ferunt.*

Obtulerunt principes populi plaustra tecta ad ferendum Dei tabernaculum. Indicat locus principum esse, & regum, dona Deo, & plaustra offerre, quibus portetur Ecclesia. Boni enim principes Ecclesiam iuuant; opibus suis, si opus est, subleuant: denique veluti plaustra quædam subministrant, quibus per hanc solitudinem feratur. Indicat etiam locus, beneficia Ecclesiastica dari propter officia. Dantur plaustra iis, qui tabernaculi portant onera: sic beneficia iis danda, qui Ecclesiæ onera portēt. Absque plaustris portant humeris Caathitæ onera: sic viri religiosi absque beneficiis Ecclesiasticis, quæ ipsis tribuantur, humeris portant onera diuinas laudes canendi,

Beneficia iis danda, qui onera eorum portant.

canendi, & concionandi populis, tum Christiani, tum Ethnicis, & confessiones audiendi.

8 Antequam ex monte Sinai descenderent, iussit Dominus Israelitas pascha celebrare, iussis obtemperarunt, die decima quarta mensis Nisan, anno secundo, postquàm egressi sunt ex AEgypto, agnum paschalem comederũt, & azymorum dies celebrarunt, eo ritu qui suprà descriptus est. Quidam autem, quos funus mortui contaminauerat, celebrare pascha illo die non potuerant, ideo Moses, & Aaron consuluerunt. Moses consuluit Deum, à quo accepit eos, qui propter mortuos essent (vt ita dicam) irregulares, eos quoque qui essent in via procul, pascha debere agere mense sequenti post Nisan, id est, mense secundo anni sacri, die decima quarta mensis. D. Cyrillus hic typum agnoscit Iudæorum; Iudæos ait Christi, quem occiderunt morte contaminatos non egisse pascha, verùm mense primo, id est, primo tempore Messiæ, sed acturos mense secundo; id est, extremo tempore, cùm ad Dominum conuertentur: ille enim verum pascha agit, qui ad Dominum Christum conuertitur. Cyrillus lib. 17. de adoratione: Immundos (inquit) in anima hominis, & eam ob causam mense secundo festum agentes, Iudæos esse cerisebimus; Christi cæde contaminatos: misericordia tamen illius, consequentibus temporibus, tanquam secundo mense, ipsi quoque Christi fient participes, & festum agent. Cum enim ad Roman. 11. *Plenitudo gentium introierit, tunc omnis Israël saluus fiet.* Hęc D. Cyrillus.

De paschate celebrato in monte Sinai.

Iudæorum conuersio in fine mundi.

D. Cyrillus.

Ad Rom. 11.

9 Post pascha celebratum mense primo, Dominus mense secundo imperauit Mosi. Num. 1. vt viros numeraret bellatores ab anno vigesimo. Ille simul cum Aarone, & duodecim tribuum principibus imperata fecit. Numerus autem eorum, qui in bellum poterant procedere, fuit sexcentorum triũ millium quingentorum, & quinquaginta, omissis pueris, & adolescentibus infra annos viginti, & fœminis. Ostendit hæc numeratio id, quod Dominus Abraham pollicitus est Genes. 22. *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam quæ est in littore maris.* Septuaginta animæ, Genes. 46. ex semine Abraham, & Iacob in AEgyptum venerunt: Dei verò beneficio ita hoc semen Abrahami creuit, hæc pauca grana sic exuberarunt, vt in sterili AEgypti terra fœcundissimam messem attulerint Deut. 10. ait Moses: *In septuaginta animabus, descenderunt patres tui in AEgyptum: & ecce nunc multiplicauit te Dominus sicut astra cæli.* Non sunt numerati pueri, aut fœminæ, aut AEgyptii illi, qui cum Israelitis profecti sunt ex AEgypto, vnde Origenes homil. 1. in Numer. Donec (inquit) inest alicui nostrum, vel puerilis, & lubricus sensus, vel fœminea, & resoluta segnities, vel AEgyptios gerimus, & barbaros mores; haberi apud Deum in sancto, & cõsecrato numero non meremur. Sic ille. Viri solùm bellatores numerantur, quia Ecclesia Dei exercitus est virorum bellatorum, qui cum tartareis hostibus perpetuum bellum gerunt. Hac numeratione numerati sunt viri ad pugnam apti; Leuitæ verò quia tabernaculi ministerio destinati erant, non sunt numerati. Numer. 1. ait Dominus Mosi: *Tribum Leui noli numerare, neque pones summam eorum cum filijs Israel, sed constitue eos super tabernaculum testimonij,* &c. Cap. verò 3. Numer. iussit Leuitas numerati ab vno mense, & suprà: *Locutus est Dominus ad Moysen in deserto Sinai, dicens: Numera filios Leui per domos patrum suorum, & familias, omnem masculum ab vno mense, & supra.* Peruenit autem Leuitarum numerus ad viginti duo millia. Seorsum numerati sunt Leuitæ à reliquis tribubus, vt intelligant ij, qui in tabernaculo, id est, Ecclesia Dei ministrant, debere se à sæcularium hominum viuendi ratione, ab eorumque numero, & vitiis valde esse separatos. Ab vno mense, & supra numerantur Leuitæ; quia oportet eos, qui Deo sunt ministraturi, à teneris, vt aiunt, vnguiculis Deo nomina dare, illique inseruire. Numerati sunt Leuitæ iterum Num. 4. sed viri tantùm à trigesimo anno, vsque ad quinquagesimum, vt ferrent onera tabernaculi, numerus fuit plusquam octo millium. Capite 8. lib. 5. egimus de numeratione populi cuius mentio fit Exod. 30. ibi videbis, an fierit illa numeratio diuersa ab hac.

De numeratione populi in monte Sinai.

Genes. 22.

Multiplicatio Hebræorum.

Deut. 10.

Origenes. Morale

Leuitæ non sunt numerati cum reliquis.

Num. 1.

Num. 3.

Numeratio Leuitæ separatio.

Morale. De viris Ecclesiasticis.

10 Castrametandi ratio traditur Numer. 2. in hunc modum: In medio, & veluti in corde castrorum tabernaculum collocabatur. Circum tabernaculum Leuitę tentoria figebant. Gersonitæ castrametabantur ad occidentalem tabernaculi plagam, Num. 3. versa facie, & ostio tentorii in tabernaculum, sic etiam reliqui propter honorem tabernaculi figebant tentoria. Caathitæ ad meridianam; Merarítæ ad septentrionalem; Moyses autem, & Aaron cum filijs sacerdotibus, ad orientalem, ante tabernaculum. Itaque propinquiores erant tabernaculo Leuitæ, idque circumdabant omni ex parte orientali, occidentali, meridiana, & aquilonari. Post Leuitas cingebant idem tabernaculum reliquæ tribus duodecim. Orientalem plagam obtinebant tres tribus, nimirum tribus Iuda, tribus Issachar, & tribus Zabulon. Plagam meridianam tribus Ruben protegebat, tribus Simeon, & tribus Gad. Occidentalem tribus Ephraim, tribus Manasse, & tribus Beniamin. Aquilonarem, tribus Dan, tribus Aser, tribus Nephthali. Habebant autem vexilla sua singulæ tribus, vt constat ex cap. 2. Numer. *Singuli* (ait Dominus) *per turmas, signa, atque vexilla, & domos cognationum suarum castrametabuntur filij Israel per gyrum tabernaculi.* Quatuor fuisse vexilla præcipua, colligitur ex cap. 2. Numer. Primum, tribus Iuda: secundum, tribus Ruben: tertium, tribus Ephraim: & quartum, tribus Dan. Etenim aliæ duæ tribus sub prima numerantur. Numer. 2. *Vniuersi qui in castris Iudæ enumerati sunt, fuerunt centum octaginta sex millia quadringenti.* Castra autem Iudæ appellat, quæ Iudæ, & Issachar, & Zabulon milites complectebantur. Sic etiam loquitur scriptura de castris Ruben, Ephraim, & Dan; trium enim tribuum milites singulis castris tribuit. Denique ex duodecim tribubus, quatuor castra constituebantur. In oriente castra tribus Iudæ locata erant: in occidente castra tribus Ephraim: versùs meridiem castra tribus Ruben: versùs aquilonem castra erant tribus Dan. Videtur ergo fuisse quatuor vexilla præcipua in iis quatuor castris, quæ milites sequerentur. His vexillis tribuit Rabbi Abraham, vt refert Abulens. quatuor imagines animalium, quorum meminit Ezech. cap. 1. In vexillo Iudæ aquilæ imaginem pictam fuisse coniicit: in vexillo Ruben imaginem hominis: in vexillo Ephraim leonis: in vexillo Dan bouis. Alij vexillo Iudæ leonem tribuũt, iuxta illud Gen. 49. *Catulus leonis Iuda:* vexillo Ruben hominem, quia primus fuit homo ex Iacob natus, & filius

De castrorum metatione.

Totus populus in circuitu tabernaculi castrametabatur.

Vexilla habebat exercitus Israelitarum. Num. 2.

Num. 2.

Quatuor vexilla præcipua.

Genes. 49.

& filius primogenitus: vexillo Ephraim bouem, quia Ephraim filius fuit Ioseph, de quo Moses Deut. 33. *Quasi primogeniti* (ait) *tauri pulchritudo eius,* &c. Vexillo Dan serpentem, iuxta illud Gen. 49. *Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita.* Paulus Burgensis, Numer. 2. additione secunda, scribit, hæc fuisse signa vexillorum ex sententia antiquorum Hebræorum. In vexillo Iudæ fuisse leonem; in vexillo Ruben hominem; in vexillo Ephraim taurum; in vexillo autem Dan fuisse aquilam. Dan quidem similẽ dixerat pater Iacob colubro, quia verò colubri effigies non est digna vexillo, data est illi, effigies aquilæ. Dauidis insigne fuisse leonem, & regum Iuda ait Rabbi Abraham in sua histor. apud Genebrard.

Deut. 33.

Genes. 49.

11 Ex hac castrametandi ratione discimus, sacerdotum, & cæterorum Ecclesiæ ministrorum officium esse tabernaculum, id est, Ecclesiam circumdare, ac defendere, illique inseruire. Circumdabant Leuitæ, & sacerdotes tabernaculum; circumdent, & tueantur Ecclesiam ministri Ecclesiæ. Propinquiores erant tabernaculo Leuitæ: sic propinquiores sunt Ecclesiæ ministri eius. Neque verò solùm Leuitæ per gyrum tabernaculi castrametantur, sed etiam reliquæ tribus, quia non solum Ecclesiæ ministri eam tueri debent, sed etiam cæteri Christiani omnes. Regum enim est, principumque, & omnium Christianorum, matrem suam Ecclesiam sanctam protegere, ac defendere.

Morale. Ecclesiastici viri Ecclesiam circumdent, & protegant. Similiter populus totus Christianus.

12 Totus populus Israëliticus sub quatuor vexillis præcipuis, terram promissionis petebat: sic totus populus Christianus, sub quatuor Euangeliis, velut sub quatuor vexillis, in cælum promissum iter facit. Primum vexillum Matthæi, effigiem habet hominis: secundum Marci, effigiem habet leonis: tertium Lucæ, imaginem fert bouis: quartum Ioannis, attollit imaginem aquilæ volantis. De iis diximus tom. 1. Concord. Euangel. Felices illi sunt Christiani, qui hæc quatuor vexilla sequuntur, & quæ in sacris Euangeliis scripta sunt, opere præstant. Numer. cap. 1. *Singuli* (ait Dominus) *per turmas, signa, atque vexilla, & domos cognationum suarum, castrametabuntur filij Israel per gyrum tabernaculi.* Origen. homil. 2. in lib. Numer. versionem LXX. interpretum sequitur, quæ huiusmodi est: *Homo secundùm ordinem suum, & secundùm signa sua, & secundùm domos familiarum suarum incedat in castris,* &c. In hæc verba ille docet omnia secundùm ordinem debitum in Ecclesia facienda esse. Si de sacerdotibus loquamur, sequantur omnes vexillum Christi, quod Episcopi, vel Archiepiscopi preferunt. Religiosi quoque viri sequantur vexilla Christi, & suarum religionum, quæ sanctissimi fundatores extulerunt: ab illis non recedant, castrametentur per turmas suas, & signa, ac vexilla sanctorum fundatorum, Omnes verò tam Ecclesiastici, quam Laici summum sequantur vexillum summi Pontificis, veluti columnam fidei, & itineris ducem, in terram repromissionis. Origenes loco indicato: Agnoscat (inquit) vnusquisque ordinem suum, & quid dignum sit eo ordine, quem suscepit intelligat: & ita libret actus suos, ita etiam sermonem, incessum quoque ipsum, & habitum moderetur, vt cum ordinis sui professione conueniat, &c.

Quatuor Euangelia sunt quatuor vexilla Christianorum.

Morale. Num. 1.

Christi & summi Pontificis vexillum sequitur populus Christianus.

Origenes.

CAPVT XI.

De profectione populi ex monte Sinai.

NVMERI CAP. X.

1 LOcutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus conuocare possis multitudinem, quando mouenda sunt castra. Cũmque increpueris tubis, congregabitur ad te omnis turba ad ostium tabernaculi fœderis. Si semel clangueris, venient ad te principes, & capita multitudinis Israël. Si autem prolixior atque concisus clangor increpuerit, mouebunt castra primi qui sunt ad orientalem plagam. In secundo autem sonitu & pari vlulatu tubæ, leuabunt tentoria qui habitant ad meridiem, & iuxta hunc modum reliqui facient, vlulantibus tubis in profectionem. Quando autem congregandus est populus, simplex tubarum clangor erit, & non concisè vlulabunt. Filii autem Aaron sacerdotes clangent tubis: eritq; hoc legitimum sempiternum in generationibus vestris. Si exieritis ad bellum de terra vestra contra hostes qui dimicant aduersum vos, clangetis vlulantibus tubis, & erit recordatio vestri coram Domino Deo vestro, vt eruamini de manibus inimicorum vestrorum. Si quando habebitis epulum, & dies festos, & calendas, canetis tubis super holocaustis, & pacificis victimis, vt sint vobis in recordationem Dei vestri: ego Dominus Deus vester. Anno secundo, mense secundo, vigesima die mensis, eleuata est nubes de tabernaculo fœderis: profectiq́ue sunt filij Israël per turmas suas de deserto Sinai, & recubuit nubes in solitudine Pharan.

2 ANno secundo exitus à terra AEgypti, vt scriptum est cap. 10. Numer. mense secundo, quem Hebræi Iiar appellant, respondétque nostro Aprili, die vigesima mensis, eleuata est ab angelo nubes itineris dux, quæ super tabernaculum erat, signumque proficiscendi præbuit parauit igitur se populus ad iter agendum, Vnde colliges mansisse Israëlitas in mansione mõtis Sinai ferè per annum vnum. In primis tabernaculum Dei deposuerunt Leuitæ, eo modo qui præscriptus est cap. 4. Numer. à Domino: *Tabernaculum* (inquit) *fœderis, & Sanctum sancto-*

In mansione montis Sinai mansit populus per annum vnum. Num. 4.

rum ingredientur Aaron, & filij eius, quando mouenda sunt castra, & deponent velum, quod pendet ante fores, inuoluéntque eo arcam testimonij, & operient rursum velamine ianthinarum pellium, extendentq; desuper pallium totum hyacinthinum, & inducent vectes. Mensam quoque propositionis inuoluent hyacinthino pallio, & ponent cum ea thuribula, & mortariola, cyathos, & crateras, ad liba fundenda; panes semper in ea erunt. Denique omnia vasa sanctuarij iussit Dominus tecta tradi Caathitis; à sacerdotibus, aream, Cherubinos, mensam, altare thymiamatis, & altare holocaustorum, Numer. 4. *Cùm inuoluerint Aaron, & filij eius sanctuarium, & omnia vasa eius in commotione castrorum: tunc intrabunt filij Caath, vt portent inuoluta, & non tangent vasa sanctuarij, ne moriantur.* Item: *Aaron, & filij eius intrabunt, ipsiq; disponent opera singulorum, & diuident, quid portare quis debeat. Alii nulla curiositate videant, quæ sunt in sanctuario priusquam inuoluantur, alioquin morientur.* Portabant itaque Caathitæ sanctiora tabernaculi onera, sed velata: reliqua, vt suprà diximus, portabant Gersonitæ, & Meraritæ.

Deponitur tabernaculũ. — Num. 4. — Ibid.

3. Postquam nubes eleuata est, signum datum est tubis descendendi ex monte Sinai. Num. 10. sic præcepit Dominus Mosi: *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles, quibus conuocare possis multitudinem, quando mouenda sunt castra.* Ordo autem mouendi castra eodem loco traditur: *Si prolixior* (ait Dominus) *atque concisus clangor increpuerit, mouebunt castra primi, qui sunt ad orientalem plagam. In secundo autem sonitu, & pari vlulatu tubæ leuabunt tentoria, qui habitant ad meridiem, & iuxta hunc modum reliqui facient, vlulantibus tubis in profectionem*, &c. Munus autem clangendi tubis erat sacerdotum. *Filij Aaron*, (ait Dominus) *sacerdotes clangent tubis*, &c. Cecinerunt ergo tubis sacerdotes, sublatumque est vexillum primum tribus Iudæ, quæ ad orientem castrametabatur, cum Issachar, & Zabulon; motaque sunt prima castra Iudæ. Hebraicè dicitur: *Profectum est vexillum castrorum filiorum Iudæ.* Castra verò Iudæ secuti sunt Gersonitæ, & Meraritæ, cum oneribus tabernaculi, & plaustris. Postea sonante tuba vexillum Ruben eleuatum est, quod sequebatur tribus Ruben, tribus Simeon & Gad. Hæc secunda castra, & media sequebantur Caathitæ, qui sanctiora onera portabant, Numer. 10. Gersonitæ autem, & Meraritæ præcedebant, vt tabernaculum ex tabulis, & cortinis prius erigerent, cùm erant castra metanda. Erecto iam tabernaculo adueniebant Caathitæ, & onera sua in tabernaculo erecto deponebant. Tertio loco iter facere cœpit signifer tribus Ephraim, cui adhærebant tribus Manasse, & tribus Beniamin. Extremam castrorum partem obtinebat vexillum Dan, sequente tribu Dan, & tribu Aser, & tribu Nephthali. Vbi legimus: *Profecti sunt filij Ruben per turmas suas*, &c. Hebraicè legitur: *Discessit vexillum castrorum filiorum Ruben*, &c. Similiter ex Hebræo vertitur: *Discessit vexillum castrorum filiorum Ephraim*, &c. Item: *Discessit vexillum castrorum filiorum Dan.* Vnde constat fuisse quatuor castra, vexillaque præcipua quatuor.

Tubarum datur signum. Num. 10. — Ibid. — Iudæ vexillũ primum erat, secundum Ruben, tertium Ephraim, quartũ Dan.

4. In fine eiusdem cap. 10. Numer. ait Moses, arcam Domini præcessisse Israelitas per tres dies, prouidisseque castrorum locum. Cùm verò arca in humeros vehentium eleuaretur, dicebat Moyses: *Surge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant, qui oderunt te à facie tua.* Cùm autem deponeretur ex humeris aiebat: *Reuertere Domine ad multitudinem exercitus Israel.* Mosem imitatus est Dauid, Psal. 67. cuius initium hoc est: *Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiant qui oderunt eum à facie eius*, &c. Præcessit arca populum per tres dies, columna verò nubis, & ignis super arcam ferebatur; quia tabernaculum solutum erat, cui cùm erat erectum incubabat. De nube sic scribit Moses, Num. 9. *Die qua erectum est tabernaculum, operuit illud nubes. A vespere autem super tentorium erat quasi species ignis, vsque mane. Sic fiebat iugiter, per diem operiebat illud nubes, & per noctem quasi species ignis. Cumque ablata fuisset nubes, quæ tabernaculum prætegebat, tunc proficiscebantur filij Israel: & in loco vbi steriisset nubes, ibi castrametabantur. Ad imperium Domini proficiscebantur, & ad imperium illius figebant tabernaculum.* Nubes ergo loca castrorum prouidebat, id est, angelus, qui nubem mouebat. Hoc autem loco dicitur arca prouidisse locum castrorum, quoniam arcæ, vice tabernaculi, nubes imminebat, & castrorum locum arcæ imminens, & quiescens eadem nubes indicabat. Quiescebat etiam nubes bis quotidie semel ad prandium sumendum, iterum ad sumendam cœnam, & somnum; sed tunc non figebant tentoria. Quando verò figenda erant, peculiari aliquo motu nubes significabat.

Psal. 67. — Nubes apparebat super tabernaculum. — Num. 9.

5. Dubium est, *an toto itinere præcesserit arca populum; an solum eo tempore quo profecti sunt ex monte Sinai.* Non præcessisse toto itinere probatur, quia fit tantùm mentio trium dierum, Numer. 10. *Arca præcedebat eos per dies tres prouidens castrorum locum.* Ergo tantùm per tres dies præcessit populum. Postea enim nullibi mentio fit arcæ præcedentis per solitudinem. Respondetur, probabilius esse, arcam Dei præcessisse castra primis tribus diebus tantùm, vt opinatur Abulens. Numer. 10. quæst. 71. Initio enim itineris voluit Dominus arcæ honorem ducis tribuere, vt per tres dies populum anteiret, illique nubes imposita viam ostenderet: post tres dies itineris à Caathitis post vexillum Ruben humeris portata est, vsque ad Iordanem fluuium. Nam cùm Deus vellet magno miraculo, populum per medium Iordanem in terram repromissionis ducere, voluit arcam tunc non à Caathitis, sed à sacerdotibus humeris portari, Israelitasque præcedere, Iosue 3. *Sit inter vos, & arcam spatium cubitorum duorum millium, vt procul videre possitis, & nosse per quam viam ingrediamini*, &c. Intercedebat inter arcam, & populum spatium cubitorum duorum millium; tum propter reuerentiam, tum vt illam itineris per Iordanem fluuium ducem posset cernere. Munus Caathitarum erat arcam portare, vt diximus. Aliquando tamen sacerdotes ex peculiari aliqua causa illam portabant; vt cùm Iordanem pertransierunt, & cùm muros Iericho circuierunt eam ferentes, Iosue 6.

An arca toto itinere præcesserit populum? — Num. 10. — Iosue 3.

Quæritur, *vbinam in itinere Israelitarum resideret nubes?* Etenim in tabernaculo non residebat, siquidem non erat erectum. Lyran. Num. 10. ait, tempore motionis castrorum nubem resedisse super vexillum Iudæ, quod præcedebat totum exercitum: tempore autem quietis mansisse super arcam. Abulens. quoque Num. 9. quæst. 43. Nubes (inquit) eleuabatur de tabernaculo, & sedebat super vexillum tribus Iudæ, &c. Putabit tamen aliquis, nubem non mansisse super vexillum Iudæ tempore, quo iter agebant Hebræi, sed

6 Vbinam resideret columna nubis in itinere? — Abulensis.

sed super arcam, quamuis illa portaretur post vexillum Iudæ, & post vexillum Ruben, in medio castrorum. Nam nubes solebat in tabernaculo residere, Numer. 9. *A vespere super tentorium erat quasi species ignis vsque mane, sic fiebat iugiter. Per diem operiebat illud nubes, & per noctem quasi species ignis.* Tabernaculum autem erat in medio castrorum, vt vidimus suprà; ergo non erat opus nubem primo vexillo Iudæ imminere, imminebat enim non tabernaculo, quia solutum erat, sed potissimæ parti illius, videlicet arcæ, quæ in medio ferebatur castrorum. At refellitur existimatio hæc, quia tempore, quo quiescebat populus, manebat nubes in medio castrorum super tabernaculum; tunc enim non indicabat viam. Cùm autem mouebantur castra, oportebat indicare viam, atque adeo non in medio castrorum incedebat, sed totum populum præcedebat. Dicendum ergo est, incubuisse nubem vexillo Iudæ, quod erat primum: vel est respondendum, arcam per viam semper præcessisse populum, atque in ea nubem resedisse ducem viæ: vel potiùs credendum est, nubem ipsam, neque super vexillum, neque super arcam, sed ab arca, & vexillo Iudæ separatam omnibus ostendisse viam: Non enim opus habebat aliquo fulcimento.

Num. 9.

7 Nonnulli verba illa: *arca præcedebat eos per tres dies*, sic interpretati sunt: arca per tres dies, antequam castra mouerentur, discedebat à castris, & ad locum, in quo castra metanda erant, priusquam populus per tres dies peruenieba. sed caret probabilitate interpretatio, vt rectè eam expendenti constabit. Extremo loco quæritur, *quinam arcam comitarentur?* Respondetur, multos Caathitas esse comitatos, vt illam inuicem ferrent, aliique aliis succederent: neque enim iidem semper arcam portabant. Credendum præterea est, Aaron, & filios eius, neque solùm illos, sed etiam Mosem arcam comitatos, id enim arcæ postulabat dignitas. Probatur verò quia cùm arca eleuabatur, Moses dicebat: *Surge Domine, & dissipentur inimici tui*: cùm deponebatur, dicebat: *Reuertere Domine*, &c. Ergo præsens erat eo in loco, vbi arca eleuabatur, & deponebatur.

CAPVT XII.

MORALE.

De profectione populi ex monte Sinai.

Numer. cap. 10. *Mouerunt castra primi iuxta imperium Domini.*

1 Milites sumus in hoc itinere ad cælum promissum. Iob. 7.

ITer faciebant Israëlitæ in terram repromissionis, instar militum constitutis castris: sic nos instar militum in castris degentium iter facimus in cælum nobis promissum. Etenim, vt legitur Iob. 7. *Militia est vita hominis super terram.* Si militia est vita nostra, militare nos oportet, castrisque ordinatis iter agere armis instructos. Indicat Apostolus hostes, cum quibus certamus, fortissimos, imbecillis expertes carnis, dimicareque ait ex loco superiori. Ad Ephes. 6. *Non est* (inquit) *nobis colluctatio aduersùs carnem, & sanguinem, sed aduersùs principes, & potestates, aduersùs mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritalia nequitiæ in cælestibus.* Vides hostium fortitudinem, vides locum superiorem, *in cælesti-*

Ad Ephes. 6.

bus, in aëre enim versantur. Arma etiam, quæ ferenda sunt, ostendit eodem loco subiiciens: *Propter quod accipite armaturam Dei, vt possitis resistere in die malo*, &c, Græcè, ἀναλάβετε τὴν πανοπλίαν, id est, *accipite omnem armaturam.* Oportet ergo nos instar militum incedere, omnibus armis aduersùs hos hostes indutos, quibus auxilium ferunt duo præcipui duces, multis stipati militibus, videlicet caro, & mundus. Caro, inquam, multis stipata cupiditatibus: mundus multis stipatus vanitatibus. Qualis militum vita sit, docet D. Basilius in præfat. in Ascetica: Miles (inquit) non domos ædificat, non comparandis agrorum possessionibus vacat, non variis se quæstuosarum mercaturarum generibus immiscet. In plateis tabernaculum sibi ponit; cibum sola necessitate metitur, potio, aqua, somni quantum requirit natura: itinera frequentia, iteméque vigiliæ; ad frigora, caloresque tolerandos aeris patientia, &c. Caueat igitur miles Christi delitias, amet vitæ duritiem, ac patientiam, si hostes vult vincere. Nam delicati milites pondus armorum Christi ferre recusant, militiaque Christianæ labores fugiunt. Corpus assuetum tunicis (ait D. Hieron. epist. 1.) loricæ onus non fert, caput opertum linteo galeam recusat, mollem otio manum durus exasperat capulus, &c.

D. Basilius. Militis vita. — Ne sint delicati milites. — D. Hieron.

2 Charitas & vnitas militum requiritur.

C Charitas præcipuè in exercitu vigeat Christiano, hoc enim mandatum à duce nostro Christo habemus, *vt diligamus inuicem.* Quemadmodum miles militi in acie adhæret, ne hostibus aditus pateat: sic Christianus Charitate adhæreat Christiano, ne si odium, vel inuida aciem disrumpat, diabolus irrumpat. D. Gregor. Cantic. 6. Notum (inquit) expertis est, quòd milites, cùm in procinctu contra hostes vadunt, si strictim & concorditer gradiuntur, ab hostibus contrà venientibus timentur. Illisque hoc impenetrabile munimentum efficitur, quòd concorditer ordinati, seipsis semetipsos tuentur. Dum enim de seipsis vallum efficiunt sibi, intrandi ad se aditum hostibus non relinquunt, &c. Hoc milites in acie faciunt; quid verò Christiani facere debeant in exercitu, castrisque suis, docet idem Gregorius hæc addens: Sic (inquit) in multitudine fidelium contingit, quæ dum contra malignos spiritus pugnare non desinit, necesse est, vt pace charitatis constringatur. Si enim pacem tenet, terribilis hostibus apparet: si per discordiam scinditur, vndique ab hostibus leuiter penetratur. Pace itaq; se muniat, vnitate se vinciat, charitate se vniat. Hæc ille.

D. Gregor. — D. Gregor.

3 Cant. 6.

Cant. 6. quæritur: *Quæ est ista, quæ progreditur quasi aurora consurgens, pulchra vt luna, electa vt sol, terribilis vt castrorum acies ordinata?* Ex Hebræo verti potest, *vt castrorum acies vexillata.* hoc est, vexillis insignita, sub vexillis ordinata. Respondet Chaldæus paraphrastes, hanc Ecclesiam esse illam antiquam, quæ per desertum progrediebatur, lunæ, solique similis, cuius terror erat super habitatores terræ, quando ambulabant vexilla eius per desertum. Nos respondemus, hanc esse Ecclesiam Catholicam, cuius illa antiqua per desertum ambulans vmbra fuit. Ecclesia enim Catholica in hoc terrarum orbe progreditur in terram promissam, velut luna, & velut sol splendidus: terribiliaque sunt eius castra, & quatuor Euangeliorum vexilla hostibus tartareis. Horum castrorum fit etiam

Ecclesia per desertum tendat terribilis hostibus, vt castrorum acies ordinata.

Cant. 7. etiam mentio. Cantic. 7. *Quid videbis in Sulamite nisi choros castrorum?* in quæ verba Theodoretus sic ait: Multis ex sanctis conflata sponsa, cùm propter fortitudinem, & animi robur excelsum, armaque militaria; castris est similis; tum etiam chorus existit, diuinas laudes in ore gerens, &c. Psalm. 149. *Exaltationes Dei in gutture eorum, & gladij ancipites in manibus eorum.* Sic milites Christi præliantur, oculis in Deo fixis orant; gladios verò spiritales habentes, aduersùs mundum, carnem, tartareosque hostes pugnant. Orando, pugnandoque vincitur hostis; auxilium enim semper in hoc bello à Deo postulandum est, quia ipse nos pugnare docet, iuxta illud Psalm. 143. *Benedictus Dominus Deus meus, qui docet manus meas ad prælium, & digitos meos ad bellum.*

Theodoret. Ecclesia castris similis, & choris laudantium.

Psal. 149.

Psal. 143.

4 Mirabilia sunt castra Ecclesiæ. Genes. 32.

Quis vnquam similia vidit castra, quæ ad imperium Dei mouerentur, ac starent? quæ angelum, columnamque ducem haberent? Genes. 32. *Castra Dei sunt hæc*: ait Iacob angelos videns; similem in modum nos dicere possumus: *Castra Dei sunt hæc*, quæ Deo viæ duce mouentur, ac stant; quæque Deo iuuante bella gerunt. Sed castra hæc minora, alia adumbrant præstantiora, nempe castra Ecclesiæ toto orbe diffusa, quæ: quidem si quis attentè consideret, exclamabit, dicens cum Iacob: *Castra Dei sunt hæc.* Dei enim imperio in hoc terrarum orbe locata sunt, Dei imperio reguntur, Dei mandatis mouentur, & stant, Dei columnam habent, quam sequantur. Ethnici, Mahometani, Iudæi, & hæretici Dei columnam, id est, fidem non habent, rectores sequuntur suos, id est, dæmones; tenebræ sunt, & tenebrarum sequuntur duces. Nonne Paulus ad Ephes. 6. dæmones *rectores tenebrarum harum* appellat? quænam sunt hæ tenebræ quas rectores tenebrarum regunt? Ethnici sunt, Mahometani, Iudei, hæretici, qui crassissimis tenebris circumfusi, veram lucem non cernunt. Sed dices, etiam improbi Christiani tenebræ sunt; columnam tamen fidei ducem habent. Fateor quidem Christianos, qui charitate carent, tenebras esse, & columnam fidei habere, ac videre, sed inficior, eos perfectè, & in omnibus Dei mandatis columnam fidei sequi. Si enim quæ docet fides, omnia facerent, non essent tenebræ, sed lux, iuxta illud Pauli ad Ephes. 5. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* Nemo lux est in Domino, nisi is, qui omnia mandata seruans, columnam sequitur, & qui ad imperium Domini castra mouet, tentoriaque deponit, hoc est, qui iuxta Domini præcepta actiones suas omnes moderatur & regit.

Ad Ephes. 6.

Ad Ephes. 5.

Iuxta imperium Domini omnia agenda sunt.

Fac tibi duas tubas argenteas.

5 Isaiæ 38. Tubæ significant concionatores.

Rupertus.

Mouebantur castra sonantibus tubis: tubæ significant concionatores Isa. 38. *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum.* Terribilis est hostibus sonus tubę hostilis: sic terribilis est dæmoni vox ardentium concionatorum, qui homines ad mouendum ex peccato castra ardenter excitant. Sine tubis friget exercitus, clangentibus tubis excitatur: sine concionatoribus friget populus, illis feruido sonantibus pectore, pectora audientium inflammantur. Rupert. lib. 1. in Num. cap. 26. Clangor (inquit) tubarum vox est prædicatorum, sine quibus, quamuis pulchra & ordinata castrorum acies, non est terribilis, &c.

A Argenteæ sunt tubæ, quia in magno pretio habendi sunt ij, qui concionandi munere rectè funguntur. Omni scoria carere debet hoc argentum, quia vitiorum sordibus carere debet concionator. Ductiles iubentur fieri tubæ, Numer. 10. *Fac tibi duas tubas argenteas ductiles*, id est, malleo extensas, & fabricatas, quia probi concionatores labores multos pro fide propaganda tolerant. Rupertus: Idcirco (inquit) ductiles sunt tubę, quia necesse est, vt prædicatores, qui secundùm veritatem scripturarum ambulant, tribulationum tunsionibus crestant, &c.

Num. 10.

Rupertus.

B *Intrabunt filij Caath, vt portent inuoluta.*

6 Caathitæ arcam, altaria, cæteraque vasa tabernaculi sanctiora portabant, sed velata: sic Israëlitæ olim fidei Christianæ mysteria ferebant figuris inuoluta, non aperta. Ad Hebr. 10. *Vmbram* (inquit Apostolus) *habens lex futurorum bonorum, non ipsam imaginem rerum*, &c. Vmbras habebat lex vetus futurorum bonorum legis nouę; non habebat imagines perspicuas. Imago apertè rem demonstrat, vmbra verò est obscura quædam delineatio. Theophyl. Vmbratili (inquit) picturæ similia erant veterа, vt quæ planè obscura essent, &c. Ad Colos. 2. *Quæ sunt vmbra futurorum, corpus autem Christi*, &c. Vmbra dicitur hoc loco lex, alio modo, videlicet vmbra à corpore effecta, corpus enim obscuram vmbram efficit, à qua demonstratur, sed obscurè. Lex ergo vmbra erat tenuis, & obscura; corpus autem à quo effecta est hęc vmbra, quódque illa obscurè multis typis ac figuris indicabat, Christus erat, nouaęque legis futura bona. D. Cyrillus lib. 1. de adorat. Pictores (inquit) non statim eam speciem picturis inducunt, cui nihil desit: sed simpliciori primum colore illas adumbrant, & obscuriores figuras oculis exponunt. Denique vmbris illis illinunt colorem decentissimum, ac maximè congruum. Ita rudiores illas figuras ad perspicuam, & præstantiorem speciem transferunt, &c. Sic Deus fecit, non eam speciem induxit legi veteri, cui nihil deesset, sed simpliciori colore vmbras quasdam, & figuras obscutiores animi oculis exposuit: postea legem nouam, veluti perfectissimam picturam ostendit. Velata ergo figuris, & vmbris portabant futura legis nouæ mysteria Hebræi. At verò onera illa, quę inuoluta ferebant Leuitę, in Sanctis sanctorum aperiebantur: sic legis veteris figuræ in Ecclesia veluti in Sanctis sanctorum apertæ sunt. Iam Moses, id est, lex, velum deposuit, vultusque sui claritatem, id est, illustres typorum sensus ostendit. Iam vmbrę radiis solis, id est, Christi illuminatæ sunt: iam tabernaculum portatile ad quietem peruenit: iam lex vetus portatilis ad legem peruenit nouam. Neque in quiete erant tecta vasa sanctuarij: neque in Ecclesia tectæ iam sunt figuræ legis veteris. Tabernaculum portatile erat, & dissoluendum; illi successit Salomonis templum immobile.

Ad Hebr. 10.

Lex vetus erat vmbra nouæ.

Theophyl.

Ad Colos. 2.

D. Cyrillus.

Synagoga tabernaculo portatili, & mobili similis erat; mutata est, & esse iam desiit. Successit illi, veluti templum immobile, magni Salomonis, id est, Christi Ecclesia ex toto orbe vocata. Mobilis fuit synagoga: immobilis est Ecclesia Christi, quia nũquam esse desinet. Quamobrem

7 Synagoga fuit mobilis, Ecclesia est regnum immobile.

Ad Hebr. 12. obrem à Paulo ad Hebr. 12. regnum Christi immobile dicitur: *Regnum* (inquit) *immobile suscipientes habemus gratiam*, &c. Synagoga verò eodem capite appellatur mobilis: *Quod autem* (inquit) *adhuc semel dicit, declarat mobilium translationem tanquam factorum, vt maneant ea quæ sunt immobilia.* Mobilia appellat Synagogæ ceremonias, & sacrificia, quæ portatilia, & mobilia, fuerunt, vt tabernaculum. Immobilia vocat nouæ legis mysteria; quamobrem *nouum* dicitur, & *æternum testamentum.* Habebat vmbram Synagoga, habet imaginem Ecclesia militans, habet veritatem, perfectionem, & euidentiam rerum. Ecclesia triumphans. D. Ambrosius lib. 1. offic. cap. 48. Vmbra (inquit) in lege, imago in Euangelio, veritas in cælestibus, &c. Vmbra & delineatio quædam imaginis fuit in lege; imago suis coloribus illustrata est in Euangelio, sed veritas ipsa, veluti per imaginem, in Euangelio ostensa, Deus ipse perspicuè conspectus, & beatitudo sempiterna, aliaque multa sunt in cælo.

Ibidem.

D. Ambros.

Surge Domine, & dissipentur inimici tui.

8 Num. 10. Orandi tempora, matutinum, vespertinum, & meridianum.

Moyses cum arca eleuabatur manè, Num. 10. sic precabatur; *Surge Domine, & dissipentur inimici tui*, &c. Cùm verò deponebatur vesperi orabat: *Reuertere Domine, ad multitudinem exercitus Israël*, &c. Duo tempora ostendit nobis locus hic præcipuè orandi, & postulandi Dei auxilium in hoc itinere, quod facimus in terram promissam, nimirum tempus matutinum, & vespertinum. Cùm manè è lecto Christianus surgit, Deum oret, vt dissipet hostes tartareos, ne illi nocere possint; cùm ad lectum reuertitur, oret, vt ad se veniat Dominus, & nocturno tempore tueatur. Tempore etiam meridiano deponebatur arca, & stabat nubes, vt cibum Israëlitæ sumerent, orabatque Moses, vt ad populum Deus reuerteretur. Tribus temporibus dicitur Daniel orasse Deum, Dan. 6. *Tribus temporibus in die flectebat genua sua, & adorabat, confitebaturq; coram Deo suo, sicut & antea facere consueuerat.* Nimirum orabat Daniel tempore matutino, meridiano, ac vespertino. Psalm. 54. *Vespere, & manè, & meridie narrabo, & annuntiabo, & exaudiet vocem meam.* Antequam sumat cibum meridiano tempore, oret Christianus, æternumque illum cibum à Deo postulet, quo beati in cælo pascuntur. Denique frequens sit oratio in castris Christianis, diuinum frequenter postuletur auxilium, quod ad tuenda castra, & victoriam ex hostibus reportandam maximè necessarium est. Psalm. 43. *In te inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nos. Non enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non saluabit me.* Non tuetur hominum arcus, gladius, aut castra, quæ terram repromissionis cælestem petunt, Deus tuetur, & triumphum præstat; in Deo inimicos prosternunt, eiusque inuocato nomine, & postulato auxilio superant, ipsamque repromissionis terram obtinent. Psalm. Eodem 43. *Nec enim gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non saluauit eos, sed dextera tua, & brachium tuum.* Opus est Christianis pręliari, fortiterque contra tartareos hostes dimicare, sed adiutorem sæpe inuocent Deum. Non enim brachium nostrum victoriam nobis afferet, nisi brachium Dei potentissimum ferat opem.

Ibidem.

Daniel. 6.

Psalm. 54.

Auxilium Dei frequenter postulandum.

Psalm. 53.

Ibidem.



LIBER SEPTIMVS

CAPVT I.

De mansione decima tertia, quæ dicitur Sepulchra concupiscentiæ.

De electione septuaginta seniorum.

NVMERI CAP. XI.

1 INterea ortum est murmur populi, quasi dolentium pro labore contra Dominum. Quod cùm audisset Dominus, iratus est, & accensus in eos ignis Domini deuorauit extremam castrorum partem. Cùmque clamasset populus ad Moysen; orauit Moyses ad Dominum, & absorptus est ignis. Vocauitque nomen loci illius Incensio, eò quod incensus fuisset contra eos ignis Domini. Vulgus quippe promiscuum quod ascenderat cum eis, flagrauit desiderio, sedens, & flens, iunctis sibi pariter filiis Israël, & ait: Quis dabit nobis ad vescendum carnes? Recordamur piscium quos comedebamus in Ægypto gratis, in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porriq; & cepæ, & allia. Anima nostra arida est. Nihil aliud recipiunt oculi nostri nisi Man. erat autem Man, quasi semen coriandri coloris bdellij, circuibatque populus, & colligens illud frãgebat mola, siue terebat in mortario, coquens in olla, & faciens ex eo tortulas saporis quasi panis oleati Cúmq; descenderet nocte super castra ros, descendebat pariter & Man. Audiuit ergo Moyses flentem populum per familias, singulos per ostia tentorij sui; iratúsque est furor Domini valdè, sed & Moysi intoleranda res visa est, & ait ad Dominum: Cur afflixisti seruum tuum? quare non inuenio gratiam coram te? & cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me? Numquid ego concepi omnem hanc multitudinem, vel genui eam, vt dicas mihi; Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum, & defer in terram, pro qua iurasti patribus eorum. Vnde mihi carnes, vt dem tantæ multitudini? flent contra me, dicentes: Da nobis carnes vt comedamus. Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia grauis est mihi: Sin aliter tibi videtur, obsecro vt interficias me, & inueniam gratiam in oculis tuis, ne tantis afficiar malis. Et dixit Dominus ad Moysen: Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israël, quos tu nosti, quòd senes populi sint, ac magistri, & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciésque ibi stare tecum, vt descendam, & loquar tibi, & auferam de spiritu tuo, tradamque eis, vt sustentent tecum onus populi, & non tu solus graueris.

2 Venit igitur Moyses, & narrauit populo verba Domini, congregans septuaginta viros de senibus Israël, quos stare fecit circa tabernaculum. Descenditque Dominus per nubem, & locutus est ad eum, auferens de spiritu, qui erat in Moyse, & dans septuaginta viris. Cúmque requieuisset in eis spiritus, prophetauerunt, nec vltra cessauerunt. Remanserant autem in castris duo viri, quorum vnus vocabatur Eldad, & alter Medad, super quos requieuit spiritus: nam, & ipsi descripti fuerant, & non exierant ad tabernaculum. Cumque prophetarent in castris, cucurrit puer, & nunciauit Moysi dicens: Eldad, & Medad prophetant in castris. Statim Iosue filius Nun, minister Moysi, & electus è pluribus, ait: Domine mi Moyses prohibe eos. At ille: Quid, inquit, æmularis pro me? quis tribuat vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus spiritum suum? Reuersusque est Moyses, & maiores natu Israël in castra,

Post-

3 POstquam Israëlitæ profecti sunt ex monte Sinai, tribus diebus fecere iter, arca præcedente, & columna. Numer. 10. *Profecti sunt per turmas suas de deserto Sinai, & recubuit nubes in solitudine Pharan*, &c. Item: *arca fœderis præcedebat eos per tres dies prouidens castrorum locum.* Recubuit nubes in deserto, quod vocabatur Pharan, in hoc verò deserto fuit mansio decima tertia, quæ dicitur *Sepulchra concupiscentiæ.* Amplissimum est hoc desertum Pharan, neque sola fuit in eo mansio decima tertia, sed aliæ multæ, vt Deo fauente ostendemus infrà. Recubuit igitur nubes in deserto Pharan, fecitque mansionem decimam tertiam. Postquam autem recubuit, vel etiam antequam recumberet, Num. 10. *Ortum est murmur populi quasi dolentium pro labore contra Dominum.* Quæritur, *propter quem laborem murmur hoc sit exortum?* Respondetur, murmurasse propter laborem itineris. Cùm enim nubes illis tribus diebus præcedens, non requiesceret, nisi ad sumendum cibum, & somnum: requies verò hæc, etsi esset satis, non esset tamen tanta, quantam murmuratores cupiebant, videbatur illis nimius itineris labor. Ideoque murmurabant contra Dominum, quia nubes Domini illos iter facere cogebat, neque permittebat conquiescere. Rabbi Salomon ait, vna die confecisse Hebræos iter trium dierum: alij dixerunt, per tres dies iter fecisse, diu, noctuque illuminante ignis columna iter. Sed verisimilius est, quod diximus. Iratus ergo illis Deus ignem subitò excitauit, & extremam castrorum partem incendit, ac deuorauit. Quæritur, *cur extremam partem castrorum hic ignis deuorauerit, & non alias?* Respondetur, quia illi, qui in extrema castrorum parte erant, grauiùs murmurauerant. Responderi etiam potest, Deum subitò excitasse illum ignem in extrema parte castrorum, vt populus diuinam iram pertimesceret, & murmurare desineret. Populus ad Mosen, Moses ad Deum confugit, absorptusque est ignis, & extinctus, locoque nomen à Mose impositum est, חבערה, *tabera*, id est, *incensio.* Iuxta hanc sententiam ignis hic incensus est, ad puniendum murmur dolentium propter laborem itineris, non autem ad puniendum eos, qui carnes desiderarunt: at nostra editio vulgata significat, ignem incensum, vt puniret eos qui carnium desiderio flagrabant, hoc indicat particula illa: *Vulgus* (inquit) *quippe promiscuum flagrauit desiderio*, &c. Redditur causa, cur ignis sit exortus, & deuorauerit extremam partem castrorum. Vulgus quippe, siue vulgus enim flagrauit desiderio, &c. Itaque simul dolebant pro labore itineris, & cibos ad sublueuandum laborem desiderantes murmurabant, ideo ortus est ignis. Caietanus arbitratur, in itinere excitatum fuisse hoc murmur semel, sed igne exardescente compressum: postea verò fixis iam tentoriis, iterum carnium desiderio affectum vulgus, & Israëlitas fleuisse, &c.

Num. 10.

Nubis columna constitit in deserto Pharan.

Num. 10.

Murmurat populus propter laborem itineris.

Igne puniuntur murmuratores.

Vulgus quippe promiscuum.

4 Quæritur, *quodnam sit hoc* vulgus promiscuum. Exod. 12. sic scriptum est. *Profecti sunt filij Israël de Rameße in Socoth sexcenta ferè millia peditum virorum, absque paruulis, sed & vulgus promiscuum innumerabile ascendit cum eis.* Videri ergo potest alicui hoc *vulgus promiscuum* fuisse vulgus Hebræorum, hoc est, Hebræos infimæ sortis. Sed dicendum est, *vulgus promiscuum* appellari, vulgus Ægyptiorum. Hebraicè גרב *gereb*, id est, *mixtio.* Et Chaldæus vertit: Extranei multi ascenderunt cum eis, &c. 2. Esdræ 13. vbi legimus: *Separauerunt omnem alienigenam ab Israël*; Hebraicè dicitur, כל גרב, *col, gereb*, omnem mixtionem Num. 11. Hebraicè hoc vulgus promiscuum appellatur אספסף, *asaphsuph.* Hoc vulgus flagrauit desiderio carnium; idemque desiderium Israelitarum animis ingenerauit: iunctis verò sibi pariter filiis Israel, Num. 11. sedens, & flens Ægypti cibos suspirabat. *Recordamur* (aiebant) *piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis, in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porríque, & cepe, & allia.* Detrahebant præterea quod prius erat, manna cibo à Deo dato: *Anima* (inquiunt) *nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi Man*, &c. Sicci sumus, & aridi, instar terræ, quam non irrigat aqua; ita nos non irrigat cibus, varietatem ciborum non habemus. Similem in modum murmurarunt, Num. 21. dicentes: *Deest panis, non sunt aquæ, anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo.* Cibum leuissimum appellabant manna; cupiebant illi cibos crassos, graues, pingues, carnes, cepas, porros, pisces: manna despiciebant.

Multi Ægyptij comitabantur Hebræos.

2. Esdræ 13.

Num. 11.

Cibos Ægypti desiderant Ægyptii, & Hebræi.

Num. 21.

Audiuit ergo Moyses.

5 Vigilabat bonus pastor Moses, ouium suarum audiuit fletum. Num. 11. *Audiuit Moyses flentem populum per familias, singulos per ostia tentorij sui.* Flebant per familias suas Israëlitæ, neque verò fletum abscondebant, sed manifestum proponebãt in ostiis tabernaculorum suorum, quia volebant Mosi esse notum, vt eis de cibis prouideret. Et vt Moses ait eodem capite, flebant contra eum dicentes: *Da nobis carnes, vt comedamus*, &c. Iratus est Dominus populo: Mosi autem intolerandus visus est ille fletus ciborum causa. Ad Dominum confugit refugium suum, humilique conquestione dixit: Quare Domine afflixisti seruum tuum, & in sinu meo imposuisti totum hunc populum, veluti in sinu nutricis, vt portem illum in terram promissam, vnde mihi carnes comparare possum, quibus eorum exsaturem cupiditatem? O Deus mi, nequeo solus tam graue populi sustinere pondus; precor, vt vitam potius mihi eripias, quàm populi huius grauissimum onus diutius imponas.

Num. 11.

Onus gubernatoris.

Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israël

6 Misertus est Dominus Mosis, onusque graue leuius fecit, in alios dispertiens. *Congrega* (inquit) *mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti, quod senes populi sint, ac magistri, & duces eos ad ostium tabernaculi fœderis, faciesque ibi stare tecum, vt descendam & loquar tibi, & auferam de spiritu tuo, tradámque eis, vt sustentent tecum onus populi, & non tu solus graueris.* Præcepit Dominus congregari septuaginta viros. Quæritur, *an fuerint tantùm viri septuaginta?* Hebræi apud Abulensem aiunt, fuisse electos viros septuaginta duos ex singulis tribubus sex. Respondetur, septuaginta tantùm fuisse, vt idem author putat: hunc enim numerum scriptura tradit, non ergo duo alij sunt addendi. Quæritur secundò, *an Deus præceperit eligi homines senes ætate, an senes prudentia, licet essent iuuenes?* Abulensis arbitratur, Mosem elegisse quidem senes ætate, sed non constare, an omnes fuerint senes; potuisse

Eliguntur septuaginta senes ætate, ad gubernandum populum.

potuisse enim eligere aliquos iuuenes quidem ætate, sed senes prudentia. Respondendum est, Deum iussisse eligi senes; iussit itaque, vt eligerentur septuaginta viri senes ætate, & moribus, qui idonei essent ad regendum populum, tum prudentia, tum probis moribus, & autoritate, quæ præcipuè solet esse in senibus. Obijcies verba Domini: *Congrega* (inquit) *mihi septuaginta viros de senibus Israel, quos tu nosti, quòd senes populi sunt, ac magistri.* Si de senili ætate ageretur, non diceret Dominus: Elige viros, quos tu nosti, quòd senes populi sunt, vt D. Gregor. ait. lib. 19. moral. cap. 13. Quid aliud (inquit) quàm senectus cordis requiritur, cùm tales iubentur eligi, qui senes esse sciuntur? Si enim senectus in eis corporis quæreretur, à tantis sciri poterant, à quantis videri. Dum verò dicitur: *Quos tu nosti, quòd senes populi sunt*, profectò liquet, quia senectus mentis, non corporis eligenda nuntiatur, &c. Respondetur, sensum literalem verborum Domini hunc esse: Congrega mihi septuaginta viros, quos tu nosti, quòd ætate senes sunt in populo, & magistri. Nihil enim absurdi continet hic sermo. Nam in tanto populo innumerabiles erant homines, plurimi iuuenes, alii senes. Moses nouerat multos iuuenes, nouerat multos senes ætate. Iussit ergo Dominus, vt ex illis, quos in populo nouerat esse senes ætate, septuaginta eligeret. Adde, Deum non solùm iussisse eligi senes populi, sed eos, quos esse senes, & magistros populi doctrina Moses sciret; septuaginta eos appellant γραμματεῖς, id est, *literatos*, vel *scribas populi*. Chaldæus, *præfectos populi*, Caietanus vult, fuisse primates. Hebraicè dicuntur שטרים *soterim*. Est igitur sensus huius loci: congrega mihi, & elige viros septuaginta ex senibus Israel, quos tu scis esse ætate iam prouectos, & magistros populi, ætate & prudentia ornatos. Carthusianus: Intelligendum (inquit) hoc videtur de his, in quibus ætas, morumque grauitas, seu vita virtuosa, ac scientia concurrebant. Nam, cæteris paribus, seniores tempore præferendi sunt ad consulendum, ac dirigendum, cùm & experientia in eis magis abundet, & ex consequenti prudentia vt frequenter. Hęc ille. Iussis obtempetauit Moses, septuaginta viros elegit ex senioribus, & magistris populi, qui docebant legem, & bonos mores, & si quid sapientiæ vtilis in AEgypto didicerant, quemadmodum didicerat Moses, de quo Stephanus Actor. 7. ait: *Eruditus est Moyses omni sapientia AEgyptiorum.* & duxit eos ad ostium tabernaculi, descenditque Dominus in columna nubis, spiritumque suum illis largitus est, vt gubernare possent populum.

D. Greger.

Actor. 7.

Carthusian.

Auferam de spiritu tuo, tradámque eis.

7. Quæritur, *an Deus ex spiritu Mosis aliquid abstulerit, vt daret septuaginta senibus?* Abulensis nihil abstulisse ait, sed Deum similem spiritui Mosis spiritum dedisse senibus. Verba illa Numer. 11. *Auferens de spiritu, qui erat in Mose, & dans septuaginta viris.* sic ille interpretatur: Abstulit de spiritu ei simili, quem habebat Moyses. D. August. quæst. 18. in Numer. Intelligimus (inquit) nihil aliud Deum voluisse significare, nisi ex eodem spiritu gratiæ illos quoque septuaginta habituros adiutorium, ex quo habebat Moyses, vt & isti haberent, quantùm Deus vellet; non vt ideo Moses minus haberet, &c. Origenes homil. 6. in Numer. Hoc (inquit) modo figuram huius mystici sermonis aduerte, quasi Moses, & spiritus, qui erat in Mose, clarissimi cuiusdam luminis fuerit lucerna, ex qua alias septuaginta lucernas accenderit Deus, ad quas ita principalis illius luminis splendor peruenerit, vt origo ipsa luminis nihil damni ex commercio deriuationis acceperit, &c. Eandem similitudinem reperies apud Theodoretum, & Rabanum. Aduertendum est, spiritum prophetiæ, de quo hîc sermo est, non esse habitum permanentem in propheta semper, sed esse lumen quoddam pertransiens, quod prophetæ datur à Spiritu sancto, cùm est opus. Non est lumen propheticum in propheta, vt lumen in sole, vel igne, quod semper soli, & igni inest, sed est sicut lumen in aere, quod non semper adest. D. Thom. 2. 2. quæst. 171. ar. 2. Lumen (inquit) propheticum nō inest intellectui prophetæ per modum formæ permanentis, aliàs oporteret, quòd semper prophetæ adesset facultas prophetandi, quod patet esse falsum. Dicit enim Gregor. super Ezechielem: Aliquando spiritus prophetiæ deest prophetis, neque semper eorum mentibus præsto est. Hæc D. Thom. Legendus D. Gregorius homil. 1. in Ezech. & D. Hieron. Ezech. 35. Si semper (inquit) in prophetis esset sermo Dei, & iuge in pectore eorum haberet hospitium, numquam tam crebro Ezechiel poneret: *Et factus est sermo Domini ad me*, sed ob humanam fragilitatem, & vitæ huius necessitates interdum recedebat ab eis, &c. Lumen ergo propheticum Mosis non erat permanens; sed ad varia dubia dissoluenda, diuersis temporibus illi concedebatur. Ideoque dici potest, Deum abstulisse à Mose de spiritu prophetico, & dedisse septuaginta senibus, quia omnia illa lumina, quæ septuaginta viris dedit, dedisset Mosi, si ille illis dubiis respondisset. Sublatum est onus dissoluendi tot negotia, sublata etiam sunt lumina, quibus expediebantur. Obiicitur, Num. 11. legitur: *Descendit Dominus per nubem, & locutus est ad eum*, (id est, Moysen,) *auferens de spiritu, qui erat in Moyse, & dans septuaginta viris*, &c. Videtur ergo Dominus tunc abstulisse de spiritu Mosis, & dedisse septuaginta viris, id quod illis erat necessarium, non autem postea dedisse lumina prophetica. Respondetur, lumen propheticum non esse habitum permanentem, neque posse transire ex subiecto in subiectum. Ideoque non esse ablatum quidquam, quod esset in Mose, sed dici ablatum spiritum à Mose, quia idem, id est, similis spiritus, ad negotia expedienda datus est septuaginta senibus. Chaldæus vertit: Augebo de spiritu, qui est super te, & ponam super eos.

Numer. 11.

D. August.

Origenes.

Quónam modo Deus abstulerit de spiritu Mosis, & dederit septuaginta.

Spiritus prophetiæ non est habitus permanens.

D. Thom.

D. Greger.

D. Hieron.

Ezech. 35.

Prophetauerunt, nec vltra cessauerunt.

8. Datus est à Deo spiritus propheticus septuaginta senioribus, cœperuntque statim circa tabernaculum prophetare, nec vltra cessauerunt. Dubium est, quid hæc verba significent: *Numquid non cessauerunt vltra prophetare illi septuaginta seniores? Diéne & nocte prophetabant perpetuò?* Respondetur, sensum esse, non cessasse vltra propherare illa die, id est, tota die prophetasse, vel, non cessasse postea prophetare, cùm opus esset dubiis extricandis. Prior sensus est probabilior. Cùm enim dubia extricabant, prophetabant quidem septuaginta seniores, quia Dei lumine prophetico donabantur, & dubia soluebant, sed non prophetabant eo modo, quo hîc prophe-

Septuaginta seniores prophetarunt.

prophetarunt. Tunc enim populi causas diuino lumine illustrati cognoscebant, nunc autem magno feruore spiritus correpti, diuinas laudes, & occulta mysteria canebant, quemadmodum Saül. 1. Reg. 10. *Insiluit super eum spiritus Domini, & prophetauit in medio eorum*, id est, prophetarum. Hoc autem Deus fecit, vt authoritatem apud populum, quem gubernaturi erant, haberent septuaginta seniores, à Deo donatam. Hebraicum verbum, יסף, *iasaph*, significat *cessare, & addere*. Chaldæus vertit; *& non cessarunt*. LXX. interpretes transferunt; *& non amplius addiderunt*. Videlicet, quia illa die magno ardore diuina mysteria deprædicarunt magna voce, postea nihil simile facere addiderunt, quia tunc opus erat, vt cognosceret populus illos à Deo electos esse in rectores, postquam verò id cognitum fuit, non erat opus.

1. Reg. 10.

Remanserunt autem in castris.

9 Moses septuaginta viros, quos elegit, in catalogo descripsit. Inter eos descripti sunt Eldad, & Medad, sed hi duo non venerunt in tabernaculum Dei, neque inter cæteros ibi adfuerunt. Spiritus tamen Domini, quia electi à Mose fuerant, in ipsis requieuit, prophetaruntque, & diuina mysteria enuntiarunt, sicut cæteri, cùm spiritus propheticus à Deo datus est. Dubium est, *cur hi duo viri, Eldad, & Medad, non iuerunt in tabernaculum fœderis, vt cum reliquis spiritum propheticum acciperent?* Respondent nonnulli, non iuisse præ verecundia, quia cùm essent iuuenes, erubuerunt numerari inter senes, sed non probant fuisse iuuenes, neque illi eam ob causam præcepto Dei non obtemperassent. D. Hieronymus ad Fabiolam, mansione 13. humilitatem ait fuisse causam: Eldad (inquit) & Medad remanent, non imperij negligentes, sed humilitate submissi, dum se honore arbitrantur indignos, vnde & absentes prophetant. Sic Hieronymus. Idemque sentiunt alij. At verò hæc humilitas non videtur probanda, quia non fuit obediens imperio Dei, & Mosis, si enim vocati sunt, non licebat illis propter humilitatem abesse, absque vlla excusatione. Humilitas enim ad amussim obtemperat Deo, & superiori, & causas proponit humiliter, cur quod iubetur refugiat? Itaque Abulensi non placet hæc causa, & arbitratur, quæst. 57. Num. 11. non venisse Eldad, & Medab in tabernaculum, quia non sunt vocati, oblitosque fuisse nuntios, vel seriùs venisse ad illos. Forsitan nuntij illos cùm quæsiuissent, non repererunt, quod aliquibus negotiis essent occupati, Deo id permittente, vt spiritum non solùm iis, qui venerant in tabernaculum, sed etiam iis, qui remanserant in castris, largiretur, cum populi admiratione. Satis autem erat exploratum, hunc spiritum non dari à Mose septuaginta senioribus, sed à Deo. Quamobrem germana non est illa causa, quæ redditur, videlicet, Deum spiritum contulisse Eldad, & Medad in castris, non iuxta tabernaculum, vt ostenderet, non Mosem esse largitorem, sed spiritum operantem.

Cur Eldad & Medad non iuerint ad tabernaculum.

D. Hieron.

Humilitas.

Domine mi Moyses prohibe eos.

10 Cùm prophetarent Eldad & Medad in castris, puer quidam siue ex populo, siue ex domo Mosis, Mosi id renuntiauit. Iosue verò eidem suasit, vt illos prohiberet: *Domine* (inquit) *mi Moyses prohibe eos.* Chaldæus vertit: *Mitte eos in carcerem.* Quæritur, *cur Iosue noluerit duos illos viros prophetare?* Respondet Rabbi Salomon apud Lyranum, Eldad, & Medab prophetasse, Mosem è vita discessurum, & Iosue populum in terram promissam inuecturum: Iosue verò ne videretur gloriam appetere, & magistri mortem, suggessisse Mosi, vt eos prohiberet loqui. Id verò nihil habet fundamenti. Subiicit Lyranus: nostri expositores dicunt communiter, quòd Iosue motus fuit ad dicendum: *Prohibe eos*, quia videbatur esse contra reuerentiam Mosis, quòd in absentia eius prophetarent: quasi Moses nihil fecisset ad hoc, quòd recepissent spiritum prophetiæ, &c. Hinc colligitur, cur Iosue non suggesserit Mosi, vt reliquos sexaginta octo seniores prohiberet. Illi enim iussis Mosis parueranr, ad tabernaculum venerant, coram Mose spiritum propheticum acceperant, eo interuenente: hi verò duo non videbantur obtemperasse iussis Mosis; nèque venerant ad tabernaculum, in quo cæteris datus est spiritus, & videri poterant inobedientes esse, & spiritum alienum habere, siquidem non videbatur ablatus à spiritu Mosis.

Cur Iosue noluerit prophetare Eldad, & Medad.

Lyranus.

Quid æmularis pro me?

11 Egregiè respondit Moses Iosue suadenti, vt prophetare prohiberet Eldad, & Medad, pectusque ostendit charitate plenum, omnisque inuidię expers: Quorsum (inquit) honoris mei zelo laboras? hanc ego emulationem non probo; nihil detrahunt isti de mea prophetandi gloria: vtinam totus populus à Deo spiritum prophetandi accipiat, ac prophetæ sint omnes, sicut ego sum. O animum ab omni liuoris fęce ablutissimum! Post hæc reuersus est Moses in castra cum ipsis senioribus.

Pectus Mosis charitate plenum.

Congrega mihi septuaginta viros de senibus Israël.

12 Quæritur, *an apud israelitas permanserint in terra repromissionis hi septuaginta seniores, & populi gubernatores?* Respondet Lyranus, Matth. 15. his verbis: At tempore Mosis constituti sunt septuaginta senes ætate, & moribus maturi, & scientia præditi ad regimen populi, & Moyses erat super eos. Et ex illo tempore statutum est, vt tot essent ad regimen populi ordinati. Et isti dicebantur iudices ordinarii, quia per impositionem manus instituebantur, vt habetur in Glossis Hebraicis in multis locis, & residebant in Ierusalem. Ita Lyranus. Hi erant Hebræum *sanedrim*, quod nomen Græcum est à *simul sedendo*, ductum, quia erat consessus iudicum. Elias Hebræus: Sanedrim (ait) vocabantur septuaginta seniores consistorij magni, quod erat Ierosolymis, &c. Fuisse autem Ierosolymis septuaginta virorum concilium docet Burgensis, Genes. 24. Galat. lib. 4. Ioan. Lucidus, Abulensis, & alij. De iis diximus tom. 4. Concord. lib. 1. cap. 3. Fuerunt autem non ex tribu Iuda omnes, sed ex omnibus tribubus assumpti.

Lyranus.

An in terra promissionis fuerint septuaginta seniores.

Sanedrim. Concilium.

13 Author de mirabil. sacrę scripturæ, lib. 1. cap. 9. ait, Eldad, & Medad extra numerum fuisse septuaginta senum, quos Moses elegit. Vnde efficitur, fuisse viros illos septuaginta duos. Nam Moses elegit septuaginta, quibus datus est spiritus iuxta tabernaculum: Deus verò elegit duos, Eldad, & Medad, quibus spiritum dedit in castris. Hæc tamen sententia non est vera, quoniam Eldad, & Medad inter septuaginta numerati

Chaldæus.

numerati erant, quibus datus est spiritus iuxta tabernaculum, Numer. 11. *Super quos requieuit spiritus. Nam & ipsi descripti fuerant, & non exierant ad tabernaculum*, &c. Descripti (inquit) fuerant in numero septuaginta senum, & electi, sed non venerant cum reliquis ad tabernaculum; ideo in castris non iuxta tabernaculum prophetauerant. De numero horum seniorum egimus tom. 3. Concord. lib. 2. cap. 9.

CAPVT II.
MORALE.

De electione septuaginta seniorum.

Cur imposuisti onus vniuersi populi super me?

1 MAgnum est probi prælati, populique rectoris onus; attamen ex illis non est, de quibus loquitur Dominus, Matth. 23. dicens: *Alligant onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum. Digito autem suo nolunt ea mouere.* D. Bernard. serm. 2. de Ascensione: Ecclesiasticos honores ipsis angelorum humeris ait esse formidandos: O peruersitas (inquit) filiorum Adam, quia cùm ascendere difficillimum sit, descendere autem facillimum, ipsi & leuiter ascendunt, & difficilius descendunt, parati ad honores; & celsitudines graduum Ecclesiasticorum, ipsis etiam angelicis humeris formidandos. Sic ille. Elegit Dominus Regem Saulem, 1. Reg. 10. *Stetitque in medio populi, & altior fuit vniuerso populo ab humero, & sursum.* Egregia est prælati, populique rectoris altitudo, humeros habere altiores ad ferendum tantum onus populi. Altum onus altos flagitat, robustosque humeros. 1. Reg. 9. *Tulit cocus armum, & posuit ante Saül*, &c. Armus, & humerus pastori populorum necessarius est. Vnde D. Gregorius in hæc verba: Armum (inquit) ante Saül cocus ponit, quando ordinandum pastorem Ecclesiæ, quantæ fortitudinis esse debeat, considerare præcipit, &c. Iob. 26. *Gigantes gemunt sub aquis*, &c. Apocalyps. 17. *Aquæ populi sunt*, &c. Sub his aquis, id est, sub populorum onere, quod sustinent humeris gigantes, hoc est, etiam superbi gemunt, qui reliquis imperare cupiunt. D. Gregor. Iob. 26. Ecce (inquit) gigantes gemunt sub aquis, quia elati omnes, dum in hac vita assequi honorum celsitudinem cupiunt, sub ponderibus populorum gemunt. Nam quanto quis hic altius erigitur, tanto curis grauioribus oneratur, populisque mente, & cogitatione supponitur, quibus præponitur dignitate. Homo in sublimibus eleuatus tot super se sustinet, quot suppositos regit. Sic ille. Quamobrem Philo ait, eum qui rempublicam tractat, seruum esse multorum dominorum, in lib. de Ioseph: Non vnus (inquit) Dominus est tractantium Rempub. sed vulgus, aliis post alios Dominis succedentibus, &c. Gemunt quoque sub aquis alij gigantes, hoc est, viri sancti virtutis robore præcellentes.

Onus prælatorum magnum est. — D. Bernard. — 1. Reg. 10. — Iob. 26, Apoc. 17. — D. Gregor. — Philo.

2 Audiamus gigantem gementem sub aquis, id est, Mosem, Numer. 11. *Cur* (inquit) *afflixisti seruum tuum, & cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me? Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia grauis est mihi*, &c. Audiamus D. Gregor. epist. 125. lib. 7. Multum (ait) me deprimit honor onerosus, curæ innumeræ perstrepunt, &c. & lib. 1. epist. 24. ad quosdam Episcopos: Per venturum (inquit) iudicem rogo, per multorum millium angelorum frequentiam, per Ecclesiam primitiuorum, qui conscripti sunt in cælis, sub hoc curæ pastoralis onere lassescentem, orationis vestræ intercessione me adiuuate, ne suscepta me pondera vltra vires premant, &c. Etiam Iudæus Philo gemit sub aquis, in lib. de special. Legibus initio libri: Inuida (inquit) vi me coniecit in profundum mare curarum, spectantium Rempubl. quibus iactatus, ne nunc quidem enatare valeo: gemens tamen eas sustineo, &c. 4. Reg. 2. vocat Elisæus Eliam *currum Israel, & aurigam eius.* Populi rectores, qui veri aurigæ sunt, sunt etiam currus; quia onus ferunt graue; currus autem gemit, cum fert onus; sic etiam populi rectores gemunt, quod signum est, currum non esse inanem, sed onustum cura populi. Qui onera in alios reiiciunt, non gemunt; qui ouium curam gerunt diligentem, hi pondus experiuntur, quia curum ferunt onustum. Onus magistratuum considerare melius est, quàm honorem, ne eos desideremus. Vnde D. Bernardus serm. 12. in Cant. Si labores (inquit) pensamus, non affectamus honores, &c. Pensabant D. Gregorius, & Ioannes ille, ad quem scribit, labores, & Pontificatus onera, neque honorem affectabant, sed fugiebant. D. Gregorius ad Ioannem Episcopum Constantinopolitanum, lib. 1. epist. 4. Quo (inquit) ardore, & studio Episcopatus pondera fugere voluerit is scio, & tamen hæc eadem Episcopatus pondera, ne mihi deberent imponi, non restiristis. Constat igitur quia non me sicut vos diligitis, qui illa me voluistis onera suscipere, quæ vobis imponi noluistis, &c. Denique epist. 110. lib. 7. Quisquis (inquit) sacerdotium non ad elationis pompam, sed ad vtilitatem adipisci desiderat, prius vires suas cum hoc, quod subiturus est onere, metiatur, vt & impar abstineat, & ad id cum metu accedat, etiam qui se sufficere existimat.

Num. 11. — D. Gregor. — Philo. — D. Bernard. — D. Gregor. — D. Gregor.

D *Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum.*

3 Qui in sinu portat oues, onus earum experitur; qui aliis portandas tradit, leuem putat esse magistratum. Videamus quid Dominus dicat Mosi: *Porta eos in sinu tuo, sicut nutrix portat infantem.* Rectorem vult portare populum in sinu suo, eiusque onus perferre. In quem autem locum portare debeat pastor oues suas, docet Dominus dicens: *Defer in terram, pro qua iurauit Patribus eorum.* Hic est finis, hic pastorum scopus, deferre oues in terram promissam, quæ est beatitudo sempiterna: deferre, inquam, eas magno cum amore in sinu, & pectore, quia oues sunt Christi. Nomina filiorum Israël portabat Pontifex in pectore, gemmis pretiosis insculpta, Exod. 28. Eundem in modum filios suos, & oues suas portat in pectore amore insculptas bonus pastor: *Porta* (inquit Dominus) *eos, sicut nutrix portare solet infantem.* Nutrix esse debet pastor suarum ouium, & sicut mater eas nutrire, pascereque exemplo, verbo, & oratione. Audiamus D. Bernard. serm. 23. in Cantica: Erudimini (inquit) qui iudicatis terram, discite subditorum vos matres esse debere, non dominos, studete magis amari, quàm metui, & si seueritate interdum opus est, paterna sit, non tyrannica, matres fouendo, patres vos corripiendo exhibeatis. Suspendite verbera, producite vbera,

Pastor oues in sinu portet.

vbera; pectora lacte pinguescant, non typho turgeant, &c. Isaiæ 40. de Christo legitur: *Sicut pastor gregem suum pascet, in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo leuabit, fœtas ipse portabit*, &c. Egregium exemplar habent pastores, quod sequantur.

Isaiæ 40.

Congrega septuaginta viros de senibus Israël.

4 Ad gubernandum populum eligi iubet Dominus senes, & magistros, quos Moses sciret esse senes, & magistros. Non commisit electorum cognitionem aliis, sed Mosi. notos voluit eligi. Oportet enim eorum, qui eliguntur virtutem, & scientiam notam esse electoribus, ne pro sene iuuenem, pro magistro eligant hominem insipientem. Duplex autem est senectus, quædam corporis, altera mentis; de qua Sapient. 4. dicitur: *Senectus venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata. Cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* hoc est, senectus venerationis, & reuerentia digna. Non est senectus, quam annorũ affert magnus numerus, & corporis canicies; sed illa est, quam affert sancta virtus, & vita probis moribus exornata. Cani autem veri, sunt sensus hominis; id est, intellectus hominis sapientes, & prudentes considerationes. Græcè, πολιὰ δὲ ἐστι φρόνησις ἀνθρώπου, hoc est, *canicies est sapientia, & prudentia.* Additur, *& vita immaculata.* Requirit Dominus ad gubernandum populum, vtramque senectutem, ætatis videlicet maturitatem, & mentis canos, hoc est, sapientiam, & prudentiam; maximè verò vitam immaculatam, id est, mundam; immundus enim gubernator, suorum vitiorum immunditia Rempubl. contaminat. D. Gregor. lib. 1. epist. 24. Necesse (inquit) est, vt munda esse studeat manus, quę diluere sordes curat, ne tacta quæque deteriùs inquinet; si sordida ipsa stercoris lutum tenet, &c. Isaiè 52. *Mundamini qui fertis vasa Domini*, &c. Vasa Domini argentea, & aurea, sunt Christianorum animæ, eos qui hæc vasa portant, mundos esse oportet. Vnde idem sanctissimus Pater Gregor. eadem epist. 24. Apud semetipsum, (inquit) quantum debeat mundari conspiciat, qui ad æternitatis templum vasa viuentia in sinu propriæ conuersationis portat, &c. Oportet populi Christiani seniores, id est, gubernatores, & iudices mundos moribus esse, ne Rempublicam exemplis, factisq; immundis inquinent. Oportet quoque esse prudentes, ac sapientes. Nemo enim insipienti nauarcho clauum tradit nauis, nemo insipientem magistrũ ad cathedram Academiæ euehit. Cur igitur Reipubl. gubernacula illis tradentur, qui ad eam gubernandam inepti sunt: Senes eligendi sunt, si non corporis, certè mentis canicie, quæ canicies virtus est, & prudentia, ac sapientia. Quemadmodum viridia ligna non sunt ædificationi apta, sed iam exsiccata: sic qui iuuenes sunt cupiditatibus, & moribus virides, prudentiaque, & sapientia carentes, Reipubl. ædificationi sunt inepti. D. Greg. epist. indicata: Apta (inquit) ædificationibus de sylvis ligna succiduntur; nec tamen adhuc viridibus ædificij pondus imponitur; nisi eorum viriditatem multorum dierum mora siccauerit, & apta ad necessarium vsum effecerit, &c. Eodem loco à medicis sumit aliam similitudinem: Medici (inquit) quædam adiutoria, recenti adhuc confectione formata, indigenti non offe-

Senectus est duplex. Sap. 4. — Gubernator Reipubl. senex mente & prudentia sit. — D. Gregor. — D. Gregor. — Isaiæ 52. — D. Gregor. — Mundi sint gubernatores, ne Rempubl. inquinent. — Gubernatores ligna sint exsiccata, nõ viridia. — D. Gregor. — Idem.

runt, sed maceranda temporibus derelinquunt. Nam si immaturè quis dederit, sit causa periculi res salutis, &c.

5 Deniq; videant Reipubl. gubernatores, quos sibi collaterales eligant: *Ne dixeris te seruum latera dolentem*, ait D. Bernard. ad Eugenium summum Pontificem, &c. Laterà illi dolent, qui malos habet collaterales, id est, consultores, & Reipubl. rectores. D. Hieron. Isaiæ 58. Non est (inquit) peccatum leue mittere margaritas ante porcos, & dare sanctum canibus, & ordinationem clericatus nequaquam sanctis, & in lege Dei doctissimis, sed affectis suis tribuere, & vilium officiorum ministris. Sicut in ordinationibus malorum particeps est peccatorum, qui tales constituit: sic in ordinatione sanctorum particeps est eorum iustitiæ, qui bonos eligit. Sic Hieron.

Collaterales pastorum. — D. Bernard. — D. Hieron.

Auferam de spiritu tuo, tradamq; eis.

6 Quemadmodum de spiritu Mosis abstulit Deus, & dedit septuaginta senioribus: sic abstulit de spiritu Christi, & dedit Apostolis, & discipulis, in die Pentecostes. Nihil ablatum est ex spiritu Mosis, nihil etiam ablatum est ex spiritu Christi: sed dicitur Deus abstulisse de spiritu Christi, quia per merita Christi, Spiritum sanctum discipulis dedit; & ex meritis Christi spiritum quodammodo abstulit. Præterea dicitur Deus abstulisse de spiritu Mosis, & dedisse senioribus, vt vnitas spiritus in Ecclesia significetur. Ex eodem spiritu Moses & seniores acceperunt: eodem quoque spiritu Christi, discipuli Christi sunt impleti. Ecclesia namque vno Spiritu sancto regitur. 1. Corinth. 12. *In vno spiritu* (ait Apostolus) *omnes nos in vnum corpus baptizati sumus, siue Iudæi, siue gentiles, siue serui, siue liberi, & omnes in vno spiritu potati sumus.* Hanc spiritus vnitatem seruare nos docet, ad Ephes. 4. cum solicitudine: *Solliciti* (inquit) *seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Vnum corpus, & vnus spiritus*, &c. Hanc spiritus vnitatem, & concordiam, hoc vinculum pacis hæretici tartareo inflati spiritu dissipant; vnde D. Hieron. ad Ephes. 4. in verba citata: Hic locus (inquit) vel maximè aduersus hæreticos facit, qui pacis vinculo dissipato, atque corrupto, putant se tenere spiritus vnitatem; cùm vnitas spiritus in pacis vinculo conseruetur. Quando enim non idipsum omnes loquimur, & alius dicit: *Ego sum Pauli, ego Apollo, ego Cephæ*, diuidimus spiritus vnitatem, & eam in partes ac membra discerpimus, &c. Marc. 9. *Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos*, ait Dominus. Sal sapientiam significat, inter sapientes verò populique doctores, pacem summam, & vnitatem spiritus esse oportet, in rebus fidei docendis, ne se, populumq; hæreses seminando, in barathrũ præcipitent. D. Gregor. lib. 1. epist. 4. Per sal (inquit) verbi sapientia designatur. Qui igitur loqui sapiẽter nititur, magnopere metuat, ne eius eloquio audientium vnitas confundatur, &c. Exod. 28. ferebat sacerdos summus, in ima veste, tintinnabulis coniuncta mala punica. Magnam enim oportet esse coniunctionem prædicationis, ac doctrinæ, quam indicat sonus tintinnabulorum, cum vnitate fidei, quam adumbrant mala punica. D. Gregor. eadem epistola: Quid (inquit) per mala punica, nisi fidei vnitas designatur? Nam sicut in malo punico vno exterius cortice, multa interius grana muniuntur:

Spiritus vnitas in Ecclesia. — 1. Cor. 12. — Ad Ephes. 4. — Hæretici vnitatem spiritus dissipant. D. Hieron. — Vnitas doctrinæ. — D. Gregor.

sic innumeros sanctæ Ecclesiæ populos vnitas fidei contegit, quos intus diuersitas meritorum tenet. Tunc tintinnabulis mala punica iungimus, cùm per omne, quod dicimus, vnitatem fidei custodimus. Sic ille.

Quis tribuat vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus spiritum suum?

7. Ostēdit Moses pectus charitate proximi plenū, cùm Iosue suggereret, vt Eldad, & Medad propheterare prohiberet, charitate plenus respōdit: *Quid æmularis pro me? quis tribuat, vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus spiritum suum.* 1. Corinth. 13. *Charitas* (ait Apostolus) *non æmulatur, non quærit quæ sua sunt*, &c. Inuidia est, quæ sunt proximi. Non quærebat Moses sua, sed proximi, cùm totū populum cupiebat sibi esse similem prophetando. Inuidens superbia singularis esse vult, neminemque habere equalem. Charitas non quærit singularitatem, propriamque excellentiam: *Quis tribuat* (ait) *vt omnis populus prophetet?* Inuidia ex bonis proximi fel elicit, & amarorem; charitas elicit mel, & dulcedinem. Inuidia bonis proximi cruciatur: charitas illis delectatur. Etenim membra Christi sumus omnes, bono autem vnius membri reliqua gaudent. D. Chrysost. homil. 14. in Ioann. Nemo (inquit) priuatam quærat vtilitatem, sed & proximi, ita vt suam quærat, siquidem illorum res nostræ sunt. Corpus enim vnum sumus, & inuicem membra, &c. Audiamus D. Gregor. homil. 5. in Euangelia: Bona (inquit) voluntas est sic de prosperitate proximi, sicut de nostro profectu gloriari; aliena damna nostra credere; aliena lucra nostra putare, &c. Inuidia ex alienis bonis peccatum sibi parit: charitas ex illis dum ea diligit, meritum sibi comparat, alienaque facit sua. Hinc illud eiusdem sanctissimi Patris Gregorij lib. 7. epist. 126. ad Recharedum, regem Hispaniæ: Opus (inquit) sanctum, quod in me non habeo, diligo in te, cumque de tuis actibus, magna exhortatione gaudeo; ea quæ per laborem tua sunt, per charitatem mea fiunt, &c.

Charitas nō æmulatur. 1. Cor 13. Inuidia.

D. Chrys.

D. Gregor.

D. Gregor.

CAPVT III.

De coturnicibus, quas Dominus in castra misit.

NVMERI CAP. XI.

1. POPVLO quoque dices: Sanctificamini: cras comedetis carnes. ego enim audiui vos dicere: Quis dabit nobis escas carnium? bene nobis erat in Ægypto. Vt det vobis Dominus carnes, & comedatis: non vno die, nec duobus, vel quinque, aut decem, nec viginti quidem; sed vsque ad mensem dierum, donec exeat per nares vestras, & vertatur in nauseam, eò quòd repuleritis Dominum, qui in medio vestri est, & fleueritis coram eo, dicentes: Quare egressi sumus ex Ægypto? Et ait Moses: Sexcenta millia peditum huius populi sunt, & tu dicis: Dabo eis esum carnium mense integro? Numquid ouium & boum multitudo cædetur, vt possit sufficere ad cibum? vel omnes pisces maris in vnum congregabuntur, vt eos satient? Cui respondit Dominus: Numquid manus Domini inualida est? Iam nunc videbis vtrùm meus sermo opere compleatur.

2. Ventus autem egrediens à Domino, arreptans trans mare coturnices detulit, & demisit in castra itinere quantum vno die confici potest, ex omni parte castrorum per circuitum, volabantque in aëre duobus cubitis altitudine super terram. Surgens ergo populus toto die illo, & nocte, ac die altero, congregauit coturnicum, qui parum, decem coros: & siccauerunt eas per gyrum castrorum. Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat huiuscemodi cibus: & ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eum plaga magna nimis. Vocatusque est ille locus, Sepulchra concupiscentiæ: ibi enim sepelierunt populum qui desiderauerat. Egressi autem de Sepulchris concupiscentiæ, venerunt in Haseroth, & manserunt ibi.

Populo quoque dices: Sanctificamini, cras comedetis carnes.

3. AVDIERAT Dominus desiderium populi, illiusque desiderio satisfecit cumulatè: *Quis dabit nobis* (aiebant illi) *ad vescendum carnes?* Dominus verò ait Mosi, populo dices: *Sanctificamini, cras comedetis carnes: Ego enim audiui vos dicere: Quis dabit nobis escas carnium? Bene nobis erat in Ægypto.* Sed *quorsum iubet Dominus populum sanctificari?* Numquid ad comedendum carnes opus erat sanctificatione? Respōdetur, ad comedendas carnes miraculo datas opus fuisse sanctificatione; beneficia enim sua, maximè miraculosa, vult Dominus sanctificatis donare, & bene præparatis ad illa excipienda. Peccauerant Israëlitæ carnes desiderantes, manna verò despicientes. Iuber ergo Deus, vt sanctificentur, hoc est, vt pœnitentia peccata commissa deleant, carneque illis in mensem totum pollicetur ad satietatem, fastidium, & nauseam. Caietanus: Mandat (inquit) Deus, vt Moses moneat populum ad mundandum se, hoc est, ad pœnitendum commissi peccati, vt mundi suscipiant diuinum beneficium, &c. Chaldæus, vertit: *Præparamini*. Abulēsis interpretatur: Sanctificamini, id est, parate vos ad comedendum carnes. & Lyranus: Præparate vos ad recipiendum id, quod petiuistis. Verbum enim Hebræum, קדש, *cadas*, significat, *sanctificare*, & *præparare*. Rabbi Salomon exponit: Preparate vos, vt recipiatis punitionem post carnium esum.

Caietan.

Chaldæus.

Abulensis.

Lyranus. Quid significet verbū cadas.

Rabbi Salomon.

Donec exeat per nares vestras, & vertatur in nauseam.

4. Magnam carnium copiam pollicetur Dominus, vsque ad nauseam. Est autem nausea, stomachi fastidium, & vomendi cupiditas. Vomebant enim Israëlitæ carnes, quas comederant. Quia verò vomitus non solùm per os, sed etiam per nares exit, ait Dominus, se daturum carnes, donec exeant per nares; videlicet, cùm vomuerint. *Nónne delectabantur Israëlitæ carnibus coturnicum? cur igitur nauseabant, & eas euomebant?* Respondetur, quia intemperantes erant, & intemperanter iis vescebantur, vsq; ad vomitum per os, & nares. Nisi fortè hoc de vomitu per os, & nares intelligendum sit de eo tempore, quo sunt puniti; de quo Psal. 77 dicitur: *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos.* Tunc nauseabant, tunc vomebant per os, & nares, mortis cruciatu afflicti: vel per hyperbolem hoc dictum est, qua significatur copia carnium, & innuitur supplicium sumendū.

Vomitus Israëlitarum.

Psal. 77.

Eo quòd repuleritis Dominum.

5. Numer. 11. *Vt det vobis carnes, & comedatis vsque ad mensem, eo quòd repuleritis Dominum, qui in medio vestri est, & fleueritis coram eo dicentes: quare egressi sumus ex Ægypto.* Si Dominus diceret: supplicium sumam de vobis, eò quòd repuleritis me, &c. nihil mirum, egregia enim erat consequentia: nam supplicio digni erant ij, qui Deum repulerant. At Dominus ait, *dabo vobis carnes*, &c. hoc est, magno beneficio vos afficiam, *eò quòd repuleritis me*, &c. *Cur ita loquitur Dominus?* Respondetur, Dominum his verbis significare, se carnes daturum Israëlitis, quia illi eas desiderauerant, quamuis malè murmurando desiderauerint. Neque verò significat, se propter peccatum carnes daturum, sed desiderio eorum satis facturum. Adde, dedisse carnes, sed simul supplicium grauissimum sumpsisse.

Numer. 11.

Sexcenta millia peditum huius populi sunt.

6. Videbitur alicui Moses de potentia Dei dubitare. Ingens (inquit) est populi huius multitudo Domine, & tu polliceris illi carnes tē daturum mense integro? At non dubitauit Moses de potentia Dei, quæ satis illi perspecta erat ex perpetratis miraculis. Nónne Moses viderat, Deum dedisse populo coturnices? Exod. 16. Nō dubitauit ille de potentia, sed ignorabat modum quo Deus daturus erat carnes, vt colligitur ex verbis sequentibus: *Numquid ouium, & boum multitudo cædetur: vt possit sufficere ad cibum? vel omnes pisces maris in vnum congregabuntur, vt eos satient?* De modo igitur agit, non de potentia Dei; ignorabat modum, eum verò volebat scire, ideo sic locutus est, humano more in admirationem raptus. D. August. quæst. 19. in lib. Numer. Intelligere (inquit) debemus, hæc verba Mosis quærentis potius fuisse, quomodo fieret, quàm diffidentis, &c.

Moses non dubitauit de potentia Dei.

Exod. 16.

D. August.

Numquid manus Domini inualida est?

7. Respondit Mosi Dominus: *Numquid manus*, id est potentia Domini, *inualida est.* Nónne manus Dei, & potentia est omnipotens? Iam nunc, id est, mox videbis, vtrùm sermo meus opere compleatur; videbis modum quem scire cupis, quo tantam hanc multitudinem sim satiaturus carnibus.

Ventus autem egrediens à Domino.

8. Quod promisit Deus, opere complet; carnes promisit, carnes donat. Infinitam coturnicum multitudinem, ex locis, quæ trans mare rubrum erant, in castra Israëlitarum adduxit, vento immisso illas impellente. Implebant castra ipsa, circum castra verò tantum spatij occupabant, versùs omnem partem, quantum vno die confici poterat, id est, octo, vel decem leucas. Admirabilis sanè fuit hæc copia. Ideò confertur cum copia pulueris terræ, & arenæ maris, Psal. 77. *Transtulit Deus austrum de cælo, & induxit in virtute sua africum; & pluit super eos, sicut puluerem, carnes, & sicut arenam maris, volatilia pennata, & ceciderunt in medio castrorum eorum, circa tabernacula eorum.* Videres castra latissima, coturnicibus volantibus plena, & vndique per spatium octo, vel decem leucarum cincta. Volabant autem per circuitum castrorum, duobus cubitis prope terram, vt facilè capi possent. Collegerunt Israëlitæ certatim missas carnes, qui minimum collegit decem choros, ne verò putrescerent reseruatæ, sole illas exsiccarunt. Choros mensura Hebrēa est, quē triginta modios capit.

Coturnicum admirabilis copia.

Psal. 77.

Ecce furor Domini concitatus ēst populum percussit eum plaga magna nimis.

9. Concessit Deus, quod desiderauerat populus: ostenditque potentiam suam. Vt enim dicitur Psal. 77. de potentia Dei diffidebant Israëlitæ: *Numquid* (aiunt) *panem poterit dare, aut parare mensam populo suo?* Iam dabat manna singulis diebus admirandum in modum; desiderio tamen carnium excæcati, dicebant: *Numquid poterit Deus dare nobis panem*, id est, cibum (nomen enim Hebræum *cibum* significat) *quem comedebamus in Ægypto, aut parare mensam carnium, & piscium populo suo?* Ostendit posse se dare, & volucrum infinitam multitudinem in castra adduxit: *Pluit super eos sicut puluerem, carnes, & sicut arenam maris volatilia pennata.* Ostendit potentiam suam. Iustitiam quoque ostendit, concupiscentiam carnium puniendo, & murmurationem. Exarsit itaque furor Dei, & percussit eos plaga magna nimis, quæ autem fuerit plaga non scripsit Moses. Sepulti sunt eo loco illi, qui carnes malè concupiuerant. Quamobrem ab eventu vocatus est locus, *Sepulchra concupiscentiæ.* Psal. 77. *Adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos, & occidit pingues eorum, & electos Israël impediuit.* Adhuc erant coturnices in ore ipsorum, &, vt dicitur Num. 11. *Adhuc erant carnes in dentibus eorum, nec defecerat huiuscemodi cibus*, cùm diuina exarsit ira ad finem vnius mensis, quo coturnices manducauerunt.

Ostēdit Deus potentiā suā, & iustitiam missis coturnicibus.

Psal. 77.

Ibid.

Num. 11.

10. LXX. interpretes Num. 11. coturnices vocant Græcè, ὀρτυγομήτρων. Eodem nomine appellantur Sapient. 16. *Dedisti* (inquit Sapiens) *concupiscentiam delectamenti sui nouum saporem*, id est, dedisti rem concupitam illis delectabilem, & nouum saporem habentem; *escam parans eis ortygometram*, &c. id est, coturnices. Item Sap. 19. *Viderunt nouam creaturam auium, cùm adducti concupiscentia postulauerunt escas epulationis. In allocutione enim desiderij, ascendit illis de mari ortygometra*, &c. Græcè, εἰς παραμυθίαν, id est, *in consolationem* videlicet, venit coturnix, vt desiderium eorum consolaretur, & satiaret. Dicitur autem consolatio, allocutio, quia alloquendo homines conso-

Ortygometra quid sit. Sap. 16.

Sap. 19.

[Sap. 8.] consolari solemus, Sap. 8. *Proposui (inquit) hanc* id est, sapientiam) *adducere mihi ad conuiuendum, sciens quoniam mecum communicabit de bonis, & erit allocutio cogitationis, & tædij mei.* Græcè παραίνεσις φροντίδων, id est, erit *admonitio curarum*, & *tristitiæ*. Sapientia suauiter mecum loquens, erit admonitio, siue allocutio suauis mearum cogitationum & tædij. ὄρτυξ Græcè *coturnicem* significat, ὀρτυγομήτρα verò significat *coturnicum matricem*, & *ducem*: sed his locis pro multitudine coturnicum sumitur nomen, quæ ducem sequitur. Fortè significat, illas coturnices fuisse magnas & pingues. *[Plinius de coturnicibus.]* Plinius lib. 10. cap. 23. de coturnicibus sic scribit: Parua (inquit) auis, & cùm ad nos venit, terrestris potius, quàm sublimis. Aduolant hæ non sine periculo nauigantium, cùm appropinquauere terris. Quippe velis sæpe insidunt, & hoc semper noctu, merguntque nauigia. Austro non volant, humido, & grauiore vento. Aura tamen vehi volunt, propter pondus corporum, viresque paruas. Aquilone maximè volant, duce ortygometra. sic Plinius. *[Bis Deus dedit populo coturnices. Exod. 16.]* Aduerte, Deum bis coturnicibus populum pauisse, semel Exod. 16. *Factum (inquit) est vespere, & ascendens coturnix cooperuit castra.* Vespere dedit coturnices, manè dedit manna. *[Ibid.]* Exod. 16. ait Moses: *Vespere comedetis carnes, & manè saturabimini panibus*, id est, manna. Iterum dedit coturnices, Numer. 11. De his hoc loco agimus; de primis suo loco diximus.

An mannæ diuersos sapores omnes Israëlitæ etiam improbi experirentur?

11. Postulat hic locus, vt quæstionem hanc excutiamus leuiter. Nam Israëlitæ, & Ægyptij, qui cum eis ascenderant, manna despiciebant: *Anima (inquiunt) nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri nisi man*, &c. At manna omnes sapores continebat; cur igitur illi carnes, & pisces, porros, & cepas desiderabant? Aduertendum, mannæ saporem fuisse quasi panis oleati cum melle: *[Exod. 16.]* Exod. 16. *Gustus eius quasi similæ cum melle.* *[Num. 11.]* Num. 11. *Circuibat populus, & colligens illud frangebat mola, siue terebat in mortario, coquens in olla, & faciens ex eo tortulas saporis quasi panis oleati.* *[Sap. 16.]* Præter hunc saporem dicitur manna, Sapiēt. 16. *Omnis saporis suauitatem in se habuisse.* Et additur: *Substantia tua dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebat: & deseruiens vniuscuiusque voluntati, ad quod quisque volebat conuertebatur.* Quæritur, *an manna deseruierit etiam voluntati improborum*, ita vt etiam improbi in illo pro voluntate sua reperirent sapores omnium ciborum. *[D. August.]* D. August. epist. 118. Manna (inquit) in populo vnicuique secundùm propriam voluntatem in ore sapiebat, &c. & lib. 2. retract. cap. 20. Quod (inquit) dixi de manna, quia, vnicuique secundùm propriam voluntatem in ore sapiebat, &c. fidelibus potuit prouenire, non illis aduersus Deū murmuratoribus, qui profectò alias escas non desiderarent, si hoc eis saperet māna quod vellent, &c. *[D. Gregor.]* Et D. Gregor. lib. 6. moral. cap. 7. Manna (inquit) omne delectamentum, atque omnis saporis suauitatem in se habuit, quod videlicet in ore spiritalium ad voluntatem edentium saporem dedit, &c. ait D. Gregor. in ore tantùm spiritalium, id est, proborum, manna saporum dedisse varietatem. Idem sentit Lyranus, Abulensis, Carthusianus, & alij. Probatur verò ab Augustino hęc opinio, quia si Israëlitis saperet manna, quod vellent, alias escas non desiderarent. Præterea manna non despicerent dicentes Numer. 11. *Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi man.* Num. 21. *Anima nostra iam nauseat super cibo isto leuissimo.* *[Numer. 11. Num. 21.]*

Est & altera opinio, manna diuersos sapores concessos à Deo esse, non solùm probis, sed etiam improbis. 12. Itaq; non solùm probis, (iuxta hanc opinionem) sed etiam improbis cōuertebatur manna in saporem, quem cupiebant. Probatur hæc sententia, quia Dei generalia beneficia populo exhibita in deserto, omnibus fuere communia, tam probis, quàm improbis; videtur ergo etiam hoc beneficium omnibus fuisse commune. Præterea quod magis vrget, si soli probi sapores varios manna percipiebant; sequeretur, omnes probos certò cognouisse, se esse in gratia Dei. Nam illud miraculum à Deo efficiebatur. Sequeretur quoque potuisse facilè cognosci peccatores, etiam occultis peccatis obstrictos, quòd sapores manna non experirētur, hæc verò non videntur concedenda. Argumento autem quo prior opinio confirmatur, respondetur, etiam improbis sapuisse manna, quod volebant, sed pro maximo desiderio carnium, & aliorum ciborum; illud despectui habuisse. Cupiebant enim ciborum etiam conspectu, tactu, & odore satiari; carnaliter, & visibiliter volebant carnes edere, cibosque alios manibus versare, dentibusq; cupiebant descindere. Eos enim in manna, velut spiritaliter & inuisibiliter manducabant, crassis hominibus, & carnalibus id non erat satis. Adde, dæmones illos ad fastidium manna, & desiderium aliarum escarum concitasse. Quòd si velis, solos probos expertos esse sapores varios, respondi potest argumentis, non potuisse ex hoc colligere certò probos, se esse in gratia, quia ignorabant an Deus illos sapores occultis etiam peccatoribus tribueret. Quod fortè contingebat.

CAPVT IV.

MORALE.

De coturnicibus populo datis.

Sanctificamini, cras comedetis carnes.

1. POPVLVM iubet Deus præparari, ac sanctificari, vt cibum desideratum accipiat. Sepe contingit nobis serotinam, vel temporaneam pluuiam desiderare, precibusq; à Deo postulare. Quid facere debeamus, vt optatam consequamur pluuiam, ex qua cibus pēdet, hic locus indicat: *Sanctificamini*, (inquit Dominus) *cras comedetis carnes.* *[Sanctificet se populus, cùm pluuiam, vel aliquid aliud à Deo petit.]* Sanctificemus nos, præparemus animum, & corpus sanctificatione, & pœnitentia sanctificati desideratam pluuiam, & cibos accipiemus; peccata enim cælum claudunt, nubibusq; obstant, ne in terras aquas emittant. *[Iob. 38.]* Iob. 38. *Concentū cæli quis dormire faciet?* rogat Dominus Iob: multi sunt cælorū cōcentus. Primus est angelorū. Secundus concentus, est cælorum ordo, ratusq; motus, lux & influentiæ, de quo *[Psal. 18.]* Psal. 18. regius vates canit: *In omnem terram exiuit sonus eorū.* Tertium voluit inducere Pythagoras, qui existimauit, ex astrorum circumductu, & primi cæli, cæterorumq; rapido motu, admirabilem quandam, suauitatisq; plenam harmoniā effici: sed opinione sua deceptus est, suosq; sectatores decepit. Quartus cōcentus est ille, quē è nubibus pluuiæ defluxus, aridam terrā irrigās, excitat suo sonitu suauissimo. De hoc cōcentu explica-

[Iob 38.] explicatur locus Iob. 38. Est eo loco vox, נבל, nebel, quæ significat *psalterium*, & *vtrem*, & *defluxum*. *[Pagninus. Biblia Regia.]* Pagninus sic vertit: *Nubes plenas aqua quis descendere faciet?* Regia Biblia sic: *Defluxus cælorum quis quiescere faciet?* Eundem in sensum alij interpretantur. Primum cælorum, secundumque concentum Deus solus dormire faciet, si velit. Tertius Pythagoræ fictitius est, dormitque perpetuò. De quarto quæstio est, *concentum cælorum*, id est, suauissimum è cælo aquarum defluxum, suauissimum illum sonitum, quem auribus reddunt nubes, cùm aridam irrigant terram, *quis dormire faciet?* Respondetur, faciunt dormire hunc concentum hominum peccata. *[Peccata nostra pluuia nos priuant. Leuit. 26. Deut. 28.]* Leuit. 26. *Dabo vobis cælum desuper sicut ferrum.* Deuter. 28. *Sic cælum quod supra te est, æneum: & terra, quam calcas, ferrea. Det Dominus imbrem terræ tuæ puluerem, & de cælo descendat super te cinis.* *[Ierem. 12.]* Ierem. 12. *Vsquequò lugebit terra, & herba omnis regionis siccabitur propter malitiam habitantium in ea?* *[Ierem. 5.]* & cap. 5. *Peccata vestra prohibuerunt bonum à vobis.* Sanctificentur ergo, & peccata longè ab animo propellant, qui pluuiam, vel cibos à Deo petunt, concentumque cæli, veluti dormientem, precibus, & pœnitentia excitent.

2. *[D. Basilius. Deus cū peccato bellum gerit.]* D. Basilius in homilia, cui titulus est, quòd Deus non est author malorum: Medicus (inquit) cum morbo bellum gerit, non cum ægroto, &c. Similem in modum Deus bellum gerit cum peccato suppliciis pugnans, quod maximè odit, cupitque illud ab animo fugare, atq; omnino profligare; cùm ipsa hominis natura ęgrota à se condita, quam diligit; non gerit bellum. *[2. Reg. 20.]* Pellatur peccatum, cessabit bellum. 2. Reg. 20. Ioab obsidebat vrbem Abelam, quoniam hostem quendam Dauidis receperat: rogatus autem cur vellet ciuitatem euertere, quæ mater erat in Israël, respondit: se nolle euertere ciuitatem, sed hostem capere: *Tradite (inquit) illum solum, & recedemus à ciuitate*, sic factum est: abscissum hostis caput ad Ioab missum est, cecinitq; tuba, & recessit ab vrbe. Similiter Deus hominem morbis, fame, siccitate, aliisque modis obsidet, quia peccatum Dei hostem recepit. *Tradite (inquit) hostem*, & recedam ab obsidione; occidite peccatum, agite veram pœnitentiam, (pœnitentia enim peccatum occidit) à suppliciis ego recedam.

Quis dabit nobis carnes ad vescendum?

3. *[Improbi mānna fastidiūt: cibos Ægypti appetunt. D. Gregor.]* Mundo dediti homines manna cæleste, hoc est, cælestes cibos, fastidio habent; Ægypti verò, id est, mundi cibos, porros, cepas, allia, carnesque concupiscunt. Quid autem hi cibi significent, exponit D. Gregor. Iob 26. Quid (inquit) significatur in manna, nisi esca gratiæ suaue sapiens? quid per ollas carnium, nisi opera carnalia in tribulationum laboribus, quasi ignibus excoquenda; quid per pepones, nisi terrenæ dulcedines? quid per porros ac cepas exprimitur, quæ plerunque qui comedunt, lacrymas emittunt, nisi difficultas vitæ præsentis? manna igitur deserentes Israëlitæ cum peponibus, & carnibus, porros, cepasque quęsierunt, quia peruersæ mentes dulcia per gratiam quietis dona despiciunt, & pro carnalibus voluptatibus, laboriosa huius vitæ itinera, etiam lacrymis plena concupiscunt. Hæc ille.

Recordamur piscium.

4. Caueant viri religiosi, qui Ægyptum fuge-

runt, hoc est, mundum, ne illarum rerum recordentur, quas reliquerunt. *[Memoria mundi extinguēda est.]* Solet enim hostis diuitias, voluptates, & honores, quos repudiarunt, religiosis viris in memoriam reuocare, eorumque desiderio corda retrorsum trahere: *Recordamur (inquiunt Israëlitæ) piscium, in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique & cepe, & allia*, &c. Ægyptum reliquerant, cibos tamen Ægypti memoria repetebant, eosque desiderabant. Qui vult extinguere desiderium mundi, eius priùs memoriam extinguat; qui vult in terram repromissionis semper progredi, mundi prorsus obliuiscatur. Audiamus D. Paulum in cælestem patriam iter facientem, semperque in hoc itinere progressus facientem, ad Philip. 3. *[Ad Philip. 3.]* *Quæ (inquit) retro sunt obliuiscens, ad ea verò quæ sunt priora extendens meipsum ad destinatum persequor, ad brauium supernæ vocationis Dei.* Properabat Paulus in hoc itinere, ab omnique caducarum rerum cura, ac memoria mentem excutiebat: caducas (inquit) res, quæ retro sunt, & post tergum iam reiectę, penitus obliuiscor, ante oculos autem habeo bona cælestia: ad hæc quę priora sunt, Græcè ἔμπροσθεν, id est, quæ *ante faciem*, & *à fronte* sunt, me extendo, viresque meas, persequorque ad *destinatum*, Græcè σκοπὸν, ad *scopum* mihi propositum; & contendo ad brauium, & præmium supernæ vocationis peruenire *[Genes. 19.]* Genes. 19. aiunt angeli ex Sodomis extracto Loth: *Noli respicere post tergum.* Hoc viro religioso est præstandum educto ex mundo. Ne respiciat post tergum, hoc est, ne cōuertat memoriam ad ea quæ retro sunt. *[D. August.]* D. August. serm. 15. de verbis Apost. cap. 15. Obliuiscere (inquit) præterita, noli in ea respicere, ne ibi remaneas, vbi respexeris. Mementote vxoris Loth, &c. *[Religiosus ne post terga respiciat.]* Vxor Loth quia respexit post tergum, in statuam salis versa est: sic religiosus, qui res caducas in memoria fert, & in corde, in statuam cōuertitur religiosi. Quemadmodum enim statua hominis, homo videtur, neque tamen viuus homo est, ita religiosus sæculo addictus, religiosus videtur, sed viuus religiosus non est, charitateque Dei ardens.

Quos comedebamus in Ægypto gratis.

5. Gratis aiunt se comedisse pisces Ægypti, quia maxima erat eorum copia in Ægypto: at verò homines mundo mancipati, non gratis comedunt cibos Ægypti, sed magno cum labore. *[Mundi honores & diuitiæ caro emūtur pretio.]* Quamuis autem caro emant pretio, tamen gratis se comedere arbitrantur, quia illos valde concupiscunt. Cibi Ægypti vili pretio, & gratis emebantur; mundi verò honores, & diuitiæ caro pretio, & non gratis emuntur. Etenim si in Ægypto magna erat piscium copia, in mundo magna est inopia honorum, & diuitiarum; paucis hæc contingunt, ideoque semper fame laborant, qui hęc cupiunt, & semper *circumeunt ciuitatem famem patientes vt canes: & cùm non sint saturati, murmurant*, vt leges Psal. 58. *[Psal. 58.]* Heu famem hominum caninam, quemnam vidimus hominem honoribus, vel delitiis mundi saturatum? Potuit videri saturatus Alexander ille, Magnus appellatus, sed toto orbe non saturabatur, vnus enim Pellæo iuueni nō sufficiebat orbis, vt Poëta dixit. Aërei cibi sunt cibi Ægypti, nec saturatur homo aëre, etsi perpetuò aërem hauriat, nec saturatur cibis Ægypti, quamuis illos semper sumat. Neque verò gratis homines illos emunt, sed magno pretio. Cupidi-

tate verò ducti animam etiam suam pro portis, & alliis Ægypti diabolo tradunt. ô cęcitatem incredibilem! D.Gregor. Iob 26. Amara (inquit) sunt, quæ pro huius vitę amore tolerant homines, & tamen eandem amaritudinem, cæcitate cupiditatis, quasi insensibilitate ebrietatis ignorant, &c.

D. Gregor.

Quos comedebamus gratis.

6. Recordabantur Israëlitæ piscium, quos comedebant gratis in Ægypto, non recordabantur persecutionis, & seruitutis, quam patiebantur in Ægypto. Recordabantur piscium, & ollarum Ægypti, & porrorum, ac cepanum: non recordabantur laterum, & beneficij libertatis, quod acceperunt à Deo. Hoc contingit aliquando viris, quæ Ægyptum deseruerunt. Non reuocant in memoriam mundi seruitutem, inopiam, labores, & persecutiones, quas ij perpetiuntur, qui in mundo manent, sed cibos, porros, cepas, & allia, quæ comedunt. Neq; recordantur lacrymas, quas porri hi, & cepę eliciunt, sed nescio quas fucatas voluptates, quæ in summum supplicium perducunt. Vir religiose caue tibi, recordare beneficij maximi, quo te Deus affecit, cùm te ex Ægypto eduxit, age maximas pro maximo beneficio gratias. Quòd si tibi mundus in mentem veniat, recordare eius insanias, & labores, recordare ea, quæ in eo sunt, pericula, recordare finem viæ mundi esse tartarum, flammasque sempiternas. Si vis tendere in cælum, mane in cella, Ægyptum obliuioni trade. Psal. 136. *Super flumina Babylonis sede*, & recordare tuæ Sionis, id est, patriæ tuæ cælestis. Flumina Babylonis sunt mundi honores, diuitiæ, & voluptates; sede super hæc fluminia, considera, quanta velocitate fluant, & demergantur in mare mortis amarissimum; terram promissionis tuam Sionem cælestem animo volue: vide quàm sit stabilis, & firma, in sempiternum enim stabit. Aiebant Israëlitæ, se comedisse cibos Ægypti gratis. Veriùs dicimus, nos comedere cibos Ecclesiæ gratis. Quis enim est cibus Ecclesię, nisi gratia? hic cibus animam reficit, & roborat, vitamque illi affert, gratia autem dicitur, quia gratis datur: huius recordemur cibi semper, hunc suspirantes dicamus. Quis dabit nobis gratiam? recordamur cælestis cibi, quo vescimur in Ecclesia gratis. Quis dabit nobis hunc cibum, sine quo viuere non valemus? Deus dat, & gratis dat quærentibus, quia omnia opera nostra non possunt pretium esse illius. Opera Christi Opt. Max. gratiam nobis emerunt: per illius merita nobis dat illam gratis Deus: illa tamen, si in animo est, bonis operibus semper augetur, semperque hominem instar cibi cęlestis auget, Deoque gratiorem reddit, homo enim iustus qui gratiam habet, per bona opera incrementum meretur, & obtinet gratię.

Vir religiosus mundi omnino obliuiscatur.

Psal. 136.

Anima nostra arida est.

7. Hæc est causa fastidij mannæ cælestis, & cibi spiritalis. Anima arida, deuotionis succo carens, cibos cælestes aridos esse putat, atque insipidos: terrestres verò porros, cepasque, & allia magno sudore quærit. Qui vult cælestes appetere cibos, cordis ariditatem fugiat, deuotionem à Deo postulet, iuxta illud Psal. 62. *Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea, & labijs exultationis laudabit os meum.* Adeps, & pinguedo animi est deuotio; si hæc pinguedo animam repleat, non fastidit anima cibum cælestem, sed magnopere appetit, eoque vescitur exultans: *Labijs* (inquit) *exultationis*, id est, exultantibus, *laudabit os meum.* Religiosus, cuius arida est anima, diuinas laudes, psalmos, orationes, meditationesque fastidit. Is verò, cuius anima deuotionis adipe, & pinguedine plena est, hac esca ore exultanti pascitur, Deumque, velut suum potum, suumque cibum, semper quærit, id canens eiusdem Psal. 62. *Deus, Deus meus, ad te de luce vigilo, sitiuit in te anima mea, quàm multipliciter tibi caro mea.* Vbi primùm oculos aperit matutino tempore, protinus Dei recordatur, quia illum sitit, illumq; super omnia desiderat; cætera verò omnia fastidit, vnde sequitur eodem Psalmo: *In terra deserta, inuia, & inaquosa, sic in sancto apparui tibi, vt viderem virtutem tuam, & gloriam tuam.* Mundum terram desertam appellat, inuiam, & inaquosam, atque aridam; vbi nihil est, quod animam pascat, & nutriat. In hac sterili terra degens, in cęleste templum mente ascendit, & sicut in sancto, id est, templo, Deo se offert, eiusq; potentiam, gloriamque, ac maiestatem contemplatur. Denique qui animam habet aridam, similis est terræ aridę, vel nullum, vel parum fructus producenti. Quærant ergo deuotionis aquas, qui fructum vberem Deo ferre cupiunt, id suadet D. Bernard. serm. 1. de natal. Quærat (inquit) deuotionis aquas, quisquis seminauerit bonorum operum semina, vt irrigatus fonte gratiæ, bonæ conuersationis hortus non arescat, sed in perpetua viditate proficiat, &c.

Deuotio quærenda.

Psal. 62.

Psal. 62.

Ibid.

D. Bernard.

Cucumeres, & pepones, porriq; & cepę, & allia.

8. Expendamus quæso, quos hi cibos expetebant. Similes equidem optabant labra, lactucas. Manna cibus dicitur angelorum, Psal. 77. Cepe, porri, & allia, cibi sunt rusticorum. Quale palatum est, tales cibos appetit. Appetit rusticum mundanorum palatum rusticos cibos, id est, res caducas, ac terrestres; nobile verò palatum cibos cælestes desiderat. Christus Opt. Max. Ioann. 4. *Meus* (inquit) *cibus est, vt faciam voluntatem eius, qui misit me, vt perficiam opus eius.* Voluntas Dei, mandatorumque obseruatio, cibus est nobili palato conueniens. Hic cibus angelorum est in cælo, & filiorum Dei in terra: hoc cibo nisi animus nutriatur, vt fænum arescit, & perit, iuxta illud Psalmi 101. *Percussus sum vt fænum, & aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.* Sole percussum fęnum viriditatem amittit; cupiditatem ardore percussus animus arescit, quia rusticorum escas desiderat, panem verò suum fastidit: *Oblitus* (inquit) *sum comedere panem meum.* Non obliuiscitur comedere panem is, qui fame laborat, sed is qui fastidio affectus est. Fastidit panem suum animus, ideo obliuiscitur eum comedere: magna fame cibos mundi concupiscit, ideo eos semper in memoria habet. Panis hominis, nobiliq; palati cibus, voluntas Dei est, & mandatorum obseruatio: *Oblitus* (inquit) *sum comedere panem meum*, panem verò rusticorum, cepas, & allia desideraui. Nobilium panem expetamus, hunc semper ante oculos habeamus, hoc pascamur, ne dicamus cum Israëlitis: *Anima nostra arida est.*

Palatum rusticum rusticos appetit cibos.

Ioan. 4.

Psal. 101.

Surgens populus congregauit coturnicum, qui parum decem coros.

9. Habemus hoc loco egregium concupiscentiæ aucupium. Aucupes innumeri erant, videlicet totus ille populus immensæ multitudinis. Multitudinem aucupantium superabat infinita multitudo auium, neque verò illos fugiebant, sed illorum manibus se tradebant. Nulla alliciebantur esca, certatim tamen ad eos volabat. Ex aucupibus, qui parum congregauit, decem coturnicum coros congregauit. O mirabile aucupium, vtinam non fuisset concupiscentię aucupium. Psal. 77. *Manducauerunt, & saturati sunt nimis, & desiderium eorum attulit eis, non sunt fraudati à desiderio suo*, &c. At verò aucupium conuersum est in sepulchra concupiscentię. Eodem Psalmo: *Adhuc esca eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos, & occidit pingues eorum, & electos Israël impediuit*, & Numer. 11. *Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat huiusmodi cibus: & ecce furor Domini concitatus in populum percussit eum plaga magna nimis.* Ostendit Deus potentiam suam desiderio satisfaciens Israëlitarum. Sed de concupiscentia supplicium sumpsit, ostendens suam iustitiam. Est enim Deus misericors, sed est etiam iustus; locus eius clementia est, & misericordia, ab hoc autem loco egreditur ad supplicium sumendum, peccatis nostris quodammodo coactus. Vnde D. Hieron. Zachar. 14. Egreditur (inquit) Deus de loco suo, quando quietem, & mansuetudinem, & clementiam suam rumpere cogitur, pro emendatione peccantium, &c. Dulcissimus est Deus, verùm aliquando amarum peccatoribus se exhibet, vt illorum mores prauos corrigat, scelerumque amaritudinem ostendat, iuxta illud Ierem. 2. *Scito, & vide, quia malum, & amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum, & non esse timorem mei apud te, dicit Dominus.* D. Hieron. Zachar. 14. Deus (inquit) cùm per naturam dulcis sit, vitio nostro [illegible] id est, *amarus efficitur*, non sibi, sed patientibus, quibus amara tormenta sunt. Hæc ille.

Aucupium concupiscentiæ sequitur sepulchra concupiscentiæ.

Psal. 77.

Num. 11.

Deus de loco suo, id est, clementia, elicitur egressus, cùm punit.

D. Hieron.

Deus dulcis, propter peccata fit nobis amarus.

Ierem. 2.

D. Hieron.

Vocatus est ille locus Sepulchra concupiscentiæ ibi enim sepelierunt populum qui desiderauerat.

10. Ab euentu vocatus est locus, & mansio illa *Sepulchra concupiscentiæ*, quia in ea ij sepulti sunt, qui carnes & cibos Ægypti concupiuerunt. Habemus hic nomen tartaro maximè congruens. Mansio est tartarus, sed pessima mansio. In ea enim manent impij per totam æternitatem viuentes, mediisque in flammis sepulti. Pessimę huius mansionis nomen est, *Sepulchra concupiscentiæ*, quia ibi sub terræ mole sepelitur populus, qui carnales voluptates, mundique, & carnis delicias concupiscens, Dei legem, mandataque frangit. Qui sapit, concupiscentiam, dum viuit, occidit & sepelit, ne post mortem ab ea, in his sepulchris concupiscentiæ sepeliatur. Ad Galat. 5. *Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs, & concupiscentijs.* Qui sunt Christi, dum viuunt, concupiscentias suas crucifigunt, mortuasque sepeliunt, faciuntque sepulchra concupiscentiæ, id est, in quibus sepeliuntur iam mortuæ concupiscentię, ne postquam è vita excesserint, ad sepulchra deueniãt concupiscentiæ, quę in tartaro hominibus ipsa preparat. Ideo Origenes homil. 27. in lib. Numer. sepulchra concupiscentię ait indicare sepulchra, in quibus ipsamet concupiscentia iam extincta, à viris probis sepelitur. Inde (inquit) venitur ad monumenta (siue sepulchra) concupiscentiæ. Quid est, monumenta concupiscentiæ? sine dubio, vbi sepultæ sunt, & obrutæ cõcupiscentiæ, ibi extincta est nominis cupiditas, neque vltra concupiscit caro aduersùs spiritum, mortificata scilicet morte Christi. Sic Origenes.

Tartarus est sepulchrum concupiscentiæ.

Ad Galat. 5.

Origenes.

Sepelitur est concupiscentia in hac vita, ne nos sepeliat in tartaro.

CAPVT V.

De mansione decima quarta, & detractione Mariæ aduersùs fratrem Moseri.

NVMERI CAP. XI.

1. EGRESSI autem de Sepulchris concupiscentiæ, venerunt in Haseroth, & manserunt ibi.

NVMERI CAP. XII.

2. LOCVTAQVE est Maria, & Aaron contra Moysen propter vxorem eius Æthiopissam, & dixerunt: Num per solum Moysen locutus est Dominus? Nonne & nobis similiter est locutus? Quod cùm audisset Dominus, [erat enim Moyses vir mitissimus, super omnes homines qui morabantur in terra] statim locutus est ad eum, & ad Aaron, & Mariam: egredimini vos tantum tres ad tabernaculum fœderis. Cumq; fuissent egressi, descendit Dominus in columna nubis, & stetit in introitu tabernaculi, vocans Aaron, & Mariam. Qui cùm issent, dixit ad eos: Audite sermones meos: Si quis fuerit inter vos prophęta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis seruus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est, ore enim ad os loquor ei, & palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt. Quare ergò non timuistis detrahere seruo meo Moysi? iratusque contra eos abiit: nubes quoque recessit, quæ erat super tabernaculum. Et ecce Maria apparuit candens lepra, quasi nix. Cumque respexisset eam Aaron, & vidisset perfusam lepra, ait ad Moysen: Obsecro Domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum,

quod stultè commisimus, ne fiat hæc quasi mortua, & vt abortiuum, quod proiicitur de vulua matris suæ. Ecce iam medium carnis eius deuoratum est à lepra. Clamauitque Moyses ad Dominum dicens: Deus obsecro sana eam. Cui respondit Dominus: si pater eius spuisset in faciem illius, nónne debuerat, saltem septem diebus rubore suffundi? separetur septem diebus extra castra, posteà reuocabitur. Exclusa est itaque Maria extra castra septem diebus, & populus non est motus de loco illo, donec reuocata est Maria.

Egressi de Sepulchris concupiscentia, venerunt in Haseroth.

3. PROFECTI sunt ex decima tertia mansione Israëlitæ, hoc est, ex Sepulchris concupiscentiæ, vbi sepultos reliquerunt eos, qui cibis Ægyptiis inhiauerant, exemplumque in illis acceperunt iustitiæ Dei, ne eum deinceps offendere auderent. Venerunt autem in mansionem decimam quartam, quæ Hebraicè dicitur *Haseroth*, id est, *atria*, vt D. Hieron. in epist. de Mansionibus interpretatur: sterit columna, quæ illos ducebat, ibique manserunt aliquot diebus; in Sepulchris autem concupiscentiæ vltra mensem videntur permansisse, liquidem Deus Numer. 11. dixit se daturum carnes cotürnicum, vt comederent per mensem integrum, per mēsem ergo integrum eas comederunt: postea dederunt concupiscentiæ pœnas, & profecti venerunt in Haseróth.

Locuta est Maria, & Aaron contra Moysen.

4. Maria soror erat Mosis, ætate prouectior, vt constat ex cap. 2. Exod. cùm enim Moses expositus in Nilo fluuio à filia Pharaonis inuentus est, illa filiam Pharaonis rogauit: *Vis vt vocem tibi mulierem Hebræam, quæ nutrire possit infantulum?* vocauitque matrem. Præterea Moses expositus est in fluuio, Exod. 2. *Stanie procul sorore eius, & considerante euentum rei.* Ergo iam puella erat Maria, quæ euentum rei considerare poterat, duodecim, vel plurium annorum. D. Gregor. Nyssenus in lib. de virginitate, cap. 19. ait, non nullos huic Mariæ virginitatem tribuisse, cuius opinionis est D. Ambros. lib. 1. de virginibus. Veruntamen mos illius temporis suadet, fuisse coniugatam. In illo enim populi initio, mos erat matrimonium contrahere. Itaque Iosephus lib. 3. Antiquit. cap. 2. Mariam hanc vxorem fuisse Hur affirmat, quem multi sequuti sunt. Nam Abulensis in fine Commentariorum capitis 35. Exodi sic scribit: Hur qui fuit Iudex cum Aaron, & sustinuit manus Mosis, communiter dicitur esse maritus Mariæ, sororis Mosis, &c. Erat igitur hęc opinio communis. Nihil verò est, quòd contrarium persuadeat. Erat autem prophetissa. Sic enim appellatur Exod. 15. *Sumpsit Maria prophetissa soror Aaron tympanum.* Et Num. 12. aiunt Maria, & Aaron: *Numquid per solum Moysen locutus est Dominus? Nónne & nobis similiter est locutus?* Confert se, & Aaronem cum Mose, quia illis similiter, vt Mosi, Deus erat locutus. Quòd si quis virginem eam fuisse probare velit; propterea quòd fuerit prophetissa, infirmum erit argumentum, quoniam Iudicum 4. sic legitur: *Erat Debbora prophetis vxor Lapidoth, quæ iudicabat populum in illo tempore.* Nónne vides, prophetissam virum habuisse, & populum iudicasse? Fuit Maria, Mosis soror, magno in pretio habita à populo, & omnium mulierum illius populi præstantissima. Nam Exod. 15. *egressæ* dicuntur *omnes mulieres post eam*, ad canendum canticum Mosis, illa verò præcinebat omnibus. Præterea Michęę 6. ait Dominus populo: *Misi ante faciem tuam Moysen, & Aaron, & Mariam*, &c. Mentionem Mariæ facit, velut prophetissæ, & coadiutricis fratrum Mosis, & Aaronis. Chaldæus eo loco sic scribit: Misi antè tres prophetas, Moysen vt doceret iudictorum traditionem, Aaron vt expiáret populum, & Mariam, vt instrueret mulieres, &c. Zachar. 11. ait Dominus: *Succidi tres pastores in mense vno.* D. Hieron. hos tres pastores vult esse Mosem, Aaronem, & Mariam; vnde sequitur ex sententia D. Hieron, quem alij sequuntur, Mariam populum cum fratribus aliquo modo gubernasse, fortè feminis præerat, easque docebat.

Propter vxorem eius Æthiopissam.

In hac mansione locuta est Maria, & Aaron contra Moysen, occasio autem locutionis fuit vxor Mosis Æthiopissa. Præponitur autem Maria Aaroni in hac detractione, quia fortè ipsa origo fuit huius peccati, grauioremque culpam commisit. *Quæ fuerit* Æthiopissa *vxor Mosis, propter quam Maria, & Aaron contra Mosen locuti sunt*, dubium est. Iosephus lib. 2. Antiquit. cap. 10. scribit, Mosem vxorem habuisse nomine Tharbis Regis Æthiopum filiam, de qua lib. 1. diximus. Diuinæ literæ solius Sephoræ meminerunt, filiæ Iethro, sacerdotis Madianitarum, Exod. 2. Hanc autem vxorem Sephoram Iethro pater ad Mosem adduxit cum filiis. Exod. 18. *Venit Iethro cognatus Moysi, & filij eius, & vxor eius ad Moysen in desertum, vbi erat castrametatus iuxta montem Domini, & mandauit Moysi, dicens: Ego Iethro cognatus tuus venio ad te, & vxor tua, & duo filij tui cum ea.* Filia illa Regis Æthiopum rectè Æthiopissa dici potest: sed non videtur locus hic de ea intelligendus; siquidem scriptura nullam facit huius vxoris mentionem. Quòd si illam vxorem duxit Moses, vt Iosephus ait, vel iam ex vita discesserat hoc tempore, vel ob iustas causas à Mose relicta erat.

De Sephora intelligitur locus, vnde quæstio exoritur, *cur Sephora vxor Mosis dicatur Æthiopissa*, cùm esset non ex Æthiopibus, sed ex Madianitis oriunda? Filia enim erat Iethro, sacerdotis Madianitarum. Madianita ergo erat, non Æthiopissa. Respondetur, Madianitas dici Æthiopes, vt ait D. August. quæst. 20. in lib. Numer. Abulensis, & alij. Abacuc 3. *Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian.* Tentoria Æthiopiæ, & pelles Madian idem videntur significare, 2. part. 14. Zara Æthiops, & Æthiopes, ex sententia D. Augustini, loco citato, Medianitæ sunt. Psalm. 73. *Dedisti eum escam populis Æthiopum.* De Arabibus aliqui exponunt. Madianita ergo erat Sephora, & Æthiopissa vocabatur. Fortè Æthiopissa dicta est, quòd non admodum esset candida, vel quia ab Æthiopibus ducebat originem. Ij enim

enim qui obtrectant, in deterius omnia trahunt, malè candidam Æthiopissam vocant. Lyranus cùm Rabbi Salomone existimat, Sepharam non solùm candidam, sed etiam pulcherrimam fuisse, dicíque Æthiopissam per antiphrasim, id est, contrariam locutionem. Chaldæus pro Æthiopissa vertit pulchram.

7. Alterum dubium est, *cur Maria, & Aaron contra Mosem sint locuti, quidve inuenerint reprehendendum in vxore Æthiopissa, aut in Mose?* Lyranus cum Rabbi Salomone putat, Mariam & Aaronem Mosi oblocutos, propter vxorem Æthiopissam, id est, propterea quòd separasset se ab vxore quoad thorum, propter crebra cum Deo colloquia. idem sentit Caietanus. D. quidem Epiphan. hęres. 78. scribit, Mosem ab vxore se separasse his verbis: Postquam prophetauit Moses, non ampliùs vxori coniunctus est, non ampliùs liberos genuit, non ampliùs generat talis. Habebat enim vitam Deo vacantem, &c. Idem putat Genebrardus Chronolog. libro 1. Sic verò obloquebantur Maria, & Aaron: non rectè agit Moses, quòd propter colloquia diuina destituit vxorem. Non enim cum solo Mose, sed nobiscum etiam loquitur Deus, neque verò propter diuina colloquia coniugalem thorum deserimus. Quòd si roges Rabbi Salomonem, *vnde nouerit Maria, quòd Moses abstineret ab vxore, propter diuina colloquia?* Respondet, eo die, quo in castris Eldad, & Medad prophetare cœperũt; Sephoram vxorem Mosis coram Maria sic locutam: væ vxoribus eorum, deserentur enim quoad thorum à viris suis, propter acceptum prophetandi spiritum, quemadmodum ego à viro meo Mose deserta sum. Sed nullum affert dicti huius fundamentum. Paulus Burgensis Episcopus cum aliis arbitratur, Sephoram colore fuisse nigram, eò quòd Madianitæ in tentorijs ex magna parte habitarent, Solisque calore peruterentur. Arbitratur præterea, Mariam dixisse, Mosem ab vxore se separasse, propter negredinem, non propter colloquia diuina. Colloquia enim diuina, dicebat Maria, à thoro coniugali prophetas non pellunt, & probat: nónne mecum (inquit) & cum Aarone loquitus Deus, neque tamen thorum coniugalem deserimus? Chaldęus sentire videtur, detraxisse Mariam de Mose, propterea quòd vxorem repudiasset, sic enim vertit: Locuta est Maria, & Aaron, propter vxorem pulchram, quam acceperat, quoniam vxorem pulchram, quam accepit, repulit, &c. Abulensis putat, Sephoram vxorem Mosis, virum suum Mosem valde extulisse, Mariæque & Aaroni præposuisse propter diuina colloquia: tulisse verò id ægrè Mariam, & Aaronem, atque idcirco respondisse: *Num per solum Mosem locutus est Dominus? Nónne nobiscum similiter est locutus?* Hebræa lectio huiusmodi est: *Locuta est Maria, & Aaron contra Mosem propter vxorem Æthiopissam, quam accepit*, &c. LXX. interpretes eodem modo vertunt: Locuta est Maria, & Aaron contra Moysen propter vxorem Æthiopissam, quam accepit Moses, quia vxorem Æthiopissam accepit, &c. Vnde efficitur, Mariam, & Aaronem ideo de Mose detraxisse, quòd Sephoram duxisset Æthiopissam, id est, alienigenam, & Madianitidem, non oriundã ex populo Hebræo. Detrahentes autem inter alia inseruerunt verba illa: *Num per solum Mosem locutus est Dominus? Nónne & nobis similiter est locutus?* &c. Nostræ versionis sensus est: Locuta est Maria, & Aaron contra Moysen propter vxorem eius Æthiopissam, hoc est, quia Æthiopissam, & alienigenam duxerat.

Egredemini vos tantùm tres ad tabernaculum fœderis.

Audiuit Dominus detractionem. Iussit Mosem, & Mariam venire in tabernaculum fœderis, descenditque in columna nubis, & steríit in introitu tabernaculi, vocatisque seorsum Aarone & Maria, mitissimum Mosem valde laudauit. Dixerant illi: *Num per solum Moysen locutus est Dominus? Nónne & nobis similiter est locutus?* At Dominus illos increpat, & Mosem longo anteponit interuallo. *Si quis* (inquit) *fuerit inter vos propheta, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis seruus meus Moyses, qui in domo mea fidelissimus est, ore enim ad os loquor ei, & palam, & non per ænigmata, & figuras Dominum videt. Quare ergo non timuistis detrahere seruo meo Moysi.* Mosem seruum appellat fidelissimum in omni domo sua, id est, in toto populo suo, quem gubernabat. Ad Hebr. 3. *Moyses* (ait Paulus) *fidelis erat in tota domo eius, tanquam famulus, in testimonium eorum, quæ dicenda erant: Christus verò tanquam filius, in omni domo sua, quæ domus sumus nos.* Reliqua verba indicant, Mosem fuisse prophetam præstantissimum, & clariorem reliquis habuisse rerum cognitionem, quia cum angelo, qui Dei personam sustinebat, os ad os loquebatur, & non per ænigmata, & figuras Dominum videbat.

Ecce Maria apparuit candens lepra, sicut nix.

Non reliquit Dominus impunitatem detractionem. Postquam Mariam, & Aaronem increpuit, discessit ex ostio tabernaculi, Maria verò tunc omnibus apparuit lepra candens, veluti nix candida est. Lepra enim candore quodam niueo eam cooperuerat, ideò Chaldæus vertit: Maria erat alba quasi nix. Et LXX. interpretes: Ecce Maria leprosa, quasi nix, sicque habet Hebræa lectio. Percussit Dominus lepra Mariam, non autem Aaronem, grauius enim Maria peccauerat, à qua orta videtur detractio. Præterea Aaron summus erat sacerdos, noluitque eum Dominus publico supplicio afficere. Vidit Aaron sororem lepra infectam, confugit verò ad Mosem, quem offenderat: veniam sibi, & sorori petijt: *Obsecro* (inquit) *Domine mi, ne imponas nobis hoc peccatum, quod stultè commisimus, ne fiat hæc quasi mortua, & vt abortiuum, quod proijcitur de vulua matris suæ. Ecce iam medium carnis eius deuoratum est à lepra.* Parce (inquit) nobis, Deumque ora, vt lepram à sorore nostra repellat, ne fiat mortuę similis, ab hominum consortio repulsa, & ne fiat similis abortiuo fœtui, succurre properanter. Ecce enim iam medium carnis eius deuoratum est à lepra.

Clamauit Moyses ad Dominum.

Mitissimus Moses detractoribus pepercit, Deumque pro Maria orauit, clamans: *Deus obsecro sana eam.* Dominus verò sanare eam tunc noluit, sed post septem dies. Respondit autem Mosi: *Si pater eius spuisset in faciem illius, nonne debuerat saltem septem diebus rubore suffundi? separetur septem diebus extra castra, & postea reuocabitur.* Apud Israëlitas illius temporis, pater aliquando iratus, filium, vel filiam puniebat, sputo in fa-

in faciem eius iniecto: filia verò, & filius rubore suffusi, saltem septem diebus à conspectu patris discedebant. Iuxta hunc morem loquitur Dominus: Si (inquit) pater iratus Mariæ faciem sputo fœdasset, nonne saltem septem diebus debuerat rubore suffundi, & à vultu patris separari? Eundem in modum à me, veluti patre, lepra veluti sputo infecta, suffundatur pudore septem saltem diebus, & leprosorum ritu extra castra habitet, posteà reuocabitur. Ita factum est. Expulsa est Maria ex castris, propter lepram, quamuis soror esset summi principis Mosis, septem diebus extra castra mansit leprosa. Post septem dies, & sanitati, & castris est restituta, suoque supplicio didicit frenare linguam, docuitque nos cauere detractionem. Columna verò dux viæ à loco illo non est mota, donec Maria in castra est reuersa.

Maria leprosa extra castra habitauit.

A Dominus) *non timuistis detrahere seruo meo Moysi?* iratusque Mariam lepra infecit, & castris eiecit. Ostendit hoc supplicium qualis sit detractio. est enim similis lepræ, quæ contagione serpit. Extra castra pellitur Maria: extra domos, & colloquia pellantur murmuratores. Leprosos fugiunt homines: multo magis fugere debent detractores, præsertim eos, qui viris probis maledicunt, Numer. 23. *Quomodo* (inquit Balaam) *maledicam, cui non maledixit Deus? quæ ratione detester, quem Dominus non detestatur?* Quomodo audet homo contra eos murmurare, quos Deus diligit, quos vt seruos, & filios charos habet? Væ iis leprosis, qui diligunt calumnias, detractiones ac maledictiones. Psal 51. *Dilexisti omnia verba*

Num 23.

Psal. 51.

B *præcipitationis lingua dolosa, propterea Deus destruet te,* &c. Verba præcipitationis ea dicuntur, quæ suis detractionibus homines præcipitant, & in ruinam pellunt. Væ iis, qui diligunt linguam præcipitantem, neque eam frænare volunt: propterea Deus destruit illos, &c. Præcipitabit famam hominum, lingua verba præcipitationis loquens. Eadem verò sicut equus effrænatus, eum maximè qui verba præcipitationis loquitur, præcipitabit. Equus enim effrænatus est, lingua effrænata, quæ eum præcipitat in peccata multa, & in barathrum, qui effrenatè loquitur. D. Chrysost homil. 52. in Matth. Equus (inquit) est lingua nostra. Si eam nullo frænò

Lingua equus effrenata.

D. Chrysost.

C domueris, sed huc atque illuc infrænem iactari permiseris, diaboli eam vehiculum feceris, &c. Diaboli vehiculum est lingua præcipitationis: lingua verò frænata viri probi, quæ nulli detrahit, omnibus Deum colere, & amare suadet, equus est Christi, vt idem Chrysost. eodem loco ait: Equus (inquit) regius est lingua nostra. Si frænum ei immiseris, doctrina tua gradarium feceris, ascendet in eum Rex, id est, Christus, & quiescet in eo, &c. Vehiculũ diaboli est lingua fræno carens. Quódnam vehiculũ diabolũ ad Mahometanos duxit, ad Iudęos, ad hęreticos? Lingua impia, & effrænata, illa enim doctrinam illis tradidit Dei doctrinæ aduersariam. Quódnam vehiculum Christum per totum orbem duxit, ducitque hodie? Lingua frænata proborum virorum, qui veram doctrinam in totum orbem, velut merces pretiosissimas, vehunt. In conuentum murmuratorum lingua improba diabolum ducit. Pestis hæc in regiones desertas amandetur, nullus illi locus sit inter homines.

Lingua frenata vehiculum est diaboli.

Lingua probi viri equus est Christi.

MORALE.

De detractione Mariæ & Aaronis.

Typus synagogæ.

II. Habemus hoc loco synagogæ typum. Quemadmodum Moses vxorem duxit Æthiopissam, & alienigenam: sic Christus Ecclesiam ex gentibus accepit sponsam, quæ Æthiopissa erat, id est, peccatorum affecta nigrore, sed à sponso mira pulchritudine est donata, iuxta illud

Cant. 1.

Cant. 1. *Nigra sum, sed formosa, filiæ Ierusalem,* &c. Nigra erat ante desponsationem, & Æthiopissa; posteà à sponso suo formosa facta est, ea enim est sponsi potentia, vt ex nigra pulchertimam, ex paupere ditissimam, ex ignobili nobilissimam fecerit. D. Bernard. serm. 39. in Cant. Non potuit Moses Æthiopissæ mutare pellem, potuit Christus, &c. At verò Maria, id est, synagoga, de Christo & sponsa eius Ecclesia detrahit, quæ Æthiopissa fuit, & ex gentibus præcipuè ducta: neque cernit cęca eius admirabilem pulchritudinem omnibus conspicuam. Ideo lepra perfidiæ infecta synagoga extra castra Dei vitam agit leprosam. Aspice (inquit Origenes de tempore suo loquens) Iudæorum plebem, & vide quanta in illa est lepra peccati, quanta intelligentię caligo, quanta turpitudo aspectus, &c. Turpem aspectu ait esse synagogam, quia leprosa est, id est, infidelis. D. Hieron. mansione 14. Aaron (inquit) & Maria, contra Mosem murmurant, & in typum zeli aduersus Ecclesiam de gentibus congregatam, populus Iudæorum lepræ sorde perfunditur, &c. Reducta est Maria in castra, & sanitas restituta: sic synagoga, postquam plenitudo gentium intrauerit, in Ecclesiam adducetur, fidemque Christianam colet. D. Hieron. Non redit (inquit) in tabernaculum populus Iudæorum, & pristinam recipit sanitatem, donec statutum plenitudinis gentium tempus impleatur, &c. Item Origenes homil. 6. (ait) lepra Iudaici generis non manet perpetuò, sed vbi septimana compleri cœperit mundi, reuocabitur ad castra. In fine enim mũdi cùm plenitudo gentium intrauerit, tunc & omnis Israël saluabitur, & tunc cessabit lepra à facie Mariæ. Sic ille.

Cant. 1.

D. Bernard.

Origenes.

D. Hieron.

D. Hieron. Iudæi in fine mundi conuertentur ad Christum. Origenes.

Quare non timuistis detrahere seruo meo Moysi?

Magno sanè supplicio digni sunt, qui de innocentibus seruis Dei detrahunt, valdeque timenda est huiusmodi detractio. *Quare* (inquit

12. *De detractione.*

parant peccati grauis, graueque supplicium; probi autem viri laudem à Deo adipiscuntur, & gloriam sempiternam. Maria lepra est contaminata: at verò Moses laudibus à Deo est affectus. Numer. 12. *Vocauit Dominus Aaronem, & Mariam iratus, dixit verò ad eos: si quis fuerit inter vos propheta Domini, in visione apparebo ei, vel per somnium loquar ad illum. At non talis seruus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est, ore enim ad os loquor ei.* Nonne Deum audis Mosem seruum suum laudibus coram detractoribus extollentem? Detractiones enim, iniuriæ, ac contumeliæ, pro Deo patienter tolerate, laudem nobis pariunt. Origenes hom. 6. in Numeros: Videris (inquit) quid sibi pœnæ contulerint B obtrectatores; quid verò Mosi, cui obtrectauerant, quæsiuerint laudis. Sibi turpitudinem, illi splendorem: sibi lepram, illi gloriam: sibi opprobrium, illi magnificentiam quęsiuerunt, &c.

Numer. 12.

Detractores laudem peperiunt mansuetis.

Origenes.

CAPVT VI.

De numero, & ordine mansionum.

Ordo mansionum.

I. NVMERORVM cap. 32. numerantur à Mose quadraginta duæ mansiones. Post eas, de quibus iam egimus, addit: *Profecti de Sepulchris concupiscentiæ castrametati sunt in Haseroth, & de Haseroth venerunt in Rethma,* &c. Haseroth, vbi Maria lepra est percussa, fuit decima quarta mansio. 15. fuit Rethma 16. Remmomphares 17. Lebna 18. Ressa 19. Ceelatha 20. Mons Sepher 21. Arada 22. Maceloth 23. Thahath 24. Thare 25. Methca 26. Hesmona 27. Moseroth 28. Beneiaacan 29. Monsgaddad 30. Ierebatha 31. Hebrona 32. Asiongaber 33. Cades. Sic numerat Moses Numer. cap. 33. has mansiones, vt sequentes nunc omittam, de quibus suo loco agendum est. Ait de Haseroth mansione decima quarta venisse Hebręos in Rethma. At cap. 13. eiusdem libri scribit: *Profectusq; est populus de Haseroth, fixis tentoris in deserto Pharan. Ibiq; locutus est Dominus ad Moysen dicens: Mitte viros, qui considerent terram Chanaan, quam daturus sum filijs Israël.* Vnde constat, ex mansione decima quinta missos fuisse exploratores. Exploratores autem ex Cadesbarne missos esse, probatur ex cap. 14. Iosue, vbi hęc sunt Caleb verba: *Quadraginta annorum eram, quando misit me Moyses de Cadesbarne, vt considerarem terram,* &c. Missus ergo est Caleb, ad explorandam terram, cum cæteris ex Cadesbarne. Idem probatur ex cap. 1. Deut. ex quo apertè colligitur, missos esse exploratores ex Cadesbarne. Fuit ergo Cadesbarne mansio 15. non autem Rethma. Sed facilè responderi potest, Israëlitas ex Haseroth venisse in partem quandam deserti Pharan; quæ appellatur Rethma; vbi erat Cadesbarne, quam ob causam Num. 13. dicitur populus venisse ex Haseroth in desertum Pharan, ibiq; e fixisse tentoria, & Num. 33. dicitur ex Haseroth venisse in Rethma, & Deut. 1. & Iosue 13. dicuntur exploratores missi de Cadesbarne. Idem enim locus, & eadem mansio diuersis nominibus appellatur.

Iosue 14. Exploratores missi sunt ex Cadesbarne.

Moses mansuetissimus.

Ferenda est cum mansuetudine detractio.

2. Quęritur, *quónam modo Israëlitæ ad has mansiones peruenerint?* Lyranus Num. 33. sic scribit. Sciendum, quòd mansiones fuerunt 42. harum filij Israël fecerunt quatuordecim, primo anno egressionis suæ ex Ægypto, & in principio secundi anni, scilicet vsque ad locum, vnde missi sunt exploratores. Item, octo mansiones fecerunt quadragesimo anno, scilicet à monte Hor exclusiuè, vsque ad Iordanem, & sic patet, quòd tempore intermedio, quod fuit ferè 38. annorum, filij Israël fecerunt tantum 20. mansiones, &c. Existimat Lyranus, peruenisse primò Israëlitas ex monte Sinai in Cadesbarne, vnde exploratores missi sunt: posteà verò percurrisse mansiones, quas supra numerauimus, vsque ad Cades; deinde cæteras ab Hor, vsque ad Iordanem fluuium.

Lyranus.

Abulensis putat, venisse Hebræos bis in 3. Cadesbarne; semel postquam profecti sunt ex B monte Sinai anno secundo ab exitu ex Ægypto. Quia verò murmurarunt contra Dominum, iussi sunt reuerti in solitudinem per viam maris rubri. Cùm autem mansissent ibi vsque ad annum quadragesimum egressionis ex terra Ægypti, venerunt iterum in Cadesbarne. Cajetanus quoque existimat, bis venisse Hebræos in Cades, siue Cadesbarne; sic ille scribit Numer. 33. Profectiones istæ post quartam decimam mansionem, vsq; ad vigesimam tertiam, intelligendæ sunt distinctæ in eam, vel eas, quæ fuerunt vsque ad Cadesbarne, prima vice, in ipso secundo anno; & in eas, quę fuerunt regrediendo à Cadesbarne, ex mandato irati C Dei. Regressi enim tunc sunt, & circuierunt mõtem Seir, ita quòd trigesimam tertiam mansionem fecerunt iterum in Cadesbarne. Sic ille. Existimat Caietanus, mansiones, quę post decimam quartam numerantur Numer. 33. non nullas præcessisse mansionem Cadesbarne, quæ non nominatur, aut numeratur sub hoc nomine, alias secutas esse.

An venerint Israëlitæ bis in Cadesbarne? Caietanus.

Existimo, ordinem mansionum eum esse, 4. quem Moses seruauit, Numer. 33. in illo autem mansionum catalogo mentionem non fecit Cadesbarne, sub hoc nomine, sed ex cap. 13. Numer. colligitur, fuisse Cadesbarne mansionem in deserto Pharan, ex qua missi sunt exploratores: fortè alio nomine dicitur Rethma, quæ D fuit mansio decima quinta. Cades autem illa, quam Caietanus arbitratur esse Cadesbarne, alia fuit, & diuersa mansio, nempe mansio 33. vt constat ex cap. 33. Num. in catalogo mansionũ. Sunt enim diuersa nomina, & diuersæ mansiones. Crediderim tamẽ, Cadesbarne appellatam etiam esse Cades. Sic enim appellatur Numer. 13. & in Hebræo contextu Deuter. cap. 1. vt infra ostendetur. Sed Cadesbarne, nomẽ est decimę quintę mansionis, Cades verò nomen est trigesimæ tertiæ. Itaq; nõ opus est dicere, Israëlitas bis venisse in Cadesbarne, eo quòd semel venerint in Cadesbarne, iterumq; in Cades. nã Cades longè diuersa est mansio. Venerũt autem Hebræi in Cadesbarne anno secundo ab exitu ex Ægypto. Multo illi tempore E mansurũt in Cadesbarne, vt legitur in fine cap. 11. Deuteron. Postea inde profecti per mansiones numeratas in catalogo mansionum, Numer. 33. peruenerunt in Cades, & in montem Hor, in quo Aaron mortuus est, anno quadragesimo ab exitu Numer. 33. mense quinto. Rethma, & sequentes mansiones, ait D. Hieronymus in tract. de mansionibus, mansione 15. fuisse omnes in deserto quodam, quod appellatur desertũ Pharan, in eodem erat Cadesbarne: Notandum, (inquit) quòd reliquæ mansiones decem, & octo, quarum breuiter catalogus describi

D. Hieron.

describitur, à Rethma vsque ad Asiongaber, id est, vsque ad tricesimam secundam mansionem, sub Pharan solitudinis nomine continentur; in quibus vniuersa, quæ scripta sunt, diuersis tẽporibus gesta sentimus: quæ quia nõ sunt per mansiones singulas distributa, à nobis quoque in commune dicẽtur. Sic Hieron. qui mãsiones eo ordine numerat, quo numerantur. Num. 33.

5. Quæritur, *quanto temporis spatio manserit populus in hac mansione Cadesbarne, & reliquas mansiones percurrerit?* Respondetur, Deut. cap. 1. scriptum esse, mansisse in Cadesbarne multo tempore: *Sedistis* (inquit Moses) *in Cadesbarne multo tempore.* Deuteron. verò cap. 2. ait idem Moses; *Tempus quo ambulauimus de Cadesbarne vsque ad transitum torrentis Zared, triginta, & octo annorum fuit.* Profectus est populus ex monte Sinai anno secundo ab exitu ex Ægypto, mense secundo vigesima die mensis, Numer. 10. Postea in decima tertia mansione, quæ dicitur sepulchra concupiscentiæ, mansit vltra mensem. In ea enim populus per mensem continuices à Deo datas comedit: postea in mansionem decimam quartam peruenit, vbi Maria septem diebus, propter lepram ex castris separata est, mansitq; ibi populus per dies illos septem, & plures: deinde peruenit in Cadesbarne, vnde missi sunt exploratores, mense quarto anni secundi ab exitu. In Cadesbarne mansit multo tempore, de quo dicemus infra. Tandem post triginta & octo annos, venit in torrentem Zared, anno quadragesimo, vt suo loco dicetur, Deo fauente. Deuteron. cap. 1. quo loco legimus in nostra versione: *Sedistis in Cadesbarne multo tempore.* Hebraicè legitur, *be Cades*, id est, *in Cades*, non additur, *Barne.* Sic vertunt septuaginta, & Chaldæus. Item Numer. 13. sic legimus: *Venerunt*

In mansione Cadesbarne, manserunt Israelitæ tãto tempore. Deut. 2.

Deut. 1. Cadesbarne dicitur Cades.

A (scilicet exploratores) *ad omnem cœtum filiorum Israël in desertum Pharan quod est in Cades.* Hebraicè: Venerunt in desertum Pharan *Cadesach*, id est, in Cades. Quamobrem Cadesbarne videtur etiam appellari Cades, esseque *Cadesbarne*, siue *Cades*, non decimam quintam mansionem, sed trigesimam tertiam, qui numerus *Cades* mansioni assignatur, Numer. 33. Hanc opinionem, qui sequetur, sic ordinem mansionum constituet. Ex mansione decima quarta, in qua Maria aduersus Mosem locuta est, venerunt Israëlitæ, non in Cadesbarne, sed in Rethma, quę fuit mansio decima quinta: mansio decima sexta fuit Remomphares, decima septima Lebna, denique trigesima tertia, vt supra ostendimus, fuit Cades, quæ etiam dicitur Cäderbarne.

B Percurrerunt autem Israëlitę festinantes has 6. mansiones omnes, vsque ad Cades, vno ferè mense; profectiq; ex monte Sinai anno secundo ab exitu, mense secundo, peruenerunt in Cades percursis his mansionibus, mense quinto. Ex Cades, siue Cadesbarne, missi sunt exploratores. In hac mansione manserunt multo tempore, siue multis diebus; vt Hebraicè habetur, id est, vsque ad finem anni secundi, & initium tertij ab exitu; postea 38. annorum spatio ad torrentem Zared perducti sunt, anno quadragesimo. At obstat huic ordini, quòd Maria, C soror Mosis, Numer. 20. dicitur obiisse in Cades, & in eodem loco sepulta: illa autem videtur obiisse anno ferè quadragesimo post exitum ex Ægypto, quo obierunt Aaron & Moses; non autem hoc tempore, quo erant Israëlitæ in Cadesbarne, anno secundo post exitum; nisi dicamus, Hebræos in hac mansione mansisse multos annos; qua de re infra agemus, Deo donante.

Num. 33.

De tempore quo Israëlitæ percurrerunt mansiones.

CAPVT VII.

De missione exploratorum ex Cadesbarne.

NVMERI CAP. XIII.

PROFECTVSQVE est populus de Haseroth fixis tentoriis in deserto Pharan, ibique locutus est Dominus ad Moysen, dicens: Mitte viros qui considerent terram Chanaan; quam daturus sum filiis Israël, singulos de singulis tribubus, ex principibus. Fecit Moyses, quod Dominus imperauerat; de deserto Pharan mittens principes viros, quorum ista sunt nomina. De tribu Ruben, Summua filium Zechur. De tribu Simeon Saphat filium Huri. De tribu Iuda, Caleb filium Iephone. De tribu Issachar Igal filium Ioseph. De tribu Ephraim, Osee filium Nun. De tribu Beniamin Phalti filium Raphu. De tribu Zabulon Geddiel filium Sodi. De tribu Ioseph sceptri Manasse, Gaddi filium Susi. De tribu Dan. Ammiel filium Gemalli. De tribu Aser, Sthur filium Michaël. De tribu Nephthali Nahabi filium Vapsi. De tribu Gad, Guel filium Machi. Hæc sunt nomina virorum, quos misit Moses ad considerandam terram. Vocauitq; Osee filium Nun, Iosue. Misit ergo eos Moyses ad considerandam terram Chanaan, & dixit ad eos: Ascendite per meridianam plagam: cumq; veneritis ad montes, considerate terram qualis sit, & populum, qui habitator est eius, vtrum fortis sit, an infirmus: si pauci numero, an plures: ipsa terra bona, an mala: vrbes quales, muratæ, an absq; muris: humus, pinguis, an sterilis; nemorosa, an absq; arboribus. Conformamini, & afferte nobis de fructibus terræ. Erat autem tempus quãdo iam præcoquæ vuæ vesci possunt. Cumq; ascendissent, exploraueruntterram à deserto Sin vsq; Rohob, intrantibus Emath. Ascenderuntq; ad meridiem, & venerunt in Hebron, vbi erant Achiman, & Sinai, & Tholmai filij Enac. Nam Hebron septem annis ante Tanim vrbem Ægypti condita est. Pergentesq; vsque ad torrentem Botri abscíderunt palmi

palmitem cum vua sua, quem portauerunt in vecte duo viri. De malis quoque granatis & de ficis loci illius tulerunt: qui appellatus est Nehelescol, id est, Torrens botri, eò quòd botrum portassent inde filij Israël. Reuersiq; e exploratores Terræ post quadraginta dies, omni regione circuita, venerunt ad Moysen & Aaron, & ad omnem cœtum filiorum Israël in desertum Pharan, quod est in Cades. Locutique eis & omni multitudini ostenderunt fructus Terræ: & narrauerunt, dicentes: Venimus in Terram, ad quam misisti nos, quæ re vera fluit lacte & melle, vt ex his fructibus cognosci potest: sed cultores fortissimos habet, & vrbes grandes atque muratas. Stirpem Enac vidimus ibi. Amalec habitat in meridie; Hethæus & Iebusæus & Amorrhæus in montanis: Chananæus verò moratur iuxta mare & circa fluenta Iordanis. Inter hæc Caleb compescens murmur populi, qui oriebatur contra Moysen, ait: Ascendamus, & possideamus Terram, quoniam poterimus obtinere eam. Alij verò, qui fuerant cum eo, dicebant: Nequaquam ad hunc populum valemus ascendere, quia fortior nobis est. Detraxeruntque Terræ, quam inspexerant, apud filios Israël, dicentes: Terra, quam lustrauimus, deuorat habitatores suos: populus, quem aspeximus, proceræ staturæ est. Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo: quibus comparati, quasi locustæ videbamur.

DEVTERONOMII CAP. I.

3. ET accessistis ad me omnes, atque dixistis: Mittamus viros qui considerent Terram: & renuntient per quod iter debeamus ascendere, & ad quas pergere ciuitates. Cumq; mihi sermo placuisset, missi ex vobis duodecim viros, singulos de tribubus suis. Qui cùm perrexissent, & ascendissent in montana, venerunt vsque ad Vallem botri: & considerata terra, sumentes de fructibus eius, vt ostenderent vbertatem, attulerunt ad nos, atque dixerunt: Bona est terra, quam Dominus Deus noster daturus est nobis. Et noluistis ascendere, sed increduli ad sermonem Domini Dei nostri murmurastis in tabernaculis vestris, atque dixistis: Odit nos Dominus, & idcircò eduxit nos de Terra Ægypti, vt traderet nos in manu Amorrhæi, atque deleret. Quò ascendemus? nuntij terruerunt cor nostrum, dicentes: Maxima multitudo est, & nobis statura procerior: vrbes magnæ, & ad cælum vsque munitæ, filios Enacim vidimus ibi. Et dixi vobis: Nolite metuere; nec timeatis eos: Dominus Deus, qui ductor est vester, pro vobis ipse pugnabit, sicut fecit in Ægypto cunctis videntibus: Et in solitudine (ipse vidisti) portauit te Dominus Deus tuus, vt solet homo gestare paruulum filium suum, in omni via per quam ambulastis, donec veniretis ad locum istum. Et nec sic quidem credidistis Domino Deo vestro, qui præcessit vos in via, & metatus est locum in quo tentoria figere deberetis; nocte ostendens vobis iter per ignem, & die per columnam nubis. Cumq; audisset Dominus vocem sermonum vestrorum, iratus iurauit, & ait: Non videbit quispiam de hominibus generationis huius pessimæ Terram bonam, quam sub iuramento pollicitus sum patribus vestris: præter Caleb filium Iephone: ipse enim videbit eam, & ipsi dabo Terram, quam calcauit, & filiis eius, quia secutus est Dominum. Nec miranda indignatio in populum, cùm mihi quoque iratus Dominus propter vos dixerit: Nec tu ingredieris illuc: sed Iosue filius Nun minister tuus, ipse intrabit pro te. hunc exhortare & robora, & ipse sorte Terram diuidet Israëli. Paruuli vestri, de quibus dixistis quòd captiui ducerentur, & filij qui hodie boni ac mali ignorant distantiam, ipsi ingredientur: & ipsis dabo Terram, & possidebunt eam.

Mitte viros, qui considerent terram.

3. PROFECTI sunt Israëlitę à mansione decima quarta Haseroth, veneruntque in decimam quintam Cadesbarne, quæ erat in deserto Pharan. Etenim Numer. 13. legimus; fixisse tentoria Israëlitas in deserto Pharan, & inde missos esse exploratores. & Deuter. 1. legimus, missos esse ex Cadesbarne; vnde efficitur, Cadesbarne esse in deserto Pharan. De missione autem exploratorum, Numer. 13. legimus sic: *Locutus est Dominus ad Moysen: Mitte viros, qui considerent terram Chanaan, quam daturus sum filijs Israël, singulos de singulis tribubus, ex principibus.* Deuter. autem cap. 1. sic loquitur Moses: *Cumq; venissemus in Cadesbarne, dixi vobis: Venistis ad mons Sebast. Barradæ Itiner. Israëlit.*

Num. 33.

Deut. 1.

A *tem Amorrhæi, quem Dominus Deus noster daturus est vobis, vide terram quam Dominus Deus tuus dat tibi, ascende, & posside eam: & accessistis ad me omnes, atque dixistis: Mittamus viros, qui considerent terram, & renuntient, per quod iter debeamus ascendere, & ad quas pergere ciuitates. Cumq; mihi sermo placuisset, misi ex vobis duodecim viros, singulos ex tribubus suis.* Deus præcipit Mosi, vt mittat exploratores; populus postulat, vt mittantur. Priùs tamen populus postulauit; postea Moses Deum consuluit, qui eius postulationi annuit, præcepitque Mosi, vt mitteret. Vtrumque igitur verissimum est; Deus enim imperauit Mosi, vt mitteret exploratores terræ repromissionis, vt legitur Numer. 13. Populus idipsum à Mose postulauit, vt dicitur Deuteron. 1.

Mittuntur exploratores ex Cadesbarne.

Fecit Moyses, quod Dominus imperauerat.

4. Misit Moses exploratores ad explorandam terram repromissionis duodecim, quia duodecim erant tribus Israël. Quid autem explorare deberent, docet Numer. 13. *Ascendite* (inquit) *per meridianam plagam, cumq; veneritis ad montes, considerate terram, qualis sit; & populum qui habitator est eius, vtrùm fortis sit, an infirmus, si pauci numero, an plures, ipsa terra, an bona, an mala, vrbes quales, muratæ, an absque muris; humus pinguis, an sterilis; nemorosa, an absque arboribus.* Ex montibus iubet explorare terram, velut ex speculis altis, non tamen ex montibus solùm explorarunt, sed ciuitates ipsas, & oppida introierunt, veluti peregrini homines & ignoti, terramque à Deo promissam lustrauerunt, spatio dierum quadraginta. Erant Israëlitę, vt ex hoc loco colligitur, hoc secundo anno ab exitu ab Ægypto, propinqui terræ repromissionis, ideo Moses illis dixit Deut. 1. *Venistis ad montem Amorrhæi, quem Dominus Deus noster daturus est vobis. Vide terram, quam Dominus Deus tuus dat tibi. Ascende, & posside eam.* Israëlitæ verò, antequàm ingrederentur, exploratores mitti postularunt, qui terram promissam iam propinquam explorarent, quasi verò promissa dona Dei, antequam accipiantur, indigeant exploratione.

Num. 13.

Iam propinqui erant terræ promissionis Israëlitæ. Deut. 1.

Vocauiq; Oseæ filium Nun Iosue.

5. Ex terræ exploratoribus vnus erat Iosue, qui appellabatur, הושע, *hoseah*: tunc autem cùm est missus, addito iod, Moses nomen Iosue illi imposuit Hebraicè, יהושע, *Iehosuah*. Vtrumque nomen deducitur à salute. Verbum enim ישע, *iasah*, significat *saluare*. Ecclesiastic cap. 46. de Iosue sic loquitur: *Fortis in bello Iesus Naue successor Moysi in prophetis, qui fuit magnus secundùm nomen suum, maximus in salutem electorum Dei expugnare insurgentes hostes*, &c. Secundum nomen suum dicitur fuisse *magnus*, & *maximus in salutem electorum*, quia nomen eius salutem significat. D. Hieronym. Osee 1. Saluator (inquit) prophetam suum facit saluatorem. Oseæ enim in lingua nostra sonat saluatorem. Quod nomen habuit etiam Iosue, antequam ei à Deo vocabulum mutaretur. Osee enim dictus est, id est, saluator; & additum est eius nomini Dominus, vt saluator Domini diceretur. Sic Hieron. Additum est nomini Osee iod, litera Hebræa, dictusque est Iehosuah, vel Iosue: *Ieho* autem indicat nomen Dei *Iehoua*, ideo ait Hieronymus, significare Domini saluatorem, id est, saluatorem missum à Deo.

Iosue nomen à salute dicitur. Eccli. 46.

D. Hieron.

6. At videtur hæc nominis immutatio non in hac mansione facta, sed iam antea. Etenim ante hoc tempus, Exod. 17. iam Iosue vocabatur, cùm Amalecitas vicit. Et cap. 24. Iosue dicitur minister Mosis; item cap. 32. cùm reuertitur cum Mose ex monte Sinai, Iosue appellatur, etiam cap. 33. Respondetur, dici illo tempore Iosue per anticipationem. Osee enim tunc dicebatur: sed quia, quando liber scriptus est, iam vocabatur Iosue, & hoc illi fuit perpetuum nomen, appellauit illum Moses Iosue. Lege D. August. lib. 16. contra Faustum, cap. 19. & quæ diximus de nomine Iesu, in Concord. tom. 1.

D. August.

Ascenderunt ad meridiem.

7. Præcepit Moses exploratoribus, Numer. 13. *Ascendite per meridianam plagam*, &c. Erant enim tunc castra in meridiana plaga terræ promissionis. Ascenderunt ergo exploratores ad terram explorandam, per illam terrę partem, quæ meridiem spectabat, iterque fecerunt versus septentrionem. Nam Israëlitæ ex Ægypto veniebant, quę in plaga australi est. Si cum terra promissionis conferatur, desertum quoque Pharan, ex quo missi sunt exploratores, australe est, iuxta illud Abacuc 3. *Deus ab austro veniet, & sanctus de monte Pharan.* Itaque, vt legimus Numer. 13. *Explorauerunt terram à deserto Sin, vsque Rohob intrantibus Emath*; desertum Sin australe est. & Abulensis Numer. 13. quæst. 39. Pharan, & desertum Sin, idem esse putat. Rohob, & Emath septentrionalia sunt loca. Amos 6. ait Dominus: *Suscitabo super vos gentem, & conterent vos, ab introitu Hemath vsque ad torrentem deserti.* Terminus terræ promissæ versus meridiem ponitur torrens deserti; versus aquilonem verò Hemath. Eodem cap. Amos: *Transite* (inquit) *in Emath magnam*, &c. Est enim duplex, altera Emath magna, altera minor. D. Hieronymus eodem capite: Emath (inquit) magna, nunc Antiochia nominatur. Magnam autem vocat ad distinctionem minoris Emath, quæ appellatur Epiphania; vnde vsque hodie pergentibus Mesopotamiam prima mansio vocatur Emmas, corrupto quidem vocabulo, sed pristini nominis vestigia retinente. Cuius regio appellatur Reblatha, in qua 4. Reg. 25. præsente Nabuchodonosore Sedeciæ Regis filij interfecti sunt, & oculi illius excæcati, &c. Hoc loco sermo est de minore Emath, quæ terminus erat terræ versùs aquilonem.

Num. 13.

A meridie cœperunt explorare terram. Abacuc. 3. Num. 13. Amos 6. Duplex est Emath. D. Hieron.

Venerunt in Hebron.

8. Hebron ciuitas est terræ promissionis australis: ad hanc scribit Moses venisse exploratores. Ratio est, quia in ea gigantes tres viderunt, quorum hęc erant nomina: Achiman, & Sisai, & Tolmai. Quæritur autem, *cur hi dicantur filij Enac?* Respondetur, dici filios Enac, quia gigantes erant. Nam Enac pater fuerat gigantum. Deuter. 2. *Enim populus magnus, & validus, & tam excelsus, vt de Enacim stirpe quasi gigantes crederentur, & essent similes filiorum Enacem.* Iosue 14. *Adam maximus ibi inter Enacim situs est*; id est, maximus inter gigantes. De his gigantibus locuti sunt exploratores, cùm reuerti ad populum dixerunt, Numer. 13. *Ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo, quibus comparati quasi locustæ videbamur*, &c.

Cur gigãtes dicantur filij Enac. Deut. 2. Iosue 14. Num. 13.

Hebron septem annis ante Tanim condita est.

9. Ex antiquitate vrbis Hebron ostenditur gigantes ibi fuisse. Nam cùm Tanis, vrbs Ægypti antiquissima esset, Hebron tamen septem annis erat antiquior, in qua aliqui ex antiqua prole gigantum permanserunt. Tanis vrbs fuit Ægypti ad ostium fluminis Nili. Hebraicè *Soban* dicitur, צוען. De hac Psalm. 77. legimus: *Coram patribus eorum fecit mirabilia in terra Ægypti in campo Taneos.* Erat in hac vrbe Pharao, cùm Moses miracula, de quibus actum est, edebat.

Hebron ciuitas fuit antiquissima, & Tanis. Psal. 77.

Absciderunt palmitem cum vua sua, quem portauerunt duo viri in vecte.

10. Præceperat Moses exploratoribus, vt de fructibus terræ portarent, vt ex illis populus intelligeret,

ligeret, qualis terra esset. Ex fructibus enim terra cognoscitur. Idcirco illi cùm iam reuerterentur ad castra, ex Hebron fructus collegerunt terræ. In primis absciderunt palmitem vitis, cum racemo, siue botro, quem duo viri in vecte portauerunt, de magnis etiam malogranatis, & ficis attulerunt. Appellatus autem est locus ille Hebręo nomine, נחל אשכול, *nahal escol*, id est, *torrens botri*; quoniam torrens ibi erat, vnde abscissus est magnus ille, & ponderosus botrus. Significat etiam *nahal* vallem.

Fructus terræ afferunt exploratores.

Reuersi post quadraginta dies.

11. Explorarunt terram exploratores spatio quadraginta dierum. Post quadraginta dies, in desertum Pharan, & Cadesbarne ad castra reuersi sunt; ostenderuntque populo, terrę fructus, indices fertilitatis, terramque laudauerunt. *Re vera* (inquiunt Numer. 13.) *fluit lacte, & melle, vt ex his fructibus colligi potest.* Sed immemores potentiæ, & auxilij Dei, incolarum fortitudinem, & ciuitatum munitiones extulerunt. *Cultores* (inquiunt) *fortissimos habet, & vrbes grandes, atque muratas, stirpem Enac*, id est, gigantum, *vidimus ibi.* Populi fortissimi nobis obstant, ad meridianam enim plagam habitant Amalecitæ: Hethæi, & Iebusæi, & Amorrhæi habitant in montanis. Chananæi verò habitant iuxta mare mortuum, & Iordanem fluuium, qui in mare mortuum influit. Vera illi dicebant. Nam Deuteron. 7. ait Moses, populos terrę promissæ fuisse maioris numeri, & fortiores Hebræis. *Cùm* (inquit) *deleuerit Deus septem gentes multo maioris numeri quàm tu es, & robustiores te.* & Deuter. 9. *Tu transgredieris hodie Iordanem, vt possideas nationes maximas, & fortiores te, ciuitates ingentes, & ad cælum vsque muratas, populum magnum, atque sublimem, filios Enacim quos ipse vidisti, & audisti, quibus nullus potest ex aduerso resistere.* Vera dicebant, sed fortè tali gestu, & loquendi modo, vt indicarent, difficillimum esse terram possidere.

Exploratores quid explorarint nunciant. Num. 13. Deut. 7. Deut. 9.

12. Auditis exploratoribus, populi contra Mosem murmur oriebatur, quòd eos in eam terram ex Ægypto vocasset. Caleb autem qui vnus erat ex exploratoribus, populi murmur compescere conatus est, dicens: Ascendamus in terram à Deo promissam, ne despondeamus animum, Dei auxilio illam sub nostram potestatem poterimus redigere. Alij verò exploratores eius socij restiterunt Caleb respondentes: Nequaquam poterimus ascendere ad terram hanc, quia populus eius fortior est nobis; detraxeruntq; terrę à Deo promissæ: *Terra* (aiunt) *quam explorauimus, deuorat habitatores suos, populus quem aspeximus, proceræ staturæ est, ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac*, id est, gigantes, *in Hebron, quibus comparati, quasi locustæ videbamur.* Quęres, *cur dixerint, terram deuorare suos habitatores?* Rabbi Salomon ait, vidisse exploratores, in quolibet oppido homines sepeliri, quia populum illum Dominus occidebat, vt Israëlitę pauciores hostes haberent. Abulensis coniicit, exploratores vidisse populum pestilentia percussum, & homines passim morientes; ideoque dixisse, terram deuorare suos habitatores. Probabilitate carent hæ coniecturæ. Verisimile est, per hyperbolem locutos esse exploratores, cùm dixerunt: *Terra deuorat habitatores suos*, qua significarunt, terram non esse expetendam, vel indicare voluerunt, terram deuoraturam Hebræos, si in illam vellent ingredi, & in ea habitare, quia à Chananæis fortissimis vita priuarentur.

Oritur populi tumultus. Caleb populi tumultũ conatur compescere: obsistunt alij.

Cur exploratores dixerint, terram deuorare suos habitatores? Abulensis.

CAPVT VIII.

MORALE.

De missione exploratorum ex Cadesbarne.

Mitte viros, qui considerent terram Chanaan.

1. PRÆCEPIT Deus Mosi, vt exploratores mitteret, qui terram repromissionis explorarent. Exploranda etiam est diligenter repromissionis terra illa beata fluens lacte & melle; cuius typus fuit terra Chanaan, in quam Israëlitæ tendebant. Mittendus est intellectus egregius explorator, qui cælestem patriam nostram consideret, eiusque fructus suauissimos ad nos afferat. D. Gregor. Nyssenus: Boni (inquit) exploratores sunt, rectę cogitationes de repromissa nobis beatitudine, &c. Genes. 13. iubet Dominus Abrahe, vt terram exploret: *Surge*, (inquit) *& perambula terram in longitudine, & latitudine sua, quia tibi daturus sum eam.* Surgamus & nos, summaque vigilantia cælestis regionis latitudinem, & longitudinem intellectu, memoriaque perambulemus, quia eam nobis daturus est Dominus. Explorare iubet Moses terræ bonitatem, ac salubritatem: *Considerate*, inquit Numer. 13.) *ipsa terra bona sit, an mala, humus pinguis, an sterilis.* Explorare etiam iubet populum: *Vtrùm* (inquit) *fortis sit, an infirmus, si pauci numero, an plures, &c.* Hæc quoque nobis sunt exploranda.

Exploranda est nostra terra promissionis, id est, cælestis patria. D. Gregor. Nyssenus. Genes. 13. Num. 13.

2. Si terræ beatæ bonitatem, ac salubritatem consideremus, Deus bone, quis eam poterit verbis explicare? Numer. 14. *Terram quam circuiuimus*, (aiunt Iosue, & Caleb) *valde bona est*, &c. Cæteri etiam exploratores, Numer. 13. sic testantur: *Re vera fluit lacte, & melle*, &c. Salubris illa dicitur terra, & bona, vbi morbi non sunt, vbi incolæ diu viuunt; terra nostra valde bona est, adeóque salubris, vt nullus in eam morbus, nullus dolor, nullus gemitus, nullę lachrymę ingredi possint. Quis huiusmodi terram vnquã vidit? habet etiam aliquid maius, ac mirabilius. Cùm nulla sit regio, in qua non moriantur homines; in illam beatam regionem qui fuerit ingressus, nunquam morietur, sed per totam æternitatem viuet immortalis. Habemus huius rei testimonium dilecti Apostoli, Apoc. 21. *Absterget* (inquit) *Deus omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors vltra non erit, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vltra.* Numer. 13. aiunt exploratores, *terra deuorat habitatores suos.* Etenim terra hæc, in qua nũc habitamus, incolas suos deuorat, nec vnus quidem est habitator illius, quem non deglutiat, deuoret, visceribusque condat. Nonne sepelimur, terraque omnes obruimur? terra est morientium, occidit habitatores, mortuosque deuorat: At terra beata nullum deuorat habitatorem, omnibus vitam præstat sempiternam, quoniam terra est viuentium, non morientium.

Terræ nostræ promissionis salubritas, & bonitas. Num. 14. Num. 13. Apoc. 21. Num. 13.

3. Quòd si humum iubet considerari Moses, pinguisne sit, an sterilis? ne glebam quidem minimam in terra nostra reperiet explorator, quæ non sit pinguissima, siquidem tota hæc humus

Terra nostræ promissionis fluit lacte, & melle.

fluit lacte & melle, fructusque dulcissimos profert æternę vitæ, æterni gaudij, æternæque gloriæ, Psal. 67. *Mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus, mons pinguis, mons in quo bene placitum est Deo habitare in eo*, &c. Celsissimus mons est terra, de qua loquimur, mons Dei est, mons pinguissimus, Deique sedes.

Ps. 67.

Præterea iubet Moses explorare populum: *Considerate* (inquit) *populum, qui habitator est eius, vtrum fortis sit, an infirmus, si pauci numero, an plures*, &c. Admirabilis est populus, qui habitator est cælestis regionis, fortissimus, ac penè infinitus. Habitant in eà Seraphini, Cherubini, reliquorumque angelorum innumera multitudo, qui fortes adeò sunt, vt vnus tantummodo ex illis omnes totius orbis exercitus valeat superare: habitant etiam nunc in eà animæ hominum, quæ in fine mundi sua recipient corpora, instar solis splendida, agilia, incorruptibilia, fortissima, atque immortalia. De his Ioannes Apoc. 7. *Vidi* (inquit) *turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante thronum, & in conspectu agni amicti stolis albis, & palmæ in manibus eorum.* De Rege autem summo Deo Christo Opt. Max. qui in excelso throno residet, humanitateque sua, ac diuinitate terræ beatissimæ, beatissimos incolas beat; de Rege, inquam, hoc dicere (ait Augustinus, vel Beda potius sermon. 18. de sanctis) vox nulla sufficit, effugit enim omnem sermonem, atque omnem sensum humanæ mentis excedit decus illud, illa pulchritudo, illa magnificentia, illa maiestas. Vltra enim omnem sanctorum gloriam est, ipsius inæstimabilem aspicere conspectum, & splendore maiestatis eius irradiari. Sic ille. O beatam terram! ô pinguissimam limum! ô saluberrimam regionem! ô populum fælicissimum! ô Regem potentissimum! Deniq; orbis hic terra est morientiũ. Dixerunt exploratores, *terra deuorat habitatores suos.* Nónne terra hæc, quam incolimus, habitatores suos omnes deuorat? nec vnus quidem est, quem non deuoret, condatque visceribus, omnes enim sepelit, quia terra est morientium: terra beata non deuorat habitatorem vllum, sed æterna vita donat, quoniam terra est viuentium, non morientium.

Apoc. 7.

De rege & populo terræ promissionis.

Beda.

Consideremus quotidie hanc terram nobis à Deo repromissam, ivberrimos eius fructus in memoria reportemus. Nõ quidem botrum aliquem, vel malogranata, aut ficus, sed gaudia admirabilia, vitam immortalem, gloriam sempiternam, denique omnium bonorum immensum quendam acertum, cui nihil mali possit admisceri, nihil boni vnquam detrahi. Speculator factus D. Petrus cùm minores terræ huius fructus id est, gloriam corporis, conspexisset, ac degustasset, in Christo transfigurato; extra se summa dulcedine raptus dixit Christo, Matth. 17. *Domine bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula*, &c. Quia in monte Thabor Dominus fructus illos ostenderat, Petrus totius mundi oblitus, in monte illo habitare optimum esse aiebat. Videbatur enim illi terra optima, quæ tam bonos fructus ferebat. Quid quæso dicent beati, cùm non in monte terrestri, sed in cælo Empyreo, non minores solùm fructus, id est, gloriam corporis, degustauerint, sed gloria etiam animę, quę in visione Dei, & amore, & fruitione sita est, potiti fuerint?

Exploranda cælestis gloria.

Matth. 17.

Nequaquam ad hunc populum valemus ascendere, quia fortior nobis est.

Multa sunt, quæ illis aduersantur, qui in veram terram repromissionis, id est, cælum, iter faciunt: *Nequaquam* (aiunt exploratores) *ad hunc populum valemus ascendere: ibi vidimus monstra quædam filiorum Enac de genere giganteo, quibus comparati quasi locustæ videbamur.* At nihil illis obstat, quia Dei auxilio confisi, magno animo omnia occurrentia impedimenta perrumpunt, & nunquam retro reuertuntur, duosque illos à Deo probatos exploratores audiunt, Iosue, & Caleb; sic enim illi ad populum clamant, Numer. 14. *Terra quam circuiuimus valde bona est, si propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam, & tradet humum lacte & melle manantem. Nolite rebellare contra Dominum, neque timeatis populum terræ huius, quia sicut panem, ita eos possumus deuorare.* Terra cęlestis, quam mente sæpissime circuire oportet, optima est, melle manat, & lacte; Deus in illam tendentibus auxilium semper præbet. Hoc confisi, ne timeamus hostes nostros, vt Israëlitæ suos timuerunt, quia Dei præsidio freti, sicut panem eos possumus deuorare. Facile est deuorare panem; præterea est vtile, quia hominem alit: sic etiam facile est, tartareos hostes, Deo auxiliante, vincere; est etiam vtilissimum, quia victoria hæc æternæ nobis gloriæ merita comparat.

6. Superandæ omnia, quæ obstant iter facientibus in cælum promissum.

Num. 14.

Pusilli animi fuerunt Hebræi illi, parumque fidei habuerunt, qui cùm tot Dei miracula iam vidissent, terræ promissæ hostes horruerunt. Quasi verò is qui Ægyptum tot prodigiis domuisset, non posset terram Chanaan superare; qui mari Pharaonem, eiusque exercitum obruisset, non posset Chananæorum regulos necidare. In itinere terræ repromissionis cælestis, animi pusillitas cauenda est: necessaria enim maximè est animi magnitudo, ac generositas, vt ea, quæ obstant, virili animo superentur, nihilq; ut, quod iter facientem remoretur. Chrysostomum audiamus, Matth. 12. in fine: Vna (inquit) res quæritur, magnitudo, & generositas animi, quam non ætas, non inopia, non diuitiæ, non aliquid aliud, ne ad virtutem peruenias, coërcebit, &c. Considera quæso, atque imitare Pauli generositatem, & magnitudinem animi. Non horrebat ille monstra exploratorum, filios Enac de genere giganteo, sed magno animo clamabat, Roman. 8. *Certus sum, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.* Item ad Philippenses 4. *Omnia* (inquit) *possum in eo qui me confortat.*

7. Pusillanimitas fugiẽda.

D. Chrysost.

Ad Rom. 8.

Ad Philip. 4.

Vbi vidimus monstra quædam de genere giganteo.

Horrenda monstra sunt, horrendique gigantes, hostes nostri, dæmones, qui nostrum ingressum in terram repromissionis impedire conantur: nos verò cum illis comparati locustæ videmur. Naturam enim habent illi anglicam potentissimam, nos humanam maximè imbecillem. Origenes homil. 7. in lib. Numer. Quãtum (inquit) ad comparationem dæmoniacæ, & humanæ naturę, nos locustę sumus, & illi gigantes,

8. Cacodæmones gigantes, & monstra.

Origen.

gigantes, &c. Hanc giganteam naturam indicauit Apostolus, ad Ephes. 6. dicens: *Non est nobis colluctatio aduersùs carnem, & sanguinem*, id est, aduersùs homines imbecilli natura constantes: *sed aduersùs principes, & potestates, aduersùs mundi rectores tenebrarum harum*, id est, aduersùs dęmones, angelicam naturam habentes, qui ex choris angelorum ceciderunt, quorum comparatione locustæ sumus. Attamen si Dei auxilio, virtutibusque armati cum illis prælienur, locustæ victoriam de gigantibus mirabiliter reportabunt. Origenes eadem homilia: Vult (inquit) Dominus semper res mirabiles facere; vult de locustis vincere gigantes, &c. Matth. 10. *Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum.* Sic (inquit Chrysost.) virtutem meam maximè ostendam, cùm lupi ab ouibus superabuntur, &c. Deinde docet Origen, arma, quibus vincuntur, esse vitæ sanctitatem: Vita (inquit) nostra si sancta sit, dęmonibus conferet mortem; si segnis, & luxuriosa sit, potentes eos aduersùs nos, & gigantes efficiet. Quanto nos virtutibus crescimus, tanto illi inferiores efficiuntur, & fragiles; sicut è contrario, si nos infirmemur, & terrena requiramus, illi fortiores fiunt. Sic ille. Arma quoque indicauit Paulus ad Ephes. 6. Indicauit ille quidem giganteam dæmonum naturam, sed egregius exploratór non addidit: Non poterimus terram repromissionis vnquam possidere, quia multo fortiores sunt nobis. Sed arma nos iubet sumere, & in certamen cum illis descendere, Dei munitos auxilio: *Propterea* (inquit) *accipite armaturam fidei*, &c. *Propterea*, id est, quia contra gigantes prælium committendum est, ne despondeatis animum, sed diuinis vos armis induite, id est, virtutibus, interramque promissam per medios hostes generoso animo contendite.

Ad Ephes. 6.

Origen. Locustæ vincũt gigãtes. Matth. 10

D. Chrysost.

Origenes. Arma aduersùs gigantes sumenda.

Mitte viros, qui considerent terram.

D. Isidorus ait, exploratores terrę promissæ adumbrare Scribas, & Pharisæos, qui populum docebant, & Messiæ promissi aduentum in scripturis explorabant. D. Ambros. in tract. de mãsionibus, mansione decimaquinta: Exploratores (inquit) scribarum, & Pharisæorum prætulerunt imaginem, &c. Hos exploratores vocauit Herodes Rex, vt terram explorarent, in qua Messias erat nasciturus. Rogati sunt, *vbi Christus nasceretur?* Matthæi 2. respondeturit. *In Bethleem Iudæ.* Postea verò inuidia correpti repromisso Messiæ detraxerunt, gigantesque timuerunt, id ist, Romanos; aiebant enim hos gigantes, hæc monstra filiorum Enac, Iudæam vniuersam deuoraturos. Nónne hæc illorum verba sunt, Ioannis 11. *Venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem*, &c. O pusillanimitatem hominum impiorum! cur gigantes Romanos timetis? Nónne vos confitemini, Christum multa signa facere? Eodem loco: *Hic homo* (aiunt) *multa signa facit. Si dimittimus eum sic, venient Romani*, &c. Cur timetis Romanos, cùm tot miracula videatis? Nónne qui multa signa facit, Romanos poterit abolere? Imitari sunt patres suos. Sicut patres, cùm multa Dei signa conspexissent, Chananæos timuerunt: sic illi, cùm multa signa Christi vidissent, Romanos formidarunt. Exploratores causa fuere, cur Israëlitæ terram repromissionis repudiarent; sic Scribæ & Pharisæi, & sacerdotes causa fuerunt, cur populus ille repudiaret verum Messiam.

D. Isidorus.

D. Ambros.

Scribæ & Pharisæi exploratores Israëlitarũ fuerunt. Matth. 2.

Ioan. 11.

Exploratores Ecclesię dati sunt sacerdotes, Ecclesiæque doctores, iuxta illud Ezechiel. 13. *Speculatorem dedi te domui Israël*, &c. Hos considerare oportet res cælestes, & diuinas scripturas, populumque docere. Item explorare hos oportet cælestia bona, iustis promissa, tartareaque supplicia impiis præparata, peccatorum fœditatem, virtutum pulchritudinem. Eadem verò postquam exploraverint, ante hominum oculos proponere debent, eosque ad virtutes allicere, à pecatis deterrere. Caueant illud væ Domini, Matthæi 23. *Væ vobis Scribæ & Pharisæi, hypocritæ, quia clauditis regnum cælorum ante homines. Vos enim non intratis, neque introeuntes sinitis intrare*, &c. Id fecerunt exploratores missi, clauserunt terram repromissionis ante Israëlitas, gigantum horrore; neq; ipsi introierunt, aliosque ab introitu repulerunt: sic sacerdotes, & prælati, (si qui sunt in Ecclesia) qui malum Christianis exemplum, & scandalum præbent, regnum cælorum illis claudunt, exemplo malo, vocantque in tartara, neque ipsi introeunt in cælum promissum; neque alios sinunt introire, obicem scandali opponentes.

10. Ecclesię exploratores sunt sacerdotes, & doctores. Ezechiel. 13.

Matth. 23.

Botrum attulerunt exploratores in vecte, hunc aiunt Patres adumbrare Christum. D. Isidorus. in Numer. Botrus (inquit) refertur in ligno, & Christi passio demonstratur, &c. D. Gregor. Nyss. Racemus ex ligno pẽdens, quis erit alius, quàm Christus, qui ex ligno pependit? &c. & Psal. 8. D. Augustinus: Dictus (inquit) est Christus botrus, vuæ, quem ligno suspensum, tanquam crucifixum attulerunt, &c. Lege eundem D. Augustinum, toto sermone centesimo de tempore, hunc sensum explicantem. Botrus Christus fuit, qui in torculari crucis pressus, vinum lætificans cor hominis effudit. Portatur à duobus populis, id est, à Iudaico in lege præcedente, quæ de Christo vaticinatur, & à Christiano sequente, & ipsum botrum iam videntę. Quemadmodum qui præcedebat, botrum eum non cernebat: sic Iudaicus populus Christum cernere non vult, eiusque passionem; qui verò à tergo botrum portabat, botrum videbat; sic populus Christianus Christum videt. August. Portat (inquit) Christum in lege Iudæus, sed à gratia, quam in mysteriis portat, auersus est. Et quem Iudæus aspernatur in lege, Christianus miratur in corpore, &c. D. Ambros. serm. 72. putat, Iosue, & Caleb portasse botrum, eius verba hæc sunt: Christus botrus est, quem duo exploratores, Iesus Naue, & Caleb in Phalanga ad filios Israël proprijs humeris detulerunt. Botrus ex phalanga suspensus, in cruce Christus appensus ostenditur: duo autem portantes duo populi demonstrantur, Christianus, & Iudæus. Iudęus prior est, Christum in lege portat, & retrorsum eum ponit: Christianus verò sequens populus, Christum semper oculis aspicit, custodit obtutibus, &c.

11. D. Isidorus. D. Gregor. Nyssenus. D. August. Botrus adumbrat Christũ. D. August. D. Ambros.

CAPVT IX.

De murmuratione populi post auditos exploratores.

NVMERI CAP. XIV.

1. IGITVR vociferans omnis turba fleuit nocte illa, & murmurati sunt contra Moysen & Aaron cuncti filij Israël, dicentes: Vtinam mortui essemus in Ægypto: & in hac vasta solitudine vtinam pereamus, & non inducat nos Dominus in Terram istam, ne cadamus gladio, & vxores ac liberi nostri ducantur captiui. Nónne melius est reuerti in Ægyptum? Dixeruntq; alter ad alterum: Constituamus nobis ducem, & reuertamur in Ægyptum. Quo audito Moyses & Aaron ceciderunt proni in terram coram omni multitudine filiorum Israël. At verò Iosue filius Nun, & Caleb filius Iephone, qui & ipsi lustrauerant Terram, sciderunt vestimenta sua, & ad omnem multitudinem filiorum Israël locuti sunt: Terra, quam circuiuimus, valdè bona est; si propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam, & tradet humum lacte & melle manantem. Nolite rebelles esse contra Dominum: neque timeatis populum Terræ huius, quia sicut panem ita eos possumus deuorare. recessit ab eis omne præsidium: Dominus nobiscum est, nolite metuere. Cumque clamaret omnis multitudo, & lapidibus eos vellet opprimere, apparuit gloria Domini super tectum fœderis cunctis filiis Israël. Et dixit Dominus ad Moysen: Vsquequò detrahet mihi populus iste? Quousque non credent mihi, in omnibus signis quæ feci coram eis? Feriam igitur eos pestilentia, atque consumam: te autem faciam principem super gentem magnam, & fortiorem quàm hæc est. Et ait Moyses ad Dominum: Vt audiant Ægyptij, de quorum medio eduxisti populum istum, & habitatores Terræ huius, qui audierunt, quòd tu Domine in populo isto sis, & facie videaris ad faciem, & nubes tua protegat illos, & in columna nubis præcedas eos per diem, & in columna ignis per noctem: quòd occideris tantam multitudinem quasi vnum hominem, & dicant: Non poterat introducere populum in Terram, pro qua iurauerat: ideircò occidit eos in solitudine. Magnificetur ergo fortitudo Domini sicut iurasti, dicens: Dominus patiens & multæ misericordiæ, auferens iniquitatem & scelera; nullumque innoxium derelinquens, qui visitas peccata patrum in filios in tertiam & quartam generationem. Dimitte, obsecro, peccatum populi huius secundùm magnitudinem misericordiæ tuæ, sicut propitius fuisti egredientibus de Ægypto vsque ad locum istum. Dixitque Dominus: Dimisi iuxta verbum tuum. Viuo ego: & implebitur gloria Domini vniuersa terra. Attamen omnes homines qui viderunt maiestatem meam, & signa quæ feci in Ægypto & in solitudine, & tentauerunt me iam per decem vices, nec obedierunt voci meæ, non videbunt Terram pro qua iurauì patribus eorum, nec quisquam ex illis qui detraxit mihi, intuebitur eam. Seruum meum Caleb, qui plenus alio spiritu secutus est me, inducam in Terram hanc, quam circuiuit: & semen eius possidebit eam. Quoniam Amalecites & Chananæus habitant in vallibus. Cras mouete castra, & reuertimini in solitudinem per viam Maris rubri. Locutusque est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens: Vsquequò multitudo hæc pessima murmurat contra me? querelas filiorum Israël audiui. Dic ergo eis: Viuo ego, ait Dominus: sicut locuti estis audiente me, sic faciam vobis. In solitudine hac iacebunt cadauera vestra. Omnes qui numerati estis à viginti annis & suprà, & murmuratis contra me, non intrabitis Terram, super quam leuaui manum meam vt habitare vos facerem, præter Caleb filium Iephone, & Iosue filium Nun. Paruulos autem vestros, de quibus dixistis quòd prædæ hostibus forent, introducam: vt videant Terram, quæ vobis displicuit. Vestra cadauera iacebunt in solitudine. Filij vestri erunt vagi in deserto annis quadraginta, & portabunt fornicationem vestram, donec consumantur cadauera patrum in deserto, iuxta numerum quadraginta dierum, quibus considerastis Terram: annus pro die imputabitur. Et quadraginta annis recipietis iniquitates vestras, & scietis vltionem meam: quoniam sicut locutus sum, ita faciam omni multitudini huic pessimæ, quæ consurrexit aduersum me: in solitudine hac deficiet, & morietur. Igitur omnes viri, quos miserat Moyses ad contemplandam Terram, & qui reuersi murmurare fecerant contra eum omnem multitudinem, detrahentes Terræ quòd esset mala, mortui sunt atque percussi in conspectu Domini. Iosue autem filius Nun, & Caleb filius Iephone, vixerunt ex omnibus qui perrexerant ad considerandam Terram. Locutusq; est Moyses vniuersa verba hæc ad omnes

nes filios Israël, & luxit populus nimis. Et ecce manè primo surgentes ascenderunt verticem montis, atque dixerunt: Parati sumus ascendere ad locum, de quo Dominus locutus est, quia peccauimus. Quibus Moyses: Cur (inquit) transgredimini verbum Domini, quod vobis non cedet in prosperum? Nolite ascendere: non enim est Dominus vobiscum, ne corruatis coram inimicis vestris. Amalecites, & Chananæus ante vos sunt, quorum gladio corruetis, eo quòd nolueritis acquiescere Domino: nec erit Dominus vobiscum. At illi contenebrati ascenderunt in verticem montis. Arca autem testamenti Domini, & Moyses non recesserunt de castris. Descenditq; Amalecites, & Chananæus, qui habitabat in monte, & percutiens eos, atque concidens, persecutus est eos vsque Horma.

DEVTERONOMII CAP. I.

2. ET noluistis ascendere, sed increduli ad sermonem Domini Dei nostri murmuratis in tabernaculis vestris, atque dixistis: odit nos Dominus, & idcirco eduxit nos de terra Ægypti, vt traderet nos in manu Amorrhæi, atque deleret. Quò ascendemus? nuncij terruerunt cor nostrum dicentes: maxima multitudo est, & nobis statura procerior, vrbes magnæ, & ad cælum vsque munitæ, filios Enacim vidimus ibi. Et dixi vobis: nolite metuere, nec timeatis eos: Dominus Deus, qui ductor est vester, pro vobis ipse pugnabit, sicut fecit in Ægypto cunctis videntibus. Et in solitudine (ipse vidisti) portauit te Dominus Deus tuus, vt solet homo gestare paruulum filium suum, in omni via per quam ambulastis, donec veniretis ad locum istum. Et nec sic quidem credidistis Domino Deo vestro, qui præcessit vos in via, & metatus est locum, in quo tentoria figere deberetis; nocte ostendens vobis iter per ignem, & die per columnam nubis. Cumque audisset Dominus vocem sermonum vestrorum iratus iurauit & ait: Non videbit quispiam de hominibus generationis huius pessimæ terram bonam, quam sub iuramento pollicitus sum patribus vestris, præter Caleb filium Iephone: ipse enim videbit eam, & ipsi dabo terram quam calcauit, & filiis eius, quia secutus est Dominum. Nec miranda indignatio in populum, cùm mihi quoq; iratus Dominus propter vos dixerit: Nec tu ingredieris illuc, sed Iosue filius Nun minister tuus, ipse intrabit pro te, hunc exhortare, & robora, & ipse sorte terram diuidet Israël. Paruuli vestri, de quibus dixistis, quòd captiui ducerentur, & filij, qui hodie boni ac mali ignorant distantiam, ipsi ingredientur, & ipsis dabo Terram, & possidebunt eam. Vos autem reuertimini & abite in solitudinem per viam Maris rubri. Et respondistis mihi: peccauimus Domino, ascendemus, & pugnabimus, sicut præcepit Dominus Deus noster. Cumque instructi armis pergeretis in montem, ait mihi Dominus: dic ad eos: Nolite ascendere, neque pugnetis, non enim sum vobiscum: ne cadatis coram inimicis vestris. Locutus sum, & non audistis, sed aduersantes imperio Domini, & tumentes superbia ascendistis in montem. Itaque egressus Amorrhæus, qui habitabat in montibus, & obuiam veniens persecutus est vos, sicut solent apes persequi, & cecidit de Seir vsque Horma. Cumque reuersi ploraretis coram Domino, non audiuit vos, nec voci vestræ voluit acquiescere. Sedistis ergo in Cadesbarne multo tempore.

3. POSTQVAM populus exploratores audiuit, valde est perturbatus; in primis, vt legitur Numer. 14. *Vociferans omnis turba fleuit nocte illa.* Præterea vitæ prætulerunt mortem, moriqué potius in vasto illo deserto elegerunt, quàm in terram repromissionis ingredi, quia Chananæorum formidabant gladios, & vxorum ac filiorum captiuitatem. Numer. 14. *Murmurati sunt contra Moysen, & Aaron cuncti filij Israël dicentes: Vtinam mortui essemus in Ægypto: & in hac vasta solitudine vtinam pereamus; & non inducat nos Dominus in terram istam, ne cadamus gladio, & vxores, ac liberi nostri ducantur captiui.* Et Deuteronomij cap. 1. Mosis hæc sunt verba: *increduli ad sermonem Domini Dei nostri murmuratis in tabernaculis vestris, atque dixistis: Odit nos Dominus: & idcirco eduxit nos de terra Ægypti, vt traderet nos in manu Amorrhæi, atque deleret. Quò ascendemus? Nuncij terruerunt cor nostrum dicentes: Maxima multitudo est, & nobis statura procerior, vrbes magnæ, & ad cælum munitæ, filios Enacim vidimus ibi.* O homines insanos! si vos odisset Dominus, & vellet occidere, numquid opus erat ex Ægypto vos educere, & tradere Amorrheis? nónne in Ægypto vos poterat omnes morte mulctare, si vos oderat? Heu miseros, & stultos homines, id quod erat summi Dei amoris, odio tribuebant. Pusillanimitas enim, & metus cerebrum mouent. Denique eò peruenerunt insaniæ, tot prodigiis ex Ægypti captiuitate erepti, vt de creando duce cogitarint, qui eos in eandem captiuitatem reduceret. Numer. 14. *Nónne* (inquiunt) *melius est reuerti in Ægyptum? Dixeruntq; alter ad alterum: constituamus nobis ducem, & reuertamur in Ægyptum*, &c.

Num. 14. Quid egerint Israëlitæ, auditis exploratoribus.

Ibidem.

Deut. 1.

Israëlitæ reuerti volunt in Ægyptũ.

Num. 14.

B *Moses, & Aaron ceciderunt proni in terrã.*

4. Quid fecerint, his auditis aduersus Dei maximum beneficium insaniis, Moses, & Aaron, docetur Num. 14. his verbis: *Quo audito Moyses, & Aaron ceciderunt proni in terram coram omni multitudine filiorum Israël*, &c. Hi duo populi princi-

Num. 14.

Moses, & Aaron se prosternunt ante Deum.

principes coram perturbato, & rebellante populo prociderunt, vel quia populi furorem metuunt: vel quia eâ prostratione grauitatem peccati, & rebellionis aduersus Deum indicare voluerunt: vel quia sic prostrati pro populo Deũ orarunt. Caietanus ait, Mosem & Aaron iuxta tabernaculum excepisse exploratores redeuntes, visoque populi tumultu, ad supplicandum Deo cecidisse in terram, conuersis vultibus in tabernaculum. Hæc Moses, & Aaron fecisse dicuntur, Numer 14. Deuteronom. autem 1. legimus, Mosem populum perterritum sic esse allocutum: *Nolite metuere, nec timeatis eos, Dominus Deus, qui ductor est vester, pro vobis ipse pugnabit, sicut fecit in Ægypto cunctis videntibus. Et in solitudine (ipse vidisti) portauit te Dominus Deus tuus, vt solet homo gestare paruulum filium suum, in omni via, per quam ambulasti, & nec sic credidistis Domino.* Hæc autem dixisse videtur, postquam conspectâ gloria Domini in nube, quieuit illa populi concitatio.

Deut. 1.

At verò Iosue, & Caleb.

5. Moses & Aaron ceciderunt proni in terram: Iosue verò & Caleb, qui ex duodecim exploratoribus erant, & promissam terram cum reliquis explorauerant, populi insaniam animaduertentes, vestimenta sua, veluti in lugubri casu, sciderunt, populumque sic sunt allocuti: *Terra quam circuiuimus valde bona est, si propitius fuerit Dominus, inducet nos in eam, & tradet humum, lacte & melle manantem. Nolite rebelles esse contra Dominum, neque timeatis populum terræ huius, quia sicut panem ita eos possumus deuorare: Recessit ab eis omne præsidium. Dominus nobiscum est, nolite metuere,* &c. Surdus autem populus verba hæc corde minimè recipiens clamabat, lapidibusque eos volebat opprimere. At subitò in tanta perturbatione apparuit gloria Domini super tectum tabernaculi, vniuerso populo. Visa Dei præsentia, & gloria, hoc est, splendore nubis, Iosue, & Caleb lapidare non sunt ausi. Non longè à tabernaculo illi erant, ideo ad tabernaculum confugisse vult Caietanus, visamque tunc gloriam Domini.

Populus lapidare voluit Iosue, & Caleb.

Dixit Dominus ad Moysen, vsquequò detrahet mihi populus iste?

6. Iacebant prostrati ante tabernaculum Moses, & Aaron, tumultuante populo, Deumque orabant. Apparuit Dominus in nube fulgente super tabernaculum, tumultuantibusque indignatus, sic Mosem est affatus: *Vsquequò detrahet mihi populus iste? quousque non credet mihi,* cùm tot miracula in oculis omnium fecerim? Grauissimum de eis sumam supplicium, pestiferaque lue omnes conficiam, vsque ad internecionem; te verò constituam principem alterius gentis excellentioris ac fortioris. At Moses precibus adhibitis, auertit supplicium Dei: *Si* eos (inquit) Domine neci dederis, ac deleueris, Ægyptij, aliique populi de omnipotentia tua detrahent, dicentque, te ideo eos in solitudine hac occidisse, quia in terram, quam promiseras, nõ poteras introducere. Introduc ergo eos in terram promissam, sicque glorificetur coram populis fortitudo, & potentia tua. *sicut iurasti dicens: Dominus patiens, & multæ misericordiæ auferens iniquitatem, & scelera, nullumque innoxium derelinquens; qui visitas peccata patrum in filios in tertiam, & quartam generationem. Dimitte obsecro, peccatum populi huius*

Moses orat pro populo.

A *huius secundum magnitudinem misericordiæ tuæ.*

Dubitatur, *vbinam Deus verba illa sub iuramento protulerit?* Respondetur, non legi alio loco prolata sub iuramento; Hebraicè autem hoc loco est verbum *dibarta*, quod significat *dixisti*; vertuntque LXX. interpretes: *sicut dixisti*, eodemque modo Chaldæus, & alij: noster interpres, vel aliam lectionem secutus est, vel quia omne verbum Dei firmius est iuramento, vertit: *sicut iurasti.* Aliter sic exponuntur verba hæc; *Magnificetur fortitudo Domini, sicut iurasti dicens*: hoc est: Ostende potentiam tuam, introduc populum in terram promissam, sicut iurasti dicens Abrahamo, Isaac, & Iacob, daturum te eam semini eorum Exodi 33. *Vade* (ait Dominus) *in terram, quam iuraui Abraham, Isaac, & Iacob dicens: semini tuo dabo eam*, &c. Et Exod. 32. ait Moses: *Recordare Abraham, Isaac, & Israël, quibus iurasti per te metipsum dicens: Multiplicabo semen vestrum, sicut stellas cæli, & vniuersam terram hanc dabo semini vestro.* Lege Exod. cap. 34. & librum 4. cap. 22. vbi hæc verba exposita iam sunt. Exod. 32. eundem in modum, precatus est Moses pro populi peccato, quod commiserat, vitulum adorando. *Ne* (inquit) *dicant Ægyptij, callidè eduxit eos, vt interficeret in montibus, & deleret de terra*, &c. Simile illud Domini in Cantico Mosis Deuteron. 32. *Propter iram inimicorum distulit, ne fortè superbirent hostes eorum, & dicerent: Manus nostra excelsa, & non Dominus fecit hæc omnia.* 7.

B Exod. 33. Exod. 32. Exod. 32. Deut. 32. C

8. Respondit Dominus Mosi misericorditer, ac benignè. Quod postulauit, concessit, populum non deleuit, vt eius potentia à cunctis gentibus magnificaretur: Dimisi (inquit) peccatum populi. Viuo ego, non delebo populum hunc, ne detrahant gentes de mea potentia; implebitur terra gloria mea, quia per summam potentiam, ac fortitudinem, terræ promissæ possessionem illi tradam. Omnes enim gentes, tam quæ nunc existunt, quàm quæ futuræ sunt, potentiam meam hinc, & cognoscent, & glorificabunt. Nonnulli, vt Lyranus ait, hæc verba: *Viuo ego, &* D *implebitur gloria Domini vniuersa terra*, ad Messiam pertinere aiunt, hoc sensu: Non interficiam populum hunc, Moses, precibus tuis annuo: viuo ego, & populum seruabo, vt ex illo Christus meus nascatur, & gloria mea tunc terra vniuersa impleatur.

Dimisit Deus peccatum populi, sed non omnino.

Alia interpretatio de Messia.

Attamen omnes homines, qui viderunt maiestatem meam.

9. Peccati pœnam non omnino dimisit Dominus, minatus fuerat totum se populum peste deleturum, id non fecit, sed supplicium graue E sumpsit, quoniam ingressu terræ promissæ murmuratores priuauit, eorum verò filios in eam introduxit.

Deus murmuratores ingressu terræ promissæ priuauit.

10. Quæritur, *an omnes Israëlitæ, qui ex Ægypto exierunt, sint in deserto mortui, antequam terram repromissionis ingrederentur?* Hac de re agitur Numer. 14. quo capite hanc fert Dominus sententiam in murmuratores: *Omnes homines qui viderunt maiestatem meam, & signa, quæ feci in Ægypto, & in solitudine, & tentauerunt me iam per decem vices, nec obedierunt voci meæ, non videbunt terram. pro quâ iuraui patribus eorum, nec quisquam ex his, qui detraxerunt mihi, intuebitur eam.* Hoc loco fert Dominus sententiam, qua terræ repromissionis conspectu, & ingressu priuat omnes, qui in Ægypto,

Num. 14. Sententia lata à Deo in murmuratores.

Ibidem. Murmuratores nõ sunt ingressi terrã repromissionis.

Ægypto, & in deserto miracula perpetrata viderunt, quique eum tentauerunt, & mandatis eius non obtemperarunt. Adiungit: *Nemo ex ijs, qui detraxerunt mihi, eam videbit.* Vnde sequitur, omnes in deserto obiisse, qui Domino detraxerunt, hoc est, qui de rebus, & mãdatis eius murmurauerunt. Multi autem videntur fuisse viri probi in populo, qui Deo non detraxerunt. Hi ergo in deserto non obierunt, sed terram promissionis ingressi sunt. Obiicitur, Numer. 14. sic scribit Moses: *Murmurati sunt contra Moysen cuncti filij Israël dicentes: Vtinam mortui essemus in Ægypto*, &c. Omnes ergo Israëlitæ murmurati sunt, nullusque ex illis ingressus est terram. Respondetur, sensum loci esse, populum ferè totum murmurasse. Particula enim, *cuncti*, vel *omnes*, pro maxima parte vulgi accipitur. Vnde Abulensis, Numer. 14. quæst. 3. Dicitur (inquit) quòd cuncti filij Israël murmurati sunt, id est, plurimi de multitudine eorum, sed nõ omnes, &c. Similem in modum dicere solemus, omnes sunt in templo, omnes sunt in theatro, cùm tamen multi aliis in locis sint. Hoc pacto loquitur Dauid cùm Psalm. 115. ait: *Vota mea Domino reddam coram omni populo eius.* Attamen non aderat totus populus. D. Hieronymus epist. 146. de filio prodigo, ad illa verba: *Omnia mea tua sunt.* Secundùm (inquit) eum canonem, quem sæpe expoluimus scripturarum, *omnia*, non ad totum referenda esse, sed ad partem maximam, vt Psal. 13. *Omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt* & Ioan. 10. *Omnes, qui venerunt ante me, fures fuerunt.* & 1. Corinth. 9. Paulus: *Omnibus* (inquit) *omnia factus sum, vt omnes lucri facerem* & ad Philip. 2. *Omnes quæ sua sunt, quærunt, non ea quæ sunt Iesu Christi.* Sic D. Hieron.

Ibidem. Particula omnes, quam latè sumatur. Abulensis. Psal. 115. D. Hieron. Psalm. 13. Ioan. 10. 1. Corint. 9. Ad Philip. 2.

Tentauerunt me per decem vices.

11. Tentare Deum is dicitur, qui illum facto graui ad puniendum prouocat. Israëlitæ prouocauerunt Deum iam *per decem vices*, id est, sæpius, per multas vices. Nam *decies* significat *sæpius*, poniturque numerus terminatus, pro interminato. Sic Genes. 31. *Mutauit Laban* (ait Iacob) *mercedem meam decem vicibus*, id est, multis vicibus. Iob. 19. *En decies confunditis me*, id est, sæpè. Lyranus tamen, & alij vices has numerant. Abulensis quoque decem vices proponit, quæst. 63. hunc in modum: Prima vice tentauerunt Israëlitæ Deum, Exod. 5. cùm præpositi dixerunt Mosi, & Aaron: *Fœtere fecistis odorem nostrum coram Pharaone, & seruis eius.* Secunda vice, cùm ante ingressum maris rubri, Exod. 13. Pharaonem timentes dixerunt ad Mosem: *Forsitan non erant sepulchra in Ægypto, ideo tulisti nos, vt moreremur in solitudine. Quid hoc facere voluisti, vt educeres nos ex Ægypto?* Tertia vice tentauerunt Deum, Exod. 15. cùm ad aquas amaras peruenerunt, & aduersus Mosem murmurauerunt, dicentes: *Quid bibemus?* Quarta vice, Exod. 16. tentauerunt Deum carnes petentes, & panes: *Et murmurauit omnis congregatio filiorum Israël contra Moysen, & Aaron in solitudine, dixeruntque: Vtinam mortui essemus per manum Domini in terra Ægypti.* Quinta vice, Exod. 16. cùm ex manna vltra præscriptam mensuram collegerunt, timentes ne deficeret. Sexta vice tentauerunt Deum, Exod. 17. in Raphidim, quia aqua deerat: *Populus iurgatus contra Moysen ait: Da nobis aquam.* Quibus respondit Moyses: *Quid iurgamini contra me? Cur tentatis Dominum?* Septima vice, cùm vitulum adora-

Genes. 31. Iob 19. Abulensis. Exod. 5. Quomodo tentauerint Deum Israëlitæ decem vicibus. Exod. 13. Exod. 16. Exod. 17.

A runt, Exod. 32. Octaua, Numer. 11. cùm incensa est extrema pars castrorum. Nona, in Sepulchris concupiscentiæ, vbi datæ sunt coturnices. Decima, in reditu exploratorum. Idem author priorem interpretationem magis probat, scilicet vt *decies* significet, *sæpè*.

Seruum mecum Caleb, qui plenus alio spiritu.

12. Excipit Dominus à pœna Caleb exploratorem, qui Dei spiritu plenus egregiè suo fuerat officio functus, & coram populo timidis exploratoribus magno animo restiterat. Hunc egregium virum ait in terram promissam introiturum; B quia non spiritu timiditatis, sed fortitudinis, & obedientiæ plenus, coram populo locutus fuerat. Excepit quoque postea Iosue, qui simul cum Caleb populum adhortatus est, Numer. 14. ne formidarent hostes, qui Dei potentiâ facilè possent superari.

Iosue, & Caleb exploratores terram repromissionis ingressi sunt.

Cras mouete castra, & reuertimini in solitudinem.

13. Incipit Dominus exequi datam sententiam, decreuerat murmuratores in deserto vita priuare, antequam in terram repromissionis peruenirent. Vsus tamen est iustitia, coniuncta cũ misericordia. Non occidit omnes simul, sed spa- C tium longum dedit annorum triginta, & octo, in quo in solitudine vitam traduxerunt, paulatimque omnes consumpti sunt morte naturali: filij verò eorum terram ingressi, eam possederunt. Erant Israëlitæ in Cadesbarne, prope terram promissionis. Si non peccassent. post breue tempus superatis hostibus, illius possessione desiderata potiti essent. Nunc quia peccatum commiserunt, ait Dominus Moysi, vt castra moueat, non in terram repromissionis, sed in solitudinem, retroque reuertatur, vt in solitudine triginta & octo annorum spatio murmuratores vitam traducant, omnesque moriantur, antequam terram promissam videant. No- D luit autem castra manere in Cadesbarne, vbi tunc erant, quia Amalecitis, & Chananæis hostibus, habitantibus illis in locis in vallibus, erãt propinqua. Ab hostibus ergo iussit eos recedere, & reuerti in desertum per viam tendentem in mare rubrum.

Murmuratores in deserto longo temporis spatio, ex vita discedunt.

In solitudine hac iacebunt cadauera vestra.

14. Rursus Dominus cum Mose, & Aarone loquitur de supplicio murmuratoribus infligendo. Iubet Mosi, vt sententiam notam faciat populo: *Dic* (inquit) *eis: Viuo ego* (ait Dominus) *sicut locuti estis audiente me, sic faciam vobis. In solitudine hac iacebunt cadauera vestra. Omnes qui numerati* E *estis à viginti annis, & supra, & murmurastis contra me, non intrabitis terram, præter Caleb filium Iephone, & Iosue, filium Nun.* Fertur hæc sententia contra illos, qui numerati sunt ad militandum Numeror. 1. initio secundi anni exitus ab Ægypto. Numerati autem sunt à vigesimo anno, & supra; fuitque numerus eorum, qui poterant ad bella procedere, sexcenta tria millia virorum, quingenti, quinquaginta: Leuitæ autem non sunt numerati cum eis.

Iubet Dominus sententiam ferri.

15. Dubitatur, *an omnes hi in deserto mortui sint?* Respondebit aliquis, solos ex iis mortuos esse illos, qui murmurauerunt, sic enim sententia fertur: *Omnes qui numerati estis à viginti annis & supra, & murmurastis contra me, non intrabitis terram,*

An omnes Israëlitæ in deserto mortui sint.

ram. Ferri enim hæc ſententia videtur in milites numeratos, qui audientes terram promiſſionis deuorare habitatores ſuos, ibiq; eſſe gigantes, animum deſponderunt, & murmurauerunt, neq; conſiderauerunt ſe ſub omnipotentis Dei vexillo militare. Potuerunt tamen aliqui eſſe ex illis viri boni, qui non murmurauerint. Abulenſis Numer. 14. quæſt. 87. ait, omnes milites numeratos à viginti annis, & ſupra, in deſerto mortem obiiſſe, ſicque exponit verba illa: Omnes, qui numerati eſtis à viginti annis, & ſupra, & murmuraſtis contra me, non intrabitis in terram, &c. Id eſt, omnes milites, qui numerati eſtis, non ingrediemini terram promiſſam, & omnes (quicunque illi fuerint) qui murmuraſtis, illam non videbitis. Reſpondendum eſt, omnes numeratos à viginti annis, & ſupra ad militandum, murmuraſſe, & in deſerto mortuos eſſe, ſicque ſunt exponenda verba citata: Omnes, qui numerati eſtis à viginti annis, & ſupra, & murmuraſtis contra me, non intrabitis terram, ſuper quam leuaui manum meam, vt habitare vos facerem, &c. Hoc eſt: Omnes milites, qui numerati eſtis ſexcenta videlicet millia quingenti quinquaginta, quique omnes contra me murmuraſtis, non videbitis terram, ſuper quam leuaui manum meam, id eſt, ſuper quam iuraui, vt eius vobis poſſeſſionem traderem. Nam eleuata manu iuramentum ſuſcipiebatur, Deuter. 32. ait Dominus: *Leuabo ad cælum manum meam, & dicam: Viuo ego in æternum*, id eſt, iurabo Geneſ. 14. Abraham dicit: *Leuo manum meam ad Deum*, id eſt, iuro. Mortuos autem eſſe in deſerto omnes milites numeratos, neq; ingreſſos terram promiſſam, apertè dicitur Deuteron. 2. *Tempus* (inquit Moſes) *quo ambulauimus de Cadesbarne vſque ad tranſitum torrentis Zared, triginta, & octo annorum fuit, donec conſumeretur omnis generatio hominum bellatorum de caſtris, ſicut iurauerat Dominus, cuius manus fuit aduersùm eos, vt interirent de caſtrorum medio. Poſtquam autem vniuerſi ceciderunt pugnatores, locutus eſt Dominus*, &c. Ioſue 5. *Omnis populus, qui egreſſus eſt de AEgypto generis maculini, vniuerſi bellatores viri, mortui ſunt in deſerto, per longiſſimos viæ circuitus.* Non comprehenduntur in numeratis Leuitę, quia non ſunt numerati ad bellum, Num. 1. Quicunque tamen ex iis murmurauerunt, in deſerto vitam amiſerunt, idem de fęminis dicendum eſt, & viris aliis. Denique omnes Iſraëlitæ, qui murmurauerunt, longo annorum ſpatio obierunt in ſolitudine, alij citiùs, alij ſeriùs.

Abulenſ. — *Manu eleuata iuramentum ſuſcipiebatur. Deut. 32. Geneſ. 14.* — *Deut. 2.* — *Ioſue 5.*

CAPVT X.

De ſupplicio Iſraëlitarum.

Paruulos veſtros, de quibus dixiſtis, quòd prædæ hoſtibus forent, introducam, vt videant terram.

1. DICET aliquis, *ſi omnes murmuratores in deſerto mortui ſunt, quonam modo terram tradidit Deus Hebræis, promiſſumq; ſuum impleuit?* Reſpondetur, tradidiſſe terram non patribus detractoribus, ſed filiis, qui non inciderant in id crimen. Numer. 14. puſilli animi homines aiebant: *In hac vaſta ſolitudine vtinam pereamus, & non inducat nos dominus in terram iſtam, ne cadamus gladio, & vxores, ac liberi noſtri ducantur captiui.*

Deus tradidit terrā promiſſam filijs eorum, qui ex AEgypto egreſſi ſunt. Num. 14.

Quod ſibi imprecati ſunt, tribuit illis Deus. Dixerunt; *Vtinam pereamus in hac vaſta ſolitudine.* Id concedit dicens: *Veſtra cadauera iacebunt in ſolitudine, &c.* Filios verò paruulos, quos aiebant ab hoſtibus capiendos, terram repromiſſionis poſſeſſuros prędicit: ſed vagos fore per quadraginta annos in deſerto, quouſque omnes murmuratores ex vita diſcedant: *Filij* (inquit) *veſtri erunt vagi in deſerto annis quadraginta, & portabunt fornicationem veſtram; donec conſumantur cadauera patrum in deſerto, iuxta numerum quadraginta dierum, quibus conſideraſtis terram, Annus pro die imputabitur.* Fornicationem appellat ſcriptura ſæpe idolorum cultum. Hoc loco ſignificat peccatum murmurationis, quo receſſerunt à Deo. Portaſſe autem dicuntur filij fornicationem patrum, quia propter peccatum patrum vagi fuerunt in deſerto quadraginta annis.

Quadraginta annis recipietis iniquitates veſtras.

2. Dierum numero, quibus exploratores terram repromiſſionis explorarunt, accommodat Dominus ſupplicium. Quadraginta dierū ſpatio illi terram explorarunt, quadraginta annis Iſraëlitæ in deſerto vagi fuerunt; ita vt annus vnus vni diei reſponderet, totque eſſent anni vagationis, quot fuerant dies explorationis. Sic enim opus fuerat, vt illis quadraginta annis pueri filij murmuratorum, iam nati, & qui in deſerto in lucem ſunt editi, ętate proueherentur, militeſque fierent, qui aduerſus hoſtes pugnarent, patribus vita functis in deſerto. Sic ergo res ſe habuit: Quadraginta annis filii Iſraël in ſolitudine verſati ſunt, quo annorum ſpatio, ex illis multi filij nati ſunt, & filiæ. Tandem omnes murmuratores ex vita migrarunt, & eorum filij ad ætatem peruenerunt, qua milites eſſe, & cum hoſtibus poſſent certare.

Quadraginta diebus explorata eſt terra, & quadraginta annis vagi fuerūt in deſerto Iſraëlitæ.

3. Ex hoc loco probabit aliquis, filios Iſraël in deſerto verſatos fuiſſe annis plus quàm quadraginta. Nam hîc dicuntur vagi futuri in deſerto quadraginta annis. Iam verò agebatur ſecundi anni ab exitu ex Ægypto menſis quartus, quo fructus matureſcunt. Ergo verſati ſunt in deſerto quadraginta, & vno annis, & aliquot menſibus, non ſolùm annis quadraginta. LXX. interpretes Ioſue 5 ſic vertunt: Quadraginta, & duos annos verſatus eſt Iſraël in eremo, &c. Sic habetur in editione correcta, & apud Auguſt. quæſt. 6. in librum Ioſue. Reſpondetur, filios Iſraël verſatos eſſe in ſolitudine annis ſolùm quadraginta, qui numerandi ſunt, non à lata ſententia in murmuratores; ſed ab exitu ex Ægypto vſque ad ingreſſum terræ promiſſionis. Probatur Exod. 16. *Filij Iſraël comederunt Man quadraginta annis, donec venirent in terram habitabilem.* Deuteron. 2. *Nouit Dominus iter tuum, quomodo tranſieris ſolitudinem hanc magnam per quadraginta annos, habitans tecum Dominus, & nihil tibi defuit.* & cap. 8. *Adduxit te Dominus quadraginta annis per deſertum.* & paulo inferiùs: *En* (inquit) *quadrageſimus annus eſt.* Loquitur autem Moſes de extremo anno, & quadrageſimum eſſe ait. & cap. 29. *Adduxit vos Dominus quadraginta annis per deſertum*, &c. Obiectioni reſpondetur, cùm Dominus ait, Numer. 14. *Quadraginta annis recipietis iniquitates veſtras*, numero annorum quadraginta complecti etiam annum illum, & menſes, qui iam elapſi fuerant ab egreſſu

An Iſraëlitæ plus quàm quadraginta annis in deſerto ſint verſati? — *Exod. 16.* — *Deut. 2.* — *Deut. 8.* — *Deut. 29.* — *Num. 14.*

egreſſu ex Ægypto; illis enim ſupputatis explentur anni quadraginta, quod probatur ex ætate Aaronis, & Moſis. Nam Aaron, quando egreſſus eſt ex Ægypto, annorum erat octoginta trium, & Moſes annorum octoginta, vt colligitur ex cap. 7. Exodi. Aaron verò obiit anno quadrageſimo egreſſionis filiorum Iſraël ex Ægypto, menſe quinto, prima die menſis, cùm eſſet annorum centum viginti trium, vt dicitur in lib. Numer. cap. 33. Moſes verò ex vita diſceſſit eodem anno quadrageſimo, cùm ageret centum viginti annos, vt leges cap. vlt. libri Deuteron. Poſtquam autem Moſes & Aaron vita functi ſunt, ingreſſus eſt populus terram repromiſſionis, anno ſequenti, tranſito Iordane, decimo die menſis primi, Ioſue 4. Vnde efficitur, ab exitu ex Ægypto vſque ad ingreſſum in terram promiſſam, interfluxiſſe annos ſolùm quadraginta, vt liquet ſupputanti ætatem Moſis, & Aaronis. Si enim octuaginta tribus annis Aaronis, quos agebat, cùm egreſſus eſt populus ex Ægypto, adiungas quadraginta annos vagationis in deſerto, efficies centum & viginti tres. Item, ſi annis octoginta Moſis addas eoſdem quadraginta, reperies ſummam, centum, & viginti.

AEtas Moſis, & Aaronis.

Omnes viri, quos miſerat Moyſes ad cōtemplādam terram, mortui ſunt, atq; percuſſi.

4. Populum murmuratorem Deus paulatim in deſerto vita priuauit, exploratores verò, qui tanti mali cauſa fuerant, ſubita morte extinxit: *Omnes* (inquit Moſes) *mortui, atque percuſſi ſunt in conſpectu Domini.* Erant illi coram tabernaculo, & coram nube in conſpectu Dei percuſſit illos, ſubitoque amiſſa vita pœnas murmurationis dederunt. Duodecim fuerant exploratores, decem extincti ſunt; Ioſue, & Caleb, qui à crimine alieni fuerant, in vita permanſerunt, magna cùm admiratione, atque horrore totius populi.

Exploratores occiſi ſunt à Deo.

Parati ſumus aſcendere ad locum, de quo Dominus locutus eſt, quia peccauimus.

5. Poſtquam populus à Deo paratum ſupplicium cognouit, terram promiſſam ſtatuit petere, & cum hoſtibus propinquis decertare: non autem in Ægyptum reuerti. Itaque, vt legitur Deuteron. 1. dixerunt Moſi: *Peccauimus Domino, aſcendemus, & pugnabimus, ſicut præcepit Dominus Deus noſter.* Cumque armis inſtructi ad hoſtes in montem pergerent, dixit Moſi Dominus: *Dic ad eos: Nolite aſcendere, neque pugnetis. Non enim ſum vobiſcum, ne cadatis coram inimicis veſtris.* Illi verò diuino imperio obtemperare noluerunt, ideoque Moſes Numer. 14. ait: *Cur tranſgredimini verbum Domini, quod vobis non cedet in proſperum? Nolite aſcendere: Non enim eſt Deus vobiſcum.* Moſis quoque conſilium, ſuperbia ducti, atque excæcati, non ſunt ſecuti. Quòd ſuperbia ducti ſint, ait Moſes Deut. 1. *Tumentes* (inquit) *ſuperbia aſcendiſtis in montem.* Quod fuerint excæcati, dicitur Num. 14. *At illi contenebrati aſcenderunt in verticem montis.* Quid pugnatoribus huiuſmodi contigerit, ſuperbia tumentibus, & excæcatis, docetur Num. 14. *Deſcendit Amalecites, & Chananæus, qui habitabat in monte, & percutiens eos, atque concidens perſecutus eſt eos vſque Horma.* Horma nomen eſt loci. Lege Numer. 21. Non contingit victoria pugnatoribus ſuperbis, & contenebratis, cum quibus non eſt Deus. Superati ergo ab hoſtibus, in caſtra reuerſi ſunt, lacrymaſque coram Deo fuderunt: ſed auditi non ſunt. Deuteron. 1. ait illis Moſes: *Cumq; reuerſi ploraretis coram Domino, non audiuit vos, nec voci veſtræ voluit acquieſcere.*

Iſraëlitæ audita ſententia, arma capiunt, & terram promiſſam ſtatuunt petere. Deut. 1. — *Numer. 14.* — *Deut. 1.* — *Numer. 14.* — *Ibid. Ab hoſtibus vincuntur Iſraëlitæ.* — *Deuter. 1.*

Filij veſtri erunt vagi in deſerto annis quadraginta, & portabunt fornicationem veſtram.

6. Significat fornicatio in Scriptura idolorum cultum, vt compertum eſt. Quæritur ergo, *an filij Iſraël in deſerto idola coluerint?* D. Hieronymus, Amos 5. affirmantem ſequitur partem. Eandem ſequitur Ribera. Probatur verbis D. Stephani. Actor. 7. *Vitulum* (inquit) *fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hoſtiam ſimulachro, & lætabantur in operibus manuum ſuarum. Conuertit autem Deus, & tradidit eos ſeruire militiæ cæli, ſicut ſcriptum eſt in libro Prophetarum:* Amos 5.) *Numquid victimas, & hoſtias obtuliſtis mihi annis quadraginta, in deſerto domus Iſraël? & ſuſcepiſtis tabernaculum Moloch, & ſidus Dei veſtri Rempham, figuras quas feciſtis, adorare eas, & transferam vos trans Babylonem.* Sic D. Stephanus. D. Hieron. Amos 5. Ex hoc (inquit) loco diſcimus, omnes hoſtias, & ſacrificia, quæ in deſerto obtulit Iſraël, non Deo obtuliſſe, ſed Moloch Regi ſuo, cuius portauerunt tabernacula, & imaginem idolorum ſuorum, ſtatuarumque venerati ſunt. Item: Ex eo tempore, quo aurum in caput vituli transformarunt dicentes: *Iſti ſunt dij tui Iſraël*, omnia quæ fecerunt, non Deo, ſed idolis feciſſe monſtrantur. Et quòd poſtea quædam Domino eos legimus obtuliſſe, non voluntate, ſed pœnarum fecerunt metu, & eorum interfectione, qui propter idola corruerunt. Denique vbicumque occaſio fuit, ſemper corde reuerſi ſunt in Ægyptum, deſiderantes allia, & cepas, & cucumeres, & carnes Ægyptias, & manna, quod de cęlo datum eſt, contemnentes. Sic ille.

An Iſraëlitæ in deſerto coluerint idola? — *Actor. 7.* — *Amos 5.* — *D. Hieron.* — *Idem.*

7. Reſpondetur primò, Iſraëlitas in deſerto bis idola coluiſſe, teſte ſcriptura. Vitulū enim coluerūt, Exod. 32. rurſus, Num. 25. Deos Moabitarum adorauerunt: grauiter verò puniti ſunt propter hæc ſcelera. An verò *alio tempore ipſis quadraginta annis, quibus in deſerto vagi fuerunt, idola coluerint*, ſi quęrat aliquis, exiſtimo, publicè non coluiſſe. Probatur, quia ſi publicè coluiſſent, graues dediſſent pœnas, neq; Deus id paſſus eſſet, eóſque de idololatria ſæpe reprehendiſſet Moſes. De clandeſtina adoratione aliquid dubij eſſe poteſt, ſed ſi aliqui clam idola adorabant, ij pauci fuere. Secundò, nō exiſtimo, eos poſt adorationem vituli, non Deo, ſed idolis omnia feciſſe, & pœnarū metu dona obtuliſſe. Nam ait Scriptura, Exod. 35. *Obtulerunt mente promptiſſima, atque deuota primitias Domino ad faciendum opus tabernaculi.* Mens promptiſſima, & deuota ea non eſt, quę metu pœnarum impellitur, non ergo metu pœnarum dona offerebāt Deo. Tertiò, arbitror verba Amos 5. non eſſe intelligenda de tempore deſerti, ſed de eo tempore, quo in terra promiſſionis idola coluerunt. Idque probatur, quia Dominus ait: *Transferam vos trans Babylonem.* Eis qui in deſerto erant, non eſt minatus Deus captiuitatem trans Damaſcum, vel trans Babylonem, ſed iis qui in terra promiſſionis idola adorarunt. D. verò Stephanus, Actor. 7. duo tempora coniungit, quibus Iſraëlitæ idola adorauerunt. Alterum, quo

Sententia Auctoris. — *Exod. 35.* — *Amos. 5.*

quo adorauerunt in deſerto vitulum, ideo ait: *Vitulum fecerunt in diebus illis.* Alterum, quo multis idolis cultum præbuerunt in terra promiſſionis: ideo addit: *Conuertit Deus, & tradidit eos ſeruire militiæ cœli, & ſuſcepiſtis tabernaculum Moloch.* Quòd autem ait Dominus: *Nunquid victimas, & hoſtias obtuliſtis mihi annis quadraginta in deſerto?* non ideo dicit, quia idolis ſacrificia in deſerto offerrent, ſed quia in deſerto; vbi non erat animalium ſacrificandorum copia, antequam in terra promiſſa habitarent; non præcepit Deus. vt ſacrificia offerrent, aliqua tamen, vt ex ſupradictis intelligi poteſt, obtulerunt.

Ibidem.

CAPVT XI.

MORALE.

De murmuratione, & ſupplicio Iſraëlitarum.

Pſal. 105. Iſraëlitæ terram promiſſam pro nihilo habuerunt.

1. DE peccato murmurationis filiorum Iſraël, Pſal. 105. ſic canit Dauid: *Et pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem, non crediderunt verbo eius, & murmurarunt in tabernaculis ſuis, non exaudierunt vocem Domini, & eleuauit manum ſuam ſuper eos, vt proſterneret eos in deſerto, & vt deijceret ſemen eorum in nationibus, & diſperderet eos in regionibus.* Deſpexerunt; & pro nihilo habuerunt Iſraëlitæ terram deſiderabilem, id eſt, terram repromiſſionis maximè expetendam, & de illa detraxerunt, & in Ægyptum voluerunt regredi; non crediderunt tunc verbo Dei. Promiſerat enim Deus, ſe in terram optimam melle & lacte manentem eos introducturum; illi autem huic verbo fidem non habuerunt, neque voci Domini obtemperarunt. Quamobrem iratus, eleuauit manum ſuam ſuper eos, veluti gladio diſtricto armatam, vt murmuratores in deſerto occideret vſque ad internecionem, iuxta illud Numer. 14. *Vſquequò detrahet mihi populus iſte?* (ait Dominus) *quouſque non credent mihi in omnibus ſignis quæ feci coram eis? feriam igitur eos peſtilentia, atque conſumam*, &c. Pro nihilo illi habuerunt ſuam terram promiſſionis deſiderabilem: nos ſimiles illis pro nihilo habemus noſtram terram promiſſionis, melle & lacte manantem, omnibus expetendam deſideriis. Illi voluerunt in Ægyptum reuerti, relicto itinere terræ promiſſionis. Nos non ſolùm volumus in Ægyptum; id eſt, mundum redire, verùm id etiam exequimur. Iter enim quod in noſtram promiſſionis terram, id eſt, in regnum cælorum ducit, relinquimus, & in Ægypto, id eſt, mundo, eiuſque cupiditatibus, vitam agimus, ſedentes ſuper ollas carnium, cepas, allia, porroſque edentes; diuinum autem manna faſtidio habentes. Maximè deſiderabilis eſt terra noſtra: at væ nobis, cepas, & allia Ægypti deſideramus, mel & lac terræ noſtræ faſtidio habemus. Deſiderabile eſt omne bonum: in terra autem noſtra omne bonum poſſidebimus. Eſt ergo maximè deſiderabilis.

Num. 14.

Cæleſtis patria maximè deſiderabilis eſt.

2. Deſiderabilis eſt magis quàm totius orbis imperium, quàm diuitiæ omnes ſæculi huius, honores & voluptates. Etenim beatitudine in ea perfruemur, quæ bonorum omnium congregatio quędam eſt. Si bonum vnum deſiderabile eſt, omnia bona ſimul adiuncta, & in vnum aceruum redacta, quàm deſiderabilia erunt? Iam verò, quàm deſiderabile eſt malis omnibus carere, ita vt nullus morbus, nullus dolor, nullum peccatum, nulla mors ad nos poſſit accedere? Hoc in illa patria beati omnes habent, omnia bona poſſident, omnibus malis carent in ſempiternum. Quàm deſiderabilis eſt ęgroto ſalus, quem morbi dolores torquent? quàm deſiderabilis eſt captiuo, carceris vinculis oppreſſo, libertas? quàm deſiderabilis homini fame confecto cibus? Deſiderabilis ergo ſummopere terra illa eſt, in qua perpetua eſt ſalus, perpetua libertas, perpetua abſque vllo faſtidio ſaturitas, perpetua omnibus ſanctiſſimis deliciis affluens vita. Hanc deſiderabilem terram deſiderare nos docet Pſalm. 83. *Quàm dilecta* (inquit) *tabernacula tua, Domine virtutum, concupiſcit, & deficit anima mea in atria Domini.* At nos pro nihilo habemus terram deſiderabilem, eius iter, id eſt, mandata Dei, derelinquimus; ad mundi itinera, quæ in orcum ducunt, quia nobis amœniora videntur, imminens Dei ſupplicium minimè conſiderantes, declinamus. Geneſ. 25. vendidit Eſau primogenita, & ſic accepto pane, & lentis edulio comedit, & bibit, & abiit, *paruipendens quòd primogenita vendidiſſet*, &c. Habemus hoc loco typū eorum, qui æterna primogenita, id eſt, æternam gloriam cum viliſſimis rebus commutant. Vendidit Eſau pro edulio lentis primogenita ſua; ſic plerique vendunt pro cepis, porris, & alliis Ægypti ſempiternæ gloriæ opulentiam. Abiit ille parui pendens, quòd primogenita vendidiſſet: ſic mundani homines parui pendunt, quòd gloriam viliſſimo pretio vendant. O tartaream cordis ſtupiditatem! Errant miſeri mortales corde ſtupido, ideo infinitam hanc iacturam non expendunt.

Pſalm. 85.

Geneſ. 25.

Pſalm. 94.

Aberrāt homines corde à cæleſti patria.

3. Pſalm. 94. *Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi, ſemper hi errant corde, ipſi verò non cognouerunt vias meas. Quibus iuraui in ira mea, ſi introibunt in requiem meam*, &c. Quadraginta annis verſatus eſt cum Iſraëlitis Deus in deſerto, ipſi verò errabant corde, quia Deum non amabant, & pro ſcopo cordis ſui non habebant; vias Dei ignorabant, quia in illis non gradiebantur. Iurauit itaque illis, *ſi*, id eſt, *non introibunt in requiem meam*, id eſt, in terram repromiſſionis, quę dicitur requies, quia in deſerto, velut peregrini, vagi fuerunt in caſtris morantes, requie carentes: in terra autem promiſſionis certam regionem poſſidentes, quieuerunt. Quadraginta annis fuit Deus proximus Iſraëlitis in deſerto: nobis verò tota vita eſt proximus. Cauendum maximè eſt, ne dicat: ſemper hi errant corde. Scopus cordis noſtri Deus eſſe debet, & cæleſtis patria, ad Deum, cæleſtémque patriam cor, & iter noſtrum dirigendum eſt. Quòd ſi à Deo, cæleſtique patria cor noſtrum, iterque aberret, dicet Dominus: *Hi errant corde.* Quid verò tandem iis errantibus continget; ſubiicit; *Non introibunt in requiem meam.* hoc eſt, homines, qui cæleſtis patriæ iter, errantes corde derelinquunt, non introibunt in requiem ſempiternam, qua perfruuntur, qui ad illam perueniunt. Ne igitur erremus corde, ſed, vt Paulus ait ad Hebr. 4. *Feſtinemus ingredi in illam requiem, vt ne in idipſum quis incidat incredulitatis exemplum.* Quaſi dicat: In terram repromiſſionis tendimus, ne moremur, feſtinanter iter faciamus. Cùm enim ad rem deſiderabilem tendimus, properante gradu pergimus: nihil verò eſt requie æterna deſiderabilius. Ne igitur cunctemur, ne retardent curſum noſtrum huius mundi remoræ, deliciæ, diuitiæ, aut honores. Feſtinemus ingredi in illam requiem æternam; hic enim ſemper in caſtris ſumus inquieti, cùm in illam requiem fuerimus ingreſſi, tunc perpetua corporis, animique requie perfruemur.

Cur terra repromiſſionis appelletur requies Dei.

Ad Hebr. 4.

Ad requiem cæleſtis patriæ feſtinandum eſt.

4 Exemplum propoſitum nobis eſt Iſraelitarum, qui propter incredulitatem in requiem terræ promiſſæ non ſunt ingreſſi, ſed in ſolitudine perierunt. Hoc exemplo diſcamus Deo obedire, & omnem incredulitatem, cordiſque obdurationem, ac peccatum longè à nobis propellere, ne in ſimilem pœnam incidamus. Ad pellendam cordis obdurationem hortatur Apoſtolus Hebræos verbis illis Pſal. 94. *Hoc die* (inquit ad Hebr. 3.) *ſi vocem eius audieritis, nolite obdurare corda veſtra, ſicut in exacerbatione ſecundùm diem tentationis in deſerto, vbi tentauerunt me patres veſtri.* Nolite ait, imitari antiquos illos Iſraelitas, qui in deſerto obdurarunt corda, Deumque tentauerunt. & exacerbauerunt. Si vocem Dei audieritis hodie, ne obduretis cor. Propterea enim vox Dei cor non penetrat, quia durum eſt. Addit Apoſtolus: *Exhortamini voſmetipſos, donec hodie cognominatur, vt non obduretur quis ex vobis fallacia peccati.* Fallax eſt peccatum, ſuis illecebris homines decipit, atque obdurat, ne Dei vocem audiant. Eſt fallax diabolus, obduratque corda. Vnde illud D. Franciſci ad Ruffinum: Cor tuum diabolus ad omne opus bonum indurauerat, quod eſt proprium eius officium, &c. Lege de Anton. 3. part. tit. 24. cap. 7. §. 7. Obdurat peccatum cor, proprium eſt officium diaboli obdurare cor. Exhortamini ergo voſmetipſos, (ait Paulus) ne quis à peccati fallacia obduretur, ac decipiatur, donec hodie cognominatur, hoc eſt, donec dies vitæ vobis illucet. Tempus indicat Paulus, quo æterna requies comparanda eſt; comparatur enim fide, charitate, boniſque operibus, donec hodie cognominatur, id eſt, dum viuimus. Hoc hodie, hic dies huius vitæ deſtinatus eſt infinitæ beatitudini acquirendæ. Itaque ille ſapiens eſt, qui breuem hunc diem, totum tantæ rei lucrandæ impendit, omnibuſque mundi oneribus expulſis, ad requiem feſtinat ſempiternam. Ille verò inſipiens eſt, qui breuem diem, id eſt, vitam hanc, rebus mox euaneſcentibus comparandis tribuit; tandemque in ſempiternas tartari flammas deuoluitur.

Cordis obduratio fugienda.
Pſal. 94.
Ad Hebr. 3.
Ibid.
D. Franciſc.
Diabolus obdurat cor.

Non intrabitis in terram præter Caleb, & Ioſue.

Non multi ex Iudæis in terram promiſſam, id eſt, in Eccleſiam, ingreſſi ſunt. Lyranus.

5 Pluſquam ſexcenta numeratorum militum millia ex AEgypto exierunt. Ex illis ſoli Caleb, & Ioſue in terrā repromiſſionis ingreſſi ſunt, vt ſupra vidimus. Indicat hic locus id, quod poſtea euenit, paucos ex Iſraelitis in Eccleſiā & fidem Chriſti fuiſſe ingreſſuros, quod obſeruat Lyranus Numer. 14. His verbis allegoricè fuit ſignificatum, quod pauci de Iudæis comparatiuè ingreſſuri erant ad fidem Chriſti in aduentu eius. Qui quidem ingreſſus per fidem, eſt introitus in terram viuentium in ſpe, &c. Confirmat hoc Gloſſa Hebræorum: Hoc (inquit Lyranus) ſcribitur in quodam libro Hebraico qui dicitur Sanedrim, apud Hebræos authentico, exponendo illud Iere. 3. *Aſſumam vos vnum de ciuitate, & duos de cognatione.* Gloſſa: Menſuratus eſt egreſſus ex AEgypto ingreſſui eorum in terram repromiſſionis: quia duo tantùm de ſexcentis millibus ingreſſi ſunt. Sic erit in diebus Meſſiæ, quod patet impletū. Nam pauci in Chriſtū crediderunt ex Iudæis, reſpectu non credentium. Hæc Lyranus.

Lyranus.
Ierem. 3.

Sebaſt. Barradas Itiner. Iſraëlit.

6 Præterea indicatur hoc loco, vt idem Lyranus ait, paucos ex Chriſtianis in terram repromiſſionis, id eſt, in cæleſtem patriam introituros. Per hoc, (inquit) quòd pauci exeuntium ex AEgypto intrauerunt terram promiſſionis, ſignificatum fuit, quòd de credentibus, qui per baptiſmum exierunt ſpiritaliter de AEgypto, pauci ſunt intraturi terrām viuentium, &c. Et Dionyſ. Carthuſ. Per hoc (inquit) quòd tam pauci ex Iſraëlitis numeratis ingreſſi ſunt terram repromiſſionis, præfiguratum eſt, quòd pauci terram cæleſtis patriæ intrant, &c. Paucos autem ex Chriſtianis terram repromiſſionis ingreſſuros, opinio eſt D. Gregorij hom. 19. in Euangelia: Ad fidem (inquit) multi veniunt, ſed ad cæleſte regnum pauci perducuntur, &c. Origenes homil. 20. in Matthæum: Si quis (inquit) conſiderat multitudinem hominum, quæ in Eccleſijs congregatur, & diſcuſſerit, quanti ſint, qui conuerſantur diſciplinatè, & reformentur nouitate ſenſus ſui, quanti autem negligentiſſimè conuerſantes configurantur huic ſæculo, videbit, quòd verus eſt Domini ſermo: *Multi ſunt vocati, pauci verò electi.* Sic ille. D. Chryſoſt. homil. 40 ad popul. nimium aſtringit numerum: Quot (inquit) putatis eſſe in hac ciuitate noſtra, qui ſalui fiant? infeſtum eſt, quod dicturus ſum, dicam tamen: Non poſſunt inueniri in tot millibus centum, qui ſaluentur, quin & de ijs dubito. Quanta enim in iuuenibus malitia? in ſenibus torpor? &c. Card. Caietan. Matth. 25. in parab. de Virginibus prudentibus, & fatuis: Ex ipſis (inquit) Chriſtianis, qui apparent boni, & habent aliqualem curam ſalutis, medietas perditur, &c. Illa Chriſti verba: *Multi ſunt vocati, pauci verò electi;* de Chriſtianis exponit Lyranus hoc ſenſu: Multi ſunt vocati ad fidem Catholicam, pauci verò ſunt electi ad gloriam. Carthuſianus quoque, Druthmarus, & alij. Lege, ſi placet, quæ diximus 3. tomo Concord. lib. 8. cap. 8. Lucæ 13. rogatus Chriſtus à quodam: *Domine, ſi pauci ſunt, qui ſaluantur?* Reſpondit: *Contendite intrare per anguſtam portam, quia multi, dico vobis, quærent intrare, & non poterunt.* D. Auguſt. ſerm. 32. de verbis Domini, cum audiſſet Dominus: *Si pauci ſunt, qui ſaluantur?* Reſpondit: *Contendite intrare per anguſtam portam.* Quando ergo audis, *pauci ſunt qui ſaluantur.* confirmauit Dominus, quod audiuit; per anguſtam portam pauci intrant, &c. Matth. 7. ait Dominus: *Quàm anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt, qui inueniunt eam*, &c.

Lyranus.
Dionyſ. Carthuſ.
D. Gregor.
Origenes.
D. Chryſoſt. An multi Chriſtiani terram ſibi promiſſam ingrediantur?
Caietanus.
Lyranus.
Lucæ 13.
D. Auguſt.
Matth. 7.

7 Obijcies, multos non paucos introituros in terram promiſſam. Nam Apoc. 7. ait Apoſtolus: *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat.* & Matth. 8. ait Dominus: *Multi ab oriente, & occidente venient, & recumbent cum Abraham, Iſaac, & Iacob in regno cælorum.* Ergo multi, imò innumerabiles ſunt, qui terrā promiſſam ingrediuntur. Reſpondeo, paucos eſſe, & multos, & innumerabiles, pauci ſunt ſi cum ijs conferantur hominibus, qui in orcum detruduntur; multi ſunt, & innumerabiles, ſi eorum numerus abſq; comparatione cōſideretur: quemadmodum Ioannes conſiderauit, cùm dixit: *Vidi turbam magnā, quam dinumerare nemo poterat.* D. Auguſt. ſerm. 32. de verbis Domini: Multi (inquit) ſunt, & pauci, ſed ipſi pauci, qui multi. Pauci ſunt in comparatione multorum perditorum, multi in ſocietate angelorū, &c. Item: Vix videntur grana, quando area trituratur: tanta maſſa proceſſura eſt de hac area,

Apoc. 7.
Matth. 8.
Pauci Chriſtiani, & multi terram promiſſam ingrediuntur.
D. Auguſt.

(videlicet Ecclesiæ (vt impleat horreum cæli.
D. August. Sic Augustin. Lege eundem August. lib. 3. contra Crescontium, cap. 66. Multa (inquit) grana, quibus magna horrea complentur, pauca dicimus in comparatione palearum. Multæ sunt stellæ, quas numerare non possumus, & paucas dicimus in comparatione arenæ maris. Fortè
Genes. 22. Genes. 22. Cùm dicit Dominus: *Multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam, quæ est in littore maris.* stellæ significauerunt spiritales Christianos, maris autem arenæ carnales. Sic ille. Si conferas eos, qui ex Christianis probis vitam æternam consequuntur, cum Ethnicis, Mahometanis, Iudæis, hæreticis, & Christianis improbis, qui tartareis ignibus emancipantur, per-
B spicuum est, multo plures ex hominibus tartaro tradi, quàm cælo donari. Si autem improbi Christiani fidem habentes, qui in orco pœnas scelerum in æternum sunt daturi, cum probis Christianis comparentur, qui in cælo diuinæ beatitudinis participes sunt futuri; plures damnari, quàm saluari sententia est D. Gregorij, vt suprà dictum est, D. Augustini, & aliorum. Verùm de hac quæstione summa cum prudentia à conciionatore agendum est, ne auditoribus, vel desperationis, vel nimiæ fiduciæ ansam præbeat. Ad vitam rectè peragendam auditores adhortandi sunt, vt si bene vixerint, bene moriantur, & si bene moriantur, beatitudinem sempiternam consequantur. Se ipsum quisque interro-
C get: Numquid ego in terram promissionis perueniam? postea qualiter viuat, diligenter disquirat. Quòd si praua vita est, respondeat sibi: si sic vixero, non perueniam in cælum, sed in orci macellum; mutanda ergo est velificatio, mutandi mores, ita vt vita sempiterna digni sint. Non
4. Esdræ 8. est canonicus liber 4. Esdræ, habet tamen authoritatem, cap. 8. sic legitur: *Hoc seculum fecit altissimus propter multos, futurum autem propter paucos*, &c. Similitudine vtitur quadam, vt ostendat bonorum hominum paucitatem, & impiorum multitudinem: *Quomodo* (inquit) *interrogabis terram, & dicet tibi, quoniam dabit terram multam magis, vnde fiat fictile? paruum autem pulueren, vnde aurum fit: sic & auctus præsentis sæculi. Multi quidem creati sunt, pauci autem saluabuntur.* Confert bonos cum puluere aureo, ex quo fiunt vasa aurea, improbos cum terra renace, vel luto, ex quo fiunt vasa fictilia. Quemadmodum terra, ex qua fiunt vasa fictilia: sic hominum improborum, qui se vasa faciunt fictilia, apta in interitum æternum, magna est multitudo. Quemadmodum verò pulueris aurei, ex quo fiunt aurea vasa: sic proborum virorum, qui se ipsos, Deo iuuante, vasa aurea efficiunt, paucitas est.

8 Lege D. Thom. 1. part. quæst. 23. artic. 7. quo
D. Thomas. loco tres opiniones refert: Dicunt (inquit) quidam, quòd tot ex hominibus saluabuntur, quot angeli ceciderunt. Hæc est prima opinio, tot homines saluandos, quot dæmones in tartarum sunt præcipitati è cælo. Ratio est, vt expleatur per homines numerus angelorum, quemadmodum per Matthiam suppletus est numerus Apostolorum. Lege D. Anselm. lib. 1. cur Deus homo, cap. 18. Tertiam autem angelorum partem ex cælo cecidisse, aiunt quidam significari illis verbis, Apoc. 12. *Cauda eius trahebat tertiam par-*
Apoc. 12. *tem stellarum.* Secunda opinio est, tot homines saluandos, quot angeli remanserunt in cælo. Ratio est, quia verisimile est, Deum voluisse homines beatos, quos sanguine suo redemit, adæ-
A quare numero beatorum angelorum. Hæc est opinio D. Gregorij homil. 34 in Euang. Super-
D. Gregor. na (ait) illa ciuitas ex angelis, & hominibus constat, ad quam tantùm credimus, humanum genus ascendere, quantos illic contigit electos angelos remansisse, &c. Item: illuc tanta creditur
Idem. ascensura multitudo hominum, quanta multitudo remansit angelorum, &c. Tertia opinio est, tot homines æternam beatitudinem consecuturos, quot angeli ceciderunt; & insuper tot, quot fuerunt angeli creati. Falsa videtur hæc opinio. Nam angelorum numerus penè infinitus est, si ergo tot homines saluarentur, quot angeli creati sunt, penè infinitus esset saluandorum hominum numerus. Quod est ab omni ve-
B ritate alienissimum. Denique audiamus Doctorem angelicum: Meliùs (inquit) dicitur, quòd
D. Thomas. soli Deo cognitus est numerus electorum, &c. Soli Deo cognitus est numerus, sed paruum esse numerum, & magnum, iam diximus: paruum, si conferatur cum multitudine damnan-
Soli Deo cognitus est electorum numerus. dorum; maximum, si per se consideretur. Nemo desperet, si audiat, paruum esse numerum, sed confidat, quia maximus est, nitaturque toto pectore ad paruum, & maximum hunc numerum peruenire spiritu fortitudinis armatus.

CAPVT XII.
MORALE.
De supplicio Israëlitarum.

Caleb, qui plenus alio spiritu, secutus est me.

1 IMprobi exploratores, ac timidi, pleni spiritu
Spiritus Domini est spiritus fortitudinis. malo timiditatis, sequi noluerunt Deum in terram repromissionis, populumque ab ea auerterunt. At Caleb plenus spiritu diuino fortitudinis, Deum secutus est, populoque vehementer suasit, vt in terram promissam pergeret. Diabolici spiritus est, in cælum à Deo nobis promissum, nolle iter facere, aliosque, vel exemplo, vel verbis ab hoc itinere abducere; diuini
D spiritus est, in cælestem patriam properare, aliosque exemplo, & verbis in illam pertrahere. Qualis est ventus, talis est nauigatio. Qui in orcum nauigat, vento, id est, spiritu orci ducitur. Qui in cælestem requiem vela tendit, Spiritu
Psalm. 142. sancto impellitur, iuxta illud Psal. 142. *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam*, &c. Ad
Ad Rom. 8. Roman. 8. *Quicunque spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei.* Spiritus orci timiditatis spiritus est, ex locustis facit gigantes, iterque cæli asperum, difficile, & arduum esse affingit. Spiritus Dei est spiritus fortitudinis, cæliqué iter facile, amœnum, & iucundum reddit. Iudic. 14. *Irruit spiritus*
Iudic. 14. *Domini in Samson, & dilacerauit leonem, quasi hædum*
E *in frusta discerpens, nihil omnino habens in manu*, &c. Samsoni leo occurrit, spiritus autem fortitudinis in eum irruit, sicut hædum leonem dilacerauit, quia spiritū fortitudinis habuit. Postquam autem spiritus fortitudinis ab eo recessit, Iudic. 16. à Philisthæis captus est, & in carcerem conjectus, molæ operam dedit. Eundem in modum esto: Occurrant nobis leones, ac gigantes in via cæli, si irruat in nos spiritus fortitudinis, veluti hædos illos discerpemus: at verò si spiritus irruat timiditatis, capiemur à tartareis hostibus, relictaque cæli via, molæ mundi agitandæ, hoc est, vanis mundi curis, ac negotiis tractandis, operam nauabimus. In ore interfecti leonis reperit

perit Samson fauum mellis: sic nos in ipsis
A leonibus, & gigantibus in via cæli superatis, atque occisis, dulcissimum gloriæ sempiternæ fauum reperiemus; siquidem parta de illis victoria, triumphum nobis in cœlo pariet iucundissimum.

Parati sumus ascendere ad locum, de quo Dominus locutus est, quia peccauimus.

2 Postquam Dominus sententiam tulit in murmuratores, morteque subita exploratores affecit, qui murmurationis causa fuerunt; milites armis instructi, cum hostibus, qui in ipso itinere
B occurrebant, pugnare statuerunt, vt ostenderent, paratos esse ad petendam terram promissionis. Dominus autem misericors dixit Mosi: *Dic ad eos, nolite ascendere, neque pugnetis. Non enim sum vobiscum, ne cadatis coram inimicis vestris.* Priuauerat eos Dominus propter peccatum auxilio suo, sine quo victores esse non valebant; ideo præcipit illis, ne pugnent cum hostibus, qui nondum vult eos vita priuare. Illi verò Mosem non
Deut. 1. audiuerunt, sed vt legitur Deut. 1. *superbia tumen-*
Num. 14. *tes*, & vt dicitur Numer. 14. *contenebrati*, & excæcati ascenderunt in montem, vt pugnam inirent; vnde victi, cæsique ab hostibus reuersi sunt in castra.

3 Maximè necessarium est in certamine tam
Dei auxilium summopere est necessariū. spiritali, quàm corporali Dei auxilium. Ostendit
Psalm. 43. hoc Psalmo 43. *Non in arcu meo sperabo, &*
Ibid. *gladius meus non saluabit me*; ait psalmographus; videlicet, videbat quàm fragilis sit arcus, & gladius, si Dei careat auxilio, ideo addit: *In te*, id est, tuo auxilio, *inimicos nostros ventilabimus cornu, & in nomine tuo spernemus insurgentes in nobis.* Eo-
Dei auxilio terram promissam Israelitæ possederunt, eodem auxilio nos cælestē promissionis regnum comparamus. dem Psalmo indicatur, Israelitas terram repromissionis, non viribus suis sub potestatem redegisse, sed auxilio Dei. Quod etiam nobis euenit, non enim cælestem requiem nostro robore, sed
D Dei præsidio comparamus. Verba Psalmi hæc
Ibid. sunt: *Nec enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non seruauit eos, sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui. Quoniam complacuisti in eis*, &c. Quemadmodum Hebræi non possederunt terram promissam in gladio suo; sic nos cælum non possidebimus in gladio nostro. Non saluauit illos brachium eorum, neque nos saluabit brachium nostrum. Hebræos saluabit dextera, & brachium Dei, & illumina-
Illuminatio vultus Dei quid significet? tio vultus Dei; eadem dextera, idem brachium, & illuminatio vultus Dei, nos ad salutem ducit sempiternam. Illuminatio vultus Dei, beneuo-
Psalm. 30. lentia est, hilaritatem, ac fauorem significat,
Psalm. 66. Psalm. 30. *Illustra faciem tuam super seruum tuum*, id est, exhibe seruo tuo faciem hilarem, & propitiam Psalm. 66. *Illuminet vultum suum super nos*, id est, beneuolentiæ, fauorisque sui luce splendidum vultum nobis ostendat. Iob. 29. *Lux vultus*
Iob. 29. *mei non cadebat in terram.* hoc est, vultus mei hilaritas, qua beneuolentiam erga aliquem indicabam, magni fiebat. Hæc illuminatio vultus Dei, & beneuolentia Israelitas in terram promissam duxit: hæc etiam nos in regnum cæleste perfert, hæc Dei illuminatio mentem nostram illuminat, hæc itineris pericula ostendit, hæc cælestis gloriæ magnitudinem patefacit, hæc caducarum rerum vanitatem indicat, hæc æternorum tormentorum admirabile incendium

A ante oculos proponit, hæc gratiam nobis donat, & gloriam. Hanc assiduis precibus à Deo semper flagitare debemus illis verbis, Psalm. 42.
Psalm. 42. *Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, &*
Num. 14. *in tabernacula tua.* Milites Israelitæ, Numer. 14. *Contenebrati ascenderunt in verticem montis*, victique sunt, quia illuminatione Dei carebant: sic improbi homines contenebrati, peccatorumque caligine oppleti, & illuminatione mentis carentes, facilè ab hostibus superantur. Additur
Psalm 43. Psalm. 43. *Quoniam* (inquit) *complacuisti in eis.* Complacuit enim Dominus in Israelitis, propterea terram promissam dedit illis. Complacuit quoque in electis suis, idcirco sempiternam beatitudinem illis tradit.

4 Itaque necessarium est Dei auxilium ad fa-
Cauendum est, ne propter peccata auxilio Dei priuemur. ciendum iter in terram promissionis, certandumque cum hostibus. Idcirco cauendum est, ne propter peccata illo priuemur, & ab hostibus tartareis sub iugum mittamur, quemadmodum
Num. 14. milites hi priuati sunt, & ab hostibus cæsi, ac fugati. Num. 14. *Nolite ascendere*, (ait Moses) *non enim est Dominus vobiscum.* Non erat Dominus cum illis, quia propter commissum peccatum nolebat illis aduersùs hostes auxilium præstare. Væ homini, qui peccatis suis Dei auxilium à se fugat! Ad Philip. 2. *Cum metu, & tremore vestram sa-*
Ad Philip. 2. C *lutem operamini, Deus est enim qui operatur in vobis, & velle, & perficere, pro bona voluntate*; id est, operamini vestram salutem, hoc sit opus vestrum, hoc officium, salutem æternam operari. Ne tamen cum superbia, vel desidia operemini; sed cum metu, & tremore, magnaque cum vigilantia, & solicitudine, quia vestra operatio absque diuino auxilio nihil est. Deus est enim, qui vos iuuando operatur, in primis velle bonum, deinde cœptum bonum ad perfectionem vsque perducere. Operatur autem pro bona voluntate sua, non ex debito, sed ex beneuolentia, & amore. Cum tremore ergo operamini, cauentes maximè ne diuinis auxiliis impedimēta opponatis.
Card. Caiet. Cardin. Caiet. Ideo (inquit) vobis necessarius est metus, & tremor, cùm operamini ea, quæ sunt salutis spiritalis; quia neque velle, neque operari in vestris consistit viribus: sed Deus est, qui gratuita voluntate extēdit sua bona erga vos; operatur in vobis tam velle intùs, quàm operari extra. Propterea sic quidem timendum, ac tremendum est, ne subtrahat Deus operationem suam, qua in vobis hæc operatur. Sic Cardin.

Cùm reuersi ploraretis coram Domino, non audiuit vos. Deuter. cap. 1.

5 Cupiebant Israelitæ pœnam à Domino im-
E positam euadere, ideoque paratos se ostenderunt ad faciendum iter in terram promissam, & ad certandum cum hostibus, quamuis fortissimis. Reuersique ex certamine, coram tabernaculo lachrymati sunt, & vt supplicium auterterur deprecati, sed non audiuit eos Dominus, non enim introierunt in terram promissam. Si roges, *an Deus remiserit culpam ijs, qui non sunt in-*
Cùm remittit Deus culpam, non semper remittit omnem pœnam. *gressi terram?* Respondeo verisimile esse, multos ex illis remissionem culpæ obtinuisse, nullus tamen obtinuit remissionem pœnæ, quia omnes in deserto mortui sunt. Vnde colliges, Deum remittere culpam, sed sæpe non remittere pœnam peccati.

LIBER OCTAVVS.

CAPVT I.

Numerantur mansiones vsque ad Cades, & reuertuntur Israelitæ in solitudinem.

NVMERI CAP. XXXIII.

1 HÆ sunt mansiones filiorum Israël, qui egressi sunt de Ægypto per turmas suas in manu Moysi & Aaron, quas descripsit Moyses iuxta castrorum loca, quæ Domini iussione mutabant. Profecti igitur de Ramesse mense primo, quintadecima die mensis primi, altera die Phase, filij Israël in manu excelsa, videntibus cunctis Ægyptiis, & sepelientibus primogenitos, quos percusserat Dominus (nam & in diis eorum exercuerat vltionem) castrametati sunt in Soccoth. Et de Soccoth venerunt in Ethã, quæ est in extremis finibus solitudinis. Inde egressi venerũt contra Phihahiroth, quæ respicit Beelsephon, & castrametati sunt ante Magdalum. Profectiq; de Phihahiroth, transierunt per medium mare in solitudinem: & ambulantes tribus diebus per desertum Etham, castrametati sunt in Mara. Profectique de Mara venerunt in Elim, vbi erant duodecim fontes aquarum, & palmæ septuaginta: ibique castrametati sunt. Sed & inde egressi, fixerunt tentoria super Mare rubrum Profectique de Mari rubro castrametati sunt in deserto Sin. Vnde egressi, venerunt in Daphca. Profectique de Daphca, castrametati sunt in Alus. Egressique de Alus, in Raphidim fixere tentoria, vbi populo defuit aqua ad bibendum. Profectique de Raphidim, castrametati sunt in deserto Sinai. Sed & de solitudine Sinai egressi, venerunt ad Sepulchra concupiscentiæ. Profectique de Sepulchris concupiscentiæ, castrametati sunt in Haseroth. Et de Haseroth venerunt in Rethma. Profectique de Rethma, castrametati sunt in Remmomphares. Vnde egressi, venerũt in Lebna. De Lebna castrametati sunt in Ressa. Egressique de Ressa venerunt in Ceelatha. Vnde profecti, castrametati sunt in monte Sepher. Egressi de monte Sepher venerunt in Arada. Inde proficiscentes, castrametati sunt in Maceloth. Profectique de Maceloth, venerunt in Thahath. De Thahath, castrametati sunt in Thare. Vnde egressi, fixere tentoria in Methca. Et de Methca, castrametati sunt in Hesmona. Profectique de Hesmona, venerunt in Moseroth. Et de Moseroth, castrametati sunt in Beneiaacan. Profectique de Beneiaacan, venerunt in montem Gadgad. Vnde profecti, castrametati sunt in Ietebatha. Et de Ietebatha, venerunt in Hebrona. Egressique de Hebrona, castrametati sunt in Asiongaber. Inde profecti, venerunt in desertum Sin, hæc est Cades.

Numer. cap. 14. *Cras mouete castra, & reuertimini in solitudinem.*

2 *Quoniam tempore Israelitæ ex Cadesbarne mouerint castra.*

PRope terram promissionis iam erant Israelitæ post multas mansiones, sed murmurationis, & incredulitatis peccatum eos retrocedere fecit, noluit Dominus, vt in illam ingrederentur, sed reuerti iussit in desertum, viam, que relinquere, quæ ad terram promissam tendebat: *Cras (inquit) mouete castra, & reuertimini in solitudinem per viam maris rubri.* Erant illi in solitudine, sed ab illo loco solitudinis, in alium locum solitudinis reuerti iubentur, per viam maris rubri, id est, per viam, quæ ducit in mare rubrum. Dubium est, *an hoc præceptum Do-* A *mini sit impletum?* Dubitandi ratio est, quia populus arma sumpsit, & cum hostibus præliatus est. Dixerat Deus: *Cras mouete castra, & reuertimini.* At Israelitæ, vt legitur Numer. 14. *Mane primo surgentes, ascenderunt verticem montis,* &c. *Num. 14.* Manè primo debuerant mouere castra, & reuerti per viam tendentem in mare rubrum; illi verò manè primo in prælium profecti sunt. Non ergo obtemperarunt Dei præcepto, idcirco Moses dixit, Deuteron. 1. *superbia tumentes* in montem ascendisse, & Numer. 14. ait ascendisse *contenebratos.* *Deut. 1. Num. 14.* Veruntamen alia die videntur paruisse Dei mandato, & mouisse castra. Sed obiicitur, Deuteron. 1. ait Moses: *Sedistis in Cadesbarne multo tempore,* &c. *Deut. 1.* Multo tempore manserunt in Cades

Cadesbarne mansione; ergo profecti sunt in A aliam mansionem post longum tempus. Deus verò iusserat: *Cras mouete castra.* Igitur præceptum Domini si impleuerunt, post longum tempus id factum est. Præterea Israelitæ non poterant mouere castra, nisi columna eleuaretur ex tabernaculo, & signum proficiscendi daret; columna autem non dedit signum; ergo non sunt profecti. Respondetur, multos Israelitas ex prælio vulneratos rediisse in castra, & vt medicina vulneribus adhiberetur, oportuisse non moueri castra multo tempore, siue, vt Hebraicè dicitur, multis diebus. Multis ergo diebus manserunt in Cadesbarne, quousque sanitatem reciperent vulnerati, postea profecti sunt, B nube præeunte. Potest etiam responderi, Deum reuocasse tunc mandatum, quia populus illa die contra hostes profectus est: postea verò in eadem mansione Cadesbarne eum retinuisse multo tempore.

3 Abenezra Hebræus apud Abulens. Deut. 1. quæst. 12. ait, Israelitas mansisse in Cadesbarne annis triginta octo. Rabbi Salomõ existimauit, mansisse annis decem, & nouem: nos ex Scriptura habemus Deuter. 1. mansisse longo tempore, hoc est, multis diebus. *Deut. 2.* Deuter. autem cap. 2. sic scribit Moses: *Tempus quo ambulauimus de Cadesbarne, vsque ad transitum torrentis Zared, triginta & octo annorum fuit, donec consumeretur omnis generatio hominum bellatorum de castris, sicut* C *iurauerat Dominus.* *An manserint Israelitæ triginta annis in mansione Cadesbarne. Num. 14.* Vnde colligitur, hoc spatio triginta & octo annorum non mansisse in castris populum, sed ambulasse. Idem colligitur ex sententia à Deo lata, Num. 14. *Filij vestri erunt vagi in deserto annis quadraginta,* &c. Vagabantur ergo per diuersas mansiones. Neque verò manserunt in Cadesbarne triginta & octo annis, aut annis decem & nouem, vt aiunt Rabbini, sed *multo tempore,* Hebraicè, multis diebus; videlicet vno anno, vel duobus. Ex Cadesbarne, siue Rethma, versus mare rubrum, profecti per mansiones numeratas, Num. 33. peruenerunt in aliam Cades. De iis iam diximus suprà, sequimurque D. Hieronymum, in tract. de mansionibus. D Abulensis numer. 15. quæst. 2. ait Hebræos, postquam milites victi in castra redierunt, profectos esse versùs mare rubrum, & in illa mansione mansisse ferè per triginta & septem annos, vsque ad principium anni quadragesimi. Verius videtur, quod diximus.

Numer. cap. 33. *Castrametati sunt in Remmomphares.*

4 Profecti sunt Hebræi ex Cadesbarne, siue Rethma, post multum tempus, veneruntque in decimam sextam mansionem, quæ dicitur, פרץ רמן, *Remmon phares.* *Mansio Remmomphares. D. Hieron.* Quod nomen, vt ait D. E Hieron. mali punici diuisionem significat. Fortè quia eo in loco multa erant mala punica aperta. Postea in cæteris mansionibus commorati sunt, quas liber Numerorum cursim commemorat. *Multas mansiones cursim commemorat Moses. D. Hieron.* Quid in his mansionibus actum sit, ignoramus; nihil enim Scriptura memoriæ prodidit. D. Hieron. in tract. de mansionibus, mansione 15. sic scribit: Ab hac (inquit) mansione decima quinta, vsque ad trigesimam secundam istiusmodi continentur historiæ: Duodecim exploratores mittuntur ad terram sanctam; murmurat populus, gigantum impetum reformidans; Dathan, & Abiron, & filij Core consur-

Sebast. Barradas Itiner. Israelit.

A gunt contra Moysen, &c. Decimam quintam mansionem appellat Hier. Rethma; vnde colliges, Rethma & Cadesbarne eandem esse mansionem, vt suprà dictum est. Colliges etiam ea, quæ deinceps gesta describuntur, in iis mansionibus euenisse, vsque ad Cades, quæ fuit trigesima tertia.

Numer. cap. 15. *Cùm inuenissent hominem colligentem ligna in die sabbati.*

Capite 14. Numer. Moses scripsit, Deum sententiam tulisse in murmuratores in Cadesbarne, capite 15. in quam mansionem ex Cadesbarne Israelitæ abierint, non refert; mansionesq; 5 B tacitus præterit, quæ fuerunt inter Cadesbarne, quæ fuit mansio decima quinta, & inter aliam Cades, quæ fuit mansio trigesima tertia. De hac agit Numer. 20. cæteras præcedentes recenset Numer. 13. Capite autem Num. 15. de legibus nonnullis agit à Deo traditis, additque, hominem quendam inuentum in agro die sabbati colligentem ligna; cumque reclusus esset in carcere, eo quod nescirent, quid super eo facere deberent, Dominum sic præcepisse: *Morte moriatur homo iste, obruat eum lapidibus omnis turba extra castra,* &c. *Num. 15. Homo colligens ligna in sabbato pœna mortis afficitur.* In qua mansione hoc contigerit, non constat. Exod. 31. hæc lex iam erat tradita Mosi de custodia sabbati: *Omnis qui fecerit opus in hac die,* hoc est, in sabbato, *morietur,* &c. *Exod. 31.* C Cur igitur *nesciebant Israelitæ, quid super eo facerent, cùm lex præciperet, vt occideretur?* Respondetur, cunctatos esse in supplicio sumendo de homine; quia, vt videtur, pauperculus erat; lex verò nondum fuerat in vsu posita, & trangressio videbatur parua. Rabbi Salomon ait, nesciuisse quid super eo facerent, hoc est, quo mortis genere ipsum afficerent, Deus autem præcepit, vt lapidaretur. Alij aiunt, reclusum esse in carcere, quia nesciebant, an sciens, & prudens fregisset legem, idque voluisse à Deo scire. Rupertus vult, hunc hominem per superbiam peccasse: *Rupertus.* Moriatur, (inquit) quia per superbiam, illud, quod videbatur exiguum, commisit, &c. Etenim D Numer 15. sic scriptum extat: *Anima, quæ per superbiam aliquid commiserit, quoniam aduersus Dominum rebellis fuit, peribit de populo suo. Verbum enim Domini contempsit, & præceptum illius fecit irritum.* *Num. 15.* Ex Hebræo verti potest: Anima quæ fecerit in manu excelsa, &c. LXX. vertunt: Anima quæ faciet in manu superbiæ, &c.

6 Considera quæso, Lector optime, Dei iustitiam, hominem colligentem ligna in sabbato lapidari iubet. *Dei iustitia consideranda in hoc homine puniendo. Psal. 118.* Vide, quanta cum vigilantia seruanda sint Dei mandata. Psal. 118. *Tu* (inquit Dauid) *mandasti mandata tua custodiri nimis.* Nimis equidem, id est, magna cum solicitudine, mandata sua custodiri Deus mandauit. E Vt verò nimis, id est, magna vigilantia custodiantur, grauissimas pœnas frangentes pendunt. Nam gratia diuina, si illam habent, spoliantur, æternisque flammis adiudicantur, si peccatum mortiferum est: si veniale, purgatorio igni expiantur, vt omittam alia supplicia, quibus in hac vita scelerati afficiuntur. Nónne vides, hominem, colligentem ligna in sabbato, quia sabbatum violauit, lapidibus cæsum? & ad Hebr. 10. *Irritam quis faciens legem Mosi, sine vlla miseratione, duobus, vel tribus testibus moritur.* *Ad Hebr. 10.* Nonne vides, Adamum propter pomi esum, gratia, iustitiaque originali priuatum, & ex paradiso pulsum? Nonne vides, Israelitas in deserto, propter peccata,

 soluisse

soluisse magna supplicia, prostratosque in solitudine terram promissam non vidisse? Ergo Dei iustitiam intuere, & peccata fuge, ne cælo promisso priueris, pœnasque luas sempiternas. Audi Apostolum 1. Corinth. 10. *Prostrati* (inquit) *sunt in deserto. Hæc autem in figura facta sunt nostri, vt*
1. Cor. 10. *non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt; neque idololatræ efficiamini, sicut quidam ex ipsis; neque fornicemur, sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, & cecciderunt vna die viginti tria millia; neque tentemus Christum, sicut quidam eorum tentauerunt, & à serpentibus perierunt; neque murmurauerit is, sicut quidam eorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore: hæc autem omnia in figura contingebant illis, scripta sunt autem ad correptionem nostram.*
Psal. 111. Memoria retineamus Dei iustitiam, si mandata Dei volumus custodire nimis. Psalm. 111. *Beatus*

A *vir qui timet Dominum, in mandatis eius volet nimis,* hoc est, libentissimè, magna voluntate Dei mandata seruabit, qui Deum timuerit.

Vt autem mandata seruentur, oportet ea semper habere in memoria. Ideo Dominus eodem cap. 15. Numer. præcipit Israëlitis: *vt faciant filii fimbrias, per angulos palliorum, ponentes in eis vittas hyacinthinas; quas cum viderent, recordarentur omnium mandatorum Domini.* De fimbriis satis egimus tomo 3. Concord. cap. 24. Quemadmodum cùm rei alicuius memoriam retinere volumus, filum aliquod digito alligamus, cuius intuitus eam nobis reuocet in mentem: sic Deus fimbrias quasdam in vestibus Hebræorum esse voluit, in eisque vittas hyacinthinas alligari, quarum intuitus mandata illis in memoriam reduceret, vt ea opera exequerentur.

Num. 15.

De fimbriis Israëlitarum.

CAPVT II.

De seditione Core, Dathan, Abiron, & aliorum.

NVMERI CAP. XVI.

1 ECce autem Core filius Isaar, filij Caath, filij Leui, & Dathan atque Abiron filii Eliab, Hon quoque filius Phileth de filiis Ruben, surrexerunt contra Moysen, aliique filiorum Israël ducenti quinquaginta viri proceres synagogæ, & qui tempore concilii per nomina vocabantur. Cumque stetissent aduersum Moysen & Aaron, dixerunt: Sufficiat vobis, quia omnis multitudo sanctorum est, & in ipsis est Dominus: Cur eleuamini super populum Domini? Quod cùm audisset Moyses, cecidit pronus in faciem: locutúsque ad Core & ad omnem multitudinem: Manè (inquit) notum faciet Dominus qui ad se pertineant, & sanctos applicabit sibi: & quos elegerit, appropinquabunt ei. Hoc igitur facite: Tollat vnusquisque thuribula sua, tu Core, & omne concilium tuum: & hausto cras igne, ponite desuper thymiama coram Domino: & quemcumque elegerit, ipse erit sanctus: multùm erigimini filii Leui. Dixitque rursum ad Core: Audite filii Leui: Num parum vobis est, quòd separauit vos Deus Israël ab omni populo, & iunxit sibi, vt seruiretis ei in cultu tabernaculi, & staretis coram frequentia populi, & ministraretis ei? idcircò ad se fecit accedere te, & omnes fratres tuos filios Leui, vt vobis etiam sacerdotium vendicetis, & omnis globus tuus stet contra Dominum? quid est enim Aaron vt murmuretis contra eum? Misit ergo Moyses vt vocaret Dathan & Abiron filios Eliab. Qui respondérunt: Non venimus, numquid parum est tibi, quòd eduxisti nos de terra, quæ lacte & melle manabat, vt occideres in deserto, nisi & dominatus fueris nostri? Reuera induxisti nos in terram, quæ fluit riuis lactis & mellis, & dedisti nobis possessiones agrorum & vinearum, an & oculos nostros vis eruere? non venimus. Iratúsque Moyses valdè, ait ad Dominum: Ne respicias sacrificia eorum: tu scis quòd ne asellum quidem vnquam acceperim ab eis, nec afflixerim quempiam eorum. Dixitq; ad Core: Tu, & omnis congregatio tua state seorsum coram Domino, & Aaron die crastino separatim. Tollite singuli thuribula vestra, & ponite super ea incensum, offerentes Domino ducenta quinquaginta thuribula: Aaron quoque teneat thuribulum suum. Quod cùm fecisset, stantibus Moyse & Aaron, & coaceruassent aduersum eos omnem multitudiuem ad ostium tabernaculi, apparuit cunctis gloria Domini. Locutúsque Dominus ad Moysen & Aaron, ait: Separamini de medio congregationis huius, vt eos repentè disperdam. Qui ceciderunt proni in faciem, atque dixerunt: Fortissime Deus spirituum vniuersæ carnis, num vno peccante, contra omnes ira tua desæuiet? Et ait Dominus ad Moysen: Præcipe vniuerso populo vt separetur à tabernaculis Core, & Dathan & Abiron. Surrexitque Moyses, & abiit ad Dathan & Abiron: & sequentibus eum seniotibus Israël, dixit ad turbam: Recedite à tabernaculis hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis eorum. Cùmque recessissent à tentoriis eorum per circuitum, Dathan & Abiron egressi stabant in introitu papilionum suorum, cum vxoribus & liberis, omnique frequentia. Et ait Moyses: In hoc scietis, quòd Dominus miserit me vt facerem vniuersa, quæ cernitis, & non ex proprio ea corde protulerim: si consueta hominum morte interierint, & visitauerit eos plaga

plaga, qua cæteri visitari solent, non misit me Dominus. Sin autem nouam rem fecerit Dominus, vt aperiens terra os suum deglutiat eos, & omnia quæ ad illos pertinent, descenderintque viuentes in infernum; scietis quòd blasphemauerint Dominum. Confestim igitur vt cessauit loqui, dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum, deuorauit illos cum tabernaculis suis, & vniuersa substantia eorum: descenderúntque viui in infernum, operti humo, & perierunt de medio multitudinis. At verò omnis Israël, qui stabat per gyrum, fugit ad clamorem pereuntium, dicens: Ne fortè & nos terra deglutiat. Sed & ignis egressus à Domino interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incensum. Locutúsque est Dominus ad Moysen, dicens: præcipe Eleazaro filio Aaron sacerdoti, vt tollat thuribula, quæ iacent in incendio, & ignem huc illúcque dispergat, quoniam sanctificata sunt in mortibus peccatorum. Producátque ea in laminas, & affigat altari, eo quòd oblatum sit in eis incensum Domino, & sanctificata sint, vt cernant ea pro signo, & monimento filii Israël. Tulit ergò Eleazar sacerdos thuribula ænea, in quibus obtulerant hi, quos incendium deuorauit, & produxit ea in laminas affigens altari, vt haberent postea filii Israël, quibus commonerentur, ne quis accedat alienigena, & qui non est de semine Aaron, ad offerendum incensum Domino, nè patiatur, sicut passus est Core, & omnis congregatio eius, loquente Dominio ad Moysen.

2 COre vir erat ex tribu Leuitica ortus, ex genere Leuitarum Caathitarum, vt dicitur Numer. 16. Dathan verò, & Abiron ex tribu erant Ruben, primogeniti filii Iacob: sed priuatus est iure primogenituræ, ad quam spectabat regnum & sacerdotium. Hi cum multis aliis viris proceribus synagogæ ægrè tulerunt, quòd principatu Moses, sacerdotio Aaron fungeretur. Ideòque aduersus Mosem & Aaronem insurgentes dixerunt: *Sufficiat vobis, quia omnis multitudo sanctorum est, & in ipsis est Dominus, cur eleuamini super populum Domini?* Sensus horum verborum Abulensis hic est: sufficiat vobis, vt pares sitis aliis; cur super alios eleuamini, præ-
Abulensis. B positos vos constituentes? Secundus sensus est: sufficiat vobis, vt non eleuemini super populum, quòd omnes Hebræi sint Deo dicati, Deumque colentes. Hebraicè, רב לכן, *rab lacen*, id est; *multum vobis*, subaudi, *est*. Eadem verba noster interpres paulò inferiùs aliter vertit, vbi enim legitur, *multum erigimini filij Leui*, Hebraicè habetur, רב לכן, *rab, lacen*, id est, *multum vobis filij Leui*. Interpres transfert, *multum erigimini*. Ita potuisset hîc transferre: Moyses, & Aaron, *multum erigimini, quia multitudo sanctorum est*, &c. LXX. etiam vertunt: *Sufficiat vobis*, potestque esse sensus: sufficiat vobis, quòd hactenus principatum, & sacerdotium vobis vsurpastis, cur super populum Dei sanctum vos extollitis? Aliter: Sufficiat vobis, quòd hic populus sanctorum est, Deum colentium, & quod in ipso est Dominus, cur audetis eius principatum, & sacerdotium vsurpare? Vel: sufficiat vobis, quòd multitudo sancta est, & in ea est Dominus, non indiget vestro principatu. Aliter: sufficiat vobis, quòd omnis hæc multitudo dicata est Deo, & in ipsis est Dominus ipsos gnbernans, cur audetis principatum vsurpare.

Seditionem mouent aduersus Mosem & Aaron, Core & alii.

Moyses cecidit pronus in faciem.

3 Procidit Moyses vir humilis in terram, coram Domino, ad eum confugiens, auditis superborum, & seditiosorum verbis, surgensque postea respondit Core, qui sacerdotium affectabat: Cras ostendet Deus, an elegerit Aaronem, vt sacerdotio fungatur. Afferte thuribula, & imponite thus, idem faciet Aaron, Deus autem D indicabit, quem velit esse suum sacerdotem. Addit admonitionem, vt ab ambitione auocaret: *Multum* (inquit) *erigimini*, multum vos extollitis, *filij Leui*, attendite magnum beneficium, quòd à Deo accepistis. Separauit vos Deus ab omni populo, sibique propinquos esse voluit in ministerio tabernaculi, ex hoc beneficio, ne, quæso, superbiam, & ambitionem eliciatis. Numquid idcirco tantum beneficium à Deo accepistis, vt eo non contenti, sacerdotium etiam affectetis, & aduersus Dominum pugnetis? Non enim cum Aarone pugna est, sed cum Deo. Aaron enim quid est, vt contra eum murmuretis? contra Deum tendit murmur vestrum, à quo Aaron sacerdos est constitutus.

Humilis Moses ad Deum confugit.

Misit Moyses, vt vocaret Dathan, & Abiron.

4 Cum Core Leuita locutus est priùs Moses, Dathan, & Abiron discesserunt. Iussit illos vocari, illi verò ad eum venire renuerunt, insuper superbè responderunt huinc in modum; *Nunquid parum est tibi, o Moyses, quòd eduxisti nos de terra, quæ lacte, & melle manabat, vt occideres in deserto, nisi & dominatus fueris nostri?* Terram lacte, & melle manantem appellant AEgyptum, ab hac terra aiunt eductos Israelitas à Mose, vt eos in deserto interficeret, eisque vt princeps dominaretur. Vide, quæso, ambitiosorum, & C seditiosorum cæcitatem: summa enim Dei miracula ante oculos posita, animaduertere nolebant per quæ liquidò apparebat, Mosem à Deo fuisse constitutum principem, & populum ab ipso Deo ex AEgypto fuisse eductum. Addunt per ironiam illudentes: Revera, ô Moses, *induxisti nos in terram, quæ fluit riuis lactis, & mellis, & dedisti nobis possessiones agrorum, & vinearum. An & oculos nostros vis eruere?* Tandem concludunt: *Non venimus.* Illudunt Mosi, quasi non potuerit præstare, quod promisit; promisisti (inquiunt) terram fluentem lac, & mel, promisisti nobis in ea agros, & vineas, egregiè quidem id præstitisti. Quorsum nos vocas? numquid oculos nostros vis eruere: Nolumus ad te ire. LXX. interpretes vertunt: *Oculos hominum illorum eruisti.* Chaldæus sic: *Si oculos virorum illorum excæcaviris.* Hebraicè legitur, העינו הנשים ההם תנקר hoc est, *Nunquid oculos virorum illorum* vel *istorum*

Vocat Moysen, Dathan, & Abiron respondéntque superbè.

 eruetis?

eruetis? &c. Sensus versionis huius est: Numquid vultis eruere oculos virorum illorum, vel istorum, id est, Core, & aliorum, qui vobis aduersantur? Noster interpres vel aliter legit, vel mentem explicuit seditiosorum, hic enim erat: Illorum virorum, & nostros etiam oculos vultis eruere. Aliter explicatur locus hoc modo: numquid oculos virorum istorum, id est, nostros erues? numquid vis eruere nostros oculos, vt non videamus, quæ facis, vt non cernamus terram desertam, in quam nos duxisti, labores, in quos nos immisisti, superbiam tuam, &c.

Ne respicias sacrificia eorum.

5 *Quid dixerit Moses accepto nuntio Dathani & Abironis.* Iratus Moses, audito nuntio, quem miserat Dathan, & Abiron, Deum sic precatus est: *Ne respicias sacrificia eorum.* Abulensis putat, posse accipi sacrificium lato modo, pro oblatione thuris, quod oblaturi erant Core, & socij sequenti die, hoc sensu: Thura, quæ crastina die imponent thuribulis, despice Domine. Aliter sacrificia pro sacrificiis propriè sumi possunt hoc pacto: Hi Leuitæ volunt esse sacerdotes, & offerre sacrificia, sed tu Domine de manibus eorum ea ne accipias, quasi dicat, ne sint vnquam sacerdotes.

Tu scis, quòd ne asellum quidem acceperim ab eis.

6 Indicat Moses, absque causa seditionem commouisse homines superbos, & absque causa dicere: an oculos nostros vis eruere, siquidem nullam ab eo acceperat iniuriam, aut damnum. Tu (inquit) Domine Deus scis, quòd nullum munus acceperim ab eis, ne asellum quidem, scis etiam quòd neminem eorum afflixerim; quare sine causa seditionem concitant, supplicioque digni sunt.

Apparuit cunctis gloria Domini.

7 *Apparet gloria Domini, seditiosos punit.* Venerunt in tabernaculum seditiosi, Core & ducenti, ac quinquaginta viri: venit Moses & Aaron, & omnis populi multitudo, dixitque Moses seditiosis: sumite thuribula vestra omnes, & offerte Deo thymiama. Aaron quoque idem faciet, vt ostendat Deus, quem sibi sacerdotem eligat: ita factum est. Core cum asseclis obtulit thymiama, separatimque ab illis Aaron. Apparuit verò subitò gloria Domini in nube, quæ super tabernaculum erat, locutusque est Mosi, & Aaroni, hunc in modum: separate vos à congregatione populi huius, vt eum repentè disperdam: At illi humi prostrati, pro populo sic orarunt: *Fortissime Deus spirituum vniuersæ carnis, num vnò peccante contra omnes ira tua deseuiet?* Fortissime Deus: Hebraicè legitur, אֵל אֱלֹהִים, *el Elohim*, quæ sunt duo Dei nomina, *el*, *fortem* significat. LXX. vertunt: *Deus, Deus*, hoc est, Deus fortissime, & potentissime spirituum, & animarum, quæ in corporibus humanis viuunt: fortissimus es, & potentissimus Deus animarum, quæ in carne sunt, potes eas, & in carne conseruare, & à carne separare per mortem. Sed numquid vno peccante, id est, paucis peccantibus, vel vno Core peccante, adhibitis sociis tu totum populum disperdes? Absit. Audiuit eos Dominus, & respondit Mosi: Præcipe populo quem delere nolo, vt à tabernaculis seditiosorum, Core, Dathan, & Abiron separet se, ne ad eum supplicium pertingat.

Dathan, & Abiron, stabant in introitu papilionum suorum.

8 Moses abiit ad tabernacula Dathan, & Abiron, comitantibus eum populi senioribus, dixitque turbæ, quòd Dominus præceperat: *Recedite à tabernaculis horum hominum impiorum, & nolite tangere, quæ ad eos pertinent, ne inuoluamini in peccatis*, & supplicio *eorum.* Addidit etiam, vt à tabernaculo Core recederent. Recessit turba. Dathan autem, & Abiron superbi homines Mosis verba despicientes egressi stabant in introitu tabernaculorum cum vxoribus, & liberis, & aliis multis ex familia, vel ex amicis. Moses se à Deo missum, & principem constitutum probauit miraculo mox futuro: *In hoc* (inquit) *scietis, quod Dominus miserit me, vt facerem vniuersa, quæ cernitis, & non ex proprio ea corde protulerim: si nouam rem fecerit Dominus, vt aperiens terra os suum, deglutiat eos, & omnia quæ ad illos pertinent, descenderintque viuentes in infernum, scietis quod blasphemauerint Dominum.*

Dirupta est terra sub pedibus eorum.

9 *Dathan, & Abiron terræ hiatu absorpti sunt.* Verba Mosis repentè secutum est superborum supplicium. Stabant Dathan, & Abiron in introitu tabernaculorum, postquam verò Moses locutus est, subitò terra magno hiatu aperta, viuos eos, tabernacula quoque eorũ, & quidquid diuitiarum habebant, stupendo miraculo absorbuit, descenderuntque viui in infernum operti humo. Adde illis Core. Probauit verò miraculum stupendum, Mosem & Aaronem à Deo esse missos. Dubitatur, *an Core, Dathan, & Abiron viui peruenerint in infernum, ibique animæ eorum torqueantur, & corpora?* *An Dathan & Abiron cum corporibus in infernum peruenerint?* Respondetur, descendisse viuos in infernum, sed in via vita esse priuatos, cadaueraque in terra remansisse sepulta, animas, si pœnitentia caruerunt, tartareis flammis addictas esse. Sic Abulensis, & Caietanus.

10 *An Core sit absorptus terræ hiatu? Numer. 26.* Quæritur præterea, *an Core terræ hiatu sit absorptus?* Respondetur affirmanter. Non scribitur hoc apertè Numer. cap. 16. vbi de seditione agitur: sed scriptum extat apertissimè, Numer. 26. his verbis: *Aperiens terra os suum deuorauit Core morientibus plurimis.* Constat ergo Core à terra deuoratum, sicut Dathan & Abiron. Additur eo loco: *Et factum est grande miraculum, vt Core pereunte filij illius non perirent*, &c. *Ibidem.* Pater quidem deuoratus est à terra, cum tabernaculo suo; erant autem cum patre filij: sed per miraculum ex tanto periculo euaserunt. De hoc miraculo sic Lyranus scribit, Numer. 26. Quale fuerit miraculum, non habetur ex textu, nisi in generali, sed in Glossa Hebræa super Psalm. 45. *Lyranus. De filiis Core miraculum.* dicitur, quòd, quando terra aperuit os suum, & deuorauit Core, filii eius remanserunt stantes in aëre diuina virtute, quousque terra fuit iterum reclusa sub pedibus eorum. Propter quod in gratiarum actionem tanti beneficii, fecerunt Psalm. 45. *Deus noster refugium, & virtus*, &c. Sic Lyranus. Huius opinionis est Chaldæus: *Chaldæus.* Filij (inquit) Core per spiritum propheticum in die, quando absconditus est pater eorum ab eis, (id est terræ hiatu deuoratus) & illi liberati sunt, dixerunt canticum, &c. Probi fuisse videntur hi filij Core, neque patri in seditione adhæsisse, ideoque per miraculum à Deo, pereunte patre, liberati sunt. Obiicitur, Moses præcepit, vt omnes à tabernaculo Core rece-

recederent; ergo *filij Core inobedientes fuerunt, quoniam in tabernaculo remanserunt*, quousque pater est à terra deuoratus. Respondetur, filios illos Core, qui liberati sunt, fuisse paruæ ætatis, ideo in patris tabernaculo mansisse. Quòd si prouectioris ætatis fuerunt, putarunt, Mosem iubere alienos, non autem filios Core, à tabernaculo separari.

11 Aliter respondetur ex dictis Lyrani, & Rabbi Salomonis Psalm. 41. filios Core in tabernaculo patris remansisse illi persuadentes, vt Mosi obediret: interim verò terra aperta est, patremque deuorauit, filii liberati sunt, quibus Deus, vt Lyranus vult, spiritum propheticum dedit. Illis aliqui tribuunt Psalmum 41. cui titulus est, Intellectus filiis Core, & alios sequentes, *D. Hieron.* qui similes habent titulos. D. Hieron. in Psal. 83. Quicumque (inquit) Psalmus præscribitur filiorum Core, nihil triste habet, sed semper læta significat. Quoniam enim Core, & Dathan, & Abiron fecerunt contra Moysem, & à Domino puniti sunt, filij Core qui non sunt secuti patrem suum, æterno gaudio benedicti sunt. Hæc D. Hieronymus. Lege Genebrardum lib. 1. Chronic. LXX. interpretes sic interpretantur Hebræum contextum, vt miraculum hoc tollant, hoc pacto, Quando deuorauit ignis quinquaginta, & ducentos viros, & facti sunt in signo, deinde addunt: οἱ δ' υἱοὶ Κορὲ οὐκ ἀπέθανον, id est, *filii autem Core non sunt mortui.* Sensus est, combustos esse asseclas Core in signum, & exemplum, ne quis seditiosè ageret; filios autem Core non esse mortuos. Eundem in modum interpretatur Chaldæus; & alii. Hebraicè sic legitur: Quando deuorauit ignis ducẽtos, & quinquaginta viros, additur: בנריו לנם ריהין מתן לא קרות, hoc est, *& fuerunt in signum, vel in miraculum, & filii Core non sunt mortui.* Alij interpretes verba illa, *fuerunt in signum*, referunt ad ducentos, & quinquaginta viros combustos. Noster interpres retulit ad filios Core, hoc modo: & fuerunt in miraculum filii Core, quia non sunt mortui.

Ignis egressus à Domino interfecit ducentos, & quinquaginta viros.

12 *Igne à Deo comburuntur ducenti, & quinquaginta seditiosi.* Sumpsit Dominus grauissimum supplicium de Core, Dathan, & Abiron, cæterosque seditiosos virga diuina puniuit. Moses Core dixit: crastina die tu & tui comites venite ad tabernaculum; tollite thuribula vestra, & offerte Domino thymiama. Aaron quoque separatim idem faciet, vt ostendat Dominus, cui sacerdotium tribuat. Venerunt ergo ad ostium tabernaculi viri seditiosi ducenti, & quinquaginta, obtuleruntque Deo thus; subitò egressus est ignis à Deo ex tabernaculo, vel ex nube, vel ex altari holocaustorum, omnesque redegit in cinerem. Thuribula autem ænea, in quibus thymiama incenderant, voluit Dominus memoriale esse huius seditionis, ne quis postea sacerdotium sibi auderet arrogare. Præcepit itaque per Mosem Eleazaro sacerdoti, filio Aaronis, vt ea thuribula in laminas æneas produceret, & altari holocaustorum affigeret. Obtemperans Eleazarus Deo, laminas altari affixit, *vt haberent postea* (ait Moses) *filij Israel, quibus commonerentur, ne quis accedat alienigena, & qui non est de semine Aaron, ad offerendum incensum Domino, ne patiatur, sicut passus est Core, & omnis congregatio eius.* *Memoriale iustitiæ Dei laminæ thuribulorum.* Huius supplicii Core meminit Ecclesi. cap. 45. *Eccles. 45.* his verbis: *Contra illum*, (id est Aaronem) *steterunt alieni, & propter inuidiam circumdederunt illum homines in deserto, qui erant cum Dathan, & Abiron, & congregatio Core in iracundia. Vidit Dominus Deus, & non placuit illi, & consumpti sunt in impetu iracundiæ. Fecit illis monstra, & consumpsit illos in flamma ignis.*

Murmurauit autem omnis multitudo.

13 *Murmurant Israelitæ, quia Deus seditiosos occidit. Num. 16.* Nolunt incauti homines peccatum, iramque Dei cauere, in oculis habebant Dei supplicium maximè horrendum, quo seditiones extinxerat, ex eo non cautionem eliciunt, sed murmurationem, & Dei indignationem. Etenim post extinctos seditiosos, sequenti die Num. 16. *Murmurauit omnis multitudo filiorum Israel contra Moysen, & Aaron dicens: vos interfecistis populum Domini*; videlicet quia Deus Dathan, & Abiron, Core & ducentos, & quinquaginta viros morte mulctauerat. Cùm verò seditio oriretur, ac tumultus incresceret, Moses, & Aaron ad tabernaculum, tanquam ad asylum, confugerunt. Postquam ingressi sunt, Dei gloria populo tumultuanti apparuit, dixitque Dominus Mosi: *Recedite de medio huius multitudinis, etiam nunc delebo eos*, ignemque misit in populum. *Puniuntur Israelitæ incendio immisso.* Id cùm per reuelationem nouisset Moses in tabernaculo prostratus, præcepit Aaroni, vt thuribulum sumeret, thymiama imponeret, propereque ad populum pergeret, ac pro eo preces funderet. Induit vestes sacras Aaron, vt indicat liber Sapientiæ, cap. 18. Sumpsit thuribulum, & ad populum properè pergẽs, *Aaron vestibus sacris indutus Deum precatus, incendium extinxit.* quem incendium vastabat, thymiama obtulit, stansque inter viuos, quos ignis nondum attigerat, & mortuos quos occiderat, Deum deprecatus est, extinxitque precibus exardescẽtes flammas. Quòd si numerum requiras occisorum, non paruus fuit, etenim combusta sunt igni à Deo immisso quatuor decem millia hominum, & septingenti, propter murmurationem. Sic scelera punit Deus. Cur Moses nunc Aaronem miserit, vt incẽdium precibus, & oblatione thymiamatis extingueret, causa fuit seditio Core, orta propter sacerdotium. Iam Deus ostenderat, sacerdotium Aaronis esse, sumpto supplicio de Core, & asseclis: modò idem ostendit, cùm eiusdem Aaronis precibus, & intercessione placatur, incendiumque extinguit.

CAPVT III.

MORALE.

De seditione Core, Dathan, & Abiron.

I *Rom. 13. A Deo est potestas pontificum. Matth. 16. Ioan. 20.* Non est potestas, *nisi à Deo*, ait Apostolus ad Rom. 13. A Deo est potestas Ecclesiastica Pontificis Max. reliquorumq; Episcoporum, & sacerdotum, Matthæi 16. *Tibi* (inquit Deus) *dabo claues regni cælorum, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis, & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis.* Et Ioan. 20. *Pasce oues meas*, &c. quibus verbis Ecclesiæ vniuersæ potestatem Petro tradidit, & eius successoribus. *A Deo est potestas Regum. Prouerb. 8. Daniel. 4. Psalm. 46.* A Deo etiam potestas est Regum, Prouerb. 8. *Per me reges regnant.* Dan. 4. *Fœnum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te: donec scias, quòd dominetur excelsus in regno hominũ, & cuicumq; voluerit, det illud*, &c. Psalm. 46. *Rex omnis terræ Deus*, &c. Rex est Deus omnis terræ inuisibilis: Reges ipse constituit vica-

Sapient. 3. vicarios suos visibiles. Sapient. 3. *Audite Reges, discite Iudices finium terræ, præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum. Quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus* (Græcè δυνάστεια, id est potentia) *ab Altissimo*, &c. Datur potestas à Domino, & imperium, ipse rationem à Regibus, cæterisque omnibus hominum gubernatoribus seuerè exiget, vnde sequitur eodem capite: *Altissimus interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur, quoniam cùm esseetis ministri regni illius, non rectè iudicastis legem iustitiæ, nec secundùm voluntatem Dei ambulastis. Horrendè & citò apparebit vobis. Quoniam iudicium durissimum ijs, qui præsunt fiet*, &c.

Ibidem. Ioan. 19. Ioan. 19. cùm diceret Pilatus: *Nescis, quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te*, &c. ostendit Dominus, vndenã potestatem

Ibidem. illam haberet, respondens: *Non haberes potestatem aduersus me vllam, nisi tibi datum esset desuper*, &c.

Desuper, id est, cælo, & à Deo datur potestas;

2 Subditi obedientiam debent potestatibus. ita verò datur, vt obedientiam præstare debeant subditi, id docet Paulus ad Roman. 13. *Omnes* (inquit) *anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Reddit rationem: *Non est enim potestas*

Ad Rom. 13. *nisi à Deo*: (ideóque debetur ei obedientia) *quæ autem sunt* (potestates) *à Deo ordinatæ sunt. Itaque qui potestati resistunt, Dei ordinationi resistunt, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Item:

Ibidem. *Necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam*, &c. Id est obedite, quia vobis necessarium est, non solùm ad effugiendum iram superioris potestatis, sed etiam ne conscientiam inobedientiæ peccato inquinetis. Et ad Titum 3. *Admone illos principibus, &*

Ad Tit. 3. 1. Pet. 2. *potestatibus subditos esse, dicto obedire.* Item D. Petrus epist. cap. 2. *Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue regi quasi præcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis*, &c. Quia verò potestas non est, nisi à Deo; ideo ait Paulus ad

Ad Hebr. 5. Hebræos 5. *Nemo sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron*, &c.

3 Ambitio. D. Gregor. Sunt tamen aliqui, qui vocationem Dei non expectant, potestatem sibi assumunt, vel rapiunt, vt ait D. Gregorius 1. part. Pastor. cap. 1. Ex se, (inquit) & non ex arbitrio summi Rectoris regnant, qui nullis fulti virtutibus, nequaquam diuinitus vocati, sed sua cupidine accensi, culmen regiminis rapiunt, potiùs quàm assequuntur, &c. Et Bernard. in tractatu de conuersione ad Clericos, cap. 27. Multi (inquit)

D. Bernard. veniunt, sed considera, quis vocetur, &c. Non fuit ex his Moses, aut Aaron, qui potestatem sibi assumunt. Vocatus est Aaron ad Pontificatum, vt Paulus ait, à Deo; vocatus quoque Moses ad principatum, idque manifestum erat ex tot miraculis patratis. Meritoque Core, & aliis seditiosis dicentibus: *Cur eleuamini super populum Domini?* respondere potuerunt: Quæritis causam, cur super populum Domini eleuemur, hoc est, cur vnus ex duobus fratribus principatum, alter verò sacerdotium sumpserit? Respondemus, quia Dominus id nobis præcepit. Non tulit hoc ambitio, & inuidia Core,

Sapient. 45. Sapient. 45. *Contra illum* (id est, contra Aaronem) *steterunt alieni, & propter inuidiam circumdederunt illum homines in deserto, qui erant cum Dathan, & Abiron, & congregatio Core in iracundia*, &c. Itaque Dei potestati, & ordinationi restiterunt. *Qui autem* (ait Paulus) *resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt*, &c. Restitit ambitiosus Core cum cæteris superbis seditiosis potestati, & ordinationi Dei, ipsi sibi damnationem, quam vidimus, acquisiuerunt. Superbi, Core, Dathan & Abiron terræ hiatu absorpti sunt, ducentos alios, & quinquaginta viros proceres vltrix flamma à Deo immissa vorauit.

Quamobrem nouam hoc loco affert superbiæ definitionem D. Gregor. Nyssenus. Nam 4 D. Gregor. cùm superbia ascensus videatur esse, quia superbi semper, instar ignis, ascendere conantur, ille sic superbiam definit: *Superbia est descensus in inferiora.* Si enim (inquit) qui se super alios præferre voluit, hiatu terræ demersi, ad infima decidunt: Non est contemnenda definitio, cùm dicimus, superbiam esse casum ad infima, &c. Probari potest definitio exemplis superborum. Quid enim aliud fuit Luciferi superbia, quàm descensus siue casus in inferiora, id est, in tartarum? Quid fuit superbia Pharaonis? Nonne descensus in pelagus, vbi cum vniuerso exercitu periit? Vt omittamus alios; quid quæso fuit Core, Dathan, & Abiron arrogantia? Nonne descensus, & casus in infernum: *Descenderunt* (ait scriptura) *viui in infernum.* Hinc illud Chry- D. Chrysost. sostomi, homil. 66. in Matthæum: Attende, & videbis, nihil humilitate altius, nihil arrogantia depressius, &c. & Nazianzenus in orat. in no- D. Nazianz. uam Dominicam: Ne altiùs (inquit) efferaris, ne profundiùs corruas, &c. Numer. 16. dixit Num. 16. Moses Core superbo: *Nimiùm erigimini filij Leui.* Nimiùm se erigiebant, & ascendebant, qui ex Leuitarum gradu, ad sacerdotum dignitatem ascendere nitebantur, per seditionem, sed nimium etiam descenderunt, cùm Core superbum terra absorbuit, & ducentos, & quinquaginta proceres flamma combussit.

Quòd si Nyssenus superbiam sic definit: *Superbia est descensus ad inferiora*, vel, *est casus ad infima*, licet ex illius sententia humilitatem contrariam superbiæ, hoc contrario definire modo: 5 Humilitas est ascensus in superiora. D. Cryost. *Humilitas est ascensus ad superiora.* Quamobrem D. Chrysost. homil. 11. Ad Ephes. cap. 4. Quanto (inquit) se ipsum quis humiliauerit, tantò magis exaltabitur. Quemadmodum enim in aqua fit, quæ tanto altius ascendit, quanto illam quis- D quam ad ima deduxerit, & quantum quis ex interuallo iaculatus fuerit, tanto potitur, ita habet animi humilitas. Sic Chrysost. Propositam definitionem illud probat sanctissimæ Deiparæ dictum: *Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* Et illud Pauli ad Philippens. 3. *Humiliauit semet-* Ad Philip. 3 *ipsum, factus obediens vsque ad mortem, propter quod & Deus exaltauit illum.* Denique ait Dominus Luc. 14. *Omnis, qui se exaltat humiliabitur, & qui* Luc. 14. *se humiliat, exaltabitur.* Et D. Bernardus serm. D. Bernard. 2. de ascensione: Fratres (inquit) perseuerate in disciplina, quam suscepistis, vt per humilitatem ad sublimitatem ascendatis: Quia hæc est via, & non est alia præter ipsam. Qui aliter vadit, cadit potiùs, quàm ascendit, quia sola humilitas est, quæ exaltat, &c. Eodem loco ait Bernardus, Christum, cùm secundùm diuinitatem non posset ascendere, ascendisse per humilitatem naturæ assumptæ: Christus (inquit) cùm non haberet quo ascenderet, quia vltra Deum nihil est, per descensum, quomodo crescere, inuenit, veniens pati, & mori, propter quod Deus exaltauit illum. Vade & tu, & fac similiter; neque enim ascendere poteris, nisi descenderis. Hæc D. Bernardus.

Core, & reliquis seditiosis similes sunt hæretici. Seditiosi illi aduersùs summum syna- 6 gogæ

Hæretici similes sunt Core, Dathan, & Abiron. gogæ sacerdotem, Aaronem rebellarunt, seditionemque concitauerunt: hæretici aduersùs summum Ecclesiæ Pontificem rebellant, seditionemque concitant. Aiebant seditiosi: Moses, & Aaron, cur eleuamini super populum Domini? sic aiunt hæretici: Cur eleuantur Pontifices Romani super populum Dei? Respondere possent Moses, & Aaron, vt diximus: fungimur officiis à Deo datis; principatu fungitur Moses, Aaron fungitur suo sacerdotio, quia id iussit Dominus; quod meridiana luce clarius

Deus Petrum Ecclesiæ totius Pontificem constituit. est. Eundem in modum respondemus, si excelsam administrant potestatem summi Pontifices, est potestas hæc à Deo. Deus ipse D. Petro, & successoribus regni cælorum claues tradidit; ipse Petro, & in Petro illis dixit: *Pasce oues meas. Super hanc petram Deus ædificauit Ecclesiam suam*, vt tota ipsa Ecclesia ab initio vsque ad hoc tempus semper docuit. Quinnam eos fascinauit homines, qui huic veritati ab initio confirmatæ non obediunt? fascinauit equidem superbia illa, quæ Core, Dathan, & Abiron fascinauit, terræque hiatu deuorauit. Qui similes sunt peccato, similes erunt supplicio. *Qui potestati, & Dei ordinationi resistunt*, (ait Paulus) *ipsi sibi damnationem acquirunt.* Qui ergo potestati summi Pontificis à Deo constituti resistunt, hîc quidem breuissimi temporis modicam carnis libertatem comparabunt, sed post mortem sempiternam C damnationem, & captiuitatem in sempiternis tormentis acquirent.

Cecidit pronus in faciem.

7 Prosus humilitas. Cùm audisset Moses seditiosos clamantes; *Cur eleuamini super populum Domini?* cecidit pronus in faciem. Erat Moses princeps populi, sed humilis, & ad Deum omnibus in seditionibus confugiens. Seditiosi clamabant: *Cur eleuamini?* Moses se non superbum esse, & elatum ostendit, sed humilem, coram illis pronus in faciem humiliter cecidit; quod etiam videtur fecisse Aaron. Prostratus autem humi Moses Deum deprecatus est, & quid facturus esset, à Deo accipit. Prostratus est humi, quasi diceret: Non eleuamur super populum Dei, non affectamus D principatum, & sacerdotium; sed absque principatu, & sacerdotio viuere cupimus. Non eleuamur, sed ante Deum cadimus proni in facies nostras, & ante vos, vt intelligatis, nos non superbiam consectari, sed humilitatis statum exoptare. O beatum Mosem, principem humilem! O beatum humilem Põtificem Aaronem; Maxima enim principis, ac Pontificis virtus est humilitas. Gemma est in pontificali, & regia veste fulgens admirabiliter, iuxta illud D. Gregorij lib. 26. moral. cap. 24. Mirum (inquit) valde est, cùm in cordibus sublimium regnat humilitas morum. Item: subtilissima ars viuendi est, culmen tenere, gloriam premere, esse quidem in potentia, sed potentem se esse nescire, &c. Et E D. Bernard. Bernard. homil. 4. super Missus est: Non magnum (inquit) est, esse humilem in abiectione. Magna prorsus, & rara virtus est humilitas honorata, &c. Mosis humilitas honorata erat, populi enim princeps erat Moses, sed in tanto honore erat humilis, ideo coram seditiosis in terram se prostrauit.

Humilitas principum.

Vt vobis sacerdotium vendicetis.

8 Core, & Leuitas Moses monet, vt gradu suo contenti sint, neque velint sacerdotium appete- A re, quod Aaroni datum est à Deo. Erant Leuitæ ministri sacerdotum, sed Core hoc honore non contentus, sacerdotium affectabat: ambitio enim non est contenta honore; quem iam est assecuta, ad alium inhiat. Quemadmodum auaritia non satiatur pecunia: sic ambitio non sa- Ambitio non satiatur honoribus. D. Bernard. tiatur honore. Quamobrem D. Bernardus ambitionem infinitam appellat, quia ambiendi finem non habet. Epist. 42. Ad Senonensem Archiepiscopum: O infinita (inquit) semper ambitio! Cùm primos honorum gradus meruerint in Ecclesia, non ideo corda quiescunt, duplici semper æstuantia desiderio, quò vtique magis, ac magis & dilatentur in plura, & ad celsiora B sublimentur. Factus Episcopus, Archiepiscopus esse desiderat; quò fortè adepto, rursus, nescio quid altius somnians, Romanum statuit frequentare palatium, &c. Seneca lib. 2. de Benef. Seneca. cap. 27. Maiora (inquit) cupimus, quò maiora venerunt. Ambitio non patitur quemquam in ea mensura honorum conquiescere, quæ quondam eius fuit impudens votum. Non est prætura grata, si deest consulatus, neque hic satiat, si vnus est, &c.

9 Si Deus honorem aliquem tribuit, gratiæ illi agendæ sunt, ingrati autem, & superbi animi est, acceptum honorem paruum existimare, & ex eo gradum facere ad affectandam arrogan- C ter dignitatem celsiorem. *Numquid* (ait Moses Leuitis, Num. 16.) *parum vobis est, quòd separauit* Num. 16. *vos Deus Israël ab omni populo, & iunxit sibi, vt seruiretis ei in cultu tabernaculi, & staretis coram frequentia populi, & ministraretis ei? Idcirco ad se fecit accedere te, & omnes fratres tuos filios Leui, vt vobis etiam sacerdotium vendicetis, & omnis globus tuus stet contra Dominum?* sic Moses, Core, & filios Leui affatus est. Paruus videtur honor iam comparatus, ideo maiorem expetit ambitiosus. Numquid (inquit Moses) parum vobis est, quòd Deus sui tabernaculi ministros vos fecit? Iam vobis, postquam eum consequuti estis, hic honor paruus videtur? Ex eo gradu gradum facitis ad sacerdotium per seditionem assequendum? Numquid idcirco vos vocauit Do- D minus ad officium Leuitarum, vt ex eo gradum vobis faciatis ad sacerdotium iniquè comparandum. Officio vestro viuite contenti, vnumquemque enim vult Deus suo ordine contentum esse, suisque finibus se continere humiliter; neque celsiora ambire superbo animo. D. Bernardus lib. 2. de consider. ad Eugenium: Si sapis, (inquit) eris contentus mensura, quam tibi mensus est Deus, &c. Aduertat ambitiosus: D. Bernard. nemo se negociis Regis tractandis intrudit, in- Vnusquisque humiliter accepto honore contentus sit. uito Rege: cur igitur ambitiosus negotiis summi Regis Christi procurandis se arrogantet inferet, cùm id maximè Christo summo Regi displi- D. Bernard. ceat? Audiat D. Bernardum serm. de conuersio- ne ad Clericos, cap. 27. Vnde (inquit) ambitio- E nis impudentia tanta? Audeátne aliquis vestrum terreni cuiuslibet reguli occupare ministeria, præripere beneficia, negotia dispensare, eo non præcipiente, aut etiam prohibente, &c. *Nemo sumit sibi honorem*, (ait Paulus ad Hebr. 5.) *sed qui vo-* Ad Hebr. 5. *catur tanquam Aaron*, &c. Expecta Dei vocationem, fuge ambitionem. Ecclesiast. 7. *Noli quærere* Eccles. 7. *à Domino ducatum, neque à Rege cathedram honoris*, &c.

CAPVT

CAPVT IV.

Morale.

De Dathan, & Abiron.

Non venimus.

1 *Superba reſponſio Dathan, & Abiron.*

SVperbiæ hoc verbum eſt magnæ. Vocantur Dathan, & Abiron à Moſe principe ſuo, reſpondent ſuperbiſſimè: *Nolumus ad te ire*, illuduntque ei ironicè dicentes: Egregiè quidem promiſſa ſeruaſti. Promiſiſti terram fluentem lacte, & melle, eduxiſti verò nos ex Ægypto, quæ lacte, & melle fluebat, & duxiſti in hanc aſperam ſolitudinem, amaritudine, ac felle manantem. Equidem, vt dicitur Pſalm. 16. *Os eorum locutum eſt ſuperbiam*. Gregor. lib. 12. moral. cap. 24. Superbus (inquit) quò in hac vita plus valet, eò linguæ fræna audacius relaxat, &c. O hominum ingratitudinem! Ægyptum terram vocant lacte, & melle fluentem; de terra verò promiſſionis deſperant. Vtinam non ſint religioſi aliqui, qui hos imitentur, & AEgyptum, hoc eſt, mundum terram eſſe putent melle, & lacte manantem, religionem verò aridam ſolitudinem. Ipſi quidem qui hoc cogitant, arida ſunt ſolitudo, terra autem in quam Deus eos intromiſit, reuerà fluit lacte, & melle, ſi tamen illi Dathan, & Abiron non imitentur. Iob. 11. *Vir vanus in ſuperbiam erigitur, & tanquam pullum onagri, ſe liberum natum putat*, &c. Ecce duos viros vaniſſimos, in ſuperbiam erecti ſunt, & ſimiles onagris, liberos ſe, nulliuſque imperio ſubditos arbitrantur. Onagri aſini ſunt ſylueſtres, nullius hominis ſubiecti ſeruituti. Vnde Iob 39. ait Dominus: *Quis dimiſit onagrum liberum, cui dedi in ſolitudine domum?* Sic Dathan, & Abiron, aſini agreſtes, liberi eſſe volebant, iugumque à ceruicibus excutiebant dicentes: *Non venimus*: ſed inciderunt in iudicium diaboli, de quo Paulus 1. ad Timoth. 3. *Non neophytum* (inquit) *ne in ſuperbiam elatus, in iudicium incidat diaboli*, &c. Diabolus per ſuperbiam in iudicium, & damnationem incidit, & ex cælo præcipitatus in orcum: ſic hi homines, per ſuperbiam in iudicium Dei inciderunt, & viui à terra deuorati ſunt. Multos onagros libertatis amantes protulerunt noſtra tempora; hoc eſt, multos, qui Eccleſiæ iugum excutiunt, libereque volunt viuere, inſtar onagrorum. Væ miſeris! vocantur à Deo ad veram fidem, ſed reſpondent cum Dathan & Abiron: *Non venimus*, vt onagri liberi eſſe volumus. Non veniunt miſeri ad fidem: ſed venient paulò poſt ad ignem, quamuis dicant: *Non venimus*; venient, ſubitoque à diabolo in æternam captiuitatem liberi onagri rapientur.

Pſal. 16. D. Gregor. Iob. 11. Onagri libertatis amantes indicant, & hæreticos. Iob. 39. 1. Timoth. 3.

An & oculos noſtros vis eruere?

2 Vocabat Dathan, & Abiron Moſes, vt illos moneret, & ſua admonitione oculos redderet, quos ſuperbia eruerat. Hoc enim ſuperbiæ eſt proprium, oculos eruere, id eſt, obcæcare. id docet D. Anſelmus, in lib. de ſimilitudinibus, cap. 98. Non eſt (inquit) in altum eleuata ſuperbia, ſicut quidam putant, ſed demiſſa; & vallis maxima, beſtiis vitiorum plena, & tenebrarum caligine denſiſſima, Nam quantò amplius quis ſuperbia inuoluitur, tantò lucem veritatis minus intuetur, &c. In hac demiſſa valle erant hi ſuperbi homines, ſuperbiæ fumo excæcati, & beſtiis pleni, videlicet ſuperbia, & ambitione, & inobedientia. Ideoque neque Moſem principem ſuum agnoſcebant, neque vocati eius imperio obtemperabant: AEgyptum verò aiebant terram eſſe lacte, & melle manantem: *Eduxiſti nos* (inquiunt Numer. 16) *de terra, quæ lacte, & melle manabat*, id eſt, ex AEgypto Iſai 5. *Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras*, &c. Væ his hominibus, qui dixerunt bonum malum, & tenebras AEgypti luci terræ repromiſſionis prætulerunt. Planè cæci, Moyſi vocanti (vt oculos eis redderet) ne cæci in barathrum, in quod inciderent, reſponderunt: *An & oculos noſtros vis eruere?* Non oculos eruere, ſed oculos reddere volebat Moſes, quos ſuperbia eruerat. Superbia oculos eruit ad videndum, quæ recta ſunt, & humilia: oculos ſolùm habet ad cernendum honorem, quem exoptat. Eruerat ſuperbia horum oculos; honorem, quem ambiebant, cernebant; quod rectum erat, & facere debebant, non cernebant: Superbus (inquit Anſelmus) quamdiu in tenebris, id eſt, in cæcitate cordis ſui iacet, iuſtum ab iniuſto diſcernere non poteſt, ſed quæ ſunt diſtorta, æquè ſectatur, vt recta, &c. Pſal. 103. *Poſuiſti tenebras, & facta eſt nox, in ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſyluæ: catuli leonum rugientes*, &c. Omnes beſtiæ, id eſt, vitia, vigent in valle tenebroſa ſuperbiæ. Eodem loco citato D. Anſelmus: Vnde (inquit) fit, vt in iſta tenebroſa valle, videlicet ſuperbiæ, copia ſit vitiorum, quaſi beſtiarum multitudo; nam leones crudelitatis, vulpes calliditatis, ſerpentes quoque inuidiæ venenoſæ, cætera etiam vitiorum animalia ſolent ſuperabundare, &c.

D. Anſelm. Superbia homines excæcat. Numer. 16. Iſai. 5. D. Anſelmi. Pſalm. 103. D. Anſelm.

Recedite à tabernaculis hominum impiorum.

3 *Fugiendi ſunt amici improbi.*

Egregium nobis dat Moſes conſilium: Recedite (inquit) ab improbis hominibus, ne inuoluamini in peccatis eorum; fugiendi ſunt amici improbi, ne ipſorum improbitate contaminemur. Quemadmodum peſte infectos fugimus: ſic vitiis inquinatos fugiamus, ne nos peccati peſtis inficiat. Vnde D. Chryſoſt. Pſalm. 4. Quemadmodum (inquit) corpora à corrupti aëris lue infecta pereunt, ita etiam anima ſæpe damnum accepit ex malorum congreſſione. Et quemadmodum ſanus oculus, quando laborantem aſpexerit, afficitur, & qui eſt ſcabie refertus, iis qui ſani ſunt, eam impertit: ita etiam ſæpe contingit in conſuetudine improborum, &c. Qui ſanitatem corporis tueri vult, locum ſalubrem ad habitandum eligit; qui verò animæ ſalutem vult ſeruare, amicos eligit ſalubres, hoc eſt, probos. Chryſoſt. eodem Pſalmo. Tu (inquit) ſi in ciuitate aliqua ſis habitaturus, de aëre curioſè inquiris, an ſit non ſalubris, non temperatus, non ſiccus; de anima autem rationem initurus, non es ſolicitus de eorum conſuetudine, qui cum ea ſunt congreſſuri, ſed temerè eam omnibus permittis, &c. De impio quodam homine ait D. Bernardus, epiſt. 196. Conuerſatio eius mel, & doctrina venenum. &c. Huiuſmodi ſunt amici malis præditi moribus, & conuerſatione dulces, ſed doctrina, quam exemplo, & verbis tradunt, venenati, ac peſtiferi. Recedamus ergo à tabernaculis huiuſmodi hominum, ne eorum peccatis inuoluamur, & paulatim ita intricemur, vt difficile ſit extricari & expediri.

D. Chryſoſt. Idem. D. Bernard.

Terra

Terra deuorauit illos.

4 *Superbia demergitur, & humiliatur. Iob 20.*

Hic finis ſuperborum eſt; in cælum volunt aſcendere, & à terra deuorati, in ima deſcendunt. Iob 20. *Si aſcenderit vſque ad cælum ſuperbia eius, & caput eius nubes tetigerit, quaſi ſterquilinium in fine perdetur, & qui eum viderant, dicent: vbi eſt? velut ſomnium auolans non inuenietur*. Prouerbiorum 16. *Ante contritionem præcedit ſuperbia, & ante ruinam exaltatur ſpiritus*. Id contigit his ſuperbis: contritionem, id eſt, euerſionem eorum, præceſſit ſuperbia, ante ſtupendam ruinam exaltatum eſt cor illorum. Lib. 3. de conſider. D. Bernard. ad Eugenium Papam: Alta, inquit, præſumptio quid niſi ruinoſa præcipitatio eſt? &c. Aperuerunt Dathan, & Abiron os ſuum, inſolenterque dixerunt: *Non venimus*, &c. Aperuit terra quoque os ſuum, & dixit: *Venite*, non vultis venire ad ſuperiorem veſtrum Moſem vos vocantem, venite ad inferiora terræ. En hiatus aperitur, hiatuque aperto, deuorauit illos terra cum tabernaculis ſuis, & vniuerſa ſubſtantia eorum. Non poterit illorum os deuorare Moſem & Aaronem, aut primatu, & ſacerdotio priuare: potuit autem os terræ illos deglutire, & morte mulctare. Humili D. Petro aqua facta eſt terra: ſuper aquam enim, veluti ſuper ſtabilem terram, ambulauit: at his hominibus ſuperbis ipſa terra ſtabilis facta eſt aqua. Nam inſtar aquæ eos abſorbuit. Nec potuit cælum ſuperbiæ pondus ſuſtinere, ſuperbumque Luciferum, & eius aſſeclas, præcipites egit. Nec potuit terra ſuperbiam horum hominum ferre, Numer. 16. *Diſrupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum deuorauit eos*, &c.

Prouerb. 16. D. Bernard. Num. 16.

Multum erigimini filij Leui.

5 *Superbia à viris Eccleſiaſticis fugienda, humilitas eſt amplectenda. D. Bernard.*

Erat Core Leuita, gradu verò Leuitæ minimè côtentus, ſacerdotium ſeditioſè appetebat, ideo Moſes illi ait: *Multum erigimini filij Leui*. Turpis eſt ſuperbia omni viro Chriſtiano: Leuitis verò, id eſt, Eccleſiaſticis, fœdiſſima. Ideo D. Bernard. Pontifici ſummo Eugenio humilitatem ſuadet, in lib. 2. de conſideratione: Nulla inquit, ſplendidior gemma humilitate, in omni præcipuè ornatu Pontificis. Quo enim celſior cæteris, eò humilitate apparet illuſtrior, & ſe ipſo, &c. Splendida gemma eſt humilitas, expetenda ergo eſt maximè à Leuitis, id eſt, viris Eccleſiaſticis, ne audiant à Moſe: *Multum erigimini filij Leui*. Honor aliquibus ſuperbiæ cauſa eſt, ſed Eccleſiaſticis viris humilitatis cauſa eſſe debet, & gratitudinis, conſiderantibus id, quod eidem Core dixit Moſes de Leuitis: *Numquid parum vobis eſt, quod ſeparauit vos Deus Iſrael ab omni populo, & iunxit ſibi, vt ſeruiretis ei in cultu tabernaculi, & ſtaretis coram frequentia populi, & miniſtraretis ei?* Separauit Deus Eccleſiaſticos viros ab omni populo, iunxit eos ſibi, vt illi ſeruirent in cultu Eccleſiæ ſuæ, illique miniſtrarent; tantum hoc officium, ac beneficium magnas poſtulat virtutes, atque inter cęteras gratitudinem, & humilitatem. At conqueritur de illis Origenes, homil. 9. in Ezech. Quanti (inquit) presbyteri conſtituti obliti ſunt humilitatis; quaſi idcirco fuerint ordinati, vt humiles eſſe deſiſterent. Quin potiùs humilitatem ſequi debuerant, quia dignitatem fuerant côſecuti, dicente Scriptura, Eccleſiaſt. 3. *Quãto magnus fueris, tanto humilia te ipſum*. Sic ille. Noſtra verſio habet: *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. Quoniam magna potentia Dei ſolius, & ab humilibus honoratur*. hoc eſt, quanto maior es, tantò maiorẽ exhibe humilitatem, & Deo placebis. Quoniam Deus potentiſſimus eſt, & infinita maieſtate præditus; vult autem ab humilibus honorari. Conſiderent hæc viri Eccleſiaſtici, quantoque maiores ſunt, tantò ſint humiliores, placebúntque Deo. Potentiſſimus enim Deus ſuperbiam, & arrogantiam execratur, humiles diligit, Deus maximus ad humilibus, qui in ſuis oculis minimi ſunt, vult honorari. Qui illi miniſtrat in Eccleſia, humilis ſit, vt eum honoret miniſterio ſuo.

Humilitas ſplendida eſt gemma. Origenes. Eccli. 3.

Sebaſt. Barradas Itiner. Iſraelit.

6 *D. Auguſt.*

Audiamus Auguſt. ſerm. 213. Eſtò (inquit) paruus in oculis tuis, vt ſis magnus in oculis Dei. In ſummo honore ſumma tibi ſit humilitas, &c. Eximia eſt copulatio humilitatis, & honoris, ſiue celſitudinis. Præclarum effundit ſplendorem ſumma humilitas in ſummo honore collocata. Vnde D. Bernardus ad Eugenium ſummum Pontificem ſcribit, copulandam eſſe humilitatem cum honore ſublimi, ſicut natura copulat limum cum ſpiritu, & ſicut Chriſtus copulauit in eadem perſona Verbum infinitæ maieſtatis cum natura humana. Lib. 2. de conſiderat. Salubris, inquit, eſt copula, vt cogitans te ſummum Pontificem, attẽdas pariter viliſſimum eſſe cinerem. Imitetur cogitatio naturam & quod dignius eſt, authorem naturæ, ſumma, imaque conſocians. Nónne natura in perſona hominis, vili limo colligauit vitæ ſpiraculum? Nónne author naturæ in ſui perſona Verbum, limúmque contemperauit? Ita tibi ſume formam, vt altus ſedens, non alta ſapiens ſis, ſed de te ſentiens humilia, & conſentiens humilibus. Sic D. Bernardus.

Copulãda eſt humilitas cũ honore, & potentia. D. Bernard.

Producat ea in laminas, & affigat altari.

7 Core, Dathan, & Abiron terra abſorbuit, ducentos quinquaginta viros primarios thymiama offerentes, cùm non eſſent ſacerdotes, ignis à Deo immiſſus combuſſit. Simile, ſed non tam graue ſupplicium, ſumpſit Dominus de Rege Ozia, qui ſuperbia ductus, templum ingreſſus thymiama voluit Deo offerre ſuper altare thymiamatis. 2. Paralip. 26. *Sacerdotes reſtiterunt Regi, atq; dixerunt: Non eſt tui officij, vt adoleas incenſum Domino, ſed ſacerdotum. Iratuſque Ozias, tenens in manu thuribulum, vt adoleret incenſum, minabatur ſacerdotibus. Statímq; orta eſt lepra in fronte eius coram ſacerdotibus. Perterritus accelerauit egredi, eò quòd ſenſiſſet illico plagam Domini. Fuit igitur leproſus vſque in diem mortis ſuæ, & habitauit in domo ſeparata plenus lepra*. Quemadmodum Core minimè contentus Leuitæ officio, ad ſacerdotium aſpirauit: ita Ozias minimè contentus Regis dignitate, ſacerdotij munus exercere voluit, vtrumque ſuperbia inflabat. De Core ſatis conſtat, de Ozia loco citato ſcriptum eſt: *Eleuatum eſt cor eius in interitum ſuum, & neglexit Dominum Deũ ſuum, ingreſſuſque templum Domini adolere voluit incenſum*. Superbiam vltus eſt Deus, Regem lepra infecit, Core terra dehiſcente vita priuauit, ducentos & quinquaginta viros eius ſectatores flammis incendit.

Rex Ozias lepra percuſſus, quia voluit thymiama offerre. 2. Paralip. 26

8 *Memoria ſuppliciorum Dei.*

Voluit autem huius ſupplicij memoriam extare, idcirco thuribulorum laminas iuſſit affigi altari, in quibus auſi ſunt offerre Deo thymiama. Meminiſſe oportet ſuppliciorum, quæ Deus

propter

propter ſcelera irrogat, vt alieno exẽplo cautiores ſimus, ſceleraque fugiamus. Deterret à peccatis memoria ſuppliciorum, præcipuè verò deterret memoria ſupplicij æterni. Qui huius ſupplicij ſemper meminit, flagitium cõmittere non audet. Vnde Chryſoſtomus tom. 5. homil. 5. ſic ait: Gehennam continuè timens nunquam in gehennæ ignem decidet, continuè hoc caſtigatus timore, &c. Laminas thuribulorum affigi iuſſit Dominus altari, vt eſſent monimẽtum populo, Num. 16. *Vt cernant*, inquit, *ea pro ſigno, & monimento filij Iſrael*. Sic ſupplicia improborum iuſſit affigi ſacris libris, vt ea in memoriam reuocemus ſæpe, & diligenter conſideremus. 1. Corinth. 10. *Hæc*, inquit, *in figura facta ſunt noſtri, vt non ſimus cõcupiſcentes malorum, ſicut & illi concupierunt*. Item: *Hæc ſcripta ſunt ad correptionem noſtram*, &c. Luc. 17. *Memores eſtote vxoris Loth*. Deuter. 24. *Mementote quæ fecerit Dominus Deus veſter Mariæ in via, cùm egrederemini de Ægypto*.

D. Chryſoſt. — *Numer. 16.* — *1. Cor. 10.* — *Ibid. Luce 17. Deut. 24.*

CAPVT V.

MORALE.

Aaron Deum iratum placat.

Pro populo deprecatus eſt, & plaga ceſſauit.

1 *Murmuratio Iſraelitarũ, & punitio.*

Mvrmurauit populus aduersùs Moſem & Aaron, poſtquam terra abſorbuit Core, Dathan, & Abiron, & ignis ducentos & quinquaginta viros proceres incendit. Cùmque viderent, Deum hæc ſupplicia de iniquis ſumere, deberéntque ex illis intelligere, quantum ſcelus eſſet, iis, quos Deus in dignitate conſtituit, repugnare: tamen aduersùs Moſem principem à Deo creatum, & aduersùs Aaronem ſacerdotem conſtitutum murmurarunt, illis tribuentes cædem impiorum à Domino factam: *Vos* (inquiunt) *interfeciſtis populum Domini*, &c. Exarſit ignis, ſuppliciúmque ſumpſit de murmuratoribus: Moſes verò miſericordia motus præcepit Aaroni ſacerdoti, vt Deo offerret thymiama, illúmque placaret. Magna feſtinatione Aaron id fecit, ignemque ſuis precibus, & thymiamatis oblatione extinxit. Hac de re ſic ſcriptum eſt in lib. Sapientiæ, cap. 18. his verbis: *Properans homo ſine querela deprecari pro populis, proferens ſeruitutis ſuæ ſcutum orationem, & per incenſum deprecationem allegans, reſtitit iræ, & finem impoſuit neceſſitati, oſtendens quod tuus eſt famulus.* Homo ſine querela appellatur Aaron Pontifex, Græcè προεμάχησε, id eſt, properãs propugnauit pro populo. Protulit autem ſeruitutis ſuæ ſcutũ, Græcè, ἰδίας λειτουργίας ὅπλον, id eſt, *proprij miniſterij arma, orationem*, & per incenſum, ſiue thymiama, deprecationem allegans, id eſt, orationem tanquam legatum mittens, reſtitit iræ Dei, & finem impoſuit neceſſitati illi, id eſt, calamitati, Græcè συμφορᾶ. Vides, orationm ſcutum eſſe, & arma ad placandam iram Dei ſumenda; vides, officium ſacerdotis eſſe, iram Dei oratione, & ſacrificiis à populo auertere. Vnde D. Proſper lib. 2. de vita contemplat. cap. 2. Sacerdotes (inquit) pondus populi ſibi commiſſi viriliter ſuſtinentes, pro peccatis omnium, veluti pro ſuis, infatigabiliter ſupplicant Deo; ac velut quidam Aaron incenſum contriti cordis, & humiliati ſpiritus offerentes, quo placatur Deus, auertunt iram futuræ animaduerſionis à

Aaron ſacerdos placat Dominum, orans pro populo. Sapient. 18. — *Oratio ſcutũ eſt & arma.* — *D. Proſper.*

A populo, &c. Obſeruet autem ſacerdos, quòd dicitur Aaron *homo ſine querela*, exemplo populũ, & verbo docens; ſtudeatque ipſe homo eſſe ſine querela, vt Deum poſſit placare. Quòd ſi thymiamatis oblatio Deum placauit, quid dicendum eſt de auguſtiſſimo Euchariſtiæ ſacrificio? Sequitur eodem capite Sapientiæ 18. *Vicit autem turbas nõ in virtute corporis, nec armatura potentia, ſed verbo illũ, qui ſe vexabat, ſubiecit, iuramenta parentum, & teſtamentũ commemorãs. Cum enim iam aceruatim cecidiſſent ſuper alterutrum mortui, interſtitit, & amputauit impetũ, & diuiſit illã, quæ ad viuos ducebat, viam.* Milites, & duces vincunt hoſtium turbas, corporis virtute, id eſt, fortitudine, & potentia armaturæ: at Aaron non B vicit turbas corporis fortitudine, aut armaturæ potentia, ſed angelũ, qui ipſum affligebat, quia populum interficiebat, verbo ſuperauit, commemorans Deo iuramenta facta Patribus de terra repromiſſionis, & pactum initum. Itaque cùm ignis populum iam vaſtaret, multoſque combuſſiſſet, & ad alios comburẽdos vltrà pergeret, interſtitit, id eſt, ſe interpoſuit Aaron, veluti murum, & obſtitit, viamque igni clauſit.

Sapient. 18

2 *Sacerdotes ſunt murus populi, & protectio, orando ac ſacrificia offerendo.* — *D. Hieron.*

Docet hic locus ſacerdotes inſtar muri debere eſſe populo, cùm à Deo flagellatur. Murus fuit Aaron populi, vt ait D. Hieron. Ezech. 13. Murus ſit Pontifex ſui populi, murus ſit ſacerdos ſuarum ouium. D. Hieron. Legimus, inquit, Aaron aduersùs ignem deuorantem Iſraelis populum C occurriſſe, & ſtetiſſe medium, & oppoſuiſſe murum. Sicut enim murus hoſti opponitur, & aduerſario occurri ſolet ex aduerſo, cõtraque venienti: ita Dei ſententia ſanctorum precibus frangitur, &c. Conqueritur Deus de pſeudoprophetis, eodem capite, dicens: *Non aſcendiſtis ex aduerſo, neque oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael*, &c. & cap. 22. *Quæſiui de eis virum, qui interponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me pro terra, ne diſſiparem eam, & nõ inueni.* Vult Dominus, cùm flagellat populum, inuenire viros multos, qui ſepem & murum interponant, & ſtent ei oppoſiti, pro populo quem punit. Cùm ergo Deus de populo pœnas ſumit, id faciamus D quod fecit Aaron: *Properauit ille deprecari, proferens ſcutum orationẽ*: ita nos ne ſimus ſegnes, ſed properanter ſcutum arripiamus, & arma orationis, quibus ab ira Dei defendamur; feſtinemus ad proceſſiones faciendas, ad templa, ad altaria; domi, & in templis Deum deprecemur; præſertim id facere debent Pontifices, ac ſacerdotes. Illud Ezechiel. 22. *Et ſtaret oppoſitus cõtra me pro terra.* Hebraicè dicitur גמר בפרץ, *gamad ba peres*, id eſt, *ſtaret in ruptura*. Metaphora ducta à ducibus ſtrenuis, qui, cùm murus diſrumpitur, in ipſis rupturis ſeſe opponunt contra hoſtes, ne vrbem ingrediantur. Huiuſmodi duces E cupit Dominus inuenire, huiuſmodi Epiſcopos, ſacerdotes, qui, cùm vident diſrumpi murum, in ruptura forti animo ſe Deo ipſi orando opponunt. De Moſe legitur Pſal. 105. *Et dixit, vt diſperderet eos, ſi non Moyſes electus eius ſtetiſſet in confractione in conſpectu eius.* Diſrumpebatur murus, Moſes dux fortiſſimus ſtetit in confractione muri, id eſt, in ruptura muri. Hebraicè *confractio* dicitur *peres*,

Ibid. — *Sap. 22* — *Ezechiel. 22* — *Pſalm. 125.*

3 *Aaron veſtibus pontificijs indutus pro populo thymiama obtulit.*

Dubitatur, *an Aaron veſtibus pontificijs ſe induerit, vt offerret Deo thymiama?* Pars, quæ negat, probatur, quia cùm Moſes, & Aaron proſtrati eſſent in tabernaculo, Numer. 16. Moſes iuſſit Aaronem properare, & tollere thuribulum, nulla

nulla mentione facta veſtrum, quoniam ignis A iam populum vaſtabat. Videtur ergo Aaron abſque veſtibus ſacris properaſſe. Pars, quæ affirmat, ſequenda eſt. Ea enim probatur ex cap. 18 Sap. citato. Nam poſt prędicta additur: *In veſte enim poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum, & parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant ſculpta, & magnificentia tua in diademate capitis illius ſculpta erat. His autem ceſſit qui exterminabat, & hæc extimuit.* Veſtis poderis (ποδήρης, Græcè, id eſt, talaris) dicitur veſtis ſummi ſacerdotis hyacinthina, de qua egimus tom. 2. Concord. lib. 3 c. 43. In hac totus erat orbis terrarum, quia totum orbem terrarum repræſentabat: quã orbem Philo lib. 3. de vita Moſis, ait, Pontificem Hebræum fuiſſe totius mundi imaginem. Quomodo autem veſtis mundum repræſentaret, dictum eſt eodem 2. tomo, lib. 3. cap 50 Erant etiam in rationali quatuor ordines lapidum, in quibus nomina duodecim Patrum, ex quibus originem duxerunt duodecim tribus, inſculpta erant: quocirca dicuntur in illis ſculpta Patrum magnalia, (Græcè δόξαι, id eſt, *gloriæ*.) Magnificentia verò Dei (Græcè μεγαλοσύνη, id eſt, *magnitudo*) ſculpta erat in diademate capitis Aaron, quia nomen tetragrammaton in eo erat inſcriptum. Qui plura volet, legat lib. 3. citatum, in quo de omnibus veſtibus pontificiis actum eſt. Conſtat ex lib. Sapientiæ Aaronem properaſſe ad offerendũ incenſum: ſed veſtibus ſe priùs induiſſe pontificiis, diademaque impoſuiſſe capiti, in quo nomen Dei quadriliterum erat inciſum.

Sap. 18.

Ipſa autem Pontificis indumenta, ait ſacer author, extimuiſſe exterminatorem, illique ceſſiſſe. *Quis ſit hic exterminator*, ambigitur. Græcè dicitur ὁ ὀλοθρεύων, cum articulo, id eſt, *deuorans, vaſtans*. Nonnulli angelũ fuiſſe volunt. Veriſimile enim eſt ab angelo, ſiue bono, ſiue B malo, ignem eſſe excitatum iuſſu Dei. Lyranus vult, exterminatorem dici ignem ipſum, qui Hebræos exterminabat, & vaſtabat. Neque obſtat articulus Græcus maſculinus, tribuitur enim igni perſona maſculina, quę Pontificis ornatum, ipſumque Dei nomen extimuerit, eíq; ceſſerit. Paulus 1. Corinth. 10. ſignificare videtur, fuiſſe angelum: *Neque murmuraueritis*, (inquit) *ſicut quidam eorũ murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore*, &c. Nõ vocauit ignem, ſed exterminatorem. Collige hinc, ſacris veſtibus, quibus Pontifices, ac reliqui ſacerdotes induuntur, magnam adhibendam eſſe reuerentiam.

4 *Quiſnã dicatur exterminator. Sapient. 18.* — *1. Cor. 10.* — *Reuerentia ſacris veſtibus adhibenda.*

CAPVT VI.

De virga Aaronis, quæ fronduit.

NVMERI CAP. XVII.

1 Et locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens: Loquere ad filios Iſrael, & accipe ab eis virgas ſingulas per cognationes ſuas, à cunctis principibus tribuũ, virgas duodecim, & vniuſcuiuſque nomen ſuperſcribes virgæ ſuæ. nomen autem Aaron erit in tribu Leui, & vna virga cunctas ſeorſum familias continebit: ponéſque eas in tabernaculo fœderis coram teſtimonio, vbi loquar ad te. quem ex his elegero, germinabit virga eius: & cohibebo à me querimonias filiorum Iſrael quibus contra vos murmurant. Locutuſque eſt Moyſes ad filios Iſrael: & dederunt ei omnes principes virgas per ſingulas tribus: fueruntque virgæ duodecim abſque virga Aaron. Quas cùm poſuiſſet Moyſes coram Domino in tabernaculo teſtimonij: ſequenti die regreſſus inuenit germinaſſe virgam Aaron in domo Leui: & turgentibus gemmis eruperant flores qui, foliis dilatatis, in amygdalas deformati ſunt. Protulit ergo Moyſes omnes virgas de conſpectu Domini ad cunctos filios Iſrael: videruntque & receperunt ſinguli virgas ſuas. Dixitque Dominus ad Moyſen: Refer virgam Aaron in tabernaculũ teſtimonij, vt ſeruetur ibi in ſignum rebellium filiorum Iſrael, & quieſcant querelæ eorum à me, ne moriantur. Fecitque Moyſes ſicut præceperat Dominus. Dixerunt autem filij Iſrael ad Moyſen. Ecce conſumpti ſumus, omnes periuimus. Quicumque accedit ad tabernaculum Domini, moritur. num vſque ad internecionem cuncti delendi ſumus?

2 *Deus miraculo virgæ florentis ſacerdotiũ Aaroni confirmat.*

Compeſcuit Dominus ſuppliciis conſpirationem aduerſùs ſacerdotem ſummũ Aaronem excitatam: ſed non hoc ſatis; pontificatũ illi miraculo oſtenſo voluit cõfirmare. Iuſſit Moſem accipere à principibus tribuum duodecim virgas, inſcriptis nominibus. His duodecim virgis vnã iuſſit adiungi, inſcripto nomine Aaronis, collocarique omnes ſimul in tabernaculo. Sequenti die ingreſſus tabernaculũ Moſes reperit cæteras virgas, nihil mutatas: virgam verò Aaron frondibus, floribus, fructuque admirabiliter plenam. Hoc teſtimonio admirando confirmauit Dominus ſacerdotiũ Aaroni, & filiis eius. Vt autem teſtimoniũ non periret, præcepit virgam admirabilem in ipſo tabernaculo aſſeruari. Num. 17 *Refer* (inquit Dominus Moſi) C *virgam Aaron in tabernaculum teſtimonij, vt ſeruetur ibi in ſignum rebellium filiorum Iſrael, & quieſcant querelæ eorum à me, ne moriantur.*

Num. 17

Sebaſt. Barradas Itiner. Iſraelit.

Vniuſcuiuſque nomen ſuperſcribes virgæ ſuæ.

3 *An in virgis duodecim inſcripta fuerint nomina duodecim tribuum?*

Dubitatur, *an in virgis inſcripta fuerint nomina duodecim Principum, qui duodecim tribuum capita erant; an nomina ipſarum tribuum?* Lyranus vult, in prima virga inſcriptum fuiſſe nomen Rubẽ, ſicque in cęteris nomina reliquarum tribuum. Idem putat Caietanus. Abulenſis contra exiſtimat, non tribuũ, ſed principum nomina fuiſſe inſcripta, quæ eſt opinio Philonis in vita Moſis, & Nyſſeni. Hanc verò opinionem probabi-

liorem

liorem esse indicat scripturæ contextus: *Accipe* (ait Dominus) *à cunctis principibus tribuum virgas duodecim, & vniuscuiusque nomen superscribes virgæ suæ.* Hebraicè ad verbum sic: Viri nomen eius scribes super virgam eius, &c. Erant ergo nomina principum inscripta virgis, vel in cortice, vel in papyro. In virga autem tribus Leui inscriptum erat nomen Aaron. Sic enim Dominus iussit: *Nomen*, inquit, *Aaron erit in tribu Leui*, id est, erit inscriptum in virga tribus Leui. In reliquis virgis erant inscripta nomina principum aliarum tribuum; in virga tribus Leui scriptum est nomen Aaron. Quia volebat Deus miraculo demonstrare Aaronis, cuius nomen erat inscriptum, esse sacerdotium, & filiorum eius.

4 *Quot fuerint virgæ positæ in tabernaculo. Num. 17.*

Præterea quæritur, *quot fuerint virgæ positæ in tabernaculo?* Caietanus putat fuisse tantum duodecim. Idem opinatur Philo. Tredecim fuisse asserendum est. Nam Num. 17. sic legitur: *Fueruntque virgæ duodecim absque virga Aaron*, &c. Hebraicè legitur: *Et virga Aaron in medio virgarum eorum.* & LXX. interpretes: *Virga Aaron inter virgas ipsorum.* sic etiam vertit Chaldæus. Erat enim virga Aaron in medio duodecim virgarum virga decima tertia. Probatur. Tribus Israel erant duodecim præter tribum Leui: etenim duo filij Ioseph duas tribus constituerunt, quoniã à Iacob sunt adoptati, Gen. 48. *Ephraim, & Manasses, sicut Ruben, & Simeon, reputabantur mihi.* Ergo principes tribuum, duodecim virgas obtulerunt. Decima tertia virga pro Aarone ex tribu Leui oblata est, & in medio reliquarum collocata.

Geneſ. 48.

Inuenit germinasse virgam Aaron.

5 *Ex quanam arbore fuerint virgæ?*

Quæritur, *ex quanam arbore hæ virgæ fuerint?* Respondetur, fuisse decerptas ex vna, eademque arbore amygdalo. Oportuit enim illas esse æquales in contentione illa, & nihil habere discriminis. Quòd autem fuerint amygdalinæ, confirmatur, quia virga Aaron amygdala protulit, verisimileque est protulisse fructum sibi conuenientem, per miraculum subito. Si quis aliud senserit, non repugnabo. Potuerunt enim virgæ ex diuersis arboribus detrahi, potuitque virga Aaron fructum producere à sua natura alienum. D. Gregor. Nyss. illam appellat lignũ siccum, ac leuigatum: Stupentibus, inquit, infidelibus, quomodo siccũ, ac leuigatum lignũ tam paruo temporis spatio arboris naturam suscepit, atque perfecit. Nam pro vligine terræ, pro cortice, pro humore, pro radicibus, & ramis, diuina virtus ei suffecit, &c. Videntur tamen virgæ illæ non fuisse aridæ, sed virides, ex arboribus ea die decerptæ. Nisi quis velit, principes tribuum gestasse virgas in signum principatus, hasque Mosi obtulisse aridas. Reliquæ neque germinarunt, neque folia, vel flores protulerunt. Virga Aaron sola germinauit, frõdes, flores, amygdalasque produxit; tantóque miraculo confirmauit, synceram & incorruptam fuisse electionem Aaronis: neque à Mose ideo creatum pontificem, quòd illius frater esset, sed propterea, quòd Deus iussisset.

D. Gregor.

In amygdalas deformati sunt.

6 *Primà floret arbor amygdalus.*

Fertur, ait Philo, amygdalũ ex vernis arboribus primam florere: hoc verò Hebræum illius nomen indicat. Dicitur enim Hebraicè, שקד *saced*, à verbo, שקד, *sacad*, id est, *vigilare.* Vigilat enim, & festinat ad producendos flores. Quamobrem Ieremiæ cap. 1. appellatur *virga vigilans: virgam vigilantem ego video*, ait Propheta. LXX. vertunt: Baculum nuceum. Theodorio: Virgã amygdalinam ego video. indicabat autẽ virga amygdalina festinationem in sumendo supplicio. Quemadmodum amygdalus festinat, & vigilat ad germinandum; sic Deus festinaturum se dicit, & vigilaturum ad puniendũ Israelitas.

Ierem. 1. *Deus ad puniendum vigilat.*

7 *Boni pastoris effigies.*

Habemus hoc loco boni pastoris imaginem, in primis non à sua ambitione, sed à Deo eligitur, & à Deo accipit virgam, siue baculũ. Non est ille Phaethonti similis, qui Solis currũ regere concupiuit, sed orbem incẽdit. Malus pastor alter est Phaethon, Christi Solis magni currũ, id est, Ecclesiã, gubernare affectat. Si illi traditur, non regit currum, sed inflammat orbẽ. Virga autem pastoris boni, id est, baculus, virgæ Aaronis similis esse debet; nõ aridus, & siccus absque succo, sed germinans. Illius autem pastoris baculus aridus est, & succo carens, qui pauperibus eleemosynas non donat; qui opera misericordiæ diligenter non exercet. Huiusmodi virgæ, siue baculi erant eorum pastorum, de quibus Dominus conqueritur, Ezech. 34. *Quod infirmum* inquit, *fuit, non consolidastis, & quod ægrotum, non sanastis: quod confractum est, non alligastis, & quod abiectum est, non reduxistis, & quod perierat, non quæsistis*, &c. Arida virga infirmas oues non consolidat, ægrotas non sanat, confractas non alligat, abiectas non reducit, errantes non quærit. Similis est baculus mali pastoris baculo arundineo, cũ quo Rabsaces Ægyptum confert. Isa. 36. *Ecce*, inquit, *confidis super baculũ arundineum, confractum istum super Ægyptũ, cui si innixus fuerit homo, intrabit in manum eius, & perforabit eam. Sic Pharao Rex Ægypti omnibus, qui cõfidunt in eo*, &c. Virga arundinea nihil profert fructus; sic pastor, cui oues curæ non sunt, non profert eleemosynas, & misericordiæ opera. Non possunt oues huic baculo inniti: frãgitur enim facile, & oues non sustinet, sed exemplo malo, verbisque iracundis vulnerat. Dei locum pastores tenent; Dei ergo virgam imitentur. Qualis ea sit Psal. 22. docetur: *Dominus* (inquit Dauid) *regit me, & nihil mihi deerit; in loco pascua ibi me collocauit, super aquã refectionis educauit me, animã meã conuertit*, &c. Hebraicũ verbum significat: *Dominus pascit me, siue regit*, vt pastor. Ita autem pascit suas oues, vt nihil illis desit, neque vel pastus deest, vel potus. Etenim non in locis aridis pastu carentibus, sed in loco pascuæ, hoc est, in pascuis vberrimis, eas collocat iuxta aquas saluberrimas, quæ mentem reficiunt, ac recreant. De hac virga, & baculo addit Dauid: *Virga tua, & baculus tuus, ipsa me cõsolata sunt.* Virga namq; illa cõsolatur oues, quæ optima, atq; vberrima illis pascua tribuit, ita vt nihil desit. Erat virga Aaron ex amygdalo arbore, quæ ad flores producendos festinat, & veluti vigilat. Sit virga Pontificis festinans ad bona opera hilariter facienda, siquidem hilarem datorem diligit Deus; floreat exemplo, quod instar florum, suauem odorem exhalet, iuxta illud D. Bernard. serm. 76 in Cant. Boni, inquit, pastores non cessant impinguare pecus bonis exemplis, & suis magis, quàm alienis, &c. Proponunt pastores ouibus sanctorũ exẽpla, quibus eas ad virtutem cõcitent. Rectè faciũt, sed alienis exemplis pastoris exemplum addendũ est. Nam, vt idẽ sanctissimus pastor ait, si solùm alienis,

Virga boni pastoris florida, ac fructifera. *Ezech. 34.* *Isaia 36.* *Psal. 22.* *Ibid.* *D. Bernar.*

alienis, & nõ suis exemplis pastor vtatur, ignominia est illi, & pecus ita non proficit, &c.

8 *Virga pastoris sit vigilans. Ierem. 1.*

Sit virga pastoris, virga florens exemplo, & fructu sanctorum operum decorata: sit etiam virga vigilans, ita vt qui eum viderit, illud Ieremiæ 1. dicere verè possit: *Virgam vigilantem ego video.* Equidem magnopere proborum virorũ animum recreat, vigilantes in Ecclesia virgas videre, nõ dormitantes, hoc est, pastores custodientes vigilias noctis super gregem suum. Cãtic. 3. *Inuenerunt me vigiles, qui custodiunt ciuitatem*, &c. Hos vigiles, qui Ecclesiam ciuitatem Dei custodiunt, ait D. Bernardus, loco indicato, esse Ecclesiæ pastores, quos maximè vigiles esse oportet, quia ciuitas noctu, diuq; ab hostibus obsidetur. Quàm boni vigiles, (ait D. Bernardus) qui nobis dormientibus ipsi peruigilant, quasi rationem reddituri pro animabus nostris! quàm boni custodes qui vigilantes animo, atque in orationibus pernoctantes, hostium insidias explorant, machinamenta frustrantur, &c. Ex pastorum vigilia, Ecclesiæ bonum oritur, ex somno malum. Mat. 13. *Cũ dormirent homines, venit inimicus homo, & superseminauit zizania in medio tritici.* Sementem suam in Ecclesia, tam hæreseon, quàm malorum morum, diabolus facit, cùm dormiunt homines, hoc est, pastores. Sic enim interpretantur D. Hieron. & alij. Non dormiat, qui Ecclesiæ præpositus est, (ait Hieron.) ne per illius negligentiã inimicus homo superseminet zizania, &c. Inuigilet ergo pastor, non pecuniæ, sed ouium saluti. Conqueritur de tempore suo D. Bernard serm. 77. in Cantic. Quem dabis (inquit) mihi de numero præpositorum, qui non plus inuigilet subditorum euacuandis marsupiis, quàm vitiis extirpandis, &c.

Cant. 3. *D. Bernard.* *Matth. 13.* *D. Hieron.* *D. Bernard.*

9 *Lyranus.*

Addo & illud Lyrani, Numer. 17. Virga (inquit) quæ est signum dominij, & correctionis, significat bonum prælatum, in quo est potestas regendi, & corrigendi. Hæc virga germinat bonitate conscientiæ, frondet veritate doctrinæ, floret celebritate famæ, & fructificat sanctitate vitæ, &c. D. Gregor. Nyssen. in vita Mosis, fructu ipso virgæ adumbratam esse ait sacerdotis vitam. Est enim nux extrinsecus dura, atq; aspera; intrinsecus nucleum suauem habet: sic probus sacerdos extrinsecus vitam asperã ducit, & duro labore exercitam, intrinsecus verò nucleum habet suauem, & blandum, & charitate plenum cor. Verba Nysseni hæc sunt: Fructu virgæ, qualis debeat esse vita sacerdotis, monemur; aspera enim & continens, duraque debet exteriùs esse, intus autẽ, & in occulto suaue quoddam edulium continere, &c. De hac duritie amygdali aliter philosophatur D. Hieron. Ieremiæ cap. 1. Virgam enim Dei, & asperam esse ait, & dulcem; quoniam Dei castigatio fructus parit dulces iis, quos à peccatis reuocat. D. Hieronymus: Vigilat, inquit, virga Dei, cuncta populi peccata considerans, vt percutiat, & corripiat delinquentes. Ista est virga, vel baculus, de qua Dauid loquitur, Psal. 22. *Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Pulchreque posuit, *consolata sunt*; ad hoc enim Dominus corripit vt emendet. Et quomodo nux, siue amygdalus amarissimum habet corticem, & testa durissima cingitur, vt detractis austerioribus, & duris, fructus dulcissimus reperiatur: sic omnis correptio, & labor continentiæ amara quidem videtur ad præsens, sed fructus parit dulcissimos. Vnde & vetus illa sententia: *Literarum radices amaræ: fructus dulces.* Hæc ille.

Sacerdotis vita. *D. Gregor. Nyssenus.* *D. Hieron.* *Psal. 22.* *Corripit Dominus, vt emendet.*

Sebast. Barradas Itiner. Israelit.

10 *Virga Aaron Christũ adumbrat. Psal. 27. D. Cyrillus.*

Eodem loco docet, nonnullos dixisse, virgam vigilantem, ac nuceam Christum adumbrasse. Quemadmodũ enim virga Aaron emortua floruit; sic Christus mortuus refloruit, in resurrectione, iuxta illud Psalm. 27. *Et refloruit caro mea*, &c. D. Cyrillus lib. 10. de adorat. Crucifixerunt, inquit, Iudæi Christum, sed refloruit virga de radice Iesse: resurrexit Christus, &c. D. etiam Gregorius lib. 14. moral. cap. 29. Virga Aaronis Christum resurgentem putat adumbrari, reliquis virgis non florentibus reliquos homines indicari. Iam inquit, virga Aaron (id est, Christus) post ariditatem floret, sed virgæ duodecim tribuum in ariditate manent. Quia iam quidem corpus Domini post mortẽ viuit, sed nostra adhuc corpora vsque ad finem mundi à resurrectionis gloria differuntur, &c. D. Bernardus homil. 2. super *Missus est angelus.* Christum eadem virga arbitratur demonstrari: In virga (ait) figuratur Christi potentia; in flore, fragrantia; in fructu, saporis dulcedo; in frõdibus sedula intelligitur protectio, quia videlicet paruulos ad se confugientes sub vmbra alarum suarum protegere non desinit. Bona est, & desiderabilis vmbra sub alis Iesu, &c. Denique eodem loco D. Bernardus, virgam Aaronis, Deiparæ Virginis vmbram quandam esse ait his verbis: Quid virga Aaron florida, neque humectata, nisi Virginem Deiparam concipientem significat, quamuis virum non cognoscentem? Isaias cap. 11. *Egredietur*, inquit, *virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet:* florem Filium, virgam intellige Matrem. Quoniam, & virga floruit absque germine, & Virgo concepit non ex homine. Nec virgæ virorem floris læsit emissio, nec Virginis pudorem, sacri partus editio. Sic D. Bernardus. Adde, in Virgine verum esse id, quod de Christo dixit idem sanctissimus Pater. Significat enim in Virgine virga potentiam ad succurrendum hominibus, quia Regina cæli est: flos, fragrantiam virtutum: fructus, dulcedinem, & benignitatem erga nos: rami, frondesque amplissimæ, protectionem, & vmbram, qua nos protegit. Rupertus: Quid, inquit, virga illa est, quæ neque rigata, neque plantata germinat, floretque, & fructum facit, & in Isaia de radice Iesse egreditur, florem que producit, nisi Virgo Regia, quæ sine virili semine Christum protulit verum florem? &c.

D. Gregor. *Bernard.* *Virga Aaron adumbrat Deiparam Virgin. Isaia 11.* *Rupertus.*

11 *Virtus similis est amygdalo.*

Denique virtus similis est amygdalo, fructui virgæ Aaronis. Quemadmodũ nucleus amygdali tectus est duro, & amaro cortice: sic virtutis nucleus tectus est duro, & amaro labore, sed quod est in prouerbio: *Qui nucleum edere vult, nucem frangat*; qui virtutis vult esse particeps, labores frangat, & vincat, neque frangatur ab eis. Philo in vita Mosis: Nucis, inquit, extremum putamen est amarum; ligneus cortex interior est austerus & solidus, quò fit, vt fructus non sit in promptu, clausus vtroque munimine. Hac figura docetur anima exercens se in virtutis stadio, opus esse laboribus: labor autem durus, & difficilis, vnde felicitas prouenit; quapropter perdurandum est. Nam qui fugit laborem, fugit felicitatem, qui verò fortiter, patienterque difficultates tolerat, ad beatitudinem properat. Nam fieri non potest, vt homo delicatus, & effæminatus, animo, corpore quoque labefactato quotidianis voluptatibus, virtuti domicilium præbeat. Sic Philo.

Philo. *Qui fugit laborem, fugit felicitatẽ.*

CAPVT VII.

De mansione trigesima tertia, quæ dicitur Cades, in qua aquam ex rupe eduxit Moses.

NVMERI CAP. XX.

1 VEneruntque filii Israel, & omnis multitudo in desertum Sin mense primo: & mansit populus in Cades. Mortuaque est ibi Maria, & sepulta in eodem loco. Cúmque indigeret aqua populus, conuenerunt aduersum Moysen & Aaron: & versi in seditionẽ, dixerunt: Vtinã periissemus inter fratres nostros coram Domino. Cur eduxisti Ecclesiam Domini in solitudinem, vt & nos, & nostra iumenta moriamur? Quare nos fecistis ascendere de Ægypto, & adduxistis in locum istũ pessimum, qui seri non potest, qui nec ficum gignit, nec vineas, nec malogranata, insuper & aquam non habet ad bibendum? Ingressusque Moyses & Aaron, dimissa multitudine, tabernaculum fœderis, corruerunt proni in terram, clamauerúntque ad Dominũ, atque dixerunt: Domine Deus, audi clamorem huius populi, aperi eis thesaurum tuum fontem aquæ viuæ, vt satiati, cesset murmuratio eorum. Et apparuit gloria Domini super eos. Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Tolle virgam, & congrega populum, tu & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas. Cumque eduxeris aquam de petra, bibet omnis multitudo & iumenta eius. Tulit igitur Moyses virgam, quæ erat in conspectu Domini, sicut præceperat ei, congregata multitudine ante petram, dixítque eis: Audite rebelles & increduli: Num de petra hac vobis aquam poterimus elicere? Cumque eleuasset Moyses manum, percutiens virga bis silicem egressæ sunt aquæ largissimæ, ita vt populus biberet & iumenta. Dixítq; Dominus ad Moysen & Aaron: Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in Terram, quam dabo eis. Hæc est aqua contradictionis, vbi iurgati sunt filii Israel contra Dominum, & sanctificatus est in eis.

2 IVssi sunt Israelitæ, Numer. 15. retrogredi, ac reuerti in solitudinem, per viam, quæ ducebat ad mare rubrum Profecti ergo sunt, longóque annorum spatio per multas mansiones in deserto vagati, quoúsq, anno quadragesimo ab exitu ex Ægypto, peruenerunt in mansionẽ trigesimã tertiam, quę appellatur *Cades*. In aliis mansionibus, quas supra indicauimus, ex lib. Numer. c. 33. nihil gestũ narratur, nomina solũ mansionum recensentur. Quid acciderit in mansione Cades nunc est dicendũ. Cades mansio est prope Idumęam regionem, quam Deus dedit Esau, fratri Iacob. In hanc venerunt Israelitæ circiter annũ quadragesimum post egressum ex Ægypto. Nam post Cades castrametati sunt in monte Hor, Numer. 33. in quo Aaron ex vita discessit anno quadragesimo ab exitu ex captiuitate AEgyptiaca. In monte Hor obiit Aaron: in hac verò mansione Cades obiit Maria, Aaronis, & Mosis soror, vt legitur Numer. 20.

Anno quadragesimo peruenerunt Israelitæ in Cades.

Cúmque indigeret aqua populus.

3 In mansione Cades penuria aquæ laborauit populus. Aiunt Hebræi, vt refert Abulẽsis, causam penuriæ fuisse mortem Mariæ. Tria enim dona dicunt data populo propter meritа Mosis Aaronis, & Mariæ. Propter Mosem datũ putant manna, ideoque eo mortuo amplius è cælo nõ fluxisse. Propter Aaronẽ nubem concessam volunt præcedentẽ castra, post mortem autẽ eius disparuisse. Propter Mariam cõcessum inquiunt aquæ puteum, qui castra præcederet, mortua verò Maria euanuisse. Nihil habent fundamẽti, & probationis hæc dicta, faciléq; refutari possunt, semper enim manna è cælo decidit vsq; ad terrã promissionis, semper nubes dux fuit itineris: puteus verò nullus fuit, qui castra præcederet.

Dictum Hebraorum.

Versi in seditionem dixerunt.

4 Nondum malo suo didicerunt seditiones nõ excitare. Deficiente aqua, in seditionem versi sunt, & murmurationem. Deest aqua, ô Israelitæ, accedite humiliter ad Mosem, petite, vt aquã à Deo postulet, ille penuriæ vestræ faciet satis. Non curant humilitatem, ac modestiam, & reuerentiam pastoribus debitam; clamant, & vociferantur: vtinam mortui essemus coram Domino, quemadmodum mortui sunt fratres nostri: cur ex Ægypto Dei Ecclesiam, id est, congregationem, & populum eduxistis in desertum, vbi neque aquæ sunt, neque ficus, neq; mala punica, neque vineæ; vbi neque frumentum seri, neque meti potest? Moses, & Aaron his auditis, ad solitum asylum confugerunt, id est, ad tabernaculum, à Dominoque postularunt, vt thesaurum suum eis aperiret aquæ viuæ. Apparuit gloria Domini, præcepitq; Mosi, vt congregaret populũ ipse & Aaron: *Et loquimini*, inquit, *ad petram, & ipsa dabit aquas.*

Seditio propter aquam.

5 Oleaster putat, hos seditiosos ex iis fuisse, qui ex Ægypto erant egressi. Dicunt enim Num. 20. *Quare nos fecistis ascendere de Ægypto?* Vnde infert, hoc loco agi de miraculo illo, quod Deus fecit, Exod. 17. in mansione quæ dicitur Raphidim, paulò post egressum de AEgypto. Tunc enim viuebant ij, qui egressi erant ex Ægypto. Nunc autem illi omnes iam obierãt, erat enim hic annus quadragesimus ab egressu. Ait ergo semel

Num. 20.

Bis aqua ex petra fluxit.

semel tantùm in Raphidim ex rupe fluxisse aquam. Dicendum est potiùs, bis aquam ex rupe fluxisse, semel in Raphidim, antequam populus peruenirет in montem Sinai, anno primo ab egressu ex Ægypto: iterum in Cades anno quadragesimo, vt indicat ipsa scripturæ narratio. Argumento autem respondemus, adhuc anno quadragesimo multos ex iis vixisse, qui ex Ægypto exierant. Secundò respondemus, illa verba: *Quare nos fecistis ascendere de Ægypto?* non probare illos hominesascẽdisse ex Ægypto. Loquũtur enim generaliter de toto populo, tã de viuis, quã de mortuis, vt ostẽdunt illa verba: *Cur eduxistis Ecclesiam Domini in solitudine?*

Tulit Moyses virgam, quæ erat in conspectu Domini.

6 Virgam tulit Moses. Lyranus putat, tulisse virgam Aaronis, quæ frõduerat, sed probabilius existimat Abulensis, tulisse virgam illam, qua in Ægypto tot mirabilia est operatus, vt nunc hoc miraculũ faceret. Accedit, quòd hac virga, Exod. 17 iam percusserat aliam rupem, ex qua, veluti fonte, aqua effluxit abundantissimè. Ea verò erat in conspectu Domini, in tabernaculo fœderis collocata. Vnde colligimus, in tabernaculo duas fuisse virgas, videlicet virgam Aaron, quæ fronduerat, & virgã Mosis, per quam miracula fecerat. Sublata virga populum congregauit ante rupẽ, quę aquaserat productura: Israelitas verò sic allocutus est: *Audite rebelles, & increduli: Num de petra hac vobis aquam poterimus elicere?* Deinde rupẽ bis virga percussit; magna verò aquarum copia fluxit admirabiliter, quæ totius populi, & iumentorum sitim expleuit. Oleaster Num. 21. ait, fortitan Mosem attulisse suam virgam, Aaronem verò suam, vtrumque verò percussisse rupem, ideoque dici, bis percussam. Sed caret coniectura probabilitate.

Mirabiliter aqua ex petra educitur.

Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filijs Israel.

7 Hoc in loco sententiam fert Dominus in Mosem, & Aaronem, pœnamque irrogat priuationis ab ingressu terræ promissæ. Dubium est, *quodnam illi peccatum commiserint propter quod hac pœna sint affecti.* Nonnulli Hebræi peccatum fuisse aiunt, quòd Israelitas incredulos, & rebelles vocarunt, populumque contumelia affecerunt. Alij putant, Deum iussisse percuti semel rupem, esse autem percussam bis, ideoque peccatum commissum. Alij volunt, Deum præcepisse, aquam educi ex certa quadam rupe; populum verò postulasse, vt ex alia educeretur: quod cùm fecisset Moses, peccauit. Hæ opiniones probabilitate carent, facileque refelli possunt. Lyranus cum aliis arbitratur, Mosem, & Aaronem dubitasse, non quidem de potẽtia Dei, quam satis superque erant multis miraculis experti, sed de effectu. Dubitabãt enim propter populi iniquitatem, an rupes percussa esset aquas datura; ideoque dixerunt: *Num de petra hac vobis aquam poterimus elicere?* Hęc autem dubitatio peccatum fuit, siquidem Deus dixerat: *Loquimini ad petrã, & ipsa dabit aquas.* Abulensis opinatur, peccasse Mosem, & Aaronem, eo quòd verba Dei nõ seruauerunt, dixit enim Dominus: *Loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas.* Debuerant ergo coram populo loqui ad rupem, Dei potentiam, & benignitatem extollendo, qui & posset, & vellet ex rupe fontem facere, vt populi sitim extingueret. Debuerant Israelitas congregatos ad Dei laudem excitare, vt miraculo conspecto Dei potentiam laudibus celebrarent: at versi sunt ad increpationem, incredulos appellauerunt, & rebelles, neque ad petram quidquam locuti sunt.

Fert Dominus sententiam in Mosẽ, & Aaron. Cur Moses & Aaron in terrã repromissionis non intrauerint.

8 D. Chrysostomus Mosem, & Aaronem dubitasse sentit, Psal. 105. Cùm Moses, inquit, sororis Mariæ mortuæ causa in luctu versaretur; Israelitæ magna cum temeritate ad eum accedentes, aquam postularunt. ipse autem luctu ac mœrore afflictus, & eorum petulantiam aspiciens, iracundia simul, ac mœstitia correptus, non cum ea concinnitate, quam adhibere solebat, diuino imperio ministrauit; verùm dubitatione quadam sermonibus suis admixta, percussit rupem. Hæc Chrysost. verba autem illa Psalmi: *Et distinxit in labiis suis*, sic exponit: Non citra omnem dubitationem locutus est. Et Theodoretus: *Distinxit in labiis suis*, scilicet dubiis verbis vsus est, &c. D. Augustin. Dubitanter, inquit, petram virga percussit, perturbatus populi murmure; non tenuit fiduciam, qualem debuit, &c. Idem Augustinus in Numeros, quæst. 19. ait. Mosis peccatum fuisse dubitationem de potentia Dei, & diffidentiam: Moses, inquit, ad petram vnde aqua profluxit, videtur de potestate Domini dubitasse. Item: Poterant, inquit, excusari verba Mosis, nisi in eum clara esset diuina sententia, quòd diffidẽdo talia dixerit, &c. Item existimat verba illa: *Num de petra hac vobis aquam poterimus elicere?* dubitanter à Mose esse dicta: Intelligitur, (ait) illa verba ita dixisse Moysen, tanquam petram percusserit ad incertum, vt si non sequeretur effectus, hoc prædixisse putaretur, &c. D. Isidorus in Numer. cap. 16. Moses, inquit, turbatus murmure populi, dubitanter petram virga percussit, quasi illud nõ posset Deus facere, vt aqua de petra fluerет, quod ante iam fecerat. &c. Caiet. incredulitatem Mosi tribuit, Psal. 105. Deus (inquit) manifestauit illius incredulitatẽ, tum facto, quia in prima percussione virgæ non exiuit aqua, tum iudicio, dicendo: *Quia non credidistis verbis meis*, &c. Et Vatablus: Moses (ait) frustratus est ingressu terræ repromissionis propter infidelitatem, quãdo dixit dubitãdo: *Num de petra hac vobis aquã poterimus elicere?* Rupertus in Numer. lib. 2. c. 7. Hic, inquit, exacerbatus spiritus Mosis penè fidem perdidit, &c. Addit: Moses, & Aaron hoc loco increduli in figura Scribæ fuerunt, & Pharisæi, &c. D. Hieron. illud Zachariæ 11. *Anima eorum variauit in me:* de Mose & Aarone, & Maria exponit. Probatur hæc sententia ex verbis Domini: *Quia* (inquit) *non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filijs Israel, non introducetis hos populos in terram quam dabo eis*, &c. Num. 20. *Non intrabit Aaron terram quam dedi filijs Israel; eo quòd incredulus fuerit ori meo, ad aquas contradictionis*, &c. Dominus ait, Mosem, & Aaronem non credidisse, vt illum glorificarent corã populo; ergo non crediderunt Domino.

D. Chrysost. *Theodor.* *D. August.* *D. Isidorus.* *Caietan.* *Vatablus.* *Rupertus.* *Zachar. 11.* *Num. 20.*

Alia verò ex parte difficile est creditu, Mosem, qui tot fecerat in Ægypto miracula, quique in Raphidim ex rupe iam eduxerat aquã, qui Deo adeò erat familiaris, nunc de potentia Dei dubitasse. Existimarim, illum dubitasse quidem non de potentia Dei, sed de voluntate, videli-

videlicet, an vellet dare aquam populo incredulo, & toties rebelli, qui à tumultu cessare nolebat. Obiiciet aliquis; nónne Deus dixerat Mosi, & Aaroni: *Loquimini ad petram, & illa dabit aquas*: cur ergo de voluntate dubitarunt, quam Deus verbis perspicuis expressit? Respōdetur, populi murmuratione, & iniquitate exacerbatos, obscurato intellectu in eā dubitationē incidisse, atq; ideo dixisse: *Num de petra hac vobis aquam poterimus elicere?* Hoc significat Psalmus 105. *Et vexatus est Moyses propter eos, quia exacerbauerunt spiritum eius, & distinxit in labiis suis.* Adde, etiam iussos esse loqui ad petrā, vt aquas funderet in nomine Dei, illos verò non esse locutos ad petram, sed populum increpasse, Israelitasq; incredulos, ac rebelles appellasse. Videbant enim incredulitatem, & rebellionem, propter quam magno zelo concitabantur. His adiunge, nullam Dei fecisse mentionē, sed dixisse: *Num de petra hac vobis aquā poterimus elicere?* Debuerant Dei meminisse, illique miraculum tribuere, sed id facere noluerunt, quia dubitabant. Verba Domini iuxta hanc sententiam sic sunt explananda: *Quia non credidistis mihi, vt sanctificaretis me coram filijs Israel.* Hoc est, ego perspicuis verbis dixi vobis, vt loqueremini ad petram, daturamque aquas affirmaui; vos non credidistis meis verbis, non credidistis constanter, petram daturam aquas, sed de mea voluntate dubitastis, propter populi murmurationem. Neque verò sanctificastis, & glorificastis me coram populo, quia de me non estis locuti, sed dubitando dixistis: *Num de petra hac vobis aquā poterimus elicere?* Neq; meam potentiam, & benignitatem in populum laudibus extulistis: hanc ob causam non introduceris populum in terram promissam. Numer. 27. sic Deus Mosem alloquitur: *Offendistis me in deserto Sin, in contradictione multitudinis, nec sanctificare me voluistis coram ea super aquis.* & Deuter. 32. *Prævaricati estis contra me in medio filiorum Israel ad aquas contradictionis, & non sanctificastis me inter filios Israel.* Quòd si quæras, *fuerine peccatum mortale?* Abulensis veniale fuisse respōdet probabiliter.

Psal. 105. Moyses dubitauit de voluntate Dei.

Num. 27.

Deut. 32.

A priuauit. Dici etiam potest sanctificatus, quia non sumpsit pœnas de populi murmuratione, & contradictione; sed per summam misericordiam, aquam miraculosè ex petra præbuit. Apud Genebrardum Psalm. 94. suspicatur Aben Ezra, populum fuisse scissum in duas factiones, quarum vna rixari vellet cum Mose, altera tentare, & explorare Deum, id est Dei potentiam, præsentiam, & voluntatem. Sed tenuis suspicio est.

12 An aquæ penuriam habuerint Israelitæ?

Addit Genebrardus, aquam ab Israelitis, non ob penuriam, & necessitatem postulatam, siquidem aquam habebant in manna. Nam, vt Hebræi dicunt apud authorem fasciculi myrrhæ, in manna erat panis & aqua, ac erat humidum B per se se, & quando descendebat manna, rorem habebat subter, & rorem supra. Præterea iuxta traditiones patrū ex Rabbi Salomone, manna fundebat riuos aquarū idoneos ad adaquanda populi pecora, dū incalescēte sole liquesceret, duabus horis ante meridiem. Quamobrem, ait Genebrardus, aquas vocari contradictionis, quia duntaxat, videbantur petitę ad contradictionē. Ob penuriam potiùs petitā arbitror: non enim manna solùm satis erat ad extinguendā sitim. Caietanus existimat, aquas has dici, aquas litis ab effectu, quia effectum litis habuerunt. Quēadmodum enim litis effectus est sententia, quæ vel liberat, vel condemnat, ita effectus harum aquarum fuit Dei sententia, quæ Mosem, & Aaron ingressu terræ promissionis priuauit. Non est admodum solida hæc ratio.

C

CAPVT VIII.

MORALE.

De aqua cōtradictionis, quæ ex rupe profluxit.

APud aquas vitam inuenit Moses, apud aquas inuenit mortem. Apud aquas Nili fluminis inuentus est infans à filia Pharaonis, & vita donatus: apud aquas, & propter aquas contradictionis mortis sententiam accepit. Etenim eodem illo anno è vita discessit. Etiam D amicos suos punit Deus, si peccatum, velveniale committant. Amicus Dei erat Moses, amicus Aaron, attamen pœnas peccati commissi dederunt; quod non videtur fuisse mortale. Ostēdit Deus iustitiam suam in impios murmuratores: ostendit etiam in suos amicos Mosem, & Aaronem. In Mariam, eorum sororem, suprà ostendit, cùm ob murmurationem lepra est infecta. Iustitia enim Dei nullum peccatum impunitum abire patitur. Quicunque igitur peccauerunt, peccata sua puniant, ne puniantur à Deo. Psal. 40. sic egregiè ait Augustinus: Iustum inuocas Deum: odit peccata; si iustus est, vindicat peccata. Non poteris auferre à Deo E iustitiam eius. Implora misericordiam, sed attende iustitiam. Misericordia est, vt ignoscat peccanti: iustitia est, vt puniat peccatum. Quid ergo? Quæris misericordiam, peccatum impunitum remanebit? Respondeat lapsus: Non Domine, non erit impunitum peccatum meū, sed ideo nolo, vt tu me punias; quia ego peccatum meum punio. Ideo peto, vt tu ignoscas, quia ego peccatum meum agnosco, &c.

Moses apud aquas inuenit vitam, & mortem.

Etiam amicos punit Deus.

Puniamus peccata nostra. D. August.

Punit Deus hominem virga sua, vt aquam eliciat lacrymarum, & contritionis: sicut percussit Moses bis duram rupem. Percussa rupes virgæ

Conuertatur peccator ad Deū puniens eum.

virgæ paruit Mosis, emisitque aquas. Pareamus virgæ Dei, si nos percutit, fluant aquæ, si non ex oculis, saltem ex corde: Fluat contritio, fluat peccatorum confessio, fluat satisfactio. Puniamus nos peccata nostra, ne Deus illa puniat. 1. Cor. 11. 1. Corinth. 11. *Si nos ipsos iudicaremus, non vtiq; iudicaremur*, &c. Vide rupem, siue potiùs turrim Magdalenam, turrim enim sonat nomen. Vide rupem illam, & turrim, virga Dei, virga inquam timoris, & amoris percussam, aquas ex oculis emittentem, peccatorúmque sordes abluentem. Vide rupem aliam celsissimam Dauidem Regem, virga timoris Dei tactam, aquisque manantem, Psalm. 6. *Laborani* (inquit) *in gemitu meo, lauabo per singulas noctes lectum meū, lacrymis meis stratum meum rigabo.* Emittamus lacrymarum aquam, vt conscientiam abluamus; quæ lectus noster est, & requiescere in ea possimus. Nam si immūnda est, neque abluta, non lectus est, sed tormentum; si peccatis caret, lectus est, & gloria nostra, iuxta illud Apostoli 2. Corinth. 1. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*, &c. D. Gregor. Psal. 6. Sicut in laboribus pressi in lecto quiescentes reficimur: ita dum mundi huius aduersitatibus premimur, in bona conscientia interius delectamur, &c. Item: Lectum, ait, lauat, qui conscientiam lacrymis emundat, &c. Mollescat rupes cordis nostri, percussa virga Dei aquam præbeat, non resistat virgæ, sicut illi de quibus Dominus c. 2. Ieremiæ ait: *Frustra percussi filios vestros, disciplinam non receperunt*, &c. & cap. 5. ait Ieremias; *Percussisti eos, & non doluerunt; attritisti eos, & renuerunt accipere disciplinā: induraueruntfacies suas supra petram, & noluerunt reuerti.* Duræ erant rupes, virgæ Dei resistebant, ideo vates Psal. 64. monet: *Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, sicut in exacerbatione secundum diem tentationis in deserto.*

Psalm. 6

2. Corinth. 1. Conscientia bona lectus est quietis. D. Gregor.

Ieremiæ 2.

Ieremiæ 5.

Psalm. 64.

Egressæ sunt aquæ largissimæ.

3 1. Cor. 10

1. Corinth. 10. scribit Apostolus: *Bibebant de consequente eos petra; petra autem erat Christus.* Vnde constat, petram siue rupem illam, Christum adumbrasse, ex quo egressæ sunt aquæ largissimæ. Ita verò fuere largæ, ac copiosæ, vt ad initium vsque orbis permanarint, & ad finem vsque sint permanaturę. Biberūt enim ex hac petra, id est, Christo, antiqui Patres, qui ab Adamo vsque ad Christum extitere; bibunt etiam ij, qui nunc in vita manent: bibent cæteri quoque, qui vsque ad extremum orbis diem viuent. Emisit petra aquam virga percussa: sic Christus gratiam emisit, crucis virga percussus, & mortem passus. D. August. in Numer. quæst. 35. Significata (inquit) est de Christo profluens gratia spiritalis, qua interior sitis irrigaretur. Quòd petra percutitur virga, crux Christi figuratur, &c. Publicè coram populo Israelitico percussa est petra: sic publicè coram eodem populo percussus est Christus, in monte Caluariæ, virga crucis. Concurrit populus ad aquas petræ hauriendas; nos concurra-

Petra Christum adumbrat.

D. August.

A mus ad hauriendas aquas Christi. De iis vaticinatur Zachar. 13. *In illa*, inquit, *die erit fons patens domui Dauid.* Omnibus patet fons ex petra; ideo clamat Isaias 55. *Omnes sitientes venite ad aquas.* D. Gregor. in Psal. sextum pœnit. Quis, inquit, est iste fons, nisi Dei filius? Lauemus in eo maculas criminum; & qui fontem misericordiæ, si clausus esset, quærere debuimus; saltem apertum, & patentem non negligamus. Ad hoc fons patet, vt lauet; ad hoc fluit, vt lætificet: ad hoc redundat, vt purget, &c.

Zachar. 13. Christus fons est gratiæ. Isaiæ 55.

Hæc est aqua contradictionis.

4

Erat aqua ex petra, id est, Christo profluens B aqua suauissima, & saluberrima, digna ad quā omnes homines concurrerent, vt sitim æternam extinguerent, animique turpissimas maculas abluerent. Quid ex petra Christo fluit? nónne gratia? Quid autem gratia suauius? quid dulcius? quid expetibilius in hac vita reperiri potest? At verò hæc dulcissima aqua, & summopere expetibilis facta olim est Iudæis, & gentibus, aqua contradictionis. Iudæi enim & gentes illi contradixerunt; quamobrem Act. 28. aiunt Iudæi cum D. Paulo de Christi fide loquentes; *Notum est nobis, quia vbique ei contradicitur*, &c. Lucæ 2. ait Simeon de Christo: *Ecce positus est hic in signum, cui contradicetur*, &c. & Paulus 1. Corinth. 1. *Prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* Admirabilis fuit contradictio mundi aduersùs aquam cælestem, quæ ex petra Christo effluxit, vt totum irrigaret orbem. Contradixerunt in primis Iudæi, contradixerunt postea Romani Imperatores, adeò vehementer, vt orbem Christianorum sanguine cruentarint. Sed vicit omnes petra contradictionis, totumque terrarum orbem salutari repleuit aqua, iuxta illud Psalm. 17. *Eripies me de contradictionibus populi, constitues me in caput gentium.* Eripuit Deus Christum de contradictionibus Iudæorum, & gentium, & constituit eum caput, id est, Regem, & dominum totius orbis. Intuere mundi caput Romam, ibi petram videbis, huius petræ vicariam: ibi Petrum cernes, cui dictum est: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ibi cernes petræ huius successorem, id est, summum Pontificem, aquas doctrinæ purissimæ in orbem totum emittentem. Fuit Christus petra contradictionis: Petrus etiam petra est contradictionis, eiusque successor. Hæretici enim maximè illi contradicunt. Quęres, *cur ita vehementer petræ*, id est, Pontifici Romano, *hæretici, & schismatici contradicunt?* Ratio est, quia hæretici, & schismatici esse volunt. Nemo autem hæreticus esse potest, aut schismaticus, si successori Petri paruerit. Igitur parere Pontifici nolunt, quia hæretici esse volunt, ex fœtidissimis hęreseos paludibus aquas venenatas potare malunt, quàm ex petra saluberrimas, ex cælo promanantes.

Aqua Christi suauissima, Iudæis facta est aqua contradictionis & gentibus.

Actor 28

Lucæ 2.

1. Corinth. 1

Psal. 17

Petrus est petra contradictionis hæreticis.

CAPVT IX.

Rex Idumææ prohibet Hebræos iter facere per Idumæam.

NVMERI CAP. XX.

MIsit interea nuncios Moyses de Cades, ad Regem Edom qui dicerent: Hæc mãdat frater tuus Israel: Nosti omnem laborem, qui apprehendit nos, quomodo descenderint patres nostri in Ægyptum, & habitauerimus ibi multo tempore. Affixerintque nos Ægyptij, & patres nostros, & quomodo clamauerimus ad Dominum, & exaudierit nos, miseritque Angelum, qui eduxerit nos de Ægypto. Ecce in vrbe Cades, quæ est in extremis finibus tuis, positi obsecramus, vt nobis transire liceat per terram tuam. Non ibimus per agros, nec per vineas, non bibemus aquas de puteis tuis, sed gradiemur via publica; nec ad dextram, nec ad sinistram declinantes, donec transeamus terminos tuos. Cui respondit Edom: Non transibis per me, alioquin armatus occurram tibi. Dixeruntque filij Israel: Per tritã gradiemur viam, & si biberimus aquas tuas, nos & pecora nostra, dabimus quod iustum est; nulla erit in pretio difficultas. Tantùm velociter transeamus. At ille respondit: Non transibis. Statimque egressus est obuius cum infinita multitudine, & manu forti, nec voluit acquiescere deprecanti, vt concederet transitum per fines suos. Quamobrem diuertit ab eo Israel.

DEVTERONOMII CAP. II.

2 PRofectique inde venimus in solitudinem, quæ ducit ad Mare rubrum, sicut mihi dixerat Dominus: & circuiuimus montem Seir longo tempore. Dixitque Dominus ad me: Sufficit vobis circuire montem istum, ite contra Aquilonem, & populo præcipe, dicens: Transibitis per terminos fratrum vestrorum filiorum Esau, qui habitant in Seir, & timebunt vos. Videte ergo diligenter, ne moueamini contra eos; neq; enim dabo vobis de terra eorum, quantum potest vnius pedis calcare vestigium, quia in possessionem Esau dedi montem Seir. Cibos emetis ab eis pecunia, & comedetis, aquam emptam haurietis, & bibetis. Dominus Deus tuus benedixit tibi in omni opere manuũ tuarum, nouit iter tuum, quomodo transieris solitudinem hanc magnam, per quadraginta annos habitans tecum Dominus Deus tuus, & nihil tibi defuit.

3 AGebatur iam annus quadragesimus ab exitu ex Ægypto, quo Deus erat Israelitas introducturus in terram promissam. Cumque essent in Cades prope Idumæam per quam iter fieri commodè poterat; postulauit Moses per nuntios à Rege Idumęorum, vt liberum sibi transitum per Idumæam præberet, fore autem transitum absque vllo Idumæorum detrimento pollicitus est. *Non ibimus*, inquit, *per agros, neque per vineas, non bibemus aquas de puteis tuis, sed gradiemur via publica, neque ad dextram, neque ad sinistram declinantes.* Renuit Rex, armatúsque Israelitis venit obuiam cum exercitu, vt transitum prohiberet, si transirevellent.

Rex Idumæorum noluit trãsitum per Idumæã præbere Israelitis.

4 Videntur dictis repugnare ea, quæ narrantur Deuter. cap. 2. *Transibitis* (inquit Dominus) *per terminos fratrum vestrorum filiorum Esau, qui habitant in Seir, & timebunt vos, videte ergo diligenter, ne moueamini contra eos.* Item: *Cibos emetis ab eis pecunia, & cõedetis, aquam emptam haurietis, & bibetis.* Dominus ait, filios Israel transituros per terminos Idumæorum; præcipitque, vt cibos, & aquam ab illis emant. Ergo per Idumæam transierunt. Idem perspicuè dicitur inferiùs eodem cap. 2. misisse enim se (ait Moses) nuntios ad Regem Sehon, dicẽs: *Transibimus per terram tuam, publica gradiemur via. Alimenta pretio vende nobis, vt vescamur, aquam pecunia tribue, & sic bibemus, tantum est, vt nobis concedas transitum, sicut fecerunt filij Esau, qui habitant in Seir.* Ex his apertè colligitur, filios Esau id est, Idumæos, concessisse transitum filiis Israel per Idumęam. At Numer. 20. dicitur, Regem Idumęorum militibus stipatum, transitum prohibuisse. Responderi potest, primùm quidem prohibuisse transitum, vt dicitur Num. 20. postea verò concessisse, mutata voluntate, vt dicitur Deut. 2. hanc tamen mutationem voluntatis refutant verba illa Numer. 20. *Nec voluit acquiescere deprecanti, quamobrẽ diuertit ab eo Israel, cumque castra mouissent, venerunt in montẽ Hor.* Apertè ait scriptura, Idumæos noluisse transitum concedere, neque mutasse voluntatem; siquidem Israelitæ castra mouerant, quia transitus non est datus.

Deut. 2. *Ibid.* *Ibid.* *Num. 20.*

5 Abulensis, qui putat Israelitas bis venisse in Cades, ait bis petitum transitum ab Idumæis: illos verò semel quidem negasse, secundò concessisse. Lyranus cum aliis, his verbis respõdet: Ad hoc respondent expositores nostri communiter dicentes, quòd, licèt Rex Idumæorum non concesserit filiis Israel transitum per medium terræ suæ, sicut petebant, tamen concessit eis transitum per extremitates regni sui. Sic ille. Non concessit ergo transitum Rex Israelitis per mediam Idumæam, vt dicitur Numer. 20. non prohibuit tamen per terminos Idumææ transire, vt dicitur Deut. 2. Ab Idumæis verò cibos, & aquam pecunia comparabant. Obiicitur, Numer. 20. legitur de Rege Idumęorum: *Nec voluit acquiescere deprecanti, vt concederet transitum per fines suos:* Ergo neque per mediã Idumęam

Lyranus. *Numer. 20.*

Idumæam concessit transitum, neque per terminos, & fines Idumææ. Respondetur, neque per mediam Idumæam concessisse transitum, neque per fines suos, sed extra fines, & iuxta fines suos, ita vt possent ad eos Idumæi aquam portare, & cibos, quos pecunia venderent.

6 Quæritur, *nonne columna exercitum ducebat, ostendebatq; viam?* Quid igitur opus fuit, mittere nuntios ad Regem Idumæorum? Videtur potiùs expectandus fuisse columnę motus. Respondetur, Deum noluisse columnam moueri, & per Idumæam viam ostendere, inuito Idumæorum Rege, sed ab eo peti voluisse facultatem transeundi. Idumęam enim regionem filiis Esau, fratris Iacob, Deus dederat, nolebatque bellum illi inferri. Numer. 20. *Videte* (ait Dominus) *ne moueamini cõtra eos.* (cõtra Idumæos, filios Esau:) *Neque enim dabo vobis de terra eorum, quantum potest vnius pedis calcare vestigium; quia in possessionem Esau dedi montem Seir.*

An columna moua fuerit eam de trãsitu egebatur. *Numer. 20.*

7 Dicitur hæc regio Idumæa, dicitur etiam mons Seir, quia montosa erat, iuxta illud Abdiæ: *Superbia cordis tui extulit te habitantem in scissuris petrarum*, &c. & Deuteron. 2. *Circuiuimus montem Seir longo tempore*, &c. Hæc verò duo nomina ab ipso Esau accepit. Nam Esau dictus est Edom, id est, rufus, propter rufas lentes, pro quibus vendidit primogenita. Gen. 25. sic Esau alloquitur Iacob, qui coctas habebat lentes: *Da mihi de coctione hac rufa, quia oppido lassus sum. Quam ob causam vocatum est nomen eius Edom*, &c. Ipse quoque Esau rufus erat, vt eodem capite legitur: *Qui prior egressus est, rufus erat*, &c. D. Hieron. Amos 1. Edom, inquit, ipse est, qui & Esau ob coctionẽ rufæ lentis ita appellatus, &c. Hoc nomine Edom Hebræo appellatur regio ad austrum terræ repromissionis sita: ab Edom factum est nomen Idumæa. Præterea Esau dictus est Seir, id est, hirsutus, & pilosus: ex matris enim vtero, & rufus, & pilosus egressus est, Genes. 25. *Qui prior egressus est, rufus erat, & totus in morem pellis hispidus.* Hebraicè, שעיר, *Sear*, vnde deducitur *Seir*, nomen montis. Nec lõgè à terra promissa distabat Idumæa, & mons Seir ad austrũ, vt D. Hieronymus docet, Isaiæ 21. Est (inquit) Duma, non tota Idumæa prouincia, sed quædam eius regio, quæ ad austrum vergit, & ab vrbe Palæstinæ, quæ hodie Eleutheropolis dicitur, viginti distat milliaribus, iuxta quam sunt montes Seir, sumpto ab authore nomine: Seir quippe interpretatur hispidus, & pilosus, qui Esau fuit. Sic ille. Erant ergo Israelitę iam propinqui terrę repromissionis, siquidem Duma à Palæstina viginti tantùm milliaribus distabat.

Idumæa est montosa Abdiæ v. 3. *Deut. 2.* *Idumæa ab Esau dicitur Edõ & mons Seir.* *Genes. 25.* *Ibid.* *D. Hieron.* *Genes. 25* *Idumæa non lõgè distabat à terra promissionis.* *Idem.*

8 Ad sequentem mansionem transeamus, priùs tamẽ obseruemus, quónam modo duces exercitum ducere debeant, per regiones pacificas, quibus belli inferendi ius non est. *Non ibimus* (ait Moses) *per agros, nec per vineas; gradiemur via publica*, &c. Et Dominus Deuteronom. 2. *Cibos emetis ab eis pecunia, ne moueamini contra eos*, &c. Hunc in modum per transire oportet exercitum pacificas regiones, ne moueatur contra eos, via regia faciat iter; non transeat per agros, aut vineas, aut hortos, si cibis indiguerit, emat, non extorqueat vi.

Deut. 2.

CAPVT X.

De mansione trigesima quarta montis Hor.

NVMERI CAP. XX.

1 CVmque castra mouissent de Cades, venerunt in montem Hor, qui est in finibus terræ Edom, vbi locutus est Dominus ad Moysen. Pergat (inquit) Aaron ad populos suos, non enim intrabit terram, quam dedi filiis Israel, eo quòd incredulus fuerit ori meo, ad aquas contradictionis. Tolle Aaron & filiũ eius cum eo, & duces eos in montem Hor. Cumque nudaueris patrem veste sua, indues ea Eleazarum filium eius. Aaron colligetur, & morietur ibi. Fecit Moyses vt præceperat Dominus, & ascenderunt in montẽ Hor, coram omni multitudine. Cumq; Aaron spoliasset vestibus suis, induit eis Eleazarũ filium eius. Illo mortuo in montis supercilio, descendit cum Eleazaro. Omnis autem multitudo, videns occubuisse Aaron, fleuit super eo triginta diebus, per cunctas familias suas.

Pergat Aaron ad populos suos.

2 EX Cades mouerunt castra Israelitæ, veneruntque in montem, qui appellatur Hor. Est autem mons hic in terminis Idumææ. In eum iussus est ascendere Aaron, & ex vita discedere, ne terram promissam, quæ propinqua iam erat, ingrederetur: qua pœna, vt diximus, à Deo propter aquas contradictionis affectus est: *Pergat* (ait Dominus) *Aaron ad populos suos. Non enim intrabit terram, quam dedi filijs Israel, eo quòd incredulus fuerit ori meo ad aquas contradictionis.*

Mons Hor, in quo mortuus est Aaron.

3 Quæritur, *quinam sint populi hi, ad quos iturus est Aaron post mortem? Pergat*, inquit Dominus, *Aaron ad populos suos.* Respondetur, loquendi D hunc modum, & similes in sacris literis reperiri. Genes. 25. de Abraham dicitur: *Congregatus est ad populum suum*, & de Ismaele: *Mortuus est, & appositus ad populum suum.* de Isaac Gen. 35. *Appositus est populo suo senex.* de Iacob, Gen. 49. *Congregor*, inquit, *ad populum meum.* de Mose Numer. 30. *Colligeris ad populum tuum.* & Deut. 32. *Morere in monte, quem conscendens iungeris populis tuis.* Hic autem populus, siue hi populi, ex sententia D. Augustini quæst. 168. super Genesim, fortè societas est angelorum: An fortè inquit, populus est non solùm hominum sanctorum, verùm & angelorum? Huic populo apponuntur, qui post hanc vitam placentes Deo fiunt, &c. Lege eundem August. lib. 2. contra Pelag. & Cęlest. cap. 30. Glossa interl. Genes. 25. ad illa

Quid sit pergere ad populum suum in mortem. *Genes. 25* *Genes. 35* *Genes. 49.* *Num. 30* *Deut. 32.* *D. August.* *Genes. 25*

ad illa verba: *Congregatus est Abraham ad populum suum.* sic habet: Id est, ad angelos, quorum conciuis erat. & Glossa ordin. Genes. 44. Intelligendum, inquit, hoc etiam de angelis dici ad quorum societatem, de mundo transeuntes apponuntur sancti, &c. Legendus Magister histor. & Abulensis, & Paulus Burgensis. Refellitur opinio, quia populus angelorum in cælo est: patres autem illi non ascendebant in cælum, sed in limbum descendebant, vt liquet. Burgēsis respondet, non ascendisse quidem in cælum illos patres, in quo est populus angelorum, sat tamen, dici appositos ad populum angelorum, & societatem; quia frequenter in limbo ab angelis visitabantur. Sed non facit satis hæc responsio. Apponi enim ad populum dicitur, qui pars sit populi, non verò is qui visitatur à populo. Alij volunt hunc, & similes loquendi modos, Hebraismos esse. His significatur, hominem vita iam esse perfunctum. Dormire aliquem cum patribus suis, est idem quod mori, sicut patres illius, & maiores mortui sunt. Apponi ad patres, vel ad populum suum, vel congregari ad populum suum, est ex vita abire, & congregari siue apponi ad mortuos.

4 Existimo, hunc Hebraismum mysterium continere, ac significare, vnumquemque hominem ad suum populum pergere post mortem. Sunt autem duo populi: alter proborum, alter improborum. Probi ante Christum in limbum descendebant ad populum suum, id est, proborum, vel in purgatorium. Improbi in tartarum descendebant in populum suum, id est, in populum improborum. Sic de Iuda dicitur Actor. 1. *De quo prævaricatus est Iudas, vt abiret in locum suum*, id est in tartarum. Hæc sententia est Ruperti, Genes. 49. sic enim interpretatur verba illa Iacob: *Ego congregor ad populum meum*, id est, ego descendo ad inferos, vbi saluatorem vniuersus populus sanctorum expectat, donec veniat, &c. Est, etiam Lyrani, & Caietani, qui ex hoc dicendi modo meritò ait, indicari immortalitatem animæ in libris Mosis. Nam indicat hic modus, omnium populorum animas esse immortales, quę ante Christum in inferos descendebant; aliæ in limbum, ad quas descendit Aaron: alię in tartarum.

Duo sunt populi, alter sānctorum, alter impiorum.

Actor. 1. Rupertus. Genes. 49.

Ascenderunt in montem Hor coram omni multitudine.

5 Præcepit Deus, vt Moses, Aaron, & Eleazarus, filius Aaron, eius in pontificatu successor, in montem Hor ascenderent: illi verò conspicientibus Israelitis, ascenderunt in montis cacumen. Præcepit item Deus, vt Moses Aaronem vestibus suis exueret, illisque Eleazarum filium indueret: id quoque factum est. Vestibus exutus placida morte Aaron conquieuit & sepultus est in monte, trigintáque diebus publico luctu honoratus. Videtur repugnare huic loco caput 10. Deuter. in eo enim dicitur *Mortuus Aaron in Mosera*: hic dicitur mortuus in monte Hor. Respondetur, illud desertum, vbi erat Hor, appellatum fuisse Mosera, ideóque verè dici Aaronem mortuum esse in Mosera, & in monte Hor, quia mons Hor pars erat deserti.

Aaron mortuus est in monte Hor, in deserto Mosera.

Deut. 10.

6 In monte voluit Dominus, mori summum sacerdotem, honoris gratia. Præterea duxit Aaron filium, quem Moses induit vestibus patris, vt sciret populus, Eleazarum in eius locum esse suffectum à Deo. Ascenderat Aaron pontificalibus vestibus indutus in cacumen montis Hor: ibi Moses iussu Dei vestes sacras detraxit, filiumque Eleazarum illis exornauit, & summum sacerdotem constituit, in oculis patris. Consolatio autem non minima fuit Aaronis, ante discessum ex vita filium cernere Pontificem; pontificiisque vestibus decoratum. Rabbi Salomon apud Lyranum ait, repertam in monte speluncam, à Deo Aaroni sepeliendo paratam, & in ea stratum, & lampadem ardentem. In lecto Aaron collocatus, mortis placidum excepit somnum. Non probat Hebræus quod dicit. Oleaster putat, Aaronem vestibus denudatum in locum montis secretum à Mose, & filio recessisse, ibidemque angelorum manibus sepultum: Vel (inquit) aperuit Dominus terram, quæ eum recepit, & statim coniuncta est, ita vt neque vestigium sepulturæ ibidem amplius videretur, &c. Non video harum opinionum fundamenta. Crediderim, Aaronem in monte tranquillam, ac quietam obiisse mortem, cernentibus Mose, & Eleazaro, & ab eis eodem in monte esse sepultum. Caietan. Numer. 20. arbitratur, non solos Mosem, Aaronem & Eleazarum in montem ascendisse, sed cum decenti comitatu. Erant enim duo populi principes, Moses, & Aaron: decuit ergo nobili comitatu septos ascendere. Quæ sententia non caret probabilitate. Ex his autem comitibus suam operam aliqui præstiterunt Aaronis sepulturæ. Non enim voluit Deus Aaronis sepulchrum latere; sicut Mosis sepulchrum latuit. Mortuus est autem Aaron, vt dicitur Numer. 33. *anno quadragesimo egressionis filiorum Israel ex Ægypto, mense quinto, prima die mensis, cum esset annorum centum viginti trium*, &c. De morte Aaron Iosephus sic scribit, lib. 4. Antiquit. cap. 4. Cùm venisset Moses in agrum vrbis Arabum primariæ, quæ olim Arce, nunc Petra nominatur, hoc loco montem excelsum, quo ager clauditur, Aaron ascendit, præmonitus à Mose, quòd esset moriturus. Et in conspectu totius exercitus, stans in loco accliui, exutam pontificiam stolam Eleazaro filio tradidit, ad quem iure hæreditatis successio pertinebat; atque ita inspectante populo moritur, &c.

Oleaster.

Numer. 33. Aaron quo anno mortuus.

Iosephus.

CAPVT XI.
MORALE.

De morte Aaronis.

1 OBiit iubente Deo Aaron, summus sacerdos veteris legis, antequam terram repromissionis ingrederetur. Adumbrat Aaronis mors, sacerdotij secundùm ordinē Aaronis mortem. Quemadmodum Aaron terram repromissionis non est ingressus: sic legis veteris sacerdotium, secundùm ordinem Aaron, non est ingressum terram repromissionis, id est, Christi Ecclesiam. Instituit enim Christus aliud multo excellentius sacerdotium, non secundū ordinem Aaron, sed secundùm ordinem Melchisedec, cuius ordinis ille sacerdos summus est, quod Dauid Psal. 109. prędixit apertè: *Iurauit* (inquit) *Dominus, & non pœnitebit eum. Tu es sacerdos in æternū secundùm ordinem Melchisedec.* Abrogatum est sacerdotium secundùm ordinem Aaronis, quod in offerendis vitulis, arietibus, hircis, aliisque animantibus ratione carentibus versabatur: institutum est à Deo sacerdotium secundùm ordinem Melchisedec, quod in offerendo vero corpore, & sanguine Christi sub speciebus panis, vinique versatur.

Sacerdotium legis veteris mortuum est, nō est ingressum terram repromissionis, id est, Ecclesiam. Psal. 109.

2 Abrogauit Deus Aaronis sacerdotium: sed non abrogabit sacerdotium Christi. *Tu* (inquit Psalm. 109.) *es sacerdos in æternum*; id verò iureiurando suscepto dixit: *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum.* Nunquam pœnitebit Deum sacerdotij secundùm ordinem Melchisedec. Nec temporis, nec loci, nec personarum terminis clauditur; in extremum vsque tempus permanebit, quoad sacrificium; quòd si de charactere agamus, in totam æternitatem perdurabit. Character enim indelebiliter animæ immortali inhæret. Præterea sacerdotium Christi, non vni, vel templo, vel ciuitati astringitur, per totum terrarum orbem in omnibus Christianis templis augustissimum sacrificium offert. Denique non vnius tantùm familiæ, sed hominibus ex omnibus Christianis familiis fas est sacerdotale sacramentum suscipere. Malachiæ 1. *Ab ortu solis, vsque ad occasum, magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Non vno in templo, (ait Dominus) sed in omni loco, in toto terrarum orbe, à solis ortu vsque ad occasum, sacrificatur, & offertur mihi oblatio munda, & mundissimum Eucharistiæ sacrificium, ab omnibus nationibus. Non enim alligatum est, vel vni loco, vel vni nationi, vel vni familię, sicut neque tempori. Itaque mortuus est Aaron, neque ingressus est in terram repromissam, hoc est, mortuum est sacerdotium Iudæorum, neque ingressum est Ecclesiam, neque transiuit Iordanem, id est, Christianum baptismum.

Psal. 109.

Sacerdotium Christi secūdū ordinem Melchisedec est æternum.

Malach. 1.

Pergat Aaron ad populos suos.

3 Non semper in his populis, qui terram incolunt, vitam possumus ducere, ad alios populos pergendum est: *Pergat* (ait Dominus) *Aaron ad populos suos*; sunt populi in cælo angelorum, & hominum iustorum, ad quos pertinet populus animarum, quæ purgante iam expiatæ igne cælo donantur. Sunt præterea populi cacodæmonum, & hominum impiorum in orco. Omitto dicere de populo infantium, quorum peccatum baptismi aquę non abluerunt. Perget vnusquisque hominum ex his populis, in quibus breui tempore viuit, ad populos alios, in quibus in sempiternum permanebit. Olim populus erat iustorum in limbo, sed is iam in cælum à Christo translatus est. At verò neque populus iustorum, qui in cælo est, à cælo vnquam transferetur, neque populus impiorum, qui in orco est, ab orco migrabit. Attendat ergo Christianus, quem sibi populum paret: *Pergat* (inquit Dominus) *Aaron ad populos suos*; populus hominis iusti populus est cælestis angelorum, & hominum sanctorum; populus impij est cacodæmonum, & hominum impiorum. Iustus perget ad populum suum in cælestem patriam. Impius perget ad populum suum in horrendum tartarum. Charitas, gratia, virtutes, populum nobis parant angelorum, peccata verò ducunt nos ad populum cacodæmonum.

Post mortem impij ad populum abeūt impiorū: probi ad populū iustorum.

Duces eos in montem Hor.

4 D. Hieronymus mansione trigesima tertia ait, plerosque nomen Hebræum *Hor* interpretari *lumen*, alios *pellem*, alios *foramen*. Vox quidem omnia hæc significat, si diuersis scribatur literis. Si per aleph scribatur, אור, significat *lumen*. Si per ע, עור, Gor, significat *pellem*. Si per literam chet, significat *foramen*. Veruntamen hoc loco scribitur per literam, siue aspirationem, ה he. Quamobrem, ait D. Hieronymus, *Hor* significare montem, & legi posse: *Duces eos in montem Hor*, id est, in montem montis, id est, in verticem mōtis. Fortè nomen *Hor*, siue *Har*, (vt modò profertur,) id est, mons, per excellentiam, monti illi propter altitudinem tributum est; ideoque ait Dominus: *Duces eos in montem Hor*, sic nominatum. Id videntur sentire LXX. interpretes, qui sic vertunt: *Fac ascendere in Or montem*, & Chaldæus codē modo vertit. Ascendisse autem Aaronem montis verticem constat, quia eodem cap. 20. Numer. dicitur mortuus *in supercilio montis*. Hebraicè, *in capite montis*. Ex quo, inquit Hieronymus, animaduertimus, non in monte simpliciter, sed in monte montis Pontificem mortuum, vt dignus locus meritis illius monstraretur, &c. Ascendit igitur Aaron moriturus verticem montis, quia summum sacerdotem dignitate pontificali, & virtute monti similem, in cacumine montis mori par erat. Montanum in monte mori, & sepulturam habere decebat. Nomen, אהרן, Aaron, *mōtanum* sonat, vt volunt nominum Hebræorum interpretes. Montanus ergo in monte meritò obiit, montanus, inquam, id est, monti similis, tam pontificatus dignitate, quàm virtutum meritis, vt ait D. Hieron. Monti similes oportet esse Pontifices, ita vt quantum montes celsitudine superant valles, tantum illi virtutum altitudine superent eos, quas pascunt oues. In montibus herbolis vberrima pascua reperiunt oues, Pontifices oportet montes esse non steriles, atque aridos, sed fertiles, atque herbosos, optimisque ouium pascuis abundantes, ita vt ouis dicere læta possit: *In loco pascuæ ibi me Dominus collocauit*, Psal. 22. sit Pontifex alter Aaron, id est, montanus dignitate, & virtute, in excelso virtutum monte viuat, & in eodem excelso monte morte sanctorum moriatur.

Mons Hor.

D. Hieron.

Monti similis esse debet sacerdos.

Psal. 22.

Aaron colligetur

5 In vita disperguntur homines per varia mundi negotia, variasq; curas; at in morte colligunturColligit mors hominum curas, quas dispergit vita. Color albus disgregat visum, color niger congregat. Alba & prospera vita disgregat mentem, nigra mors congregat. Genes. 49. *Iacob collegit pedes suos super lectulum, & obiit*; quemadmodū Iacob pedes corporis collegit in morte: sic homines pedes animi, id est, affectus, & mētis cogitationes colligunt in morte, quibus totum, eūm viuunt peragrant orbem. Psal. 145. *Exibit spiritus eius, & reuertetur in terram suam, in illa die peribunt omnes cogitationes eorum*, &c. Colliguntur, & pereunt cogitationes de honoribus consequendis, de voluptatibus, & diuitiis comparandis. Succedunt aliæ de tormentis in sempiternum tolerandis. Colligitur præterea homo in morte, velut pomum; si putridum est, porcis, id est, cacodæmonibus, abiicitur; si integrum, beneque fuerit sanum, summo Regi Christo offertur.

In morte colliguntur homines.

Genes. 49.

Psal. 145.

Morietur ibi.

6 Ecclesiastici 41. ait Sapiens: *O mors, quàm amara est memoria tua, homini pacem habenti in*

Ecclī. 41.

substantijs suis: viro quieto, & cuius viæ directæ sunt in omnibus, & adhuc valenti sumere cibum! Amara est mortis memoria homini quierè viuenti, & adhuc sano, & valenti sumere cibum. Quòd si mortis memoria amara est, quanto amarior erit ipsamet mors, vitam repente eripiens? Aaron homo erat pacem habens in diuitiis suis; sanus, & adhuc valens sumere cibum: amara mors subitò illum ex vita abstulit. Non admodum tamen amara fuisse videtur: sed lenis, quieta, somnoque similis placido. Nam à Deo mori iussus est, id verò mortis acerbitatem leniit. Deinde nullo morbo afflictus, nullo vulnere cruentatus, nullo dolore affectus, nullo gemitu emisso, vitam commutauit cum morte, similis dormienti potius, quàm morienti.

Amara mors est. — *Mors Aaronis placida.*

7 Illam inuenit εὐθανασίαν, id est, bonam mortem, ac placidam, quam Augustus orbis Imperator optabat, de quo Suetonius in eius vita cap. 99. Quoties, inquit, audisset Augustus defunctum quempiam citò, ac nullo cruciatu, & sibi, & suis εὐθανασίαν similem precabatur, &c. id est, similem bonam mortem. hoc enim verbo Græco εὐθανασία vti solebat. At verò nesciebat Augustus, in quo bona mors sita esset. In facilitate, & lenitate mortis suam εὐθανασίαν collocabat: illa verò non in facilitate mortis, sed bonitate conscientiæ sita est. Is benè moritur, & εὐθανασίαν assequitur, qui bonam habet conscientiam, omnis peccati mortiferi expertem, & si carnificum manibus immania tormenta sustineat; is malè moritur, qui peccati mortiferi sibi conscius est, quod pœnitentia non deleat, quamuis placidissimam mortem obeat. Is bene moritur, qui bene viuit; quique vitæ huius mimum, siue fabulam rectè peragit. Augustus, vt narrat idem author, supremo vitæ die, petito speculo, capillum sibi comi, ac malas labentes, sibi corrigi præcepit, & amicos admissos percontatus est: ecquid eis videretur mimum vitæ commodè transegisse? adiecit, & clausulam, δότε κρότον, καὶ πάντες ὑμᾶς μετὰ χαρᾶς κροτήσατε, id est, *date plausum, & omnes vos cum gaudio obstrepite. sonũ edite, plaudite.* Vocabat Augustus vitam hanc mimum, siue tragœdiam, in theatro exhibitam. Tragœdia enim est in hoc mundo, veluti theatro, exposita ante hominum oculos; tandemque instar tragœdiæ lugubri morte concluditur. Amicos rogabat, numquid eis videretur mimum vitæ commodè transegisse, illi commodissimè transactum fuisse videntur respondisse. Suam conscientiam debuerat Augustus interrogare de transacta vita sua, non verò amicos. Amicorum enim, præsertim adulantium, testimonium falsum est, conscientiæ testimonium verum. Petito speculo, tunc vultum inspexit, capillum comi, ac malas labentes corrigi iussit: non speculum, sed conscientiam, velut speculum, intueri debuerat, & peccatorum sordibus expurgare. Tunc verò dicere: *plaudite.* Is enim meritò in fine mimi, *plausum date*, ait, qui mimum vitæ bene peragit, & conscientiam peccatis expurgatam habens moritur.

Suetonius. — *Euthanasia Augusti Cæsaris.* — *Bona mors in quo sita sit.* — *Vita est tragœdia similis.*

8 Plausum potuit petere ab omnibus Israelitis Aaron, qui nullius sibi conscius sceleris, ex hac vita iussu Dei, tam placida morte proficiscebatur. Veram ille inuenit εὐθανασίαν, facilem, placidamque mortem, in senectute bona, natus annos centum viginti tres. Erat maturum iam morti corpus. Collectum ergo est, velut pomum maturum, & in sepulchro collocatum. Colliguntur iuuenes, & senes, sed iuuenes colliguntur, veluti immatura, & cruda poma; senes veluti matura, & cocta. Vnde Marcus Tullius in lib. de senectute ait, senes mori secundùm naturam, iuuenes mori natura repugnante: Quid, inquit, tam secundùm naturam, quàm senibus emori? Quod idem contingit adolescentibus repugnante natura, &c. Similitudines duas adiecit. Prima est: Adolescentes sic mihi mori videntur, vt cùm aquæ multitudine flammæ vis opprimitur: senes autem, cùm sua sponte, nulla adhibita vi, consumptus ignis extinguitur. Secunda est: Quasi poma ex arboribus, si cruda sunt, vi auelluntur, si matura, & cocta, decidunt: sic vitam adolescentibus vis aufert, senibus maturitas, &c.

M. Tullius. — *Senes mori secundum naturam, iuuenes natura repugnante.*

Cùm nudaueris patrem veste sua.

9 Ostenditur hoc loco, mortis, veluti latronis auarissimi spoliatio. Spoliauit illa Aaronem, tum diuitiis omnibus, tum vestibus pontificalibus, & summo sacerdotio; nudatũque sepeliuit. Ierem. 9. *Ascendit mors per fenestras nostras, ingressa est domus nostras.* Per fenestras ingreditur mors, velut latro; omnia furatur, nudũque relinquit hominem. Similis est vitæ huius finis, principio eiusdem vitæ. 1. Timoth. 6. *Nihil intulimus in hunc mũdum: hæud dubium, quia neque auferre quid possumus.* Nudi in lucem hanc venimus ex vtero matris, nudi reuertimur in sepulchrum. Iob. 1. *Nudus egressus sum de vtero matris meæ; nudus reuertar illuc.* Illuc, inquam, id est, in vterũ matris reuertar nudus, & omnibus diuitiis spoliatus. Etenim mater nostra appellatur terra, quæ nos excipit nascentes; natos alit, desertos ab omnibus suo gremio in morte excipit. Sic appellat Ecclesiastic. cap. 40. *Iugũ, inquit, graue super filios Adam, à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem sepulturæ in matrem omnium.* Matrem omnium vocat terram. Propterea potentias, & diuitias impiorum timendas non esse, docet regius Vates; quia paulò post eos deserunt, & euanescunt, Psalm. 48. *Ne timueris, cùm diues factus fuerit homo, & cùm multiplicata fuerit gloria domus eius. Quoniam cùm interierit, nõ sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius.* Ne timueris, inquit, diuitias, & gloriam impiorum, quoniam in morte non sument omnia. Dices, *non sument omnia*; ergo sument aliqua. Respondetur, Hebraismum esse, *non sument omnia*, id est, nihil omnino sument ex suis opibus, neque descendet ad inferos cum illis gloria, & honor huius vitæ.

Ierem. 9. — *1. Tim. 6.* — *Mors omnes spoliat.* — *Iob 1.* — *Terra appellatur mater.* — *Eccli. 40.* — *Psalm. 48.*

10 Somniantibus similes sunt diuites, ac potentes: locupletes, ac potentes se esse somniant interim, dum in hac vita, veluti lethargo quodam premuntur. Cùm in morte vigilant, tunc euanescit somnium; euanescitque simul opulentia, ac potentia. Psal. 75. *Dormierunt somnum suum, & nihil inuenerunt omnes viri diuitiarum in manibus suis*, &c Dormiunt, dum viuunt impij diuites placidum somnum, animæ saluti minimè inuigilantes. Postquam autem somnus, id est, vita socordiæ, & desidiæ dedita, finitur, nihil in manibus suis inueniunt; quia, vt ait Augustinus, nihil in manibus Christi posuerunt. Qui verò diuitias suas in manibus Christi ponunt, & propter Christum pauperibus, bonisque operibus erogãt, æternis opibus manus suas plenas post

Diuites similes somniantibus. — *Psal. 75.* — *D. August.*

post mortem inueniunt. Denique mors omnes excutit, nullum permittit in alterum sæculum caduca bona portare. Vidistine aliquando diuitem, etsi auarissimum, cùm mors immineret, multos conducere currus, aut iumenta, multasve naues, vt diuitias suas secum transportaret? Nullus vnquam tanta insania laborauit, quia compertissimum est, mortem omnes excutere, neque pati mortuum vel teruntium secum transportare: neque solùm opes eripit mors, sed ipsam etiam cutem, ipsa membra, ipsum corpus in cinerem redigit. Lege Senecam lib. 17. epist. 103. Excutit, inquit, redeuntem hominem natura, sicut intrantem, non licet plus offerre, quàm intuleris. Imò etiam ex eo, quod ad vitam attulisti, pars magna ponenda est. Detrahentur tibi hæc circumiecta, nouissimum velamentum tui cutis; detrahetur caro, & suffusus sanguis, detrahentur ossa, neruique, &c. Audiat ergo diues D. Chrysologum, serm. 22. O homo, inquit, si hîc permansurus es, quæ tua sunt, hîc repone: si illuc iturus es, hîc quæ tua sunt, cur derelinquis? Audiat & D. August. sermone 5. de verbis Domini: Migrandæ, inquit, sunt facultates nostræ ad locum veræ vitæ, vt hoc ibi inueniamus, quod hîc damus, &c. Nemo laboret in ventum, sed in cælum omnes laboremus. Is in ventum laborat, qui diuitias congregat in vanitatem: is laborat in cælum, qui diuitias in thesauris cælestibus collocat. Ecclesiast. 5. de diuite: *Sicut, inquit, egressus est nudus de vtero matris suæ, sic reuertetur, & nihil auferet secum de labore suo. Miserabilis prorsus infirmitas, quomodo venit, sic reuertetur. Quid ergo prodest ei quod laborauit in ventum?* Nonne vides eos, qui diuitias in cælum non transferunt, laborare in ventum?

Diuites non portãt secum diuitias, cum moriuntur. — *Mors omnes excutit.* — *Seneca.* — *D. Chrysologus.* — *D. August.* — *Laborare in ventum.* — *Eccli. 5.*

Indues Eleazarum filium eius.

11 Nudat mors omnes; eorum autem vestibus alios induit. Nudat patrem, induit liberos; nudat hominem liberis carentem, induit consanguineos. Aliquando verò mortuorum vestibus, id est, opibus, induuntur alieni, iuxta illud Psal. 48. *Relinquent alienis diuitias suas*, &c. Et illud Psalm. 38. *Thesaurizat, & ignorat cui congregabit ea.* Contingit enim, vt diues thesaurizet; legitimi verò hæredes thesauro non fruãtur, sed alieni. Ecclesiastæ 6. *Vir cui dedit Deus diuitias, & substantiam, & honorem, & nihil deest animæ suæ ex omnibus, quæ desiderat: nec tribuit ei potestatẽ Deus, vt comedat ex eo, sed homo extraneus vorabit illud, hoc vanitas, & miseria magna est*, &c. Et cap. 5. *Diuitiæ* (ait) *conseruatæ in malum Domini sui. Pereunt enim in afflictione pessima: generauit filium, qui in summa egestate erit*, &c.

Nudat mors omnes, eorum vestibus alij induuntur. — *Psalm. 48.* — *Psal 38.* — *Eccles. 6.* — *Eccles. 5.*

12 Diuersorium est vita hæc. Quemadmodum in diuersorio iisdem tectis, eademque supellectili omnes pertranseuntes excipiuntur, quia eam nemo à diuersorio auferre potest: sic in vita hac iisdem domibus, honoribus, & opibus omnes vtuntur; quia ij qui moriuntur, eas secum nequeunt portare. Pater quæ possidet, filiis relinquit: filij, postquam in diuersorio breui vitæ tempore commorati sunt, aliis tradunt. Neque enim mundi opes omnibus sufficiunt; necesse est ex diuersorio quosdam abire, aliisque locum dare. Vnde August. serm. 29. de verbis Domini: In hac, inquit, vita omnes homines, velut peregrini, transeunt; neque vllus quasi possessor manet, sed omni homini dicitur: Refectus transi, age iter, da venturo locum, &c. Isaiæ 28. *Coangustatum est stratum, ita vt alter decedat, & pallium breue vtrunque operire non potest.* Mundi stratum angustum est, nõ potest multos simul capere: necesse est aliquos ex strato in sepulchra decidere, vt possit alios aduenientes recipere. Pallium, id est, supellex mundi, breuius est, non potest omnes homines simul operire. Ecclesiast. 1. *Generatio præterit, & generatio aduenit: terra autem in æternum stat.* Stat terra velut perpetuum hominum diuersorium. homines verò non stant, sed pertranseunt. Vna generatio præterit, altera aduenit; exinanitur generatio, quę pręterit; impletur generatio, quę aduenit. Neque potest sol vtrunque hemisphærium illuminare, neque potest terra vtranque hominum generationem, tam eam quæ præterit, quàm eam quę aduenit, caducis bonis illustrare. Oportet præterire quosdam, vt alij aduenianti, & locum eorum occupent. Baruch 3. *Vbi sunt principes gentium, qui argentum thesaurizant, & aurum? exterminati sunt; & ad inferos descenderunt, & alij in loco eorum exsurrexerunt.* Pertranseunt non solùm infimę conditionis homines, sed etiam principes auro, & argento, imperioque spoliantur: alij verò mox in locum eorum exsurgunt.

D. August. — *Isaiæ 28.* — *Eccli. 1.* — *Morientibus alij succedũt.* — *Baruch 3.*

13 Pertransiit summus sacerdos Aaron opibus & magno honore spoliatus: non tamen reliquit alienis diuitias suas, & honorem, sed filio tradi vidit. Ecclesiast. cap. 5. de diuite dicitur: *Generauit filium, qui in summa egestate erit*, &c. At Aaron generauit filium, qui in magnis opibus, magnoque honore vixit; hoc autem Aaronis fuit solatium, quòd filium Eleazarum ante oculos vestibus pontificis vidit indui. Exutus est Aaron, sed indutus est Eleazar. Detractæ sunt vestes pretiosæ patri, sed iisdem indutus est filius. Mortuus est pater, sed reuixit in filio, iuxta illud Ecclesiast. 30. *Mortuus est pater eius, & quasi non est mortuus, similem enim reliquit sibi post se.* Vidit Aaron summo sacerdotio decoratum Eleazarum filium; Eleazarus autem vidit; vestibus pontificalibus spoliari patrem, mori, ac sepeliri, vt intelligeret, se quoque iisdem vestibus spoliandum esse, & moriturum, ac sepeliendum, omnesque res caducas, spolia quędam esse, quibus, dum quidam spoliantur, alij induuntur. His spoliis non indiget is, qui mundum spernit, iuxta illud Prouerb. 31. *Et spoliis non indigebit*, &c. Spolia sunt omnes diuitiæ, honores, voluptates, propter quæ mundi amatores certant: at is, qui tot reges, principes, pontificesque in morte exutos videt, his spoliis libenter caret. Rectè quidam Græcus dixit:

Aaron filio Eleazaro opes suas reliquit. — *Eccli. 5.* — *Eccli. 30.* — *Res caducæ spolia sunt.* — *Prou. 31.*

Τί μάτην μοχθῶ γυμνὸν ὁρῶν τὸ τέλος.

Hoc est:

Quid frustra sudo, funera nuda videns.

Quid frustra laboro in rebus caducis comparandis, quibus paulò pòst in morte spoliandus sum?

CAPVT XII.

De rege Aradiorum victo, & anathemate vrbium illius.

NVMERI CAP. XXI.

1 QVod cùm audiſſet Chananæus rex Arad, qui habitabat ad meridiem, veniſſe ſcilicet Iſraël per exploratorum viam, pugnauit contra illum, & victor exiſtens, duxit ex eo prædam. At Iſraël voto ſe Domino obligans ait: Si tradideris populum iſtum in manu mea, delebo vrbes eius. Exaudiuitque Dominus preces Iſraël, & tradidit Chananæum, quem ille interfecit, ſubuerſis vrbibus eius: & vocauit nomen loci illius Horma, id eſt, anathema.

Cum audiſſet Rex Arad.

2 GEneſ. 10. numerantur filij Chanaan, à quo populi terræ repromiſſionis, Chananæi dicti ſunt. Inter illos numeratur Aradius, quamuis Caietanus repugnet, Aradij autem (ait D. Hier. in tradit. Hebr.) ſunt qui Aradum inſulam poſſederunt, anguſto freto à Phænices litore ſeparatam, &c. Et Ezech. 27. Aradum, ait, inſulam vſque hodie cernimus, quæ tota ſit ciuitas, & cõtra ſe poſitum oppidum Antaradum habeat, vicinaque ſit Tyro, &c. De Aradiis mentio fit Ezechiel. 27. *Habitatores Sidonis, & Aradij fuerunt remiges tui*, &c. Videlicet Tyri. Item: *Filij Aradij erant ſuper muros tuos*, &c. Erat igitur Rex quidam ex genere Chanaan, qui dicitur Rex Arad Num. 21. non tamen habitabat in inſula Arad, ſiue Arado; ſed in alia regione meridionali, iuxta quam iter faciebant nunc Iſraelitæ. Audiuit Rex hic aduenisse filios Iſraël, obuiamque eis proceſſit. Prælio inito victoriam reportauit, duxitque prædam. Quæ fuerit hæc præda, non explicatur. Hebræa lectio indicat, fuiſſe prædam captiuorum, ישב שבי, *captiuauit captiuitatem*. Idem verbum, & nomen extat Pſal. 68. quo loco legimus, *cepiſti captiuitatem*. Hebraicè שבי שביתה, *captiuaſti captiuitatem*. Sed non ſolùm homines, ſed alia etiam multa deprædati ſunt hoſtes Chananæi.

D. Hieron. Qui dicantur Aradij. — *Ezech. 27.* — *Ibidem.* — *Rex Arad vicit Hebræos.* — *Pſal. 68.*

Per exploratorum viam.

3 Audiuit Rex Arad, veniſſe Iſraelitas, per exploratorum viam. Dubium eſt, *quenam dicatur exploratorum via*. Abulenſis arbitratur, appellari viam, per quam exploratores Iſraelitarum, ad explorandam terram promiſſionis fecerunt iter, Num. 13. ſed illi exploratores anno ſecundo ab exitu ex Ægypto miſſi ſunt, nunc autem agebatur annus quadrageſimus; non igitur videtur probabile, Regem Arad tot annis retinuiſſe memoria viam exploratorum. Imò probabilius eſt, exploratores ita occultè regiones peragraſſe, vt à nullo agnoſcerentur. Secunda ſententia eſt, regem Aradiorum miſiſſe exploratores in caſtra Hebræorum, & audiuiſſe Hebræos iam aduenisse per viam eorundem exploratorum. Tertia eſt veriſimilior, Iſraelitas miſiſſe exploratores, qui regionem illam explorarent, audiuiſſe autem regem Aradium ipſos veniſſe per viam exploratorum, id eſt, per viam, quam iam explorauerant exploratores. Quarta ſententia eſt probabilior, quàm tertia; videlicet viam quandam illis in locis fuiſſe, quæ nomine proprio diceretur *Via exploratorum*; & per hanc audiuiſſe regem Iſraelitas veniſſe. Videtur hæc ſententia fuiſſe LXX. interpretum. Nomen enim quod ſignificat *exploratores* non verterũt,

Quæ dicatur via exploratorum.

A ſed Hebræum, velut proprium viæ ſeruarunt. Sic illi vertunt, ἤκουσε βασιλεὺς, ὅτι ἦλθεν Ἰσραὴλ ὁδὸν Ἀθαρείμ. hoc eſt, *audiuit Rex, quod venit Iſraël per viam Atharim*. Hebraicè dicitur, דרך האתרים, *derec athurim*, id eſt, exploratorum.

Iſrael voto ſe Domino obligans ait.

4 Victi ſunt Iſraelitæ à rege Arad, ſed non videtur victoria magni fuiſſe momenti. Volebat Deus Chananæos illos punire, ideoque fortaſſe vinci Hebræos voluit, vt dolore concitati, vouerent Deo ſe illius hoſtes funditus perdituros. Itaque poſtquam victoria Chananæi potiti ſunt, Iſraelitæ in caſtra reuerſi, votum huiuſmodi ſuſceperunt: *Si tradideris populum iſtum in manu mea, delebo vrbes eius*, &c. Annuit Dominus, rurſuſque prælio dimicatum eſt; ſuperati Chananæi, vrbes eorum ſolo æquatæ, ac prorſus extinctæ, quamobrem impoſitum eſt regioni euerſæ nomen Hebræum, חרמה, *chorma*, id eſt, *anathema*. Significat autem nomen Hebræum, חרמה *chorma*, vel, חרם, *cherem*, euerſionem, a verbo חרם, *charam*, quod ſignificat *euertere, deſtruere, interficere*. Hoc loco Num. 21. verbum eſt *charam*, & nomen *chorma*, יחרם, *iacharem*, interfecit Chananæum, & vocauit nomen loci Chorma, id eſt, deſtructionem. Idem ſignificat nomen Græcum, ἀνάθεμα; ideo LXX. interpretes vertunt: Vocauerunt nomen loci illius ἀνάθεμα. Significat etiam verbum Græcum ἀναθεματίζω, *euertere, & deſtruere*. Hoc loco, quod noſter interpres dixit: *Interfecit Chananæum ſubuerſis vrbibus eius*. LXX. interpretes dicunt: ἀνεθεμάτισεν αὐτὸν, καὶ τὰς πόλεις αὐτοῦ, id eſt, *anathemizauit, & perdidit illum, & ciuitates eius*.

Votum Hebræorum. — *Quid ſignificet anathema, & anathematizare.*

5 Fieri autem poterat anathema, ſiue deſtructio tribus modis. Primo, ita vt ciuitas euerteretur, præda verò ſeruaretur: ſic factum in vrbe Hai, Ioſue 8. *Facies* (ait Dominus) *vrbi Hai, & regi eius, ſicut feciſti Iericho, & regi eius. Prædam vero, & omnia animantia diripietis vobis.* Secundo, fieri poterat anathema, ſi vrbs euerteretur, incolæ occiderentur; cætera quoque præter aurum, argentum, æs, & ferrum igne conſumerentur. Hoc anathemate percuſſa eſt Iericho, Ioſue cap. 6. ait: *Sit ciuitas hæc anathema, & omnia quæ in ea ſunt Domino*. Et infrà: *Vrbem, & omnia quæ erant in ea, ſuccenderunt, abſque auro, & argẽto, & vaſis æneis, ac ferro, quæ in ærariũ Domini conſecrarunt.* Tertio, fieri poterat anathema ſi neque aurum, & argentum in theſaurum Dei, neque aliud quidpiam reſeruaretur, ſed in laudem Dei, & honorem omnia comburerentur. Deuter. 13. *Percuties habitatores vrbis illius in ore gladij, & delebis eã, atque omnia, quæ in illa ſunt vſque ad pecora.*

Trebus modis anathema fieri poterat. Ioſue 8. — *Ioſue 6. Ibidem.* — *Deut. 13.*

Quidquid

Quidquid etiam ſupellectilis fuerit, congregabis in medio platearum eius, & cum ipſa ciuitate ſuccendes, ita vt vniuerſa conſumas Domino Deo, & ſit tumulus ſempiternus. Non ædificabitur amplius, & non adhærebit de illo anathemate quidquam in manu tua. Iam quæritur, *qualénam fuerit hoc anathema vrbium Regis Arad?* Incenſæne ſunt vrbes ſolùm, & reſeruata ſupellex, aurum, & argentum; an conſumpta ſunt omnia in honorem Dei? Abulenſis reſpondet, omnia eſſe conſumpta, nihilque reſeruatum; vouit enim populus, ſe vrbes hoſtium deleturum. Probabilis eſt hæc ſententia, ſi quis aliam ſequatur, non repugnabo. Non enim vouit populus, ſe ex vrbibus deletis non accepturum prædam.

CAPVT XIII.

MORALE.

De anathemate vrbium Regis Arad.

Iſraël voto ſe Domino obligans ait: ſi tradideris populum iſtum in manu mea, delebo vrbes eius.

1 VMbram habemus votorum, quæ religioſi viri ſuſcipiunt, vt terrenarum rerum pondere repulſo, ad cæleſtes euolent. Vouerunt Iſraelitæ ſe omnino deleturos vrbes Regis Arad; eundem in modum vouent religioſi, ſe deleturos vrbes mundi. Sunt autem vrbes, in quibus regnat mundus, tres illæ, quas indicat D. Ioan. 1. epiſtol. cap. 2. *Omne*, inquit, *quod in mundo eſt, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorũ, & ſuperbia vitæ, quæ non eſt ex patre, ſed ex mundo.* Tres has vrbes munitiſſimas, ex quibus mundus aduerſus homines præliatur, ſub voto ſolo æquat, & anathemate percutit vir religioſus, cùm paupertatis, caſtitatis, obedientiæque perpetuæ votum ſuſcipit. Concupiſcentiam carnis euertit caſtitas; concupiſcẽtiam oculorum, paupertas; ſuperbiam, vitæ humilis obedientia. Eſt hoc anathema perpetuum, ad mortem vſque permanẽs, neque fas eſt, aliquid de anathemate in vita ſumere, Deut. 13. *Quidquid ſupellectilis fuerit, cum ipſa ciuitate incendes, ita vt vniuerſa conſumas Domino Deo, & ſit tumulus ſempiternus. Non ædificabitur amplius, & non adhærebit de illo anathemate quidquam in manu tua.* Vniuerſa quæ mundi ſunt, conſumenda ſunt Domino, id eſt, in honorem Domini, & propter ſummum amorem Domini, incendendæ ſunt mundi vrbes cum omni vitiorum ſupellectili, tumulus fiant ſempiternus, neque ampliùs ædificentur.

De votis religioſorum. — *1 Ioan. 2.* — *Deut. 13.*

2 Denique nihil adhæreat de hoc anathemate in manu noſtra, Ioſue 6. *Vos cauete, ne de his quæ præcepta ſunt, quidpiam contingatis, & ſitis præuaricationis rei, & omnia caſtra Iſraël ſub peccato ſint, atque turbentur.* LXX. interpretes ſic transferunt: *Cauete ab anathemate*, ne fortè cogitantes vos accipiatis de anathemate, & faciatis caſtra filiorum Iſraël anathema, & affligatis nos, &c. In hæc verba ſic ſcribit Origen. homil. 7. in Ioſue: Tale, inquit, eſt, quod indicatur his verbis: Videte, ne quid in vobis ſæculare habeatis, ne ſæculares mores, ne vitia, ne tergiuerſationem de ſæculo vobiſcum ad Eccleſiam deferatis, ſed anathema ſit vobis omnis conuerſatio ſæcularis, &c. Caueant ergo religioſi, ne quid ex anathemate mundi contingant, ſit eis anathema omnis conuerſatio ſæcularis, vt ait Origenes: *Ne forte accipiatis de anathemate, & faciatis caſtra filiorum Iſraël anathema.* Iuxta verſionem LXX. interpretum id eſt: ne religionem, in qua viuitis, faciatis deſtructionem; ne religionem deſtruatis. Illa enim religio, in qua anathema ſeruatur, id eſt, in qua vota ad vnguem explentur, floret, viget, ſtat: illa verò in qua de anathemate accipitur, hoc eſt, in qua non ſeruantur vota, ſed ea quæ votis ſunt vetita, fiunt, exſiccatur, flacceſcit, corruit. Iuxta noſtram verſionem: *Ne contingatis, & ſitis præuaricationis rei, & omnia caſtra Iſraël ſub peccato ſint, atque turbentur*, &c. hoc eſt, ne contingatis prohibita votis, ne ſitis præuaricationis rei, & turbetis religionem. Ad Galat. 2. ait D. Paulus: *Si quæ deſtruxi, iterum hæc ædifico, præuaricatorem me conſtituo*, &c. Deſtruxit, & anathemate votorum deleuit mundum religioſus: ſi iterum, id quod deſtruxit, ædificat; ſi iterum vrbes mundi euerſas extruxit; ſi iterum mundum occiſum excitat, præuaricatorem ſe conſtituit, præuaricationis reus fit, & caſtra Iſraël, hoc eſt, religionem, perturbat. Proponamus ob oculos Achan illum, Ioſue cap. 7. qui de anathemate Iericho nonnulla abſtulit; conſideremus quàm acerba pœna affectus eſt, eodem capite: *Lapidauit eum omnis Iſraël, & cuncta, quæ illius erant, igne conſumpta ſunt*, &c.

Ioſue 6. — *Origenes.* — *Religioſo anathema eſt vita ſæcularis.* — *Origenes.* — *Ad Gal. 2.* — *Ioſue 7.*

EXODI CAP. XIV.

De ſerpente exaltato in deſerto.

NVMERI CAP. XV.

1 PRofecti ſunt autem & de monte Hor per viam, quæ ducit ad Mare rubrum, vt circumirent terram Edom. Et tædere cœpit populum itineris ac laboris: locutuſque contra Deum & Moyſen, ait: Cur eduxiſti nos de Ægypto, vt moreremur in ſolitudine? Deeſt panis, non ſunt aquæ: anima noſtra iam nauſeat ſuper cibo iſto leuiſſimo. Quamobrem miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes, ad quorum plagas & mortes plurimorum, venerunt ad Moyſen, atque dixerunt: Peccauimus, quia locuti ſumus contra Dominum & te: ora vt tollat à nobis ſerpentes. Orauitque Moyſes pro populo, & locutus eſt Dominus ad eum: Fac ſerpentem æneum, & pone eum pro ſigno: qui percuſſus aſpexerit eum, viuet. Fecit ergo Moyſes ſerpentem æneum, & poſuit eum pro ſigno: quem cùm percuſſi aſpicerent, ſanabantur.

Profecti sunt de monte Hor per viam, quæ ducit ad mare rubrum.

2 POstquam Arad Regis vrbes anathematizauerunt Israelitæ, id est, euerterunt, profecti sunt ex monte Hor, in quo obiit Aaron. Iter autem fecerunt per viam, quę ducebat ad mare rubrum, vt circuirent Idumæam, siue montem Seir; quia, vt dictum est Rex Idumææ transitũ concedere noluit per regionem suam. Iudicum

Iudicum 11. 11. *Ambulauit Israel* (inquit Iephte) *per solitudinẽ vsque ad mare rubrum, & venit in Cades, misitque nuntios ad Regem Edom, dicens: Dimitte me, vt transeam per terram tuam. Qui noluit acquiescere precibus eius. Misit quoque ad Regem Moab, qui & ipse transitum præbere contempsit. Mansit itaque in Cades, & circuiuit ex latere terram Edom, & terrã Moab, venitque contra orientalem plagam terræ*

Populum tædere cœpit itineris. *Moab.* Cùm Idumæam circuirent, tædere cœpit populum itineris, ac laboris. Hebraicè נפש תקצר, *ticsar nephes*. LXX. interpretes vertunt: ὠλιγοψύχησαν ὁ λαὸς; id est, *pusillanimus factus est populus in via* Interpres Caietani: Decurtata est anima populi in via: hoc est, (vt Caietan interpretatur) decurtata, & abbreuiata est vita populi in via, quia deficiebat illis vita. Alij: Coangustata est anima populi. Sensus est: Angustiis affecta est anima populi & tædere eum cœpit itineris, propter laborem. Angustiis verò, & tædio affecti Israelitæ, in murmurationẽ relapsi sunt.

Murmuratio Hebræorum. Cur, inquiũt, ex Ægypto nos eduxisti, vt in hac vasta solitudine animas exhalaremus? Pane caremus, & aqua; anima nostra manna cibum leuissimum maximè fastidit, nauseam nobis mouet hic cibus leuissimus, nihil habens ponderis, aut substantiæ, qua ventrem expleat.

Misit Dominus in populum ignitos serpentes.

3 *Punitur Hebræorũ murmuratio ignitis serpẽtibus.* Non tulerunt impunè murmuratores. Iratus Deus ignitos serpentes in illos immisit, quorum ignitis morsibus percussi peribant. Hebraicè dicuntur נחשים שרפים *nechusim seraphim*: Serpentes igniti, vel, incendentes, vt interpretatur D. Hieron. Isai. 6. à verbo *saraph*, quod significat *comburere*, & *incendere*. Eodem nomine dicuntur angeli Seraphim, id est, incendentes. Dicuntur autem hi serpentes igniti, vel quia coloris ignei speciem habebant; vel, quia morsus igneos inferebant; vel, quia natu

Deut. 8. adurebant, quod colligitur ex cap. 8. Deut. *Ductor tuus fuit Dominus*, ait Moses, *in solitudine magna, atque terribili, in qua erat serpens flatu adurens, & scorpio, ac dipsas*, &c. Hebraicè dicitur *seraph*. Noster interpres vertit: *Serpens flatu adurens*: plurimos verò ex Israelitis murmuratoribus neci dabãt. Quamobrem tremore perculsi peccatum confessi sunt, petieruntque à Mose, vt precibus suis supplicium à castris auerteret, quod ille libenter fecit.

Fac serpentem æneum, & pone eum pro signo.

4 *Datur remedium aduersus serpentes ignitos.* Precanti Mosi annuit Dominus, prębuitque remedium iis, quos serpentes mordebant. Serpentem iussit fieri, similem iis qui Hebræos occidebant. Hebraicè: *Fac*, inquit, *tibi seraph*, id est, ignitum. Deinde eundem serpentem præcepit poni pro signo, ita vt à populo videretur. Hebraicè, על נס, *al nes*, id est, *super vexillum*.

A Fecit ergo Moses ex ære serpentem, æs autem colorem habebat igneum, vel fortè igne fuit inflammatum. Posuit ignitum serpentem pro signo sanitatis, in sublimi ligno, vt reor, fabricato in figuram crucis. Quicumque autẽ morsu serpentium ignitorum percussus erat, eumque intuebatur, sanitatem protinus consequebatur. D. Iustinus Martyr in Apologia 2. ad Antonium *D. Iustinus.* Imperatorẽ ait, Mosem æs sumpsisse, ex eoque figuram crucis fabricasse, fixisseque in sancto tabernaculo. Affirmat quidem Scriptura ex ære *Serpens exaltatur in deserto.* factum serpẽtem æneum, sed crucis non meminit: Moses verò latens agnoscens crucis mysterium, simul cum serpẽte copulatam ex ipso ære crucem effici iussit, serpentemque, & crucem in

B ligno conspiciendam proposuit populo. Probabile verò est, serpentem fixum super tabernaculũ fœderis. Rabbi David ait, Deum ex contrario medicinam attulisse; homini enim cui serpens morsum inflixerit, æris aspectum mortiferum esse. Id verò medici viderint. Filij Israel serpentẽ hunc in terrã repromissionis attulerunt, & oblato thure coluerũt, donec ab Ezechia Rege optimo confractus est, 4. Reg. 18. *Confregit serpentem æneum, quem fecerat Moyses, siquidem vsque ad illud tempus filij Israel adolebant ei incensum*, &c. *4. Reg. 18.*

CAPVT XV.

MORALE.

De serpente exaltato in deserto.

1 *Facimus iter per desertum plenum serpentibus tartareis ignitis.* FAcimus iter, Deo duce, in terram cælestem nobis promissam per desertum serpentibus plenum, iuxta illud Deuter. 8. *Ductor tuus fuit Dominus in solitudine magna, atque terribili, in qua erat serpens flatu adurens, & scorpio, ac dipsas.* Sunt in hoc deserto serpentes tartarei, hoc est, dæ- *Deut. 8.* mones, flatu tentationum igneo animum adurentes, iuxta illud Iob 41. *Halitus eius prunas ar-* *Iob 41.* *dere facit, & flamma de ore eius egreditur*, &c. Halitus siue flatus horum serpentium corda hominum, veluti prunas, incendit, & adurit tẽtationibus, quibus tentati consensum prębent. Adurit libidine animum, auaritia, inuidia, & super-

D bia; propterea D. Paulus tela diaboli ignea vo- *Tela dæmonis ignea sunt.* cat, ad Ephes. 6. *Sumentes*, inquit, *scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* *Ad Ephes. 6.* *D. Greg.* D. Gregor. lib. 33. moral. cap. 40. Toties, inquit, diaboli halitus prunas accendit, quoties eius occulta suggestio humanas mentes ad delectationes illicitas pertrahit. Superbię facem menti Euæ supposuit, inuidiæ flamma Caini animum succendit, luxuriæ facibus cor Salomonis exussit, &c. Item: Diabolus prauæ suasionis verba facit ad vniuscuiusque animum: sed flamma est, quod ex eius ore egreditur. Quia ardet in desideriis animus, cùm eius suggestionibus instiga-

E tur. Sic Gregor.

2 *D. Cyrill.* *Serpens peccatum significat.* Adumbrant præterea serpentes igniti peccata ipsa. D. Cyrillus lib. 2. in Ioan. cap. 50. Serpens, inquit, peccatum significat, quod variis morsibus venenum hominibus infundit, &c. *Eccli. 21.* Eccles. 21. *Quasi a facie colubri fuge peccata.* Et: *Si accesseris ad illa, suscipient te dentes leonis, dẽtes eius, interficientes animas hominum. Quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas, plaga illius non est sanitas*, &c. Maximè fugiendum docet peccatum, eo quòd simile sit colubro, siue serpenti. Quemadmodum is, qui ad serpentẽ accedit, ab eo mordetur: sic

sic qui accedit ad peccatum, eius dentibus vulneratur. Quales autem dentes peccati sint indicat. *Dentes*, inquit, *eius dẽtes leonis.* Quale vulnus infligat, docet, nempe mortiferum: ideo enim mortale peccatũ appellatur, quia mortale vul- *Ibidem.* nus infligit; *Dentes*, inquit, *eius interficientes animas hominum.* Addit, vulnus à peccato impositum homini insanabile esse: *Plaga*, inquit, *eius*, id est peccati, *non est sanitas*. Quia verò peccatum, tum animum, tum corpus vulnerat, ideo confert illud cum gladio, ex vtraque parte acuto, ac vulnerante. *Quasi romphæa bis acuta omnis iniquitas.* Bis acutus dicitur gladius, qui non vna solùm ex parte acumen habet, quo plagam facit, sed ex vtraque: sic peccatum, non vna solùm ex parte hominem sauciat, sed ex vtraque. Non solùm animam, sed corpus etiam interficit. Meritò igitur ait *quasi a facie colubri, siue serpentis fuge peccata* Si enim propè accesseris, flatu suo igneo te incendent.

3 Quod autem dicitur: *Et plagæ eius non est sanitas*, hoc est, non potest vulnus peccati sanari, de viribus naturæ intelligendum est. Non enim possunt viribus naturæ serpentium ignitorum hoc est peccatorum, plagæ sanari; superna Dei ope opus est. Id ostendit medicina, quam Deus in deserto dedit. Non fuit illa naturalis sed vires naturæ longè superans; quod *Sapient. 16.* indicat sacer Author, Sapient. 16. *Morsious*, inquit, *peruersorum colubrorum* (Israelitæ) *exterminabantur, sed non in perpetuum ira tua permãsit, sed ad correptionem in breui turbati sunt, signum habentes salutis ad commemorationem mãdati legis tuæ, qui enim conuersus est, non per hoc quod videbat, sanabatur, sed per te omnium saluatorem.* *Ibidem.* Item: *Neque herba, neque malagma sanauit eos, sed tuus Domine sermo, qui sanat omnia.* Non ergo naturæ vires, sed Dei imperium, & potentia illis medicinam adhibebat. Etenim serpentium ignitorum, id est, peccãtorum plaga insanabilis est: sed ab omnipotente medico sanatur medicina admirabili, nempe proprio ipsius medici sanguine, & cruce homine agente veram pœnitentiam. Quod adumbrat serpens exaltatus à Mose in deserto, iuxta *Ioan. 3.* illud Christi, Ioan. 3. *Sicut Moyses exaltauit serpẽtem in deserto; ita exaltari oportet filium hominis, vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat* *Medicina peccati crux Christi.* *vitam æternam.* Nónne vides, Christum ex cruce pendentem, & sanguine proprio manantem, medicinam adhibere serpentum morsibus, hominibusque æternam sanitatem offerre? Exaltari (inquit) oportet filium hominis serpentis instar, in cruce, sanguinemque suum profundere. Ecce medicinam paratam. Sequitur sanitas, vt qui eum fide viua conspexerint, non pereant à serpentibus percussi, sed sanitatem, & vitam æternam consequantur.

4 *Sap. 16.* *Signum salutis crux Christi.* *Pones serpentem pro signo.* (ait Dominus Mosi) fuit autem signum salutis Sap. 16. *Signum habentes salutis*, &c. Habebant percussi à serpentibus signum salutis, serpentem ignitũ & æreum: nos habemus signum salutis serpentem potentissimum, ardentissimum, fortissimum, videlicet Christum. Quemadmodum Christus dicitur leo sic etiam dicitur serpens. Fuit autem in cruce serpens potentissimus; quia quemadmodum virga Aaron in serpentem conuersa serpentes magorum in Ægypto deuorauit, Exod. 7. ita *Osea 13.* Christus in cruce deuorauit serpentes tartareos, mortem dilacerauit, peccata dispersit, Osee

A 13. *Ero mors tua, ô mors, morsus tuus ero inferne*, *Christus serpens potentissimus.* &c. Momordit infernum, quia serpens erat potentissimus, & fortissimus, quod æs indicat, ex quo serpens typicus factus est. Fortissimum est metallum æs: noster serpens ęneus est, quia fortissimus fuit, fortissimus, inquam, tum ad toleranda tormenta, tum ad superandos omnes hostes. Crucem enim tormentaque omnia fortissimo animo superauit Dominus; superauit etiam omnes hostes. Fert durissimum æs malleorum ictus; sic Christus tormentorum ictus tulit patientissimè. Serpens æneus omni veneno carebat: Christus caruit omni peccato, tartareique

B serpentis venena euacuauit, vt Ambrosius lib. 1. *D. Ambros.* de Apologia Dauid cap. 3. In figura, inquit, æneus serpens, tamquam confixus est cruci, quia verus serpens crucifigendus generi annuntiabatur humano, qui serpẽtis diaboli venena euacuaret, &c. Æs sonorum est metallum, cùm percutitur, valde sonat: sic Christus valde sonorus fuit, percussiones illius toto terrarum orbe sonuerunt. Nónne illius alapæ, verbera, clauorum ictus, opprobria, toto orbe etiam nunc sonant? Quisnam ille fuit sonus, de quo Psal. 18. dicitur: *Psal. 18.* *In omnem terram exiuit sonus eorũ.* Nónne Christi crucifixi? Etenim Apostoli toto orbe Christũ crucifixum prædicabant 1. Cor. 1. ait eximius *1. Cor. 1.*

C Apostolus Paulus: *Prædicamus Christum, & hunc crucifixũ*, &c. Æs cæteris metallis durabilius est, vt ait D. Isidorus: sic sonus hic æterni Christi durabilis est maximè, vsque ad extremum enim mundi diem, & in totã æternitatem perdurabit. In cęlo enim beati Domini passionem maximis laudibus celebrare nunquam desinent. D. Isido- *D. Isidorus.* rus, Num. 19. Æs, inquit, aliis metallis durabilius esse solet; & aptè serpens æneus in ligno suspensus est, vt Dominus & in serpente mortuus, & in ære significaretur æternus, &c.

5 *Christus seraph, id est, ignitus, in cruce.* Denique serpens fuit Christus *seraph*, id est, *ignitus*. Totus enim ignitus est in cruce, vndique amoris flammas emittit, quibus ij, qui eum aspiciunt, incendũtur. Aspiciamus ergo seraph, siue seraphinum nostrum ignitum, id est, amore inflammatum Christum, vt amore incenda-

D mur, tantumque amorem amore soluamus, eum redamando, qui nos tantopere prior amauit. Vt enim ait D. Augustinus de catechizan- *D. August.* dis rudibus cap. 4. nulla maior est ad amorem inuitatio, quàm præuenire amando, & nimis durus est animus, qui dilectionem, si nolebat impendere, nolit rependere, &c. Si serpentes igniti in nos irruunt, vel si nos mordent, nostrum seraphinum in cruce pendentem intueamur; si nos mordet inuidia, eius charitatem; si auaritia, paupertatem; si libido tormenta; si superbia, humilitatem; si inobedientia, eius obedientiam, qui inclinato capite in cruce tradidit spiritum, contemplemur. Multa diximus

E de serpente exaltato in deserto ad illa verba Christi, dicta Nicodemo: *Sicut Moses exaltauit serpentem in deserto*, &c. tomo 2. Concord. lib. 4.

Tædere cœpit populum itineris, & laboris.

6 Desertum per quod Deus populum Israeliticum in terram repromissionis duxit, viam adumbrat, per quam populum Christianum ducit in cælum promissum. In deserto tædere cœpit populum Israeliticum itineris, & laboris. Hoc cauendum est maximè populo Christiano, ne incipiat tædere itineris, quod ducit

ad cæleſtem patriam, & laboris, quem in eo conficiendo oportet tolerare. Hæc cauſa eſt, quòd multi pereunt, & in rogos tartareos præcipites abeunt; nimirum quia itineris difficultates ſuperare nolunt, & animo puſillo vinci ſe patiuntur, deflectuntque à via cæli in viam tartari. Pellenda animo eſt puſillanimitas, aduocanda fortitudo, quæ tædium, itinerisque aſperitatem vincat. Philo ſcribit, ſerpentem, qui Euam decepit, voluptatem ſignificare. Eſt enim voluptas ſerpenti ſimilis, homines ſuauiter mordens, & à via Dei auertens. In libro de Agricultura: Illum (inquit Philo) mulieris inſidiatorem ſerpentem, voluptatem eſſe dicimus, ſemper iacentem, ad ſola terrena bona pronam, foueas quærentem in corpore, velut ſcrobes, hiatuſque, & in quouis ſenſu ſtabulantem, hominemque conantem interficere, morſibus vix vllum doloris ſenſum afferentibus, &c. Serpens eſt voluptas ſemper iacens; non enim attollit in cælum caput vir voluptati mancipatus, ad terrena bona pronus iacet. In ſenſibus ſtabulatur ſerpens, id eſt, voluptas, velut in foueis, quia per ſenſus percipitur; denique dulcibus morſibus hominem interficit, & ducit in tartara. Hic ſerpens, id eſt, voluptas, Chriſtianos à via Dei auertit ſuis iucundis ſibilis, id eſt, tentationibus. Eſt tamen alius ſerpens, qui eos in via Dei retinet, voluptatique reſiſtit; nempe ſerpens æneus, in deſerto exaltatus, quo Philo eodem loco ait, adumbrari fortitudinem, quia æneus erat: Moſaicum, inquit, ſerpentem fortudinem eſſe dicimus, voluptati aduerſariam. Quapropter ex ære factus inducitur, &c. Hic ſerpens, id eſt, fortitudo, ſerpentem alterum, id eſt, voluptatem, deuorat. Hic neceſſarius nobis eſt, vt voluptatem repudiemus, & itineris difficultates exſorbeamus. Abiiciatur ergo puſillanimitas, tædiumque: fortitudo animi aduocetur, vt omnes occurrentes labores patienter, fortiterque feramus.

Itineris difficultates vincendæ ſunt.

Philo.

Voluptas eſt ſerpens.

Philo.

Fortitudo, æneus eſt ſerpens.

7 Sed ſerpens æneus alium fortiſſimum ſerpentem adumbrat, ac potentiſſimum, videlicet Chriſtum, ex cruce pendentem: huius aſpectus patientem fortitudinem, fortemque patientiam noſtris animis ingenerabit. Quis occurrentes in itinere difficultates non feret libenter; ſi Chriſti ſanguinem, vulnera, mortemque plenam omni dedecore conſiderauerit? Ad Hebr. 12. *Curramus*, inquit Paulus, *ad propoſitum nobis certamen, aſpicientes in authorem fidei, & conſummatorem Ieſum*, &c. Item: *Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſus ſemetipſum contradictionem, vt ne fatigemini animis veſtris deficientes.* Quaſi dicat: ſi vultis animo non deficere in hoc itinere, & certamine, ſi vultis non defatigari, aſpicite in cruce exaltatum Dominum. Vt ne fatigemini, (inquit) fortis baculus eſt Chriſti crux, meditatione conſpecta. Qui hoc baculo greſſus firmat, non deficit defatigatus. Hic eſt baculus, in quo Iacob Iordanem tranſiit: *In baculo*, ait, *meo tranſiui Iordanem iſtum.* Iuſtus autem in baculo crucis, cui per frequentem meditationem innititur, tranſit omnia flumina, plenumque ſerpentibus deſertum. Cap. 10. eiuſdem epiſtolæ ad Hebræos docet Apoſtolus, in hoc itinere neceſſariam eſſe patientiam, vt ad terram promiſſionis perueniamus. *Patientia*, inquit, *vobis neceſſaria eſt, vt voluntatem Dei facientes reportetis repromiſſionẽ*, hoc eſt, patientia eſt neceſſaria ad tolerandos itineris labores, ſi vultis reportare promiſſionem, quæ de cæleſti gloria conſequenda vobis facta eſt. Philo in lib. 3. de vita Moſis: Qui (inquit) fugit laborem, fugit fælicitatem: è diuerſo, qui fortiter, patienterque difficultates tolerat, ad beatitudinem properat, &c. Item: A labore, ait, fælicitas prouenit, quapropter perdurandum eſt. Sic ille. Et D. Hieron. ad Ruſticum, epiſt. 4. Nihil, inquit, Chriſtiano fælicius, cui promittitur regnum cælorum: nihil laborioſius, qui quotidie de vita periclitatur: nihil fortius, qui vincit diabolum: nihil imbecillius, qui à carne ſuperatur, &c. Fælix eſt Chriſtianus, quia promittitur illi regnum cælorum, ſed hæc promiſſio laborem flagitat, hoſtes enim multos habet Chriſtianus, & quotidie de vita ſpiritali periclitatur; ſi imbecillis eſt, à carne ſuperatur; ſi fortis eſt, diabolum vincit.

Vt tædiũ itineris vincatur, Chriſtus aſpiciendus eſt.

Ad Hebr. 12.

Ad Hebr. 10.

Patientia neceſſaria.

Philo.

D. Hieron.

CAPVT XVI.

Profecti filij Iſraël caſtrametati ſunt in Oboth, poſtea de torrentibus Arnon, & puteo.

NVMERI CAP. XXI.

1 PRofectique filii Iſraël caſtrametati ſunt in Oboth. Vnde egreſſi fixere tentoria in Ieabarim, in ſolitudine, quæ reſpicit Moab, contra orientalem plagam. Et inde mouentes, venerunt ad torrentem Zared, quem relinquentes caſtrametati ſunt contra Arnon, quæ eſt in deſerto, & prominet in finibus Amorrhæi: ſiquidem Arnon terminus eſt Moab, diuidens Moabitas, & Amorrhæos. Vnde dicitur in libro bellorum Domini: ſicut fecit in Mari rubro, ſic faciet in torrentibus Arnon. Scopuli torrentium inclinati ſunt, vt requieſcerent in Ar, & recumberent in finibus Moabitarum. Ex eo loco apparuit puteus, ſuper quo locutus eſt Dominus ad Moyſen: congrega populum, & dabo ei aquam. Tunc cecinit Iſraël carmen iſtud: Aſcendat puteus. Concinebant: Puteus quẽ foderũt principes, & parauerunt duces multitudinis in datore legis, & in baculis ſuis. De ſolitudine, in Matthana. De Matthana, in Nahalihel. De Nahalihel, in Bamoth. De Bamoth, vallis eſt in regione Moab, in vertice Phaſga, quod reſpicit cõtra deſertũ.

NVMERO

2 NVmerorum 33. nomina ponuntur plurium manſionum, quas hîc Moſes omiſit. Poſtquam ſanitatem recuperarunt, qui à ſerpentibus fuerunt percuſſi; profecti ſunt Iſraelitæ, fixeruntque tentoria in loco, qui dicitur Oboth, poſtea in Ieabarim. Poſtea ipſo anno quadrageſimo egreſſionis ex Ægypto venerunt in torrentem Zared, extinctis iam omnibus murmuratoribus, de quibus dixerat Dominus, Num. 14. *Veſtra cadauera iacebunt in ſolitudine, filij autem veſtri erunt vagi annis quadraginta, & portabunt fornicationem veſtram, donec conſumantur cadauera patrum in deſerto*, &c. Deut. 2. *Tempus* (ait Moſes) *quo ambulauimus de Cadesbarne vſque ad tranſitum torrentis Zared, triginta, & octo annorum fuit, donec conſumeretur omnis generatio hominum bellatorum de caſtris, ſicut iurauerat Dominus, cuius manus fuit aduerſus eos, vt interirent de medio caſtrorum*, &c. Poſtquam torrentem Zared pertranſierunt, caſtrametati ſunt è regione ciuitatis, quę appellatur Arnon. De hac ciuitate legitur Num. 21. *Caſtrametati ſunt contra Arnon, quæ eſt in deſerto, & prominet in finibus Amorrhæi*, &c. Amorrhæus ex iis erat populis, qui ex Chanaan duxerant originem. Erat autem cum Moabitis cõiunctus, & torrente Arnon ab ipſis diuiſus. De torrente Arnon Ioſephus lib. 4. Antiquit. cap. 4. Fluuius (inquit) Arnon ex Arabiæ montibus exortus, deſertum medium pererrans, in Aſphaltitem lacum influit, Moabitas ab Amorrhæis diſterminans. Eſtque hæc regio frugifera, & fructus, quantum ſatis eſt incolis, ſuppeditat, &c.

Multæ manſiones à Moſe hic prætermittuntur.

Num. 14.

Deut. 2. Hoc tempore iam extincti erant omnes murmuratores.

Num. 21.

Ioſephus. Ciuitas, & torrens Arnon.

Vnde dicitur in libro bellorum Domini.

3 Non oportet immorari in quærendo, quis liber iſte fuerit bellorum Domini, ſiquidem cum aliis periit, nec peruenit ad tempus librorum pacis Domini, id eſt, Euangeliorum, in cuius natiuitate militia cæleſtis exercitus pacem cecinit, Lucæ 2. *In terra pax hominibus.* Arnonis torrentis meminerat Moſes; addit nunc teſtimonium ex libro bellorum Domini petitum, & admirabilem Dei in ſuos protectionem commemorat factam in torrente, ſimilem illi, quæ exhibita eſt in mari rubro: *Vnde*, inquit, *dicitur in libro bellorum Domini: ſicut fecit in mari rubro, ſic faciet in torrentibus Arnon. Scopuli torrentiũ inclinati ſunt, vt requieſcerent in Ar, & recumberent in finibus Moabitarũ.* In mari rubro Deus aquis oppreſſit Ægyptios: in torrentibus Arnon, iuxta Hebræorum opinionem, oppreſſit Amorrhæos. Ægyptios oppreſſit aquis maris rubri, Amorrhæos oppreſſit ſcopulis torrentium Arnon. Vt enim aiunt Hebræi apud Lyranum, abdiderant ſe Amorrhæi in cauernis ſcopulorum, vt telis tranſeuntes Hebræos inde percuterent: Deus verò ſcopulos, qui in extremitate terræ Amorrhæorum erant, inclinauit in contrariam partem, id eſt, in ciuitatem Ar, quæ erat in finibus Moabitarum, eaque inclinatione ſcopulorum latentes Amorrhæos, atque inſidiantes obruit, & peremit. Scriptura ſolùm ait, Deum facturum in fluuio Arnon ſimile miraculum illi, quod fecit in mari rubro, & ſcopulos fluuij inclinaſſe in partem contrariam Moabitarum. Latentium Amorrhæorum nullam fecit mentionem. Itaque incertum eſt id, quod Hebræi dicunt. Certum eſt, Deum elatos ſcopulos depreſſiſſe vſque in terram Moabitarum. Miraculum ſimile miraculo patrato in mari rubro forſitan hoc fuit: ſcopulos Deus deiecit in fluuium, ſicque viam parauit per illos populo ſuo, vt fluuium pertranſiret.

Liber bellorũ Domini periit. Liber pacis Domini, id eſt, Euangelium nunquã peribit. Lucæ 2.

In torrẽtibus Arnõ oppreſſit Dominus Amorrhæos.

Miraculum factũ in torrentibus Arnon.

4 In Pſalmo 73. illa verba: *Tu dirupiſti fontes, & torrẽtes, tu ſiccaſti fluuios Ethan*, &c. Chaldæus ſic vertit: *Tu ſiccaſti vada torrentium Arnon, & Ioubecha, & Iordanis, quæ erant valida*, &c. Vnde fit, Deum non ſolùm ſcopulos in fluuium deieciſſe, ſed fluuium etiam exſiccaſſe, quemadmodum exſiccauit mare rubrum, vt viam faceret Iſraelitis: ſcopulos autem in torrentem deiecit, vt viam redderet æqualem, & abſque obſtaculis. Sed, *cur ſcriptura torrẽtem areſactum non memorauit?* Reſponderi poteſt, memoraſſe Scripturam torrentem areſactum illis verbis: *Sicut fecit in mari rubro, ſic faciet in torrentibus Arnon*, hoc eſt, ſicut mare rubrum ſiccauit; ſic ſiccabit fluuium Arnon, deiicietque prominentes iuxta illum ſcopulos, & complanabit viam. Alias huius loci omitto verſiones, noſtra nobis ſit ſatis.

Pſal. 73.

MORALE.

5 Difficilis eſt via, quæ in terram promiſſionis cæleſtem ducit: *Arcta via eſt*, (ait Dominus) *quæ ducit ad vitam*, obuia ſunt nonnunquam flumina, aliquando celſi ſcopuli, ſed Dei auxilium torrentes Arnon ſiccat, ſcopuloſque ſolo æquat, cùm vires nobis donat ad ſuperandas itineris difficultates. Iſai. 43. *Noli timere Iſrael, quia redemi te, & vocaui te nomine tuo: meus es tu, cùm tranſieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te.* Ne timeamus itineris labores, Chriſtus ſanguine ſuo redemit nos, & ex Ægypti, id eſt, peccati, tartarique captiuitate eripuit; ipſe vocauit nos nomine Chriſtiano, ipſius ſumus Chriſti ſerui, ipſius oues. Cùm per aquas torrentium tranſierimus, cùm ſe difficultates ſuperandæ obtulerint, nobiſcum ipſe erit, feretque opem, ita vt non demergamur, ſed cum vate Pſalm. 123. canamus: *Torrentem pertranſiuit anima noſtra, forſitan pertranſiſſet anima noſtra aquam intolerabilem. Anima noſtra ſicut paſſer erepta eſt de laqueo venantium, laqueus contritus eſt, & nos liberati ſumus. Adiutorium noſtrum in nomine Domini, qui fecit cælum, & terram.*

Deus in itinere nobis opem fert.

Iſai. 43.

Pſal. 123.

Ex eo loco apparuit puteus.

6 Ex torrente Arnon venerunt Iſraelitæ ad puteum quendam, in quo Deus mirabiliter aquam dedit populo. Exinde apparuit puteus. Hebraicè, מיו שם בארה *min ſam beerah*, hoc eſt, *exinde ad puteũ*, ſcilicet *venerunt*, & *apparuit eis puteus*, de quo dixit Dominus Moſi: *Congrega populum, & dabo ei aquam.* Fecit Moſes quod erat imperatum, congregauit populum, deditque eis Dominus aquam. Congregauit autem populum, vt miraculum cerneret. Quæritur, *an hic puteus extiterit, antequam Iſraelitæ ad illum locum peruenirent?* Dicitur enim apparuiſſe puteus, & dicuntur Iſraelitæ veniſſe ad puteum; ergo iam extabat: contra, dicũtur principes Iſraelitarum puteum fodiſſe; ergo non extabat ante aduentum Iſraelitarum. Oleaſter putat, extitiſſe ante aduentum Iſraelitarum, eſſeque has aquas contradictionis, de quibus agitur Numer. 20. ſed non video probabilitatem in hac opinione. Hîc de puteo ſermo fit, aquæ autem contradictionis ex rupe percuſſa emanarũt. Reſpondemus, puteum à principibus eſſe factum, vt manifeſtè ait Moſes: *Puteus*, inquit, *quem foderunt principes.* Quod ergo dicitur: *Apparuit puteus.* &:

Puteus factus à principibus.

Venerunt

Venerunt ad puteum, per anticipationem dictum est de puteo postea facto.

Ascendat puteus, concinebant.

7 *Puteum hunc* (ait Moses) *foderunt principes, & parauerunt duces multitudinis in datore legis, & in baculis suis*, hoc est, puteum foderunt principes, & duces Israëlitarum, in datore legis, hoc est, iubente Deo, datore legis; vel præcipiente Mose, qui legem dederat. Foderunt autem baculis suis, pedibus enim faciebant iter principes, baculisque firmabant gressus; baculis itaque suis iussi sunt terram fodere, non ligonibus. Effectusque est baculis puteus, & eruperunt aquarum torrentes. Interim Israelitæ lætantes, & opus diuinum celebrantes concinebant: *Ascendat puteus*, id est, putei aqua, *puteus quem foderunt principes in baculis suis*, &c. Chaldæus de hoc puteo sic scribit: Ex eo tempore, quo datus est eis puteus, descendit cum Israelitis ad torrentes, & de torrentibus ascendit cum eis ad collem, & de colle ad vallem, quæ est in agris Moab, in verticē collis, & prospicit contra Bethiesimoth, &c.

Puteus non ligonibus, sed baculis effectus.

Opinio Chaldæi de puteo.

Lyranus ait, moraliter puteum significare sacram Scripturam: hunc autem *puteum parauerunt principes, ducesque*, id est, sacri Scriptores, Moses, Prophetæ, Apostoli, Euangelistæ, *in datore legis, & in baculis suis*, hoc est, à Deo datore legis inspirati, & opera etiam sua. Puteus altus est, (ait Lyranus) quia intellectus sacræ Scripturæ profunditatis est magnæ, &c. Labore ergo, & precibus euocanda est aqua ex profundo. *Ascendat puteus*, canebant Israelitæ. A Deo enim intellectus illustratore postulandum est, vt ascendat putei profundi aqua. Hoc efficere conantur sacræ Scripturæ explanatores, nimirum vt ascendat ex puteo profunda aqua, vt intelligantur diuinorum verborum sensus, & adaquentur Christi oues. Genes. 29. in puteum venit Iacob, qui grandi lapide claudebatur. Lapidem ille remouit, & pecora Rachelis adaquauit. Grandi lapide os nostri putei clauditur; sed illum sacri explanatores instar Iacob remouent, Ecclesiæque ouibus potum præbent.

8 *Puteus non significat sacram Scripturam.*

Lyranus.

CAPVT XVII.

Regem Sehon, & regem Basan vincit Moses, regnaque eorum in potestatem Israëlitarum redigit.

NVMERI CAP. XXI.

1 MIsit autem Israël nuntios ad Sehon regem Amorrhæorum, dicens: Obsecro vt transire mihi liceat per terram tuam: non declinabimus in agros & vineas, non bibemus aquas ex puteis, via regia gradiemur, donec trãseamus terminos tuos. Qui concedere noluit, vt transiret Israël per fines suos: quin potiùs exercitu congregato, egressus est obuiam in desertum, & venit in Iasa, pugnauitque contra eum. A quo percussus est in ore gladij, & possessa est terra eius ab Arnon vsque Ieboc, & filios Ammon: quia forti præsidio tenebantur termini Ammonitarum. Tulit ergo Israël omnes ciuitates eius, & habitauit in vrbibus Amorrhæi, in Hesebon scilicet, & viculis eius. Vrbs Hesebon fuit Sehon regis Amorrhæi, qui pugnauit contra regem Moab: & tulit omnem terram, quæ ditionis illius fuerat, vsque Arnon. Idcircò dicitur in Prouerbio: Venite in Hesebon, ædificetur, & cõstruatur ciuitas Sehon: Ignis egressus est de Hesebon, flamma de oppido Sehon, & deuorauit Ar Moabitarum, & habitatores excelsorum Arnon. Væ tibi Moab, peristi popule Chamos. Dedit filios eius in fugam, & filias in captiuitatem regi Amorrhæorum Sehon. Iugum ipsorum disperiit ab Hesebon vsque Dibon, lassi peruenerunt in Nophe, & vsque Medaba. Habitauit itaque Israël in Terra Amorrhæi. Misitque Moyses qui explorarent Iazer, cuius ceperunt viculos, & possederunt habitatores. Verteruntque se, & ascenderunt per viam Basan, & occurrit eis Og rex Basan cum omni populo suo, pugnaturus in Edrai. Dixitque Dominus ad Moysen: Ne timeas eũ, quia in manu tua tradidi illum, & omnem populum ac terram eius: faciesque illi sicut fecisti Sehon regi Amorrhæorum habitatori Hesebon. Percusserunt igitur & hunc cum filiis suis, vniuersumque populum eius vsque ad internecionem, & possederunt terram illius.

DEVTERONOMII CAP. II.

2 SVrgite, & transite torrentem Arnon: Ecce tradidi in manu tua Sehon Regem Hesebon Amorrhæum, & terram eius incipe possidere: & committe aduersus eum prælium. Hodie incipiam mittere terrorem, atque formidinem tuam in populos, qui habitant sub omni cælo: vt audito nomine tuo paueant, & in morem parturientum contremiscant, & dolore teneantur. Misi ergo nuncios de solitudine Cademoth, ad Sehon Regem Hesebon, verbis pacificis, dicens: Transibimus per terram tuam; publica gradiemur via, non declinabimus, neque ad dexteram, neque ad sinistram. Alimenta pretio vende nobis, vt vescamur, aquam pecunnia tribue, & sic

sic bibemus. Tantum est vt nobis concedas transitũ, sicut fecerunt filij Esau, qui habitant in Seir, & Moabitæ, qui morantur in Ar: donec veniamus ad Iordanẽ, & transeamus ad Terram, quã Dominus Deus noster daturus est nobis. Noluitque Sehon rex Hesebon dare nobis transitũ: quia indurauerat Dominus Deus tuus spiritum eius, & obfirmauerat cor illius, vt traderetur in manus tuas, sicut nũc vides. Dixitque Dominus ad me: Ecce cœpi tibi tradere Sehon, & terrã eius, incipe possidere eam. Egressusque est Sehon obuiã nobis cum omni populo suo ad prælium in Iasa. Et tradidit eum Dominus Deus noster nobis: percussimusque eum cum filiis suis & omni populo suo. Cunctasque vrbes in tẽpore illo cepimus, interfectis habitatoribus earũ, viris ac mulieribus & paruulis: non reliquimus in eis quidquam. Absque iumentis, quæ in partem venêre prædantium: & spoliis vrbium, quas cepimus ab Aroër, quæ est super ripã torrentis Arnon, oppido quod in valle situm est, vsque Galaad. Non fuit vicus & ciuitas, quę nostras effugeret manus: omnes tradidit Dominus Deus noster nobis. Absque terra filiorum Ammõ, ad quam non accessimus: & cunctis quæ adiacent torrenti Ieboc, & vrbibus montanis, vniuersisque locis, à quibus nos prohibuit Dominus Deus noster.

DEVTERONOMII CAP. III.

3 ITaque conuersi ascendimus per iter Basan: egressusque est Og rex Basan in occursum nobis cum populo suo ad bellandum in Edrai. Dixitque Dominus ad me: Ne timeas eum: quia in manu tua traditus est cum omni populo ac terra sua: faciesque ei sicut fecisti Sehon regi Amorrhæorum, qui habitauit in Hesebon. Tradidit ergo Dominus Deus noster in manibus nostris etiam Og regem Basan, & vniuersum populum eius: percussimúsque eos vsque ad internecionem vastantes cunctas ciuitates illius vno tempore. non fuit oppidum, quod nos effugeret: sexaginta vrbes, omnem regionem Argob regni Og in Basan. Cunctæ vrbes erant munitę muris altissimis, portisque & vectibus, absque oppidis innumeris, quæ non habebat muros. Et deleuimus eos, sicut feceramus Sehon regi Hesebon, disperdentes omnem ciuitatem, virosque ac mulieres & paruulos: iumenta autem & spolia vrbium diripuimus. Tulimúsque illo in tempore terram de manu duorum regum Amorrhæorum, qui erant trans Iordanem: à torrente Arnon vsque ad montem Hermon, quem Sidonij Sarion vocant, & Amorrhæi Sanir: omnes ciuitates, quæ sitæ sunt in planitie, & vniuersam Terram Galaad & Basan vsque ad Selcha & Edrai ciuitates regni Og in Basan. Solus quippe Og rex Basan restiterat de stirpe gigantum. Monstratur lectus eius ferreus, qui est in Rabbath filiorum Ammon, nouem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis ad mensuram cubiti virilis manus.

4 ANnus agebatur quadragesimus ab exitu ex Ægypto, iamque è vita discesserant illi, in quos Dominus mortis sententiam tulerat. Postquam hi vita functi sunt, cœpit possessionem terræ tradere populo suo; tradidit autem duo regna, quæ erant ante fluuium Iordanem: alteri dominabatur Sehon Rex Amorrhæorum, alteri Og Rex Basan. De iis Psal. 135. sic canit vates: *Qui occidit Reges fortes, Sehon Regem Amorrhæorum, & Og Regem Basan, & dedit terram eorum hæreditatem Israël seruo suo*, &c. Antequam ergo transirent Israëlitę fluuium Arnon, dixit Deus Mosi, Deut. 2. *Surgite, & transite torrentem Arnon: Ecce tradidi in manu tua Sehon Regem Hesebon, Amorrhæum, & terram eius, incipe possidere, eam & committe aduersus eum prælium: Hodie incipiam mittere terrorem, atque formidinẽ tuam in populos, qui habitant sub omni cælo, vt audito nomine tuo paueant, & in morem parturientium cõtremiscant, & dolore teneantur.* Disterminabat Arnon torrens, vt diximus, Moabitas ab Amorrhæis: propinqui etiam erant Ammonitæ. Terram Moabitarum, & Ammonitarum noluit Deus tradere Israëlitis, quia Moabitæ, & Ammonitæ originem à Loth trahebant. Deuteron. 2. præcipit Mosi: *Non pugnes contra Moabitas, nec ineas aduersùs eos prælium. Nõ enim dabo tibi quidquam de terra eorum, quia Loth tradidi Ar in possessionem*, &c. Item eodem capite: *Accedens in vicina filiorum Ammon, caue ne pugnes contra eos. Non enim dabo tibi de terra filiorum Ammon, quia filijs Loth dehi eam in possessionem.*

Sehon rex Amorrhæorum Og Rex Basan.

Psalm. 135.

Deus. 2.

Hebræos prohibuit Deus pugnare cum Moabitis, & Ammonitis.

Deut. 2.

Ibidem.

Misit Israël nuncios ad Sehon.

Moabitarum filiorum Loth, & Ammonitarum terram noluit Deus tradere Israëlitis. Voluit tamen tradere terram Amorrhæorum, quæ illis erat coniuncta. Moses igitur, & populus nuntios misit ad Sehon Regem, & per eius regnum transitum petiit pacificum. Negauit Rex, congregatoque exercitu pugnam iniit. Sed victus est, totumque regnum sub potestatem Israëlitarum redactum. 4

Regnum Sehon redactũ est in potestatem Hebræorum.

Habitauit in vrbibus Amorrhæi.

Regnum Regis Arad Chananæi Numer. 21. ceperunt Israëlitæ, neque verò in vrbibus eius habitarunt, vt suprà dictum est, eas enim euerterunt: at in vrbibus regni Sehon habitarunt, & in eius viculis; erant enim coniunctæ cum terra, quę vltra Iordanem erat. Inter alias vrbes, vrbs Hesebon, Regis Amorrhæorum, videtur fuisse regia. Nam Deuter. 2. appellatur Sehon Rex Hesebon. Moabitarum fuerat hæc vrbs, sed Rex Amorrhæorum cum Rege Moab pugnauit, vt dicitur Numer. 21. eamque cepit, & tulit 6

Vrbs Hesebon regia.

tulit omnem terram, quæ ditionis Regis Moab fuerat, vsque ad fluuium Arnon.

Venite in Hesebon.

7 *Amorrhæi vicerũt Moabitas.*

In testimonium pugnæ Amorrhæorum, & Moabitarum affert Moses prouerbium quoddam, id est, vulgare dictum populi, & canticum. Sic canebant victores Amorrhæi: *Venite in Hesebon, ædificetur, & construatur ciuitas Sehon.* Euersa fuerat ciuitas, cùm est oppugnata: nunc conuocãtur ædificatores; qui eam exædificent, & construant, vt sit regia Regis Sehon, vel vocantur ædificatores, vt captam ciuitatem ampliorem faciant, ædificiisque locupletent, vt metropolis regni sit. Sequitur: *Ignis egressus est de Hesebon, flamma de oppido Sehon, & deuorauit Ar Moabitarum, & habitatores excelsorũ Arnon.* In Hesebon habitauit Rex, inde bellum gessit, inde egressus dicitur ignis, qui deuorauit, & incendit Ar ciuitatem Moabitarum, & habitatores oppidorum excelsorum quæ erant iuxta fluuium Arnon. Dicitur autem ignis ex Hesebon egressus, quia inde egressus Rex vastauit Moabitas, velut ignis, Additur in cantico: *Cantica victoria.* *Vtibi Moab, periisti populo Chamos. Dedit filios eius in fugam, & filias in captiuitatem Regi Amorrhæorum Sehon. Iugum ipsorum disperiit ab Hesebon vsque Dibon, lapsi peruenerunt in Nophe, & vsque Medaba.* Hoc est, væ Moabitis cultoribus idoli Chamos, quia perierũt. Dedit idolum Chamos filios eius, id est, filios Moab, vel dedit Moab filios *eius* (pro *suos*) in fugam: Regem enim Amorrhæorum viri fugerunt. Filias autem dedit in captiuitatem, quia fœminæ, quæ fugere non potuerunt, sub iugum captiuitatis missæ sunt, nihil iuuante idolo Chamos, quia nihil erat. Iugum, id est, dominium Moabitarum, disperiit à ciuitate Hesebon, vsque ad ciuitatem Dibon, fugientes verò defessi peruenerunt ad ciuitates Nophe, & Medaba.

Occurrit eis Og Rex Basan.

8 *Og Rex Basan regno spoliatus.* *Psal. 67.*

Erat ante Iordanem Og Rex alter Amorrhæorum, regionis fertilis, & pinguis, quæ Basan vocatur; quod nomen significat *pinguem*, Psal. 67. *Mons Dei, mons pinguis.* Hebraicè, mons בשן, *Basan.* Hic audiens Sehon Regem ab Israëlitis esse superatum, regnumque eius captum, obuiam processit cum exercitu armis instructus, prælioque cum illis dimicauit; sed victus, & regno est spoliatus. In toto autem regno habitauerunt victores Israelitæ.

Solus Og restiterat de stirpe gigantum.

9 *Deut 2. Og fuit de stirpe gigantum.*

Deuter. 2. Regem hunc Og scribit Moses solum mansisse superstitem de stirpe gigantum: *Solus*, inquit, *Og Rex Basan restiterat de stirpe gigantum. Monstratur lectus eius ferreus, qui est in Rabath filiorum Ammon, nouem cubitos habens longitudinis, & quatuor latitudinis ad mensuram cubiti virilis manus.* Mira fabulãtur Hebræi Lege Lyranum Num 21. Hunc lectum ferreum aiunt nonnulli fuisse cunam Og pueri, quæ tantæ erat magnitudinis in paruula ætate, vt lecto ferreo nouem cubitorum indigeret. Præterea *Fabula Hebræorũ de Og.* hæc est de eodem Og fabula: Cùm Og audisset castra Israëlitarum tria occupare milliaria, vnum eradicauit montem, tria item milliaria occupantem, capitique suo imposuit, vt in castra illum coniiceret hostesque obrueret. Deus verò formicas immisit in montem, quæ illum ita perforarunt, vt ad collum vsque Regis descenderit. Voluit montem Og à capite depellere, sed creuerunt illius dentes, montisque foramina sic penetrarunt, vt eum depellere nequiuerit. Nos missa faciamus deliramenta.

Incipiunt Israelitæ de hostibus victorias reportare, terrasque habitandas possidere. Iam possident terram duorum regum Amorrhæorum Sehon, & Og; postquam Iordanem transierint, multos alios Reges superabunt, eorumque regna incolent. Has victorias complectitur vates Psalm. 134. his verbis: *Percussit gẽtes multas,* (videlicet Deus) *& occidit reges fortes, Sehon Regem Amorrhæorum, & Og regem Basan, & omnia regna Chanaan, & dedit terram eorum hæreditatem Israël populo suo.* Duos Reges vicerunt Israelitæ, antequam transirent Iordanem, postquam illũ transierunt, regna terræ Chanaan subegerunt, superaruntque Reges triginta vnum, qui numerantur Iosue 12. Hæ autem victoriæ Dei auxilio sunt reportatæ iuxta illud Psalm. 48. *Manus tua gentes disperdidit, & plantasti eos, afflixisti populos, & expulisti eos. Neque enim in gladio suo possederũt terram, & brachium eorum non saluauit eos, dextera tua, & brachium tuum,* &c. Exodi 23. *Terrorem in eum mittam in præcursum tuum, & occidam omnẽ populum, ad quem ingrederis, cunctorumq; inimicorum tuorum coram te terga vertam. Emittens crabrones prius, qui fugabunt Heuæum, & Chananæũ, & Hethæum antequam introeas,* &c. De his crabronibus ait Moyses Deut. 7. *Crabrones mittet Dominus Deus tuus in eos, donec deleat omnes, atque disperdat qui te fugerint, & latere potuerint.* & Iosue 14. ait Dominus: *Misi ante vos crabrones, & eieci eos de locis suis, duos Reges Amorrhæorum, non in gladio, nec in arcu tuo. Dedique vobis terram, in qua non laborastis, & vrbes, quas non ædificastis, vt habitaretis in eis, vineas, & olineta, quæ non plantastis,* &c. D. August. in Iosue, quæst. 27. dubitat, an miserit Dominus veros crabrones in hostes Israelitarũ, ait intelligi posse nomine crabronum timoris aculeos, vel dæmones, vel veras vespas. Illius verba hæc sunt: Quid est, quòd dicit Iesus Naue: *Misit ante vos vespas, & eiecit illos,* quod etiam in libro Sapient. legitur, neque tamen vspiam factum inuenitur? An fortè translato verbo vespas intelligi voluit acerrimos timoris aculeos, quibus quodammodo volentibus rumoribus pungebantur vt fugerent: aut aërios occultos spiritus? Nisi quis fortè dicat, nõ omnia, quæ facta sunt, esse conscripta, & hoc quoque visibiliter factum, vt veras vespas velit intelligi. Sic August. Lege eundem August. in quæst. 93. super Exodum. Dicendum est, veros crabrones à Deo immissos. Hebræi addunt, aculeos habuisse venenatos, Iosue 24. *Misi ante vos crabrones.* Ergo miserat Deus crabrones. Sapient. 12. *Misisti antecessores exercitus tui vespas, vt illos paulatim exterminarent,* &c. De veris crabronibus intelligenda sunt verba historico sensu. Sunt autem crabrones affines vespis, aculeum habentes molestissimum; ideo auctor sacri libri Sapient. cap. 12. appellat vespas, & D. August. in quæst. in Exodum, & Iosue.

Psalm. 134. *Psalm. 48.* *Exod. 23.* *Misit Deus crabrones in hostes Hebræorum, & Reges multos vicerunt, Deo maximè auxiliante.* *Deut. 7.* *Iosue 14.* *D. August.* *Iosue 24.* *Sap. 12.*

MORALE.

Vt terram promissam possiderent Israelitæ, necesse fuit Dei auxilio hostes priùs vincere, vt promissum cælum nos possideamus; oportet hostes tartareos Dei præsidio priùs profligare, ad *Pugnandum est pro cælesti patria.*

Ad Hebr. 11. ad Hebr. 11. *Sancti* (ait Paulus) *per fidem vicerunt regna,* &c. regna hostium Sehon, & Og vicit sanctus Moses; regna regum, qui erant in terra Chanaam, vicit sanctus Iosue, vt possent in terra promissionis habitare Israëlitæ. Sic necesse est, nos regna superare voluptatis, prauorumque affectuum, vt possimus in cælesti patria habere domicilium, præstantissima autem est victoria voluptatis, & affectuum, vt ait Philo in lib. de agricultura: Meliorem (inquit) perfectioremque victoriam inuenire non licet, quàm illam, qua vincitur validum agmen vitiorum, & affectuum, &c. D. Thomas tria à sanctis regna vinci docet. Regnum diaboli, regnum mundi, regnum carnis. Ad Hebr. 11. Sancti (inquit) per fidem spiritaliter vicerunt regna diaboli, carnis, & mundi, &c. Per fidem autem viuam vincuntur hæc regna: cur autem per fidem vincantur, docet eodem loco; videlicet quia inuisibilia, atque æterna bona ostendit nobis fides, spemque excitat ingrediendi cælum promissum, & mundi contemptum parit, per quem mundus vincitur. Audiamus D. Thomam: Nullus (inquit) potest præsentia contemnere, nisi propter spem futurorum bonorum, per contemptum enim principaliter vincitur mundus, & ideo quia fides ostẽdit nobis inuisibilia, propter quæ contemnitur mundus, ideo, vt ait Ioannes epist. 1. cap. 5. *Vincit mundus fides nostra.* Hæc D. Thomas. Cælestia bona fidei oculis considerant iusti, ideò mundi caduca bona despectui habent. Petebat populus Israël à Sehone Rege: *Obsecro, vt transire mihi liceat per terram tuam: non declinabimus in agros, vel vineas, non bibemus aquas ex puteis, via regia gradiemur.* Nolebant quidquam tangere eorum, quæ regni Sehon erant; via regia ingredi volebant: sic viri iusti nihil eorum, quæ ad regna carnis, mundi, & diaboli pertinent, tangere volunt, omnia contemnunt; via regia volunt incedere, id est, via charitatis. Attamen Sehon bellum Israëlitis intulit, sic diabolus bellum infert iustis, neque pacificè pertransire sinit. Vnde Origenes homil. 13. in lib. Numer. Necesse (inquit) est, vt omnis, qui vult exire de regno diaboli, & fines eius euadere, luctamen inueniat, & certamina ei à ministris eius, & satellitibus suscitentur, &c. Denique, vt legimus ad Hebr. 11. *Antiqui illi patres per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones.* Sic nos oportet regna vincere diaboli, carnis, & mundi, operarique iustitiam, post has autem victorias terram repromissionis adipiscemur.

Philo. *D. Thomas.* *Spe futurorum contemnenda terrena.* *1. Ioan. 5.* *Diabolus bellum infert iustis. Origenes.* *Ad Hebr. 11. Vincere oportet regna carnis, mundi, & diaboli.*

LIBER NONVS.

CAPVT I.

De postrema mansione.

Balac vocat Balaam Magum.

NVMERI CAP. XXII.

1 PRofectique castrametati sunt in campestribus Moab, vbi trans Iordanem Iericho sita est. Videns autem Balac filius Sephor omnia quæ fecerat Israël Amorrheo, & quòd pertimuissent eum Moabitæ, & impetum eius ferre non possent, dixit ad maiores natu Madian: Ita delebit hic populus omnes, qui in nostris finibus commorantur, quomodo solet bos herbas vsque ad radices carpere. Ipse erat eo tempore rex in Moab. Misit ergo nuntios ad Balaam filium Beor ariolum, qui habitabat super flumen terræ filiorum Ammon, vt vocarent eum, & dicerent: Ecce egressus est populus ex Ægypto, qui operuit superficiem terræ, sedens contra me. Veni igitur, & maledic populo huic, quia fortior me est: si quo modo possim percutere & eiicere eum de terra mea, noui enim quòd benedictus sit cui benedixeris, & maledictus in quem maledicta congesseris. Perrexerúntque seniores Moab, & maiores natu Madian, habentes diuinationis pretium in manibus. Cúmque venissent ad Balaam, & narrassent ei omnia verba Balac: ille respondit: Manete hîc nocte, & respondebo quidquid mihi dixerit Dominus. Manentibus illis apud Balaam, venit Deus, & ait ad eum: Quid sibi volunt homines isti apud te? Respondit: Balac filius Sephor Rex Moabitarum misit ad me, dicens: Ecce populus, qui egressus est de Ægypto, operuit superficiem terræ: veni, & maledic ei, si quo modo possim pugnans abigere eum. Dixítque Deus ad Balaam: Noli ire cum eis, neque maledicas populo: quia benedictus est. Qui manè consurgens dixit ad principes: Ite in terram vestram, quia prohibuit me Dominus venire vobiscum. Reuersi principes dixerunt ad Balac: Noluit Balaam venire nobiscum. Rursum ille multo plures & nobiliores quàm antè miserat, misit. Qui cùm venissent ad Balaam, dixerunt: Sic dicit Balac filius Sephor: Ne cuncteris venire ad me: paratus sum honorare te, & quidquid volueris dabo tibi: veni, & maledic populo isti. Respondit Balaam: Si dederit mihi Balac plenam domum suam argẽti & auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei, vt vel plus, vel minus loquar. Obsecro vt hîc maneatis etiam hac nocte, & scire queam quid mihi rursum respondeat Dominus. Venit ergo Deus ad Balaam nocte, & ait ei: Si vocare te venerunt homines isti, surge, & vade cum eis: ita dumtaxat, vt quod tibi præcepero, facias. Surrexit Balaam manè, & strata asina sua profectus est cum eis. Et iratus est Deus. Stetítque angelus Dominiin via contra Balaam, qui insidebat asinæ, & duos pueros habebat secum. Cernens asina angelum stantem in via, euaginato gladio, auertit se de itinere, & ibat per agrum. Quam cùm verberaret Balaam, & vellet ad semitam reducere, stetit angelus in angustiis duarum maceriarum, quibus vineæ cingebantur. Quem videns asina, iunxit se parieti, & attriuit sedentis pedem. At ille iterùm verberabat eam: & nihilominus angelus ad locum angustum transiens, vbi nec ad dexteram nec ad sinistram poterat deuiare, obuius stetit. Cúmque vidisset asina stantem angelum, concidit sub pedibus sedentis: qui iratus, vehementiùs cædebat fuste latera eius. Aperuítque Dominus os asinæ, & locuta est: Quid feci tibi? cur percutis me? ecce iam tertiò? Respondit Balaam: Quia commeruisti, & illusisti mihi: vtinam haberem gladium, vt te percuterem. Dixit asina: Nónne animal tuum sum, cui semper sedere consueuisti vsque in præsentem diem? dic quid simile vnquam fecerim tibi. At ille ait; Nunquam. Protinus

tinus aperuit Dominus oculos Balaam, & vidit angelum stantem in via euaginato gladio, adorauítque eum pronus in terram. Cui angelus: Cur (inquit) tertiò verberas asinam tuam? Ego veni vt aduersarer tibi, quia peruersa est via tua, mihíque contraria: & nisi asina declinasset de via, dans locum resistẽti, te occidissem, & illa viueret. Dixit Balaam: Peccaui, nesciens quòd tu stares contra me: & nunc si displicet tibi vt vadam, reuertar. Ait angelus: Vade cum istis, & caue ne aliud quàm præcepero tibi loquaris. Iuit igitur cum principibus. Quod cùm audisset Balac, egressus est in occursum eius, in oppido Moabitarum, quod situm est in extremis finibus Arnon. Dixítque ad Balaam: Misi nuntios vt vocarent te, cur non statim venisti ad me? an quia mercedem aduentui tuo reddere nequeo? Cui ille respondit: Ecce adsum: numquid loqui potero aliud, nisi quod Deus posuerit in ore meo? Perrexerunt ergo simul, & venerunt in vrbem, quæ in extremis regni eius finibus erat. Cúmque occidisset Balac boues & oues, misit ad Balaam, & principes, qui cum eo erãt, munera.

Delebit hic populus omnes, qui in nostris finibus commorantur, quomodo solet bos herbas vsque ad radices carpere.

2 POst deuictos duos Amorrhæorum Reges Sehon, & Og, mouerunt castra Israëlitæ, fixeruntque tentoria ante Iordanem fluuium, in loco campestri; quamobrem vocatur hæc mansio, campestria Moab. Pertinebat enim locus hic ad Moabitas. Erat autem exercitus Hebrẽorum ante Iordanem. E regione illius sita erat ciuitas Iericho trans Iordanem. Numer. 33. *Castrametati sunt de Betsimon vsque ad Belsatim in planioribus locis Moabitarum.* Rex Moabitarum tunc temporis Balac dicebatur. Ignorabat ille, Deum præcepisse Mosi, ne bellum inferret Moabitis, vehementerq; timebat, ne Israëlitæ regnum Moabitarum sub suum iugum mitterent, quemadmodum miserãt regna duorum Regum Amorrhæorum. Timore correptus seniores quosdam Madianitarum, qui illi parebant, sic est allocutus: Equidem, quemadmodum bos herbas ad radices vsque exsecat, & absumit: sic populus hic Israelitarum nos omnes delebit, & extinguet. LXX. interpretes sic vertunt: Dixit Balac τῇ γερουσίᾳ Μαδιὰν, id est, dixit Balac *senatui*, vel *senioribus Madianitarum*. Fortè senatus Madianitarum venit ad Moab, vt tam Moabitæ, quàm Madianitæ videret, quid facto opus esset. Cùm igitur vires suas inæquales esse viribus Israelitarum viderent, vertunt se ad artes magicas. Magum vocarunt, qui castra hostium maledictione sua, velut fulmine, percuteret.

Numer. 33.

Rex Moabitarum Balac vocauit Balaam, vt maledicteret Hebræis.

Misit nuntios ad Balaam ariolum.

3 Erat ariolus quidam, siue magus, qui Balaam dicebatur, ad hunc misit Balac Rex Moabitarum nuntios, rogauitque, vt ad se veniret, & Israelitis maledicteret. Putabat enim magi maledictionem vim habituram ad infirmandos hostes. *Veni*, (inquit) *& maledic populo huic, quia fortior me est, si quomodo possim percutere, & eijcere eum de terra mea. Noui enim quòd benedictus sit, cui benedixeris, & maledictus, in quem maledicta congesseris.* De Balaam August. serm. 103. de tempore, sic scribit: Balaam (inquit) famosissimus erat in arte magica, & in carminibus noxiis præpotens opinione erat omnibus, qui erant in oriente. Nisi enim experimenta plurima præcessissent, quòd frequenter maledictis hostem vertisset armatum, non præsumpsisset Rex Balac hoc posse fieri sermonibus, quod ferro & acie vix posset impleri. Certus ergo Balac de hoc, & frequenter expertus, omissis omnibus instrumentis & auxiliis bellicis, mittit ad eum legatos. Sic August. Habitabat magus hic in Mesopotamia, vt ipsemet indicat Numer. 23. *De Aram adduxit me Balac, &c.* id est, de Mesopotamia; & Deuteron. 23. *Ammonites, & Moabites non intrabunt in Ecclesiam Domini, quia noluerunt vobis occurrere cum pane, & aqua in via, quando egressi estis de Aegypto, & quia conduxerunt contra te Balaam filium Beor de Mesopotamia Syriæ, vt maledicteret tibi, &c.* Ex quibus verbis ostenditur, Balaam ex Mesopotamia esse adductum, non solùm à Moabitis, sed etiam ab Ammonitis. Sed videntur repugnare huic sentẽtiæ eiusdem libri Num. cap. 22. verba hæc: *Misit Balac nuntios ad Balaam ariolum, qui habitabat super flumen terræ filiorum Ammon, vt vocarent eum, &c.* Habitabat Balaam super flumen terræ filiorum Ammon. Ergo non habitabat in Mesopotamia, siquidem flumen terræ filiorum Ammon non erat in Mesopotamia. Respondet Abulensis, Euphratem fluuium Mesopotamiæ, in terram influere filiorum Ammon, quia igitur Balaam habitabat iuxta flumen Euphratem in Mesopotamia, dicitur Numer. 22. habitasse *super flumen terræ filiorum Ammon*. id est, super flumen Euphratem, qui in terras filiorum Ammon illabitur. Quæres, *cur Moses non appellauerit fluuium Mesopotamiæ, vel fluuium Euphratem, sed fluuium terræ filiorum Ammon?* Respondetur, quia terra filiorum Ammon tunc notior erat Israelitis, quàm Mesopotamia, vel fluuius Euphrates. Hebraicè hoc pacto legitur: Misit nuntios פתורה, *pethorah*, quæ est super fluuium terræ, עמון, id est, *populi eius*. Noster interpres legit, עמון, *Ammon*. LXX. sic vertunt: Misit legatos ad Balaam Φαθουρὰ, qui est in flumine terræ filiorum populi eius. Hebræum nomen *pethorah* noster interpres vertit *ariolum*, à verbo פתר, *phathar*, quod significat *interpretari somnia*, vel *conijcere*. LXX. nomen oppidi esse existimarunt, quod diceretur *Phathura*. Chaldæus quoque nomen loci esse putauit, sic ille transfert: Misit Balac nuntios ad Balaam in Pethor Syriæ, quæ est iuxta Euphratem, in terra filiorum populi sui. Pagninus quoque vertit in *Pethor*, & Regia. Noster sequendus. D. Petrus epistol. 2. cap. 2. *Balaam* (inquit) *ex Bosor* Videtur ergo fuisse ex ciuitate Bosor, vel prouincia aliqua, vel loco, qui diceretur Bosor. Græcè, Βαλαὰμ Βοσόρ. Caietanus, & alii aiunt dici ex Bosor, quia filius fuerit Bosor.

Balaam magus

D. August.

Numer. 23.

Deut. 23.

Balaam venit ex Mesopotamia.

Numer. 22.

Ibid.

2. Petr. 2.

Perrexerunt seniores Moab, & maiores natu Madian.

4 Nuntij ad Balaam missi seniores erant, & principes Moabitæ, & Madianitæ. Timebat enim Israelitas vterque populus. Moabitæ duxerunt Originem à Moab, filio Loth: Ammonitæ ab Ammon, filio item eiusdem Loth, consanguinei Abraham, vt legitur Genes. 19. Madianitę autem ab Abraham ortum habuerunt, non ex vxore Sara, sed ex alia Cethura, Genes. 25. Afferebant autem nuntij diuinationis pretium in manibus, vt ariolum pretio prouocarent. Hebraicè legimus, *cesamim*, id est, *diuinationes in manibus eorum*. Sed vsurpantur diuinationes, pro pretio diuinationum.

Moabitæ & Ammonitæ à Loth habuerunt originem: Madianitæ ab Abraham.

Manete hic nocte, & respondebo.

5 Nocturno tempore inuocauit dæmonem magus, vt cum eo colloqueretur; idcirco manere iubet apud se nuntios nocte, vt respondeat. Non enim inconsulto dæmone cum illis volebat proficisci. Caietanus putat, Deum in somniis apparuisse Balaam; probatio est tenuis. Lyranus sic: Erat Balaam propheta dæmonum, reuelationes autem à dæmonibus, quas iste quærebat, vt communiter fiunt de nocte, quia sunt spiritus tenebrarum, &c. Inuocauit Balaam dæmonem, sed venit pro dęmone angelus sustinens Dei personam. August. serm. 103. Venit Dominus ad Balaam, vt fugarentur dæmones, qui ad maledicendum, & malefaciẽdum adesse consueuerunt, &c. Lyranus: Venit (inquit) angelus, non vocatus à Balaam, sed vt virtute diuina dæmonem arceret à dando responsum ipsi Balaam, & ad imponendum ei legem, & frænum, ne aliquid faceret, vel diceret contra Israel, &c. Rogauit angelus, *quid sibi volunt homines isti?* Respondit Balaam, nuntios esse Regis Moabitarum, à quibus vocaretur, vt Israelitis maleddiceret. Prohibuit angelus ad Regem ire, & populo benedicto maledicere. Paruit Balaam, nuntiosque viros principes dimisit, dicens se ad Regem venire nequaquam posse, quia verabat Deus. Ex hoc loco intelliges, nuntios fuisse viros principes inter Moabitas, & Madianitas.

Lyranus.

D. August.

Lyranus. Angelus cum Balaam esse locutus.

Multò plures, & nobiliores misit.

6 Balac non destitit ab incœpto; rursus legatos misit ad ariolum nobiliores, ac plures, qui magna illi munera polliceretur. Respondit verò Balaam, etiamsi Balac plenam auro, & argento domum mihi largiatur, non potero Dei verba immutare, id solùm loquar, quod ille præceperit. Manete verò hac nocte apud me, vt consulam Dominum. Consuluit Dominum, fecitque illi potestatem Dominus eundi ad Balac, sub hac conditione: *Ito* (inquit) *dumtaxat, vt quod tibi præcepero, facias*, &c. Adepta potestate cum legatis profectus est. Iratus autẽ est Deus, iterque facienti occurrit angelus gladio euaginato. Quæres, *cur iratus sit Deus, cùm potestatem dederit mago eundi ad Regem?* Respondetur, iratum esse, quia magus decreuerat non seruare conditionem propositam, populoque Dei maledicere. Hoc significant illa verba angeli: *Peruersa est via tua, mihique contraria.* Peruersa erat via, quia Regi obsequi statuerat, & Israelitis maledicere. Nonnulli aiunt, Deum non concessisse Balaam, vt ad Balac iret, sed tantùm permisisse, ideoque esse iratum. Hoc sequitur

Balaam profectus est ad Balac.

Peruersa via Balaam.

A August. in Numer. quæst. 48. Alii volunt ironicè locutum.

Asina, qua vehebatur Balaam, angelum vidit, districtum gladium habentem, & à recta via diuertit in agrum. Balaam verò angelum non vidit, ideoque asinam suam in viam reducere verberibus conabatur. Constitit angelus in angusta via, sita inter duas macerias vinearum. Asina ad vnam ex maceriis declinans, pedem arioli attriuit, tandem verberibus percussa concidit. Verbera ille ingeminauit, vt surgeret; verberata asina mirandum in modum humana voce sic locuta est: Quid feci tibi, cur percutis me, ecce iam tertiò? Respondit magus, B percutio te, quia percuti meruisti, quia illusisti mihi in hac via. Vtinam haberem gladium, quo tibi vitam eriperem. Rursus asina: Nonne (inquit) tuum sum iumentum, quo soles semper ad iter faciendum vti, quidnam vnquam simile feci? Ratio est aliqua, cur hoc faciam, aliud facere non possum. Sic per os asinæ angelus locutus est, apertique sunt oculi Balaam, conspectumque angelum pronus in terram adorauit. Angelus verò ad illum: Cur (inquit) asinam verberas, quæ idcirco de via declinauit, quia me vidit, quem tu non videbas, quòd si illa non declinasset, te ego hoc gladio interfecissem. Nam peruersa est via tua, mihique contraria, quam ob causam veni, vt tibi aduersarer. Responsum C dedit Balaam, veniam sic petens: Peccaui nesciens, quòd tu mihi obsisteres. Si autem tibi iter meum ad Balac Regem displicet, non progrediar vltra, sed domum meam reuertar. Angelus verò ad Regem ire concessit, sed conditionem supra positam seruare iussit. Vade (ait) cum istis, & caue, ne aliud quàm præcepero tibi, loquaris. D. Petrus epist. 2. cap. 2. ait asinam corripuisse Balaam: *Correptionem* (inquit) *habuit suæ vesaniæ, subiugale mutum animal, hominis voce loquens, prohibuit prophetæ insipientiam*, &c.

7 *Angelus stat ante asinam, districtio gladio.*

Asina Balaam loquitur.

2. Petri. 2.

Balac egressus est in occursum eius.

D Peruenit Balaam ad Regem Balac, Rex obuiam ei venit honoris causa, in finibus torrentis Arnon, qui inter Moabitas, & Amorrhæos terminus erat. Cùm verò à Rege exceptus est Balaam, traditam ab angelo conditionem statim proposuit: Ecce (inquit) adsum, ô Rex, sed nihil aliud loqui potero, quàm illud, quod Deus in ore meo posuerit. Tu vocas me ad maledicendum populo Israel, illi ego maledicere non potero, si Deus maledictionem non posuerit in lingua mea; si verò posuerit benedictionem, illi benedicam.

8 *Propositum est præceptum Balaam, vt nihil aliud loqueretur, quàm illud, quod Deus poneret in ore eius.*

Quæritur, *an Balaam verus fuerit propheta?* Abulensis Numer. 22. quæst. 3. & 5. verum prophetam fuisse ait. D. Hieronym. in tradit. Hebraicis sic de illo scribit: Balaam (inquit) primùm vir sanctus, & propheta Dei; postea per inobedientiam, & desiderium munerum, dum Israel maledicere cupit, vocabulo *diuini*, nuncupatur, &c. idem reperies apud Rupertum, libr. 6. in Genes. cap. 34. Videtur hæc Hebræorum traditio. Respondetur, Balaam ariolum fuisse, & magum, antequam Rex Balac eum muneribus inuitaret, & antequam Deo non obediret, cupiens Israel maledicere. Misisse enim dicitur Numer. 22. Balac nuntios ad Balaam ariolum; ergo ariolus erat, & magus, antequam nuntij ad eum venirent, & antequam

9 *An Balaam fuerit verus propheta?*

antequam cuperet populo maledicere. Itaque A magus fuit, propheta verò absolutè non fuit, sed paruo quodam tempore, illo scilicet, quo Dei afflatus spiritu, populo benedixit, vt videbimus.

Quæritur præterea, *an Balaam fuerit Eliu ille, qui Iob. cap. 32. & sequentib. verba facit?* Hebræi affirmant, vt ait D. Hieron. in tradit. Hebraicis in Genesim: Ex genere (inquit) Buz est Balaam ille diuinus, vt Hebræi tradunt, qui in libro Iob dicitur Eliu, &c. Eadem verba habet Rupertus, lib. 6. in Genes. cap. 34. Philippus quoque Iob 32. Hunc (inquit) Eliu doctissimi scipturarum dicunt ipsum esse Balaam ariolum, quem Balac ad maledicendum Israël conduxe- B rat, &c. Incertam hanc sententiam refutat Titelmannus, initio libri Iob, in solutionibus dubiorum, quoniam ex ipsis dictis Hebræorum si concedatur, sequitur Balaam, cùm venit ad Balac, trecentos habuisse annos, quod falsum est. Lege, si placet, eundem Authorem latè hoc confirmantem.

10 *An Balaam fuerit Eliu? D. Hieron.*

Philippus.

Quæritur etiam, *cur non fuerit territus Balaam, cùm asinam humana voce loquentem audiuit?* Ita enim illi respondit, quasi solerent loqui asinæ. Rationem reddit D. August. quæst. 48. in lib. Numer. his verbis. Nihil hîc sanè mirabilius videtur, quàm quòd loquente asina territus non est Balaam; sed insuper ei, velut talibus C monstris assuetus, ita perseueranter respondit, &c. Et infrà quæst. 50. Tanta (inquit) cupiditate ferebatur, vt nec tanti monstri miraculo terreretur, & responderet quasi ad hominem loquens, &c. Non est ergo perterrefactus, quia talibus monstris magus erat assuetus, & quia cupiditate conficiendi itineris, & accipiendi munera tenebatur. Quòd si quæras, *quisnam asinam loquentem effecerit, diabolusne, an angelus?* Respondet idem sanctissimus Pater: Deus (inquit) non asinæ animam in naturam rationalem vertit; sed quod illi placuit, ex illa sonare

11 *Cur non fuerit territus Balaam, cùm asinam audiuit loquentem? D. August.*

Idem.

fecit, &c. Itaque angelus loquentem fecit humana voce. D. Gregor. Nyssen. in lib. de vita Mosis videtur sentire, asinæ vocem non fuisse humanam, & articulatam: sed ruditum ipsum intellectum à Balaamo assueto auguriis: Habebat Balaam (inquit Nyssenus) auguria, tenebat oracula, & ad hæc ruditu asinę ignota non nunquam perdiscebat. Cuius vocem, quoniam ipse solebat brutorum animalium clamores, & garritus auium, cooperante diabolo, intelligere, quasi articulatam, significantemque historia enarrauit, ostendens ad hoc vanitatis seductos à diabolo deuenire, vt modum vocis brutorum animalium obseruent, & inde significantis vocis doctrinam accipere arbitrentur. Sic ille.

D. Greg. Nyssenus.

Opinio Nyssini.

12 Hebræi aiunt, postquam locuta est, statim mortuam esse asinam. Colligitur hæc sententia ex illis verbis angeli, Numer. 22. *Nisi asina declinasset de via dans locum resistentũ, te occidissem, & illa viueret.* Quasi dicat: Nisi asina diuertisset de via me cernens, occidissem te, illa verò modò viueret quæ mortua est. Sed verba hęc non probant, quod volunt Hebræi. Est enim sensus: Nisi asina diuertisset de via, te occidissem, & illa viueret; hoc est, te ego solùm vita priuassem, non tamen illam. Vnde non sequitur, asinam esse mortuam, vel propter verbera, vel propter terrorem, quem viso angelo habente districtum ensem conceperat; vel, vt aiunt Hebręi, ne viueret ad redargutionem hominis. Addam eorundem Hebræorum ridiculam fabulam de hac asina. Fingunt illi, decem res creatas esse post hominis creationem feria sexta, ad Solis occasum, incipiente iam sabbatho. Prima res fuit os terræ, quæ deuorauit Dathan, & Abiron. Secunda, os putei, qui semper patebat viuente Maria, sorore Mosis, & populum præcedebat, de quo supra diximus. Tertia fuit os asinæ Balaam, ad loquendum. De aliis agit Abulẽsis, Num. 22. quæst. 10. Vide, quæso, quãta sit caligine tectus horum hominum intellectus.

Num. 22.

An asina sit mortua statim, postquam est locuta.

Fabula Hebræorum.

CAPVT II.

Balaam inuitus benedicit populo.

NVMERI CAP. XXII.

1 MAnè autem facto duxit eum ad excelsa Baal, & intuitus est extremam partem populi.

NVMERI CAP. XXIII.

2 DIxitque Balaam ad Balac: Ædifica mihi hîc septem aras, & para totidem vitulos, eiusdémque numeri arietes. Cúmque fecisset iuxta sermonem Balaam, imposuerunt simul vitulum & arietem super aram. Dixítque Balaam ad Balac: Sta paulisper iuxta holocaustum tuum, donec vadam, si fortè occurrat mihi Dominus, & quodcumque imperauerit, loquar tibi. Cúmque abiisset velociter, occurrit illi Deus. Locutúsque ad eum Balaam: Septem (inquit) aras erexi, & imposui vitulum & arietem desuper. Dominus autem posuit verbum in ore eius, & ait: Reuertere ad Balac, & hæc loqueris. Reuersus inuenit stantem Balac iuxta holocaustum suum, & omnes principes Moabitarum: Assumptáque parabola sua, dixit: De Aram adduxit me Balac rex Moabitarum, de montibus Orientis: Veni, (inquit) & maledic Iacob: Propera, & detestare Israël. Quo modo maledicam, cui non maledixit Deus? Qua ratione detester, quem Dominus non detestatur? De summis silicibus videbo eum, & de collibus considerabo illum. Populus solus habitabit, & inter gentes non reputabitur. Quis dinumerare possit puluerem Iacob, & nosse numerum stirpis Israël? Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima

ſima mea horum ſimilia. Dixitque Balac ad Balaam: Quid eſt hoc quod agis? Vt malediceres inimicis meis, vocaui te: & tu è contrario benedicis eis. Cui ille reſpondit: Num aliud poſſum loqui, niſi quod iuſſerit Dominus?

Duxit eum ad excelſa Baal, & intuitus eſt extremam partem populi.

3 FIxerat populus tentoria in campeſtribus Moab. Vt eum cerneret, & maleditceret, duxit Rex Balac Balaam in excelſa Baal, hoc eſt, in montem excelſum, in quo colebatur idolum Baal, & intuitus eſt Balaam extremam partem populi, Hebraicè, *intuitus eſt*, קצה *ketſeh*, id eſt, *finem populi*. Dubium eſt, *an Balaam viderit totum populum, an partem tantùm aliquam?* LXX. interpretes vertunt: Oſtendit ei μέρος τοῦ λαοῦ, id eſt, Balac oſtendit Balaamo *partem quandam populi*. Noſter etiam interpres vertit: *Intuitus eſt extremam partem populi*. Ergo non vidit totum populum. Sed totum vidiſſe probatur, quia cùm Balaam ex loco Baal populum videns illi benediceret, Balac Numer. 23. ad alium locum illum tranſtulit, vnde totum videre non poſſet: *Veni* (inquit *mecum in alterum locum, vnde partem Iſrael videas, & totum videre non poſſis, inde maledicito ei*. Quaſi diceret: Non vult Deus maledici totum populum; forſitan volet maledici partem eius. Itaque Lyranus, Abulenſis, Caietanus, & Carthuſianus putant, Balaam totum vidiſſe populum. Iuxta quam ſentẽtiam verba illa Numer. 22. *Intuitus eſt extremam partem populi*, ſic explanandа ſunt: Vidit Balaam vſque ad extremam partem, & finem caſtrorum, id eſt, vidit totum populum. Verùm non ſatis ſuauis eſt hæc explanatio. Non enim dicitur Balaam vidiſſe vſque ad extremam partem populi, ſed vidiſſe extremam partem populi, hoc eſt, non totum populum, ſed finem caſtrorum; reliqua enim pars ex excelſis Baal cerni non poterat. Probatur hæc interpretatio ex Hebræo. Nam Numer. 23. cùm ait Balac: *Veni mecum in alterum locum, vnde partem Iſrael videas*. Hebraicè dicitur: Veni mecum in alterum locum, inde finem eius, vel extremam eius videbis, & totum non videbis. Idem nomen, קצה *ketſeh*, id eſt, *finis*, eſt vtroque loco, & idem loquẽdi modus, ſed Numer. 23. ſignificat, Balaam vidiſſe tantùm finem populi; ergo idem ſignificat cap. 22. Prẽterea grauiſſima eſt authoritas LXX. interpretum, qui perſpicuè ſua verſione docent, Balaam vidiſſe μέρος τι, id eſt, *partem quandam populi*, non verò totum populum.

An Balaam viderit totum populum ex monte Baal?

Numer. 23.

Numer. 22.

Numer. 23.

4 Dicendum ergo eſt, partem tantùm extremam caſtrorum vidiſſe Balaam, vt dicitur Numer. 22. Vidit autem tantùm extremam partem, ſiue finem caſtrorum, cùm primùm aſcendit in excelſa Baal; poſtea verò cùm benedixit populo, totum vidit; ductuſque eſt à Rege Numer. 23. in locum alterum, ex quo totum videre non poſſet. Aliter dici poteſt, Balaam noluiſſe videre totum populum, ſed voluiſſe tantùm parti maledicere: quia fortè maledictio non poſſet nocere toti, ſed parti: ideo Rex Balac oſtendit illi primò partem caſtrorum, & poſteà illi dixit: *Veni in alterum locum, vnde partem Iſrael videas, & totum videre non poſſis*. Videlicet, vt tu vis, partem vidiſti, vt volebas; non oſtendam tibi totum, ſed partem iterum, quia ita vis, vt ſit maledictio potentior.

Aedifica mihi ſeptem aras.

5 In loco excelſo iuſſit Balaam ædificari ſeptem altaria, pararique ſeptem vitulos, totidemque arietes, vt ſacrificaret, non Deo, ſed dæmoni. Auguſt. ſerm. 103. Vituperabilis (inquit) eſt Balaam, cùm ædificat aras, & victimas imponit dæmoniis, & apparatu magico poſcit diuina conſulta, &c. Magna celeritate extructa ſunt altaria, & vituli ſeptem, ſeptemque arietes allati; impoſuerunt verò vitulum, & arietem ſuper aram. Dubium eſt, *an in vna tantùm ara vnum vitulum, & arietem ſimul impoſuerint; an in ſingulis aris?* Verba enim ſignificare videntur, in vna tantùm ara impoſitos. Reſpondendum eſt, ſuper ſingula altaria impoſitos eſſe ſingulos vitulos, & ſingulos arietes. Iuſſit enim Balaam ædificari ſeptem aras, ſeptemque parari vitulos, & ſeptem arietes, vt in ſingulis aris vitulus vnus, & aries vnus in holocauſtum incenderentur. Probatur hic ſenſus, quia Balaam infrà ait: *Septem aras erexi, & impoſui vitulum, & arietem deſuper*. Videlicet, non ſuper vnam tantùm, ſed ſuper ſingulas. Verba autem illa. *Impoſuerunt vitulum, & arietem ſuper aram*. hunc habent ſenſum: Impoſuerunt ſuper ſingulas aras, interim dum offerebatur holocauſtum, Balaam Regi dixit: *Sta iuxta holocauſtum tuum*: quod offertur à te, donec vadam ad quærendum Deum, ſi fortè occurrat mihi, quidquid verò iuſſerit, dicam tibi. Abiit; occurrit illi Deus; ait Balaam: ſeptem aras erexi, & vitulum, & arietem ſuper ſingulas impoſui in holocauſtum tibi. Angelus autem in ore eius, & intellectu veluti inſcripſit verba, quæ illum volebat loqui, & vt illa loqueretur, præcepit.

Sacrificium Balaam.

D. Auguſt.

Occurrit illi Deus.

6 Quæritur, *an Balaam, cùm diſceſſit ab aris, & à Rege Balac, dæmonem quæſierit, an auguria, an Deum?* Reſpondetur, non quæſiuiſſe Deum, ſed abiiſſe ad captanda auguria. Probatur ex cap. 24. Numer. *Cùm vidiſſet Balaam*, (ait Moſes) *quòd placeret Domino, vt benediceret Iſraeli, nequaquam abijt, vt antè pertexerat, vt augurium quæreret*. Ergo quando antè abibat, quærebat auguria. LXX. interpretes vertunt: Non abiit ſecundùm conſuetum in occurſum οἰωνοῖς, id eſt, *auibus*. Hebraicum nomen eſt, נחשים *nechaſim*, quod aliqui vertunt *incantationes*. Diſceſſit ergo nunc à Balac Balaam ad augurandum. iterum idem fecit: cùm verò intellexiſſet, Deum velle omnino, vt beneditceretur populus, noluit tertiò abire ad auguria. Forſitan etiam inuocabat dæmonem, ſed Deus non permittebat venire dæmonem. Aderat angelus, qui in eius ore verba poneret benedictionis.

Balaam captauit auguria.

Num. 24.

Assumptáque parabola.

7 Cupiebat Balaam populo maledicere, vt ex dictis colligitur; ſiquidem auguria captabat ad maledicendum. Maledicere tamen non potuit, inuitus benedixit; maledictionem illius vertit Deus in benedictionem, vt legitur Deuter. 23. *Noluit Dominus audire Balaam, vertitque maledictionem eius in benedictionem tuam*. Ioſephus lib. 4.

Deus maledictionem Balaam vertit in benedictionem.

Deut. 23.

Ioſephus. lib. 4. Antiquit. cap. 6. ſic loquentem facit Balaamum: Potentior eſt Deus, quàm mea voluntas, qui contra Dei voluntatem ad gratiam hominum loqui propoſueram. Ego certè nihil in laudem Iſraelitarum dicere in animo habui, ſed Deus pro deſtinatis hæc verba mihi ſubdidit, &c. Et Philo in lib. de migratione Abrahæ: Balaame (inquit) Deus fautor bonorum hæc dictabat, id eſt, benedictionem, cogitanti peſſima, & malitioſo propoſito conſentanea, id eſt, cogitanti maledictionem, &c. Abulenſis Numer. 23. explicans verba illa Balaam: *Non aliud poſſum loqui, niſi quod iuſſerit Deus*. putat, angelum labia, & linguam Balaami moueriſſe ad proferenda verba benedictionis, *i* non concurrente ipſo Balaam, quia maledicere volebat, non benedicere. Philo lib. 1. de vita Moſis, hæc verba angelo tribuit loquenti cum Balaam: Nihil efficies, me ſubijciente verba præter tuam ſententiam, & inſtrumenta vocis vertente, quò fas, ac pium eſt. Nam ego ero tui ſermonis rector, per tuam linguam inuitam fundens oracula, &c. Crediderim, Balaamum ipſum linguam, labiaque ſua mouiſſe ad benedicendum, cùm tamen maledicere vellet. Cauſa eſt, quia valde angelum timebat, quem viderat diſtricto gladio armatum. Itaque Deus verba benedictionis dictauit Balaam, ille inuitus, & timore perterritus illa protulit; aſſumptaque parabola ſua ex loco illo populo benedixit. Parabola hic dicitur ſermo ſubobſcurus Balaam, ſimilis parabolis obſcuris.

Philo.

An Balaam concurrerit ad benedicendum. Philo.

De Aram adduxit me Balac.

8 Hæc eſt Balaami benedictio: *De Aram* (inquit) *vocauit me Rex Moabitarum Balac, & de montibus orientis*, &c. *Aram* Hebraicè *Syriam* ſignificat. *Aram naharaim*, id eſt, Syria duorum fluuiorum, ſignificat Meſopotamiam, quæ inter duos fluuios ſita eſt, Euphratem, & Tygrim, vnde nomen inuenit Hebræum, & Græcum. Nam μέσος *medium*, & ποταμὸς *fluuium* ſignificat. Ab hac Aram fluuiorum duxit Balac Balaam, vt dicitur Deuteronom. 23. *Conduxerunt contra te Balaam de Meſopotamia Syriæ*, &c. Sita erat in orientali plaga, ſi cum tetta Moabitarum conferretur; ideò ait ſe adductum *de montibus orientis*. Montoſa enim erat regio illa. Adductus eſt ad maledicendum, ſed ille recuſat addens: *Quomodo maledicam populo, cui Deus non maledixit?* Quaſi dicat, non poſſum id facere. Ego quidem de ſummis ſilicibus videbo eum, & de collibus conſiderabo illum, hoc eſt, de excelſis ſilicibus, Hebraicè, *ſurim*, id eſt, *rupibus*, & *celſis collibus*, contemplor caſtra Iſrael. Populus hic ſolus habitabit, ab aliis populis ſeparatus loco, & religione. Ideo ſequitur, *& inter gentes non reputabitur*. Non enim reputabatur inter Ethnicos. Commendatur, & benedicitur populus Iſrael, quòd eſſet populus ſingularis Dei, non permixtus gentibus. Præterea benedicitur propter multitudinem: *Quis* (inquit) *dinumerare poſſit puluerem Iacob, & noſſe numerum de ſtirpe Iſrael?* Cum puluere confert populum, quòd ſit innumerabilis, quemadmodum puluis, & arena, iuxta illud Geneſ. 15. *Multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas cœli, & ſicut arenam, quæ eſt in littore maris*. His adiungit: *Moriatur anima mea morte iuſtorum, & fiant nouiſſima mea horum ſimilia*. Ac ſi diceret, O beatum populum! Beatus ero, ſi morte horum iuſtorum moriatur anima mea, hoc eſt, vita mea. Sumitur enim cauſa pro effectu, anima pro vita, quam efficit. Illorum ex opto mortem, illorum nouiſſima mihi contingant. Sic Balaam à Deo doctus, & timore angeli perterritus, benedixit Iſraelitis.

Ioſephus.

Deut. 23.

Benedictio Balaam.

Geneſ. 15.

Syria dicitur Aram.

Non aliud poſſum loqui.

9 Rex Balac audiens Balaamum non maledicere populo, ſed benedicere, iratus: Quid (inquit) hoc eſt, quod agis? Ego te vocaui, vt populum maledictis configeres; tu verò eum benedictione proſequeris. Reſpondit Balaam; Non poſſum aliter loqui, quàm Deus iuſſerit. Hoc iam ſuprà hoc capite eſt explicatum.

CAPVT III.

Balaam inuitus benedixit populo.

NVMERI CAP. XXIII.

1 DIxit ergo Balac: Veni mecum in alterum locum, vnde partem Iſrael videas, & totum videre non poſſis, inde maledicito ei. Cumque duxiſſet eum in locum ſublimem, ſuper verticem montis Phaſga, ædificauit Balaam ſeptem aras, & impoſitis ſupra vitulo atque ariete, dixit ad Balac: Sta hic iuxta holocauſtum tuum, donec ego obuius pergam. Cui cùm Dominus occurriſſet, poſuiſſetque verbum in ore eius, ait: Reuertere ad Balac, & hæc loqueris ei. Reuerſus inuenit eum ſtantem iuxta holocauſtum ſuum, & principes Moabitarum cum eo. Ad quem Balac: Quid, inquit, locutus eſt Dominus? At ille aſſumpta parabola ſua, ait: Sta Balac, & auſculta, audi fili Sephor: Non eſt Deus quaſi homo, vt mentiatur: nec vt filius hominis, vt mutetur. Dixit ergo, & non faciet? locutus eſt, & non implebit? Ad benedicendum adductus ſum, benedictionem prohibere non valeo. Non eſt idolum in Iacob, nec videtur ſimulachrum in Iſrael. Dominus Deus eius cum eo eſt, & clangor victoriæ regis in illo. Deus eduxit illum de Ægypto, cuius fortitudo ſimilis eſt rhinocerotis. Non eſt augurium in Iacob, nec diuinatio in Iſrael. Tẽporibus ſuis dicetur Iacob & Iſraeli quid operatus ſit Deus. Ecce populus vt leæna conſurget, & quaſi leo erigetur: non accubabit donec deuoret prædam, & occiſorum ſanguinem bibat. Dixitque Balac ad Balaam: Nec maledicas ei, nec benedicas.

Et ille ait: Nónne dixi tibi, quòd, quidquid mihi Deus imperaret, hoc facerem? Et ait Balac ad eum: Veni, & ducam te ad alium locum: si fortè placeat Deo vt inde maledicas eis. Cúmque duxisset eum super verticem montis Phogor, qui respicit solitudinem, dixit ei Balaam: Ædifica mihi hîc septem aras, & para totidem vitulos, eiusdemque numeri arietes. Fecit Balac vt Balaam dixerat: imposuitque vitulos & arietes per singulas aras.

Veni mecum in alterum locum.

2 EX loco illo, & summis silicibus ductus est à Rege Balaam in alterum locum, vnde cernere non poterat totum populum, sed tantùm partem, vt maledictio in pauciores esset efficacior. Lege, quæ initio capitis superioris de hoc loco diximus. Locus autem in quem ductus est, mons dicebatur Phasga; ibi eadem fecit Balaam, quæ fecerat, cùm primò benedixit: septem altaria extruxit, in singulis singulos vitulos, & singulos arietes, in holocaustum obtulit, deinde ad quærenda auguria abijt, vt capite superiori dictum est. Non est autem passus angelus, dæmonem illi occurrere, ipse occurrit, & posuit verba benedictionis proferenda in ore eius, & intellectu, præcepitque, vt reuerteretur ad Regem: interrogauit Rex, quid locutus esset Dominus.

At ille assumpta parabola.

3 Rogauit Rex, quid locutus esset Dominus, respondet Balaam, Deum in eadem permanere sententia benedicendi populo, neque ab ea mutari. Deinde benedicit populo, dicens se aliud facere non posse: *Non est* (inquit) *Deus similis homini, vt mentiatur.* Quæris, *quid locutus est Deus?* Verum locutus est, vera loquar, quæ ille mihi dictauit, populo iterũ benedicet per os meum. non enim vt homo mutatur, in eadem perstat sententia benedicendi Israelitis; id faciam, quod mihi præcepit, maledicere non valeo. Laudat deinde populum primum à religione. *Non est* (ait) *idolum in Iacob, neque simulachrum,* non colunt Israelitæ idola sicut gentes, sed vnum tantummodo verum Deum.

4 Secundò laudat ab auxilio Dei: *Dominus* (inquit) *Deus eius cum eo est semper afferens auxilium contra hostes, & clangor victoriæ Regis est in illo,* hoc est, clangor in eo auditur tubarum, victoriam personantium Regis, id est, Dei, qui rex populi est, & victorias illi largitur. Deus auxilium illi attulit, eduxitque eum ex Aegypto, cuius fortitudo similis est rhinocerotis. Fortitudo enim Dei similis est fortitudini rhinocerotis, qui inter animalia est fortissimus: Rhinoceros Hebraicè dicitur, ראם, *reem*, à LXX. interpretibus dicitur, μονόκερως, id est, *vnicornis*, à cornu præcipuo. Habet enim duo cornua, alterum maius, à quo dicitur vnicornis, & quia in nare situm est, dicitur rhinoceros, à ῥὶν, id est, *naso*, & κέρας, id est, *cornu*. Habet etiam alterum minus, iuxta illud Martialis, epigram. 20. *Martialis.*

Ille grauem gemino cornu sic extulit vrsum,
Iactat vt impositas taurus ad astra pilas.

Vnde colliges, quantæ sit fortitudinis; siquidem cornibus vrsum tam facilè in aerem iactauit. Oppianus lib. 2. de venat. Paulùm (inquit) *Oppianus.* super summum nasum attollit cornu sæuum, acutum, atrocem gladium. Illo æs perforauit impetu facto. Feriens, durumque diuiserit saxum, &c. Elephantum vincit, cui longitudine par est, cruribus breuioribus præditus. Est aliud animal, quod etiam appellatur μονόκερως, id est, vnicornis; in fronte cornu habens longius quàm cornu rhinocerotis. Hic verò locus de rhinocerote est interpretandus, qui multo videtur fortior monocerote.

Tertiò laudat Balaam populum, quòd nulla auguria habeat, nullas incantationes: Inter gentes (inquit) auguria sunt, & diuinationes; à populo Israel hæc absunt, non quærit veritatem ab auibus, & à dæmonibus, sed à Deo. *Temporibus suis,* (id est, temporibus congruentibus,) *dicetur Israeli quid operatus sit Deus,* hoc est, opera Dei Israeli manifestabuntur ab ipso Deo per prophetas. Tandem victoriam de Chananæis vaticinatur: Ecce (inquit) *populus vt leæna consurget* aduersus Chananæos, & quemadmodum leæna, & leo, postquam ad prædam consurrexerunt, non accubant priùs, quàm prædam ceperint, eiusque sanguinem biberint: sic Israelitæ in terra promissionis non accubabunt, & habitabunt priùs, quàm Chananæos, veluti prædam, ceperint, eorumque sanguinem velut leones biberint; hoc est, priusquam eos vicerint, eorumque sanguinem fuderint. Chaldæus sic vertit: Non habitabit in terra sua, donec occidat occisionem, & substantias populorum hæreditabit, &c.

Nec maledicas ei, nec benedicas.

Cùm cerneret Rex Balac, Balaam populo iterum benedixisse, rogauit eum, vt neque benediceret, neque malediceret. Balaam respondit, se aliud facere non posse, vt iam dixerat. At Balac cupidissimus maledictionis, quiescere noluit, sed magum duxit in alium montem, vt populo malediceret. Dicitur autem mons ille Phogor. Iussit magus, vt antea, exædificari septem altaria, obtulitque in omnibus holocausta.

Benedictio Balaam.

De Rhinocerote.

CAPVT IV.

Balaam inuitus populo benedicit.

NVMERI CAP. XXIV.

1 CVmque vidisset Balaam, quòd placeret Domino, vt benediceret Israëli, nequaquam abijt, vt antè perrexerat, vt augurium quæreret: sed dirigens contra desertum vultum suum, & eleuans oculos, vidit Israël in tentorijs commorantem per tribus suas, & irruente spiritu Dei, assumpta parabola ait:

ait: Dixit Balaam filius Beor: dixit homo, cuius obturatus est oculus: dixit auditor sermonum Dei, qui visionem Omnipotentis intuitus est, qui cadit, & sic aperiuntur oculi eius: Quàm pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israël vt valles nemorosæ, vt horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula quæ fixit Dominus, quasi cedri prope aquas. Fluet aqua de situla eius, & semen illius erit in aquas multas. Tolletur propter Agag Rex eius, & auferetur regnum illius. Deus eduxit illum de Ægypto, cuius fortitudo similis est rhinocerotis. Deuorabunt gentes hostes illius, ossaque eorum confringent, & perforabunt sagittis. Accubans dormiuit vt leo, & quasi leæna, quam suscitare nullus audebit. Qui benedixerit tibi, erit & ipse benedictus: qui maledixerit, in maledictione reputabitur. Iratusque Balac contra Balaam, complosis manibus ait: Ad maledicendum inimicis meis vocaui te, quibus è contrario tertiò benedixisti: reuertere ad locum tuum. Decreuerã quidẽ magnificè honorare te, sed Dominus priuauit te honore disposito. Respõdit Balaã ad Balac: Nónne nuntijs tuis, quos misisti ad me, dixi: Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti & auri, non potero præterire sermonem Domini Dei mei, vt vel boni quid vel mali proferã ex corde meo: sed quidquid Dominus dixerit, hoc loquar? Verũtamen pergens ad populum meũ, dabo consilium, quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore. Sumpta igitur parabola, rursum ait: Dixit Balaã filius Beor: dixit homo cuius obturatus est oculus: dixit auditor sermonum Dei, qui nouit doctrinam Altissimi, & visiones Omnipotentis videt, qui cadens apertos habet oculos. Videbo eum, sed non modò: intuebor illum, sed non propè. Orietur stella ex Iacob, & consurget virga de Israël: & percutiet duces Moab, vastabitque omnes filios Seth. Et erit Idumæa possessio eius: hereditas Seir cedet inimicis suis: Israël verò fortiter aget. De Iacob erit qui dominetur, & perdat reliquias ciuitatis. Cumque vidisset Amalec, assumens parabolam, ait: Principium Gentium Amalec, cuius extrema perdentur. Vidit quoque Cinæum: & assumpta parabola, ait: Robustum quidem est habitaculum tuum: sed si in petra posueris nidum tuum, & fueris electus de stirpe Cin, quamdiu poteris permanere? Assur enim capiet te. Assumptaque parabola iterùm locutus est: Heu, quis victurus est, quando ista faciet Deus? Venient in triremibus de Italia, superabunt Assyrios, vastabuntque Hebræos, & ad extremum etiam ipsi peribunt. Surrexitque Balaam, & reuersus est in locum suum: Balac quoque via, qua venerat, redijt.

2 EXtrui iussit altaria septem Balaam, & incendit holocaustum, vt antea, sed non abijt ad quærenda auguria, vt antea; quia videbat nihil sibi proficere. Numer. 24. *Cùm vidisset Balaam, quod placeret Domino, vt benediceret Israeli, nequaquam abijt, vt ante perrexerat, vt auguria quæreret.* Irruisse dicitur super eum spiritus Dei, & illo afflatus, vaticinari sic cœpit: *Dixit Balaam filius Beor, dixit homo cuius obturatus est oculus, dixit auditor sermonum Dei, qui visionem omnipotentis intuitus est, qui cadit, & sic aperiuntur oculi eius,* &c. Hæc benedictio præcipua est, idcirco hæc præfatur Balaam de seipso: Dixit Balaam homo, cuius oculus mentis ad prophetandum omni luce caret, sed à Deo illuminatur. *Dixit auditor verborum Dei,* qui à Deo reuelationem accepit, cuius oculi mentis aperiuntur, cùm cadit, cadebat enim in terram, cùm spiritu diuino afflabatur. Non sic veri prophetæ.

Num. 24.

Benedictio Balaam.

3 Post præfationem laudat populi Israelitici castra: *Quàm pulchra* (inquit) *tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israel, vt valles nemorosæ, vt horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula, quæ fixit Dominus, quasi cedri prope aquas.* O quàm decora sunt castra tua Israel, quæ ex hoc monte cerno. Similia sunt vallibus vmbrosis, aspectuque iucundis, in quibus arborum magna est copia. Similia etiam sunt hortis irriguis, atque amœnissimis. Similia sunt excelsis cedris, & sicut tabernacula manu Dei fixa. Post hæc in magnam multitudinem multiplicandos Israelitas ait: *Fluet aqua de situla eius, & semen illius erit in aquas multas.* Situla vas est, A quo hauritur aquã: Non erit, inquit, sterilis hic populus, non arescet, sed multiplicabitur valde. *De situla eius,* id est, velut ex vase, quo hauritur aqua, fluet ex eo aqua in alios: semen illius erit in aquas multas, id est, in populos multos, qui ex eo velut fonte nascentur.

Castra Israelitarum.

Multitudo Israelitarum & fortitudo.

4 Præterea agit de populi fortitudine: *Tolletur propter Agag Rex eius, & auferetur regnum illius, Deus eduxit illum de Aegypto, cuius fortitudo similis est* Rhinocerotis. *Deuorabunt gentes hostes illius, ossaque eorum confringent, & perforabunt sagittis. Accubans dormiuit vt leo, & quasi leæna, quam suscitare nullus audebit.* De victoria agit Saulis primi Regis Israelitarum. Vicit ille Regem Amalecitarum Agag, sed regno priuatus est à Deo, eo quòd præcepto Dei non paruerit. Iusserat enim, vt omnes Amalecitas, & eorum etiam pecora neci daret: non obtemperauit voci Domini, sed regi vitam donauit, multa quoque pecora sunt seruata. Lege lib. 1. Reg. cap. 15. Ait ergo, *propter Agag* Regem Amalecitarum victum, & vita donatum priuabitur regno Saul Rex fortis populi Israelitici. Deus hunc populum ex Aegypti captiuitate liberauit, cuius scilicet Dei fortitudo maxima est, sicut fortitudo Rhinocerotis maxima est inter animalia. Posset etiam locus superior capitis 4. huius libri, & hic, de populi explicari fortitudine, hunc in modum; Cuius, scilicet populi, fortitudo est similis fortitudini Rhinocerotis; *Deuorabunt Israelitæ gentes hostes illius,* hoc est, superabunt Israelitæ, & delebunt gentes hostes ipsius populi; hostes suos extinguent, videlicet gentes. Similis

Agag rex victus à Saule.

Similis est hic populus fortissimus leoni, & leænæ. Quis leonem, aut leænam dormientem audebit excitare? Quis populum hunc in pace quiescẽtem audebit ad bellum prouocare? Omnes territi sunt Moabitæ, Madianitæ, & alij. Denique non solùm populum benedicit, sed eos etiam maledictos pronunciat, qui illi maledixerint. *Qui* (inquit) *benedixerit tibi, erit & ipse benedictus: qui maledixerit, in maledictione reputabitur.*

Iratúsque Balac contra Balaam.

5 *Constans est Balaam in proposito parendi Deo.*

Iratus est Balac Rex aduersus Balaam, quòd iam tertiò benedixerit Hebræis, iussitque eum domum suam reuerti. At Balaamus respondit, se non posse Dei sermonem præterire, aliumque proferre, dixisseque nuntijs: *Si dederit mihi Rex Balac plenam domum suam argenti, & auri, non potero præterire sermonem Domini Dei mei*, vt vel boni quid, vel mali proferam ex corde meo, sed quidquid Dominus dixerit, hoc loquar, &c. Verumtamen pollicetur, se daturum consilium Regi, quod maximam parlat Israelitis perniciem. De hoc consilio agitur Numer. 25. & agemus infrà.

Sumpta parabola rursum ait.

6 *Balaam vaticinatur de Christo venturo.*

Interrupit Rex Balac verba benedictionis Balaam; ad illum reuertitur, finemque imponit. Forsitan cùm iam vellet discedere ex illo loco, spiritus irruit in eum, & compulit, quæ sequuntur, vaticinari de Messia venturo: *Videbo* (inquit) *eum*, (id est, Messiam) propter quem Deus non patitur maledici populum hunc, ex quo est nasciturus. Videbo summum mundi bonum, summam fælicitatem, summum Redemptorem, summum hominum iudicem: sed non videbo modò. *Intuebor illum, sed non propè.* Assumit personam populi Israelitici, qui vidit Messiam, sed post multos annos. Lyranus sic interpretatur: *Videbo illum, sed non modò* per me ipsum, sed videbo per posteros meos magos in Bethlehem. Vel aliter: *Videbo illum non modò*, sed in extremo iudicio. De iudicio enim paulò post agit.

Lyranus.

7 *De stella magorum vaticinium Balaam.*

Deinde proponit signum natiuitatis Messiæ: *Orietur stella ex Iacob.* De stella enim quæ magis ostendit viam, exponunt verba hæc D. Maximus serm. 3. de Epiphania, Haymo, Druthmarus, Procopius, D. Thomas, Lyranus, & alij. Objicies, stella illa, quæ magos duxit ad præsepe Christi, orta est in oriente: *Vidimus* (aiunt illi) *stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* At hoc loco dicitur orta ex Iacob. Respondetur, ortam quidem esse in oriente, sed diei ortam ex Iacob, quia propter Messiam, filium Iacob, natum in Iacob, orta est in oriente, vt illum magis demonstraret. Præterea quia Messiæ iussu est orta. Potest etiam Christus dici stella hoc sensu: *Orietur stella*, id est, Messias ex Iacob. Christus enim ex Iacob ortus est, ipse autem stellam se vocat Apocalyp. 22. Ego (inquit) *sum stella splendida, & matutina.*

Christus stella.

Apocal. 22.

8 *Psalm. 109.* *Potentia sceptri Christi.*

Additur: *Et consurget virga de Israel*, id est, sceptrum Messiæ, & regnum ex populo Israelitico prodibit, iuxta illud Psal. 109. *Virgam virtutis*, (id est, fortitudinis) *tuæ emittet Dominus ex Sion*, &c. *& percutiet hæc virga*, hoc sceptrum Messiæ, *duces Moab*, id est, dæmones, appellat autem metaphoricè eos, duces Moab, quia cum Moabitis loquebatur, colentibus idola; *vastabitque omnes filios Seth.* Tres filios Adamo tribuit scriptura, (præter alios, quos omittit) Cain, Abel, & Seth. Abel occisus à Cain, filios non habuit, Cain posteritas omnis diluuio est absorpta. Ex progenie Seth seruatus est Noe, à quo omnes homines sunt propagati. Filij igitur Seth per Noe dicuntur omnes homines, qui post diluuium viuunt, vel vixerunt. Indicatur hoc Messiæ potestas ad iudicandum. Nam in die iudicij iudicabit omnes filios Seth, id est, omnes homines, vastabitque impios. Vel potest significare verbum, *vastabit*, non actum, sed potestatem: vastabit, hoc est, vastare poterit Messias, si velit, omnes homines, tanta illius erit potentia. Similem sensum habere possunt verba illa Psalmi 2. *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.* Hoc est, poteris tanquam vasa figuli illos confringere, si libuerit.

Psalm. 2.

9

De Israelitis quoque possunt exponi verba, quos Dominus, qui in Balaam loquebatur, noluit appellare filios Iacob, vel Israel, vel Abraham, sed obscurè vocauit filios Seth, qui Patriarcha fuit pius, atque religiosus. Nam prophetiæ obscuræ sunt, & hæc dicta sunt parabolica. Erit sensus: Hic Messias summum erit bonum, summaque fælicitas Israelitarum, sed ab illis repudiabitur, & occidetur. Quamobrem vastabit omnes filios Seth, id est, ipsos Israelitas. Vastauit enim Christus Israelitarum regnum, propterea quòd regem suum repulerunt. Oleaster vult, filios Seth appellari ignotos aliquos populos, id si concedamus, facilis erit sensus: Vastabit Messias duces Moab, id est, dæmones, & omnes filios Seth, id est, omnes impios. Nam ignoti illi populi, qui dicuntur filij Seth, idola colebant, impijque erant. Sequitur: *Et erit Idumæa possessio eius*, hoc est, Ethnici Messiam amplectentur, quem Israelitæ repudiabunt; eritque possessio eius gentilitas. Maximè ex gentibus ad fidem conuersis congregata est Ecclesia. Idumæa metaphoricè significat gentilitatem, vt ait D. Gregor. homil. 7. in Euangel. in qua illud Psalm. 59. *In Idumæam extendam calceamentum meum*; sic interpretatur mysticè: Per Idumæam (inquit) gentilitas; per calceamentum verò assumpta mortalitas Christi designatur. In Idumæam ergo Dominus calceamentum suum se extendere asserit, quia dum per carnem gentibus innotuit, quasi calceata ad nos diuinitas venit. Hæc ille. Seir, vt suprà diximus, significat eandem Idumæam. Nam Esau, à quo Idumæi originem ducebant, Seir dicebatur, quamobrem verba sequentia: *Seir cedet inimicis suis*, eundem sensum habent, quem superiora: Seir, id est, Idumæa gentilitas, cedet inimicis suis, id est, Christianis, quos persequetur, sed tandem conuertetur ad Christum, Israel verò fortiter aget: non Israel carnalis, sed Israel spiritualis, id est, populus Christianus, fortiter aget, martyria, tormentaque multa, pro fide Messiæ, summa cum fortitudine toleranS. Denique: *De Iacob erit, qui dominetur, & perdat reliquias ciuitatis*, hoc est, ex Iacob orietur totius orbis Imperator, ac Monarcha Christus, cui nullus similis, & reliquias idolorum, & ethnicismi Romanæ ciuitatis disperdet. Vel: vnus erit Christus, qui orbi dominetur, perdet verò regnum Israelitarum vsque ad reliquias ciuitatis Ierusalem, ita vt Iudæi dominatu Ierusalem omnino pellantur.

Idumæa gentilitatem significat. *D. Gregor. Psalm. 59.*

Christus ex Iacob ortus toto terrarum orbe dominatur.

Cúmque vidisset Amalec.

10

De Messia vaticinatus est Balaam, nunc de Amaleci

De Amalecitis vaticinatur Balaam.

Amalecitis vaticinatur, de Cinæis, & alijs. De Amalecitis sic: *Principium gentium Amalec, cuius extrema perdentur.* Cur dicantur *Amalecitæ principium gentium*, dubium est; Lyranus, & alij aiunt, dici principium gentium, quia cum Israelitis pugnarunt. Nam cùm ex Ægypto exierunt, primus populus gentium, qui Hebræis bellum intulit, Amalecitæ fuerunt, vt constat Exod. 17. Hunc sensum sequitur Chaldæus, qui sic vertit; Principium bellorum Israel, fuit Amalec, &c. Aliter locus sic potest exponi, vt *principium* significet non principium absolutè, sed antiquitatem, hoc sensu: Antiquissimus populus inter gentes est Amalec, veruntamen tandem delebitur ab Israelitis. A Saule enim deletus est, 1. Reg. 15. vt supra explicatur.

Vidit quoque Cinæum.

11 *De Cinæis agit Balaam 1. Reg. 15.*

Cinæi ab Iethro, socero Mosis, ortum habebant, de quo supra egimus. Inter Amalecitas erant, vt constat ex illis verbis Saulis, 1. Reg. 15. *Dixit Saul Cinæo; Abite, recedite, atque discedite ab Amalec, ne forte inuoluam te cum eo, & recessit Cinæus de medio Amalec, percussitque Saul Amalec.* Hunc populum etiam extinguendum prædicit Balaam, quamuis in editis locis, & rupibus habitet: *Robustum* (inquit) *est habitaculum*, attamen etsi in petra, id est, rupe, nidum tuum, & habitationem collocaueris, & à Cin sis ortus, non poteris diu permanere. Assyrij enim te redigent in captiuitatem.

Heu quis victurus est, quando ista faciet Deus?

12 *Vaticinatur Balaam de Romanis.*

Tandem de Romanis agit exclamans: Heu (inquit) quis tunc viuet, cùm hæc fient, quæ prædicam? Hæc verba temporis longitudinem significant, post longum enim tempus facta sunt ea, quæ euentura dicuntur; quasi dicat: heu quis videbit clades, quas cæteris gentibus inferent Romani? Væ Israelitis, à Romanis tandem vastabuntur: *Venient ex Italia in trirembus*, & nauibus Romani, *Assyrios vincent, vastabuntque Hebræos*, siue Israelitas. Ad extremum verò etiam ipsi Romani extinguentur. Sic euenerunt hæc, vt prædicta sunt. Nam Romani Iudæos sub iugum miserunt, de Assyrijs victoriam reportarunt, tandemque Romanum illud idola colentium imperium, quod vniuerso dominabatur orbi, perijt.

CAPVT V.

Consilio Balaam in fornicationem, & idololatriam præcipitatur populus, & punitur.

NVMERI CAP. XXV.

1 MOrabatur autem eo tempore Israël in Setim, & fornicatus est populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad sacrificia sua. At illi comederunt, & adorauerunt deos earum. Initiatusque est Israël Beelphegor, & iratus Dominus ait ad Moysen: Tolle cunctos principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis, vt auertatur furor meus ab Israël. Dixitque Moyses ad iudices Israël: Occidat vnusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor. Et ecce vnus de filijs Israël intrauit coram fratribus suis ad scortum Madianitidem, videntemque Moyse, & omni turba filiorum Israël, qui flebant ante fores tabernaculi. Quod cùm vidisset Phinees, filius Eleazari, filij Aaron sacerdotis, surrexit de medio multitudinis, & arrepto pugione ingressus est post virum Israëlitem in lupanar, & perfodit ambos simul, virum scilicet, & mulierem in locis genitalibus. Cessauitque plaga à filijs Israël, & occisi sunt viginti quattuor millia hominum. Dixitque Dominus ad Moysen: Phinees filius Eleazari, filij Aaron sacerdotis, auertit iram meam à filijs Israel, quia zelo meo commotus est contra eos, vt non ipse delerem filios Israël in zelo meo. Idcirco loquere ad eum: Ecce do ei pacem fœderis mei, & erit tam ipsi, quàm semini eius pactum sacerdotij sempiternum; quia zelatus est pro Deo suo, & expiauit scelus filiorum Israël. Erat autem nomen viri Israëlitæ, qui occisus est cum Madianitide, Zambri filius Salu, dux de cognatione, & tribu Simeonis. Porro mulier Madianitis, quæ pariter interfecta est, vocabatur Cozbi, filia Sur, principis nobilissimi Madianitarum. Locutusque est Dominus ad Moysen dicens: Hostes vos sentiant Madianitæ, & percutite eos; quia & ipsi hostiliter egerunt contra vos, & decepere insidijs per idolum Phogor, & Cozbi filiam ducis Madian, sororem suam, quæ percussa est in die plagæ, pro sacrilegio Phogor.

Fornicatus est populus cum filiabus Moab.

2 *Numer. 24.* *Numer. 31.*

ABijt Balaam in patriam suam, sed prius consilium dedit Regi Balaac, quod perniciem magnam attulit Israelitis. hoc consilium significatur Numer. 24. cum dixit Balaam; *Veruntamen pergens ad populum meum, dabo consilium, quid populus tuus, populo huic faciat, extremo tempore*, &c. Hebraicè, *in posteris diebus.* Et Num. 31. Moses loquens de fæminis, quæ Israelitas deceperunt, sic ait: *Nonne istæ sunt, quæ deceperunt filios Israel, ad suggestionem Balaam?* id est, suggerente Balaam, & consilium dante. De eo fit mentio Apocalypsis 2. *Habes tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balac mittere scandalum coram filijs Israel, edere, & fornicari.* Cuiusmodi hoc consilium fuerit, scribit Philo lib. 1. de vita Mosis his, & alijs pluribus verbis: Sciebat Balaam, Hebræos per

Apocal. 2. *Philo.*

Balaam quæ le consilium dederit regi Balac.

per solum legum contemptum expugnabiles, tentatos malo libidinis: ideo voluntate inescatos, conatus est ad impietatis scelus pertrahere, & dixit Regi: mulierũ pulcherrimas si permiseris ob quæstum vulgare sua corpora, hoc hamo capietur iuuentus hostium, &c. Lege Iosephum lib.4. Antiquit. cap.6. D.Gregor. Nyssenus in lib. de vita Mosis: Quia (inquit) diuina virtute defendi Iudæos agnouit Balaam, fœdissima voluptate studuit eos à diuino auxilio remouere, &c. Origen, hom.15. Culpabilis est Balaam, cùm consilium pessimum dat, vt populus Israeliticus decipiatur per mulieres, & cultum idolorum, &c.

D. Gregor. Nyssen.

Origenes.

3 Placuit consilium Balaco Regi, elegantis formæ fæminas ad Israelitas exire iubet, quæ non solùm ad fornicationem, sed etiam ad idololatriam multos pertraxerunt. Psalmo 105. *Initiati sunt Beelphegor, & comederunt sacrificia mortuorum.* Phegor, siue Phogor mons est Moabitarum in quem Balac duxit Balaam, vt populo maleddiceret, vt supra dictum est, c.4. Beel, vel Baal nomen est idoli, dicebatur Beelphegor à monte, in quo colebatur. Deuter 3. *Mansimus* (ait Moses) *in valle contra fanum Phogor.* Castra in valle erant, fanum erat in monte. Si quæras, *quodnam fuerit idolum Beelphegor*, ait Origen. homil.20. fuisse idolum turpitudinis. Initiati autem dicuntur idolo, id est, eius cultui dicati. Chaldæus Num.25. vertit: *Israel coniunctus est cultoribus Beelphegor*, coniunctus (inquam) idololatria: *& comederunt sacrificia mortuorum.* hoc est, deorum mortuorum. Falsi Dei mortui dicuntur, quia nihil sunt, & nihil possunt. Deus verus dicitur Deus viuus. Psal.41. *Sitiuit anima mea ad Deum fortem, viuum.* Psal.83. *Cor meum, & caro mea exultauerunt in Deum viuum.* Apoc.2. dicitur *Balaam docuisse Balac mittere scandalum coram filijs Israel, edere, & fornicari.* Non docuit mittere fœminas, in quas velut in scandalum, & offendiculum impegerunt filij Israel, cecideruntque in fornicationem, & idoli cultum.

Psalm.105.

Idolum Beelphegor.

Deut.3.

Num.25.

Psalm.41. Psalm.83. Apocal.2.

Tolle cunctos principes populi.

4 Iratus est populo Dominus, iussitque supplicium sumi de fornicatoribus, & idoli cultoribus. Ait Mosi: *Tolle cunctos principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis, vt auertatur furor meus ab Israel.* Hoc est, suspende omnes principes populi è regione Solis publicè, vt à cunctis videantur. Dictio Hebræa, נגד *neged*, significat *coram, e regione, ex aduerso.* Rab. Salomon, Lyranus, Caietanus, Abulensis, & alij arbitrantur, Deum non iussisse suspendere principes, id est, iudices populi, sed congregare ad iudicandum, hoc sensu: Tolle (Hebraicè, קח, *cach*, id est, *accipe*) cunctos principes populi, & congrega, & pœnas sume de reis tantorum scelerum, & suspende in patibulis eos, id est, reos fornicationis, & idololatriæ, &c. Vnde mox sequitur: *Dixitque Moses ad iudices Israel:* (id est, principes populi) *Occidat vnusquisque proximos suos, qui initiati sunt Beelphegor.* Hunc sensum sequi videtur Chaldæus, qui sic vertit: Tolle omnes principes populi, & iudica, & occide illum, qui reus fuerit mortis, coram Domino contra solem, &c. Hoc est, congrega principes, id est, iudices, & iudica, & occide illum hominem, qui reus fuerit sceleris. Sed verba Chaldæi alterum quoque recipiunt sensum hoc pacto: Tolle omnes principes, & iudica, & occide illum principem, qui reus reperietur tanti facinoris. LXX. vertunt: *Accipe duces populi, & ostenta Domino, &c.* vt habet D. Augustin. Hæc interpretatio duos etiam sensus patitur. Prior est: Ostenta eos, id est, principes suspendendo eos. Posterior: Ostenta eos, id est, initiatos Beelphegor, Græcè legitur, παραδειγμάτισον, hoc est, *in exemplum propone.* Vnde D. Augustinus: παραδειγμάτισον, (inquit) dici possit *exempla*, (à verbo, *exemplo, exemplas*,) quia παράδειγμα, exemplum dicitur, &c. Idem D. August. in Numer. quæst. 52. existimat, Deum principes, siue duces populi suspendi iussisse. Eadem est sententia Origenis, Ruperti lib.1. in Numer. cap.28. Genebrardi Psal.105. Cardin. Bellarmini eodem Psalmo, & aliorum. Non caret probabilitate prior opinio, scilicet, Deum non iussisse principes occidere, sed suauis verborum constructio indicat, alteram sententiam esse probabiliorem, nimirum iussisse Deum mortis pœna affici principes populi, non tamen omnes, sed reos flagitij commissi. Sensus est: *Tolle cunctos principes populi*, sub intelligitur, *qui flagitium commiserunt*, & suspende eos in patibulis, vt auertatur furor meus. Durum quidem videretur, si diceremus, Deum præcepisse, vt cuncti principes morte mulctarentur. Sed non est durum dicere, Deum imperasse Mosi, vt omnes principes populi fornicatione, & idoli cultu contaminati suspenderentur, & præterea puniretur populus. Origenes hom.20 ait, præcepisse occidi principes, quòd non habuerint populi diligentem curam, & illum non compescuerint. Non videtur hæc sola fuisse causa, sed ipsa scelerum perpetratio potissimum. Nam Moses aderat, neque tamen potuit populum in officio continere.

Punitur populus.

Iubentur suspendi principes populi.

D. August.

Dixitq; Moses ad iudices.

5 Principes reos iussit Dominus suspendi in patibulis. Moses autem vel à Deo iussus, vel zelo Dei commotus præcepit iudicibus, vt cæteros, qui idolum Beelphegor coluerant, interficerent; peruenitque numerus interfectorum ad viginti quatuor millia. Dum hæc agerentur, Zambri princeps ex tribu Simeon, in prostibulum ingressus est, vt cum fœmina Madianitide, filia nobilissimi cuiusdam principis Madianitarum fornicaretur. Cernebat illum Moses, & Israelitæ, lachrymasque fundebant ante fores tabernaculi Domini: Phinees verò sacerdos, filius Eleazari summi sacerdotis, zelo Dei inflammatus, in lupanar intrauit, ipsumque Zambri, & fœminam pugione percussos occidit, cessauitque hominum strages. Psalmo 105. *Multiplicata est in eis ruina, stetit Phinees, & placauit, & cessauit quassatio.* Multiplicata dicitur ruina, quia viginti quatuor hominum millia occisa sunt, & cessauit quassatio, & plaga, neque plures sunt interfecti propter zelum Phinees, qui Deum placauit.

Punitur populus.

Zambi interficitur à Phinee.

Psalm.105.

Cessauit plaga, & occisi sunt viginti quatuor millia hominum.

6 Abulensis, & Caietanus volunt, plagam hic appellari pestem, vel similem plagam immissam à Deo. Chaldæus huius est sententiæ. Sic ille vertit: Cessauit pestis à filijs Israel, fueruntque qui mortui sunt in peste, viginti quatuor millia, &c. Dicendum tamen, plagam dici cædem viginti quatuor millia hominum, qui iussu Mosis, & iudicum occisi sunt. Nullus enim plagæ à Deo

An sit punitus populus peste?

à Deo nunc immissæ fit mentio in scriptura. Præterea Num. cap.26. vertit noster interpres: *Postquam noxiorum sanguis effusus est, &c.* De iis sermo est, qui in plaga mortui sunt. In plaga autem pestis non effunditur sanguis; ergo à iudicibus occisi sunt, effuso sanguine, non verò percussi peste. Dicitur autem plaga cessasse, quia post occisum Zambri, nemo interfectus est. Hæc est sententia Cardin. Bellarm. & Genebrardi Psal.105. Caietanus putat, iudices non esse executos iussa; quia, antequam illa exequerentur, Phinees occidit Zambri, & Deus est placatus; illa autem viginti quatuor hominum millia occisa esse ait plaga immissa à Deo. Rogabit aliquis, *cur dicatur cessasse plaga propter zelum Phinees?* nonne Deus dixerat: *Suspende principes, vt auertatur furor meus ab Israel?* suspensio ergo principum causa fuit, cur plaga cessaret, non zelus Phinees. Respondetur, non solum zelum Phinees placasse Deum, sed etiam suspensionem principum, & occisionem fornicatorum & idololatrarum. Multæ enim causæ concurrerunt. Magnam verò vim habuit zelus Phinees.

Num.26.

Erit tam ipse, quàm semini eius pactum sacerdotij sempiternum.

7 Laudauit Dominus zelum Phinees, & remunerauit, promittens illi sacerdotium summum in sempiternum, non enim metam illi proposuit: translatus est à domo Phinees pontificatus, sed postea restitutus. Lege, si placet, quæ diximus de Pontificibus, Concord. Euang. tom.1. lib.5. cap.22. & de, עולם, *holam*, id est, *æterno*, lege lib.20. cap.20. Psalm.105. *Reputatum est ei in iustitiam, in generationem, & generationem, usque in sempiternum.* Occisio principis Hebræi non est reputata Phinees ad peccatum, sed ad iustitiam, quam illi Deus largitus est, propter egregium, iustissimumque opus, factum Dei zelo. Iustum fuit opus, & iustitiam factori peperit, præmioque affectum est. 1. Machab.2. *Phinees zelando zelum Dei accepit testamentum sacerdotis æterni.*

Zelum Phinees remunerat Deus.

Psal.105.

1. Machab.2.

CAPVT VI.

Puniuntur Madianitæ.

NVMERI CAP. XXXI.

1 LOcutusque est Dominus ad Moysen, dicens: Vlciscere priùs filios Israel de Madianitis, & sic colligeris ad populum tuum. Statimque Moyses: Armate (inquit) ex vobis viros ad pugnam, qui possint vltionem Domini expetere de Madianitis. mille viri de singulis tribubus eligantur ex Israel qui mittãtur ad bellum. Dederuntque millenos de singulis tribubus, id est, duodecim millia expeditorum ad pugnam: quos misit Moyses cum Phinees filio Eleazari sacerdotis, vasa quoque sancta, & tubas ad clangendum tradidit ei. Cúmque pugnassent contra Madianitas atque vicissent, omnes mares occiderunt, & reges eorum, Eui, & Recem, & Sur, & Hur, & Rebe, quinque principes gentis. Balaam quoque filium Beor interfecerunt gladio. Ceperuntque mulieres eorum, & paruulos, omniáque pecora, & cunctam supellectilem: quidquid habere potuerant, depopulati sunt: tam vrbes quàm viculos & castella flamma consumpsit. Et tulerunt prædam, & vniuersa quæ ceperãt tam ex hominibus quàm ex iumentis, & adduxerunt ad Moysen, & Eleazarum sacerdotem, & ad omnem multitudinem filiorum Israel. reliqua autem vtensilia portauerunt ad castra in campestribus Moab iuxta Iordanem contra Iericho. Egressi sunt autem Moyses & Eleazar sacerdos, & omnes principes synagogæ, in occursum eorum extra castra. Iratusque Moyses principibus exercitus, tribunis, & centurionibus qui venerant de bello, ait: Cur feminas reseruastis? Nonne istæ sunt quæ deceperunt filios Israel ad suggestionem Balaam, & præuaricari vos fecerunt in Domino super peccato Phogor, vnde & percussus est populus? Ergo cunctos interficite quidquid est generis masculini, etiam in paruulis: & mulieres, quæ nouerunt viros in coitu, iugulate: puellas autem & omnes feminas virgines reseruate vobis: & manete extra castra septem diebus. Qui occiderit hominem, vel occisum tetigerit, lustrabitur die tertio & septimo. Et de omni præda, siue vestimentum fuerit, siue vas, & aliquid in vtensilia præparatum, de caprarum pellibus, & pilis, & ligno expiabitur. Eleazar quoque sacerdos ad viros exercitus qui pugnauerant, sic locutus est: Hoc est præceptum legis, quod mandauit Dominus Moysi: Aurum, & argentum, & æs, & ferrum, & plumbum, & stannum, & omne quod potest transire per flammas, igne purgabitur, quidquid autem ignem non potest sustinere, aqua expiationis sanctificabitur: & lauabitis vestimenta vestra die septimo, & purificati posteà castra intrabitis. Dixit quoque Dominus ad Moysen: Tollite summam eorum quæ capta sunt, ab homine vsque ad pecus, tu & Eleazar sacerdos & principes vulgi: diuidésque ex æquo prædam inter eos, qui pugnauerunt, egressique sunt ad bellum, & inter omnem reliquam multitudinem. & separabis partem Domino ab his qui pugnauerunt & fuerunt in bello, vnam animam de quingentis, tam

ex hominibus, quàm ex bobus, & aſinis, & ouibus, & dabis eam Eleazaro ſacerdoti, quia primitiæ Domini ſunt. Ex media quoque parte filiorum Iſrael accipies quinquageſimum caput hominum, & boum, & aſinorum, & ouium, cunctorum animantium, & dabis ea Leuitis, qui excubant in cuſtodijs tabernaculi Domini. Fecerunt-que Moyſes & Eleazar, ſicut præceperat Dominus. Fuit autem præda, quam exercitus ceperat, ouium ſexcenta ſeptuaginta quinque millia, boum ſeptuaginta duo millia, aſinorum ſexaginta millia & mille: animæ hominum ſexus feminei, quæ non cognouerant viros, triginta duo millia. Dataque eſt media pars his qui in prælio fuerant, ouium trecenta triginta ſeptem millia quingentæ: è quibus in partem Domini ſupputatæ ſunt oues ſexcentæ ſeptuaginta quinque. Et de bobus triginta ſex millibus, boues ſeptuaginta & duo: de aſinis triginta millibus quingentis, aſini ſexaginta vnus: de animabus hominum ſedecim millibus ceſſerunt in partem Domini triginta duæ animæ. Traditque Moyſes numerum primitiarum Domini Eleazaro ſacerdoti, ſicut fuerat ei imperatum, ex media parte filiorum Iſrael, quam ſeparauerat his qui in prælio fuerant. De media verò parte, quæ contigerat reliquæ multitudini, id eſt, de ouibus trecentis triginta ſeptem millibus quingentis, & de bobus triginta ſex millibus, & de aſinis triginta millibus quingentis, & de hominibus ſedecim millibus, tulit Moyſes quinquageſimum caput, & dedit Leuitis, qui excubabant in tabernaculo Domini, ſicut præceperat Dominus. Cùmque acceſſiſſent principes exercitus ad Moyſen, & tribuni, centurionéſque, dixerunt: Nos ſerui tui recenſuimus numerum pugnatorum, quos habuimus ſub manu noſtra: & ne vnus quidem defuit. Ob hanc cauſam offerimus in donarijs Domini ſinguli quod in præda auri potuimus inuenire, periſcelides & armillas, annulos & dextralia, ac murenulas, vt depreceris pro nobis Dominum. Suſceperuntque Moyſes & Eleazar ſacerdos, omne aurum in diuerſis ſpeciebus, pondo ſedecim millia, ſeptingentos quinquaginta ſiclos, à tribunis & centurionibus. Vnuſquiſque enim quod in præda rapuerat, ſuum erat. Et ſuſceptum intulerunt in tabernaculum teſtimonij, in monimentum filiorum Iſrael coram Domino.

2 FÆminæ Moabitarum, & Madianitarum, A in fornicationem, & idoli cultum Iſraelitas induxerunt, iuſſu Moabitarum, & Madianitarum, vt auxilio Dei Iſraelitæ priuarentur, & ſupplicio à Deo afficerentur, vel diſperderentur. Non paſſus eſt Dominus hoc ſcandalum impunitum manere. Moſi præcepit, vt antequam morereturr, filios Iſrael de Madianitis vlciſceretur. Quæritur, *cùm Moabitæ idem fecerint, quod Madianitæ, cur non præcipit Dominus, vt ſimiliter puniantur?* Reſpondetur, Dominum voluiſſe parcere Moabitis propter Loth, à quo ducebant originem. Ideoque præcepiſſe Moſi, ne illis inferrent bellum. Deut.2. *Non pugnes* (inquit) *contra Moabitas, neque in eos aduerſus eos prælium.* B *Non enim dabo tibi quidquam de terra eorum.* Madianitas voluit ſupplicio affici, quia plus Iſraelitis nocuerãt, quamuis ex genere eſſent Abrahæ. Nam, vt traditur Gen.25. Abraham ex Cetura genuit filium Madian, à quo Madianitæ orti erant.

Deut.2.

Armate ex vobis viros ad pugnam.

3 Miſit Moſes exercitum duodecim millium militum ad puniendos Madianitas. Mille milites ex ſingulis tribubus electi ſunt. Dux fuit Phinees ſacerdos, vt placet Lyrano, is qui zelo ſuo Deum placauerat, huicque bello gerendo propter zelum idoneus videbatur. Tulit ſecum vaſa ſancta, hoc eſt, arcam cum Cherubinis, & C propitiatorio, & tubas ad clangendum in bello. Afferebatur enim arca in bellum, vt Deus auxiliaretur populo, & clangebant ſacerdotes tubis argenteis. Num.10. *Si exieritis ad bellum, clangetis vlulantibus tubis.* Verba Moſis Numer.31. hæc ſunt: *Quos* (id eſt, milites) *miſit Moyſes cum Phinee filio Eleazari ſacerdotis, vaſa quoque ſancta, & tubas ad clangendum tradidit ei.* Non ait Moſes, Phineem conſtitutum ducem belli, ſed iuſſe cum militibus, & cum vaſis ſanctis, id eſt, arca, & tubis; videlicet vt arcæ curam haberet, & cum ſacerdotibus tubis clangeret. Hoc autem tempore, vt colligitur ex cap.27. Numer. iam Ioſue ſucceſſor Moſis à Deo conſtitutus erat. Quamobrem non caret probabilitate, illum fuiſſe belli ducem: Moſes verò hoc tacuit, quia ſuppoſuit, illum fuiſſe belli ducem, qui creatus iam erat à Deo dux totius populi poſt Moſem, Numer.27. Initum eſt prælium, profligati Madianitæ, omnes mares vita priuati, ingens præda parta: nullus verò ex Iſraelitis, qui iuſſu Dei pugnabant occiſus eſt. Numer.31. *Cum acceſiſſent principes exercitus ad Moyſen, & tribuni, centurioneſque dixerunt: Recenſuimus numerum pugnatorum, quos habuimus ſub manu noſtra, & ne vnus quidem defuit.* Gratias retulerunt Deo pro hoc beneficio, aurum ex præda partum: *Ob hanc cauſam* (inquiunt) *offerimus in donarijs Domini, ſinguli quod in præda auri potuimus inuenire, periſcelides, & armillas, annulos, & dextralia, ac murenulas, vt depreceris pro nobis Dominum.* Fuit autem pondus auri ſedecim millium, & ſeptingentorum quinquaginta ſiclorum, ſiclus autem pondus habet ſemiunciæ.

An Ioſue fuerit dux electus aduerſus Madianitas? Lyranus.

Num.10.

Num.31.

Vincunt Hebræi Madianitas.

Num.31.

Tollite ſummam eorum, quæ capta ſunt.

Captam prædam iuſſit Dominus in duas æquales partes diuidi; alteram partem dari militibus, qui Madianitas vicerant; alteram populo tribui, qui in caſtris manſerat. Iuſſit præterea, ex parte vtraque Deo primitias præberi. Milites quidem offerre Deo ex quingentis captiuis, vnum, ex quingentis ouibus, vnam, ex quingentis bobus, vnum, ex quingentis aſinis, vnum. Reliquos qui bellum non geſſerant, ex ſua parte offerre præcepit, ex quinquaginta captiuis vnum, ex quinquaginta bobus vnum, ſimiliter ex ouibus, & aſinis. Capta autem fuit

4 Diuiſio prædæ.

fuit præda ouium ſexcenta ſeptuaginta quin- A que millia: boum ſeptuaginta duo millia: aſinorum ſexaginta millia & mille; virginum fæminarum triginta duo millia. Dimidia pars data eſt bellatoribus; dimidia ijs, qui non pugnauerant, & primitiæ datæ Deo.

Balaam interfecerunt gladio.

5 Quem habuerit finem huius tragœdiæ author Balaam, indicat Moſes. Infælix magus, ſimul cum Madianitis occiſus eſt, meritaſque dati conſilij pœnas dedit. Ille quidem ex Meſopotamia venerat ad Balac, regem Moabitarum, & in Meſopotamiam reuerſus eſt: ſed inde à Madianitis vocatus videtur, vt datum con- B ſilium perficeret. Itaque inter Madianitas eſt repertus, & vita priuatus. Quamobrem nonnulli volunt, ipſum fuiſſe Madianitam, ſed non eſt vera opinio, quia multis de cauſis potuit inter Madianitas inueniri homo ex Meſopotamia.

Balaam occiſus eſt.

CAPVT VII.

MORALE.

De Balaam.

1 NOn potuit impius Balaam Iſraelitico populo nocumenti aliquid maledicendo afferre, Deo prohibente, & compellente benedicere. Vnde D. Gregorius Nyſſenus colligit, nullas dæmonis artes ijs nocere poſſe, qui virtuti diligentem nauant operam, Deique ſcuto proteguntur: Cùm veniſſet (inquit) Balaam, non vt volebat, maledixit, ſed diuina virtute compulſus populo vel inuitus benedixit. Qua ex re intelligitur, nullas artes magicas, nullas hoſtis humani generis inſidias aduerſus eos valere, qui virtutem colunt: ſed etiam prauitatis tela reijciunt, qui Dei præſidio defenduntur, &c. Hoc confeſſus eſt dæmon ille, quem martyr Cyprianus, cum magus eſſet, rogauit, qua ratione virginem Iuſtinam, quam iuuenis quidam D ardenter amabat, cantionibus, ac veneficiis ad libidinis conſenſum adducere poſſet. Reſpondit dæmon, nullam illi artem proceſſuram aduerſus eos, qui verè Chriſtum colerent. Quod audiens Cyprianus magicis artibus nuntium remiſit, Chriſtoque ſe tradidit, cùm intelligeret ex ipſius dæmonis confeſſione, Chriſti veros cultores à magicis artibus non poſſe lædi. Potuit dæmon lædere fæminam illam, quam, vt legimus in vita S. Macarij, præſtigijs equam fecit videri, non fæminam; cauſam tamen reddidit S. Macarius dicens: Nunquam à ſanctorum myſteriorum communione, neque à communione Eccleſiæ diſcedas. Hoc enim idcirco perpeſſa es, quia per quinque hebdomadas myſteria diuina non attigeris, &c. Volunt dæmones hominibus iuſtis maximè nocere. Nam, vt ait D. Auguſt. Pſalm. 61. Si tantum poſſet nocere diabolus, quantum vult, non aliquis iuſtorum remaneret, aut aliquis fidelium eſſet in terra, &c. Hilarion (ait D. Hieron. in eius vita) docebat, diabolum tanto hominum ardere odio, vt non ſolum ipſos, ſed & ea, quæ ipſorum eſſent, cuperet interire, &c. At verò frænantur dæmones à Deo, neque permittuntur nocere, quantum ipſi volunt, ſed quantum Deus permittit. Vnde D. Auguſt. Pſal. 90. ait: Non dixit Iob: *Dominus dedit, diabolus abſtulit*; quia nihil abſtuliſſet diabolus, niſi permiſiſſet Deus, &c. Magnopere Deus diabolum, & magum Balaam frænauit; omnes eius conatus reddidit irritos; cùm maledicere cuperet, compulit benedicere. Diabolus verò mago ſuo nullas potuit afferre ſuppetias ad exequendam impiam voluntatem. Eſto verus Chriſti cultor, eiuſque cuſtodi mandata, ſi dæmonis vis effugere crudelitatem. Caue porcinam vitam, Matth.5. dæmones in porcos ingrediuntur, eoſque ſubmergunt: ſic illos ſubmergunt, qui porcinam viuunt vitam.

D. Gregor. Nyſſenus.

Dæmon ſuis præſtigiis nocere non poteſt iuſtis.

Dæmon cupit iuſtis nocere.

D. Auguſt.

D. Hieron.

Frenatur dæmon.

D. Auguſt.

Vertit maledictionem eius in benedictionem tuam.

2 Deuteron.23. ait Moſes, Deum maledictionem Balaam conuertiſſe in benedictionem populi ſui, vt vidimus. Ita ſolet Dominus facere maledictiones improborum, quas in iuſtos iactant, in benedictiones conuertit. Hoc illa ſignificant verba Domini, Matth.5. *Beati eſtis, cùm maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduerſum vos mentientes, propter me.* Ecce improborum mendaces maledictiones. Vis videre conuerſas in ſummas benedictiones? lege quod ſequitur: *Gaudete*, (ait Dominus) *& exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cælis.* Nonne vides, maledictiones conuerſas in æternas æternæ gloriæ, æterníque C gaudij benedictiones? Denique omnes impiorum maledictiones in illam extremam conuertuntur iuſtorum benedictionem, Matth.25. *Venite benedicti Patris mei, poſidete paratum vobis Regnum.* Omnes verò benedictiones temporales, quibus benedicuntur iniqui, iuxta illud Pſalm.9. *Laudatur peccator in deſiderijs animæ ſuæ, & iniquus benedicitur.* In æternam illam maledictionem commutabuntur, quam eodem capite Chriſtus fulminat: *Ite maledicti in ignem æternum*, &c.

Deus maledictiones impiorum conuertit in benedictiones iuſtorum, Matth.5.

Ibid.

Matth.25.

Pſal.9.

Metuenda eſt, non Balaam, ſed Dei maledictio, experenda maximè benedictio Dei. Vtra- 3 Benedictio Dei datur ſeruantibus mandata.
que nobis propoſita eſt à Deo, benedictio ijs dabitur, qui mandata ſeruarint; maledictio iis, qui ea fregerint. Vnde illud Moſis Deuter.11. *En propono in conſpectu veſtro hodie benedictionem, & maledictionem. Benedictionem, ſi obedieritis mandatis Dei veſtri, quæ ego hodie præcipio vobis: maledictionem, ſi non obedieritis mandatis.* Optio nobis datur eligendi. Quis tam erit inſanus, qui benedictionem reſpuat, maledictionem verò æternam eligat? Heu multi ſunt huiuſmodi inſani, ſimiles illi, de quo cecinit vates, Pſal.108. *Dilexit maledictionem, & veniet ei: & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo; & induit maledictionem ſicut veſtimentum, & intrauit ſicut aqua in interiora eius, & ſicut oleum in oſſibus eius.* Dili- E git, & eligit impius homo, & inſanus maledictionem, quia ea diligit, & eligit, qui illi æternam maledictionem pariunt. Dicitur autem *induere maledictionem, ſicut veſtimentum*; quia ſicut veſtimentum hominem induit extrinſecus, ita ignis tartareus impij corpus extrinſecus comburit. Dicitur maledictio *ſicut aqua intrare in interiora eius, & ſicut oleum in oſſibus eius*, quia non ſolum extrinſecus comburitur corpus, ſed interiora quoque eius incenduntur, intimaque anima inflammatur.

Deut.11.

Pſal.108.

Vade cum iſtis.

Permiſit Dominus Balaam cum legatis ire 4
Regis Balac. Obſeruat Origenes, Deum impiis

vti ad vtilitatem mundi. Etenim Balaamo mago, etiam inuito, vsus est ad prophetandum de Messia, & benedicendum populo Israel: Vide, (inquit Origen. homil.14.) quomodo sapientia Dei, Balaam vas ad contumeliam præparatum, proficere fecit; non solùm ad vtilitatem gentis vnius, sed penè totius mundi,&c. Item: Mirabile est hoc, quòd vasis malis vtitur Deus ad opus bonum, &c. Vsus est Dominus Balaamo vase malo, ad opus bonum benedictionis, & prophetiæ; vsus est tyrannis, ad fabricandas coronas martyrum; vtitur dæmonibus, ad probandos homines, victorijsque decorandos. Origenes: Per ipsos (inquit) in quibus est malitia, claros, & probatos efficit Deus eos, qui ad virtutum gloriam tendunt,&c. Est autem maximè necessaria virtutis probatio, vt idem Origenes docet his verbis: Si perimeretur malitia, non esset, qui contrairet virtutibus. Virtus autem non habens aliquid contrarium, non clarescereet, neque splendidior, & examinatior fieret,&c. August. in Enchirid. cap. 27. Dei (inquit) bonitas non desistit & malis angelis subministrare vitam, & hominum, quamuis de propagine vitiata, damnataque nascentium, formare semina. Melius enim iudicauit, de malis benefacere, quàm nulla mala esse permittere. Sic ille.

Origenes. *Deus vasis malis vtitur ad opus bonum.* *Origenes.* *Necessaria est virtutis probatio.* *D. August.*

Quidquid volueris, dabo tibi: veni, & maledic populo isti.

5 D. Petrus, epist. 2. cap. 2. auaritiæ vitio ait ductum Balaam ad maledicendum: *Secuti* (inquit) *viam Balaam ex Bosor, qui mercedem iniquitatis amauit.* Et D. Iudas: *Væ* (inquit) *illis, qui in via Cain abierunt, & errore Balaam mercede effusi sunt.* Obijciet aliquis, Balaam Numer. 22. sic respondet legatis Regis Balac: *Si dederit mihi Balac plenam domum suam argenti, & auri, non potero immutare verbum Domini Dei mei, vt vel plus, vel minus loquar.* Hæc autem verba hominis videntur non auari, sed aurum, argentumque repudiantis. Respondetur, magùm hæc dixisse Dei timore perterritum, vel ficto animo, cùm maximè munera desideraret. Rei exitus docuit, qualis eius fuerit animus, prophetabat, sed cadens, & iacens in auaritia, vt D. Gregor. ait Iob 37. Balaam (inquit) iacens apertos habuit oculos, cùm eius mentem, & prophetia ad cælestia tenderet, & auaritia in terra retineret. Origen. homil. 15. in Numer. Quoniam (inquit) in corde Balaam desiderium mercedis erat, & cupiditas pecuniæ, verbum Dei non in corde, sed in ore eius punitur,&c. Mercedem iniquam, vt ait D. Petrus, amauit, &, vt ait D. Iudas, *mercedis cupiditate effusus est.*

2. Petr. 2. *D. Iudas vers. 11.* *Num. 22.* *Balaami auaritia.* *D. Gregor.* *Origenes.*

6 Væ illis, qui viam Balaam sequuntur, & pecuniam ardenter amant; animam isti suam pro modico pretio vendunt, iuxta illud Ecclesiastici, cap. 10. *Nihil est iniquius, quàm amare pecuniam, hic enim & animam suam venalem habet.* Confert Rupertus auaritiæ dolos cum vncino, de quo Amos 8. legitur: *Ecce vncinus pomorum,* &c. Est autem vncinus, instrumentum incuruum, quo rami arborum attrahuntur, vt poma colligantur: Verax (inquit Rupertus) similitudo est, dum & auaritiæ dolus vncino, & bona temporalia, circa quæ laborat auaritia, pomis assimilantur,&c. Quemadmodum qui colligit poma, vncinis ea ad se trahit: sic auarus varijs modis, & dolis, velut vncinis diuitias ad se ducit, & colligit. Diuitias autem & reliqua bona caduca, pomis similia esse, ait Rupertus, quia leuia sunt, & parui momenti. Ponum (inquit ille) res leuis est, maximeque pueros mulcet; viris autem, & maximè sanis pro minimo est: sic bona præsentis sæculi leuia sunt, & eos quidem, qui sensu paruuli sunt, nimis oblectant; sapientibus autem, qui cælestia sapiunt, contemptibilia sunt. Sic ille. Conatus est puer sensu, & affectu, Balaam maledictione populi Dei, velut vncino, munera Regis Balac, veluti poma, ad se pertrahere, sed fractus est vncinus, perijtque miser pomorum collector. Sic Rex Antiochus 2. Machab. cap. 3. auaritia ductus, templi Ierosolymitani pecunias voluit ad se, velut poma, pertrahere. Heliodoro autem quasi vncino vsus est. Sed vncinus mirabiliter est fractus, neque potuit poma ad os Regis adducere, quæ in celsissima arbore erant, videlicet in templo Dei. Etenim, vt eodem cap. legitur: *Apparuit ipsi Heliodoro quidam equus terribilem habens sessorem, optimis operimentis adornatus: isque cum impetu Heliodoro priores calces elisit. Qui autem ei sedebat, videbatur arma habere aurea. Alij etiam apparuerunt duo iuuenes, speciosi amictu, qui eum ex vtraque parte flagellabant.* Concidit miser homo, & in sella gestatoria sublatus est, reque infecta ad Regem vacuus redijt. Cumque à Rege pecuniam sitiente rogaretur, quis esset aptus adhuc semel Ierosolymam mitti? respondit: si quem habes hostem, aut regni tui insidiatorem, mitte illuc, & flagellatum eum recipies, si tamen euaserit. Ita Deus vncinos auarorum frangit, & hamos.

Ecceli. 10. *Auaritia similis est vncino.* *Amos 8.* *Rupertus.* *Caduca bona similia pomis.* *Rupertus.* *Ibid.*

7 D. Gregor. lib. 14. moral. cap. 27. auaritiam hominum oculum esse ait, iuxta illud Zachar. 5. *Hæc est oculus eorum in vniuersa terra,*&c. Homines (inquit) in ijs, quæ appetunt, auaritiæ stimulis excitantur, & qui ad bona videnda cæci sunt, excitantibus præmijs, ad peragenda mala vigilantes fiunt. Vnde rectè de auaritia dicitur: *Hæc est oculus eorum in vniuersa terra,* &c. Balaam hunc habebat oculum apertissimum, quo cernebat munera Regis, pro maledictione tribuenda; oculum autem mentis obturatum habebat, & cæcum, ideo ait Numer. 24. *Dixit homo cuius obturatus est oculus,* &c. Auarus mentis oculum cæcum habet, atque obturatum; oculus eius vigilantissimus, magnoque præditus acumine, auaritia est: hoc oculo totum lustrat orbem, speculaturque omnia, vnde lucri aliquid corradere potest. Philo in libro de Monarchia, præceptum illud Dei datum Exod. 20. *Non facietis Deos argenteos, nec Deos aureos facietis vobis;* de diuitijs moraliter intelligit, hoc sensu: Aurum, & argentum, & diuitias, non facietis vobis Deos, neque ita amabitis, ac coletis, ac si Dei vestri essent. Videtur mihi (inquit Philo) subesse hic aliud præceptum vtile moribus, auaros valde arguens, vndecunque argentum, & aurum sibi quærentes, & acquisitum, tanquam numen recondentes in penetralibus, totam suam felicitatem acceptam illi ferendo,&c. Item: Hos alibi quoque lex admonet: *Idola non confectabimini, nec facietis vobis Deos fusiles.* figuratè docens, diuinos honores non conuenire diuitiis, auro enim argentoque ferè constant diuitiæ,&c.

D. Gregor. Auaritia similis oculo. Zachar. 5. *Num. 24.* *Philo. Exod. 20.* *Diuitiæ moderatè amandæ.*

Strata asina sua profectus est.

8 Philo in lib. de Cherubim, asinam cui Balaam insidebat, brutum vitæ propositum adumbrare docet: Alloquitur (inquit) asinam Balaam, hoc est, brutum vitæ propositum, cui omnis insipiens insidet,&c. Improbi homines asina vehuntur, hoc est, bruto, & asinino vitæ proposito, atque insipienti. Insipienter enim agunt, rationem non sequentes, mundique, & carnis ductu operantes. Vnde illud Psal. 48. *Homo cùm in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis,* &c. Homo in honore à Deo positus est, quia iumentis valde dissimilis est conditus, intellectu autem, rationeque ornatus, similis angelis, ipsique Deo effectus. At ille intellectu vti noluit, & rationem sequi, sed similem iumentis se fecit ratione carentibus, imò & feris. Vnde Seneca epist. 104. Hominum (inquit) effigies habent, animos ferarum,&c. Sequitur in Psalmo: *Hæc via illorum scandalum ipsis,* &c. Quia in via hac asina, id est, vitæ asininæ propositum, sæpe cadit in multa scelera. Sunt enim in hac via multa scandala, hoc est, offendicula, in quæ impingit. Ecclesiastæ 1. *Stultorum infinitus est numerus.* Quinam stulti sunt? illi nimirum, qui bruto vitæ proposito, veluti asinæ stultæ insident, resque caducas sectantur, rerum cælestium obliti. Psal. 118. *Pax multa diligentibus legem tuam, & non est illis scandalum.* In via horum stultorum multa sunt scandala; in via autem illorum, qui asini esse nolunt, sed Dei viam, id est, legem, sapienter diligunt, non est scandalum. *Non est* (inquit) *illis scandalum* in via, quia iter faciunt. Nihil enim habet lex diuina, quod hominem diligentem legem possit scandalizare, & ad casum impellere.

Philo. Asina brutum vitæ propositum significat. *Psal. 48.* *Seneca.* *Ecclesiast. 1.* *Psal. 118.*

9 D. Gregor. 3. part. pastor. admonit. 13. asinam Balaam carnem putat significare. Quid autem carne stultius, quæ animam, seque ipsam simul cum anima in æternas flammas præcipitare conatur? Hoc habet sapientia, quòd cùm gladium Dei in se cernit districtum, monet hominem, & à via iniquitatis retardat. Pergit homo iter facere in orcum, distringit Deus gladium, carnem graui morbo percutit: cadit illa in lectum, hominisque iter tartareum impedit. Audiamus sanctissimum Patrem Gregorium: Balaam, (inquit) vt peruenirет ad propositum, tendit; sed eius votum asina impedit. Prohibitione quippe immorata, angelum videt, quem humana mens non videt; quia plerunque caro per molestias tarda, flagello suo menti Deum indicat, quem mens carni præsidens non videbat,&c. 2. Petr. 2. *Correptionem habuit Balaam suæ vesaniæ, subiugale mutum animal hominis voce loquens prohibuit prophetæ insipientiam.* Eundem in modum caro morbis affecta, ac vexata hominis insipientiam, ac scelera corripit, ac prohibet. Insanus homo (ait Gregor.) à subiugali muto, id est, à carne, corripitur; quando elata mens humilitatis bonum, quod tenere debeat, ab afflicta carne memoratur,&c.

D. Gregor. Caro doloribus affecta hominem à via peruersa reuocat. *2. Petri 2.*

10 Balaam asinam cegebat vlteriùs facere iter, Dei voluntati contrarium, quia non cernebat districtum angeli gladium. Postquam gladium vidit, peccatum confessus est dicens angelo: *Peccaui, si displicet tibi, vt vadam, reuertar,* &c. Eundem in modum peccator, quia gladium diuinæ iustitiæ euaginatum non videt, tartari via ingredi non cessat, si verò gladium videat, ab eo percussus, morboque graui affectus dolet, peccata confiteur, à viaque tartarea discedit. D. Gregor. eodem loco: Dum (inquit) exterius percutimur, ad peccatorum nostrorum memoriam taciti, afflictique reuocamur; atque ante oculos nostros cuncta, quæ à nobis sunt malè gesta, reducimus; & per hoc, quod foris patimur, magis intus quod fecimus dolemus,&c. Semper super nos est iustitiæ Dei gladius. Peccatores, Balaamo similes, eum non cernunt: at viri qui considerationi rerum diuinarum dant operam, gladium Dei oculis mentis semper contemplantur, contemplatione hac à via scelerum summopere deterrentur. Accumbebat mensæ egregijs epulis instructæ purpura regia indutus Democles ille, de quo M. Tullius in Tuscul. & Valer. agunt, cùm verò suspensum tenui filo super caput suum gladium vidit, ad mensam manum porrigere non potuit, metu impendentis gladij perterritus; eundem in modum ij, qui impendentem capiti suo Dei gladium, id est, æterni ignis pœnam, contemplantur, perhorrescunt, neque manus volunt in mensam carnis, & mundi extendere, quamuis exquisitis delicijs, & honoribus apparatam. Denique verberabat Balaam asinam, tu verbera carnem tuam, quamuis illa conqueratur.

Iustitiæ diuinæ districtus, & nobis impendens gladius semper considerandus, D. Gregor.

Cùm Dominus occurisset, posuissétque verbum in ore eius.

11 Verbum Dei (ait Origenes homil. 14. in lib. Numer.) non in corde, sed in ore Balaami ponitur; quoniam in corde eius desiderium mercedis erat, & cupiditas pecuniæ,&c. Caueat concionator, ne in ore solo verbum Dei habeat; cor verò, vel pecuniæ cupiditate, vel aliis vitijs sit plenum. Huiusmodi enim cor Dei verbo repugnat. Is concionator Dei verbum habet in corde, & ore, qui corde Dei mandatis obtemperat, eaque diligens, & opere exequens, alios idem docet facere. Is solum in ore habet, qui mandata Dei neque diligit, neque curat, neque exequitur opere, sed ore tantum populo pronunciat. Similiter, qui diuinum recitant officium, quique semper in ore verbum Dei, psalmos, aliaque diuina eloquia habent; dent operam, vt etiam in corde habeant. Psal. 46. *Psallite Deo nostro, psallite Regi nostro, psallite, quoniam Rex omnis terræ Deus, psallite sapienter.* Ingeminat psalmographus verbum, *psallite*, quater repetit; excitat psalmorum cantores, & recitatores ad psallendum, sed non ore tantùm, sed etiam corde: *Psallite* (inquit) *sapienter*, psallite attento corde, deuoto, puro, atque immaculato, & mandatis Dei obtemperante. Hoc enim est psallere sapienter, psalmos Deo sapienter offerre, ex corde attento, immaculato, & deuoto in os prosilientes. Lege D. Bernardum, serm. 7. in Cantic. Cibus (inquit) sapit in ore: psalmus in corde: tantum illum rerere non negligat fidelis, & prudens anima quibusdam dentibus intelligentiæ suæ. Offeramus cum Apostolis in dominica mensa fauum mellis. Mel in cera, deuotio in litera est,&c. Denique in corde, & ore verbum Dei omnes habeamus, ne illud de nobis dicatur, Matth. 15. & Isaiæ 29. *Populus hic labijs me honorat, cor autem eorum longe est à me.* Psalm. 146. *Deo nostro sit iucunda, decoraque laudatio.* Laudemus ore Dominum, laudemus etiam corde deuoto, Deumque amante,

Origenes. *Concionator verba Dei habeat in ore & corde.* *Psal. 46.* *Psalmi canendi sunt ore & corde.* *D. Bernard.* *Isaiæ 29.* *Psal. 146.*

amante, hæc erit Deo iucunda, decoraque laudatio.

CAPVT VIII.
MORALE.
De benedictione Balaam.

1 QVæstio est, *an Balaam intellexerit vaticinia, quæ ore protulit?* D. Hieronymus putat, non intellexisse, sed similem fuisse Caiphæ, qui vaticinium illud Ioan. 11. *Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat*; protulit, sed non intellexit. Saul, (ait D. Hieron. Matth. 7.) & Balaam, & Caiphas prophetauerunt, nescientes quid dicerent, &c. Itaque iuxta hanc sententiam similis fuit Balaam asinæ suæ; quemadmodum enim asina verba, quæ ore protulit, non intellexit; sic Balaam vaticinia, quæ ore pronunciauit, intelligentia non comprehendit. D. Gregor. lib. 27. moral. cap. 23. in contraria est opinione: Multa (inquit) de aduentu Redemptoris dixerat Balaam, & quæ in nouissimis temporibus erant ventura, præuidebat. Sed tamen ei, id est, Christo, viuendo assurgere noluit, quem præuidendo prædicauit. Iacens ergo apertos habuit oculos, cùm eius mentem, & prophetia ad cælestia tenderet, & auaritia in terra retineret, &c. Respondetur, Balaamum bona ea, quæ precabatur filijs Israel, intellexisse. Rex quoque Balac, & alij, qui aderãt, illa intellexerunt. Quod probatur, quia intelligebant Balaamum populo benedicere; ergo quæ dicebat, mente percipiebant. Vaticinia autem de Christo, & vltimis temporibus Balaam intellexisse videtur, quamuis impius. Prophetia enim donum est gratis datum, quod etiam impijs conceditur. Hoc probant verba in ore Balaam à Deo posita, Num. 24. *Dixit* (inquit) *auditor sermonum Dei, qui nouit doctrinam altissimi, & visiones omnipotentis videt, qui cadens apertos habet oculos.* Quod si vaticinia, vt Caiphas, non intellexisset, nullo modo propheta fuisset, illo tempore quo loquebatur. Prophetia enim intelligentiam rerum postulat, vt diximus in Concord. tomo 3. cùm de vaticinio Caiphæ locuti sumus.

Ioan. 11. — *D. Hieron.* — *An Balaam vaticinia, quæ protulit, intellexerit?* — *D. Gregor.* — *Num. 24.*

Quomodo maledicam, cui non maledixit Deus?

2 In prima benedictione ait Balaam, se non posse maledicere ei populo, cui Deus non maledixit: *Quomodo* (inquit) *maledicam, cui non maledixit Deus?* Attendant hæc detractores, & maledici, qui de viris iustis, ac religiosis detrahunt, vel mala illis imprecantur, quibus Deus benedixit. Quomodo maledicere audent eis, quibus Dominus benedixit? neque timent Dei maledictionem? Viro iusto, atque optimo Abrahamo dicit Dominus, Genes. 12. *Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam maledicentibus tibi.* Caue, ne tibi maledicat Deus, qui Dei seruo optimo maledicis. In epistola sua sic ait D. Iudas: *Cum Michael archangelus cum diabolo disputans, altercaretur de Moysi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiæ* (id est, maledictionis,) *sed dixit, imperet tibi Dominus*, &c. Si archangelus diabolo non est ausus maledicere; quis tam audax est, vt seruo Dei fideli maledicere audeat? Ad Titum 3. *Admone illos,* (id est, Cretenses) *neminem blasphemare,* (id est, nemini maledicere.) Ad Rom. 12. *Benedicite persequentibus vos, benedicite, & nolite maledicere.* Tolerandæ autem sunt maledictiones patienter, sic enim toleratas conuertit Dominus in benedictiones. Maledixit Semei Regi Dauid, 2. Reg. 16. & veluti canis adlatrauit: iratus Abisai Regi dixit: *Quare maledicit canis hic mortuus Domino meo Regi? Vadam, & amputabo caput eius.* Respondit Dauid: *Dimittite eum, si fortè respiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna.* Semper Deus bono viro bonum reddit pro maledictione patienter tolerata. Addit Balaam: *Qua ratione detester, quem Dominus non detestatur?* Ex his verbis positis à Deo in ore Balaam colligitur hoc egregium documentum: Iudicium diuinum sequendum est, illa sunt detestanda, quæ Deus detestatur. *Qua* (inquit) *ratione detester, quem Dominus non detestatur?* Lege Psalmum 14. *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus, timentes autem Dominum glorificat.* Item: *Opprobrium non accepit aduersus proximos suos*, &c. Coram viro virtutis studioso homo malignus & improbus ad nihilum deducitur, propter scelera. Glorificat autem, & laudat viros probos vir probus, neque accipit aduersus proximos suos opprobria, & maledicta.

In detractores, & maledicos. — *Genes. 12.* — *D. Iudas v. 9.* — *Ad Tit. 3.* — *Ad Rom. 12.* — *Patienter tolerandæ maledictiones.* — *2. Reg. 16.* — *Ibid.*

Populus solus habitabit.

3 Solus habitauit populus Israeliticus, segregatus à gentibus, habitatione terræ promissionis, diuina lege, cultu, & ceremonijs. Deuter. 7. *Te elegit Dominus Deus tuus, vt sis ei populus peculiaris de cunctis populis.* Vt autem soli habitarent Israelitæ, præcepit eis Deus, idolorum cultores, qui terram promissam incolebant, penitus disperdere. Num. 33. *Intrantes* (inquit Dominus) *terram Chanaan, disperdite cunctos habitatores terræ illius, confringite titulos, & statuas comminuite, atque omnia excelsa vastate, mundantes terram, & habitantes in ea.* & Deuteron. 7. *Percuties eas* (id est, gentes septem) *vsque ad internecionem, non inibis cum eis fœdus, neque misereberis earum, neque sociabis cum eis coniugia.* Solos autem volebat Deus Hebræos habitare, Chananæorumque gentes disperdere, ne impiorum inquinarentur moribus. Inquinat enim valde animos hominum consuetudo, & familiaritas improborum, id quod Hebræi ipsi satis ostendunt. Non seruarunt Dei mandatum, vt docet Psal. 145. his verbis: *Non disperderant gentes, quas dixit Dominus illis, & commixti sunt inter gentes.* Sequuntur horrenda scelera, quæ ab impijs gentibus, veluti magistris didicerunt. Hæc sunt verba Psalmi sequentia: *Et didicerunt opera eorum, & seruierunt sculptilibus eorum, & factum est illis in scandalum. Et immolauerunt filios suos, & filias suas dæmoniis, & effuderunt sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum, quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaan.* Expende, quælo, quantum nocumenti afferat impiorum contagio; nefandissima facinora sunt idolorum cultus, & filiorum immolatio in cultum simulachrorum. Ad hæc horrendissima scelera Hebræos perduxit cohabitatio cum impijs Chananæis. Iniqui homines, iniquitatis magistri sunt, ab eis discunt eorum amici, ac familiares nequitiam, velut discipuli: *Didicerunt* (inquit) *opera eorum*, &c. Fugiendi sunt iniquitatis magistri, ne ab illis discamus iniquitatem. De Simplicio Episcopo eligendo ait Sidonius: Gratiam non captat omnium, sed bonorum, non indiscreta

Deut. 7. — *Num. 33.* — *Deut. 7.* — *Impiorum familiaritas fugienda.* — *Psal. 145.* — *Ibid.* — *Sidonius.*

discreta familiaritate vilescens, sed examinata sodalitate pretiosus, &c. Imitetur Simplicium Christianus, non vilescat improborum indiscreta familiaritate, sed socios virtute præditos habeat, à quibus, velut magistris, bonos mores discat, sitque pretiosus amicorum sodalitate pretiosorum. Caueat autem ne ex illis sit, de quibus dixit Claudianus:

Claudianus.

——— *multis delicta fuere*
Nexus amicitiæ. ———

Moriatur anima mea morte iustorum.

4 Mortem iustorum etiam iniqui exoptant, sed iustorum vitam refugiunt. Etenim iustorum mors placida est, & cælestis patriæ ianua, vita autem laboriosa. D. Bernardũ audiamus, sermone 21. in Cant. Quàm pauci (inquit) post te, ô Domine Iesu, ire volunt, cùm tamen ad te peruenire nemo sit, qui nolit. Volunt omnes te frui, at non ita & imitari, conregnare cupiũt, sed non compati. Ex his erat ille, qui dicebat: *Moriatur anima mea morte iustorum, & fiant nouissima mea horum similia.* Optabat sibi extrema iustorum, sed non ita & principia. Mortem spiritualium optant sibi etiam carnales, quorũ tamen vitam abhorrẽt, scientes pretiosam esse mortem sanctorum, cùm è contrario iuxta Prophetæ sententiam Psalm. 33. *Mors peccatorum sit pessima.* Hactenus D. Bern. Si quis mortem exoptat iustorum, & suspirans ait: *Moriatur anima mea morte iustorum*, vitam quoque exoptet, & complectatur iustorum, & illam semper suspirans, dicat: *Viuat anima mea vita iustorum.* Is enim moritur morte iustorum, qui viuit vita iustorum.

Improbi mortem iustorum expetunt, non vitam. — *D. Bernard.* — *Psalm.*

Non est Deus quasi homo, vt mentiatur.

5 Summam Dei veritatem indicat locus, & hominum mendacia: non est (inquit) Deus similis homini, homo mendax est, Deus autem mentiri non potest. Ad Roman. 3. ait Apostolus: *Est Deus verax: omnis autem homo mendax.* Deus suapte natura verax est, & mentiri non potest: homo autem suapte natura peccato deprauata est mendax, & mentiri potest: sed si diuina illustretur gratia, & amore, procul à se omnia mendacia abiicit, veracemque Deum imitatur. Seruile vitium, ac diabolicum est mendacia dicere; diuina virtus est veritas; vnde D. Hieronymus Psalm. 115. ait, homines tũc desinere mentiri, cùm dij fiunt: Quando (inquit ille) homines sumus, mentimur: quando autem fuerimus dij, desinimus mentiri. *Ego dixi dij estis*, ait Deus per Dauidem Psal. 81. *& filii excelsi omnes.* Si quis igitur sanctus est, is quodãmodo Deus efficitur, & cùm factus fuerit Deus, desinit esse homo, & non mentietur, &c. Est ergo veritas virtus eorum, qui dii fiũt per gratiam, & Deum imitantur operando, ac loquendo. Mendacium autem vitium est eorum, qui imitantur diabolum. De Deo canit vates Psal. 118. *Principium verborum tuorum, veritas*, &c. Verborum Dei principium, caput, & fons, est veritas; sic veritas est verborum probi viri principium, & fons perlucidus, vndisque argenteus, non verò mendaciis lutulentus. De diabolo ait Dominus Ioan. 8. *Non est veritas in eo. Cùm loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quia mendax est, & pater eius,* id est, pater mendacii. Hunc patrem mendaciorum imitantur mendaces homines.

Ad Rom. 3. — *Mendacium vitium diabolicum est.* — *D. Hieron.* — *Psal. 81.* — *Psalm. 118. Veritas sit principium & fons nostrorum verborum.* — *Ioan. 8*

Quàm pulchra tabernacula tua Iacob.

Laudat Balaam tabernacula Israëlitarum: *Quàm pulchra* (inquit) *sunt tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israel, vt valles nemorosæ.* LXX. vertunt, *vt valles obumbrantes.* Valles enim nemorosæ vmbris plenæ sunt. Cum vallibus autem vmbrosis synagoga confertur, quia vmbris plena erat rerum futurarum, iuxta illud Pauli ad Hebr. 10. *Vmbram habens lex futurorum bonorum*, &c. Nam lex multos habuit typos Christi, & Ecclesiæ, multasque figuras. Abacuc. 3. *Deus ab austro veniet, & sanctus de monte Pharam.* LXX. vertunt, *de monte vmbroso, & condenso*, &c. id est, veniet ex testamenti veteris vmbris. D. Gregor. 33. moral. cap. 1. Testamentum (inquit) vetus bene mons vmbrosus, & cõdensus dicitur, quia spissis allegoriarum obscuritatibus opacatur, &c. D. August. lib. 22. contra Faustum, cap. 76. Vetus (inquit) testamentum, secretum regni cælorum, tempore oportuno aperiendum, promissionibus terrenis operuit, & quodammodo vmbrosis opacauit, &c. Confertur præterea synagoga cum hortis irriguis. Erat autem hortus nucum, iuxta illud Cant. 6. *Descendi in hortum nucum*, &c. Similes erant nucibus synagogæ cęremoniæ, & alia. Quemadmodum enim in nucibus putamen cernitur, dulcis nucleus absconditus est: sic in præceptis legis, quod litera præcipiebat, cernebatur; quod verò adumbrabat, id absconditum erat.

6 — *Ad Hebr. 10.* — *Abacuc. 3.* — *Testamentum vetus fuit mons vmbrosus.* — *D. Gregor.* — *D. August.* — *Cant. 6.*

Sensu sublimiori dicta sunt hæc verba de Ecclesia, quæ longo interuallo synagogam superat. Ascendamus considerationis montem, inde oculos coniiciamus in tabernacula Ecclesiæ; equidem in admirationem rapti, prorumpemus in hæc verba, quæ Deus posuit in ore Balaam; *Quàm pulchra sunt tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Israel, vt valles nemorosæ, vt horti iuxta fluuios irrigui, vt tabernacula quæ fixit Dominus. Fluet aqua de situla eius, & semen illius erit in aquas multas.* Iacob vocatur Ecclesia, & Israël, quia à Christo est orta, & ab Apostolis filiis Iacob toto orbe propagata; populus verò Christianus à Paulo ad Galat. 6. dicitur Israël Dei. *Pax* (inquit) *super illos, & misericordia, & super Israel Dei.* Præterea quia populus Israeliticus typus & vmbra fuit populi Christiani, ideo illum adumbratè significat. O quàm pulchra sunt tabernacula, & tentoria Ecclesiæ. Nihil sanè in hoc terrarum orbe est pulchrius. Fœda sunt omnia regna, fœdi omnes homines, quos Ecclesię pulchritudo non decorat. Cãt. 4. Dominus mirabilem eius prædicat pulchritudinem. *Quàm pulchra* (inquit) *es amica mea, & macula non est in te.* Quid pulchrius fide Ecclesiæ, spe, & charitate? quid pulchrius humilitate, castitate, virtutumque omnium splendido choro? quid pulchrius sacramentis? quid pulchrius stupendo Eucharistiæ mysterio? quid pulchrius Ecclesiæ principibus, Pontifice summo, & Episcopis? denique quid pulchrius Christianis Regibus, Christianoque populo? Amisit pulchritudinem synagoga: translata est ad Ecclesiam. Synagoga vallibus nemorosis fuit similis: Ecclesia similis est nemorosis montibus. Si enim conferas cum Ecclesia synagogam, Ecclesia mons est, synagoga vallis fuit. Mons autem hic nemorosus vmbram habet iucundissimam, qua animo summopere recreat, nempe Spiritus sancti gratiam, cõsolationes, & alia dona. Syna-

7 — *Ad Galat. 6.* — *Ecclesiæ tabernacula sunt pulcherrima.* — *Cant. 4. Ecclesiæ pulchritudo.*

goga vallis erat nemorosa, quia gratiæ fructum lex vetus vi sacramentorum suorum non producebat. Ecclesia mons est fructifer, quia vi sacramẽtorum suorum gratiam producit, quam continent sacramenta, qua de re latè diximus tomo 1. Concord. Euang. lib. 1. cap. 3. Ad hæc Ecclesia similis est hortis iuxta fluuios irriguis. Irrigatur enim fluuio magno baptismi, quo irrigata, omnium criminum remissionem, omnesque virtutes cum gratia Dei consequitur; irrigatur etiam maximo flumine Eucharistiæ, cęterisque sacramentis, & Christi sanguine, atque auxiliis. Quisnam hortus fructus optimos non proferet, plantatus iuxta hos veri paradisi cęlestis fluuios? cum quibus comparati Euphrates, Tygris, Nilus, & Ganges nullius penitus momenti sunt. Denique ait Balaam: *Vt tabernacula, quæ fixit Dominus.* Synagogam fixit Deus in hoc mundo, velut tabernaculum suum, in quo habitaret, sed tabernaculum hoc euertit, æquauitque solo, vt cernimus, quia habitatorem suum Messiam verum repudiauit, dæmonemque recepit, fixitque aliud tabernaculum videlicet Ecclesiam, quę verum Messiam habet habitatorem, semperque habebit vsque ad finem orbis. *Fluet aqua de situla synagogæ,* (dixit Balaam) *& semen illius erit in aquas multas.* De situla, id est, vase synagogę fluxit aqua, & semen illius carnale fuit in aquas multas, quia magnum progenuit populum. Sed Ecclesiæ populus longè synagogæ populum superat; fluxit aqua cælestis doctrinæ de situla, id est, vase Ecclesiæ, & est in aquas multas, id est, in populos multos longè, lateque in orbe diffusa. Esther. 11. *Fons paruus creuit in fluuium maximum, & in aquas plurimas redundauit.* Hoc est, parua erat initio Ecclesia in Ierusalem, instar parui Fontis: sed toto orbe maxima facta est, vt fluuius maximus, & populos multos est complexa.

Ecclesia hortus est Dei irriguus.

Ecclesia tabernaculum quod fixit Deus.

Ecclesiæ dilatatio toto orbe.

Esther. 11.

Orietur stella ex Iacob.

8 De Messia sermo est parabolicus, & obscurus. In primis signum natiuitatis Christi proponit stellam illam, quæ magos ad præsepium duxit. Satis de ea diximus tomo 1. Concord. Deinde de regno, eiusque victoriis vaticinatur: *Consurget* (inquit) *virga,* (id est sceptrum) *de Israel.* De hac virga siue sceptro legitur Psal. 109. *Virgam virtutis,* (id est, potentiæ) *tuæ emittet Dominus ex Sion.* Et Psal. 44. *Virga directionis,* (id est, virga recta) *virga regni tui.* Et Psalm. 2. *Reges eos in virga ferrea,* id est, rectissima ac potentissima. Daniel. 2. *Regnum quartum erit velut ferrum, quomodo ferrum comminuit, & domat omnia, sic comminuet, & conteret omnia hæc.* Ferreum fuit Romanum imperium, quia fuit potentissimum, ac fortissimum: sic ferrea est virga Christi, quia summam habet potentiam, summam fortitudinem, & vt dicitur Daniel 2. *Quomodo ferrum comminuit, & domat omnia; sic omnia comminuit virga Christi, ac domat.* Vnde in Psalm. 2. additur: *Et tanquam vas figuli confringet eos*, quasi dicat, potentissimum est sceptrum tuum, homines tam facilè potes conterere, quàm facilè vasa figuli virga ferrea conteruntur. Et Balaam: *Consurget* (inquit) *virga de Israel & percutiet duces Moab,* hoc est, dæmones, vt interpretatur Origenes, *vastabitq; omnes filios Seth,* hoc est, sicut vasa figuli homines conteret. Daniel. 2. de regno Christi sic legitur: *Suscitabit Deus cæli regnum,* (scilicet Christi) *quod in æternum non dissipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur.* Deinde adiungit: *Comminuet autem, & consumet* Ibidem. *vniuersa regna hæc, & ipsum stabit in æternum.*

Psalm. 109.

Psalm. 44.

Psalm. 2.

Daniel. 2.

Sceptrum Christi potentissimum.

Daniel. 2.

Psalm. 2.

Daniel. 2.

Rogabis, *quomodo dicatur Christus vastaturus omnes filios Seth, cùm ad redimendos homines in terram venerit?* Respondetur Balaam loqui de impiis hominibus, quales illo tempore erãt Moabitæ, & alii idolorum cultores; hos autem omnes Christus vastabit in iudicio, iuxta illud Psalm. 109. *Iudicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum.* Secundò respondetur, verbum *vastabit*, non significare actum, sed potentiam, hoc sensu: Consurget Rex potentissimus de Israel, & vastabit, hoc est, vastare poterit, si volet, omnes filios Seth, tantam habebit potẽtiam, vt omnes homines possit disperdere. Hunc in modum exponuntur verba Psalm. 2. *Tanquam vas figuli confringes eos.* hoc est, confringere poteris. Tertiò interpretatur Lyranus de bona quadam, & fœlici vastitate, qua vastantur homines secundùm nequitiam. Est sensus: Vastabit omnes homines Christus, quod attinet ad impietatem, eorum enim impietatem, & scelera delebit. Eundem sensum tribuit D. Hilarius verbis Psalm. 2. *Tanquam vas figuli confringes eos.* Contritio (ait D. Hilarius) illa est, quæ in nobis corporeas voluptates, & sæcularium vitiorum incentiua cõminuit, &c. D. quoque Augustinus sic exponit: Tanquam vas figuli confringes eos: conteres in eis terrenas cupiditates, & veteris hominis lutulenta negotia, &c. Psal. 67. *Pereant peccatores à facie Dei,* &c. Pereunt autem peccatores à facie Dei, duobus modis: quidam pereunt infæliciter æternis orci flammis mancipati: alii pereunt fæliciter, pœnitentię aquis abluti. Pereunt enim per pœnitentiam peccatores, quia pereunt peccata, sed seruantur homines. Audiamus D. August. sermon. 119. de tempore: Pereunt (inquit) peccatores, & non pereunt. Si incipiant iustè viuere, peribunt vtique peccatores, sed non peribũt homines. Homo, peccator, duo sunt nomina: vnum horum Deus fecit, alterum homo fecit. Deus fecit hominem; ipse homo peccatorem se fecit. Quando tibi dicit Deus: *Pereant peccatores à faciemea,* hoc tibi dicit, pereat in te, quod tu fecisti, & seruabo quod ego feci. Sic August.

Psalm. 109.

Homines feliciter conteruntur à Deo, cùm nequitia illorum conteritur, vt vas figuli.

Psal. 2.

D. Hilarius.

D. August.

D. August. Cùm pereunt peccata seruantur homines.

LXX. interpretes vertunt: *Percutiet duces Moab, & prædabitur omnes filios Seth.* Origen. verò sic exponit: Percutiet dęmones, qui erant duces Moabitarum. Erant enim Moabitæ idolorum cultores, eorum principes & duces erant dæmones. *Et prædabitur filios Seth,* hoc est, victis aduersariis dæmonibus, eos qui sub eorum dominatione tenebantur, quasi prædam victoriæ suæ ducet, & spolia salutis reportabit. Chaldæus sic habet: *Consurget Rex de domo Iacob, & vngetur Christus de domo Israel, & occidet Principes Moab, & dominabitur omnium filiorum hominum,* &c. Verbum, קרקר, *carcar,* quod noster vertit, *vastabit,* & LXX. vertunt, *prædabitur,* vertit ille, *dominabitur.* Denique vaticinium de Messia concludit Balaam his verbis: *de Iacob erit qui dominabitur, & perdet reliquias ciuitatis,* &c. hoc est, ex Iacob originem trahet Christus, *qui dominabitur,* quod dictum est per excellentiã, hoc est, qui summus erit Dominus, & summus Rex terræ totius, & cæli. Apocal. 19. *Habet in vestimento, & in fęmore suo scriptum: Rex Regum, & dominus dominantium,* &c. Hic *Dominus dominantium* disperdet reliquias ciuitatis illius, de qua Apocal. ibid. dicitur:

10

Origenes.

Vicit Christus dæmones, homines vertit prædam, & spolia accepit.

Christus Rex Regum impios disperdet.

Apoc. 19.

Ibidem. dicitur: *Cecidit, cecidit Babylon magna,* &c. Nam Christus in extrema die iudicii impiorum ciuitatem, id est, congregationem, disperdet, neque vllæ illius reliquiæ in orbe remanebunt.

CAPVT IX.

MORALE.

De consilio Balaam, & supplicio Israelitarum.

1 Apocalyps. 2. *Balaam docebat Balac mittere scandalum coram filijs Israel, edere, & fornicari.* Nam consilium dedit turpissimum, quo in fornicationem, & idololatriam Israeliticum populum præcipitem dedit: scandalum autem fuere Israëlitis fæminæ comptæ, ac lasciuę, quæ illos in spurcissimam libidinem, & idoli Beelphegor cultum impulerunt. Non virorum armis instructum exercitum cum Hebræis certare iussit Balaam, exercitum fæminarum blanditiis armatum ad hoc prælium fortiorem esse putauit. Habet enim libido vim magnam ad superandos homines, animæ suæ salutis oblitos. D. Gregor. Nyssenus in fine vitę Mosis: Qui viros (inquit) vicerunt, à mulieribus vincuntur. Cùm multi sint morbi, & ægritudines animi, quibus homines capiuntur, nihil tantam in eos vim habere ostendit historia, quantam libido spurcissima, &c. Origen. homil. 10. in Numer. Rex (inquit) Balac parat exercitum, non armis virilibus, sed fæmineo nitore compositũ; non furore bellico, sed libidinis flamma succensum. Capiuantur Israelitæ non ferro, sed luxu; nec virtute, sed libidine. Sic ille.

Apoc. 2.

Nyssen. Libido vicit Hebræos.

Origenes.

2 In itinere, quo terram repromissionis petebant, ituasit turpissima libido Israëlitas, strauitque plurimos; sic in itinere, quo in cælum promissum tendunt, idem virium spurcissimum in Christianos irruit, plurimosque neci dat. Similis dicitur libido à D. Hieronymo Scyllæ, & Charybdi, quia in naufragium homines pellit. Epist. 1. ad Heliodorum: In illo (inquit) æstu Charybdis luxuriæ salutem vorat, ibi ore virgineo ad pudicitiæ perpetrãda naufragia, Scylla ceu renidens libido blanditur, &c Scylla, & Charybdis duo vocantur Siculi maris pericula, quorum vno naues trahuntur, & absorbentur, altero illisæ franguntur. Charybdis naues vorat: vorat homines libido; Scylla naues frangit; libidinosos impudicitia disperdit. Idem sanctissimus Pater, epist. 22. libidinis mortiferas illecebras mortiferum Sirenarum cantum appellat. Quid (inquit) mihi, & voluptati, quæ breui perit? Quid cum hoc dulci, & mortifero carmine Sirenarum? &c. Dicuntur Sirenæ, marinæ quædam fæminæ, quæ suauitate cantus in naufragium nautas pelliciebant. Significant verò libidinem, quæ in naufragium, turpissima quadam suauitate, homines pellicit. Fabulam D. Ambrosius in procemio infra citato sic ad mores accommodat: Quid (inquit) sibi vult puellarum figura, nisi euiratæ voluptatis illecebra, quæ constantiam captæ mẽtis effæminat? Quæ autem illa vada, nisi nostrę saluti sunt scopuli? Nihil enim tam cæcum, quàm sæcularis suauitatis periculum, quæ dum mulcet animum, vitam obruit, & corporeis quibusdam scopulis sensum mentis illidit, &c. Sirenum cantui mortifero aures occludendas, mortiferamque suauitatem fugiendam, indicat Vlysses prudentissimus, qui cùm iuxta Sirenarum locum iter faceret, sociorum aures cera obturasse fingitur, ne cantum possent audire: se ipsum verò malo nauis iussit alligari. D. Ambros. in procemio, cap. 4. D. Lucę: Vlyssem (inquit) Sirenes, cantu illectum, ad illud famosum voluptatis naufragium penè deduxerant, nisi aduersùs illecebrosæ sonitus cãtilenæ inserta cera, sociorum claussisset aures, &c. Non corporalibus, vt Vlysses, ad arborem vinculis homo alligandus: sed animus ad crucis lignum, spiritualibus nexibus vinciendus, ne lasciuiarum moueatur illecebris, cursumque naturæ detorqueat in periculum voluptatis. Sic ille. Si Israëlitæ aures obturassent, oculosque claussissent, ne muliercularum pulchritudinem viderent, in fœdissimũ illud naufragium, de quo egimus, non incidissent. Fuge Scyllam, fuge Charybdim, fuge Sirenas, fuge turpem voluptatẽ, si æternum vis fugere naufragium. Detestabile vitium est libido, quę sic Israelitas vicit, vt in idololatriam traxerit. Vide, quò duxerint fæminæ sapiẽtissimi Salomonis sapientiam. 3. Reg. 11. *Auerterunt mulieres cor eius, cumq; iam esset senex, deprauatum est cor eius per mulieres, vt sequeretur deos alienos.* Deprauarunt cor viri sapientissimi mulieres, & in idololatriam traxerũt, ita vt Deos alienos sequeretur, vt mulierculis obsequeretur. Osee 4. *Fornicatio, & vinũ, & ebrietas auferunt cor.* Fornicatio spiritualis dicitur in sacris literis idololatria, vtraq; fornicatio tam spiritualis, quã corporalis, cor, mentẽ, & sapientiam aufert, hominẽq; excęcat, & similem reddit animãtibus intellectu carentibus.

Libido est similis Scyllæ & Charybdi.

D. Hieron.

D. Hieron. Libidinis illecebræ sunt cantus Sirenarum.

D. Ambros.

Fugiendæ carnis illecebræ.

D. Ambros.

3. Reg. 11.

Osee 4.

Tolle cunctos principes populi, & suspende eos contra solem.

Non est passus Deus impunitum abire tantum scelus; principes iussit suspendi contra solem, in quæ verba Origenes homil. 20. in lib. Numer. sic scribit: Populus (inquit) peccat, & principes ostentantur contra solem, idem ad examinandum producuntur, vt arguantur à luce. Vides, quæ sit cõditio populi principum, non solùm pro suis propriis arguũtur delictis, sed & pro populi peccatis coguntur reddere rationem, ne ipsorum sit culpa, quod populus deliquit, &c. His addit idem Origenes: Hæc si cogitarent homines, nunquam cuperẽt, neque ambirẽt populi principatum. Sufficit enim mihi pro meis propriis argui delictis, sufficit mihi pro meipso, & pro peccatis meis rationem reddere. Quid mihi ne cesse est etiam pro populi peccatis ostentari, & ostentari contra solem, ante quem nihil potest abscondi, nihil obscurari. Hæc ille. Existimat Origenes, suspensos esse principes, quòd populũ non continuerint, & à sceleribus reuocauerint. Nos diximus supra, illos tantùm principes suspensos, qui fornicatione, & idololatria se commacularunt. Quia enim capita erant populi, eos supplicio affici iussit Deus, vt cæteri terrerentur. Forsitan principes primi fuerũt scelerum patratores, exemploque suo alios traxerũt. Quomodo enim ex infima plebe viri auderẽt nefanda committere crimina, si aliquot Principes duces non haberent? Huiusmodi fuit, quem occidit Phinees; erat enim dux ex tribu Simeõ. Summus iudex est Deus, nullus homo manus eius potest effugere, siue is infimæ sortis sit, siue supremæ. Iob 34. *Non accipit personas principũ.* Et cap. 12. *Effundit*

3

Origenes.

Prælati rationem reddant de omnibus, omniũque peccatis, eorum culpæ commissis.

Iob. 34.

Iob. 12.

Psalm. 75. *dit despectionem super principes,* &c. & Psalm. 75. *Terribilis dicitur Dominus,& qui aufert spiritum principum, terribilis apud Reges terræ.*

Zelo meo commotus est contra eos.

4 De Zelo Dei. Valde placuit Deo zelus Phinees, quo commotus Zambri ducem ex tribu Simeon,& fæminam Cozbi,filiam nobilissimi principis Madianitarum in ipso peccati actu interfecit. Similis fuit zelus Mattathiæ, qui Iudæum idolis sacrificantem super aram miro zelo inuadens trucidauit. 1. Machab. 2. *Vidit Matthathias, & doluit, & contremuerunt renes eius, & accensus est furor eius secundum iudicium legis, & insiliens trucidauit eum super aram. Sed & virum, quem Rex Anthiochus miserat, qui cogebat immolare, occidit in ipso tempore, & aram destruxit, & zelatus est legem, sicut fecit Phinees Zambri, filio Salomi.* Similis quoque fuit zelus Mosis, cùm vituli cultores à Leuitis iussit interfici, quibus post interfectionem dixit, Exodi. 32. *Consecrastis manus vestras hodie Domino, vnusquisque in filio, & in fratre suo, vt detur vobis benedictio.* Sic Phinees,

(1. Mach. 2. — Exod. 32.)

A sic Mattathias, manus suas Domino consecrarunt, cùm impios zelo Dei permoti morte mulctarunt. Placet enim Deo impiorũ supplicium, & veluti victimarum cędes, non nullisque scripturæ locis, ipsa strages hostium Dei, victima appellatur Isaiæ 36. *Victima Domini in Bosra, & interfectio magna in terra Edom.* Ierem. 46. *Dies ille Domini Dei exercituum, dies vltionis, vt sumat vindictam de inimicis suis. Deuorabit gladius, & saturabitur, & inebriabitur sanguine eorum. Victima enim Domini Dei exercituum in terra aquilonis.* & cap. 21. *Gladius exacutus est, & limatus, vt cadat victimas exacutus est,* &c. B Flagrabat Dauidis pectus zelo Dei ergà peccatores, & Ierusalem eos interficiendo expurgabat. Ps. 100. *In matutino* (inquit) *interficiebam omnes peccatores terræ, vt disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.* Placuit Deo zelus Phinees, quia pessimum ducem ex tribu Simeonis occidit, & nobilissimi principis filiam. Bonus enim zelus est, qui scelera aduersus Deum patrata, in hominibus inferioris notæ vlciscitur: at præstantior est, cùm potentiores è medio tollit, qui multùm populo nocent.

(Impiorum supplicium, & velut victimarum sacrificium. — Isaiæ 36. Ierem. 46. — Ieremiæ 21. — Psalm. 100.)

CAPVT X.

De numeratione populi, & electione Iosue in principem.

NVMERI CAP. XXVI.

1 Dixit Dominus ad Moysen, & Eleazarum filium Aaron sacerdotem: numerate omnem summam filiorum Israël à viginti annis & supra, per domos & cognationes suas, cunctos qui possunt ad bella procedere.

NVMERI CAP. XXVII.

2 Dixit quoque Dominus ad Moysen: ascende in montem istum Abarim, & contemplare inde terram, quam daturus sum filiis Israël: cumque videris eam, ibis & tu ad populum tuum, sicut iuit frater tuus Aaron, quia offendistis me in deserto Sin, in cõtradictione multitudinis, nec sanctificare me voluistis coram ea, super aquas. Hæ sunt aquæ contadictionis in Cades deserti Sin. Cui respondit Moyses: prouideat Dominus Deus spirituum omnis carnis hominem, qui sit super multitudinem hanc, & possit exire & intrare ante eos, & educere eos, vel introducere, ne sit populus Domini, sicut oues absque pastore. Dixitque Dominus ad eum: Tolle Iosue filium Nun virum, in quo est spiritus, & pone manum tuam super eum, qui stabit coram Eleazaro sacerdote, & omni multitudine: & dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ, vt audiat eum omnis synagoga filiorum Israël. Pro hoc si quid agendum erit Eleazar sacerdos consulet Dominum. Ad verbum eius egredietur, & ingredietur ipse, & omnes filii Israel cum eo, & cætera multitudo. Fecit Moyses vt præceperat Dominus. Cúmque tulisset Iosue statuit eum coram Eleazaro sacerdote, & omni frequentia populi, & impositis capiti eius manibus, cuncta replicauit, quæ mandauerat Dominus.

3 Propinqui iam erant Israelitæ terrę repromissionis. Antequam ingrederentur, iussit Dominus numerari populum, veluti nouum, extinctis in deserto omnibus murmuratoribus, qui ex Ægypto egressi fuerant, Numer. 26. *Hic est numerus filiorum Israel, qui descripti sunt à Moyse, & Eleazaro sacerdote in campestribus Moab, inter quos nullus fuit eorum, qui ante numerati sunt à Moyse, & Aaron in deserto Sinai. Prædixerat enim Dominus, quod omnes morerentur in solitudine, nullusque remansit ex eis, nisi Caleb, & Iosue,* &c. Numerati autem sunt non omnes, sed à viginti annis, & supra, qui poterant militare. Eodem cap. 26. pręcipit Dominus Mosi, & Eleazaro C summo sacerdoti: *Numerare omnem summam filiorum Israel, à viginti annis, & supra per domos, & cognationes suas, cunctos, qui possunt ad bella procedere,* &c. Summa autem huius numerationis memoriæ prodita est his verbis: *Ista est summa filiorum Israel, qui recensiti sunt, sexcenta millia, & mille septingenti triginta,* &c. Tribus Leui non est numerata cum iis, qui poterant militare. Non enim militiæ, sed tabernaculi ministerio destinata erat. Separatim verò numerati sunt Leuitæ, non vt milites à viginti annis, & supra, sed ab vno mense, & supra, & fuit eorum numerus viginti tria millia.

(Num. 26. Extinctis murmuratoribus, populus nouus numeratur, ante ingressum terræ promissæ. — Ibidem.)

Ascende

Ascende in montem istum Abarim.

4 Iussit Deus Mosem ascendere in montem Abarim, vt inde ex vita discederet, antequam terram repromissionis ingrederetur. Neque voluit hanc pœnam remittere etiam rogatus, quamuis iam culpam remisisset, vt intelligas, remissa culpa non semper remitti pœnã. Deut. 3. *Precatus sum* (ait Moses) *Dominum in tempore illo dicens, transibo, & videbo terram hanc optimam trans Iordanem, & montem istum egregium, & Libanum, iratusque est Dominus mihi propter vos, nec exaudiuit me, sed dixit mihi; sufficit tibi, nequaquam vltra loquaris de hac re ad me.* Deinde successorem nominat Dominus: B *Ascende cacumen Phasgæ, nec transibis Iordanem. Præcipe Iosue, & corrobora eum, atque conforta, quia ipse præcedet populum istum, & diuidet eis terram.* De hac ascensione in montem, & de morte Mosis infrà dicemus.

(Deus remisit Mosi culpam, non verò pœnã. Quia non est ingressus terram promissam. Deut. 3. — Orat Moses, vt transire sibi liceat in terram repromissionis.)

Prouideat Dominus Deus spirituum omnis carnis.

5 Populi Israelitici ductor Moses, imminente iam morte, à Deo successorem postulauit, qui populum gubernaret ac duceret: *Prouideat* (inquit) *Dominus Deus spirituum omnis carnis, hominem qui sit super multitudinem hanc. Deum* appellat *spirituum omnis carnis.* Eodem modo appellat Numer. 16. cùm ait: C *Fortissime Deus spirituum vniuersæ carnis,* id est, omnium animarum, quæ sunt in carne rationis participes, hæ, id est, homines his constantes, gubernatore maximè indigent, *qui* (vt ait Moses) *possit exire, & intrare ante eos, & ducere eos, vel introducere, ne sit populus Domini sicut oues absque pastore.* Similitudo ducta est à pastore, qui ex ouili manè exit, & oues ad pastum prçit: noctu verò antè eas in ouile intrat, quique oues ob ouili educit, & introducit. Modus hic loquendi, *intrare,* & *exire, ingredi,* & *egredi,* significat *conuersari.* Actor. 1. *Qui nobiscum sunt congregati in omni tempore, quo intrauit, & exiuit inter nos Dominus Iesus,* id est, quo conuersatus est inter nos. Et de Paulo Actor. 9. *Et erat cum illis intrans, &* D *exiens in Ierusalem,* &c. 2. Paralip. 1. ait Salomon Deum deprecans: *Da mihi sapientiam, & intelligentiam, vt ingrediar, & egrediar coram populo tuo,* &c. De Dauide 1. Reg. 18. dicitur: *Omnis Israel, & Iuda diligebat Dauid, ipse enim ingrediebatur, & egrediebatur ante eos.* 3. Reg. 3. ait Salomon: *Ego sum puer paruulus ignorans egressum, & introitum meum.* Psalm. 120. *Dominus custodiat introitum tuum, & exitum tuum ex hoc nunc, & vsque in sæculum,* hoc est, custodiat te Dominus domi, & foris, omnis enim vita hominis, & conuersatio domi est, vel foris, in vrbe, vel extra vrbem.

(Petit Moses moriturus à Deo successorem. — Num. 16. — Quid significet ingredi & egredi. Actor. 1. — Actor. 9. 2. Paralip. 1. — 3. Reg. 18. — Psalm. 120.)

6 Dubium faciunt verba supra citata Deuter. E 3. *Ascende cacumen Phasgæ, nec transibis Iordanem, præcipe Iosue, quia ipse præcedet populum istum, & diuidet eis terram.* Cùm Moses Deum precaretur, vt introitum in terram promissam sibi concederet, repulit preces Dominus; *Nequaquam* (inquit) *vltra loquaris de hac re ad me.* Deinde successorem Iosue nominauit, Mose non postulante, successorem: hoc verò loco Numer. 27. dicitur Moses postulasse successorem, datumque esse Iosue: *Prouideat* (inquit) *Dominus hominem, qui sit super multitudinem hanc.* Respondetur, Mosem Deum orasse, vt in terram repromissionis ingredi sibi concederet; Deum precibus non annuisse, sed iussisse, vt montem A ascenderet, & ex vita discederet: tunc verò Mosem successorem postulasse, datumque esse Iosue. Huius postulationis mentio fit Num. 27. Deuteron. autem 3. silentio præteritur.

(Deut. 3. — Num. 27. Dat Deus Mosi successorem Iosue.)

Tolle Iosue filium Nun, in quo est spiritus.

Constituit Dominus populi principem Iosue: *Tolle* (inquit, id est, accipe,) *Iosue virum, in quo est spiritus.* Non sumitur hoc loco spiritus, pro anima hominis, vt suprà Moses acceperat, cùm appellauit *Deum spirituum omnis carnis,* manifestum enim erat, in Iosue esse spiritum, hoc est, animam hominis. Sed sumitur spiritus, pro Spiritu sancto, eiusque donis ad gubernandam B Rempublicam necessariis. *Accipe* (inquit) *Iosue virum, in quo est spiritus sanctus.* Chaldæus vertit: virum in quo est spiritus prophetiæ, &c. Addit Dominus: *Et pone manum tuam super eum, qui stabit coram Eleazaro sacerdote, & omni multitudine, & dabis ei præcepta, cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ, vt audiat eum omnis synagoga filiorum Israel.* Et in fine capitis Numer. 27. legitur: *Fecit Moyses, vt præceperat Dominus, cumq; tulisset Iosue, statuit eum coram Eleazaro sacerdote, & omni frequentia populi, & impositis capiti eius manibus cuncta replicauit, quæ mandauerat Dominus.* Itaque congregauit Moses populum, & coram astante Eleazaro qui patri suo Aaroni successerat, sum- C musque sacerdos erat, & coram vniuersa multitudine Israelitarum statuit Iosue, & imposuit manus suas super caput eius, hacque ceremonia populi illum principem creauit in conspectu totius populi. Deuter. vlt. traditur, per hanc manuum impositionem, fuisse Iosue repletum spiritu sapientiæ, his verbis: *Iosue filius Nun, repletus est spiritu sapientiæ, quia Moyses imposuit super eum manus suas:* Præterea iussit Deus: *Dabis ei præcepta cunctis videntibus,* idque Moses fecit, impositis capiti eius manibus, cuncta replicauit, id est, cuncta præcepit, quæ mandauerat Dominus. Ex Hebręo: *Et imposuit Moses manus suas super eum, & præcepit ei, sicut locutus fuerat Dominus,* D &c. 7

(Iosue erat vir spiritus. — Num. 27. — Constituitur Iosue princeps. — Deut. vlt.)

Dubium est, *quænam præcepta tunc Moses dederit Iosue, cùm illum manibus impositis principem constituit?* Respondetur, non esse literis mandata pręcepta huiusmodi, videntur autem fuisse pręcepta de gubernando populo iustè, ac sanctè, de custodienda lege Dei, de gerendo bello, ac vastandis Chananæis, de introducendo populo in terram repromissionis, de diuidenda terra. Ad hæc iussit Dominus Mosi, vt daret Iosue partem gloriæ suæ, Hebraicè: dabis ei de gloria tua. Chaldæus: dabis ei de splendore tuo, &c. At de splendore vultus Mosis non potest locus intelligi, quia nunquam legimus, E vultum Iosue fuisse splendidum, vultus verò Mosis hoc tempore iam carebat splendore illo, quem acceperat in monte Sinai. Intelligendus ergo est de splendore, gloria, & honore, quem habebat Moses, eo quòd populo imperabat. Iubet verò Deus, vt statim imperii consortem faciat Iosue: sensus est: dabis Iosue partem tuæ dignitatis, & honoris; statim his paucis diebus, quibus viues, participem illum facies imperii, ita vt simul tecum imperet, tibi assidens, in ea gloria, & honore, quem successor flagitat huius principatus. Hoc autem opus est, vt populus illum incipiat magni facere, eumque audiat, id est, illi obediat, omnis synagoga Israel. 8

Pro

Pro hoc, si quid agendum erit, Eleazar sacerdos consulet Dominum.

9 Pro Iosue consulebat Deum summus sacerdos.

Moses per se Deum consulebat. Iosue iubetur consulere per summum sacerdotem Eleazarum. *Pro hoc,* (id est, pro Iosue) *si quid agendum erit* arduum, ac dubium, *Eleazar sacerdos consulet Dominum.* Hebraicè, *postulabit ei in iudicio Vrim ante Deum,* &c. Tomo. 2. Concordiæ Euangel. lib. 3. cap. 46. egimus de Vrim, & Thumim. Postulabat, vel consulebat summus sacerdos Deum, reddebatur autem responsum ex veste pontificia, quæ appellatur *Rationale iudicij,* Græcè λόγιον, in qua erant Vrim, & Thumim, id est, lapides pretiosi, Exod. 28. *Pones in rationali iudicij doctrinam, & veritatem.* Hebraicè, pones Vrim, & Thumim, *quæ erunt in pectore Aaron.* Et idcirco Hebræa lectio habet hoc loco: postulabit summus sacerdos pro Iosue in iudicio Vrim, (subintelligitur, & Thumin) ante Deum, hoc est, consulet Dominum, & rogabit pro Iosue in rationali iudicii, in quo sunt Vrim, & Thumim, siue doctrina, & veritas. De his latè egimus loco citato, neque est opus eadem repetere.

Exod. 28.

Ad verbum eius egredietur, & ingredietur ipse, & omnes filii Israel cum eo.

10 Caietanus.

Multipliciter explicantur verba hæc. Caietanus sic explicat: Ad verbum eius, id est, Eleazari pontificis, egredietur ad bellum Iosue, ac regredietur ex bello. Item: Quia (ait Caietanus) per egressum, & ingressum vniuersæ hominis actiones significantur, reseruatur Pontifici potestas, tam super Principem, quam super filios Israël. Sic ille. Sensus est: Ad verbum eius, id est, Eleazari, sicut ille dixerit, egredietur, & ingredietur ipse Iosue, & filii Israel, id est, omnia facient. Secundò Abulensis interpretatur hoc pacto: Ad verbum eius, id est, ad verbum Principis Iosue, vt ille iusserit, egredietur, & ingretur ipse, id est, Pontifex, & omnes Israelitæ, omnes illi parebunt. Tertiò, Dionysius Carthusianus: Ad verbum eius, id est, Pontificis Eleazari, datum à Deo, egredietur, & ingredietur ipse Iosue, & filii Israel, hoc est, iuxta oraculum Dei, per Pontificem Eleazarum manifestatum Iosue, faciet ipse Iosue, & populus omnis dato oraculo obedient, cùm Pontifex Deum consuluerit. Tertiam hac interpretationem sequor in hunc sensum: Consulet summus sacerdos pro Iosue Deum, ad verbum autem eius, id est, ad verbum summi sacerdotis, quod à Deo acceperit, ipse Iosue cuncta faciet. Oleaster sic explanat: Consulet summus sacerdos pro Iosue Dominum, & ad verbum eius, id est, iuxta verbum Domini, ingredietur Iosue, & egredietur. Eundem sensum sequuntur Isidorus Clarius, Vatablus, Emanuel Sa.

Abulensis. Verba pontificis principis sequebatur.

Dionysius. Carthusianus.

Oleaster.

A ille populus Iudæorum, periit illa antiqua Respublica, quia Messiam repudiauit, & ingressu terræ cælestis se fecit indignam: excitauit verò Dominus populum alium nouum, id est, populum Christianum, quem dignum fecit introitu promissi cæli. Reprobatur (ait Origenes hom. 21.) prior populus, qui est in circumcisione, & introducitur secundus, qui congregatur ex gentibus, & ipse est, qui hæreditatem consequitur paternam, &c. Iob. 34. *Conteret multos Deus, & inuenerabiles, & stare faciet alios pro eis.* Contriuit Deus multos Hebræos in deserto, & stare fecit alios pro eis, qui in terram promissam introirent. Contriuit præterea Hebræorum B Rempublicam, & regnum, & stare fecit pro eo regnum Ecclesiæ: contriuit, ac præcipitauit ex cælo superbos angelos, stare fecit pro eis homines. Apocal. 3. *Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam,* hoc est, caue, ne cadas, & alium Deus pro te stare faciat, cui det tuam coronam. Tene, ô Christiane, forti animo, atque inuicto, charitatem, & gratiam, quam habes, & propter quam coronam æternam mereris, ne amittas gratiam, quia amittes coronam, quam alius accipiet. Sic Israelitæ mortui terram promissionis amiserunt, quam alii acceperunt.

Origenes. Populus nouus Christianus ingreditur terram cælestem pro missam. Iob. 34.

Apoc. 3.

Prouideat Dominus hominem, qui sit super multitudinem hanc.

C Postulauit Moses à Domino, vt principem populi eligeret, qui populum gubernaret, rationem reddidit cur postularet. *Ne* (inquit) *sit populus Domini, sicut oues absque pastore.* Etenim Princeps pastor est populi: si principe caruerit populus, similis ouibus erit absq; pastore. Quo autem modo se habeant oues absque pastore, indicat Dominus Ezech: 34. *Dispersæ* (inquit) *sunt oues meæ, eo quod non esset pastor, & factæ sunt in deuorationem omnium bestiarum agri, & dispersæ sunt. errauerunt greges mei in cunctis montibus.* Et Salomon Prou. 11. ait. *Vbi non est gubernator, populus corruet.* Philo in lib. de charitate: Quemadmodum ad prosperam nauigationem opus est bono peritoque gubernatore, sic etiam sapiente Principe ad tuendam tranquillitatem bene constitutæ Reipub. &c. Docet Moses, Principes populi à Deo precibus petendos esse. Itaque cum Princeps aliquis, aut pastor est eligendus, in Deum oculos attollat elector, dicatque cum Mose: *Prouideat Dominus Deus spirituum omnis carnis hominem, qui sit super multitudinem hanc, & possit exire & intrare ante eos.* Sic cùm in locum Iudæ D. Matthias suffectus est, precatur Deum Apostoli, Actor. 1. *Tu Domine, qui corda nosti omnium ostende quem elegeris ex his duobus vnum.* Christus verò Opt. Max. Luc. 6. *Pernoctauit in oratione, & cum dies factus esset, duodecim elegit Apostolos.* Præcedat ergo lectionem oratio, omnisque inordinatus affectus exulet. Moses multos habebat consanguineos, imò & filios, nullum tamen nominauit, & à Deo petiuit. Vnde Philo in lib. de Charitate: Moyses (inquit) quamuis pater esset duorum filiorũ, neutrum successorem sibi optauit, &c. & Origenes: Quid (inquit) agis Moses? Numquid tibi filii nõ sunt, Gerson, & Eliezer, aut si aliquid de ipsis dubitas, non sunt filii fratris magni, & egregii viri? quomodo non oras Deum pro ipsis, vt eos constituat populo duces? D. Hieron. in epist. ad Titum cap. 1. Moyses (inquit) potuit vtique successores principatus filios suos facere, & posteris

2

Princeps est pastor populi.

Ezech. 34.

Prouerb. 11.

Philo.

Pastor populo à Deo petendus est orationibus.

Actor. 1.

Luc. 6.

Moses non postulauit principatum filiis, aut consanguineis.

Philo.

Origenes.

D. Hieron.

ris propriam relinquere dignitatem, sed extraneus de alia tribu eligitur Iesus, siue Iosue, vt sciremus, principatum in populos, non sanguini deferendum esse, sed vitæ. At nunc cernimus, plurimos hanc rem beneficium facere, vt non quærant in Ecclesia columnas erigere, quos plus cognoscant Ecclesiæ prodesse, sed quos ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis deliniti, vel pro quibus maiorum quispiam rogauerit. Hæc ille.

Tolle Iosue filium Nun, virum in quo est spiritus.

3 Vide, qualem principem Deus eligat, nempe Iosue virum, in quo est spiritus. Is spiritus impositis à Mose manibus excreuit, iuxta illud Deuteron. 34. *Iosue filius Nun repletus est spiritu sapientiæ, quia Moyses posuit super eum manus suas.* Significabant manus Mosis ipsas Dei manus. Moses in conspectu populi, manus imposuit Iosue; Deus inuisibiliter imposuit, impleuitque eum spiritu sapientiæ. Manus autem potentiam Dei indicant. Manuum impositio super caput, significat operationem potentiæ Dei, beneficium conferentis. Spiritu sapientiæ indiget princeps, vt populum possit sapienter, ac prudenter regere. Iosue sapientiæ spiritu impletur. Rex Salomon 3. Reg. 3. sapientiam à Deo postulat: *Dabis,* inquit, *seruo tuo cor docile, vt populum tuum iudicare possit, & discernere inter bonum, & malum,* &c. Placuit Domino postulatio, & respondit: *Ecce feci tibi iuxta sermones tuos, & dedi tibi cor sapiens, & intelligens.* Throno Dei dicitur assistere sapientia, Sapient. 9. *Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam.* Eundem in modum thronis Regum terræ debet sapientia assistere, vt cum eis sit, & cum eis laboret. Sapient. 9. Salomon: *Mitte,* inquit, *illam de cœlis sanctis tuis, & a sede magnitudinis tuæ, vt mecum sit, & mecum laboret; vt sciam, quid acceptum sit apud te, scit illa omnia, & intelligit, & deducet me in operibus meis sobriè, & custodiet me in sua potentia.* Ipsa

Deut. 34.

Princeps indiget spiritu Dei ad gubernandum.

3. Reg. 3.

C

Sap. 9.

Ibidem.

A Principis opera sapientia, & intellectu plena esse oportet; oportet in manibus habere intellectum. Psalm. 77. de Dauide dicitur: *Pauit eos in innocentia cordis sui, & in intellectibus manuum suarum deduxit eos.* Nonne cernis Dauidem, intellectum in manibus habuisse? Qui sapienter, ac prudenter operatur, & Rempublicam gubernat, is in manibus intellectum habet, habet manus sapientes, ac prudentes. Communicat enim sapientiam intellectus operibus; vnde illud citatum Sapient. 9. *Mitte sapientiam, vt mecum sit, & mecum laboret,* &c. Si sapientia cum Principe laboret, tunc in manibus eius est intellectus. D. Hieronymus illud Psalmi 77. sic B vertit: *In prudentia manuum suarum dux eorum fuit.* Hebraicè *tebunoth,* id est, *in prudentijs manuum.*

Principis sapientia.

Psalm. 77.

In operibus Principis lucet prudentia.

Sap. 9.

D. Hieron.

Prouerb. 1. Gubernaculorũ possessio est sapientium, qui veluti nauarchi Reipublicæ nauem sapienter inter turbines ac procellas gubernare sciunt. Genes. 41. ait Ioseph Pharaoni: *Prouideat Rex virum sapientem, & industrium, & præficiat eum terræ Ægypti.* Et Pharao: *Numquid sapientiorem, & consimilem tui inuenire potero?* Et vt est in Psalm. 104. *Constituit eum dominum domus suæ, & Principem omnis possessionis suæ, vt erudiret Principes eius, sicut semetipsum, & senes eius prudentiam doceret.* Sapientem Ioseph Ægypti Principem constituit Pharao, voluitque illum Ægypti Principes erudire, & senes, ac gubernatores populi prudentiam docere. Ecclesiastic. 47. *Salomon dereliquit post se de semine suo gentis stultitiam, & imminutam prudentia Roboam.* Imminutus autem à prudentia Roboam, consilium iuuenum secutus, causa fuit, vt regnum Israel diuideretur. 3. Reg. 12. Contrà verò Dauidem laudans mulier Thecuitis, 2. Reg. 14. ait illi: *Tu Domine mi Rex, sapiens es, sicut habet sapientiam angelus Dei.* Et Ieremias cap. 23. de Christo Opt. Max. *Regnabit,* inquit, *Rex, & sapiens erit.*

4

Prouerb. 1.

Genes. 41.

Psalm. 104.

Ecclesi. 47.

2. Reg. 14.

Ierem. 23.

CAPVT XII.

Tribui Ruben, Gad, & dimidiæ tribui Manasse datur terra, quæ trans Iordanem est.

NEMERI CAP. XXXII.

1 Filij autem Ruben, & Gad habebant pecora multa, & erat illis in iumentis infinita substantia. Cumque vidissent Iazer & Galaad aptas animalibus alendis terras, venerunt ad Moysen, & ad Eleazarum sacerdotem, & principes multitudinis, atque dixerunt: Ataroth, & Dibon, & Iazer, & Nemra, Hesebon, & Eleale, & Saban, & Nebo, & Beon, terra, quam percussit Dominus in conspectu filiorum Israël, regio vberrima est ad pastum animalium: & nos serui tui habemus iumenta plurima: precamurque, si inuenimus gratiam coram te, vt des nobis famulis tuis eam in possessionem, nec facias nos transire Iordanem. Quibus respondit Moyses: Numquid fratres vestri ibunt ad pugnam, & vos hic sedebitis? Cur subuertitis mentes filiorum Israël, ne transire audeant in locum, quem eis daturus est Dominus? nónne ita egerunt patres vestri, quando misi de Cadesbarne ad explorandam Terram? Cumque venissent vsque ad Vallem botri, lustrata omni regione, subuerterunt cor filiorum Israël, vt non intrarent fines, quos eis Dominus dedit. Qui iratus iurauit, dicens: Si videbunt homines isti, qui ascenderunt ex Ægypto, à viginti annis & suprà, Terram, quam sub iuramento pollicitus sum Abraham, Isaac, & Iacob: & noluerunt sequi me, præter

Caleb filium Iephone Cenezæum, & Iosue filium Nun: isti impleuerunt voluntatem meam. Iratúsque Dominus aduersùm Israel, circumduxit eum per desertum quadraginta annis, donec consumeretur vniuersa generatio, quæ fecerat malum in conspectu eius. Et ecce (inquit) vos surrexistis pro patribus vestris, incrementa & alumni hominum peccatorum, vt augeretis furorem Domini contra Israel. Quòd si nolueritis sequi eum, in solitudine populum derelinquet, & vos causa eritis necis omnium. At illi propè accedentes, dixerunt: Caulas ouium fabricauimus, & stabula iumentorum, paruulis quoque nostris vrbes munitas: nos autem ipsi armati & accincti pergemus ad prælium ante filios Israel, donec introducamus eos ad loca sua. Paruuli nostri, & quidquid habere possumus, erunt in vrbibus muratis, propter habitatorum insidias. Non reuertemur in domos nostras, vsque dum possideant filij Israel hereditatem suam: nec quidquam quæremus trans Iordanem, quia iam habemus nostram possessionem in orientali eius plaga. Quibus Moyses ait: Si facitis quod promittitis, expediti pergite coram Domino ad pugnam: & omnis vir bellator armatus Iordanem transeat, donec subuertat Dominus inimicos suos, & subiiciatur ei omnis Terra: tunc eritis inculpabiles apud Dominum & apud Israel, & obtinebitis regiones, quas vultis, coram Domino. Sin autem quod dicitis, non feceritis, nihil dubium est, quin peccatis in Deum: & scitote quoniam peccatum vestrum apprehendet vos. Ædificate ergo vrbes paruulis vestris, & caulas, & stabula ouibus ac iumentis: & quod polliciti estis implete. Dixeruntque filij Gad & Ruben ad Moysen: Serui tui sumus, faciemus quod iubet Dominus noster. Paruulos nostros, & mulieres, & pecora, ac iumenta relinquemus in vrbibus Galaad: nos autem famuli tui omnes expediti pergemus ad bellum, sicut tu Domine loqueris.

DEVTERONOMII CAP. III.

2 TErramque possedimus tempore illo ab Aroër, quę est super ripam torrentis Arnon, vsque ad mediam partem montis Galaad: & ciuitates illius dedi Ruben & Gad. Reliquam autem partem Galaad, & omnem Basan regni Og, tradidi mediæ tribui Manasse, omnem regionem Argob: cunctaque Basan vocatur Terra gigantum. Iair filius Manasse possedit omnem regionem Argob vsque ad terminos Gessuri & Machati. Vocauitque ex nomine suo Basan, Hauoth Iair, id est, Villas Iair, vsque in præsentem diem. Machir quoque dedi Galaad. Et tibubus Ruben & Gad dedi de Terra Galaad vsque ad torrentem Arnon medium torrentis, & confinium vsque ad torrentem Ieboc, qui est terminus filiorum Ammon: & planitiem solitudinis, atque Iordanem, & terminos Cenereth vsque ad mare deserti, quod est salsissimum, ad radices montis Phasga contra orientem. Præcepique vobis in tempore illo, dicens: Dominus Deus vester dat vobis terram hanc in hereditatem, expediti precedite fratres vestros filios Israel omnes viri robusti: absque vxoribus, & paruulis, atque iumentis. Noui enim quòd plura habeatis pecora, & in vrbibus remanere debebunt, quas tradidi vobis, donec requiem tribuat Dominus fratribus vestris, sicut vobis tribuit: & possideant ipsi etiam Terram, quam daturus est eis trans Iordanem: tunc reuertetur vnusquisque in possessionem suam, quam dedi vobis.

Filij Ruben, & Gad habebant pecora multa, & erat illis in iumentis infinita substantia.

3 VT suprà dictum est, redegit Moses sub potestatem Israelitarum regnum Sehon Regis Amorrhæorum, & regnum Og Regis Basan. Abundabant autem vberrimis pascuis. Idcirco tribus Ruben, & tribus Gad illis in locis possessionem à Mose postularunt, sicque illum precatæ sunt, Numer. 32. *Regio vberrima est ad pastum animalium, & nos serui tui habemus iumenta plurima: precamurque, si inuenimus gratiam coram te, vt des nobis famulis tuis eam in possessionem, nec facias nos transire Iordanem.* Num. 32.

Quibus respondit Moyses.

4 Ægrè tulit Moses hanc postulationem; eò quòd, si tunc trans Iordanem possessionem acciperent, illæ tribus domi manerent, neque ferrent opem cæteris bellum gerentibus. Iraque seuerè respondit: *Numquid fratres vestri ibunt ad pugnam, & vos hic sedebitis? cur subuertitis mentes filiorum Israel, ne transire audeant in locum, quem eis daturus est Dominus?* Etenim exemplo suo subuertebant corda aliarum tribuum hæ duæ, quia postulabant habitationem, & quietem, antequam Iordanem transirent, post cuius transitum cum Chananæis bellum gerendum erat, volebantque possessionem accipere, antequam reliquæ tribus possessionem haberent. A B Tribus Rubi & Gad, c dimidia Manasses postulant sortem trans Iordanem.

Armati, & accincti pergemus ad prælium.

5 Pollicentur Mosi duarum tribuum milites, se domi non remansuros, sed Iordanem cum cæteris transituros armis instructos, vt cum Chananæis prælientur; neque in sedes suas redituros,

A dituros, quousque omnes reliquæ tribus, deuictis hostibus, hæreditatem accipiant: *Paruulos* (inquiunt) *nostros, & mulieres, & pecora, ac iumenta relinquemus in vrbibus Galaad. Nos autem famuli tui omnes expediti pergemus ad bellum.* Item: *Non reuertemur in domos nostras, vsque dum possideant filij Israel hæreditatem suam, neque quidquam quæremus trans Iordanem, quia iam habemus nostram possessionem in orientali eius plaga.*

Si facitis, quod promittitis.

6 Conceditur terra trans Iordanē duabus tribubus, & dimidiæ, sub cōditione.

Accepit Moses conditionem: *Si facitis,* (inquit) *quod promittitis, expediti pergite coram Domino ad pugnam, & omnis vir bellator armatus Iordanem transeat.* Item: *Ædificate vrbes paruulis vestris, & caulas, & stabula ouibus, ac iumentis, & quod polliciti estis, implete.* Aduerte, Mosem dimidiæ quoque tribui Manasses dedisse hæreditatem trans Iordanem, in duobus regnis Sehon, & Og. Numer. 32. *Dedit Moyses filijs Gad, & Ruben, & dimidiæ tribui Manasse filij Ioseph regnum Sehon Regis Amorrhæi, & regnum Og, Regis Basan, & terram eorum cum vrbibus suis per circuitum.* Reliquæ tribus, & dimidia altera pars tribus Manasse, sortem acceperunt post transitum Iordanis, expulsis Chananæis. Quæritur primò, *an promissis steterint tribus Ruben, & tribus Gad?* Secundò quæritur, *an etiam dimidia tribus Manasse milites cum reliquis tribubus aduersus Chananæos pugnauerint?* Respondetur vtrique quæstioni affirmanter; tam enim tribus Ruben, & Gad, quàm dimidia tribus Manasse, (quamuis sortes haberent ante Iordanem) Iordanem ipsum transierunt, & simul cum cæteris tribubus, aduersus Chananæos bella gesserunt: confectis bellis domum reuersæ sunt. Iosue 4. *Filij Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manasse armati præcedebant filios Israel, sicut eis præceperat Moyses.* Et Iosue 22. *Vocauit Iosue Rubenitas, Gaditas, & dimidiam tribum Manasse, dixitque ad eos: Fecistis omnia, quæ præcepit vobis Moyses famulus Domini, mihi quoque in omnibus obedistis, neque reliquistis fratres vestros longo tempore, vsque in præsentem diem. Reuertimini, & ite in tabernacula vestra.* Præterea quæritur, *an ij qui ad bellum profecti sunt, vxores, paruulos, & pecora in vrbibus reliquerint absque militum præsidio?* sic enim pollicentur, Numer. 33. *Paruulos nostros, & mulieres, & pecora, ac iumenta relinquemus in vrbibus Galaad: nos autem expediti pergemus ad bellum.* Respondetur, cum mulieribus, paruulis, pecoribus, ac iumentis multos mansisse milites, qui hæc omnia defenderent, ne prædonibus, hostibusque essent exposita. Non enim omnes milites, qui numerati sunt, Num. 26. ex tribu Ruben, Gad, & dimidia tribu Manasse, ad bellum sunt profecti, sed tantùm quadraginta millia, vt legitur Iosue 4. Num. 32. Dua tribus & dimidia, comitatæ sūt in bello cæteras. Iosue 4. Iosue 22. Num. 33.

B bellorum subeuntibus, ideo illos acriter reprehendit, dicens: *Cur subuertitis mentes filiorum Israel, ne transire audeant in locum, quem eis daturus est Dominus?* Similes illos esse ait exploratoribus. Exploratores enim subuerterunt cor populi verbis; hi autem si Iordanem non trãsirent ad bellum gerendum cum Chananęis, subuertebant exemplo. Etenim exemplum malum corda subuertit, & à virtute auertit, quod indicat ille Regis Assueri consultor cap. 1. Esther, loquens de exemplo Reginæ Vasthi, quæ vocata ad Regem venire contempsit: *Egredietur* (inquit) *sermo Reginæ ad omnes mulieres, vt contemnant viros suos, & dicant: Rex Assuerus iussit, vt Regina Vasthi intraret ad eum, & illa noluit. Atque hoc exemplo omnes principum coniuges Persarum, atque Medorum parupendent imperia maritorum.* hoc est, subuertet hoc exemplum corda vxorum, & ab obedientia auertet. Deuter. 20. iubet Dominus, prælio appropinquante, duces domum remittere milites formidolosos, ne corda cæterorum subuertant exemplo suo: *Loquentur* (inquit Dominus) *ad populum: Quis est homo formidolosus, & corde pauido, vadat, & reuertatur in domum suam, ne pauere faciat corda fratrum suorum, sicut ipse timore perterritus est.* Exemplum malum cordē subuertit. Esther 1. Deut. 20.

C Lib. 2. Machab. 6. Eleazarus compellebatur carnem porcinam lege prohibitam manducare; offerebant autem amici carnes alias, quibus ei per legem vesci licebat, suadebantque, vt de carnibus sacrificij se manducare simularet. At senex inclytus mori maluit, quàm exemplo suo iuuenum corda subuertere, & à lege auertere. Hæc illius verba sunt sempiterna memoria digna: *Non ætati nostræ dignum est fingere, vt multi adolescentium arbitrantes Eleazarũ nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum: & ipsi propter meam simulationem, & propter modicum corruptibilis vitæ tempus decipiantur, & per hoc maculam, atque execrationem meæ senectutis conquiram.* Sic ille. Et addit: *Fortiter vita excedendo senectute quidem dignus apparebo, adolescentibus autem exemplum forte relinquam.* Daniel. 3. vocãtur principes ad adorandam statuam auream, in quem locum D. Hieron. sic scribit: Principes congregantur ad adorandam statuam, vt per principes seducantur & gentes; seductis magistratibus, subditi populi maiorũ exemplo peccunt, &c. Magistratus enim maximè, & principes malo exemplo subditorũ corda subuertunt. Plutarchus in lib. de disputatione Philosophorum: Ferunt, (inquit) si eryngium herbam vna quæuis capra sumpserit in os, primùm ipsam sisti; deinde reliquum omnem gregem cum illa consistere, donec accedens capratius herbam eximat, &c. Simile huic herbæ est exemplum malum. Si princeps, vel magistratus illud assumat, sistit, & subditos consistere facit, & auertit à via Dei. Exemplum bonum præbendum. 2. Machab. 6. Ibidem. D. Hieron. Plutarchus.

CAPVT XIII.

MORALE.

Tribui Ruben, Gad, & dimidiæ tribui Manasse datur terra, quæ trans Iordanem est.

Cur subuertitis mentes filiorum Israel.

1 PVtabat Moses, Rubenitas, & Gaditas velle manere in otio, reliquis tribubus onus

Numquid fratres vestri ibunt ad pugnam, & vos hic sedebitis?

Putabat Moses, Rubenitas, & Gaditas velle ante Iordanem manere, nec comitari reliquas tribus in bellis gerendis, & idcirco eos reprehendit: *Numquid,* inquit, *fratres vestri ibunt ad pugnam, & vos hic sedebitis?* Cur hoc priuilegium poscitis? Nónne videtis magnam exoriri inæqualitatem inter fratres æquales, si hoc fiat?

cæteri in bellis versabuntur, vos in domibus vestris quiescetis? Nescitis, quid petatis; non est meum hoc dare vobis. Rectè quidem Moses inæqualitatem refugit. Nam, vt Aristoteles ait lib. 5. Ethic. cap. 3. inæqualitas est mater contentionum, & criminationum. Inde, inquit, pugnæ, & criminationes oriri consueuerunt, cùm aut æquales non æqualia, aut non æquales æqualia habent, & potiuntur, &c.

Aristoteles. Inæqualitas est mater cõtentionis.

4 At Rubenitæ, & Gaditæ responderunt, se nolle, fratribus ad pugnam euntibus, sedere domi, sed velle cum illis ad bellum pergere, illosque in bello præcedere, ac iuuare. *Nos*, aiunt, *armati, & accincti pergemus ad prælium, ante filios Israel.* Hæc est vera fraternitas, fratres non deserere, sed iuuare. Ad Galat. 6. *Alter alterius onera portate, & sic adimplebitis legem Christi*, &c. Iuuare, inquit Apostolus, fratres, & sic legem charitatis implebitis, cuius est omnibus opem ferre. Prouerb. 18. *Frater, qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas munita*, &c. hoc est, frater cui frater opitulatur, est similis ciuitati munitæ. Nam frater fratrem munit, ac protegit. Ecclesiastæ 4. *Melius*, inquit, *est duos esse simul, quam vnum, habent enim emolumentum societatis suæ. Si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli, quia cùm ceciderit, non habet sublenantem se.* De iis, qui fratres deserunt, conqueritur Iob cap. 6. *Fratres*, inquit, *mei petierunt me, sicut torrens, qui raptim transit in conuallibus.* Similes torrentibus ij sunt, qui, cùm opus est auxilio, proximum deserunt. Nam torrentes æstiuo tempore, cùm aqua opus est, exarescunt. Docent nos ipsæ rationis expertes animantes iuuare, proximos non deserere. Clemens Alexandr. lib. 1. stromatum: Cùm, inquit, in cœnum ceciderit elephas, & clamauerit; præsens aliquis alius id contemplatus, reuertitur paulò pòst, & secum ducit gregem elephantum, & eum seruat, qui ceciderat, &c. Plutarchus quoque sic scribit: Fossa ducta, eaque fruticibus paruis, & humo leui obtecta, venatores insidias elephantis struunt. Huc igitur quoties decidit aliquis, cæteri quicunque comitantur, congestam vndique sylvam, saxaque iniiciunt, dum cauo fossæ expleto exitus datur captiuo, &c. Nonne cernis animantes ratione carentes, sibi similes non deserere, sed iuuare? si cadit vnus elephas, accurrunt multi vt iuuent; eumdem in modum, si cadit proximus, accurrant multi, vt eum subleuent. Exod. 23. *Si videris asinum odientis te iacere sub onere, non prætereibis, sed subleuabis cum eo.* Si subleuandus est asinus, multo magis subleuandus est homo. Plinius de ceruis: Maria tranant, gregatim nantes, porrecto ordine, & capita imponentes præeuntium clunibus, vicibusque ad terga redeuntes, &c. Iuuant se mutuò cerui, cùm mare pertransèunt. Iuuemus nos mutuò, cùm sæculi huius turbulentos fluctus pertransimus.

Iuuandi sunt fratres, non deserendi.
Ad Gal. 6.
Prou. 18.
Eccles. 4.
Iob 6.
Clem. Alex.
Plutarchus.
Deut. 23.
Plinius.

Precamur, vt des eam nobis in possessionem, nec facias nos transire Iordanem.

5 D. Gregor. lib. 27. moral. cap. 10. ait, Rubenitas & Gaditas noluisse habere hæreditatem in terra repromissionis: Filij, inquit, Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manasse, multa pecora, & iumenta possidentes, dum extra Iordanem ea, quæ viderant campestria, concupiscunt, in repromissionis terra hæreditatem

D. Greg.

A habere noluerunt, &c. Terram repromissionis appellat eam, quæ post transitum Iordanis erat, sed etiam illa terra, quæ erat ante transitum, & data est filiis Ruben, & Gad, & dimidiæ tribui Manasse, terra erat repromissionis, introieruntque hæ tribus in terram repromissionis. Attamen præcipua terra repromissionis illa est, quæ erat post transitum Iordanis. In hac hæreditatem habere noluerunt filij Ruben, & cæteri, quia multa habebant pecora, ac iumenta, ideo ait D. Gregor. noluisse habere hæreditatem in terra repromissionis, nempe in præcipua. Retardauit eos pecorum, & iumentorum multitudo. Diuitiæ enim retardare solent homines in cælesti itinere. Vnde D. Gregor. Qui, inquit, iumenta B plurima possident, Iordanem transire refugiunt; quia quos multa mundi implicamenta occupant, habitationem cælestis patriæ non requirunt, &c.

Terra repromissionis trãs Iordanem.
Diuitiæ retardant in itinere homines.
D. Greg.

Post bella confecta reuersi sunt filij Ruben, 6
Gad, & dimidia tribus Manasse in vrbes suas, quæ erant trans Iordanem: cùm autem ad Iordanem peruenerunt, vt legitur Iosue 22. iuxta fluuium altare admirandæ magnitudinis extruxerunt. Existimarunt autem reliquæ tribus, altare extructum esse, vt idolis immolarent, & à Deo, legeque recederent. Quamobrem in vnum locum conuenerunt, vt illis inferrent bellum; interim trans Iordanem miserunt Phinees sacerdotem, summi sacerdotis Eleazari C filium, & decem tribuum Principes, qui graiter Rubenitas, & reliquos reprehenderunt, quòd altare sacrilegum ædificassent, & à Deo recessissent: at illi responderunt, se à cultu Dei veri minimè recessisse; altare verò illud non eo animo esse erectum, vt sacrificia in eo offerrent, sed vt esset monimentum, signumque vnius, & eiusdem cultus Dei, & testaretur filios Israel trans Iordanem habitantes, separatos quidem esse fluuio ab habitantibus cis Iordanem, sed non esse separatos religione, & sacrificiis, atque altari. Obseruandus est religionis ardor, vbi primùm sciuerunt Israelitæ, aliud altare excitatum esse in Iordane, protinus ma- D lo læsæ religionis occurrerunt. Docet locus, maximum esse malum læsæ religionis, occurrencumque illi summa cum festinatione, ne ipsa mora conualescat, sumatque vires. Ignis est hæresis, vbi primùm scintilla tartarei huius ignis scintillauerit, protinus extinguatur, ne incendium pariat, quod domos, ciuitatesque multas exurat. Pestis est contagione maximè inficiens, summa cum festinatione medicina illi adhibeatur, nam, vt Poëta dixit:

Summa eum diligẽtia hæresibus occurrendum est.

——— *serò medicina paratur,*
Cùm mala per longas inualuere moras.

2. ad Timoth. 2. *Sermo eorum vt cancer serpit*, &c. *2. Tim. 2.*
In quem locum author Commentariorum, qui E D. Hieronymi nomen præferunt: Cancer, inquit, dicitur vulnus, quod in mammillis nascitur fæminarum, cui nisi citò subuentum fuerit, cùm virus ad cor serpendo peruenerit, nullum remedium est: ita & hæreticorum sunt vitanda colloquia, ne per aures irremediabiliter vulnerent mentes, &c.

D. Hieron.

CAPVT

CAPVT XIV.

De Cantico Mosis.

1 IN hac extrema mansione in campis Moabitarum, qui iuxta Iordanem erant, anno quadragesimo ab exitu ex Ægypto, in fine anni, mense vndecimo, Moses instante morte populo valedixit, leges Dei, ac statuta repetendo, eumque ad eorum obseruationem excitãdo, vt scriptum est in libro Deuteronomij, qui hoc nomine ideo appellatur Græcè, quòd secundò legem proponat. Vnde D. Hieron. in epist. ad Paulinum: Deuteronomium, inquit, secunda lex, & Euanglicæ legis præfiguratio sic habet ea, quæ priora sunt, vt tamen noua sint omnia de veteribus, &c. Δεύτερος Græcè *secundus* dicitur, & νόμος, *lex*, inde δευτερονόμιον, *secũda lex.* Secundò tradit Moses ea, quæ in aliis libris scripta sunt; & Israelitas ad custodiendam legem proposito Dei præmio, & supplicio adhortatur. Iubet verò Deut. 31. vt lex hæc in anno remissionis legatur; coram toto populo, in festo tabernaculorum, quo ex omnibus locis ad locum tabernaculi Israelitæ confluebant. Iubet etiam librum legis, id est, Deuteronomium, asseruari in latere arcæ fœderis. Ad hæc Deut. 17. *Deut. 17.* præceptum extat, Regi datum: *Postquam sederit in solio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à sacerdotibus, & habebit secum, legétque illud omnibus diebus vitæ suæ.* In hac vltima mansione, secundum Canticum cecinit Moses, instante morte, quod breuiter explicare operæ pretium erit.

D. Hieron. Vnde dicatur Deuteronomium.
De Deuteronomio.

Canticum Mosis.

DEVTERONOMII CAP. XXXII.

2 AVdite cæli quæ loquor, audiat terra verba oris mei:
Concrescat vt pluuia doctrina mea, fluat vt ros eloquium meum, quasi imber super herbam, & quasi stillæ super gramina.
Quia nomen Domini inuocabo: date magnificentiam Deo nostro.
Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ eius iudicia: Deus fidelis, & absque vlla iniquitate, iustus & rectus.
Peccauerunt ei, & non filij eius in sordibus: generatio praua atque peruersa.
Hæccine reddis Domino, populè stulte & insipiens? numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creauit te?
Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas: interroga patrem tuum, & anuntiabit tibi; maiores tuos, & dicent tibi.
Quando diuidebat altissimus gentes: quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israël.
Pars autem Domini, populus eius: Iacob funiculus hereditatis eius.
Inuenit eum in terra deserta, in loco horroris, & vastæ solitudinis: circumduxit eum, & docuit: & custodiuit quasi pupillam oculi sui.
Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis.
Dominus solus dux eius fuit: & non erat cum eo Deus alienus.
Constituit eum super excelsam terram, vt comederet fructus agrorum, vt sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo.
Butyrum de armento, & lac de ouibus cum adipe agnorum, & arietum filiorum Basan: & hircos cùm medulla tritici, & sanguinem vuæ biberet meracissimum.
Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit: incrassatus, impinguatus, dilatatus, dereliquit Deum factorem suum, & recessit à Deo salutari suo.
Prouocauerunt eum in diis alienis, & in abominationibus ad iracundiam concitauerunt.
Immolauerunt dæmoniis, & non Deo, diis quos ignorabant: noui recentesque venerunt, quos non coluerunt patres eorum.
Deum qui te genuit dereliquisti, & oblitus es Domini creatoris tui.
Vidit Dominus, & ad iracundiam concitatus est: quia prouocauerunt eum filij sui & filiæ.
Et ait: Abscondam faciem meam ab eis, & considerabo nouissima eorum: generatio enim peruersa est, & infideles filij.
Ipsi me prouocauerunt in eo qui non erat Deus, & irritauerunt in vanitatibus suis: & ego prouocabo eos in eo, qui non est populus, & in gente stulta irritabo illos.
Ignis succensus est in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima: deuorabitque terram cum germine suo, & montium fundamenta comburet.
Congregabo super eos mala, & sagittas meas complebo in eis.
Consumentur fame, & deuorabunt eos aues morsu amarissimo: dentes bestiarum immittam in eos, cum furore trahentium super terram, atque serpentium.

Foris vastabit eos gladius, & intus pauor, iuuenem simul ac virginem, lactentem cum homine sene.
Dixi: Vbinam sunt? cessare faciam ex hominibus memoriam eorum.
Sed propter iram inimicorum distuli, ne fortè superbirent hostes eorum, & dicerent: Manus nostra excelsa, & non Dominus, fecit hæc omnia.
Gens absque consilio est, & sine prudentia.
Vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent.
Quomodo persequatur vnus mille, & duo fugent decem millia? nónne ideò, quia Deus suus vendidit eos, & Dominus conclusit illos?
Non enim est Deus noster vt dij eorum: & inimici nostri sunt iudices.
De vinea Sodomorum, vinea eorum, & de suburbanis Gomorrhæ: vua eorum vua fellis, & botri amarissimi.
Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.
Nónne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis?
Mea est vltio, & ego retribuam in tempore, vt labatur pes eorum: iuxtà est dies perditionis, & adesse festinant tempora.
Iudicabit Dominus populum suum, & in seruis suis miserebitur: videbit quòd infirmata sit manus, & clausi quoque defecerunt, residuique consumpti sunt.
Et dicet: Vbi sunt dij eorum, in quibus habebant fiduciam?
De quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum: surgant, & opitulentur vobis, & in necessitate vos protegant.
Videte quòd ego sim solus, & non sit alius Deus præter me: ego occidam, & ego viuere faciam: percutiam, & ego sanabo, & non est qui de manu mea possit eruere.
Leuabo ad cælum manum meam, & dicam: Viuo ego in æternum.
Si acuero vt fulgur gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea: reddam vltionem hostibus meis, & his qui oderunt me retribuam.
Inebriabo sagittas meas sanguine, & gladius meus deuorabit carnes, de cruore occisorum, & de captiuitate, nudati inimicorum capitis.
Laudate gentes populum eius, quia sanguinem seruorum suorum vlciscetur: & vindictam retribuet in hostes eorum, & propitius erit terræ populi sui.
Venit ergo Moyses, & locutus est omnia verba cantici huius in auribus populi, ipse & Iosue filius Nun.

3 *Deut. 31. Prædicit Deus Mosi, & Iosue futuram populi idololatriam.*

ALlocutus est Dominus Mosem Deut. 31. præcepitque, vt tam ipse, quàm Iosue in tabernaculum fœderis venirent. Apparuit verò illis in columna nubis, prædixitque, post mortem Mosis, Israelitas idola culturos, grauesque propterea pœnas daturos, & canticum tradidit in huius rei testimonium, quod docerent populum: *Scribite vobis* (ait Dominus) *canticum istud, & docete filios Israel, vt memoriter teneant, & ore decantent, & sit mihi carmen istud pro testimonio inter filios Israel, introducam enim eum in terrā pro qua iuraui patribus eius, lacte, & melle manantem. Cumque comederint, & saturati, crassique fuerint, auertentur ad Deos alienos, & seruient eis, detrahéntque mihi, & irritum facient pactum meum. Postquam inuenerint eum mala multa, & afflictiones, respondebit ei canticum istud pro testimonio, quod nulla delebit obliuio ex ore seminis sui.*

Audite cæli, quæ loquor.

4 *Deut. 31.* *Quomodo Moses cælum inuocet, & terram.* *Deut. 4.* *Deut. 39.* *Isaia 1.*

Dixerat Moses cap. 31. *Congregate ad me omnes maiores natu per tribus vestras, atque doctores, & loquar audientibus eis sermones istos, & inuocabo contra eos cælum & terram.* Hoc facit initio cantici: cælum inuocat, & terram, velut testes aduersùs Hebræos, idolorum cultores. Id iam fecerat Deuter. 4. *Testes*, inquit, *inuoco hodie cælum, & terram, cito perituros vos esse de terra.* Et Deut. 39. *Testes inuoco hodie cælum & terram, quod proposuerim vobis vitam, & mortem, benedictionem, & maledictionem, elige ergo vitam.* Simile est Isaiæ initium: *Audite cæli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est.* Duobus autem modis possunt hæc verba explicari. Primo, ita vt sit apostrophe ad cælum ipsum, & terram, velut testes sempiternos, attentionem concilians auditorum. Secundo, ita vt per metonymiam continens sumatur pro contento, cæli pro angelis, terra pro hominibus. D. Hieron. Isai. 1. Cælum, inquit, & terram ad audiendum prouocat Isaias, in cælo supernas angelicasque virtutes significans; in terra mortalium genus, μετωνυμικῶς, ab iis, quæ continent ea, quæ continentur: siue quia per Mosem testes vocauerat Dominus cælum, & terram, dans populo legem post præuaricationem populi, eosdem rursus in testimonium vocat Isaias, vt cuncta elementa cognoscāt, iustè Dominum in vltionem mandatorum suorum ad iracundiam concitatum, &c. D. Gregor. lib. 2. Moral. cap. 26. ait, Mosem nomine cælorum populi præpositos significare, nomine autem terræ subditorum plebem; quasi dicat: audite populi Israel præpositi, & audiat plebs. & August. in Gloss. ordinaria: Audiant, inquit, cæli allegoriam: audiat terra historiam. Audiendus enim est sensus scripturæ historicus, & maximè perscrutandus, sed assurgere oportet ad sensum allegoricum, & cæteros, præcipuè verò ad tropologicum, siue moralem, qui componendis, & ornandis moribus seruit.

D. Hieron. *D. August.*

Concrescat in pluuiam doctrina mea.

5 *Sermo Dei pluuia est, & ros.*

Optat Moses, doctrinam suam sic in aures, & corda auditorum influere, vt influit pluuia & ros in terram. Excipitur pluuia & ros auidè à terra

à terra arida, eamque fœcundat: sic ille auidè vult excipi sermonem suum ab Israëlitis, eisque prodesse. Confert præterea doctrinam suam cum pluuia & rore, quia, quemadmodum pluuia & ros ex cælo decidunt: ita canticum hoc decidit ex cælo, à Deo enim datum est. Similis locus est Isaiæ 55. de verbo Dei: *Quomodo descendit imber & nix de cælo, & illuc vltra nō reuertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti: sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo, non reuertetur ad me vacuum, sed faciet, quæcunque volui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud.* Sic Dominus apud Isaiam: Moses verò: *Cōcrescat*, inquit, *in pluuiam doctrina mea*, &c. Pluuia fit ex nubibus concretis, nubes enim tenues, & minimæ concretæ pluuiam non emittunt, vnde illud Iudæ Apostoli: *Nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur*, &c. Verbum Hebræum *garaph* significat *stillare*. Iob. 29. *Super illos*, inquit, *stillabat eloquium meum: expectabant me sicut pluuiam, & os suum aperiebant, quasi ad imbrem serotinum*, &c. Ezech. 20. *Stilla ad Aphricum*, id est, instar pluuiæ emitte eloquium tuum versus Africum. & cap. 21. *Stilla ad Sanctuaria*. Daniel. 9. *Stillauit super nos maledictio.* LXX. interpretes vertunt: *Expectetur vt pluuia doctrina mea.* Magno enim desiderio pluuia expectatur, cùm terra est arida. Chaldęus sic: Suauis sit, sicut pluuia doctrina mea. Nam terræ aridæ suauissimus est imber.

Isaia 55. *Iob 29.* *Ezech. 20.* *Ezech. 21.* *Daniel. 9.*

Quia nomen Domini inuocabo: Date magnificentiam Deo nostro.

6 Primus sensus est: Sit meus sermo similis pluuiæ fœcundanti terram, quia nomen Domini inuocabo, vt sit doctrina mea vtilis, populumque fœcundans. In hunc sensum interpretatur Carthusianus: Nomen, inquit, Domini inuocabo, id est, Deum exorabo, vt dignetur assistere, ideo confidenter opto, & hortor, verba mea sic recipi, ac taliter fructificare, quia Deus per gratiam suam hoc potest conferre, atque vt conferat, oro, &c. Sic solent concionatores nomen Deiparæ Virginis inuocare initio concionis ad impetrandam eius precibus gratiam, vt sit vtilis concio. Secundus sensus: Audite verba mea cæli; & terra magnā cum reuerentia, & mea doctrina, vt pluuia fluat magna cum vtilitate; quia summum Dei nomen Iehoua inuocabo, & de Deo omni honore, & veneratione digno loquar. Chaldæus sic vertit: Quando in nomine Domini ego oro, date magnificentiam coram Deo nostro, &c. Verba hæc ad sequentia refert, estque sensus tertius: Siquidem ego nomen magni Dei inuoco; vos illum laudate, eiusque summam magnitudinē prædicate. *Date magnificentiam Deo nostro.* Vos magno Deo date magnificentiā, hoc est, magnum Deum magnificate, iuxta illud Deiparę Virginis: *Magnificat anima mea Dominū.* Hebraicè, הבו גדל *habu godel*. id est, afferte magnitudinē Deo. Significat ergo magnificentia magnitudinem infinitam, maiestatéque Dei, quæ maximè prędicāda est, vt enim vates canit Psal. 144. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis eius non est finis.*

Carthus. *Psalm. 144.*

Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ eius iudicia.

7 Laudat Moses Deum maximè laudabilem: *Dei*, inquit, *perfecta sunt opera.* Nam perfectissimus artifex est Deus, perfectissimam habens operum scientiam, & perfectissimam potentiam: perfecta autem scientia, & perfecta artificis potentia perfectum opus efficiunt. Perfecta opera facere Deus scit, & potest, & vult. Dei ergo perfecta sunt opera, *& omnes viæ eius iudicia*, hoc est, semper in viis iustitiæ graditur, nunquam ab eis recedit, sunt opera eius perfecta, sunt etiam iusta, Apoc. 15. *Magna, & mirabilia sunt opera tua Domine, Deus omnipotens, iustæ, & veræ sunt viæ tuæ, Rex sæculorum.* Sap. 18. *Cùm sis iustus, iustè omnia disponis*, &c. *Deus fidelis* (ait Moses) *absque vlla iniquitate iustus, & rectus*, &c. Fidelis est Deus in promissis prestandis, nemini fraudem facit; iustissimus, & rectissimus est, ab omni peccati macula alienissimus. Psal. 144. *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis*, &c. Etenim in omnibus verbis suis seruat fidelitatem maximam, & veritatem, Psalm. 32. *Rectum est verbum Domini, & omnia opera eius in fide*, hoc est, nunquam Deus in operibus suis à fidelitate discedit, omnia opera promissorum eius in fide, id est, fidelitate sunt. Perfecta sunt opera Dei, perfectumque fuit opus liberationis populi Israelitici ex captiuitate Ægypti. Opus suum perfecit Deus, introduxit populum in terram repromissionis, eamque illis tradidit possidendam. Omnes viæ Domini sunt iudicia, quamobrem quod de filiis Israel iudicauit, iustum fuit, iustumque fuit supplicium, quo illos affecit, propter idololatriam. Fidelis Deus est; fidelis fuit in promissione facta Patribus de terra Chanaan tradenda posteris eorum, iustus est, & rectus, ideo de eorum sceleribus pœnas sumpsit, quæ omnia cantico continentur.

Apoc. 15. *Sap. 18.* *Psal. 144.* *Psal. 32.* *Perfectū fuit opus Dei liberatio Israelitarum ex Ægypto.*

Peccauerunt ei; & non filij eius in sordibus, generatio praua, atque peruersa.

8 *Israelitas increpat Moses.*

Deum laudauit; nunc Israelitas reprehendit, quòd verum Deum sint repudiaturi; & ad idola defecturi. Prauam generationē appellat, atque peruersam; præteritum autem pro futuro sumitur: Hunc, inquit, Deum, cuius perfecta sunt opera, cuius viæ omnes iudicia, hunc Deum fidelem, & absque vlla iniquitate iustum, & rectum, reliquerunt Israelitæ, propter sordes idolorum. Peccauerunt Deo, alienos Deos, atque inanes colendo, iam non filij eius, sed generatio praua; atque peruersa, quia se dæmoni per idololatriam manciparunt. Peccauerunt (inquam) ei in sordibus idolorum; sordes enim appellantur idola, quia eorum cultus valde hominem inquinat. 3. Reg. 15. *Asa purgauit sordes idolorum.* Osee 5. *Ephraim cœpit abire post sordes*, id est, post idola. Exod. 32. *Propter ignominiam sordis*, id est, vituli, idoli.

Idola dicuntur sordes. *3. Reg. 15.* *Osee 5.* *Exod. 32.*

Hæccine reddis Domino, popule stulte, & insipiens?

9 *Stulti sunt idolorū cultores.*

Ingratitudinem incusat populi; quòd post tot beneficia, à Deo accepta, illum reliquit, & idola adorauit: siccine, inquit, beneficia à Deo accepta soluis, popule stulte, & insipiens? Magnæ enim stultitiæ est, & insipientiæ, ab eo qui maximis beneficiis te affecit, ad lapidea, & lignea idola deficere. Sapien. 13. *Vani sunt homines omnes, in quibus non subest scientia Dei.* Vani sunt, & stulti, μάταιοι. Ad Romanos 1. Apostolus de Ethnicis loquens: *Euanuerunt*, inquit, *in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt,*

Sap. 13. *Ad Rom. 1.*

& mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & serpentium. Si quæris, quæ beneficia in te Deus contulerit? *Numquid nõ ipse est Pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creauit te?* Nónne hæc sunt maxima beneficia? Nónne Pater tuus est, teque veluti filium nutriuit? nónne te creauit, nónne te possedit, veluti propriam hæreditatem, & populum peculiarem? Patri tuo, qui te creauit, & possedit, sic soluis debita beneficia, ô popule ingratissime? Dicet aliquis: Paulò antè dixit, Israelitas non esse filios: *Peccauerunt,* inquit, *ei, & non filij eius,* modò Deum illorum Patrem appellat. Videntur hæc inter se pugnare. Respondetur, nunc appellare Deum Patrem Israelitarum per creationem, & prouidentiam, sicut Iob 38. dicitur: *Quis est pluuiæ Pater, vel quis genuit stillas roris?* versu autem superiore appellare Israelitas, non filios Dei per gratiam. Possunt etiam dici non filij per prouidentiam, quia Deus Israelitis idolorum cultoribus non prouidebat eo modo, quo prouidebat, cùm idola non colebant. Similis locus est Isai. 1. *Audite,* inquit, *cæli, & auribus percipe terra, quoniam Dominus locutus est: filios enutriui, & exaltauì, ipsi autem sprenerunt me.* Enutriuit Deus Israelitas, & velut filios magnis beneficiis affecit; at ingratissimi illum spreuerunt, & idola coluit populus stultus, & insipientior ipsis bobus, & asinis. Vnde sequitur: *Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israël autem me non cognouit, & populus meus non intellexit,* hoc est, insipientior fuit populus animantibus ratione carentibus. Nam bos cognouit possessorem suum; populus autem non cognouit Deum, qui possedit eum, & fecit, & creauit eum. Asinus cognouit præsepe, in quo ei cibum Dominus suus præbet, Israel autem non cognouit summum benefactorem Deum, à quo cibum, milleque alia beneficia accepit.

Beneficia Dei collata in Israelitas.

Iob 38.

Isaia 1.

Ingrati Hebræi idola coluerunt, brutis animantibus insipientiores.

Memento dierum antiquorum.

16 Hortatur Moses populum, vt in memoriam reuocet, & à maioribus discat beneficia, quæ à Deo accepit: Memoria, inquit, repete antiqua tempora, singulasque generationes, quæ præcesserunt, animoque volue beneficia, quibus te in illis affecit Deus. Patres maiores tuos interroga, illi te docebunt, enarrabuntque dona Domini, & intelliges, quàm sis ingratus beneficentissimo Deo tuo. Necessaria est diuinorum beneficiorum memoria; sunt enim veluti ligna, in quibus Dei amor, velut ignis, exardescit. Quis enim benefactorem suum non amet? Quis tot, ac tanta Dei recolens beneficia eum non diligat summopere? August. sermon. 81. Qui tibi tantùm contulit, scit quantum reposcat. ille, cùm venerit, redditurus est, quod promisit, sed requisiturus est, quod redemit. & quod dedit in primo aduentu, exacturus est in secundo. Nemo ergo Christo reddat mala pro bonis. Quis est qui reddit mala pro bonis? Ille, qui cùm deberet dare propria, rapit aliena, qui pro charitate reddit odium, inuidiam pro benignitate, pro humilitate superbiam, pro castitate luxuriam, &c. Reposcit Deus pro beneficiis illorum memoriam, & gratias, reposcit amorem, reposcit vitæ integritatem. Nemo reddat mala pro bonis, pro beneficiis nemo reddat Deo maleficia, & peccata. Meritò enim illi dicetur: Hæccine reddis Domino, homo stulte, & insipiens? Nunquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creauit te? ô Christiane ingratissime, siccine eximia Dei benefacta turpissimis malefactis soluis? Memento dierum antiquorum, cogita generationes singulas, & dies singulos, & inuestiga beneficia, qui in te contulit Deus. pudebitque te, ac pigebit tantæ ingratitudinis; obserua, Patrum esse, & maiorum, docere filios, & filiorum esse, interrogare Patres: *Interroga,* inquit, *patrem tuum, & annuntiabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi.* Psalm. 77. *Quanta mandauit Patribus nostris nota facere filijs suis, vt cognoscat generatio altera, filij, qui nascẽtur, & exurgent, & narrabunt filijs suis.* De fide vera interrogandi sunt Patres antiqui, & maiores, non autem noui quidam nouatores, quorum fides heri nata est ex diaboli semine.

Nõ reddamus Deo pro beneficijs, quibus afficimur, peccata.

D. August.

Patrum est docere filios.

Psalm. 77.

Interrogandi sunt antiqui patres, non audiendi nouatores noui.

Quando diuidebat altissimus gentes.

Agit de beneficio electionis, elegit enim Deus ex populis Israelem, vt peculiaris esset sibi populus, eumque ex Ægypto eduxit, & in terra repromissionis collocauit: *Quando,* inquit, *diuidebat altissimus Deus gentes,* cum turris Babylonica ædificabatur, quando filios Adam separabat, & mittebat in diuersas regiones, vt in eis habitarent. De hac gentium diuisione, & separatione agitur Gen. 12. *Dimisit omnes Dominus ex illo loco in vniuersas terras, & cessauerunt ædificare ciuitatem.*

17 *Beneficium electionis Israel.*

Genes. 12.

Constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israël.

Cùm Deus populos diuidebat post diluuiũ, cõstituit terminos regionum populi, iuxta numerum filiorum Israel. Dubium est, *quõnam modo Deus terminos populorum constituerit iuxta numerum filiorum Israël?* Lyranus, Abulensis, Titelmanus, Haymo, & alij ita exponunt, cùm Iacob in Ægyptum descendit, vt legitur Genes. 46. omnes animæ de domo eius fuerunt septuaginta. Iuxta hunc numerum filiorum Israel Deus populorum terminos constituit. Diuisæ enim sunt gentes post diluuium in septuaginta duos populos, & septuaginta duas linguas, vt communis fert opinio. D. Augustin. lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 6. Ex illis, inquit, tribus hominibus filiis Noë, septuaginta duæ gentes, totidemque linguæ per terras esse cœperunt, &c. Idem ait D. Hieronym. Matth. 26. D. Isidorus lib. 9. Etymol. cap. 2. D. Epiphan. in Panario, Prosper lib. 2. de vocatione gentium, Eucherius, Albinus, & alij. Verùm noster Pererius hanc opinionem in dubium vocat, lib. 16. in Genesim.

18 *Quomodo Deus terminos populorũ constituerit, iuxta numerum filiorum Israel.*

D. August. Diuisæ dicẽtur gentes in septuaginta duas linguas, & populos.

Secundò, Scholiastes Caietani existimat, in multitudine illa hominum, quæ dispersa est, & diuisa propter confusionem linguarum ex vnaquaque lingua duodecim tantùm homines fuisse. Sicque interpretatur verba cantici: Constituit numerum populi cuiusque in propria lingua, iuxta numerum filiorum Israel, siue filiorum Iacob, qui fuerunt duodecim. Nam Iacob duodecim filios habuit. Si igitur in singulis populis, & linguis, cùm diuidebantur per orbem, duodecim tantùm erant viri, constituit Deus terminos populorum iuxta numerum filiorum Iacob. At duodecim tantùm viros in singulis linguis, & populis tunc fuisse, coniectura est, quæ non multum habet ponderis. Præterea Moses non ait: Constituit viros, aut perso-

13 *Scholiastes Caietani.*

personas populorum, iuxta numerum filorum Israel, sed: *Constituit terminos populorum.*

24 Tertiò Caietanus, Iansenius, & alij ita explanant: *Constituit terminos populorũ,* id est, Chananæorum, *iuxta numerum filiorum Israel,* id est, vt postulabat numerus futurus Israelitarum, qui habituri erant regionem illam. Magnum fuit beneficium, & prouidentia Dei erga Hebræos, cùm Deus populos per orbem diuidebat, populis Chananæorum tam latos dedit terminos, quàm latos poscebat habitatio filiorum Israel. Illis enim statuerat regionem illam donare, & veluti filijs de habitatione prouidebat. Dicuntur autem Chananæi populi, quia multi erant; Deuter. 7. numerantur septem populi. *Cùm Deus,* ait Moyses, *deleuerit gentes multas coram te, Hethæum, & Gergezæum, & Amorrhæum, Chananæum, & Pherezæum, & Heuæum, & Iebuzæum, septem gentes, multo maiores numeri, quàm tu es, & robustiores te.*

Deut. 7.

15 Montanus numerat duodecim populos Chananæorum, exponitque hoc pacto: *Constituit Deus terminos populorum,* id est, Chananæorum, iuxta numerum filiorum Israel, quia filij Iacob duodecim fuerunt, populi Chananæorum totidem. Numerantur autem Genes. 10. vndecim filij Chanaan, Sidon, Hethęus, Iebusęus, Amorrhæus, Gergezæus, Heuæus, Aracæus, Sinæus, Aradius, Samaræus, Amathæus, si patrem quoque numeres, duodecim fiunt. Veruntamen Deuter. 7. septem tantùm populi numerantur, quos deleuerunt Israelitæ: non ergo videntur fuisse duodecim. Rupertus ad hunc modum exponit: Constituit terminos populorũ, id est, statuit, vt duret genus humanum, & durent populi iuxta numerum filiorum Israel, id est, donec impleatur numerus electorum, qui appellantur filij Israel.

Montanus.

Rupert.

Quartò, mihi magis placet interpretatio Glossæ interlin. quæ hyperbolem ait esse hoc loco, & in hunc sensum interpretatur: Constituit Deus terminos populorum iuxta numerũ filiorum Israel, hoc est, plurimis populis constituit plurimas regiones, in quibus habitarent, ita vt numerus populorum esset tantus, quantus est personarum in vno populo Israelitico: fecit populos iuxta numerum filiorum Israel, id est, quamplurimos, quemadmodum quamplurimi sunt filij Israel, nullum tamen ex aliis populis elegit, sed elegit populũ Israel. Est autem hyperbolicus hic loquendi modus, quia multo plures erant personæ filiorum Israel, quàm gentes, & populi in orbe terrarum. Verba glossæ interl. hæc sunt: Hyperbole est, id est, tot constituit singulas gentes, quot erant singulæ personæ in populo Israel, &c. Et Glossa ordin. quasi, cùm multitudo hominum innumerabilis sit, filios tantùm Israel in hæreditatem suam Dominus elegit, &c.

16 *Glossa inter.*

LXX. interpretes verterunt: Constituit terminos populi iuxta numerum angelorum Dei. Ex Origen. hom. 11. Numer. hic colligitur sensus: Constituit terminos gentium iuxta numerum angelorum, præsidentium ipsis gentibus: Excolit, inquit, vnusquisque angelus eos, quos diligentia sua conuertit ad Deum, & est vnusquisque in portione, vel cura illius angeli, & sicut ex initio sæculi, cùm dispergeret Deus filios Adam, statuit fines gentium secundùm numerum angelorum, & vnaquæque gens sub illo angelo facta est. Vna autem fuit, & electa gens Israel, &c. Sequitur Origen. D. Hieron. Daniel. 7. Quatuor, inquit, ventos cęli, quatuor arbitror angelicas potestates, quibus principalia regna commissa sunt, iuxta illud, quod in Deuteron. legimus: Constituit terminos populorum iuxta numerum angelorum Dei, &c. & D. Epiphan. in fine hæresis 51. Regna, inquit, & gentes sub angelis posita sunt, vt testatur Moses: *Quando diuisit altissimus gentes, velut dispersit filios Adam, constituit terminos gentium, iuxta numerum angelorum Dei.* Dionys. Areopag. lib. de cælesti Hierarchia, cap. 9. Sacra, inquit, scriptura Michaelem principem Iudaicæ gentis appellat, & alios cæterarum nationum. Statuit enim altissimus terminos gentiũ iuxta numerum angelorum Dei, &c. Euthymius quoque in hoc canticum sic interpretatur: Constituit terminos gentium iuxta numerum angelorum Dei, eorum scilicet angelorum, qui ordinati sunt, & constituiti, vt gentibus præssent, &c. Adiicit aliam interpretationem, quæ huiusmodi est: Constituit Deus terminos populorum iuxta numerum angelorũ Dei, quia vnicuique populo exercitum multorum angelorum attribuit, vt eum protegat. Vel (inquit Euthymius) Deus angelorum exercitus per loca, & regiones disposuit, vt malignas dæmonum potentias coërcerent. Nam nisi hoc factum esset, præ inuidia fortasse malignus dæmon vniuersos iam homines perdidisset, &c.

D. Hieron.

D. Epiphan.

Dion. Areop.

Euthym.

Forsitan iuxta versionem hanc LXX. interpretum est etiam hyperbole, significans maximum numerum numero angelorum, hoc sensu: Constituit terminos populorum iuxta numerum angelorum, hoc est, in maximo numero. Nam & sunt plurimi populi, & quisque populus plurimos progenerat homines. Addi potest & hic sensus: Constituit terminos populorum, iuxta numerũ filiorũ Israel, id est, multos populos cõdidit Deus, & diuisit, qui hominũ numero pares essent, vel superarent filios Israel. Non superabat illos Israel, attamen Israel solus est electus: non propter multitudinẽ populi, iuxta illud Deut. 7. *Non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis tunctus est Dominus, & elegit vos, cùm omnibus sitis populis pauciores.*

17 *LXX. inter. Origen.*

18

Deut. 7.

Pars autem Domini populus eius.

Constituit Deus terminos populorũ iuxta numerum filiorum Israel. At solum elegit populũ Israel, & ex Ægypto eductum in terram optimam introduxit, vt ipsum diuino cultu veneretur. Verba sequentia idem significant: *Israel funiculus hæreditatis eius.* Etenim funibus, siue funiculis olim hæreditates Hebræi metiebantur. Vnde Psalm. 15. *Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara est mihi.* Hoc est, in præclaris agris ceciderũt mihi funes diuisorij. Psal. 77. *Et sorte diuisit eis terram, in funiculo distributionis,* id est, in funiculo, vel fune diuidente, ac distribuente. Hoc loco dicitur Israeliticus populus *funiculus hæreditatis eius,* id est, hæreditas funiculo diuisa. Dicitur funiculus mensura, qua terra mensuratur, & dicitur etiam terra mensurata funiculo: habeo viginti funiculos hæreditatis, id est, terram viginti funiculorum; hoc secundo modo fuit Israel funiculus, quasi terra, & hæreditas mensurata funiculis. D. Hieronymus Ioëlis 3. ait, funiculum, Græcè σχοῖνον, significare *mensuram certitineris* apud Ægyptios: apud Hebræos verò significabat

19

Psal. 15. Funes mensuræ hæreditatum, & agrorum.

Psal. 77.

Quid significet funiculus.

D.Hieron.

bat mensurã hęreditatis.σχοίνος (inquit D.Hieronym.) aut funiculum significat, aut iuxta Ægyptios mẽsuram certi itineris, Psalmista dicente: *Semitam meam, & funiculum meum inuestigasti.* In Nilo enim, siue in riuis eius solent naues funibus trahere, certa habentes spatia, quæ appellant funiculos, vt labori defessorum recentia trahentium colla succedant. Hæc ille. Itaque pars Domini fuit populus Israeliticus. Si roget quis, *quibusnam meritis sit electus?* Respondet Moses, Deuter. 7. *Te,* inquit, *elegit Dominus tuus, vt sis ei populus peculiaris de cunctis populis, qui sunt super terram. Non quia cunctas gentes numero vincebatis, vobis iunctus est Dominus, & elegit vos, cũ omnibus sitis populis pauciores, sed quia dilexit vos Dominus, & custodiuit iuramẽtum, quod iurauit Patribus vestris,* &c. Cap. 9. *Neque propter iustitias tuas, & æquitatem cordis tui ingredieris, vt possideas terram earum,* (scilicet gentium) *sed quia illæ egerunt impiè, introeunte te deletæ sunt, vt compleret verbum suum Dominus,* &c. Ibidem: *Scito, quod non propter iustitias tuas Dominus Deus tuus dederit tibi terram hanc optimam in possessionẽ, cùm durissimæ ceruicis sis populus.* Pręterea elegit Israëlem Deus, & multis beneficiis cumulauit, quia ex eo Christum nasciturum decreuerat. Itaque elegit sibi populum Israeliticum Deus, primò propter Christum, secundò, propter patres, tertiò, expulit gentes à terra promissionis, introeuntibus Hebræis, propter gentium iniustitias, vt patribus promissa compleret.

Deut. 7.

Deut. 9. Non suis meritis elegit Deus Israelitas.

Ibidem.

Inuenit eum in terra deserta.

20 Pergit Moses Dei beneficia collata in populum commemorare. Inuenit populum hunc Deus in deserto, iuxta montem Sinai, ibi enim pactum cum eo iniit, & legem dedit. *Inuenit autem eũ in loco horroris,* (id est, in loco horrido) *& in vasta solitudine,* iuxta illud Deut. 8. *Eduxit te de terra AEgypti; ductor tuus fuit in solitudine magna, atque terribili, in qua erat serpens flatu adurẽs, & scorpio, ac dipsas, & nulla omnino aqua,* &c. *Circumduxit eum, & docuit, & custodiuit quasi pupillam oculi sui.* In hoc loco horroris & vastæ solitudinis circumduxit populũ Dominus. Nam multos circuitus habuit illud iter, vt suprà vidimus Deut. 2. *Circuiuimus montem Seir multo tẽpore,* &c. Et Iosue 5. *Vniuersi bellatores viri mortui sunt in deserto per longissimos viæ circuitus.* Circumduxit Dominus populum, & docuit, veluti pater filium; docuit, inquam, legem, & multa præcepta tradendo, docuit verberando sæpius, & beneficiis afficiendo. Deut. 8. *Sicut erudit filium suum homo, sic Dominus Deus tuus erudiuit te.* Custodiuit verò quasi pupillam oculi sui, quia ab hostibus illum protexit, à Pharaone, Amalecitis & reliquis, omniaque necessaria suppeditauit, vsque ad calceos, Deut. 29. *Adduxit vos quadraginta annis per desertum, non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumpta sunt.* Non atterebantur vestimenta Israelitarum, & calceamenta, non deerat panis ex cælo, non deerat aqua ex rupe, quia custodiuit eos Deus, quasi pupillam oculi. Chaldæus sic vertit: Iacob sors hęreditatis eius tribuit eis necessaria in terra deserta, & in loco sitienti, vbi non erat aqua. Collocauit eos in circuitu maiestatis suæ, docuit eos verba legis suæ, custodiuit eos sicut pupillam oculi sui, &c. Et LXX. interpretes hoc pacto: Funiculus hæreditatis eius Israel: sufficientia dedit ei in deserto, &c. Quòd autem dixit Chaldæus: Collocauit eos in circuitu maiestatis suæ, significat Israelitas in circuitu tabernaculi Dei castrametatos esse, vt suprà diximus. Noster interpres vertit: Circumduxit eos. Quod potest sic explicari cum Chaldæo: Circum tabernaculum suum duxit eos in deserto. Caietani interpres vertit, & Oleaster: Circumibit eum, hoc est, veluti vigilans circumibit Israelitas, & defendet. LXX. interpretes vertũt, ἐκύκλωσαν ἀυτὸν, id est, *circumdedit eum.* Euthymius exponit: custodia sua eum muniuit. Dicet aliquis, Deus Israelitas duxit in desertum, in locum horroris, & vastę solitudinis, *cur igitur ibi eos inuenisse dicitur?* Respõdetur, duxisse Israelitas in desertum, ibi autem eos inuenisse, cùm venit in montem Sinai ad ferendam legem.

Deut. 8.

Deut. 2. Iosue 5. Deus per desertum duxit Israel docuit, & custodiuit.

Deut. 8. Deus populo necessaria dedit in deserto.

Deut. 39.

Vestimẽta Israelitarũ non sunt attrita in deserto aut calceamenta.

Israelitæ castra metebantur in circuitu tabernaculi.

Euthym.

Sicut aquila prouocans ad volandum pullos suos.

21 Cum aquila Deum confert, prouocante ad volandum pullos. Erant in Ægypto Israelitæ, educere illos voluit Dominus. Sicut aquila prouocat pullos ad volandum: sic Deus prouocauit eos ad volandum ex Ægypto prodigiis, ac miraculis, Ægyptique plagis, assumpsitque eos, & veluti in humeris, & alis per desertum portauit, iuxta illud Exod. 19. *Vos ipsi vidistis, quæ fecerim Ægyptiis, quomodo portauerim vos super alas aquilarum, & assumpserim mihi,* &c. Super alas autem aquilarum portasse Hebręos dicitur Deus, quia illis iter monstrauit, præiuit, defendit necessariaque omnia suppeditauit. Denique quia illos diuino quodam atque excelso modo super omnia pericula portauit. Deut. 1. *Portauit te Dominus Deus tuus, vt solet homo gestare paruulum filium suum,* &c.

Exod. 19.

Super alas aquilarũ portauit Deus Israelitas in deserto.

Deut. 1.

22 Dubitatur, *an aquila super alas pullos suos portet?* Abulensis affirmat: Quando, inquit, pulli aquilæ paruuli sunt, & vult eos transferre de longinquo loco in alium, ponit eos super alas suas, vt pulli volando non fatigentur: vel si aliquis sagittas ab inferiori parte miserit, recipiantur in alis, & non vulnerent pullos, &c. Et Lyranus: Aquila, inquit, ponit pullos suos super humeros, vt prius ipsa recipiat sagittas, quàm pulli percutiantur: sic angelus personam Dei repræsentans, posuit se inter castra filiorum Israel, & Ægyptios in mari rubro, ne tela Ægyptiorum læderent Israelem, &c. Idem sentit Carthusianus. Titelmanus etiam ait, aquilam super alas portare pullos. Item Iansenius, & Glossa ordin. Aquila, ait, pullos ad volandum prouocat, & lassos alis sustentat, &c. Oleaster Exod. 19. de hac re sic scripsit: Dicunt Hebræi aquilam pręter morem aliarum auium, quę inter pedes pullos suos portant, filios super alas leuare, ne à sagittantibus peti possint, &c. Eodem loco ait, se timere hoc esse fictitium, inferius tamen non omnino reprobat. Respondeo, dubium hoc esse, neque enim video id ab antiquis scriptoribus memoriæ proditum. Illud certè parum momẽti habet, aquilam alis portare pullos, ne à sagittis percuti possint. Nam volat altissimè, ac velocissimè, nullusque sagittarius in aquilam volantem sagittas conicit. Scripturæ hic locus non videtur conferre Deum cum aquila in asportatione pullorum super alas, tantùm confert in excitatione ex nido ad volandum, hoc modo: sicut aquila prouocat pullos suos ad volãdum, super eos volans; sic Deus prouocauit Israelitas ad deserendam Ægyptum multa faciens miracula. Deinde non dixit: Aquila expandit alas suas, & assumpsit eos, scilicet aquila, pullos: sed, *expãdit Deus alas suas, & assumpsit eum,* id est, populum Israeliticum, Ægyptum relinquentem, & portauit in humeris suis. Nihilominus fateor, scripturam innuere, & aliquo modo significare, aquilam super alas portare pullos. Videtur enim esse comparatio, non solùm in excitatione pullorum ad volandum, sed etiam in portatione super alas.

Abulensis. An aquila portet pullos suos super alas.

Lyran.

Oleaster.

Constituit eum super excelsam terram.

23 Beneficium commemorat traditę terræ optimæ Israelitis. *Eduxit,* inquit, *populum ex Ægypto super alas.* Dux solus illius fuit in deserto, induxit verò eum in terram non depressam, qualis erat Ægyptus, sed excelsam, & montosam. Vnde Deuteron. 11. dicitur de ea: *Non est sicut terra Ægypti, de qua existi, vbi iacto semine in hortorum morem, aquæ ducuntur irriguæ, sed montosa est, & campestris de cælo expectans pluuias.* Sequitur: *Vt comederet fructus agrorũ,* &c. Numquid propterea Deus constituit Israelitas in terra promissionis, *vt comederent agrorum fructus?* Respondetur, constituisse Deum Israelitas in terra promissionis, vt comederent eius fructus, vitamque suam propagarent ad colendum Deum, eiusque mandata seruanda; hic fuit finis præcipuus, iuxta illud Psalm. 104. *Eduxit populum suum in exultatione, & electos suos in lætitia, & dedit illis regiones gentium, & labores populorum possederunt, vt custodiant iustificationes eius, & legem eius requirant.* Videant hi, qui populorum labores, id est, decimas, & eleemosynas comedunt sacerdotes, & religiosi, quorsum illas comedant, nimirum, vt iustificationes Domini custodiant, & legem eius requirant. Nemo viuat, vt comedat, sed comedat, vt viuat, ad colendum, amandumque eum, qui vitam donat, & cibum.

Deus terram repromissionis tradidit Israelitis montosam, & excelsam.

Deut. 11.

Ibidem.

Deus dat bona temporalia, vt eius seruemus mandata.

Psal. 104.

Vt sugeret mel de petra.

24 Exod. 3. ait Dominus, se educturum Israelitas ex terra Ægypti, in terram fluentem lac, & mel. Ostendit Moses, terram illam lac fluere, & mel, & oleum. *Vt sugeret,* inquit, *mel de petra,* (id est, de petris.) erat enim mellis abundãs tellus, quod apes in petris, id est, rupibus, conficiebant. Non malè aliqui volunt, dici mel fructus mellitos, & dulces, vt dactylos, vuas, ficus, mala granata, esseque potest dicendi modus: Terra fluebat lac & mel, id est, erat fertilissima. Numer. 13. aiunt exploratores: *Re vera fluit lacte, & melle, vt ex his fructibus cognosci potest,* &c. Probabant fluere lacte, & melle terram, non ostenso lacte, aut melle, sed fructibus optimis. Mellis copiam indicat illud 1. Reg. 14. *Omne terræ vulgus venit in saltum, in quo erat mel super faciẽ agri.* Indicat etiam cibus D. Ioannis Baptistæ, qui, vt Marcus testatur cap. 1. edebat mel syluestre. Abundans etiam terra erat olei. Dicuntur autem Israelitæ suxisse mel de petris, quia in cauernis rupium ab apibus faui conficiebantur, & suxisse oleum de saxis durissimis, quia oliuæ in locis saxosis oleum producebant. Addit Moses, terram fuisse lactis abundantem, butyri, armentorum, pecorum, tritici, & vini; *Vt comederent,* inquit, *butyrum de armento, & lac de ouibus, cum adipe agnorum, & arietum filiorum Basan, & hircos cum medulla tritici, & sanguinem vuæ biberet meracissimum.* Copiam lactis, & armenta, & ouium copiam indicant verba illa: *Butyrum de armento, & lac de ouibus, cum adipe agnorum, & arietũ.* Appellat verò agnos, & arietes filiorum Basan, quia in terra Basan, vt suprà vidimus, bona erant pascua, quamobrem à filiis Ruben, & Gad expetita est. Psal. 21. *Tauri pingues obsederunt me.* Hebraicè, *tauri Basan,* quia pingues erant, ob bonitatem pastionis. Ipsum etiam nomen Hebræum pinguedinem significat. Copiam tritici indicant illa: *Et hircos cum medulla tritici.* Hebraicè, *cum adipe renum tritici,* & sic verterunt LXX. interpretes, & putat Euthymius, renes frumenti, tritici pinguedinem significare. Videntur potiùs significare renes medullam tritici, hoc sensu: *cum adipe renum tritici,* hoc est, cum medulla pingui frumenti. Ad extremum, vinum Moses apposuit, & sanguinem vuæ appellat, propter similitudinem. Deut. 7. describit terræ fertilitatem his verbis: *Deus tuus introducet te in terram bonam, terram riuorũ, aquarumque, & fontium, in cuius campis, & montibus erumpunt fluuiorum abyssi, terram frumenti, hordei, & vinearum, in qua ficus, & mala granata, & olueta nascũtur, terram olei, ac mellis, vbi absque vlla penuria comedes panem tuum, & rerum omnium abundantia perfrueris.*

Terra promissionis fluens lacte, & melle.

Exod. 3.

Num. 13.

1. Reg. 14.

Terra Basan pinguis erat, abundans pascuis.

Psalm. 21.

Vinum dicitur sanguis vuæ.

Deut. 7. Fertilitas terræ promissæ.

CAPVT XV.

Da Cantico Mosis.

Incrassatus est dilectus, & recalcitrauit.

1 Qvemadmodum bene pastus, ac saturatus equus recalcitrat: sic bene pastus, saturatusque populus Israeliticus aduersùs Deum, recalcitrauit. Terræ pinguedine impinguatus, & crassitudine incrassatus, Deum, à quo bona omnia acceperat, dereliquit ingratissimus, & ab eo recedens, idola secutus est. Ælianus variæ hist. lib. 4. cap. 9. Pullus, inquit, videlicet mulus, cùm saturatus est lacte materno, calcibus petit matrem, &c. Sic Israelitæ cùm saturati essent melle, & lacte terræ promissionis, calcibus petierunt legem, diuinumque cultum. Prouocauerunt Deum, alienos, falsosque deos, & abominabiles colentes, illisque immolantes ad iracundiam eum concitauerunt. Prouocasse autem dicuntur Deum ad zelum, & æmulationẽ, atque inuidiam. verbum enim Hebræum, קנא, *cana,* hoc indicat. Quemadmodum enim vxor adultera virum prouocat ad zelum, & æmulationem aduersùs adulterum: ita synagoga idola sequens, Deum prouocauit.

Israelitæ incrassati aduersus Deum recalcitrarũt

Ælianus.

Et ait: Abscondam faciem meam ab eis.

2 Concitatus Deus ad iracundiam propter idololatriam, de punitione Israelitarum agit, & humano loquendi modo meditatur: *Abscondam,* inquit, *faciem meam ab eis,* hoc est, tollam auxilium, fauoremque meum ab eis. Nam Dei facies Soli similis est, si illam abscondit, in tenebris homo relinquitur. Psalm. 68. *Deus illuminet vultum suum super nos,* id est, lætum, benignumq; vultum nobis exhibeat, nobisque faueat. Et Psal. 118. *Faciem tuam illumina super seruum tuum,* &c. Ait ergo Dominus: Abscondam faciei meæ lucem ab eis, & crassa caligine operientur. *Considerabo nouissima,* id est, finem eorum, quem finem consequantur, videbo, nempe funestissimum. Par pari illis referam: *Quemadmodum illi me*

De supplicio Israelitarum cogitat Deus.

Psal. 68.

Psalm. 118.

me ad zelum, & æmulationem prouocauerunt in idolis, quę non sunt dij, & concitauerunt me ad iracundiam *in vanitatibus suis*, hoc est, in vanissimis simulachris: ita ego in zelum, & æmulationem prouocabo eos *in eo, qui non est populus, & in gente stulta irritabo illos*, hoc est, tradam eos ethnicis, qui eis bellum inferent; quique non sunt Dei populus, sed sunt gens stulta, quoniam stultè idolis cultum præbent. Ab illis autem prouocabuntur ad zelum, & ad iracundiam, cùm se viderint eorum esse seruos.

3 *Ad Rom. 10. Vocatio gentiũ, repudiatis Israelitis.*

D. Paulus ad Roman. 10. hæc Mosis verba in alium sensum recitat, ex translatione LXX. interpretum hoc pacto: Moses dicit: *Ego ad æmulationem vos adducam in non gentem, in gentem insipientem, in iram vos mittam.* &c. de temporibus Christi interpretatur: Vos, inquit, Messiam abiecistis, & solum Cæsarem Regem vestrum esse dixistis; qua in re me prouocastis ad iracundiam, & zelum, quantum in vobis erat. Ego prouocabo vos ad æmulationem, non quidem ad peccatum vllum mouendo, sed libellum repudij donando, gentes non gentes, hoc est, gentium nomine indignas, atque insipientes ad fidem meam, & cultum vocando.

Ignis succensus est in furore meo.

4 *Pœnarum genera recenset Dominus, quæ de Israelitis sumere potest.*

Iratus recenset Dominus pœnarum genera varia, quæ de Israelitis idolorum cultoribus potest sumere. *Ignis succensus est*: præteritum pro futuro vsurpatur, *ignis succendetur in furore meo, & ardebit vsque ad inferni nouissima*, hoc est, non solùm in superficie terræ exardescet, verùm etiã ad infimæ vsque terræ loca descẽdet, comburet terrę superficiem cum omnibus, quæ in ea sunt, & ipsa fundamenta montium inferiora consumet. Vel, ignis succendetur, qui vsque ad inferni, id est, tartari nouissima peruenias, ipsique tartareo igni adiungatur; vel, succendetur ignis in furore meo, qui in terra exardescet, & vsque ad inferni nouissima, quia post omnia in tartareum ignem illos præcipites dabo, super viros tanto scelere contaminatos malorum cõgregabo aceruum, & pharetram meam in eos exhauriã, immittam sagittas omnes, immittam famem, immittam aues, quę eos lacerent morsibus amarissimis, immittam feras, quæ dentibus crudeliter discerpant, immittam furorem serpentium, qui super terram se trahunt. Chaldæus sic vertit: Dentem bestiarum agri immittam in eos cum furore draconum, qui reptant in puluere, &c. Immittam bellum foris, extra domos hostium gladiis cædentur, intus in domibus pauor eos opprimet. His pœnis sumptis, penitus disperibunt, dicamque ego: Vbinam sunt Israelitæ? vbi populus est ille, qui me dereliquit, & mihi debitum cultum simulachris præbuit? tam illos, quàm memoriam eorum funditus ex orbe extirpabo.

Sed propter iram inimicorum distulit.

5 *Deus differt supplicia Israelitarum.*

Proposuit Dominus suppliciorum genera, quibus afficere poterat Israelitas; sed ea differt, ne hostes mendaciter tribuant sibi, non Deo, cædem & stragem: dicantque; nostris viribus deuicti sunt Israelitæ, atque deleti, nos de illis triumphauimus. Similem causam parcendi populo proponit Moses Deo post adoratum vitulum. Exod. 3. dixit Moses: *Ne quæso dicant Ægyptij; callide eduxit eos, vt interficeret in montibus, & deleret è terra*, &c. & cùm auditis exploratoribus in Ægyptum reuerti voluerunt, Numer. 14. ait Moses ad Dominum: *Vt audiant Ægyptij, & habitatores terræ huius, quod occideris tantam multitudinem, quasi vnum hominem, & dicant: non poterat introducere populum in terram pro qua iurauerat, idcirco occidit eos in solitudine.* &c.

Exod. 3. *Num. 14.*

Quomodo persequatur vnus mille, & duo fugent decem millia.

6 *Auxilium Dei in bello.*

Addit Dominus aliud supplicium, quo Hebræos propter scelera afficiet, nimirum subtractionem diuini auxilij in bello. Quomodo, inquit, fieri potest, vt vnus ex hostibus persequatur mille Hebræos, & duo ex hostibus fugent decem millia Hebręorum? Numerus certus ponitur pro incerto. Causa est, quia Deus suus, id est, Hebræorum Deus, *vendidit eos* hostibus, hoc est, quasi venditos hostibus tradidit, priuatos diuino auxilio, *& conclusit* illos in manibus inimicorum, vt non possent effugere, iuxta illud Psalm. 30. *Nec conclusisti me in manibus inimici, statuisti in loco spatioso pedes meos*, &c. Et 1. Reg. 26. ait Abisai ad Dauid: *Conclusit Deus inimicum tuum hodie in manus tuas.* Loquebatur autem de Saule dormiente, quem facilè poterat Dauid vita priuare. Alio sensu probabiliori possunt intelligi hæc verba, vt Dominus ostendat insipientiam Israelitarum, quòd non considerarint Deum pro illis pugnare, illisque hostes tradere, & regiones eorum. Quomodo, inquit, fieri potest, vt vnus ex Israelitis persequatur mille ex suis hostibus, & duo ex Israelitis in fugam conuertant decem millia? Nónne quia Deus suus, id est, Deus Israelitarum, quasi venditos tradidit hostes Israelitis, & conclusit illos in manibus eorum summa potentia sua?

Psal. 30. *1. Reg. 26.*

Non enim est Deus noster, vt dij eorum, id est, hostium colentium idola. Dij enim ethnicorum falsi nihil sunt, potentia omni carent, nec possunt efficere, vt vnus ex suis cultoribus persequatur mille, & duo fugent decem millia: *& ipsi inimici nostri sunt Iudices*, ipsi Ægyptij, & alij hostes iudices sunt; & testes potentiæ diuinæ, ipsi Amalecitę, ipse Rex Amorrhæorum, & ipse Og Rex Basan, quos Deo pugnante pro nobis vicimus. Audi sententiam inimicorum Ægyptiorum, cùm pelagi fluctibus obrui se videret, clamauerunt Exod. 14. *Fugiamus Israelem, Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Deut. 28. sic Moses populũ alloquitur de auxilio Dei agens in bellis: *Dabit Dominus inimicos tuos, qui consurgunt aduersum te, corruentes in conspectu tuo: per vnam viam venient contra te, & per septem fugient à facie tua.* Quòd si Dei præcepta non custodierint, infrà eodem capite additur: *Tradat te Dominus corruentem ante hostes tuos, per vnam viam egrediaris contra eos, & per septem fugias.*

Exod. 14. *Deut. 28.* *Ibidem.*

De vinea Sodomorum vinea eorum.

8 *Isaiæ 5.* *Psal. 79.* *Israelitæ vinea fuere Dei.*

Plantauit vineam Dominus, id est, Israeliticum populum, vt legitur Isaiæ 5. *Vinea*, inquit, *Domini exercituum, domus Israel est, & vir Iuda germen eius delectabile.* & Psalm. 79. *Vineam de Ægypto transtulisti, eiecisti gentes, & plantasti eam.* Orta est vinea hæc ex sanctis Patribus, Abraham, Isaac, & Iacob, sed ab illis ita degenerauit, vt à vineis Sodomæ, & Gomorrhæ dicatur propagata: *De vinea Sodomorum vinea eorum, & de suburbanis Gomorrhæ*, quia Sodomitarum, & Gomorrhæorum mores imitati sunt Israelitæ. Similiter Ezech. 16. dicitur: *Pater tuus Amorrhæus, & mater*

Ezech. 16.

Isaiæ 1. *& mater tua Cethæa.* Et Isa. 1. *Audite verbum Domini, Principes Sodomorum, percipite auribus legem Dei nostri populus Gomorrhæ.* De fructu vineæ ait Isaias cap. 5. *Expectauit* (Dominus) *vt faceret vuas, & fecit labruscas.* At hoc loco multo grauiùs loquitur: *Vua* (inquit) *eorum vua fellis, & botri amarissimi, fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.* Indicat hic fructus idololatriam, & scelera Hebręorum, cum idololatria coniuncta. Vineam Israeliticam dereliquit Deus: vineam Christianam plantauit, sanguineque irrigauit suo. Videant Christiani, qualem fructum proferant, ne de illis dicatur: *Vua eorum, vua fellis, & botri amarissimi.*

Isaiæ 5.

Nónne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis?

9 *Peccata Deus recondit.* *Sigillis vtebantur ad clausas res muniendas. Daniel. 6.* *Apoc. 5.* *D. Gregor.*

Distulit Deus supplicium, sed non abstulit, Israelitarum peccata seruauit, supplicium de illis tempore destinato sumpsit: *Hæc*, inquit, *peccata vestra recondita sunt & seruata apud me, & veluti in thesauris quibusdam reposita, tempore suo punienda.* Dicuntur autem signata peccata in thesauris, quia ea, quę clausa, & seruata esse volebant, sigillo signabant, vnde sepulchrum Christi signatum est, Matth. 27. & lacus leonum, in quem Daniel est coniectus, Daniel. 6. *Allatus est lapis vnus, & positus est super os laci, quem obsignauit Rex annulo suo, & annulo optimatum suorum*, &c. Apocalypf. 5. *Liber est signatus sigillis septem.* Apud D. Gregor. lib. 3. dialog. cap. 7. Iudæus signo crucis se muniuit, vt noctu in templo Apollinis maneret. Hunc cùm dæmones vidissent, mirantes dixerunt: Vę, vę. vas vacuum, & signatum; quia vasa plena signari solebant, non vacua. Iudæus autem vas erat non plenum sed fide vacuum, bene tamen signatum signo crucis.

Mea est vltio, & ego retribuam in tempore, vt labatur pes eorum.

10 *Vltio Dei est. Deut. 32.* *Iudith 1.*

Peccatorum se esse vltorem, peccatoribus testatur Deus: *Mea* (inquit) *est vltio* peccatorum, ad me pertinet peccata punire, non relinquam peccatum vllum impunitum, ego Israelitis idola colentibus retribuam supplicium in tempore ad eam rem destinato, *vt pes eorum labatur*, id est, vt corruant, & prosternantur. Non longè autem distat dies perditionis, & vltionis, & tempora supplicij sumendi venire festinant. D. Paulus ad Roman. 12. his verbis cantici vtitur, suadetque, non esse expetendam vltionem: *Non vos*, inquit, *defendentes charissimi, sed date locum iræ, scriptum est enim: Mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus, sed si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius*, &c. *Non vos defendentes*, Græcè ἐκδικοῦντες, id est, *non vos vindicantes*, siue *vlciscentes*, non vindicetis vos, & vlciscamini. Vltionem enim sumere Dei est, sic enim ait Deuter. 32. *Mea est vltio, & ego retribuam.* Verbum *defendere* aliquando sumitur pro *vlcisci*, vt Iudith 1. *Iuranit Nabuchodonosor per thronum, & regnum suum, quòd defenderet se de omnibus regionibus his*, id est, vindicaret.

Ad Rom. 12.

Iudicabit Dominus populum suum.

11 *Iudicium & supplicium.*

Denique festinans tempus aderit, quo Deus in populum suum dicet sententiam; impios damnabit, in seruis verò suis probis miserebitur. Non enim disperdet omnino populum, sed aliquos conseruabit. Atroci bello puniet filios Israel, *& videbit quòd infirmata sit eorum manus*, hoc est, quòd imbecillæ sint militum vires, quos Dominus deseruit, & *quod clausi quoque defecerunt*, hoc est, quòd ij qui in vrbibus clausi muris manebant, extincti sunt, *& residui* alij consumpti, & irridebit Dominus eos, eorúmque Deos, iuxta illud Psalm. 2. *Qui habitat in cælis irridebit eos, & Dominus subsannabit eos.* & illud Prouerb. 1. *Despexistis omne consilium meum, & increpationes meas neglexistis: ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo, cùm vobis, id quod timebatis aduenerit, cum irruerit repentina calamitas, & interitus quasi tempestas ingruerit, quando venerit super vos tribulatio, & angustia.* Nónne vides, Deum subsannantem Hebręos, qui eius consilium, & increpationes neglexerunt in tempestate, & tribulatione? *Vbi*, inquit, *sunt dij filiorum Israel*, qui dij noui, recentesque venerunt, quibus victimas immolabant, adipemque victimarum edebant, & vinum libaminum, quod simul cum victimis libabatur, potabant; vbi sunt dij, in quibus fiduciam suam collocauerant? surgant dij lapidei, & aurei, & opitulentur nunc vobis, ô filij Israel. & in hac necessitate, id est, angustia, & perditione vobis auxilium ferant.

Psal. 2. *Prouerb. 1.*

Quæritur, *quod sit tempus*, de quo dicitur: *Iudicabit Dominus populum suum, & in seruis suis miserebitur?* Respondeo, tempus esse captiuitatis. Coluerunt quidem filij Israel idola, longo tempore ante captiuitatem, puniuit eos Deus, vt liber Iudicum indicat; cùm autem tempus destinatum adfuit, tradidit eos hostibus. Primùm, decem tribus in captiuitatem redegit Salmanasar, Rex Assyriorum, & transtulit Israelitas in Assyrios. Lege Regum lib. 4. cap. 17. quo loco præter alia multa sic legest: *Iratus est Dominus vehementer Israel, & abstulit eos à cõspectu suo.* Item: *Transtatus est Israel*, id est, decẽ tribus *de terra sua in Assyrios vsque in diem hanc.* &c. Postea Rex Nabuchodonosor Ierusalem solo æquauit, tribumque Iuda transtulit in regionem Babylonicam, reliquit tamẽ in Iudæa aliquos, qui terram colerent: sed hi in Ægyptum abierunt. Lege 4. Reg. 25. & Ieremiæ 39. & sequent. cap. 52. *Transtatus*, inquit, *est Iuda de terra sua*, &c. Dicitur ergo in Cantico: *Iudicabit Dominus populum suum, & tradet hostibus, à quibus captiuus in Assyriã, & in Babylonicã regionẽ ducetur, sed in seruis suis miserebitur.* Nõ enim Deus voluit omnino disperdere populum, quia oportebat ex eo nasci Christum. Misertus est ergo in seruis suis, & ex Babylonica captiuitate in terram repromissionis multos reduxit, in qua vixerunt, donec ex Deipara Virgine natus est Christus. Cùm verò illum occidissent verũ Messiam, à Romanis meritum supplicium receperunt, & ex terra repromissionis omnino sunt exterminati, regnoque, & Republica euersa, inter gentes dispersi, sed in seruis suis miseretur Deus, videlicet in Israelitis, qui ad Christum conuertuntur, eumque verum Messiam esse agnoscunt.

In captiuitate Assyriorũ, & Babyloniorum puniuit Deus idololatriã Israelitarum. *4. Reg. 17.* *Ierem. 39.* *Captiuitas extrema per Romanos.*

Videte, quòd ego sim solus, & non sit alius Deus præter me.

Concludit Dominus, populumque suum docet se solum esse Deum verum, gentium Deos esse falsos, ac fictos: *Videte*, inquit, *Israelitæ, quod ego sim solus Deus, & non sit alius Deus in mundo*

Idola nihil sunt, Deus vnus est, qui homines & seruare potest, & disperdere.

mundo præter me. Dij enim quos gentes colunt, commentitij, ac vani sunt. In manu, & in potestate mea omnes homines habeo, ego illos occidere possum, & à morte liberare. Ego possum eos percutere, & sanitati reddere; nullus autem est, qui potentiæ meæ possit subtrahere vel vnum hominem. Isaiæ 14. *Dominus exercituum decreuit, & quis poterit infirmare, & manus eius extenta, & quis auertet eam?* & Psalm. 138. *Quo ibo à spiritu tuo, & quo à facie tua fugiam? si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades.* Vbique Deus est, vbique nos in manu sua continet, nemo illum potest effugere; ille nos potest occidere, & viuificare, percutere & sanare. 1. Regum 2. *Dominus mortificat, & viuificat, deducit ad inferos, & reducit. Dominus pauperem facit, & ditat, humiliat, & subleuat.* Psal. 79. *Dixi iniquis: nolite inique agere: & delinquentibus: nolite exaltare cornu. Nolite extollere in altū cornu vestrum, nolite loqui aduersus Deum iniquitatem, Quia neque ab oriente, neque ab occidente, neque à desertis montibus, quoniam Deus iudex est.* hoc est, nolite homines esse iniqui, quoniam iudicem habetis, quem effugere non potestis. Quia neque ab oriente, subaudi, effugium vobis erit, aut auxilium, neque ab occidente, neque ab austri desertis montibus.

Isaiæ 14. — Psal. 138. — 1. Reg. 2. — Psal. 79

Leuabo ad cælum manum meam.

14 *Deus Assyrios, & Babylonios punit. Leuare manū in cælum est iurantis. Genes. 14. Exod. 6.*

Puniuit Dominus Israelitas per Assyrios, & Babylonios, neque verò hos impunitos reliquit. Nam tā Assyrios, quàm Babylonios euertit, id quod iuramento confirmat se facturum, *Leuare manum in cælum*, iurantis erat. Genes. 14. ait Abraham iurans: *Leuabo manum meam ad Dominum Deum excelsum.* Exod. 6. ait Dominus: *Et induxerim vos in terram, super quam leuaui manum meam, vt darem eam Abraham*, id est, super quam iuraui. Iurat ergo Dominus hoc loco: Leuabo ad cælum manum, & iurans dicam: Si gladium meum exacuero, similemque fulguri veloci, penetranti, ac splendenti fecero; si manus mea, & potentia iudicium acceperit, quod certissimè faciam; acuam enim vt fulgur gladium, & iudicium manus mea arripiet. Reddam vltionem hostibus meis, qui me oderunt, Assyriis, & Babyloniis, meas sagittas sanguine illorum perfundam, & veluti inebriabo. Gladius meus eorum carnes deuorabit. Hebraicè, *comedet*, nam acies gladij, vt alibi diximus, *os*, dicitur, & gladius dicitur *comedere, & deuorare.* Iosue 10. *Percusserunt vrbem in ore gladij.* Eodem capite sæpè hic loquendi modus repetitur, vt alia loca omittam: *Inebriabo* (inquit) *sagittas meas, & gladius meus deuorabit, & vulnerabit carnes, de cruore occisorum, & de captiuis nudati capitis.* hoc est, qui nudato capite victoribus seruiunt. vel, qui nudato capite ante victores triumphantes feruntur, exacuit Dominus suum gladium, vt impios, veluti victimas, occidat. Ezechiel. 21. hæc dicit Dominus Deus: *Loquere gladius, gladius exacutus est, & limatus: vt cædat victimas, exacutus est; vt splendeat, limatus est.* Interim dum gladius diuinæ iracundiæ exacuitur peccatis nostris, agat impius pœnitentiam, ne exacuto, & limato percutiatur gladio.

Gladius habet os, & deuorat. — Iosue 10. Ibid. — Ezechiel. 21. Deus gladiū iustitiæ suæ exacuit, vt percutiat impios.

15 De suppliciis sumptis de Assyriis, & Babyloniis, & aliis hostibus Prophetæ sæpe agunt, Isaias, Ieremias, & reliqui. Ieremiæ 50. *Primus comedit eum Rex Assur, iste nouissimus, exossauit eum Nabuchodonosor, Rex Babylonis*, &c. Primus (inquit) Rex Assyriorum Salmanasar carnem populi Israelitici comedit, quia decem tribus duxit in captiuitatem: at Nabuchodonosor Rex Chaldæorum, siue Babyloniorum exossauit eum, hoc est, ossa abstulit, quia Hebræorum regnum euertit, tribum Iuda, & Benjamin, ac Leuitas duxit in Babylonicam regionem, vrbem Ierusalem, templumq; incendit, quæ erant ossa Hebræorum, & firmamentum. Caro Reipublicæ sæcularis est potentia; ossa verò sunt templa, ac Dei cultus, & sanctitas. Eodem capite 50. Ieremias aduersùs Babylonem vaticinatur, & cap. 51. datque vaticinium Saraiæ eunti Babylonem, vt id mittat in Euphratem. Cap. 51. *Scripsit Ieremias omne malum, quod venturum erat super Babylonem, in libro vno, & dixit Ieremias ad Saraiam; cum veneris in Babylonem, & videris, & legeris omnia verba hæc, dices: Domine tu locutus es contra locum hunc, vt disperderes eum, ne sit qui in eo habitet, ab homine vsque ad pecus, & vt sit perpetua solitudo.* Vides hoc loco Babylonis supplicium. Euersa est à Cyro, & Dario, & in solitudinem redacta. Hanc euersionem iussit Ieremias adumbrari proiectione vaticinij in Euphratem fluuium Babylonis. Eodē capite sic præcepit Saraiæ: *Cumq; compleueris legere librum istum, ligabis ad eum lapidem, & proijcies illum in medium Euphratem, & dices: Sic submergetur Babylon, & non consurget à facie afflictionis, quam ego adduco super eam, & dissoluetur.* De hac Babylonis submersione vaticinatur Isaias, cap. 13. *Onus* (inquit) *Babylonis*, &c. Onus fuit magnum, pondusque, supplicium Babyoniorum, quod eo capite prædicitur, tantoque pondere submersa est Babylon Omitto alios prophetas. Assyriorum suppliciū prędixit Tobias cap. 14. *Prope* (inquit) *erit interitus Niniue*, &c. Legendus Isaias, cap. 10 *Væ Assur virga furoris mei*, &c. Verberauit Dominus hac virga populum: posteà in ignem illam misit. Item cap. 14. *Vt conteram Assyrium in terra mea* &c. Legendus quoq; Nahum, cap. 2. & 3. quibus vastitatem Niniue describit, & Ezechiel, cap. 31.

Ieremiæ 50. — Nabuchodonosor exossauit regnum Iudæorum. — Ierem. 51. — Babylō euersa. — Ibid. — Submersio & onus Babylonis. — Isaiæ 13. — Supplicium Assyriorum. — Tob. 14. — Isaiæ. 10. — Isaiæ 14.

Laudate gentes populum eius.

16 *Gentes cur Israelitis cōgratulentur?*

Dubium est, *cur gentes ad laudandum populum Israel inuitentur?* Respondetur, causam reddi verbis subsequentibus, videlicet, quia Deus puniet eius oppressores Assyrios, & Babylonios, & quia propitius erit terræ Iudæ, & in illam reducet Israelitas post captiuitatem Babylonicam. Inuitantur ergo gentes ad laudandum populum, & ad congratulandum ei, quòd potentissimum Deum haberet, qui hostes supplicio afficere valuit, & à captiuitate liberatos Israelitas in patriam restituere. Præterea, multo magis inuitantur gentes ad laudandum populum Israel, & congratulandum illi, quòd in Iudæam, ex Babylonica captiuitate liberatus, reuersus sit, in qua ex eodem populo ortus est verus Messias Christus, gentium salus, iuxta illud Ioan. 4. *Salus ex Iudæis est*, & orta est Virgo Deipara, orti Apostoli, Euangelicæ legis promulgatores. LXX. interpretes vertunt: *Lætamini gentes cum plebe eius*; quæ verba citantur à D. Paulo ad Rom. 15. *Dico*, inquit, *Christum Iesum ministrum fuisse circuncisionis, propter veritatē Dei, ad confirmandas promissiones Patrum: gentes autem super misericordia honorare Deum, sicut scriptū est:* Psalm. 17. *Propterea confitebor tibi in gentibus, Domine,*

Ioan. 4. — Ad Rom. 15. — Psalm. 17.

Deut. 32.

Domine, & nomini tuo cantabo. Et iterum dicit Deuteron. 32. *Lætamini gentes cum plebe eius.* Ait Apostolus, Christum ad Iudæos missum, quia Patribus fuerat promissus, gentes autem non accepisse quidem promissionem, sed super misericordia magna Dei illum honorare, gratiásque agere, simul cum populo Israel; quod confirmat his verbis: *Lætamini gentes cum plebe eius.* hoc est, gentes ad fidem propter misericordiam Dei vocatæ, lætamini cum plebe eius Israelitica, vocata propter promissionem factam Patribus. Non patietur Deus perire omnino populum suum in captiuitate Babylonica, sed hostibus vastatis, ex Babylonia tribum Iuda reducet in Iudæam, vt ex ea verus Messias Christus oriatur, & Apostoli, qui non solùm Iudæis, sed omnibus etiam gentibus Messiæ legem tradāt. *Lætamini ergo gentes* cum populo eius, ex quo vobis salus diuina per Christum totius salutis fontem promanabit.

CAPVT XVI.

MORALE.

De Cantico Mosis.

Concrescat in pluuiam doctrina mea.

1 *Ecclesiæ necessariæ sunt conciones. — Cōcio pluuia est cælestis.*

SVmmopere necessariæ sunt conciones in Ecclesia: sunt enim Ecclesiæ pluuia. Sicut terræ necessaria est pluuia, ita Ecclesiæ necessarium est verbum Dei. Absque pluuia terra sterilis fit: absque verbo Dei hominum corda syluescunt. *Concrescat* (ait Moses) *vt pluuia doctrina mea.* Ex nubibus concretis fluit pluuiā in terram, non autem ex nubibus quæ graciles sunt, & subtiles, quas Iudas Apostolus *nubes* vocat *sine aqua.* Caueat concionator, *ne nubes sit sine aqua: concrescat in pluuiam doctrina eius, fluat vt ros eloquium eius*; sit vtilis cōcio magis, quàm subtilis, & curiosa, ita vt instar pluuiæ, & roris auditorum corda fœcundet. D. Bernard. serm. 8. in Cantic. Doctrina (inquit) spiritus non curiositatem acuit, sed charitatem accendit, &c. Et Chrysost. lib. 3. de sacerdotio: Doctrina voluptatem, nō etiam vtilitatem captans, effectus est vanæ gloriæ, &c Delectet auditores concionator, sed vtili concione, quæ vitia insectetur, virtutum amorem, & peccatorum odium animo inserat, quæque corda concitet, & ad lachrymas permoueat. Huiusmodi cōcionatores libēter audiebat D. Bernardus, sic enim scribit serm. 59. in Cantic. Illius Doctoris libenter audio vocem qui non sibi plausum, sed mihi planctum moueat, &c. Cantic. 2. *Vox turturis audita est in terra nostra*, &c. Vox turturis gemitus esse dicitur; fælix ciuitas, in qua turturis auditur vox, id est, gementis concionatoris, qui gemitu, & lachrymis pluit. D. Bernardus eodem loco: Verè (inquit) turturem exhibes, si gemere doceas. Et si persuadere vis, gemendo id magis, quàm declamando studeas oportebit, &c. Itaque lachrymis, & gemitu concrescit in pluuiam doctrina concionatoris.

D. Bernard. — D. Chrysost. — Si vtilis concio, & lachrymas moueat. — Cantic. 2. Sit vox turturis. — D. Bernard.

2 *Exemplo doceat concionator. — D. Bernard. Vox exempli potentior.*

Concrescit quoque exemplo, quodidem sanctissimus Pater eodem loco docet his verbis: Dabis, (inquit) ô concionator, voci tuæ vocem virtutis; si quod suades, prius tibi illud cognoscaris persuasisse, &c. Duplex est concionatoris vox, nimirum vox oris, & vox exempli atque operis. D. Bernardus vocem exempli potentiorem esse ait: Validior (inquit) est vox operis,

Sebast. Barradas itiner. Israelit,

quàm oris; fac quod loqueris, & non solùm me facilius emendas, sed te quoque non leui liberas probro, &c. Addit probrum, quo se liberat concionator, exemplum præbens: Non (inquit) pertinebit ad te, si quis dicat illud Matth. 23. *Alligant onera grauia, & importabilia, & imponunt ea in humeros hominum, digito autem suo nolunt ea mouere.* Sed neque illud ad Roman. 2. verearis oportet: *Tu quis alios doces, te ipsum non doces?* Hęc D. Bernardus. D. verò Gregor. lib. 22. moral. cap. 10. verba illa Prouerb. 19. *Abscondit piger manum sub axilla sua, & laborat, si ad os suum porrigat eam.* de pigro concionatore exponit, qui manum ad os suum nō porrigit, id est, qui manum, id est, opera ad os, id est, ad ea, quæ loquitur, non extendit: Pigro (inquit) labor est manum suá ad os porrigere, quia desidiosus quisque prædicator, neque hoc vult operari, quod dicit. Manum quippe ad os porrigere, est voci suæ opere concordare, &c. Ille ergo prædicator probrum effugit desidiosi, qui manum ad os extollit, & quæ dicit, operatur. De exemplo rectè Seneca epist. 6. Homines (inquit) amplius oculis, quàm auribus credunt; longum iter est per præcepta; breue, & efficax per exempla, Plato, & Aristoteles, & omnis in diuersum itura sapientium turba plus ex moribus, quàm ex verbis Socratis traxit, &c. Tale ergo exemplum concionator præbeat, vt plus ex eius moribus, quàm ex eius verbis auditores trahant. Per breue iter, & efficax auditores in virtutem ducat.

Matth. 23. — Ad Rom. 2. — D. Gregor. — Prouerb. 19. — Seneca.

3 *Multa prius sunt infundenda, vt audeat concionator effundere. — D. Bernard.*

Concrescit præterea in pluuiam doctrina Doctoris, cùm concrescit, & impletur animus virtute, & scientia; huiusmodi enim animus nubes est densa, concretaque virtutibus, atque scientia, ita vt doctrinæ aquas effundere possit in terram; qua de re legendus est D. Bernardus serm. 18. in Cantic. En, inquit, quanta infundenda sunt, vt effundere audeamus de plenitudine, non de penuria largientes. Primò quidem infundenda est compunctio, deinde deuotio, tertiò pœnitentiæ labor, quartò pietatis opus, quintò orationis studium, sextò contemplationis otium, septimò plenitudo dilectionis. Hæc omnia operatur Spiritus sanctus, secundùm operationem, quæ infusio appellatur, quatenus illa, quæ effusio dicta est, purè, & ob hoc tutè administretur ad laudem & gloriam Christi, &c. Duplex itaque est operatio ad hanc pluuiam concionis necessaria; infusio, & effusio: infusio virtutum, ac scientiæ, & effusio doctrinæ absque inani gloria, ad laudem Dei, propter charitatem proximi. Nam, vt ait Bernardus, nō est, quòd se immisceat vanitas, vbi totum occupat charitas, &c. Inanis gloriæ amator concionator nubes est deaurata, sed sine aqua, quæ, vt ait Apostolus Iudas, à vento circumfertur. Nubes, inquam, est, deaurata concionis curiositate inutili, à vento autem inanis gloriæ circumfertur: at animatum zelo præditus, nubes est concreta, aquisque, & fulguribus plena, ex eo enim doctrinæ abundantes emanant aquæ, fulguraque, & tonitrua emittuntur, dum tartarea supplicia, Deique iudicia intonat. Psalm. 134. *Educens nubes ab extremo terræ*, &c. Quemadmodum nubes ab extremo terræ educit Dominus: ita ex humilitate educit concionatorem, & ad suggestum eleuat. Origen. hom. 5. in Ieremiam: Videamus, inquit, quomodo Deus educat nubes ab extremo terræ. Ait Saluator: *Qui vult in*

Necessaria est infusio, & effusio. — Concionator ne sit inanis gloriæ amās, sed zelo animarum præditus. — Psal. 134. — Origenes.

vobis esse primus, sit omnium nouissimus. Seruauit hoc mandatum Paulus, & fuit nouissimus in hoc mundo, dicens: *Puto quòd Deus nos Apostolos nouissimos ostendit.* Si quis ergo sanctus, factus fuerit in hac vita nouissimus, iste fit nubes, & educit Dominus nubes non à primis terræ, non à consulibus, non à iudicibus, non à diuitibus: *Beati enim pauperes spiritu, quoniam vestrum est regnum cælorum.* Propterea si volumus nubes fieri, ad quas perueniat veritas Dei, nouissimi omnium fiamus, & tam affectu, quàm opere dicamus: *Puto* enim *quòd nos Deus nouissimos ostendit.* Sic Origen.

4. Pluuia non solùm in amœnos descendit hortos, sed etiam in agros, & sylvas: sic conciones concionatoris, qui zelo animarum ardet, non solùm in palatia Principum, & in auditores nobiles, vrbesque magnas, sed etiam in pauperum rusticorũ tuguria, & in parua oppida defluunt. Non vno loco se continet; sed totum, si posset, orbem concionando peragraret. Ordinis Prædicatorum Author D. Dominicus zelo animarum ardens, noluit vno loco suos, licèt paucos, conclusos esse, sed per diuersas regiones, veluti semina, dispersit, vt fructum ferrent. D. Anton. in vita D. Dominici, §. 3. Conuocatis, inquit, fratribus, inuocatoq; Spiritu sancto dixit, suum hoc esse propositum, vt fratres omnes, licet admodum paucos, per diuersas dispergeret regiones, neque se velle de cætero eos simul habitare; sciens quod semina dispersa fructificant, congesta putrescunt. De eod. vide infrà lib. 10. cap. 13. num. 3. Omitto alia, sed non omittam id de magno Francisco dicere, quod idem D. Anton. scribit tit. 24. cap. 2. §. 9. Intendere, inquit, proximorum saluti; corpus emortuum fecit, per ciuitates & castella circumiens, &c. Deus bone! magnus Franciscus corpore penè mortuo, hoc est, maximè infirmo, ciuitates, & pagos circuit. Ecquis erit, qui tanti viri exemplo, ad hoc faciendũ non permoueatur, cùm corpus habeat, non emortuum, sed satis viuum, & robustum? Post alias pluuias sanctissimarum religionum pluuiam misit Dominus, quæ totum terrarum orbem irrigaret, videlicet Societatem IESV, Deo tribuatur gloria. Irrigat hæc pluuia ciuitates, oppida, pagos, Brasilos, Indos, Iaponas, Sinas, Mogores, magnáque voluntate id facit, illi similis pluuiæ, quam voluntariam appellat vates Psal. 67. *Pluuiam* (ait) *voluntariam segregabis Deus hæreditati tuæ, & infirmata est, tu vero perfecisti eam*, &c. Voluntariam oportet esse pluuiã, vt tot regiones irrigare possit, maximè volũtarium oportet esse cõcionatorem, qui tot terras est peragraturus, & maria interposita nauigaturus. Magna voluntas Dei amore concitata necessaria est, vt hominem ad percurrenda sui regni oppida, & oppidula permoueat; maior, vt illum ad nauigandum procellosum mare, & Ethnicas nationes docendas ducat. At succurrit Deus, ex variis religionibus, tanquam ex cælis, volũtarias pluuias mittit in hæreditatem suam, quæ infirmata est, & perficit eam, vt fructum proferat. Operarios voluntate ardenti præditos mittit, qui, vt legitur Luc. 14. *Exeant in plateas, & pauperes, ac debiles, & cæcos, & claudos in cœnam Domini introducant.*

Concionatores varia peragrent loca. — *D. Anton.* — *D. Anton.* — *Societas IESV.* — *Psal. 67.* — *Pluuia voluntaria concio.* — *Luca 14.*

Expectetur vt pluuia doctrina mea.

Noster interpres vertit: *Concrescat in pluuiam doctrina mea.* LXX. interpretes vertunt: *Expectetur, vt pluuia doctrina mea.* Ad auditores hoc pertinet; expectare enim debent concionem auidè, quemadmodũ terra arida expectat pluuiam, iuxta illud Psalmi 142. *Anima mea, sicut terra sine aqua tibi*, &c. Terra sine aqua veluti sitit, & pluuiam ex cælo exoptat: sic auditor sitiat, & cælestes concionis aquas desideret. Sed quorsum exoptat terra aquam? sanè vt fructum ferat: sic auditor concionem desideret vt virtutum fructum producat. Psalm. 71. de Christo Opt. Max. dicitur: *Descendet sicut pluuia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram*; quia descendit sicut pluuia in vellus Gedeonis, magno cum silentio, & sicut stillæ imbris terram fœcundantis; præterea quia descendit in Iudæorum populum, qui eum repudiarunt, sicut pluuia in lanam. Sicut enim pluuia in lanam decidens, fructum non affert; sic Christi doctrina in Iudæis, qui credere noluerunt, non attulit fructum. In multis tamen qui crediderunt, magnum edidit, quibus congruunt verbá illa, *& sicut stillicidia stillantia super terrã.* Quemadmodum enim terra stillicidijs aquæ stillantibus irrigata, fructus parit: sic multi Iudæorum Christi doctrina cælesti irrigati, magnos Christianæ religionis fructus protulerũt. Eundem in modum se res habet in concionibus; ex auditoribus quidam similes sunt Gedeonis velleri, ebibunt pluuiam cælestem, audiunt concionem, & nihil fructus ferunt. At verò alij similes sunt terræ; stillicidia doctrinæ stillantia ex cælo suscipiunt *corde bono, & optimo*, vt ait Dominus Lucæ 8. *& fructum afferunt in patientia*; patientia enim opus est. Nam quẽadmodum terra, si frigora, hyemes, æstus, aratri proscissionem non tulerit, fructum non feret: sic auditor concionum, si propter Christum, multa quæ obstant aduersa, in patientia non tolerauerit, sterilis erit. Audiamus Paulum ad Hebr. 6. *Terra*, inquit, *sæpe venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo. Proferens autem spinas, ac tribulos, reproba est, & maledictioni proxima, cuius consummatio in combustionem.* Ferant igitur fructum cõcionum auditores, vt benedictionem à Deo accipiant: quòd si pluuia cælesti irrigati spinas tulerint, accipient maledictionem, & combustionem. Origen. homil. 16. in Leuitic. Vnusquisque, inquit, auditorum suscipit imbrem verbi Dei, & siquidem fructum attulerit operis boni, benedictionem consequetur: si verò susceptum Dei verbum contempserit, & frequenter audita neglexerit, ac solicitudini se rerum sæcularium, libidinique subiecerit, tanquam qui spinis suffocauerit verbum, maledictionem conquiret. Sic ille.

Auditorũ est auidè concionẽ expectare. — *Psal. 142.* — *Auditores irrigati pluuia concionis, ferãt fructum.* — *Psal. 71.* — *Lucæ 8.* — *Ad Hebr. 6.* — *Origenes.*

Quia nomen Domini inuocabo.

Inuocet concionator nomen Domini, orétque prius, quàm concionetur, vt vim præbeat Deus inuocatus concioni. Hoc monet D. Augustinus lib. 4. de doctr. Christ. cap. 15. nimirum, vt qui concionatur, sit prius orator, hoc est, priùs oret, postea loquatur: Concionator, inquit, orando pro se, & pro illis, quos est allocuturus, sit orator, antequam dictor. &c. Psalm. 44. canit vates: *Eructauit cor meum verbum bonum, dico ego opera mea Regi: Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis*, &c. Ructus ex intimo stomacho emittitur; sic verbum bonum concionis

Concionator oret Deum ante concionẽ. — *D. August.* — *Psal. 44.* — *Psal. 44.*

concionis ex intimo corde emitti debet, ad permouenda auditorũ intima corda. hoc autẽ fit, si præcedat ardens oratio. Tunc enim concionator eructat, quod manducauit, & ex abũdantia cordis os eius loquitur. Vnde D. August. loco indicato: Ipsa, inquit, hora iam, vt dicat accedens concionator, priusquam exerat proferentem linguam, leuet ad Deum animam sitientem, vt eructet quod biberit, vel quod impleuerit, fundat, &c. Eodem loco docet August. concionatoris munus magis orationis viribus, quàm oratoria facultate perfici: Agit, inquit, concionator, vt intelligenter, libenter, & obedienter audiatur; & hæc se posse, si potuerit, & in quantum potuerit, pietate magis orationũ, quàm oratorum facultate, non dubiter, &c. D. Bernard. epistola 101. ad Abbatem Reatini monasterij, ter ait Christum dixisse Petro, *pasce oues meas*: pascendas verò tribus rebus, nempè verbo, exemplo, oratione, quæ maior est; quia exemplo & verbo efficaciam impetrat: In hoc (inquit) noueris illius Trinitatis sacramentum in nullo frustratum esse à te, si pascas verbo, pascas exemplo, pascas & sanctarũ fructu orationum. Manent tria hæc: verbum, exemplum, oratio. maior autem his est oratio. Nam etsi voci virtus sit opus, & operi tamen, & voci, gratiam, efficaciamque promeretur oratio, &c.

D. August. — *Ibid.* — *D. Bernard.*

Audite cæli, quæ loquor, audiat terra verba oris mei.

7. Consideret concionator, quos habeat auditores suæ concionis, vt diligenter ea præparet, quæ auditoribus necessaria sunt. Auditores habet cælos, & terram. Audit illum Deus, qui in cælis est, audiunt angeli cælestes, audit illum terra, hoc est, homines terreni, qui terram incolunt. Magna cura se præparet. Regem enim Regum, id est, Deum, habet auditorem, cui non vana placet concio, sed humilitate plena. Inanem fugiat gloriam, illius fucatum, falsumque splendorem execretur. Qualis autem sit inanis gloriæ splendor, parabolicè indicauit sanctissima fæmina Maria de Oegnies Cardinali Iacobo de Vitriaco, vt ipse Cardin. scribit, & D. Anton. 3. part. tit. 19. cap. 12. §. 8. Vidi, (inquit fæmina sanctissima alloquens Iacobum, antequam esset Cardinalis) vidi quasi similitudinẽ hominis nebulosi superfluitate capillorum cooperti: quædam verò meretrix subornata, quasi quibusdam radiis splendida, eum blandè intuendo circumibat. Facto autem pluries circulo, vnum de radiis suis versùs eum proiiciens partem tenebrarum effugabat, &c. Capillis oneratus, & nebulosus homo concionem indicabat multis rebus malè suffarcinatam; meretrix verò inanem gloriam, quæ adulationis quosdam radios, & suum euge, euge emittebat in concionatorem mœstum, eiusque mœstitiæ partem depellebat. Meretrix est inanis gloria: splendoris quosdam inanes emittit radios, qui mox extinguuntur; concionatorem circuit, falsis radiis decipere nititur. Hanc fugiat, Regi regum dicat suam concionem, suaque omnia opera, iuxta illud Psalm. 44. *Dico ego opera mea Regi*: huic Regi loquatur, illius honorem semper quærat, sit lingua eius, vt est in eodem Psal. *Lingua scribæ velociter scribentis*: nõ loquatur solùm, sed etiam scribat in cordibus auditorum.

Inanis gloria insidiatur concionatori. — *D. Antonin.* — *Psal. 44.*

8. Verba loquentis volant, verba scribentis permanent; verba ardentis concionatoris non volant, sed in cordibus auditorum scribuntur, ac permanent, iuxta illud Luc. 8. *In corde bono, & optimo audientes verbum retinent*, &c. Est concionator scriba velociter scribens quia velociter verba profert: atq; verba velociter prolata non transeunt velociter, sed in cordibus veluti sagittæ hærent, eaque feriunt, iuxta illud eiusdem Psalmi: *Sagittæ tuæ acutæ, populi sub te cadẽt, in corda inimicorum Regis*, &c. Emittuntur sagittæ ardentis concionatoris, maximè in corda, illa vulnerant. Vulnerato corde, populi sub Christo cadunt. Tradat concionator calamum suum, id est, linguam, scribæ velociter scribenti, id est, Spiritui sancto; ille verba in sagittas conuertet, quæ miro vulnerent modo. Vulnerant enim hæ sagittæ, & vulnerando sanitatem afferunt. Tradat calamum, sed apparatum; nemo enim calamo scribit imparato, apparet linguam oratione, meditatione, lectione, animarum zelo, & attendat, quòd cæli ipsum audiũt. O beatum, eximiéque apparatum calamum D. Antonij Vlyssiponensis linguam! De illa audiamus scribentem D. Antonium 3. part. tit. 24. cap. 3. §. 6. Educto, inquit, de tumulo corpore sacro, inuenta est lingua eius in ore adeò recens, rubicunda, & pulchra, ac si tunc decessisset, quæ tamen per multos annos cum corpore sub terra iacuerat: quam Bonauentura Generalis tunc Minister in manibus tenens, irrigatus profluuio lacrymarum, deuotissimè his verbis affatus est: ô lingua benedicta, quæ semper Deum benedixisti, & alios benedicere fecisti; nunc apparet, quanti meriti fuisti, &c. Fuit hæc B. Antonij lingua calamus Spiritus sancti egregiè apparatus ad scribendum in cordibus hominum odium peccatorum, Dei, virtutumque amorem: sagitta fuit, præcordia saucians, ante Christum populos prosternens. Ideoque post sepulturam recens, rubicunda, & pulchra inuenta est, vt intelligat concionator, illos qui D. Antonium concionãdo imitantur pulcherrimam in cælo linguam habituros in sempiternum. Apparabat calamum noster Lusitanus D. Antonius, id est, linguam, quia sciebat, quos haberet auditores, videlicet cæli summum Regem, cui maximè placere cupiebat, & terram.

Lucæ 8. — *Ibid.* — *Lingua concionatoris calamus, scribæ.* — *D. Anton.* — *Lingua D. Antonij, eximii concionatoris, non est in sepulchro consumpta.*

9. *Audite* (inquit Moses) *cæli, audiat terra*; non vnus, aut alter terræ locus, sed tota terra audiat; totam enim terram vellet ardens concionator docendo peragrare, si posset. *In omnem terram exiuit sonus Apostolorum*; sic in omnem, in quam vires ferunt, exit sonus ardentis concionatoris. Ad Roman. 1. *Græcis, ac barbaris* (ait egregius concionator Paulus) *sapientibus, & insipientibus debitor sum, ita quod in me promptum est, & vobis, qui Romæ estis, euangelizare*, &c. Omnibus debitor est concionator, sapientibus, & insipientibus, Græcis, atque barbaris, ita quod in illo est, promptus est ad euangelizandum toti terræ pro viribus. *Vas electionis est mihi iste*, (ait Dominus Actor. 9. de Paulo loquens) *vt portet nomẽ meum coram gentibus, & Regibus, & filijs Israel.* Vas electum est prædicator, vt portet nõ nomẽ suum, & famam suam, sed nomen Christi, coram omnibus populis, & gentibus, iuxta vires suas. Audiamus ipsum Paulum vas electionis, dicat ille, portẽne nomen suum, an nomen Christi. 2. Corinth. 4. *Non nosmetipsos*, inquit, *prædicamus, sed Iesum Christum Dominum nostrum, nos autem seruos vestros per Iesum.* Vas est fictile concionator, sed est etiam vas electionis, quatenus

Ardens concionator totũ cupit terram pluuia verbi Dei irrigare. — *Ad Rom. 1.* — *Actor. 9.* — *2. Corinth. 4.* — *Vasa fictilia Deus corroborat.*

2. Corinth. 4.

vas fictile fragile vas est, quatenus verò vas electionis, vas est forte. 2. Corinth. 4. *Habemus thesaurum istum in vasis fictilibus, vt sublimitas sit virtutis Dei, & non ex nobis.* Thesaurum doctrinæ Christi in vasis testaceis, ac fragilibus habemus? sumus enim vasa fictilia, & testacea. Sublimitas est ex fortitudine Dei. Deus enim vasa fictilia ita reddit fortia, vt dicant cum eodem Apostolo: *Omnia possumus in eo, qui nos confortat.* Possumus patriam charam relinquere, possumus Oceani procellas subire, possumus totam terram peragrare, vt thesaurum doctrinæ Christi vniuersis gentibus impertiamur. *Circuiui terram, & perambulaui eam,* (ait satanas Iob. 1.) si dæmones terram circumeunt, & perambulant, vt homines in tartareos præcipitent rogos; cur concionatores terram non circumibunt, & perambulabunt, vt homines in cælestia attollant gaudia?

Iob. 1.

Dei perfecta sunt opera.

10. Israelitæ Deum erant derelicturi, & falsos, atque inanes Deos secuturi: ostendit Moses, qualis sit Deus, quem sunt repudiaturi: *Date* (inquit) *magnitudinem infinitam Deo nostro,* non diis fictis, qui nihil sunt. Est enim Deus noster maximus, & infinitus, eius opera perfectissima sunt, & maxima; respicite cælum, opus est manuum eius perfectissimum: respicite terram, maria, & omnia, quę tum in terris, tum in aquis versantur, omnia opera sunt Dei maximè perfecta. Omnes viæ Dei nostri iudicia sunt, eius operationes quæ sunt viæ, quibus graditur, omnes rectissimæ sunt. Deus noster fidelis est, promissis stat, veritatem & fidelitatem semper seruat. Denique Deus noster, Deus est, in quo nulla iniquitatis labes potest reperiri; iustissimus est, & rectissimus. Hic Deus cuius perfecta sunt opera, cœpit hoc opus redemptionis Israelitici populi ab Ægyptiaca seruitute, perficiet opus quod cœpit, & in finem perducet, quod Patribus promisit, præstabit fideliter, nõ recedet à viis suis rectissimis, in illis permanẽs populum suũ in terram promissam paulò post introducet; perfectum quoque maximè erit opus redemptionis à seruitute diaboli, quod Patribus pollicitus est, eritque eius perfectio stupenda.

Deus opera sua perficit.

CAPVT XVII.

MORALE.

De Cantico Mosis.

Peccauerunt ei, & non filij eius in sordibus.

1. *Peccatũ hominem sordibus inquinat. Apoc. 22.*

NOn solùm idolorum cultus, sed reliqua etiam omnia peccata sordes sunt, quia animum maximè inquinant. Apoc. 22. de peccatoribus dicitur: *Qui in sordibus est, sordescat adhuc.* &c. Liberum hominis arbitrium his verbis indicatur, & Dei permissio, peccatique sordes. *Qui in sordibus* (inquit Dominus) *est peccati, sordescat adhuc.* Per permissionem loquitur scriptura. Non enim Deus vult peccata, sed permittit iusto iudicio suo. Zachar. 3. *Summus sacerdos Israelitarum ostenditur vestibus sordidis indutus.* Vestes autem sordidæ significant peccata, quæ vestes sunt animi sordidissimæ. Vestes autem mundissimæ, ac pretiosissimæ virtutes sunt, quas eodem capite indicant vestes mutatoriæ. Nam à sacerdote illo sordida vestimenta ablata sunt, indutusque est vestibus pretiosis, & mutatoriis. *Auferte* (ait angelus) *vestimenta sordida ab eo.* Et addit: *Ecce abstuli à te iniquitatem tuam, & indui te mutatorijs,* &c. Sunt autem vestes mutatoriæ, vestes pretiosiores, quæ mutantur, neque semper gestantur, sed diebus festis, aliisque similibus. Oremus Deum, pœnitentiam agentes, vt indumenta peccatorum sordidissima à nobis auferat, induatque nos vestibus virtutum magni pretij. Cauendum tamen est, ne sint vestes mutatoriæ, hoc est, ne mutentur, sed perpetuæ sint. Semper iis indutus esse debet Christianus; hæc enim Christiani sunt indumenta. Quæ si seruare velit, semper integra permanebunt: si seruare nolit, quamuis auro, sericisque vestimentis fulgeat, nudus erit. Apocalyps. 16. *Beatus qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius.*

Zachar. 3.

Virtutes vestes sunt mũdissimæ: peccata vestes sordidissimæ.

Apoc. 16.

2. *Duplici diluuio Deus mundũ mundauit.*

Condidit Deus mundum mundissimum, sed peccatorum sordibus factus est mundus immundissimus. Quamobrem quadraginta dierum diluuium immisit, omnesq; sordes abluit. Rursus ex filiis Noe hominũ multitudo exorta est, rursusque exortæ cum illis sunt sordes peccatorum, rursus mundus factus est immundissimus. Non emisit Deus rursus aquarum diluuium, quo sordes abluerentur, terra dissipata. Pollicitus enim est, non futurũ huiusmodi diluuium, Genes. 9. *Nequaquã* (inquit) *vltrà interficietur omnis caro aquis diluuij, neque erit deinceps diluuium dissipans terram.* Aliud multo potentius diluuium effudit, nõ aquarum, sed sanguinis Christi Opt. Max. quod totum mundauit orbem, & hominum sordes abstersit. Prius illud diluuium, sordes ex mundo abstulit, ablata hominibus vita: at Christi diluuiũ sordes ex mundo abstulit, ablata vita nõ hominibus, sed ipsi Christo, ita vt cataractæ cæli, id est, corporis sanctissimi venæ, aperirentur, & pluuia fieret, non quadraginta solùm dierum, sed multorum sæculorum, qua mundi inquinamenta abluerentur, vsque ad extremum iudicij diem. Prius diluuium præteriit, extinctis peccatoribus; secundum diluuium permanet, extinctisque peccatis, peccatoribus dat vitam. Ideoque hoc diluuium sanguinis Christi fons dicitur, quia quemadmodum fontis aqua perennis est: sic sanguinis Christi merita perpetua sunt in Ecclesia, ad abluendas sordes peccatorum, Zachariæ 13. *In illa die erit fons patens domui Dauid, & habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris.* Fons hic sanguinis Christi, fons est perennis *in ablutionem peccatoris,* hoc est, vt peccator mundissimis eius aquis peccatorum suorum immunditiam eluat. Non est muro circundatus fons: *Erit* (inquit) *patens.* Patet omnibus nationibus, omnibus hominibus. Itaque qui in sordibus peccatorum est, non sordescat adhuc. Fontem petat, execrabiles sordes ex animo pellat. D. Gregor. homil. 20 in Ezech. Patet, inquit, fons, curramus cum lacrymis, lauemur hoc fonte pietatis. Quærere misericordiæ fontem debuimus, etiamsi clausus esset; patet fons, & negligimus. Sic ille.

Diluuium Noe.

Genes. 9.

Diluuium sanguinis Christi.

Sanguinis Christi fons.

Zachar. 13.

D. Gregor.

3. L X X. interpretes vertunt: *Peccauerunt non ei filij vituperabiles.* Alij puncta secuti sunt, quod facilè intelliget, qui Hebraicè nouerit. D. Augustin. quæst. 55. in Deuter. quis illorum sensus sit, docet his verbis: Peccauerunt, inquit, non

D. August.

ei,

ei, quoniam qui peccat, non peccat ei, id est, non nocet Deo, sed sibi, &c. Chaldæus similiter vertit: Dissipauerunt seipsos, & non Deum, filij qui seruierunt idolis, &c. Iob 35. *Si peccaueris, quid ei nocebis?* Non potest homo nocere Deo, quia nihil mali illi inferre potest, nihil boni auferre. Idcirco dicuntur Israelitę nõ peccasse Deo, quia nihil illi nocumenti intulerunt: at impius peccat sibi, hoc est, peccat in maximum detrimentum suum; infinito enim bono, id est, gloria sempiterna, se priuat, & infinitis tartari tormentis se mancipat. Quamuis autem hoc sensu dicatur peccator non peccare Deo, tamen Deo peccat, quia Deum offendit, eius leges frangit, summo Regi suo non obedit. *Tibi soli peccaui,* (ait Dauid Psalm. 50.) Peccauit Dauid Deo, quia mandatis illius non obtemperauit, peccauit Deo soli, quia solũ Deum habebat iudicem, & peccati punitorem, vt exponit D. Hieronym. in epist. ad Rusticum: Tibi (inquit) soli peccaui. Rex enim eram, alium nõ timebam, &c. Euthymius: Cùm Rex sim, & te solum iudicem habeam, tibi soli peccasse videor, &c. Sic Cassiodorus, Chrysostomus, & alij interpretantur. Dicuntur etiam peccatores Deo soli peccare, tanquam soli inferenti supplicium æternum, præterea tamquam soli peccata remittenti. Solus enim Deus peccata remittit, remittit quidem per sacerdotes, sed illi remissionis administri sunt. Peccauerunt ei, vt vocant L X X. interpretes, *filij vituperabiles.* Valde enim vituperabiles sunt improbi homines, præsertim qui à Deo deficiũt ad idola. Quãobrem appellantur Israelitæ à Mose, *generatio praua, atque peruersa,* appellantur, *insipiẽs populus, & stultus,* & gens absque consilio, & sine prudentia.

Iob 35. Peccator Deo nocere non potest: sibi maximè nocet.

Psalm. 50. Quomodo peccator dicatur soli Deo peccator. D. Hieron.

Euthymius.

Hæccine reddis Domino, popule stulte, & insipiens?

4. *Ingratitudo pessimũ vitium, & ventus vrens. D. Bernard.*

Exprobrat Moses Israelitis ingratitudinem, quòd summis Dei beneficiis reddiderint summa maleficia, videlicet idolorum cultum. Ventus vrens, siccans fontem pietatis, dicitur ingratitudo à D. Bernard. serm. 51. in Cant. Hic ventus fontem pietatis, & immisericordiæ Dei erga Israelitas quodammodo exsiccauit, quos enim tot beneficiis affecerat, hostibus tradidit, tandemque Babylonicę captiuitati mãcipauit. Quandiu Iosue vixit, & alij senes Deum coluerunt: postquam illi ex vita discesserunt, idola venerati sunt. Iud. 2. *Seruierunt Israelitæ Domino cunctis diebus Iosue, & seniorũ, qui lõgo post eũ vixerunt tempore, & nouerant omnia opera Domini, quæ fecerat cũ Israel. Mortuus est autẽ Iosue, omnisque illa generatio cõgregata est ad Patres suos, & surrexerunt alij, qui nouerant Dominum, & opera, quæ fecerat cum Israel. Feceruntq; filij Israel malum in conspectu Domini, & seruierunt Baalim, ac dimiserunt Dominum Deum Patrum suorum, qui eduxerat eos de terra Ægypti, & secuti sunt deos alienos.* Sequitur: *Iratusq; Dominus contra Israel, tradidit eos in manus diripientium, qui ceperunt eos, & vendiderunt hostibus, nec potuerunt resistere aduersariis suis.* Videat, si placet, Lector, quæ scripsimus tom. 1. Concord. lib. 5. cap. 20. Inter Israelitas magna fuit ingratitudo Ieroboam Regis; huic enim dispertito regno dedit Deus decem tribus. 3. Reg. 11. Ahias propheta ad Ieroboam: *Hæc dicit Dominus Deus Israel: Ecce ego scindã regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decẽ tribus.* Magnum sanè fuit hoc beneficium. Iam vide Regis à Deo constituti ingratitudinem, vitulos aureos adorandos proposuit, populumque suum in barathrum idololatriæ præcipitem dedit. ô ingratitudinem tartaream, quę pro tanto beneficio accepto, nempe pro regno, reddidit Deo idolorum cultũ! *Obstupescite cæli super hoc,* (ait Ieremias cap. 2.) *& portæ eius desolamini vehementer, dicit Dominus. Duo enim mala fecit populus meus; me dereliquerunt fontem aquæ viuæ, & fecerunt sibi cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas,* &c. De idololatriæ peccato loquitur Propheta. Deus præcepit Psal. 36. *Declina à malo, & fac bonum*: Israelitæ contrà declinauerunt à summo bono Deo, & stupendum fecerunt malum, idola venerantes dereliquerunt Deum fontẽ aquæ viuæ, quæ illos, veluti amœnum hortum, irrigabat, & fabricarunt cisternas dissipatas aqua carentes, id est, idola, quæ aquã nullam habent ad irrigandũ, hoc est quæ nullũ in eos, à quibus coluntur, conferre possunt beneficium. Stupendum fuit hoc scelus, stupenda ingratitudo, *ideo obstupescite,* inquit, *cæli super hoc,* &c. Ezechiel. 16. confert Deus synagogam cum puella abiecta, atque exposita, cuius nemo miseretur. Beneficia in eã collata enarrat, quòd expositam assumpserit, quòd ornauerit, quòd in vxorem duxerit, quòd multis opibus locupletarit, quòd Reginã fecerit. Debuerat tot beneficiis obstricta hæc puella Deo fidelitatẽ seruare, veluti coniugi dilectissimo, at illa ingrata, & beneficiorum oblita, virum suum Deũ dereliquit; lupanar fecit, seque idolis prostituit. Ezechiel. 16. *Fecisti tibi lupanar, & fecisti tibi prostibulum in cunctis plateis.* Tãdem ait adulteram synagogam, supplicio adulterarum afficiendam: *Iudicabo,* inquit, *te iudiciis adulterarum,* &c. Cap. 23. eiusdem prophetæ duæ describũtur sorores meretrices, quæ duo Israelitarum regna significant, videlicet regnum Iuda, & regnum Samariæ. Vtrumque enim regnum meretrici & adulteræ simile fuit, quia idola vtrumque coluit, & pro maximis beneficiis acceptis maxima idololatriæ scelera Deo retribuit. Ideo meritò Moses ait: *Hæccine reddis Domino, popule stulte, & insipiens?*

Ingratitudo Hebræorum. Iud. 2.

Ingratitudo reges Ieroboã.

3. Reg. 11.

Ierem. 2.

Psalm. 36.

Idola cisternæ sũt dissipatæ.

Ezech. 16.

Ingratitudo synagogæ.

5. Reuocat verò Dei beneficia in memoriam, dicens: *Nunquidnon ipse est pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creauit te?* Ne reddamus Deo mala pro bonis, peccata pro beneficiis; imò cùm tentationes nos aggrediuntur, reuocatis in memoriam Dei beneficiis, tanquam iaculis aduersùs eas pugnemus, sicut Ioseph Genes. 39. qui postquam beneficia heri sui commemorauit, adiecit: *Quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum?* D. Gregor. lib. 30. moral. cap. 18. Bona quæ assecutus fuerat Ioseph, memoriæ intulit, & malum, id est, tentationem euicit. Addit D. Gregor. Cùm voluptas tentat in prosperis, hæc ipsa prospera, id est, beneficia Dei, tentationis aculeo sunt opponenda, vt eo erubescamus nos praua committere, quo nos à Deo meminimus gratuitò bona percepisse, & illatam gratiam exteriorum munerum vertamus in arma virtutum, vt sint ante oculos, quæ percepimus, idest, beneficia Dei, & quæ nos alliciunt, id est, tentationes, subigamus. Quia enim voluptas ex prosperitate nascitur, eiusdẽ prosperitatis cõsideratione est ferienda, quatenus hostis noster vnde oritur, inde moriatur. Iram namque superni Iudicis contra nos accendimus, si contra benignitatem ipsius, etiam

Gen. 39.

D. Gregor. Beneficiorum Dei memoriæ pugnandum est contra tentationes.

ex sua largitate pugnamus. Hæc D. Greg. Nemo ergo incrassatus recalcitret contra Deũ, nemo beneficiis Dei impinguatus contra Deum pugnet peccando, sed beneficiis Dei impinguatus pugnet tentationibus resistendo, dicens cũ Ioseph: *Quomodo peccare possum in dominum meum*, qui tot in me contulit beneficia?

6. Plurima autem sunt, eademque maxima Dei beneficia, (quibus veluti telis aduersùs peccata certare possumus) semper animo voluenda, vt ingratitudinis pessimum vitium à nobis longè propellamus. Iustinianus in libr. de obedient. cap. 28. illa cum mari confert his verbis: Diuina beneficia qui ad plenum pãdere conatus fuerit, similis censendus est illi, qui latissima maris fluenta in vase minimo concludere moliretur, &c. Hoc mare latissimum veluti conclusum est his paucis verbis: *Nunquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, & fecit, & creauit te?* Pater noster Deus est indulgentissimus, qui nos ex nihilo condidit, hominésque rationis participes fecit, qui conditos perpetuò seruat, & conseruat, multis nos cumulans beneficiis, iuxta illud Pauli Actor. 17. *In ipso viuimus, mouemur & sumus.* A Deo vitam habemus, motum, & essentiam, atque existentiam, in iis ille nos conseruat. Nam nisi nos perpetuò conseruaret, protinus in nihilum redigeremur. Artificum opera ab eis pendẽt, dum fiunt, postquam facta sunt, & si longè ab artificibus recedant, permanent: opera verò Dei neque momento vno permanere possunt, si à Deo non conseruentur. Quẽadmodum aëris huius splendor à sole pendet, dum fit, & dum conseruatur: ita opera Dei, cælum, terra, homines, cæteraque omnia à Deo pendent, non solùm cùm efficiuntur, sed etiam quandiu aliquid sunt. Addit Moses: *Possedit te.* Sumus enim Dei possessio, & hæreditas, quam ille mille donis colit, & sanguine suo irrigat: *Populus sumus acquisitionis*, vt vocat D. Petrus epist. 1. cap. 2. id est, populus acquisitus sanguine Christi. Empti sumus pretio magno, vt ait D. Paulus 1. Corinth. 6. Pretium autem magnum Christi sanguis est. Hostis crudelissimus diabolus in suam nos seruitutem redegerat, nósque possidebat: at Christus misericordia commotus, oppressos acerbissima captiuitate emit pretio magno, & possedit. Sequuntur alia beneficia.

Iustinianus Beneficia Dei mare magnũ.

Actor. 17.

1. Pet. 2.

Quando diuidebat altissimus gentes, quando separabat filios Adam.

7. Loquitur Moses de diuisione, & electione hominum post diluuium Noe, cùm in varias regiones sunt diuisi. Non vna in regione illos, sed in multis collocauit Deus: reliquos populos Ethnicos sibi non assumpsit, elegit verò populum Israel. *Pars*, inquit, *Domini populus eius, & Iacob funiculus hæreditatis eius.* Adumbrat autem hæc diuisio, & electio aliam stupendam, quæ ab æterno facta à Deo est, videlicet diuisionem prædestinatorum à præscitis, & electionem prædestinatorum, *quando diuidebat altissimus gentes, & separabat filios Adam.* O stupendã diuisionem, qua Deus ab æternitate gentes diuisit, & filios Adam separauit! Innumerabilem præuidit hominum multitudinem, hanc diuisit, multósque ex illis propter peccata reprobauit, alios in sempiternam gloriam prædestinauit. Hoc beneficium prædestinationis, & electionis, principium est, & fons beneficiorum,

Ab æterno Deus diuisit filios Adam, & elegit ac reprobauit.

A quæ Deus confert in prædestinatum. E ius effectus sunt tria illa maxima beneficia: vocatio, iustificatio, glorificatio, iuxta illud Pauli ad Roman. 8. *Quos prædestinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iustificauit, quos autem iustificauit & glorificauit.* Vocatio multa continet beneficia, iustificatio quoque, & glorificatio, quæ infinitũ esset numerare. An sumus prædestinati ignoramus, est enim prædestinatio occultissima; verum ex vita nostra, & bonis operibus coniicere possumus, ac considere, nos tantum beneficium summa Dei liberalitate esse consecutos: hinc illud D. Petri epist. 1. cap. 2. *Satagite,*

Ad Rom. 8.

1. Petri 2.

B *vt per bona opera certam vestrã vocationẽ, & electionẽ faciatis.* Qui vult certam, Græcè, βεβαίαν, firmam, & stabilem facere suam vocationem, & suam electionem, per bona opera id faciat. Bona enim opera prædestinati, & electi hominis sunt signũ. Hoc certissimũ est, posse hominem, Deo auxiliante, legem Dei vsque ad mortem seruare, & bona opera facere, certissimum quoque est, huiusmodi hominem esse prædestinatum. Deus omnibus auxilium fert. Serua ergo legem, & bona opera fac vsque ad mortem, & prædestinatum te reputa, ne sis solicitus de prædestinatione, & anxius, ne te torqueat, ac perturbet. Esto solicitus de bonis operibus, & bona vita. Qui bene viuit, & bene operatur cũ

Signum prædestinationis sunt bona opera.

C perseuerantia vsque in finem, hic est prædestinatus. D. Petrus: *Satagite*, inquit, *vt per bona opera certam vocationem vestrã faciatis.* Non dixit, satagite, & soliciti estote de vestra electione, & prædestinatione, sed, *satagite, & soliciti estote de* operibus bonis, quibus ipsam electionem firmam, & certam faciatis.

Aiunt nonnulli, duplicem esse prædestinationem, & electionem Dei; alteram ad gratiam, alteram ad gloriam. Prædestinat Deus ad primam gratiam sine meritis, & operibus, nullaque datur causa huius prædestinationis. Prædestinat quoque ad gloriam, sed ex operibus

8.

D præuisis. Gloria enim merces est prædestinati, & corona iustitiæ, quam Deus ob merita fidei, & operum donat. *Venite benedicti*, (ait Matth. 25.) *possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi; esuriui enim, & dedistis mihi mãducare; sitiui, & dedistis mihi biberẽ; hospes eram, & collegistis me.* Ecce regni cælestis gloriã tribuit Deus bonis operibus, tanquã præmium, & mercedem. Apocal. 14. *Opera illorum sequuntur illos*; mortuos non sequuntur diuitiæ, aut deliciæ, quibus in vita perfruiti sunt, sed opera bona. Hoc egregium est viaticum in cælum tendentibus. Quicunque in gloriam cælestem vult esse prædestinatus, operibus bonis insudet.

Gloria merces & præmiũ est prædestinati.

Matth. 25.

Apocal. 14.

Fuit alia diuisio, qua Deus à reliquis populis

9.

E diuisit populum Israel, suamque partem, & hereditatem fecit: *Pars*, inquit, *Domini populus eius, & Israel funiculus hæreditatis eius.* At verò quia Messiam suum repudiauit, à Deo repudiatus est, assumptique sunt à Deo populi gentium. Olim pars Domini erat Israeliticus populus, & hæreditas eius: post Christum verò pars Domini est Ecclesia toto orbe dispersa, & hæreditas illius, iuxta illud Psal. 2. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.* Et Psalm. 15. sic loquitur Christus Dominus: *Funes ceciderunt mihi in præclaris, etenim hæreditas mea præclara est mihi.* Hæreditas præclara Ecclesia est, in quam funes Domini præclarè ceciderunt.

Repudiauit Deus Israelitas, elegit gentes.

Psalm. 2.

Psalm 15.

Inuenit

Inuenit eum in terra deserta, in loco horroris, & vastæ solitudinis.

10. Ecclesiam suam, omnésque prædestinatos inuenit Deus in terra deserta, in loco horroris, & vastæ solitudinis, omnes enim homines in peccato inuenit, (de Deipara Virgine nõ loquimur.) Peccatum terra est, deserta à Deo summo bono, & à gratia, locus est vastæ solitudinis, & horroris; quid enim horrendum est magis, quàm peccatum? In hac horrenda terra, & vasta solitudine inuenit Deus homines. Vel terra deserta mundus est, plena horrore serpentium, id

Omnes homines Deus in peccato inuenit.

Deuter. 8.

est, peccatorum, Deuteron. 8. *Ductor tuus fuit* (scilicet Deus) *in solitudine magna, atque terribili,*

B *in qua erat serpens flatu adurens, & scorpio, ac dipsas.* Hic mundus est solitudo plena serpentibus, ipso tartareo flatu adurentibus. Cùm serpentibus conferuntur peccata, Ecclesiastici cap. 21. *Quasi*, inquit, *à facie colubri fuge peccata, & si accesseris ad illa, suscipient te dentes leonis, dentes eius, interficientes animas hominum.* In hac solitudine plena serpentibus horrendis ductor sui populi est Deus.

Mundus est solitudo plena serpentibus.

Eccles. 21.

11. *Circumducit eum, & docet, & custodit quasi pupillam oculi sui*, &c. Nõ semper eadem via ducit, sed per circuitus varios, hoc est, per multas tentationes circumducit, sícque ad terram repromissionis perducit, docet eos legem suam, docet quid fugere, quid amplecti debeant, docet ipsis tentationibus cognoscere varios spiritus, *custodit quasi pupillam oculi sui.* Nisi enim Dominus nos custodiret, viam hanc & circuitus hos conficere nemo posset. Ipse per tentationes nos circumducit, ipse nos custodit quasi pupillam oculi, ipsius adiutorium domus nostra est, & turris fortissima, iuxta illud Psalm. 90. *Qui habitat in adiutorio altissimi*, &c. Est etiam scutũ, quod nos vndique circumdat, *scuto*, inquit, *circumdabit te veritas eius.* Militis scutum militem non circundat, sed ante pectus fertur: at scutum Dei omni ex parte dilectos suos circundat, D quoniam ex omni parte à dæmonis telis impetuntur. Vnde D. Bernard. Psal. eodẽ 90. Quia, inquit, vndique circundatus es tentationibus, scuto circundabit te veritas eius, vt quemadmodum vndique bella, ita vndique sint præsidia, &c. Sicut pupilla sub palpebra tegitur: sic sub Dei auxilio regitur homo. Est autem hoc auxilium maximè necessarium. Obsessa ciuitas potest auxilium expectare per longum tempus à Rege suo: at obsessus homo, & grauiter tentatus auxilio indiget festinante. Ideoque Ecclesia à Deo petit semper, vt ad auxilium ferendum festinet. *Deus*, inquit, *in adiutorium meum intende, Domine, ad adiuuandum me festina*, &c. Si enim auxilium tardat, ciuitas expugnatur; sed numquam Dei tardat auxilium, saltem sufficiens ad resistendum hostibus, paratum semper est. Petimus à Deo, vt festinet auxilium. Festinat Dei auxilium, festinet quoque noster cum eo concursus. Neque enim prodest Dei auxilium, si concursus hominis desit. Vide, quanta cùm celeritate Dauidi succurrat Deus, Psalmo 17. *In tribulatione*, inquit, *mea inuocaui Dominum, & ad Deum meum clamaui, & exaudiuit de templo sancto suo vocem meam.* Deinde: *Inclinauit cælos, & descendit.* Item: *Ascendit super Cherubin, & volauit.* Volat Dominus ad ferendum nobis auxilium, quasi aquila prouocat ad volandum pullos suos, & super eos volitat, vt fe-

Circumducit Dominus populum, & custodit.

Psalm 90.

D. Bernard.

Auxilium Dei necessarium.

Psalm. 17.

Ibidem.

A rat auxilium, expandit alas suas, & assumit eos, & portat in humeris suis, quia portat auxiliis suis. O admirabilem aquilam Christum! Conijce, ô peccator, in illum oculos cruci suffixum, téque prouocantem, vt ex turpissimo peccati nido celeriter exeas. Cerne extensa in cruce brachia, velut extensas alas, cerne corpus liuidum, verberibusque concisum, cerne clauis perforatas manus, transfixosque pedes, caput in pectus inclinatum, ipsumque pectus hasta crudeli vulneratum. Heu quem non prouocet amore ardens hæc aquila ad amorem? quem non prouocet ad volandum, altóque volatu ad deferenda terrena omnia?

Christus quasi aquila prouocat ad volandum.

Constituit eum super excelsam terram.

Constituit Dominus populum suum Christianum super excelsam terram, id est, in Ecclesia Catholica, quæ celsissima terra est. Nonne Ecclesia dicitur regnum cælorum? Quanto cælum terra est sublimius, tanto Ecclesia Dei populis terræ excellior est. Hic est mons ille, de quo Psalmo 67. canit vates: *Mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus, mons pinguis; vt quid suspicamini montes coagulatos? Mons in quo beneplacitũ est Deo habitare in eo. Etenim Dominus habitabit in finem*, &c. Et Isaiæ 2. *Erit in nouissimis diebus*

12. *Ecclesia terra est excelsa, & fortis.*

Psalm. 67.

Isaia 2.

C *præparatus mons, domus Domini in vertice mõtium. Et eleuabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes.* LXX. interpretes vertunt: *Ascendere fecit eos super fortitudinem terræ*, hoc est, super terram fortem, & Chaldæus: Collocauit eos super fortitudinem terræ, &c. hoc est, collocauit eos super terram fortem, atque munitam, vel super terram fortem ad ferendos fructus. Quænam terra fortior Ecclesia reperiri potest, quæ tartareos pessundat hostes, aduersùs quam portæ inferi præualere non possunt? Ad ferendos verò cælestes fructus quàm fortis sit, ille cernet, qui considerauerit, in Ecclesia sola fructus cælestes produci, fidei, spei, charitatis, gratiæ, sacramentorum, verbi Dei, veræque doctrinæ, gloriæque sempiternæ. Reliqui populi à fide Catholica alieni nemora sunt, & syluæ steriles: Ecclesia hortus est amœnissimus, omniumque cælestium bonorum feracissimus. O Christiani expergiscamur, expendamusque tantum beneficium. Constituit nos Deus super excelsam terram, & sempiternæ gloriæ feracem; à reliquis verò regionibus separauit, feracibus sempiterni ignis.

In hac verò excelsa terra collocauit, *vt fugamus mel de petra, oleumq; de saxo durissimo. Bibebant* (ait Paulus 1. Corinth. 10.) *de spiritali consequente eos petra, petra autem erat Christus*, &c. Christus petra est, & saxum fortissimum, ex quo omnia bona fugimus. Ex hac petra fugit mel Christianus, qui gesta, dictáque Christi mente voluit, & deuotionis melle oblectatus, terrenas voluptates flocci facit. Ex hoc saxo durissimo fugit oleum summę misericordiæ, cũ Christum è cruce pendentem, visceráque illa, & vulnera miserationibus plenissima contemplatur. D. Bernard. sermon, 2. Pent. Quàm dulciter, inquit, Domine IESV, cum hominibus conuersatus es, quàm abundanter multa, & magna bona hominibus largitus es, quàm fortiter tam indigna, quàm aspera pro hominibus passus es, ita vt liceat *fugere mel de petra, oleumq; de saxo durissimo*, duro ad verba, duriore ad verbera, durissimo ad crucis horrenda. Quia in omni-

13.

1. Cor. 10.

Fugimus mel de petra, id est, Christo.

D. Bernard.

omnibus his, *ſicut agnus, coram tondente ſe, obmutuit, & non aperuit os ſuum.* Sic Bernard.

CAPVT XVIII.

MORALE.

De Cantico Moſis.

Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit.

Boetius.

1 INndicat locus hic, ſaturitatem, ac proſperitatẽ cauſam eſſe, cur homines à Deo recedãt, vnde Boëtius lib. 2. de conſolat. Philoſ. cap. 8. Proſpera, inquit, fortuna à vero bono deuios blanditiis trahit, &c.

Proſperitas hominibus nocet.

Similes ſunt ij, quos proſperitas in vitia ducit, ei homini, qui per amœna prata, vel per vias ſericis tapetibus ſtratas, in carcerem, vel ſuſpendium ducitur. Sic enim illi per proſperitatem ducũtur in carcerem, & ſuſpendium tartari.

D. Gregor.

D. Greg. lib. 6. moral. cap. 3. Quaſi, inquit, per amœna prata in carcerem peruenit, qui per præſentis vitæ proſpera ad interitum tendit, &c.

Prouerb. 1.

Prouerb. 1. *Proſperitas ſtultorum perdet eos.* Stulti ſunt, qui non vident ſe per amœna prata proſperitatis ad ſuſpendium tartari duci, oculóſque in via tapetibus ſtrata, & ornata defigunt; finem verò viæ intueri nolunt, perdet eos hæc ſtultitia. Proſperitas, cæli obliuionem parit; exilium & viam facit pro patria diligere, ideo bene cum illis agitur, qui aduerſis vexantur, vt patriam quærant.

D. Gregor. Aduerſitas prodeſt hominibus.

D. Gregorius lib. 23. moral. cap. 24. Via, inquit, eſt vita præſens, qua ad patriam tendimus; & idcirco hîc occulto iudicio, frequenti perturbatione conterimur, ne viam pro patria diligamus. Solent enim nõnulli viatores, cùm amœna fortaſſe in itinere prata conſpiciunt, pergendi moras innectere, & à cœpti itineris rectitudine declinare, eorumque greſſus tardat pulchritudo itineris, dum delectat. Electis ergo ſuis Dominus huius mundi iter aſperum facit, ne dum quiſque vitæ præſentis requie, quaſi amœnitate viæ paſcitur, magis eum diu pergere, quàm citiùs peruenire delectet, ne dum oblectatur in via, obliuiſcatur quod deſiderabat in patria. Hæc Gregor.

Ezech. 16.

Ezechielis 16. *Hæc fuit iniquitas Sodomæ, ſuperbia, ſaturitas panis, & abundantia, & otium ipſius & filiorum eius, & manũ pauperi non porrigere,* &c.

D. Hieron.

in quem locum ſic ſcribit D. Hieron. Superbia, ſaturitas panis, rerum omnium abundãtia, otium, & deliciæ, peccatum Sodomiticum eſt, & propter hoc ſequitur Dei obliuio, quæ præſentia bona putat eſſe perpetua; & nunquam ſibi neceſſariis eſſe indigendum, &c.

Deuter. 8.

2 Deut. 8. Moſes ſic populũ adhortatur: *Obſerua, & caue, ne quando obliuiſcaris Domini Dei tui, & negligas mãdata eius: ne poſtquã comederis, & ſatiatus fueris, domos pulchras ædificaueris, & habitaueris in eis, habuerisq; armẽta boum, & ouium greges, argẽti, & auri, cunctarumq; rerũ copiã, eleuetur cor tuũ, & non reminiſcaris Domini Dei tui, qui eduxit te de terra Ægypti.* Eleuant cor diuitiæ, eleuat proſperitas, efficit Dei obliuionem, & in magna ſcelera præcipitat.

Pſal. 72. Theodoret.

Pſal. 72. *Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum.* Theodoretus adipem ait ſignificare proſperitatem. Ex hoc adipe, id eſt, ex proſperitate impiorum, exit, & naſcitur iniquitas eorum. Theodoreti hæc ſunt verba: Adeps proſperitatem ſignificat, & ait pſalmographus, eos qui in huiuſmodi ſecundis rebus ſunt, ſolere magna cum licentia delinquere.

Ibidem.

Eodem Pſalmo: *In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabũtur: ideo renuit eos ſuperbia, operti ſunt iniquitate, & impietate ſua.*

Theodoret.

Theodoretus; Secũdo, inquit, flumine res eorum feruntur, & neque laboribus, neque ærumnis, neque caſtigationibus cincti ſunt, aliorum hominum inſtar. Hinc in ſuperbiam, & faſtum elati ſunt, &c.

Proſperitas breui tempore euaneſcit.

Obliuionem Dei, faſtum, & ſuperbiam proſperitas in hominibus efficit; quia quàm breui tempore durent caduca bona, non cõſiderant, vt D. Hieron. iam citatus ait: Sequitur, inquit, Dei obliuio, quæ præſentia bona putat eſſe perpetua, &c. At illa momento temporis euaneſcunt.

Iacob. 1.

Diues (ait D. Iacobus cap. 1. epiſtolæ ſuæ) *ſicut flos fœni tranſibit, exortus eſt enim ſol cum ardore, & areſcit fœnum, & flos eius decidit, & decor vultus eius deperiit: ita diues in itineribus ſuis marceſcet,* &c.

Iacob. 4.

cap. 4. *Quæ eſt vita veſtra? Vapor eſt ad modicum parens, & deinceps exterminabitur,* &c. Vapor eſt vita hominum, qui in proſperitate vitam traducunt: nubes eſt ex vaporibus terreſtribus eleuata, & proſperitatis radiis, veluti Solis, illuſtrata, ſed mox vapor diſſoluitur eleuatus, diſparéntque radij, qui vaporem illuſtrabãt.

Boetius.

Boetius lib. 2. de conſolat. Philoſoph. proſa 8. proſperitatem cum aduerſitate confert: aduerſitatem verò hominibus plus prodeſſe exiſtimat, quàm proſperitatem:

Confertur proſperitas cum aduerſitate.

Plus, inquit, hominibus aduerſam fortunam reor prodeſſe, quàm proſperam. Proſpera enim ſemper ſpecie fœlicitatis, cùm videtur blanda, mentitur; aduerſa ſemper vera eſt, cùm ſe inſtabilem mutatione demonſtrat: proſpera fallit, aduerſa inſtruit: proſpera bonorum mendacium ſpe mentes ligat, aduerſa cognitione fragilis fælicitatis abſoluit. Itaque proſperam fortunam videas ventoſam, fluentem, ſuique ſemper ignaram: aduerſam, ſobriam, ſuccinctámque, & ipſius aduerſitatis exercitatione prudentem; poſtremò proſpera à vero bono deuios blanditiis trahit; aduerſa plerúmque ad vera bona reducens vnco retrahit. Sic ille.

D. Gregor.

Et D. Gregor. 1. part. paſtoral. cap. 3. Proſpera, inquit, ſæpe per tumorem cor inquinant, & aduerſa per dolorem purgant. In proſperis ſe animus erigit; in aduerſis etiam quando ſe erexerat, ſternit; in proſperis homo ſui obliuiſcitur, in aduerſis verò ad ſui memoriam reuocatur; in proſperis ſæpe & anteacta bona depereunt, in aduerſis autem longi quoque temporis admiſſa terguntur, &c.

Seneca.

His adde illud Senecæ in lib. de diuina prouidentia: Calamitas, inquit, virtutis occaſio eſt, illos meritò quis dixerit miſeros, qui nimia fælicitate torpeſcunt, quos velut in mari lento, tranquillitas itineris detinet, &c.

Ignis ſuccenſus in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima.

Actor. 9.

3 *Durum eſt tibi* (ait Dominus Paulo Act. 9.) *contra ſtimulum calcitrare.* Contra ſtimulũ Dei calcitrauit incraſſatus populus: durum illi hoc fuit. Quemadmodum enim is, qui aduerſus ſtimulum calcitrat, ſe ipſum vulnerat: ſic Iſraelitæ aduerſus Deum recalcitrantes, ſe ipſos vulnerarunt, ac perdiderunt. Ignis Dei exarſit in eos, à quo conſumpti perierunt: *ignis,* inquit, *ſuccẽſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſſima.* In hoc orbe incipit exardeſcere ignis diuinæ iræ; ſi verò peccator lachrymarum, & pœnitentiæ vndis illum non extinguit, *ardebit vſque ad inferni nouiſſima,* comburétq; animam

Ignis tartareus.

cum

D. Gregor.

cum corpore. D. Gregorius lib. 27. moral. cap. 12. Quantum, inquit, ad preſentem percuſſionem ſpectat, rectè dicitur: *Ignis exarſit ab ira mea;* quantum verò ad æternam damnationem, aptè mox ſubditur, *& ardebit vſque ad inferos deorſum,* &c. Videat peccator, contra quem ſtimulum calcitret; calcitrat contra ignem ſempiternum, ſeque ipſum comburit.

Multa genera ſuppliciorum habet Deus.

4 Multa ſuppliciorum genera habet in hoc mundo Deus; multas ſagittas, quibus peccatores configat. *congregabo,* inquit, *ſuper eos mala, & ſagittas meas complebo in eis, conſumentur fame, & deuorabunt eos aues morſu amariſſimo, dentes beſtiarum immittam in eos cum furore trahentiũ ſuper terram, atque ſerpentium: foris vaſtabit eos gladius, & intus pauor.*

Ezech. 14.

Ezech. 14. quatuor pœnarum genera enumerat, quibus punire poteſt homines, nimirum bellum, famem, feras, & peſtem: *Si quatuor,* inquit, *iudicia mea peſſima, gladium, & famem, ac beſtias malas, & peſtilentiam immiſero in Ieruſalem,* &c. Adde iis millia morborum genera, & alia. Non deſunt ſupplicia Deo, quibus peccatores puniat in hac vita; ſed differt ſupplicia Deo, expectat pœnitentiam. Quòd ſi pœnitentiæ fructum non proferat homo, ignis fiet pabulum, iuxta illud Domini

Matth. 7.

Matth. 7. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur,* &c.

Deuter. 33.

Deut. 33. *In dextera eius ignea lex,* &c. Lex Dei ignea eſt, quia ſi non ſeruetur, igne comburit eos, qui eam non ſeruant.

Matth. 13.

Matth. 13. *Tempore meſſis dicam meſſoribus: Colligite primum zizania, & alligate ea in faſciculos ad comburendum, triticum autẽ congregate in horreum meum.* Iuſti velut triticum in horreum cæli congregantur; improbi velut zizania in ignem mittuntur.

Eccleſ. 21.

Eccleſiaſtici 21. *Stupa collecta ſynagoga peccantium, & conſummatio eorum flamma ignis.* O ignem horrendũ! populus Iſraeliticus ignem montis Sinai valde timuit,

Deut. 18.

Deuteron. 18. *Dixiſti,* (ait Moſes) *ignem hunc maximũ amplius non videbo, ne moriar,* &c. Quis non timeat ignem tartari multo maiorem? quis non timeat ignem inextinguibilem?

Marc. 9.

5 Equidem ſatius eſt, omnia huius mundi mala perpeti, quàm in ignem hunc inextinguibilem mitti, id docet Dominus Marci 9. grauiſſimis verbis: *Si ſcandalizauerit,* inquit, *te manus tua, abſcinde illam; bonum eſt tibi debilem introire in vitam, quam duas manus habentem ire in gehennam, in ignem inextinguibilem, vbi vermis eorum nõ moritur, & ignis non extinguitur.*

Omnia ſunt amputanda, ne in ignem tartareum mittamur.

Et ſi pes tuus te ſcandalizat, amputa illum; bonum eſt tibi claudũ introire in vitam æternam, quam duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis, vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Quod ſi oculus tuus ſcandalizat te, eiice eum; bonum eſt tibi luſcum introire in regnum Dei, quam duos oculos habentem mitti in gehennam ignis, vbi vermis eorum non moritur, & ignis non extinguitur. Sic Dominus docet, ignem eſſe inextinguibilem, & vermem perpetuum, quem, vt effugiamus, omnia ſunt amputanda, quæ nos in peccatum poſſunt inducere.

Peccata, lignum ſunt ignis tartarei.

Inextinguibilis eſt ignis hic: ligna in quibus exardeſcit, peccata ſunt; ignem tartareum peccator ſibi ſuccendit, cùm peccat.

Iſai. 50.

Iſaiæ 50. *Ecce vos omnes accendentes ignem, accincti flãmis, ambulate in lumine ignis veſtri, & in flammis, quas ſuccendiſtis.*

Ieremiæ 17.

Ieremiæ 17. *Ignem ſuccendiſti in furore meo, vſque in æternum ardebit.* Tolle peccata, ignem extingues: ſi peccata non eſſent, ignis tartari non eſſet, quia verò peccata multa ſunt, ignis eſt tartari inextinguibilis, quo puniuntur. Ligna, in quibus ignis hic exardeſcit, peccata ſunt.

Eccleſ. 28.

Eccleſiaſtici 28. *Secundum ligna ſyluæ ſic ignis exardeſcit.* Secundum peccata ſic tartareus ignis inflammatur. Qui pauciora habuerit peccata, minus inflammabitur, quam ille, qui plura habuerit.

D. Gregor.

Vnde D. Gregor. lib. 4. dialog. Sicut, inquit, in domo patris manſiones multæ ſunt, pro diuerſitate virtutum; ſic damnatos diuerſis ſuppliciis gehennæ ignibus ſubiicit diſparitas criminis, quæ gehenna, quamuis vna ſit cunctis, non tamen cunctos vna, eadémque qualitate ſuccendit. Sic Gregorius. Inextinguibilis eſt ignis tartari, quia inextinguibilia ſunt peccata damnatorum. Dum vita manet, extingui poſſunt peccata aquis pœnitentiæ, poſt vitam, peccatum, & ignem debitum peccato, nemo extinguet etſi tot lachrymas affundat, quot habet oceanus aquas.

Prouerb. 30.

Prouerb. 30. *ignis numquã dicit ſufficit.* Comburit ignis tartareus peccatorem, numquam verò dicit, ſufficit hactenus combuſſiſſe, ſed per totam æternitatem comburit, Dei iuſtitia ſic iudicante.

D. Gregor.

D. Gregor. Numquam, inquit, vltra miſericordia parentis Dei liberat, quos ſemel in locis pœnalibus iuſtitia iudicantis damnat, &c.

Ignis tartareus æternus eſt, & extinguendus pœnitentia, dum viuimus.

Deus bone! poſt vitam in tartaro per totam æternitatem peccata extingui non poſſunt; quamuis per totam æternitatem peccator lamentis ſe tradat: hîc verò dum viuit, pœnitentia, & vitæ correctione paruo temporis ſpatio, & peccata, & ignem tartareum extinguit. Vtinam ſaperent peccatores & intelligerent! O peccator, modico tempore vitæ huius pœnitentiam age ne per totam æternitatem æterno igne crucieris: extingue peccata, ne igne inextinguibili torquearis.

D. Ambroſ.

Audi D. Ambroſium ad virginem lapſam ſcribentem, cap. 8. Neceſſe, inquit, eſt præuaricatricem animam tartareis ignibus tradi; neque aliud remedium conſtitutum eſt poſt baptiſmum quàm pœnitentiæ ſolatium. Quantumuis afflictionem, quantumuis laborem ſubire eſto contenta, dummodo ab æternalibus pœnis libereris. Sic Ambroſ.

D. Bernard.

Audi D. Bernardum in Pſalmo 90. Durum, inquit, vobis videtur, cùm vobis dicitur: agite pœnitentiam? Erratis, ſed audituri eſtis aliquando ſermonem aſperum & durum: *Diſcedite à me in ignem æternum.* Hoc timete, hoc durum reputare, & inuenietis, quia iugum Domini ſuaue eſt. Si in ſe ipſo ſuaue illud credere necdum poteſtis, vel hoc non ignoratis, quoniam huius comparatione ſuauiſſimum eſt, &c.

Vtinam ſaperent, & intelligerent, ac nouiſſima prouiderent.

Peccatores ſunt ſtulti, & inſipientes.

6 Deſipit peccator, non intelligit, nouiſſima non prouidet. *Hæccine reddis Domino popule ſtulte, & inſipiens?* ait Moſes. Populum appellat ſtultum, & inſipientem in hoc Cantico, quia non ſapuit, ſed Deum dereliquit, & idola coluit. Quemadmodum mures muſcipula capiũtur: ita diabolus inſipientes peccatores, idolorum cultu, & aliis peccatis capit.

Sapient. 14.

Sapient. 14. *Creaturæ Dei in odium factæ ſunt, & in tentationem animabus hominum, & in muſcipulam pedibus inſipientium.* Muſcipulæ ſunt, aurum, & argentum, ex quibus fiunt idola, cæteræque creaturæ, quibus tamquam laqueis pedes hominum inſipientium capiuntur.

Iſaiæ 1.

Iſaiæ 1. ait Dominus:

Cogno-

Cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israel autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. Vt enim legitur Psal. 48. *Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis.* Homo à iumentis ratione, & intelligentia differt. Qui ergo intellectu, & ratione non vtitur, sed concupiscentiæ suæ habenis ducitur, meritò iumentum dicitur. Non sapit iumentum insipiens, non intelligit, non prouidet nouissima; idem homines faciunt insipientes. Psal. 31. *Nolite fieri sicut equus, & mulus,* (ait Dauid) *quibus nõ est intellectus.* Hortatur nos, ne rationis expertia animalia imitemur, sed sapiamus. Equus & mulus, quos sessores, & qualia ferant onera, non curant: sic insipientes homines non curant, ferántne Deum, an diabolum. Audiamus D. Gregorium in Comment. eiusdem Psalmi: Nolite, inquit, sicut equus alienum sessorem indifferenter portare. Equus enim sicut dominum suum ad portandum recipit, ita etiam sine discretione alios, qui volunt ascendere, sessores admittit. Qui ergo diabolo se subiecerit, & animam, quæ sedes sapientiæ esse debuerat, eius ditioni mancipauerit; sine intellectu, sicut equus existit. Mulus verò sicut onus domini sui sustinet, ita se cuilibet extraneo onerabilem præbet. Quisquis itaque Domini, cuius iugum suaue, & cuius onus leue est, præcepta reiiciens, grauissimas peccatorum sarcinas ferre non recusauerit; irrationabilem se profectò sicut mulum ostendit. Hæc D. Gregor.

Psal. 48. — Peccatores similes sunt iumentis insipientibus. — Psal. 31. — D. Gregor.

7 O quàm optanda res est intellectus, & nouissimorum nostrorum prospicientia: *Vtinam* (inquit Moses) *saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent.* At is homo, qui similis iumento est, non optat intellectum habere, & nouissimorum prouidentiam, sed, vt est in Psalmo 35. *Noluit intelligere, vt bene ageret,* &c. Non vult habere intellectum, cuius lumine illustratus bene agat. O illum fælicem, qui sapere vult, & intelligere, vt bene agat, quique intellectum à Deo postulat, & accipit. Psalmo 31. *Intellectum,* inquit Dominus, *tibi dabo.* Magnum Dei donum est intellectus. Per intellectum nos instruit Dominus: *Intellectum,* inquit, *tibi dabo, & instruã te in via hac, qua gradieris.* & Psalmo 110. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum,* hoc est, intellectus, siue intelligentia bona est facientibus eam, hoc est, facientibus id quod intellectus docet faciendum. Bonus intellectus est bene agentibus. Quod in mundo lux est, id est in homine rerum intelligentia, & consideratio. Deus Opt. Max. cùm mundum creauit, lucem prima die condidit. Genes. 1. *Tenebræ erant super faciem abyssi, dixitque Deus: fiat lux, & facta est lux,* &c. Tenebræ sunt super faciem peccatoris. Imitetur Deum, & in primis postulet ab eo: Domine, fiat lux super faciem huius abyssi, fiat lux in intellectu meo, qua te iuuante cernere possim nouissima mea, peccataque, ac cupiditates meas, velut immanes feras effugare. Psalmo 103. *Posuit tenebras, & facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ syluæ, catuli leonum rugientes vt rapiant, & quærant à Deo escam sibi.* Ecce quid nox & caligo intellectus in homine efficiat. Quemadmodum facta nocte, bestiæ syluæ, & leonum catuli petranseunt, vt rapiant, & prædas agant: sic factã nocte in intellectu hominis, cupiditates, velut leonũ catuli, grassãtur, vt miserum hominem dilanient. Vis videre, quid efficiat lux mentis? sequitur in eodem Psalmo: *Ortus est sol, & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur. Exibit homo ad opus suum.* Similem in modum, si sol in intellectu hominis exoriatur, fugantur feræ, & leones, hoc est, cupiditates, & collocantur, frænantúrque in cubilibus suis, ne effrænatæ omnia diripiant. Exit autem homo ad opus suum faciendum, fugatis cupiditatibus. Opus verò hominis est virtutibus incumbere, Deique mandata seruare. Fugatis cupiditatibus, illuminatoque intellectu, ad hoc præclarum opus exit homo. Itaque sapiamus omnes, & intelligamus, & nouissima prouideamus. Est enim hæc sapientia Christianorum, & adeò pretiosa, vt mundi principatui sit anteponenda, vt censet Author Speculi, quod D. Augustino tribuitur, tomo 9. Crede mihi, inquit ille, ad huius rei, id est, mortis consideratione malueisse debueras prouidentiam possidere, quàm totius mundi dominationem. Vtinam saperes, & intelligeres, quæ mundi sunt, & quæ inferni sunt, &c. Item: Sapientis est non tam cuiuslibet rei principium prospicere, quàm finem, exitumque prouidere, &c. Ibidem: Meditationem appellat mentis ditationem: meditatio, inquit, nihil est, quàm mentis ditatio. Esto alter Argus, imò illo cautior, & prouidentior, licèt centum luminibus cinctum caput Argus habebat. Sic ille. Si vis animum ditare, meditationi assuesce, non est tibi opus in Indiam nauigare, domi tuæ quietus meditationi vaca, & ditaberis.

Psal. 35. — Psalm. 31. Intellectus rerum spiritalium magnum est Dei donum. — Psalm. 110 — Lux in homine est intelligentia, & consideratio. — Genes. 1. — Psal. 103. — Caligo intellectus. — Author Speculi.

Ac nouissima prouiderent.

8 Ad Ephes. 6. hortatur nos Paulus, vt diuina induamus arma, quibus hostes tartareos superare possimus: *Induite,* inquit, *vos armaturam Dei, vt possitis stare aduersus insidias diaboli.* Diuinæ huius armaturæ magna pars est nouissimorum meditatio. Est enim potẽtissima ad repellendos, fugandosque aduersarios: adeò verò potens est, vt dicat Ecclesiasticus cap. 7. *In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternũ non peccabis.* Quasi dicat: Esto semper indutus his armis, numquam illa exuas, in omnibus operibus tuis semper in memoria habeto nouissima tua, nullumque hostium telum te vulnerabit: *In æternum,* inquit, *non peccabis,* hoc est, si arma hæc semper feras, nullum te aduersariorum iaculum fauciabit. O arma potentissima! Ad Ephes. 6. *In omnibus* (inquit Paulus) *sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Fides nouissima nostra nobis indicat, post mortem docet sequi iudicium horrendum; æterna tormenta improbis, æterna præmia probis. Cùm ergo ignea tela tartareis succensa flammis hostes in nos iaculantur, in omnibus congressionibus ea reuocemus in memoriam, quæ fides nos docet, videlicet post mortem sequi iudicium terribile, & cruciatus æternos, si peccata non fugiamus: gloriam verò immensam sequi, si virtutem sectemur. Hæc nouissimorum memoria scutum fidei est, in quo omnia tela nequissimi ignea extinguuntur. Iudicum 7. Gideon militibus suis hæc arma tradidit, tubas, & lagenas, & in medio earum lampades: *Cumq; per gyrum castrorum hostilium in tribus personarent locis, & hydrias confregissent, tenuerunt sinistris manibus lampades, & dextris sonantes tubas, clamauerunq;,* &c. Hæc nostra arma sunt, videlicet tuba, quæ nos ad iudicium

Ad Ephes. 6. — Meditatio nouissimorum vtilissima. — Eccles. 7. — Ad Ephes. 6 — Memoria nouissimorũ scutum fidei. — Iudicum 7.

iudicium excitabit, sonitu illo terribili: *Surgite mortui, & venite ad iudicium;* fractæ lagenæ, id est, corpora nostra fracta, atque sepulta; lampades igne tartareo inflammatæ.

9 His pugnemus armis, vincere si volumus, prouideamus nouissima, exploremus sæpe terram promissam iis, qui Dei mandata seruant; descendamus in infernum viuentes, ne descendamus morientes. Mittamus exploratorem intellectum, qui de fructibus terræ amarissimæ ad nos afferat, vt quàm amara sit, sciamus. Equidem verè illud renuntiabit nobis, quod olim exploratores Israelitis renuntiarunt, Num. 13. *Terra, quam lustraui, deuorat habitatores suos, vbi vidi monstra quædam,* &c. Inferorum namq; terra igne deuorat homines habitatores suos, & conburit in sempiternum, simul cum cacodæmonibus, qui monstra sunt inferorum. Illud quoque renuntiabit, Iob 10. *Terra est tenebrosa & operta mortis caligine, terra miseria & tenebrarum, vbi vmbra mortis, & nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat.* Denique noster explorator intellectus stupore plenus interrogationem nobis proponet illam, quæ capite Isaiæ 33. extat: *Quis poterit habitare de vobis cum igne deuorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Et illud addet Psalmi 49. *Intelligite hæc qui obliuiscimini Deum, ne quando rapiat, & non sit qui eripiat.* ô homines Dei, eiusque iustitiæ obliti, sapite, intelligite, prouidete nouissima, considerate attentione magna, an possitis habitare cum igne deuorante tartari, & cum ardoribus, qui nullum habent finem, sed per totam æternitatem animas corporaque incendunt. Emendate mores, vitia fugite, ne vos diuina iustitia rapiat. Quòd si illa rapuerit in tartarum, post mortem nemo erit, qui eripiat, nemo erit qui ferat auxilium. Psalmo 110. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Bonus est hic intellectus nuntius, & explorator tartari, bonus, inquam, facientibus eum, hoc est, facientibus id quod monet, nimirum vt tartarei ignis æternitatem horrentes peccata omnia, velis remisque fugiamus, & virtutes consectemur. Ecclesiastæ 11. *Si annis multis vixerit homo, & in his omnib. lætatus fuerit, meminisse debet tenebrosi temporis, & dierum multorum, qui cùm venerint, vanitatis arguentur præterita.* Tenebrosum est nouissimorum tempus, etiam inter res lætas ac prosperas in memoriam reuocandum est. Magnam enim animo affert vtilitatem hæc memoria.

Intellectus mittendus exploratur tartari. — Num. 13. — Iob 10. — Isaia 33. — Psal. 49. — Psal. 110. — Eccles. 11.

10 Cùm venit nouissima mors, *vanitatis arguuntur præterita;* quod efficit mors præsens, efficit etiam mortis, & nouissimorum consideratio. Qui enim nouissima profundè considerat, omnia bona caduca vana esse arbitratur, eaque facilè contemnit, vnde illud D. Hieron. ad Paulinum: Facilè contemnit omnia, quia se semper cogitat, esse moriturum, &c. Vanas esse res caducas indicat finis, ideo D. Gregorius: Adeodatæ fœminæ illustri suadet, vt caducarum rerum finem consideret, & somnium videre ait eum, qui eas diligit. D. Gregorius lib. 7. epist. 55. ad Adeodatam: Reducite, inquit, ad animos prosperitates temporum, multitudinem hominum, dignitatum pompas, matronarũ gloriam, diuitiarum abundantiam. Attendite hæc omnia, vbi, vel quid facta sunt, & ex hoc pensate, quòd nulla sint, & quia qui ista diligit, somniũ vigilans videt. Hæc recordatio magna vobis debet esse instructio, quoniam pro magno di-

Nouissima indicant, res caducas esse vanas. — D. Hieron. — D. Greg. — Somnium videt, qui caduca diligit.

ligi non debet, quidquid sine concluditur. Hæc ille. Psal. 72. psalmographus, siue is sit Dauid, siue Asaph: *Zelaui,* inquit, *super iniquos, pacem peccatorum videns;* zelo in impios afficiebatur, quòd videret eos pace, & prosperitate frui. Postea ait: *Labor est ante me, donec intrem in sanctuarium Dei, & intelligam in nouissimis eorum,* &c. Labor Dauidi erat, quòd videret florere impios, sed nouissima eorum considerauit, & vanam esse eorum prosperitatẽ vidit. Nouissima enim impiorum ostendunt, quam sit breuis eorum prosperitas, & similis somnio. Fruuntur in hac vita modici temporis somnio delectabili, post hanc vitam torquentur igne sempiterno: *Quomodo* (inquit Dauid) *facti sunt in desolationem? subitò defecerunt, pericrunt propter iniquitatẽ suam, velut somnium surgentium Domine, in ciuitate tua imaginem ipsorum ad nihilum rediges.* Intelligamus in nouissimis nostris, & aliorum, qui ante nos ex vita discesserunt, & vanitatis arguemus hæc mundi bona, quæ admiramur. D. Ephrem lib. de vita spiritali, capit. 40. Inclinemus (inquit) nos ad sepulchra, permixtos ossium aceruos, craniaque cernamus, & hæc considerantes, nos ipsos in illis velut in speculo quodam contemplabimur, &c. Egregia specula sunt nouissima hominum. In sepulchris enim, & craniis, & ossibus mortuorum, velut in speculis cernimus, quàm vani sint honores, diuitiæ, & voluptates viuorum.

Psal. 72. — D. Ephrem. — Specula viuorum sunt sepulchra mortuorum.

11 Sapiamus ergo, intelligamus, & prouideamus nouissima: non pellat mundi prouidentia, & cura ex animo nostro prouidentiam, & curam nouissimorum, ne improuidos nos, & imparatos ipsa nouissima rapiant, sicut diuitem illum improuidum rapuerunt, de quo Lucas 12. scribit: Sapiebat ille diues, intelligebat, & prouidus erat de frumento & fructibus. Audiamus hominem: *Quid faciam,* inquit, *quia non habeo, quo congregem fructus meos? scio quid faciam, destruam horrea mea, & maiora faciam; & illuc congregabo omnia, quæ nata sunt mihi, bona mea, & dicam animæ meæ: Anima habes multa bona posita in annos plurimos, quiesce, comede, bibe, epulare.* Nónne vides hominis terrestrem cibi prouidentiam? nónne cernis nouissimorum improuidentiam? *Anima,* inquit, *habes multa bona posita in annos plurimos, quiesce,* &c. O hominem stultum, & improuidum, ne diem quidem vnum habes vitæ, & plurimos tibi annos insipiens polliceris? vtinam saperes, & intelligeres, & nouissima prouideres! Etenim, vt scribit Euangelista: *Dixit illi Deus; Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te, quæ autem parasti, cuius erunt?* ô stulte, & insipiens, qui sapere noluisti, & nouissima prouidere; ecce hac nocte aderit nouissima mors, & iudicium, & peccatorum supplicium, quæ prospicere noluisti: prouidisti bona temporalia ac caduca, illa omnia te derelinquent, horreaque tua illa dilatata, & plena bonis tuis, aliis tradentur; satiùs multò fuisset nouissima prouidere, atque æterna, quàm temporalia, atque caduca; transeunt euolantque temporalia, permanent æterna; fallitur qui in temporalibus dicit: *Anima mea, habes multa bona posita in annos plurimos, quiesce, comede, epulare.* Verè eadem verba vsurpat is, qui nouissima prouidit, & paratus ad iudicium Dei venit, coronaque gloriæ donatus est. Canere is verissimè potest: Anima mea, habes multa bona posita in annos æternos, iam requiesce à laboribus, quos pertulisti,

Luc. 12. — Nouissima prouidendæ sunt.

tulisti, vt quietem hanc consequereris; comede, & epulare. Epulas enim tibi Deus largitus est, omni nectare, & ambrosia dulciores, quarum dulcitudinem is solus nouit, qui experitur quàm dulcis est Dei immensi conspectus. Audiamus magnum Gregorium, homil. 13. in Euangelia: In conditione (inquit) vestræ mortalitatis mentis oculos figite, venienti vos iudici per fletus quotidie, & lamenta præparate, & cùm certa mors maneat omnes, nolite de temporalis viæ prouidentia, incerta cogitare. Terrenarum rerum vos cura non aggrauet. Vbi sunt illi, qui ea quæ hodie colimus, nobiscum transacto anno B. Felicis natalitia celebrauerunt? ô quanta & qualia de præsentis vitæ prouisione cogitabant, sed surrepente mortis articulo, repente in iis, quæ prouidere nolebant, inuenti sunt, (id est, in nouissimis) & cuncta temporalia quæ congregata quasi stabiliter tenere videbantur, amiserunt. Sic ille.

D. Gregor.

12 Prouideamus igitur nouissima, ne in iis, quæ prouidere nolumus, paulò pòst improuidi, & imparati inueniamur. Accidet enim nobis, quod gubernatori accidit, qui tempestatem imminentem non prouidet: subitò tempestas improuisa nauem inuadit, & fluctibus obruit. Hoc est, quod ait Ecclesiasticus cap. 5. *Non tardes conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem, subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te.* Quasi dicat: Ne sis improuidus, & incautus, nouissimorumque oblitus; ne differas de die in diem conuersionem, prouide tempestatem, improuisa enim subitò improuidũ te obruet, disperdetque incautum ira Dei. Omnia remedia prouidenda sunt rei summi pretij quæ si perit, absque remedio perit. Summi pretij est anima, si perit, & in orcum præcipitatur, nullo inde remedio educi potest. Omnia ergo prouidenda sunt remedia, ne pereat sine remedio. Denique sapiamus, & intelligamus, & prouideamus res æternas; insipiens enim est, qui de rebus mox perituris prouidentiam magnam habet, & res sempiternas non curat. Breuia sunt huius vitæ tam bona, quàm mala, quia vita ipsa breuis est. Sempiterna sunt æternæ vitæ bona, & mala, quia vita ipsa æterna est. Stultus est, qui pro breuibus bonis consequendis, aut breuibus malis fugiendis, bona cœli sempiterna amittit, & mala tartari sempiterna consequitur. Sapiens est, qui pro sempiternis bonis cœli comparanda, & sempiternis malis tartari euitandis libenti animo breuia bona mundi negligit, & breuia eius mala tolerat. Lanctantius Firmianus lib. 6. diuin. institut. Hęc (inquit) vita temporalis, quia breuis est, idcirco, & bona eius, & mala breuia sunt necesse est. Illa verò spiritalis, quæ huic terrenæ contraria est, quoniam sempiterna est, idcirco & bona eius, & mala sempiterna sunt. Ita fit, vt bonis breuibus mala æterna, & malis breuibus bona æterna succedant. Itaque cùm simul proposita sint homini bona & mala, considerare vnumquemque secum decet, quanto satius sit, pro perpetuis bonis mala breuia pensare, quàm pro breuibus, & caducis bonis mala perpetua sustinere. Hæc ille. Adde his illud D. Bernardi epistola 292. *O vtinam*, inquit, *saperes, & intelligeres, ac nouissima prouideres*: saperes, quæ Dei sunt, intelligeres, quæ mundi sunt; prouideres, quæ inferni sunt. Profectò inferna horreres, superna appeteres, quæ sunt ad ma-

Prouidenda tempestas nouissimorum.

Eccli. 5.

Bona & mala huius vitæ breuia sunt.

Lactantius Firmianus.

D. Bernard.

A lum, contemneres, &c. Idem Bernardus serm. 2. in festo Apost. Petri & Pauli: Tria (inquit) in verbis Mosis video nobis commendari, sapientiam, intelligentiam, prouidentiam. Hæc spiritalis exercitij est summa; hæc forma stadij spiritualis, vt sapienter disponamus præsentia nostra, recogitemus in amaritudine animæ nostræ præterita, futura quoque solicitè prouideamus. *Vtinam saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent*, (ait Moses) ac si manifestius dicat; vtinam esset in eis spiritus sapientiæ, & intelligentiæ, atque consilij. Vtinam, fratres, hæc in nobis inueniantur, vt suauiter omnia nostra per sapientiam disponamus, vt intellectu peccata præterita damnemus, vt prouideamus futura consilio. Sic D. Bernard.

D. Bernard.

B

De vinea Sodomorum, vinea eorum & de suburbanis Gomorrhæ.

Ecce fructus illorum, qui non sapiunt, non intelligunt, & nouissima prouident: *Fructus sunt vineæ Sodomorum & Gomorrhæ, vua eorum, vua fellis, & botri amarissimi, fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile*, &c. Qui libidini se tradit, is Sodomorum, & Gomorrhæ ciues imitatur, quorum effrænata libido satis nota est ex Genesi cap. 18. & 19. igne ex cælo misso, ac sulphure punita à Deo. D. Gregorius lib. 1. Regum, cap. 9. vineas ait significare concupiscentias, quoniam quemadmodum vineæ, ita concupiscentiæ hominem inebriant. Itaque de vinea Sodomorum illos ait propaginem ducere, qui concupiscentias carnis sequuntur. Ex Sodomorum, inquit, vinea vitem, ex Gomorrha ducit propaginem, qui nefandissimis concupiscentiis mentem replet, &c. At botri huius vineæ, si pulchri, & dulces videantur extrinsecus, intrinsecus amarissimi sunt ipsis, qui illos edunt. Amaritudinem habent internam, quam in orco experiuntur, qui non prouident nouissima. D. Gregorius: Vua eorum, vua fellis, & botrus amarissimus: vua in visu est, in sapore est fel, visum oblectans, gustum amaricans. Quia reprobæ menti valde placet, quod concupiscit, sed in æterna pœna, quod sibi modò est dulce, amarescit, &c. Fel draconum, id est, dæmonum, est vinum huius vineæ, id est, concupiscentiæ, quod nobis propinant melle tectum. Venenum est aspidum insanabile. Non enim virib. humanis sanari possunt peccata, quæ à concupiscentia inebriati committunt homines; diuina vis opus est, vt sanentur. De fructibus Sodomorum sic scribit Egesippus lib. 4. cap. 18. Spectes illic ad speciem poma viridantia formatos vuarum racemos: si carpas, fatiscunt, & in cinerem resoluuntur, fumumque excitant, quasi adhuc ardeant, &c. Et Iosephus lib. 5. de bello, cap. 5. Videre (inquit) licet renascentes in fructibus cineres, qui colore quidem sunt edulibus similes; carpentium verò manibus, in fumum dissoluuntur, & cinerem, &c. Huiusmodi sunt mundi voluptates, videntur fructus dulces, sed in cinerem dissoluuntur sepulchri, fumumque, & orci sempiternum ardorem excitant. Expectat Dominus ex vinea sua dulces fructus, iuxta illud Isaiæ 5. *Expectauit, vt faceret vuas*, &c. Vuas expectat, botrosque dulces Dominus. Caueat Christianus, ne pro dulcibus botris producat labruscas, aut spinas. Isaiæ 5. *Expectauit, vt faceret vuas, & fecit labruscas.*

13

D. Gregor. Concupiscentia mentem inebriat.

Peccatũ dulce apparet, sed amarissimum est.

D

Egesippus.

E

Iosephus.

Isaiæ 5.

Ibid.

LXX. interpretes vertunt: *Fecit spinas.* Caueat ne vua illius sit vua fellis, & botri illius sint amarissimi, ne vinum sit fel draconum, & venenum aspidum insanabile; caueat peccata, quæ spinis & amarissimis botris similia sunt; caueat mala opera, quæ similia sunt felli draconum, venenoque aspidis insanabili. Ignem tartareum sibi ante oculos proponat, in quem vineæ, quæ malos fructus ferunt, coniiciuntur, vt ardeant in sempiternum, iuxta illud Matth. 7. *Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur.*

Matth. 7.

CAPVT XIX.

MORALE.

De Cantico Mosis.

Nonne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis?

1 Videntur peccatori insipienti peccata præterire, postquam facta sunt, quia Deus illa statim non punit, cùm perpetrantur: at non prætereunt, sed in thesauris diuinæ iustitiæ reponuntur, vt puniantur. Hinc illud D. Bernardi in serm. de conuersione ad Clericos, cap. 15. Non transeunt, inquit, vt videntur opera nostra, sed temporalia quæque, velut æternitatis semina, iaciuntur, &c. Semina sunt opera nostra, & semina quidem æternitatis; quæ non transeunt, sed vel æternam gloriam, vel æternum proferunt supplicium. Quemadmodum recondita sub terra semina suo tempore se proferunt: ita recondita in thesauris Dei, bona, & mala opera suo tempore se ostendunt. Ex modico semine ingens arbor nascitur: sic ex bono opere modico ingens gloria exoritur, & ex peccato quod peccatori modicum videtur, ingens supplicium producitur. Quamobrem D. Bernard. eodem loco sic ait: Stupebit insipiẽs, cùm ex hoc modico semine copiosam viderit exurgere messem, seu bonam, seu malam, pro diuersitate sementis, &c. Prouideamus hanc messem, si peccata volumus effugere, & operibus bonis operam nauare, ne coniiciamus oculos in paruitatem seminis, sed in fructum, quem profert. Idcirco addit D. Bernardus: Hoc qui cogitat, nullum parium reputat esse peccatum, quòd futuram messem potius æstimet, quàm sementem, &c. Habet Deus thesauros misericordiæ, in quibus recondit bona opera nostra, iuxta illud Matth. 6. *Thesaurizate vobis thesauros in cælo.* Thesauri hi misericordiæ sunt, habet quoque Deus thesauros iræ, & iustitiæ punientis, in quibus recondit peccata. Paulus ad Roman. 2. *Secundùm* (inquit) *duriciem tuam, & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram. Nonne hæc* (ait Dominus) *condita sunt apud me, & signata in thesauris meis?* Habebat Deus peccata Israelitarum recondita in thesauris, & signata: similem in modum Iob 14. *Signasti*, inquit, *quasi in sacculo peccata mea.* Velut sigillo munita, habet Deus quasi in sacculo peccata, nemo potest illa surripere. Pœnitentia tamen reconditos & signatos thesauros, ac sacculos aperit, sigilla aufert, peccata tollit, & abolet; ipso Deo thesauros, sacculosque suos spoliari cernente, atque exultante.

Peccata nostra reponuntur in thesauris Dei, vt puniantur. D. Bernard.

D. Bernard.

Matth. 6.

Ad Rom. 2.

Iob 14.

Pœnitentia peccata recondita in thesauris Dei aufert, & delet.

Mea est vltio.

2 Misericors est Deus, sed etiam iustus, & peccatorum vltor; parcit vt misericors, vlciscitur vt iustus. *Mea*, inquit, *est vltio, & ego retribuam in tempore.* Tempus vlciscendi est, quamdiu peccator viuit, quòd si pœnitentiam non agat, tempus vlciscendi est in morte. Infœlix ille peccator, cuius peccata Deus in hoc tẽpore non vlciscitur. Etenim, vt ait S. August. in epist. ad Marcellinum: Nihil est infœlicius impunitate peccantium, qua pœnalis nutritur iniquitas, & mala voluntas, velut hostis interior, roboratur, &c. Peccatorum impunitas in hoc tempore, indicium est vltionis æternæ in tartari æternitate. Ad illa verba Iob 35. *Nunc non infert Deus furorem suum, nec vlciscitur valde scelus.* D. Gregor. Diu, inquit, Deus tolerat, quia in perpetuum damnat, & furorem nunc inferre dissimulat, quia effundendum sine fine in posterum seruat, &c. Item eodem capite: Quisquis bonorum vitam persequitur, tunc peiore vltione damnatur, cùm nulla ei aduersitate resistitur: & tunc fortioris iræ periculis subiacet, cùm prosperè peragit, quod nequiter concupiscit. Quia videlicet vindicta superni iudicij, ad futurum eum supplicium reseruando deseruit, cui hic in malo obuiare contempsit. Idem eodem loco: Manifestum perditionis indicium est, quando affectatis iniquitatibus subsequens fauet effectus, & nulla contrarietas impedit, quod mens peruersa concepit, &c. Sic D. Gregor. Psalmo 93. *Deus vltionum Dominus.* Hebraicè priori loco est nomen, *el*, posteriori, *Iehoua.* Itaque Deus, etsi misericors sit, est tamen iustus, & Deus vltionum, furoremque habens in impios. Nahum 1. *Vlciscens Dominus, vlciscens Dominus, & habens furorẽ, vlciscens Dominus in hostes suos, & irascens inimicis suis*, &c. Augustinus lib. quinquaginta homiliarum, homil. 21. Iustus, ait, est Deus, & odit peccata; si iustus est, vindicat in peccata. Non poteris à Deo auferre iustitiam, implora misericordiam? sed attende iustitiam. Misericordia est, vt ignoscat peccanti, iustitia est, vt puniat peccatum, &c. *Deus vltionum Dominus*; additur in Psalmo: & *liberè egit*, &c. Nemo ei resistere potest, liberè nemine obstante puniet, quem punire volet; nemo illum poterit ex supplicio eripere. *Videte* (ait in hoc Cantico) *quod ego sim solus, & non sit alius Deus præter me. Ego occidam, & ego viuere faciam, percutiam, & ego sanabo, & non est, qui de manu mea possit eruere; si acuero, vt fulgur, gladium meum, & arripuerit iudicium manus mea, reddam vltionem hostibus meis, & iis qui oderunt me retribuam.*

Infœlix est peccator, quẽ Deus hic non punit. D. August.

Iob 35.

D. Gregor.

B

Deus est misericors, & iustus. Nahum 1. D. August.

D

D. Paul. ad Romanos 12. verbis Mosis vtitur, vt suadeat, non esse expectandam vltionem iniuriæ: *Non vos*, inquit, *defendentes* (id est, non vos vindicãtes) *charissimi, sed date locum iræ, scriptum est enim; mihi vindicta, & ego retribuam, dicit Dominus.* Non vlciscamini iniurias vobis illatas, sed date locum iræ hominis, qui in vos iratus est, cedite illi, discedite, ne contendatis cum irato; quia sicut ex collisione lapidum ignis exardescit, sic ex contentione hominum exardescit iracundia. Ambros. lib. 1. offic. cap. 27. Noli respondere, inquit, irato ad iracundiam eius, siue imprudenti ad imprudentiam eius. Citò culpa culpã excutit: si lapides teras, nonne ignis erumpit? &c. Dandus est locus iræ, cum irato non contendendo, sed non dimittendus locus noster, id est, locus patientiæ, vt Ambrosius eodem loco suadet: Si præuenerit, (inquit) &

3 Ad Rom. 12. Non est expectenda vltio.

E

D. Ambros.

D. Ambros.

& præoccupauerit mentem tuam iracundia, & ascenderit in te, non relinquas locum tuum.

Patientia seruanda in iniuriis.

Locus tuus patientia est, locus tuus sapientia est, locus tuus ratio est, locus tuus sedatio indignationis est. Aut si te respondentis contumacia mouerit, & peruersitas impulerit ad indignationem, si non potueris mitigare mentem, reprime linguam tuam. Sic Ambrosius.

Psalm. 38. D. Hieron. Psal. 4. D. Ambros.

Psalm. 38. *Posui ori meo custodiam, cùm consisteret peccator aduersùm me*, &c. D. Hieron. vertit: *Custodiam os meum silentio*. Psalmo 4. *Irascimini, & nolite peccare*. D. Ambrosius eodem loco sic interpretatur: Si irascimini, (inquit) nolite peccare, sed vincite ratione iracundiam, &c. Addit aliam interpretationem: Si irascimini, vobis irascimini, quia commoti estis, & non peccabitis. Qui enim sibi irascitur, quia citò commotus est, desinit irasci alteri; qui autem vult iram suam iustam probare, plus inflammatur, & citò in culpam cadit. Hæc ille.

4 *D. Chrysost.*

Aliter locus ille explicatur à D. Chrysostomo & aliis: *Date locum iræ*, videlicet diuinæ, in hanc sententiam; nolite expetere vindictam, sed date locum iræ Dei, Deo vltionem relinquite, quia ad illum vltio pertinet, qui ait: *Mea est vltio, & ego retribuam*. Non est vestra vltio, sed Dei, ideo non est à vobis vsurpanda, sed Deo relinquenda. Ne præripiat homo Dei officium. Iniurias remittere hominis est, maximè Christiani, Dei est, vlcisci peccata. *Noli vinci à malo*, ô Christiane (ait Apostolus loco citato) *sed vince in bono malum*. Vincitur Christianus à malo, cùm ab iniuria superatur, & vltionem exquirit. Vincit autem in bono malum tunc, cùm mansuetudine, patientia, & beneficiis de iniuriis triumphat, iuxta illud eiusdem Pauli: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum; si sitit, potum da illi*, &c.

Vincendæ iniuriæ beneficiis. Valer. Max.

Valer. Max. lib 4. cap. 2. Speciosius (inquit) iniuriæ beneficiis vincuntur, quàm mutui odij pertinacia pensantur, &c. Eodem loco M. Tullium laudat, quòd beneficiis vicerit Gabinium, & Vatinium. Nam Gabinium repetundarum reum defendit, qui eum in consulatu suo vrbe expulerat: Vatinium verò dignitati ipsius semper infestum, duobus publicis iudiciis tutatus est. Certamen est homini cum iniuriis; attamen certandum aduersùs eas non similibus iniuriis, sed sagittis beneficiorum, quæ cor aduersarij vulnerent amore, & vincant.

Seneca.

Seneca lib. 2. de ira, cap. 32. Non est, inquit, honestum, vt beneficiis merita meritis repensare, ita iniurias iniuriis. Illic vinci turpe est, hic vincere, &c. Turpissima sanè victoria est, quam ille refert, qui alterum iniuriis vincit. Non equidem vincit, sed vincitur. Quamobrem Demosthenes, cùm à quodam conuiciis afficeretur: Committor, inquit, in certamen, in quo, qui superior euaserit, inferior est & qui vicerit, victus est, &c. Præclarus triumphus est, quem ille reportat, qui iniurias iactantem patientia superat.

D. Chrysost.

D. Chrysost. homil. 85. in Matth. Læsus, inquit, si magno animo perfert iniuriam, quanquam victus videatur, coronam tamen splendidam adeptus est. Sæpe vinci, quàm vincere, præstantius est. Optimus profectò iste victoriæ est modus, &c. Item: Illa fulgentissima victoria est, qua inferentem patiendo superamus. Hæc Chrysost.

Seneca.

Seneca lib. 2. de ira, cap. 32. Magni animi est, iniurias despicere, &c. Ille magnus, & nobilis est, qui more magnæ feræ, latratus minutorum canum securus obaudit, &c. Magna fera minutorum canum latratus despicit: sic magnus vir hominum iniurias contemnit. Marcum Catonem (ait Seneca) quidam percussit imprudens, postea satisfacienti percussori respondit Cato: non memini me fuisse percussum. Melius putauit Cato, non agnoscere, quàm vindicare, &c. De Dione narratur, à maledico quodam multis contumeliis fuisse affectum: at ille tacebat. Ingressurum iam domum conuiciator rogauit: nihil respondes? At Dion: Ne (inquit) gry quidem, hoc est, ne vnum quidem verbum respondeo. Despexit magna fera minuti canis latratum. Percussus est calce à quodam Socrates, monitus ab vno assectatorum, vt percutientem repercuteret, respondit: si asinus mihi calcem impegisset, numquid in eum recalcitrarem? Aristippus conspputus à Dionysio tyranno, tulit æquo animo. Cùm verò quidam eam ignominiam illi exprobraret, respondit: Piscatores, vt gobium capiant, non ægrè ferunt à mari aspergi, & ego, vt balenam capiam, non patiar excrementis oris illius aspergi? Tolerauit ille æquo animo à Dionysio conspui, vt balenam illam caperet: nos æquissimo animo toleremus iniurias omnes, vt cælestem capiamus gloriam. *Mea est vltio* (ait Dominus) quod Dei est, Deo relinquamus; nemo iniurias vlciscatur, vel filios, & consanguineos eas vlcisci patiatur. Perpetuæ obliuioni iniuriæ, beneficia verò perpetuæ mandentur memoriæ. Vt narrat Ælianus, Phocion, vir clarissimus, ab Atheniensibus veneno occisus est, cùm verò iam lictor poculum obtulisset, interrogauerunt propinqui, & familiares, qui aderant, quidnam filio mandaret? respondit: mādo ei hoc, vt obliuiscatur potus huius, quem nunc ab Atheniensibus oblatum bibo.

5 *Reges & magistratus potestatem habent à Deo. Ad Rom. 13. Sap. 6.*

Quòd si quis dicat, non omnem vltionem esse Dei, eo quòd regum, & magistratuum officium sit, iniurias vlcisci; attendat, Reges, & magistratus à Deo hanc habere potestatem & vices Dei gerere, iuxta illud Pauli ad Roman. 13. *Non est potestas, nisi à Deo*. Et illud Sapient. 6. *Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum, quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab altissimo* (Græcè, κράτησις, καὶ δυναστεία) *qui interrogabit opera vestra*. Mea est vltio, ait Dominus; in Reges terræ, & magistratus à me emanauit. Si ex fonte aliquo emanat flumen, & stagna; dicere potest fons: mea est aqua, quoniam ab illo emanat; eundem in modum, quia ex Deo veluti fonte, emanat potestas Regum, & magistratuum, ad vlciscendas legitimè populi iniurias, ait Dominus: *mea est vltio*. Præter hæc, Reges, & magistratus vltionem sumere possunt in hac vita, post hanc vitam Dei est illa vltio tartari sempiterna. De hac verissimè dicit: *Mea est vltio*. hoc est, nullus Rex, aut iudex potest vltionem sumere æternam. hæc vltio mea est. Præterea Reges, & magistratus à corpore vltionem sumunt; at Deus à corpore, & anima: *Mea*, inquit, *est vltio*, qua non solùm à corpore sumitur supplicium debitum, & iustum, sed etiam ex anima, & ego retribuam secundùm merita.

Iuxta est dies perditionis, & adesse festinant tempora.

6

Ne putet quisquam, nouissimorū, & vltionis diem multùm distare; nam propè est dies perditionis, & tempora festinant, secundùm Poëtā:

Tempora labuntur, tacitisq; senescimus annis,
Et fugiunt fræno non remorante dies.

Tempus festinat valde. Seneca. D. August.

Nemo dies potest fræno retinere, velocissimè volant, nemine cohibente. Seneca temporis velocitatem infinitam appellat, epist. 50. Infinita, inquit, est velocitas temporis, &c. August. Psalmo 36. Si toto illo tempore viueres, ex quo Adam de paradiso dimissus est, vsque in hodiernum diem; certè videres vitam tuam non fuisse diuturnam, quæ sic euolasset. Vniuscuiusque hominis vita quanta est? Adde quantollibet annos, duc longissimam senectutem, quid est? nónne aura est matutina? &c.

Vita breuis est. D. Gregor.

Et D. Gregor. lib. 15. moral. cap. 19. Omnis, inquit, longitudo temporis vitæ præsentis, punctus esse cognoscitur, cùm terminatur fine. Cùm enim ad extremum quisq; perducitur, de præterito iam nihil tenet, in futuro nihil habet. Vita ergo quæ sic angustari potuit, punctus est, &c.

Punctum est vita. Seneca.

Seneca in epist. 50. Punctum, inquit, est, quod viuimus, & adhuc puncto minus, &c.

7 *Tempus maximè festinat, & summo cum silentio. Seneca.*

Velocissimè festinat tempus, & magno cum silentio festinat, idcirco Poeta tacitos vocauit annos: *Tacitis*, inquit, *senescimus annis*. Magno enim cum silentio properant, abeunt, & desinunt. Seneca lib. de breuitate vitæ, cap. 8. Ibit, ait, qua cœpit ætas, neque cursum suum, aut reuocabit, aut supprimet. Nihil autem tumultuabitur, nihil admonebit velocitatis suæ, tacita labetur, &c. Sicut cælum tacitè mouetur, sic tempus. Nemo videt moueri cælum, cùm tamen velocissimè moueatur: sic nemo videt transire tempus quamuis velocissimè volet.

Seneca.

Seneca lib. 1. naturalium quæst. cap. 3. Solem, inquit, quem velocissimum esse scimus, nemo nostrûm videt moueri, neque ire crederemus, nisi appareret iuisse, &c. Nemo videt moueri solem, nemo etiam videt volare tempus velocissimum.

Consideratione opus est, vt temporis breuitas percipiatur. Psalm. 102. Psalm. 98.

Consideratione opus est, vt temporis taciti festinationem, ac breuitatem intelligamus, spretisque breuibus ac caducis bonis æterna bona quæramus. Consideremus illud Psalmi 102. *Homo sicut fænum dies eius, tanquam flos agri sic efflorebit*. Et illud Psal. 98. *Quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt*: hoc est, anni hominum similes sunt iis rebus, quæ pro nihilo habentur; quia pauci, & breues, ac penè nihil sunt.

D. August. Breuitas vitæ nostræ.

Pro nihilo habentur (ait Augustinus) quæ antequam veniant, adhuc non sunt: cùm venerint, iam non erunt. Non enim vt adsint, veniūt, sed vt non sint, &c. Huiusmodi est tempus, antequam veniat, non est: cùm venit, iam non erit; non enim venit, vt permaneat, sed vt statim auolet.

Ibid. Iob 14. Isaiæ 40.

Additur in Psalmo: *Manè sicut herba transeat, manè floreat & transeat, vespere decidat, induret & arescat*. Similis est homo flori, iuxta illud Iob 14. *Homo quasi flos egreditur*. Et Esaiæ 40. *Omnis caro fænum, & omnis gloria eius quasi flos agri*, &c.

D. August. Caduca omnia sunt flos fæni. Caduca omnia euanescūt breui tēpore. Psal. 36.

D. Augustinus Psalmo 102. Totus, inquit, splendor generis humani, honores, potestates, diuitię, typhi, minæ, tumores, flos est fæni, &c. Non permanet flos hic in suo virore, & amœnitate, sed transit, breuique temporis spatio arescit, induratur, & decidit. Vt interpretatur Augustin. decidit in mortem, durescit in cadauere, arescit in puluere. Psal. 36. *Vidi impium super exaltatum, & eleuatum super cedros Libani, transiui, & ecce non erat*.

Origenes.

In hunc locum sic scribit Origenes: Cùm videmus extolli impios, & in nimiam superbiam crescere, transeamus nos mente, & intellectu ab iis, quæ videntur, & temporalia sunt; & transferamus sensum nostrum ad ea, quæ non videntur, & æterna sunt. Cogitemus temporalia hæc esse, & paucorum dierum, quæ videntur elata. Sic Origenes. Consideremus omnia, vt aquam fluminis in mare festinare, & vt fercula in pompa transire omnia, oculosque inconsideratorum hominum fallere, quemadmodū fluminis aqua oculos fallit. Videtur aqua fluminis stare, cùm tamen non stet, sed perpetuò in mare defluat; sic tempus, & vita hominis imprudentis oculos decipiunt, videnturque ei stare, cùm tamen non stent, sed perpetuò fluant.

Philo.

Philo in lib. de Ioseph: Cuncta, inquit, vmbris, spectrisque sunt similia, & sicut cùm pompæ traducuntur, prima quæque conspectum prætereunt. Item, in torrentibus, fallente visum celeritate, vnde prętersluunt; sic vitæ negotia currentia, prætei labentiaque videntur manere, cùm ne momentum quidem maneant, nunquam non subterfluentia, &c.

1. Corinth. 7.

Paulus 1. Corinth. 7. temporis festinationem, & breuitatem considerandam docet; ex eaque infert, caduca omnia, & temporalia pro nihilo ducenda. *Tempus*, ait, *breue est*. Deinde infert: *Reliquum est, vt & qui habent vxores, tanquam non habentes sint, & qui flent, tanquam non flentes, & qui gaudent, tanquam non gaudentes, & qui emunt, tanquam non possidentes, & qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtantur. Præterit enim figura huius mundi*. Expende, quæso, quid inferat Paulus ex breuitate, & velocitate temporis;

Tempus breue nos admonet caduca spernere.

videlicet infert, nos sic oportere viuere, ac si mundus hic, & res caducæ penitus non essent, siquidem mundus & res caducæ velociter transeunt, & iuxta est dies perditionis, & adesse festinant tempora. Qui flent, (inquit) sic se habeant, ac si fletus ille non sit, hoc est, qui aduersis vtuntur rebus & amaris lachrymis vultum irrigant, considerent tempora festinare; sic se habeant quasi non sint res aduersæ, quia mox transituræ sunt. *Qui gaudent, tanquam non gaudentes*. hoc est, qui prosperis rebus fruuntur, cogitent *iuxta esse diem perditionis*; moxque prosperitatem, veluti nubem, siue fumum, in nihilum redigendam: sicque viuant, ac si transacta iam esset.

8 *Festinat tempus festinemus nos quoque ad pœnitentiam. Ecclesiast. 5.*

Si iuxta est dies perditionis, & adesse festinant tempora perditionis; adesse quoque festinent tempora salutis, & pœnitentiæ, quæ à perditione festinante nos liberet. Ecclesiast. 5. *Non tardes*, ait, *conuerti ad Dominum, & ne differas de die in diem: subito enim veniet ira illius, & in tempore vindictæ disperdet te*. Quasi dicat, festinat tempus perditionis, tu ne tardes, sed festina & curre ad pœnitentiam. Si enim tardaueris, subitò veniet dies perditionis, & vindictæ, & disperdet te ira Dei.

Seneca.

Audiamus Senecam libr. de breuit. vitæ, cap. 8. Cum celeritate, inquit, temporis, vtendi velocitate certandum est, velut ex torrente rapido, neque semper casuro citò hauriendum est, &c. Certemus ergo cum ipsa temporis velocitate, *adesse festinant tempora perditionis*: nos pœnitentiam agere, & bona semper opera facere festinemus.

9 *Bonis operibus tempus volans retinetur.*

Volat tempus, retineri non potest: at est modus quidam eximius, quo retinetur, nimirum bonorum operum mercede retinetur, & permanet. Si enim non permanet tempus, permanet præmium operum, quæ in tempore fiunt; permanent etiam mala, iuxta illud: *Nónne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis?*

D. Gregor.

D. Gregor. homil. 13. in Euangel. Quia (inquit) momen-

momentis suis horæ fugiunt; agite fratres, vt in boni operis mercede teneantur, &c. Omnia opera nostra transeunt cum tempore, sed permanent per gloriam, vel supplicium, in æternitate. Ideo D. Bernard. in serm. de conuersione ad Clericos, cap. 15. ea vocat semina æternitatis. Temporalia, quæque (inquit ille) velut æternitatis semina iaciuntur, &c. Semina sunt æternitatis, quia æterna præmia, vel supplicia producunt.

D. Bernard. Bona opera semina sunt æternitatis.

CAPVT XX.

MORALE.

De Cantico Mosis.

1 *De tempore Christi Cantici breuis explanatio.* *Ad Rom. 10.* *Ad Rom. 15.*

DE tempore Christi loqui Mosem in hoc Cantico, constat ex D. Paulo ad Rom. 10. quo capite hæc verba Cantici citat de tempore Christi: *Ipsi me prouocauerunt in eo, qui non erat Deus*, &c. Item illa ad Roman. 15. *Laudate gentes populum eius*, &c. Sequitur tamen versionem LXX. interpretum: Libet ergo breuem Cantici explanationem addere de tempore Christi. Ait itaque Moses: *O cæli, & terra, audite quæ loquor.* sum enim de magnis rebus locuturus. *Dei opera sunt perfecta.* Idcirco mundum, propter peccatum imperfectum, non relinquet imperfectum, sed per aduentum Messiæ perficiet: *Omnes viæ Domini iudicia.* Iudicium igitur faciet, illud videlicet, de quo loquitur Ioan. 17. *Nunc iudicium est mundi, nunc Princeps huius mundi eiicietur foras. Fidelis est Deus, & absque vlla iniquitate iustus & rectus.* Quamobrem peccata hominum vlciscetur, sed inaudito vltionis modo vlciscetur, videlicet tradet filium, vt seruos redimat peccatores. Peccauerunt ei Israelitæ, non iam filij eius, in sordibus idolorum, & in sordibus inuidiæ. & odij, quo occiderunt Messiam. Rupertus: Peccauerunt, inquit, in sordibus idolorum, tandemque peccauerunt in sordibus Barabbæ latronis, quẽ sibi dimitti petiuerunt, &c. LXX. interpretes vertunt: *Peccauerunt ei filij vituperabiles maximè*, quia & idola coluerunt, & tandem Messiam vita priuarunt, & pro bonis cælestibus, quæ illis largiebatur, mala retribuerunt. *Hæccine reddis Domino, populе Israel insipiens?* Dominum cruci affigis, populе stulte? Numquid non ipse quem cruci affigis, est Pater tuus, qui possedit, & fecit, & creauit te? qui in te summa beneficia contulit, qui te in suum peculiarem populum, in suam partem, & hæreditatem asciuit, qui te per desertum quadraginta annis circumduxit, & quasi oculi pupillam custodiuit, qui instar aquilæ te ad relinquendam Ægyptum stupẽdis miraculis prouocauit, alasque suas expandit, & in illis te portauit, qui in terram repromissionis perduxit, lacte & melle manantem. Incrassatus est terrę pinguedine populus Israeliticus, recalcitrauit, Deum reliquit creatorem suum colens idola, & recessit à Deo salutari, id est, saluatore suo, scilicet à vero Messia. Rupertus: Antequam veniret Deus in mundum, vt homines saluaret, dereliquit populus Deum factorem suum, & postquam venit, à Deo saluatore suo recessit.

Ioan. 17.

Deus peccata mundi vltus est admirabili vltione.

Messiam occiderunt Israelitæ.

Rupertus.

Ibem.

A

Et ait Dominus: Abscondam faciem meam à Iudæis, non ostendam illis lucem vultus mei, & fauorem, *& considerabo nouissima eorum*, id est, nouissimam eorum ruinã, & euersionem, quam inferent Romani. Abscondam faciem meam ab eis, quia me non cognoscent Deum & Messiam verum. Prouocauerunt me ad iram cultu idolorum, & Messiæ cæde. Ipsi prouocauerunt me in cultu idolorum, quæ non sunt dij, & ego prouocabo illos in populo gentium, qui nunc non est populus meus, sed est stultus populus, simulachra inania adorans. Israelitas enim abiiciam, ac repudiabo, neque erunt populus meus: gentes vocabo, & assumam, eruntq; mihi populus dilectus, prouocabiturque in iram & inuidiam populus repudiatus. Theodoretus: Pungit, inquit, Iudæos Christianorum religio, & splendor, & in inuidiam prouocat, &c. Est enim Ecclesiæ admirabilis splendor in diuinis, & humanis rebus: at Iudæorum magna est in orbe abiectio. In hanc sententiam hæc verba explicat D. Paulus ad Roman. 10. de temporibus Christi, vt suprà diximus, post hæc de supplicio Israelitarum agitur.

Iudæos Deus repudiauit, gentes elegit.

B

Theodoret.

3 *Supplicium Iudæorum propter eadem Messiæ.*

Distulit Deus supplicium extremum, quo illorum Rempubl. euertit omnino, eosque repudiauit, vsque ad cædem Messiæ. *Propter iram* (inquit) *inimicorum distuli*, &c. Postquam Messiam occiderunt, distulit per annos quadraginta pœnitentiam expectans, tandem ingrati populi, ac scelerati Rempubl. in æternum aboleuit. *Mea*, inquit, *est vltio, & ego retribuam in tempore, vt labatur pes eorum*; supplicũ distulit Deus, tamen in tempore destinato illud sumpsit, diruta ciuitate Ierusalem, & euerso penitus regno Iudæorum. Iudicabit Dominus populum suum Israelem, & puniuit, *& in seruis suis*, quos ex illo vocauit, *misertus est*, videlicet in Apostolis, & multis aliis Iudæis, quos propter misericordiam suam elegit, & fide sua, ac charitate donauit. Theodoretus sic interpretatur: Populum suum Iudæorum Deus iudicabit, & condemnabit, & in seruis suis miserebitur, id est, miserebitur iis, qui ex gentibus credent. Tandem hortatur gentes Moses, vt laudent populum Israeliticum, ex quo illis summum bonum Messias est natus, iuxta illud Ioan. 4. *Salus ex Iudæis est.* hoc est, Saluator, qui mundo salutem attulit, ex Iudæis est ortus, &c. vt suprà explicauimus. Theodoretus versionem LXX. interpretum sic exponit: Lætamini gentes cum plebe Iudæorum, quia factum est vnum ouile ex Iudæis & gentibus, & vnus pastor Christus. *Quia sanguinem seruorum suorum vlciscetur*, illorum videlicet, de quibus Matth. 23. Dominus ait: *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & sapientes, & scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in synagogis vestris, & persequemini de ciuitate in ciuitatem, vt veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti vsque ad sanguinem Zachariæ.* Vindicatus est igitur sanguis, (ait Theodoretus) & ipsa metropolis Iudæorum Ierusalem euersa est: templum verò solo æquatum est, & ipsi captiui facti sunt, & erones, & reddidit illis Deus pro merito exigens ab eis pœnas peccatorum. Sic ille.

Theodoret.

Ioan. 4.

Theodoret.

Matth. 23.

C

E

D

LIBER DECIMVS.

CAPVT I.

De benedictionibus Mosis, & Iacob.

DEVTERONOMII CAP. XXXIII.

1 HÆc est benedictio, qua benedixit Moyses, homo Dei, filiis Israel ante mortem suam.
Et ait: Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus est nobis: apparuit de monte Pharan, & cum eo sanctorum millia. In dextera eius ignea lex.
Dilexit populos, omnes sancti in manu illius sunt: & qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius.
Legem præcepit nobis Moyses, hereditatem multitudinis Iacob.
Erit apud rectissimum rex, congregatis principibus populi cum tribubus Israel.

Hæc est benedictio, qua benedixit Moyses, homo Dei, filis Israel ante mortem suam.

2 IAcob, cùm iam in extremo esset spiritu, filiis suis benedixit: Moses quoque antequam iussu Dei ex vita discederet, benedixit tribubus Israel. De benedictionibus Mosis breuiter agemus & benedictiones Iacob illis adiungemus. Omnes benedictiones vocat Moses benedictionem: *Hæc*, inquit, *est benedictio, qua benedixit Moses, homo Dei, filiis Israel ante mortem suam.* Ponitur pro numero numerus; pro numero multitudinis, numerus vsurpatur vnitatis. Moses verò appellatur *homo Dei.* Chaldæus appellat *prophetam Dei*; Benedixisse autem Mosem filiis Israel, ipsa benedictionum verba ostendunt: Iacob autem aliis benedictionibus benedixisse filiis, quæ non sunt scriptæ, existimant Lyranus, & Abulensis. Quod probatur ex verbis Genes. 49. *Hæc*, inquit Moses, *locutus est Pater, benedixitq; singulis benedictionibus propriis.* Videlicet benedictionibus distinctis ab iis, quæ locutus erat. Præterea benedictio est fausta bonorum imprecatio: Iacob autem non impreeatur bona, sed prædicit ventura. Verba verò quibus Ruben, Simeon, & Leui benedicit, ad maledictionem potius, quàm ad benedictionem pertinere videntur. Quid ergo sunt illæ quæ appellantur *benedictiones Iacob*? Respondetur, esse quasdam enuntiationes futurorum. Quod indicant verba Iacob dicentis, Gen. 49. *Congregamini, vt annuntiem, quæ ventura sunt vobis in diebus nouissimis*, &c. Non ait: Congregamini, vt benedicam vobis, sed, vt futura vobis annuntiem: ergo futurorum sunt annuntiationes. Accepto tamen latè nomine, appellari solent benedictiones. D. Ambros. in lib. de benedict. cap. 2. loquens de benedictione Ruben: Prophetia, inquit, est magis quàm benedictio. Propheria enim annuntiatio est futurorum: benedictio autem sanctificationis, & gratiarum votiua collatio. Sic ille. Et Theodoretus quæstione vltima in Genesin: Postrema, inquit, verba Iacob, neque benedictiones sunt, neque maledictiones, sed prophetia, &c. Lyranus: Postquam, inquit, Iacob filiis prædixerat futura, imprecatus est eis bona, & sic benedixit eis, &c.

Genes. 49.

Genes. 49.

D. Ambros.

A

Theodoret.

Lyranus.

Dominus de Sinai venit, & de Seir ortus est nobis.

Præmittit Moses benedictionibus quandam veluti præfationem, in laudem legis populo datæ in monte Sinai: *Dominus*, inquit, *de Sinai venit, & de Seir ortus est nobis: apparuit de monte Pharan, & cum eo sanctorum millia. In dextera eius ignea lex.* Primus horum verborum sensus est Hebræorum, qui, vt refert Magister histor. & Lyranus, aiunt legem priùs oblatam esse à Deo Idumæis, & Ismaelitis, à quibus cùm non esset accepta, Israelitarum populo illam dedit. Sensus huiusmodi est: Dominus de Sinai venit ad nos, ibique legem nobis dedit: de monte veniens Seir, id est, de Idumæis qui montem Seir colunt, *ortus est nobis*, & apparuit de monte Pharan, quem Ismaelitæ obtinent. Quia Idumæis & Ismaelitis priùs legem obtulit, quam illi accipere recusarunt. Hanc opinionem sequitur Dionys. Carthus. Vt apparet, (inquit) lex primò fuit Idumæis, & Ismaelitis oblata, tanquam natis ex primogenitis Abraham, & Isaac, ne conqueri, & excusare se possent, atque vt Dominus declararet, se pro illorum conuersione fecisse, quod in se erat. Hæc ille. Attamen explodendum videtur hoc commẽtum. Lex enim vetus solis Israelitis à Deo data est, ex quibus Christus erat nasciturus, nullisque aliis nationibus oblata à Deo. Secundus sensus est Lyrani: *Dominus de Sinai venit*, ad dandam legem, *& de Seir ortus est nobis*, quia Incarnationis Christi figuram ostendit Mosi, & Israelitis, cùm circuirent montem Seir, Numer. 21. videlicet serpentem æneum; quem à serpentibus vulnerati aspicien-

3

B

Dionys. Carthus.

C

Lyranus.

aspicientes sanitati restituebantur. Verba Lyrani hæc sunt: Dixit Moses: *De Seir ortus est nobis.* Quia in circuitu montis Seir reuelatum fuit ei beneficium Incarnationis Christi, & passionis. Sic ille. Dixit autem Moses; *Apparuit*
Numer. 10. *de monte Pharan*, quia, vt legitur Numer. 10. post discessum ex monte Sinai, requieuit nubes in deserto Pharan; tunc dedit Deus coturnicum carnes populo, Numer. 11. & septuaginta viros spiritu suo impleuit, vt Mosen iuuarent. Propter illud beneficium, ait Lyranus, dixit Moses: *Apparuit de monte Pharan*, illuminando septuaginta senes.

4 Lyranum sequitur Abulensis, Paulus Burgensis, & Ribera, in illud Abacuc 3. At verba ipsa aduentum Dei indicant multis Angelorum millibus circumsepti, ferentisque legem tradendam Israelitis. Est ergo tertius sensus probabilior, & facilior. Vidit Moses cùm esset in monte Sinai, & alij viri probi Deum venientem in montem Sinai, ea ex parte, in qua erat mons Seir, & mons Pharan, comitatum multis Angelorum millibus, ferentem in dextera manu legem igneam. Ideoque ait: *Dominus de Sinai monte venit ad nos, vt daret nobis legem, & de Seir ortus est nobis, & apparuit de monte Pharan.* Quia ex his montibus venire visus est in montem Sinai, & cum eo sanctorum Angelorum millia. Caietanus Deum sic apparuisse putat Mosi, & eius sociis, cùm iussit eos in montem Sinai
Exod. 24. ascendere. Exodi 24. *Ascenderunt Moyses, & Aaron, Nadab, & Abiu, & septuaginta de senioribus Israel, & viderunt Deum Israel. Et sub pedibus eius quasi opus lapidis sapphirini, & quasi cælum, cùm serenum est.* Vero similius est sic apparuisse, cùm primùm in montem Sinai descendit magna cum maiestate. Simile est illud cantici Debboræ, & Barac, Iud. 5. *Do-*
Iud. 5. *mine, cùm exires de Seir, & transires per regiones Edom, terra mota est, cælique ac nubes distillauerunt aquis; montes fluxerunt à facie Domini, & Sinai à facie Domini Dei Israel.* Videbatur ergo Deus exire de Seir, & de Idumæa & venire in montem Sinai, distillantibus montibus propter eius maiestatem.

In dextera eius ignea lex.

5 Apparuit Deus, vel angelus vice Dei, summa cum maiestate, vt autem legem commendaret maximè, in dextera manu illam ferebat igne fulgentem. Nam lex Dei similis igni est; illuminat ignis, & comburit: sic lex illuminat
Psalm. 118. homines, iuxta illud Psalmi 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* Præterea si non custodiatur, igne gehennali illos comburit. Iudæi nonnulli illa verba: *Cùm eo sanctorum millia*; de prophetis, & doctoribus exponunt. Existimarunt enim in monte Sinai, cùm lex daretur, fuisse cum Deo animas Prophetarum, atque ibi sua accepisse vaticinia; fuisse quoque aiunt aliquos Rabbinos. has nugas omitto.

Dilexit populos.

6 Dilexit Deus populos Israelitarum. Chaldæus vertit: *Dilexit tribus.* Sumuntur enim populi pro tribubus Israel. LXX. quoque interpretes hæc verba ad populum Israel referunt, & ita vertunt: Pepercit populo suo. Sequentia verba similiter ad Israelitas pertinent: *Et omnes sancti in manu illius sunt.* Chaldæus sic:

A Dilexit tribus, & omnes sanctos domus Israel, &c. Sensus est: Omnes sancti domus Israel in manu Dei sunt, id est, in tutela Dei, & in protectione eius peculiari, iuxta illud Sapient. 3. *Iustorum animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos tormentum mortis.* Psalm. 94. *Nos populus pa-* Sapient. 3. Psalm. 94.
scuæ eius, & oues manus eius. Dicitur autem populus, grex manus Dei, siue oues manus Dei quia Deus, velut pastor, manu sua illas ducit, ac reducit, regit, pascit, & tuetur. Sequitur: *Et* Ibidem.
qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina eius. Discipuli pedibus magistri appropinquantes accipiunt doctrinam eius. Vnde Paulus Act. 22. *Ego*, inquit, *sum nutritus in ista ciui-* Actor. 22.
B *tate secus pedes Gamaliel, eruditus iuxta veritatem paternæ legis.* Et Lucæ 10. *Magdalena sedens secus* Luc. 10.
pedes Domini audiebat verbum illius. Philo in li- Philo.
bro, cui titulus est: Quòd omnis probus sit liber loquens de Essæis: Quoties (inquit) sacras ædes adeunt, pro ætatis ordine, iuniores ad pedes seniorum considunt, & ad audiendum se componunt, &c. Itaque sensus est: Qui appropinquant pedibus Dei legem ferentis igneam, tanquam humiles discipuli, & auditores, doctrinam eius, legemque discent.

Legem præcepit nobis Moyses hæreditatem multitudinis Iacob.

Hoc est: Deus per Mosem nobis legem de- 7
C dit, velut hæreditatem filiorum Iacob. Quemadmodum hæreditas à parentibus, filiis & nepotibus datur: sic lex non solùm Israelitis data est, qui eam in monte Sinai acceperunt, sed etiam eorum posteris, vsque ad tempus Christi. Fuit lex opulenta hæreditas data Israelitis, velut filiis, vt ex ea bene seruata colligerent fructus vberes. Diligitur hæreditas, & diligenter colitur: sic lex diligenda summoperè est, & colenda, vt fructus ferat. Psalmo 118. vates: Psalm. 118.
Hæreditate, inquit, *acquisiuit testimonia tua in æternum.* Hæreditas hæc æterna est, etenim æternum parit fructum, semperque est seruanda. Hæc est hæreditas à parentibus filiis relinquenda. Diuites relinquentur, si hanc habeant: inopes erunt, si ea careant, etsi omnibus mundi opibus abundent.

Erit apud rectissimum Rex, congregatis principibus populi cum tribubus Israel.

Oleaster arbitratur prædici regis primi crea- 8
tionem, quæ facta est electo Saule. Potest esse sensus; *Erit apud rectissimum* populum Israeliticum *rex* electus, *congregatis principibus populi cum tribubus Israel.* Nam electus est rex Saul
E congregato populo, cum suis principibus, vt legitur 1. Regum cap. 10. Secundus sensus probabilior huiusmodi est: *Erit apud rectissimum rex*, congregato populo, & principibus populi in terra promissionis, apud rectum, & Deum colentem populum Israel erit Rex Deus verus, ab eo, velut à rege, gubernabitur. Nam populus Israel regem non habuit longo tempore, sed à iudicibus gubernabatur; Deus rex eius erat. Quamobrem cùm regem petiuerunt Israelitæ, 1. Reg. 8. ait Dominus ad Samuelem: *Non te abiecerunt, sed me, ne regnem super* 1. Reg. 8.
eos. Appellatur autem populus rectissimus, si legem obseruet, vel dicitur rectissimus inter omnes populos, propter cultum veri Dei, & legis

legis obseruantiam, vel propter viros rectissimos quos habebat. Hebraicè, ישורון, *Iesurun.* Quod nomen in Cantico secundo Mosis interpres vertit in dilectum: *Incrassatus est dilectus,*
A Hebraicè, *Iesurun.* Tertius sensus est de Messia: Erit apud rectissimum populum rex, id est, Messias, congregato populo, & principibus post captiuitatem Babylonicam.

CAPVT II.

De benedictionibus Mosis, & Iacob.

De benedictionibus Mosis.

DEVTERONOMII CAP. XXXIII.

1 Viuat Ruben, & non moriatur, & sit paruus in numero.
Hæc est Iudæ benedictio: Audi Domine vocem Iudæ, & ad populum suum introduc eum: & manus eius pugnabunt pro eo, & adiutor illius contra aduersarios eius erit.
Leui quoque ait: Perfectio tua, & doctrina tua, viro sancto tuo, quem probasti in tentatione, & iudicasti ad Aquas contradictionis.
Qui dixit patri suo, & matri suæ: Nescio vos: & fratribus suis: Ignoro vos: & nesciérunt filios suos. Hi custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum seruauerunt, iudicia tua ô Iacob, & legem tuam ô Israel: ponent thymiama in furore tuo: & holocaustum super altare tuum. Benedic Domine fortitudini eius, & opera manuum illius suscipe. Percute dorsa inimicorum eius, & qui oderunt eum, non consurgant.
Et Beniamin ait: Amantissimus Domini habitabit confidenter in eo: quasi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requiescet.
Ioseph quoque ait: De Benedictione Domini terra eius, de pomis cæli, & rore, atque abysso subiacente, de pomis fructuum Solis ac Lunæ, de vertice antiquorum montium, de pomis collium æternorũ, & de frugibus terræ & plenitudine eius. Benedictio illius, qui apparuit in rubo, veniat super caput Ioseph, & super verticem Nazaræi inter fratres suos. Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius, cornua rhinocerotis cornua illius: in ipsis ventilabit gentes, vsque ad terminos terræ. hæ sunt multitudines Ephraim, & hæc millia Manasse.
Et Zabulon ait: Lætare Zabulon in exitu tuo, & Issachar in tabernaculis tuis. Populos vocabunt ad montem, ibi immolabunt victimas iustitiæ, qui inundationem maris quasi lac sugent, & thesauros absconditos arenarum.
Et Gad ait: Benedictus in latitudine Gad: quasi leo requieuit, cepitque brachium & verticem. Et vidit principatum suum, quòd in parte sua doctor esset repositus, qui fuit cum principibus populi, & fecit iustitias Domini, & iudicium suum cum Israel.
Dan quoque ait: Dan catulus leonis, fluet largiter de Basan.
Et Nephthali dixit: Nephthali abundantia perfruetur, & plenus erit benedictionibus Domini: mare & meridiem possidebit.
Aser quoque ait: Benedictus in filiis Aser, sit placens fratribus suis, & tingat in oleo pedem suum. Ferrum & æs calceamentum eius. Sicut dies iuuentutis tuæ, ita & senectus tua. Non est Deus alius vt Deus rectissimi: ascensor cæli, auxiliator tuus. Magnificentia eius discurrunt nubes, habitaculum eius sursum, & subter brachia sempiterna: eiiciet à facie tua inimicum, dicetque: Conterere.
Habitabit Israel confidenter, & solus. Oculus Iacob in terra frumenti, & vini, cælique caligabunt rore.
Beatus es tu Israel: quis similis tui popule, qui saluaris in Domino? scutum auxilij tui, & gladius gloriæ tuæ: negabunt te inimici tui, & tu eorum colla calcabis.

De benedictionibus Iacob.

GENESIS CAP. XLIX.

1 VOcauit autem Iacob filios suos, & ait eis: Congregamini, vt annunciem quæ ventura sunt vobis in diebus nouissimis. Congregamini, & audite filij Iacob, audite Israel patrem vestrum.
Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei; prior in donis,

donis, maior in imperio. Effusus es sicut aqua, non crescas: quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius.

Simeon & Leui fratres: vasa iniquitatis bellātia. In consilium eorū non veniat anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea: quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum. Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura: diuidam eos in Iacob, & dispergam eos in Israel.

Iuda, te laudabunt fratres tui: manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui. Catulus leonis Iuda: ad prædam fili mi ascēdisti: requiescens accubuisti vt leo, & quasi leæna, quis suscitabit eum? Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, ô fili mi, asinam suam. Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum. Pulchriores sunt oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores.

Zabulon in littore maris habitabit, & in statione nauium, partingens vsque ad Sidonem.

Issachar asinus fortis, accubans inter terminos. Vidit requiem quòd esset bona, & terram quòd optima: & supposuit humerum suum ad portandum, factusque est tributis seruiens.

Dan iudicabit populum suum sicut & alia tribus in Israel. Fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retro. Salutare tuum expectabo Domine.

Gad accinctus præliabitur ante eum: & ipse accingetur retrorsum.

Aser, pinguis panis eius, & præbebit delicias regibus.

Nephthali ceruus emissus, & dans eloquia pulchritudinis.

Filius accrescens Ioseph, filius accrescens, & decorus aspectu: filiæ discurrerunt super murum. Sed exasperauerunt eum, & iurgati sunt inuideruntque illi, habentes iacula. Sedit in forti arcus eius, & dissoluta sunt vincula brachiorum, & manuum illius, per manus potentis Iacob: inde pastor egressus est lapis Israel. Deus patris tui erit adiutor tuus, & omnipotens benedicet tibi benedictionibus cæli desuper, benedictionibus abyssi iacentis deorsum, benedictionibus vberum, & vuluæ: Benedictiones patris tui confortatæ sunt benedictionibus patrum eius: donec veniret desiderium collium æternorum, fiant in capite Ioseph, & in vertice Nazaræi inter fratres suos.

Beniamin lupus rapax, manè comedet prædam, & vesperè diuidet spolia.

Omnes hi in tribubus Israel duodecim. Hæc locutus est eis pater suus, benedixitq; singulis benedictionibus propriis.

Viuat Ruben, & non moriatur, & sit paruus in numero.

3 *Benedictio Ruben à Mose data.*

BEnedicit Moses tribubus Israel, ducit autem initium à tribu Ruben, quia fuit primogenitus Iacob, quamuis primogeniti iura amiserit: *Viuat*, inquit, *Ruben, & non moriatur, & sit paruus in numero*. hoc est, non abundet sobole, & posteris. Potest etiam negatio omnia negare, quæ sequuntur hoc sensu: Viuat Ruben, & non moriatur, & non sit paruus in numero posterorum; quamobrem Oleaster vult, negationem vnam vicem habere duarum. Pluribus verbis cum Ruben egit Iacob, Genes. 49. *Ruben, inquit, primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei, prior in donis, maior in imperio. Effusus es sicut aqua, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius.* Primogenitus erat Ruben Iacob, quia ante alios omnes filios eum genuerat. Fortitudo Iacob appellatur, quia filius maximè primogenitus patris est fortitudo, & baculus fortis, cui innititur, vel fortitudo, & robur dicitur, quia in eo primo Iacob fortitudinem viri, & vim, ac sexum ad gignendum ostenderat, id est, ostenderat virilitatem suam. Principium doloris vocatur, id est, primus filius dolorem afferens, quia magnum dolorem patri attulit, cùm eius vxorem Balam violauit. Deut. 21. *primogenitus* appellatur, ראשיה אבו *resith ono*. Iisdem nominibus vtitur Iacob Genes. 49. Deuter. 21. sic vertit noster interpres, *principium liberorum eius*, potuisset igitur hoc etiam loco vertere, tu es principium liberorum meorum, id est, primogenitus, vel princeps filiorum meorum. Chaldæus tam Genes. 49. quàm Deuter. 21. interpretatur, principium fortitudinis. Nomen enim, *on*, significat *dolorem, laborem*, & *fortitudinem*. Dicitur verò principium fortitudinis primogenitus, quia ostendit patrem esse virum potentem, siue fortem ad gignendum.

Benedictio Ruben data à Iacob. Genes. 49.

Ruben doloris principium.

Deuter. 21.

Primogenitus fortitudo patris.

Prior in donis, maior in imperio. Prior erat in donis Ruben, quia erat primogenitus. Nam primogenito duæ partes hæreditatis dabantur: maior erat in imperio, quia regnum, & sacerdotium primogenito obueniebat. Chaldæus sic transfert: tu accepturus eras partes tres, primogenituram scilicet, sacerdotium, & regnum, &c. Deuter. 21. *Si habuerit vir vxores duas, vnam dilectam, alteram exosam, & fuerit filius primogenitus exosæ, non poterit primogenitum constituere filium dilectæ, sed primogenitum filium exosæ agnoscet, dabitq; ei de iis quæ habuerit, cuncta duplicia.* Theodoret. quæst. 77. Primogeniti, inquit, duplicem

4 Primogenito duæ partes hæreditatis dabantur. Regnum, & sacerdotium primogeniti erat. Deuter. 21.

Theodoret.

D. Hieron.

plicem portionem accipiebant, &c. D. Hieron. in quæst. Hebr. Hæreditas, inquit, quæ primogenitis debebatur, sacerdotium scilicet, & regnum, &c. His portionibus hæreditatis priuatus est Ruben, quia patris thorum violauit, & non est reputatus in primogenitum. 1. Paralip. 5. *Ipse Ruben fuit primogenitus Iacob, sed cùm violasset thorum patris sui, data sunt primogenita eius filiis Ioseph, & non est ille reputatus in primogenitum.* Regnum datum est tribui Iudæ, sacerdotium tribui Leui.

1. Paralip. 5.

5 *Ruben propter libidinē priuatus est primogenitura. Genes. 35.*

Post hæc causam adiungit Iacob, cur Ruben sit priuatus iure primogeniti. *Effusus*, inquit, *es sicut aqua, non crescas, quia ascendisti cubile patris tui.* Effusus autem est sicut aqua Ruben, cùm thorum patris violauit, vt enim scriptum est Genes. 35. *Abiit Ruben, & dormiuit cum Bala concubina patris sui* (id est, vxore minùs præcipua) *quod illum minimè latuit*. Itaque effusus est sicut aqua, Hebraicè פחז כמים *earchaz ca maim*, id est, *festinatio sicut aqua*. Sicut enim aqua festinat, & effunditur in præceps festinanter: ita Ruben festinauit absque consilio præcipitanter, raptus à libidine, neque considerauit quantum scelus esset cum vxore patris rem habere. D. Hieronym. in quæstionibus Hebraicis exponit hoc pacto: Sic peccasti, quasi aqua quę vasculo non tenetur, voluptatis impetu effusus es, &c. Lyrani est alius sensus: Effusus es sicut aqua, similis es aquæ effusæ, quoniam sicut aqua in terra effusa perit, sic tua primogenitura periit. Sequitur: *Non crescas*, quia primogeniti iure priuatus eris, non cresces inter fratres, non eris maior cæteris, vel non crescas sobole, quod dixit Moses: *Sit paruus in numero*. Chaldæus sic vertit: Secutus es voluntatem tuam sicut aqua effusa, non proficies, neque accipies portionem superexcrescentem, quoniam ascendisti cubile patris tui, &c. LXX. interpretes vertunt: Sicut aqua non ebullias, vel non ferueas, hoc est, non ferueas, hoc est, non feruescas igne concupiscentiæ accensus instar feruentis aquæ. D. Hieron. in traditionibus Hebraicis transfert: Ne adiicias. sic verò interpretatur: Præcipio tibi, vt vltra non pecces, sisque in fratrum numero, pœnam ex peccato luens, quòd primogeniti ordinem perdidisti, &c.

Cur dicatur Ruben effusus sicut aqua.

D. Hieron.

Lyranus.

Chaldæus.

D. Hieron.

CAPVT III.

De benedictione Iudæ, & Leui.

Audi, Domine, vocem Iudæ, & ad populum suum introduc eum? manus eius pugnabunt pro eo, & adiutor illius contra aduersarios eius erit.

1 *Benedictio data à Mose tribus Iudæ.*

POST tribum Ruben primogeniti benedicit Moses tribui Iudæ ex qua Messias erat nasciturus, & ex qua Reges Iudæorum extiterunt. Orat Deum, vt illius vocem, id est, preces audiat, eamque in populum suum introducat, & Dei auxilium prędicit. Dubium est, ad quémnam populum precetur Moses introduci tribum Iuda? Respondet Lyranus, populum hîc appellari eos, qui erant in limbo, iuxta illud quod de Iacob dicitur Genes. 49. *Obiit, appositusque est ad populum suum.* & de Isaac Genes. 35. *Mortuus est, & appositus est populo suo.* & de aliis similiter alibi. Abulensis arbitratur, populum Iudæ appellari terram repromissionis, hoc sensu: Introduc Domine Iudam ad terram repromissionis, quæ est populus eius, id est, locus in quo habitare debet, vt hostes euertat: at tribus Iuda nullum populum tunc habebat in terra promissionis, quam Chananęi possidebant. Posset tamen locus iuxta hanc sentētiam sic explicari: introduc Domine Iudā ad populum suum, id est, in populum Chananæorum sibi destinatum, & da ei victoriam de illo reportare, & sortem sibi à te decretam possidere. Aliter probabilius intelligitur de populo Israelitico hoc sensu: Audi Domine vocem tribus Iudæ ad bellum proficiscentis, teque deprecantis pro victoria consequenda ex hostibus. Victoria parta, introduc siue reduc eam ad populum Israeliticum, reduc eā in vibes suas, & domos. Hunc sensum sequitur Chaldæus ita interpretans: suscipe Domine orationē Iudæ, cùm egressus fuerit ad bellum & ad populum eius, reduces eum in pace, &c. Sequitur de auxilio Dei: *Manus eius* scilicet Dei *pugnabunt pro eo*, id est, pro Iuda, *& adiutor illius erit* contra hostes.

Ad quem populū tribum Iudæ introduci precetur Moses.

Lyranus.

Genes. 49.

Genes. 35.

Abulensis.

2 *De Messia Caietanus.*

Caietanus de Messia exponit in hanc sententiam: Audi Domine vocem Iudæ, id est, tribus Iudæ, desiderium Messiæ audi, qui ex tribu Iuda orietur, introduc ipsum Iudam, id est, Messiam ex Iuda ad populum suum. Hebraicè, *venire fac eum*. Manus eius pugnabunt pro eo, pugnarunt autem manus Christi pro eo non gladio, & sagittis, sed miraculis, quæ eum Messiam esse comprobabant Hebraicè, רבלו, *rablo*, vel *riblo*, hoc est, multum ei, vel his ei. Nam manus Messiæ multum ei fuere, quia mira opera effecerunt, quæcunque Christus volebat: fuerunt etiam ei his, id est, occasio litis cum Pharisæis, quia enim in sabbatho sanitati homines restituebat, & miraculis post se trahebat mundum, inuiderunt ei. Vnde illud Ioan. 11. *Hic homo multa signa facit, si dimittimus eum, sic venient Romani.*

Ioan. 11.

Iuda te laudabunt fratres tui, manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui.

3 *Benedictio data à Iacob Iuda.*

Affluentior est benedictio Iacob, & largior, à nomine ducit exordium, ducitur enim nomen à verbo Hebræo, יודה, *iadah*, quod significat *confiteri*, & *laudare*. Iuda, inquit, fili mi, reliqui fratres te laudabunt, propter fortitudinem, dignitatemque regiam, manibus ceruices hostium tuorum premes, eosque superabis. Adorabunt te Regem tribus Israel. Similis es catulo leonis, quemadmodum leonis catulus ad prædandum ascendit in montes, raptamque prædam accumbens deuorat, nemine suscitare illum, vel prædam eripere tentante: sic tu ad bella ascendes, vinces hostes, & deprædaberis, domum reuersus præda, & victoria quiescens siueris, nemine te inuadere audente. Cum leone confertur Iudas propter fortitudinem, & dignitatem regiam, est enim leo animal fortissimum, & regium. 1. Paralip. 5. *Iudas qui erat fortissimus inter fratres suos, de stirpe eius principes germinati sunt.*

Iudas conferetur cum leone.

1. Paralip. 5.

4 *Iudæ sceptrū vsque ad Messiam.*

Post hæc prædicit Iacob filio Iudæ regiam dignitatem vsque ad aduentum Messiæ. *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est*, (id est, Messias) *ipse* Messias *erit expectatio gentium*. Dicitur autem Messias expectatio gentium antequam veniret, quia gentes Christo maximè indigebant: sic dicitur

citur pluuia expectatio terræ aridæ, quæ aqua indiget. Sequitur: *Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, ô fili mi, asinam suam, lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum; pulchriores sunt oculi eius vino & dentes eius lacte candidiores.* Ex sententia Lyrani, & aliorum describitur sortis Iudæ vbertas, quasi dicat Iacob: Sors tua vinearum, & vini ferax erit, ligabis ad vineam asinum, & asinam tuam, onerabisque illos botris; tanta erit vini copia, vt possint in vino lauare vestimenta sua posteri tui, rubescent oculi eorum præ potu vini, dentes verò albescent lacte. Attamen si suauem verborum constructionem expendamus, potius videntur hæc verba ad Messiam spectare, quàm ad Iudam. De Messia per ænigma loquitur Iacob: *Donec*, inquit, *veniat, qui mittendus est* Christus, *& ipse erit expectatio gentium.* Addit, *ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem, ô fili mi, asinam suam.* ligans, inquit, scilicet Messias, qui erit expectatio gentium. Idem ostendunt verba illa, ô fili mi; significat enim Iacob loqui cum filio, sed de altero videlicet de Messia, qui Ioan. 15. ait, *ego sum vitis vera*: Ecclesia verò vinea est, vt satis paret; ad hanc vitem, & ad hanc vineam, alligauit Christus pullum suum, id est populum gentium, & asinam suam, id est, populum Iudæorum: hos duos populos adumbrabant asina illa, & pullus, quos Dominus Matth. 25. solui iubet, & ad se adduci. Lauit Messias in vino, id est, in sanguine, non vuæ, sed corporis sui, stolam suam siue pallium, id est, corpus suum, pulchriores sunt oculi eius vino suauissimo coloris optimi, quemadmodum vinum lætificat cor hominis, Psalm. 103. ita oculi eius corda illorum lætificant, quos benigno aspiciunt intuitu. Denique dentes eius lacte sunt candidiores. Dentibus cibus teritur, vt in stomachum traiiciatur: sic verbum Dei à doctoribus exponendo extenuatur, vt ab auditorum corde recipiatur; dentes ergo Christi doctrinam indicant, lacte dicuntur candidiores, quia Christi doctrina purissima est, & ab omni fuco, dolo, & medacio alienissima, à fonte veritatis profecta. hæc satis sint de hac benedictione. Nam primo tomo Concord. illam explicauimus copiosiùs lib. 5. cap. 1. quo loco de præcellentia egimus tribus Iudæ. De illa verò prophetia: *Non auferetur sceptrum de Iuda*, &c. latè egimus lib. 3. eiusdem Conc. cap. 1. & 2.

Vbertas terræ Iudæ.

De Messia.

Ioan. 15.

Dentes Christi sunt doctores.

Perfectio tua, & doctrina tua, viro sancto tuo, quem probasti in tentatione, & iudicasti ad aquas contradictionis.

5 Postquam Moses Iudæ benedixit ex quo Reges orti sunt, Leui benedicit ex quo ipse Moses, & Aaron sacerdotes, & Leuitæ duxerunt originem. Hebraicè hoc loco illa nomina sunt *Vrim, & Thumim*, quæ interpres in Exodo vertit, *doctrina, & veritas*. Thumeca (ait Moses) & Vreca, id est, doctrina tua, & veritas tua, hoc loco trãstulit interpres, *perfectio tua, & doctrina tua*, hoc est, Vrim, & Thumim, doctrina, & veritas collocata in rationali summi sacerdotis, erunt viro sancto tuo, id est, tradidisti, ô Deus summe, rationale, & vestes pontificias, & sacerdotale officium Aaroni, quem probasti apud aquas contradictionis, vbi ego & ipse Aaron frater meus tribu Leui orti deliquimus. Numer. 20. de Vrim, & Thumim egimus tomo 2. in tractatu de vestibus Pontificis.

Benedictio data Leui à Mose.

Leuitis datũ est sacerdotiũ Vrim, & Thumim.

A Sequitur: *Qui dixit patri suo, & matri suæ: Nescio vos; & fratribus suis ignoro vos, & nescierũt filios suos,* hoc est, Leuitæ cum populus vitulum aureũ adorauit, tanto zelo inflammati sunt pro Domino, vt facinoris reos citra personarum, & consanguineorum delectum occiderint, & reipsa dixerint parentibus: nescio vos, filiisque & fratribus: ignoro vos, quia in illa cæde, neque parentes respexerunt, neque filios, aut fratres, iuxta illud Mosis Exod. 32. *Ite à porta vsque ad portam per medium castrorum, & occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum.* Hac de re supra diximus ex cap. 32. Exodi. Pergit Moses

B Leuitas laudare: *Hi*, inquit, *eloquium tuum, & pactum tuum seruauerunt, iudicia tua, ô Iacob, & legem tuam, ô Israel, ponent thymiama in furore tuo, & holocausta super altare tuum.* A legis custodia, & oblatione sacrificiorũ illos laudat. Custodierunt legem tuam Domine Leuitæ, & pactum tuum, custodierunt iudicia, & mandata tibi tradita à Deo ô Israel. Cùm populo tuo fueris iratus, Domine, in altari thymiamatis offerent tibi thymiama, & in altari holocaustorum offerent holocausta, furoremque tuum sic placabunt. Tandem benedictionem Leuitis postulat à Deo, & auxilium aduersus hostes. *Benedic Domine fortitudini eius*, id est, Leui, *& opera manuum illius suscipe, percute dorsa inimicorum eius.*

6 *Leuitarum zelus.*

Exod. 32.

A custodia legis laudantur Leuitæ.

Sacerdotes placebant Deum sacrificiis, & thymiamate.

C Simeon non benedixit Moses, forsitan quia, vt diximus suprà ex cap. 25. Num. Zambri dux de tribu Simeonis scandalum populo magnum præbuit, cùm ad scortum Madianitidem ingressus est. quam ob causam à Phinees vita est priuatus.

7 *Moses non benedixit Simeoni.*

Simeon, & Leui vasa iniquitatis bellantia. In consilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non sit gloria mea.

Iacob multo aliter Leui est allocutus, quàm Moses. Cum Leui verò coniunxit Simeonem, quia socij fuerunt in Sichimitarum cæde, de qua agitur Genes. 34. *Simeon*, (ait Iacob) *& Leui vasa fuerunt iniquitatis*, id est, instrumenta iniqua, *aduersùs Sichimitas bellantia, quia illis bellum intulerunt, eosq; occiderunt.* Vasa vocant Hebræi instrumenta, & arma, Psalm. 70. *Confitebor tibi in vasis psalmi*, id est, in instrumentis musicis, Isai. 13. *Dominus, & vasa furoris eius*, id est, instrumenta. Psalm. 7. *Arcum tetendit, & in eo paranit vasa mortis*, &c. id est, mortis instrumenta sagittas. *In consiliũ eorum non veniat anima mea*, id est, non veniat, opinione hominum, anima mea in consilium eorum, quod de occidendis Sichimitis ceperunt. Nemo putet me eorum interfuisse consilio, idque approbasse. *In cœtu eorum non sit gloria*, & honor meus, quia ignominię nota afficiar. Nemo opinetur in cœtu eorum

D

E fuisse gloriam meam, & cædis illius maculą fuisse inquinatam. Aliter: in consilium eorum non veniat anima mea, consilium tale datura, & in cœtu eorum non sit gloria mea, & honor meus, quem inter illos habeo, tanquam pater: vel: in consilium eorum non veniat anima, id est, vita mea iudicanda, gloria, & honor meus non sit in cœtu eorum, vt de illa sententiam dicãt. His verbis Iacob in extremo spiritu iam cõstitutus significare vult, sibi nullo modo consilium Leui, & Simeonis placuisse. Sequitur: *Quia in furore suo occederunt virum*, id est, Sichem, *& in voluntate sua suffoderunt murum* ciuitatis. LXX. ver-

8 *Benedictio data à Iacob Simeoni, & Leui, siue rectè prehensio. Genes. 34.*

Vas quid significet. Psal. 70. Isai. 13. Psalm. 7.

Iacob testatur non placuisse sibi Leui, & Simeonis consilium, & cædem Sichimitarum.

vertunt: *Subnerauerunt taurum*, videlicet Sichem, *maledictus furor eorum*, quo concitati hanc cædem perpetrarunt, quia pertinax fuit; *maledicta indignatio eorum*, quia fuit dura, & crudelis: *Diuidam eos in Iacob, & dispergam eos in Israel.*

A mino habitabit confidenter, & Deus obumbrat super eo omnibus diebus, & inter humeros eius requiescit, &c. Inter humeros autem Dei dicitur Beniamin requiescere, id est, vel humeris Dei portari, vt diximus, vel requiescere in pectore Dei, quia pectus est inter humeros. Chaldæus sic interpretatur: Dilectus Domini Beniamin habitabit confidenter, super eum erit, protegens eum omnibus diebus, & in terra eius habitabit maiestas Domini, &c.

9 *Quomodo fuerint dispersa tribus Simeonis & Leui.*

Tribum Leui dispersam fuisse in terra promissionis perspicuum est. Non enim habuit propriam sortem: at dispersio illa honorifica fuit, non data in pœnam. Iacob autem loqui videtur de dispersione pœnali. Prætereà tribus Simeon propriam sortem habuit, neque dispersa fuit in Israel, Iosue: 9. *Egressa est sors secundà filiorum Simeon per cognationes suas, fuitque hæreditas eorum in medio possessionis filiorum Iuda.* Item: *Hæc est hæreditas filiorum Simeon iuxta cognationes suas, in possessione & funiculo filiorum Iuda, quia maior erat, & idcirco filij Simeon posse lerunt in medio hæreditatis eorum.* Habuerunt ergo filij Simeon hæreditatem, & sortem propriam in medio hæreditatis filiorum Iudæ, quia vtrique tribui Iudæ, & Simeonis sufficiebat. Non ergo sunt dispersi. Hebræi aiunt omnes scriptores, & pædagogos dispersos per tribus, fuisse ex tribu Simeonis; sed hoc est incertum. Oleaster sic explicat: Diuidam eos in Iacob, id est, faciã quòd non habitent simul, & dispergam eos, id est, longè à se inuicem esse faciam has duas tribus. Hic sensus videtur probabilis. Ait Iacob, dissociandos esse & separandos Leui, & Simeon, quia hoc est egregium remedium ad dissipanda praua consilia, nimirum eorum autores, & consultores separare, separatas autem fuisse has duas tribus apertum est. Præterea 1. Paralip. 4. leges, Simeonitas aliquos ex sua sorte ad alias sedes quærendas abiisse, & à cæteris se separasse. D. Hieron. in quæst. Hebr. Leui (inquit) hæreditatem propriam non accepit, sed in omnibus sceptris paucas vrbes ad habitandum habuit. De Simeon verò in libro Iesu scriptum est, quòd & ipse proprium funiculum non fuerit consecutus, sed de tribu Iuda quiddam acceperit. In Paralipomenis autem manifestius scribitur, quòd cùm multiplicatus fuisset, & non haberet possessionis locum, exierit in desertum. Sic ille.

Iosue 19.

Oleaster.

D. Hieron.

CAPVT IV.

De benedictione Beniamin, & Ioseph.

Amantissimus Domini Beniamin.

1 *Benedictio data à Mose tribui Beniamin.*

BEniamin dilectissimus filius Iacob fuit: ait Moses eius tribum Deo esse dilectissimam: *Amantissimus* (inquit) *Domini Beniamin, habitabit confidenter in eo, quasi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requiescet.* hoc est, confidenter in Deo, & Dei auxilio habitabit dilectus eius Beniamin, quasi in thalamo securus tota die in protectione Dei morabitur, & inter humeros Dei potentissimos requiescet; feretur enim velut in humeris Dei, & alis, iuxta illud Deuteron. 32. *Quasi æquila pronocans ad volandum pullos suos, & super eos volitans, expandit alas suas, & assumpsit eum, atque portauit in humeris suis*, &c. Ille quem Deus suo prosequitur auxilio, habitare dicitur in auxilio Dei, & morari, & humeris eius portari, Psalm. 90. *Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur*, &c. LXX. interpretes sic vertunt: Beniamin dilectus à Do-

E

Deuter. 32.

Psal. 90.

Sebast. Barradas Itiner. Israelit.

Sed cur ait Chaldæus, maiestatem Domini habitasse in terra Beniamin? Respondetur, quia templum in terra erat Beniamin. Nam ciuitas

B Ierusalem in qua erat templum, in sorte Beniamin fuit, vt indicat Iosue in fine capitis 18. Lyranus vult, partem ciuitatis fuisse Beniamin, partem tribus Iudæ. Abulensi placet, totam fuisse Beniamin, ex concessione verò tribus Beniamin habitasse in ea homines tribus Iuda. Habitauerunt autem in Ierusalem homines ex tribu Iuda, & filij Beniamin, & Iebusæi; ex aliis verò tribubus filij Ephraim, & Manasse. Nam Iudic. 1. sic legitur: *Iebusæum habitatorem Ierusalem non deleuerunt filij Beniamin, habitauitque Iebusæus cum filiis Beniamin in Ierusalem vsque in præsentem diem.* Et Iosue 15. *Iebusæum habitatorem Ierusalem non potuerunt filij Iuda delere,*

C *habitauitque Iebusæus cum filiis Iuda in Ierusalem vsque in præsentem diem.* 2. Esdræ 11. *In Ierusalem habitauerunt de filiis Iuda, & de filiis Beniamin.* 1. Paralip. 9. *Commorati sunt in Ierusalem de filiis Iuda, & de filiis Beniamin, de filiis quoque Ephraim, & Manasse.* Probabit aliquis, Ierusalem in sorte Iudæ fuisse, quia Iudæ tribus eam bello cepit, & incendit. Iud. 1. *Oppugnantes filij Iuda Ierusalem ceperunt eam, & percusserunt in ore gladij, tradentes cunctam incendio ciuitatem.* At tribus eas vrbes non capiebant quæ erant in sorte aliena. Respondetur, id fecisse Iudæ tribum, concedente tribu Beniamin: erant enim hæ

D duæ tribus, earumque sortes maximè coniunctę. Probabit etiam aliquis templum non fuisse in sorte Beniamin, quia templum erat in monte Sion; mons autem Sion ad tribum Iuda pertinebat, erat enim in eo ciuitas Dauid tribus Iuda. Fuisse autem templum in Sion, vt alia omittam loca, constat ex his verbis libr. 1. Machab. cap. 4. *Ascenderunt in montem Sion, & viderunt sanctificationẽ desertam, & altare profanatum,* &c. Isai. 8. *Dominus*, inquit, *exercituum qui habitat in monte Sion*, &c. Respõdetur, templum extructum fuisse in monte Moria, qui mons in sorte erat Beniamin coniunctus monti Sion, imò pars erat montis Sion, vt diximus tomo 2. cùm de templo egimus. Quia igitur templum in parte

E montis Sion, videlicet in monte Moria ad Beniamin sortem pertinebat, dicitur fuisse in sorte Beniamin. Potest ergo huius benedictionis sensus hic esse: dilectus Deo Beniamin, habitabit Deus confidenter in eo, id est, in sorte eius Ierusalem, & quasi in thalamo tota die morabitur in templo, & inter humeros Beniamin, hoc est, veluti in pectore Beniamin, quod inter humeros est, in sanctuario requiescet. Aliter: Inter humeros eminet caput, sic inter Beniaminitas eminebat in edito loco situm templum, in quo Deus dicitur requieuisse.

Ierusalẽ fuit in sorte Beniamin, & templum.

Iud. 1.

Iosue 15.

2. Esdra 11.

1. Paralip. 9.

Iud. 1.

1. Machab. 4.

Isaie 8.

Beniamin lupus rapax.

Benedictio siue prophetia Iacob hæc est: 3

Benedictio Iacob data Beniamin.

Beniamin lupus rapax manè comedet prædam, vespere diuidet spolia, &c. Primus sensus est Chaldæi, qui interpretatur verba hæc de templo Ierosolymitano, quod erat in sorte Beniamin, vt diximus: In terra, inquit, Beniamin habitabit templi maiestas, & in possessione eius ædificabitur sanctuarium; manè & vespere offerent sacerdotes oblationes, & in tempore vespertino diuident residuum portionum suarum de reliquis quæ sanctificata sunt. Sic ille. Hic sensus Hebræorum est, vt docet D. Hieron. in quæstion. Hebraicis: Ita, inquit, hoc Hebræi edisserunt: Altare in quo immolabantur hostiæ, & victimarum sanguis ad basem illius fundebatur, in parte Beniamin fuit: hoc, inquiunt, ergo significat, quòd sacerdotes manè immolant hostias, & ad vesperam diuidunt ea, quæ sibi à populo collata sunt; lupum voracem super altaris interpretatione ponentes, & spoliorum diuisionem super sacerdotibus, qui seruientes altari, viuunt de altari, &c. Iuxta hanc sententiam dicitur lupus rapax Beniamin, quia in sorte illius erat templi altare, in quo sacrificia offerebantur, quod veluti lupus victimas, oues, boues, arietes, agnosque igne deuorabat. Hic lupus manè comedebat prædam, id est, sacrificia; vespere diuidebat spolia, quia quæ ex sacrificiis reliqua erant, sacerdotibus diuidebantur. Hunc sensum reiicit Lyranus, sed probat Lippomanus, neque videtur à veritate alienus, quidquid nonnulli obiiciant.

Primus sensus.

Templũ fuit in sorte Beniamin.

D. Hieron.

Cur dicatur Beniamin lupus rapax.

4 *Secundus sensus.*

Secundum sensum affert Lyranus de ipsa tribu Beniamin, quæ fuit lupus rapax, cùm Iudic. 20. aduersus reliquas tribus pugnauit, & manè, id est, priùs, vt lupus prædam comedit, cùm Israelitas occidit: vesperè, id est, postea, diuisit spolia belli. Non placet sensus, quia quamuis vicerint reliquas tribus Beniamin itaræ, ab illis tamen victi sunt. Probabilior hic erit sensus tertius: tribus Beniamin præstans erit robore, vt lupus rapax in oues, sic illa in hostes grassabitur: vt lupus manè comedit prædam, sic illa priùs vorabit hostes; & posteà, siue vespere diuidet capta spolia. Nonnulli interpretantur de Saule qui ex tribu Beniamin duxit originem, poterit verò sic exponi quarto sensu: Beniamin erit lupus rapax in Saule, quia Saul fuit lupus crudelis erga Dauidem quem cupiebat occidere, ne ad illum regnum peruenire, propter illum 80. sacerdotes interemit 1. Reg. 22. eò quòd Dauidi eos fauere existimaret, & Nobe vrbis sacerdotum, incolas, viros, fæminas, paruulos, & lactentes, & animantia ipsa rationis expertia interfecit. Ecce tibi lupum rapacem, sed vespere diuisit spolia, non vt victor, sed vt victus, & vita priuatus à Philistæis. Quinto sensu explanatur hæc prophetia de D. Paulo à diuo Hieronymo in quæst. Hebr. D. Ambrosio in lib. de bened. D. Augustino serm. 14. de sanctis, à Tertulliano initio libri quinti aduersus Marcionem, Theodoreto, & aliis: Vaticinatur Iacob de illustrissimo omnium Beniaminitarum, nimirum de B. Paulo, qui sanctitate, & rebus gestis omnes superauit, qui ex tribu Beniamin orti sunt. Fuit Paulus antequam à Christo vocaretur, lupus rapax, oues enim Christi, vt lupus persequebatur, *spirans minarum*, Actor. 9. *& cædis in discipulos Domini.* Manè, id est, priore vitæ suæ tempore, comedit prædam, oues Christi rapuit: sed vesperi, id est, posteriori tempore, postquam à Domino est vocatus, diuisit spolia eximia gentibus, videlicet Euangelij doctrinam, fidem, ac diuina dona.

Tertius sensus

Quartus sensus.

Quintus sensus.

Actor. 9.

Post Beniamin benedixit Moses Ioseph eius fratrem vterinum ex Rachele matre: hos enim duos fratres peperit Rachel, dilecta illa Iacob vxor, quæ typum gerit vitæ contemplatricis. *De benedictione, Domini terra eius*, (ait Moses) *de pomis cœli, & rore, atque abysso subiacente, de pomis fructuum Solis, ac Lunæ, de vertice antiquorum montium, de pomis collium æternorum, & de frugibus terræ, & de plenitudine eius.* Terræ vbertatem prædicit Moses tribui Ioseph: erit terra eius benedicta benedictione Domini, de pomis cœli, & fructibus, quos suo influxu, & pluuiis cœlum producit; erit benedicta de rore cœli desuper cadente, eamque irrigante, & de abysso subiacente, id est, de aquis quæ sub cœlo fluunt, & cœlo subiacent, vel de abysso subiacente, id est, de aquis quæ sub terra iacent, & latent, terræque fructus humore alunt: erit benedicta terra eius de pomis Solis, ac Lunæ, id est, quæ Solis, ac Lunæ influxu procreantur; erit benedicta de vertice antiquorum montium, quia montes illius erunt fertiles, & de pomis collium æternorum, id est, de pomis, & fructibus productis in collibus æternis, id est, in collibus priscis, & ab initio vrbis initium habentibus; denique benedicta erit terra Ioseph de fructibus terræ, & de plenitudine, & vbertate eius.

5 *Benedictio data Ioseph à Mose.*

Vbertatem terræ imprecatur.

Benedictio illius, qui apparuit in rubo, veniat super caput Ioseph.

Precatur Moses Deum, vt benedictionem suam Iosepho impertiatur: *Benedictio Dei, qui mihi apparuit in rubo*, Exod. 3. *veniat super caput Ioseph, & super verticẽ Naζaræi inter fratres suos*, hoc est, super verticem separati, atque egregij inter fratres suos. *Nazaræus* enim dicitur à verbo *nazar*, id est, *separare*, ideo separatus dicitur Ioseph inter fratres, quia eorum fuerat coryphæus, & princeps, illosque âluerat in Ægypto.

6 *Exod. 3.*

Ioseph Nazaræus cur dicatur.

Quasi primogeniti tauri pulchritudo eius.

Fortitudinem Ioseph prædicit, confertque illum cum tauro, & Rhinocerote: quasi primogeniti tauri pulcherrimi, ac fortissimi erit pulchritudo, & fortitudo Ioseph. Quemadmodum cornua Rhinocerotis fortissima sunt: sic magnum illius erit robur, velut cornibus Rhinocerotis ventilabit pugnando gentes, & dispersedet vsque ad terminos terræ, & sortis suæ, vel, vsque ad terminos terræ ex qua voluerit eas pellere, vel, vsque ad finem orbis, eritque hyperbole. Iosephi filius fuit Ephraim, cuius tribus fortitudine excelluit, iuxta illud Psalm. 56. *Ephraim fortitudo capitis mei.*

7 *Fortitudo tribus Ioseph.*

Psal. 56.

Filius accrescens Ioseph.

Iacob filio dilectissimo Ioseph benedixit Genes. 49. hoc pacto: *Filius accrescens Ioseph, filius accrescens, & decorus aspectu, filiæ discurrerunt super murum.* Ad nomen Ioseph alludit, verbum enim Hebræum, יסף, *iasaph*, significat *addere*, & *augere*, vnde Ioseph significat *augentem*, & *addentem*. Nam mater Rachel Gen. 30. vocauit nomẽ eius Ioseph, dicens: Ioseph Iehoua li *addat Dominus mihi filium alterũ. Filius* (inquit Iacob) *accrescens Ioseph*,

8 *Benedictio data à Iacob filio Ioseph. Genes. 49.*

Ioseph filius accrescens, & fructificans.

Ioseph, בן פרת, *ben parah*, filius fructificans, & crescens. Creuit enim spiritualiter virtute, temporaliter verò ita creuit, vt Ægypti princeps sit creatus, omnesque fratres suos sub potestate sua habuerit. LXX. interpretes vertunt: Filius auctus Iosephi, filius auctus desiderabilis, &c. Commendat deniq; Iacob pulchritudinem Iosephi: *Et decorus*, inquit, *aspectu, filiæ*, id est, fœminæ Ægypti, *discurrerunt super excelsos muros* Iosephi pulchritudinem cernere cupientes, cùm iter per ciuitates faciebat. D. Hieron. in quæst. Hebr. sic hæc explanat: O Ioseph qui ideò sic vocaris, quia adauxit te mihi Deus, siue quia inter fratres tuos maior futurus es; fortissima siquidem fuit tribus Ephraim, vt in Regum, & Paralip. libris legimus. ô fili mi Ioseph, qui tam pulcher es, vt te tota de muris, & turribus, ac fenestris puellarum turba prospectet. Sic Hieronymus.

Pulchritudo Ioseph.

D. Hieron.

Sed exasperauerunt eum.

Fratrum Ioseph inuidiam memorat Iacob, & persecutionem, *sed exasperauerunt eum, & iurgati sunt, inuiderunt q; illi habentes iacula*, id est, fratres Ioseph exacerbauerunt, & amaritudine repleuerunt animum illius, & iurgati sunt cum illo, causaque fuit inuidia. Dicuntur autem fratres Iosephi habentes iacula: Hebraicè, habentes sagittas, vel Domini sagittarum. LXX. interpretes vertunt: Domini sagittationũ, quia veluti sagittarij fartrem suum Ioseph inuidiæ iaculis percusserunt; inuidia enim commoti in cisternam illum miserunt, vt in ea vitam amitteret, indeque extractum vendiderunt.

9 *Fratres sunt persecuti Ioseph.*

Inuidia iacula.

Sed Deus Ioseph defendit: *Sedit* (inquit Iacob) *in forti arcus eius, & dissoluta sunt vincula brachiorum, & manuum illius, per manus potentis Iacob*, hoc est, arcus Ioseph, robur, & arma, quibus fratrum sagittas, & illorum qui aduersabantur iacula superauit, firmata sunt in forti Deo, in quo spem suam firmam collocauit, dissoluta sunt à Deo potente vincula, quibus ligata sunt eius brachia, & manus. D. Hieronymus loco citato: Inuiderunt, inquit, tibi, ô Ioseph, & te ad iracundiam prouocauerunt fratres tui, habentes liuoris sagittas, & zeli iaculis vulnerati: verùm tu arcum tuum, & arma pugnandi posuisti in Deo, qui fortis est propugnator, & vincula tua, quibus te fratres ligauerunt, ab ipso soluta sunt, & dirupta, &c. Sapient. 10. *Hæc venditum iustum*, (id est, Ioseph) *non dereliquit, sed à peccatoribus liberauit eum, descendit q; cum illo in foueam, & in vinculis non dereliquit illum, donec afferret ei sceptrum Regni, & potentiam aduersus eos, qui eum deprimebant.* Et Psalmo 104. *Humiliauerunt in compedibus pedes eius, ferrum pertransiit animam eius. Misit Rex, & soluit eum, Princeps populorum, & dimisit eum constituit eum Dominum domus suæ.* Hebræi nonnulli volunt verbum, פזז, *pazaz*, quod noster interpres vertit *dissolutum esse*, significare, *roborari*, quamobrem sic exponunt: roborata sunt brachia manuũ eius. Alij hoc pacto: deaurata sunt brachia manuum eius, videlicet propter aurea ornamenta. Vnde Chaldæus sic habet: Tunc positum est aurum optimum super brachia eius, &c.

10 *Deus Ioseph liberauit.*

D. Hieron.

Sapient. 10.

Psalm. 104.

Inde pastor egressus est lapis Israel.

11 *Inde*, Hebraicè, *exinde*, id est, postquam dissoluta sunt vincula brachiorum Ioseph, egressus est pastor, & lapis, id est, firmamentum populi Israelitici. Nam postquam Ioseph ex carcere eductus est, & ad principatum euectus, pastor fuit Hebræorum in Ægypto, & pastor totius Ægypti. Fuit etiam lapis Israel, id est, firmamentum, ac columna Israelitarum, quos sua auctoritate fulciebat, ac sustentabat, iuxta illud Eccles. 49. *Ioseph Princeps fuit fratrum suorum, firmamentum gentis, rector fratrum, stabilimentum populi.* Alij aliter sic interpretantur: Inde, id est, ex Ioseph, egressus, pro futuro, egredietur pastor, pro plurali, egredientur pastores & lapides, id est, populi Israel gubernatores. Nã ex Ioseph habuerunt originem, Iosue, Gedeon, & alij huiusmodi; orta etiam est ex Ioseph tribus Ephraim fortissima, quę post separationem tribuum à regno Iudæ fuit regni Israelitici caput. D. Hieron. in hanc sententiam interpretatus est: Vincula (inquit) tua Ioseph, à Deo soluta sunt, vt ex tuo semine tribus nascatur Ephraim fortis, & stabilis, & instar lapidis durioris, inuicta, imperans quoque decem tribubus Israel, &c.

Ioseph Ægypti rector fratrum columna.

Eccli. 49.

D. Hieron. Tribus Ephraim fortis, & inuicta ex Ioseph orta.

Benedicet tibi Deus benedictionibus cæli desuper.

Benedictio hæc continet terræ vbertatem, & liberorum copiam. *Benedicet*, inquit, *tibi Deus benedictionibus cæli, & benedictionibus abyssi*, hoc est, benedicet tibi Deus, fœcunditatem dabit terræ tuæ, quæ fœcunditas oritur ex cæli sydereis influxu, & cæli aërei pluuiis, ac temperatione; oritur quoque ex abysso, hoc est, ex aquarũ irrigatione. Benedicet etiam tibi Deus benedictionibus vberum, & vuluæ, hoc est, copia filiorum, qui in vulua, & vtero matris gignuntur, & vberibus illius nutriuntur, contra Oseæ 9. *Da eis vulnam sine liberis, & vbera arentia.*

12 *Vbertas terræ.*

Copia liberorum.

Osea 9.

Benedictiones patris tui confortatæ sunt.

Hoc est, hę benedictiones fili, quibus tibi benedicit pater tuus, *confortatæ sunt*, & corroboratæ benedictionibus patrum eius. Hebraicè, עד, *al*, id est, *super*, benedictiones patrum meorum, hoc est, benedictiones meæ, quibus te benedico, confirmatæ sunt, & ratæ erunt super benedictiones patrum meorum, id est, cum benedictionibus patrum meorum, quibus illas adiicio, vsque ad Messiæ aduentum. Aliter cum Oleastro: Benedictiones patris tui superauerunt benedictiones patrum eius, Abraham, & Isaac, quia Abraham soli Isaac benedixit, Isaac benedixit Iacob, & Iacob benedixit, filiis duodecim. Aliter cum Caietano: Benedictiones patris tui, quibus tibi benedicit, superarunt benedictiones quibus patres eius ipsi benedixerunt.

13

Donec veniret desiderium collium æternorum.

Israelitarum benedictiones temporales vsque ad Messiam duraturas indicat, post aduentum enim Messiæ, quia illum occiderunt, ex terra repromissionis exterminati, bona omnia amiserunt. Messiam vocat desiderium collium æternorum, tribuẽs desiderium rebus sensu carentibus. Sic Psalm. 95. tribuit Dauid gaudium campis, & exultationem arboribus: *Gaudebunt*, inquit, *campi, tunc exultabunt ligna sylvarum.* æternos colles appellat antiquos. Quàm desiderabilis fuerit Messias, hæc verba ostendunt. Tandem sequitur: *Fiant hæ benedictiones in capite Ioseph, & in vertice Nazaræi*, id est, separati, & 14

Messiæ desiderabilis.

Psal. 95.

& eximij inter fratres suos; sic etiam vocatus est à Mose, vt suprà vidimus.

CAPVT V.

De benedictione Zabulonis, & Issachar.

1 *Benedictio Mosis datæ Zabuloni, & Issachari.*

ZAbulonem, & Issacharem simul benedicit Moses: *Lætare*, inquit, *Zabulon in exitu tuo, & Issachar in tabernaculis tuis, populos vocabunt ad montem, ibi immolabunt victimas iustitiæ. Qui inundationem maris, quasi lac sugent, & thesauros absconditos arenarum.* Quis sit exitus hic Zabulon quæritur? Chaldæus de exitu ad bellum interpretatur his verbis: Lætare Zabulon eùm egressus fueris ad pugnam contra inimicos tuos, &c. Alij de exitu in nauigationem agi aiunt in hunc sensum: Lætare Zabulon in exitu tuo ad nauigandum mare mediterranenm; sors enim Zabulonis ad mare mediterraneum prope Sidonem, & Tyrum pertingebat. Zabulonem autem iubet lætari in exitu in mare propter lucra, quæ per nauigationem comparantur; Issacharem autem iubet lætari in tabernaculis suis, quoniam terræ suæ vbertate contenta hæc tribus marinas negotiationes non eurabat, sed agros suos colebat; aiunt Hebræi Issacharitas legis studio vacasse in tabernaculis suis, vt infrà dicemus. Hæ duæ tribus propinquæ erant, & populos suos, id est, incolas sortis Zabulon, & Issachar vocabant ad montem templi, & ibi sacrificia Deo offerebant in gratiarum actionem, quoniam inundationem maris tanquam lac sugebant, id est, abundantiam maritimorum lucrorum dulciter comparabãt. Zabulonitæ nauigatione, & commercio cum illis qui in portus eorum veniebant: Issacharitæ verò societate inita cum Zabulonitis, vel fructus feracis terræ suę ad portus maritimos exportando, ibique maritimas merces emendo. Quos Moses appellet thesauros absconditos arenarum dubium est. Chaldæus sic interpretatur: thesauri qui absconditi sunt in arenis, reuelabuntur eis. Caietanus gemmas, & aurum significari putat, in arenis latens, illisq; permixtum. Eius scholiastes thesauros arenarum ait forsitan appellari thesauros maris exundatione repertos, vt nonnunquam solet fieri. Oleaster sic exponit: Sugent inundationem maris, id est, ea quæ maris inundatio eiicere solet, &c. Videntur propriè dici thesauri absconditi arenarum, opes quæ in profundo maris in ipsis arenis delitescunt. Has dicuntur hæ tribus reperturæ. Possunt etiam dici thesauri absconditi arenarum, vniones, qui ex arenis, & conchis profundi maris extrahuntur.

Thesauri arenarum. Oleaster.

2 *Benedictio Iacob data Zabuloni.*

Zabulon (inquit Iacob) *in litore maris habitabit, & in statione nauium pertingens vsque ad Sidonem*, &c. Zabulonis sors in litore maris erat, & in statione nauium, hoc est, in locis vbi turò naues poterant consistere. Hebraicè idem est nomen vtroque loco, חוף, *choph*, quod significat *litus*, portum, stationem nauium, à *caphaph*, verbo, quod significat *occultare*, & *protegere*; siquidem portus, litus, & statio nauium occultat naues, & proregit. Ex parte maris mediterranei sors Zabulonis vsque ad Sidonem vrbem Ethnicorum pertingebat, pertingebat quoque vsq; ad mare Tiberiadis, siue Galilææ; idcirco fortè Hebraicè legitur: habitabit in litore marium ימים, *iamim*, quia in litore duorum marium habitabat, & commercia habebat. Nonnulli volunt tribum hanc dici vsque ad Sidonem pertigisse, non quòd eius termini ad Sidonem vsque peruenerint, sed vt indicetur maritimæ negotiationis viam perfectã Zabulonitis ad Sidonẽ vsque celebre emporium. Itaq; pertingebat vsq; ad Sidonem negotiatione maritima. At verò verba Iacob de habitatione, & sorte Zabulonitarum eum loqui ostendunt, non de negotiatione solũ. Nihil autem ex Iosue c. 19. vbi describitur sors Zabulon, opponi potest, quod hãc sententiam refellat. Noluit Iacob indicare patefactam esse viam Zabulonitis in Sidonẽ, quod erat maximè perspicuum, cùm ea via omnibus negotiatoribus esset aperta, neque solùm vsque ad Sidonem pertingebat Zabulon negotiatione maritima sed vsque ad alias vrbes. D. Hieron. in quæst. Hebr. Quia, inquit, Iacob dixerat de Zabulõ, quòd maris magni esset litora possessurus, Sidonem quoque, & reliquas Phœnices vrbes contingeret, &c. Vides Hieronymum dicere sortem Zabulon in litore maris mediterranei fuisse, & Sidonẽ reliquasq; vrbes Phœnicię contigisse.

Zabulonis sors erat in litore maris.

D. Hieron.

3 *Benedictio data Issachar à Iacob.*

De Issachar sic Iacob: *Issachar asinus fortis, accubans inter terminos, vidit requiem quod esset bona, & terram quod optima, & suppositit humerum suum ad portandum, factusque est tributis seruiens*, &c. Asinus fortis Hebraicè dicitur חמר גרם, *chamor garem*, id est, *asinus osseus*, vt D. Hieron. vertit, fortia enim ossa sunt, vnde asinus osseus, id est, fortis appellatur, ad labores agriculturæ sustinendos. Accubabat Issachar inter terminos sortis suæ, quamobrem dixit Moses: *Lætare Issachar in tabernaculis tuis.* Vidit requiem in tabernaculis esse bonam, & terram, sortémve suam esse fertilem, suppositúque humeros laboti agriculturæ, & factus est tributis seruiens, quæ agricolæ solent soluere. LXX. interpretes vertunt: factus est agricola. Diuus Hieronymus in quæst. Hebr. Asinum, inquit, osseum vocat Iacob Issacharem, & humerum ad portandum deditum, quia in labore terræ, & vehendis ad mare oneribus, quæ in suis finibus nascebantur, plurimum laboraret: Regibus quoque tributa comportans. Sic ille.

D. Hieron.

4 *Tribus Issachar dicitur præ cæteris studio scripturarum deditæ.*

Hebræi aiunt, tribum Issachar fuisse præ cæteris studio scripturarum deditam, & in hanc sententiam prophetiam hanc exponunt, Issachar asinus fortis ad ferendum studij laborem, accubuit in terminis suæ sortis, & in tabernaculis suis, neque curauit negotiationes maritimas. Vidit requiem studiorum, quòd esset bona, & suppositit humerum ad ferendum hunc laborem, factusque est tributis seruiens, non quæ ipse solueret, sed seruiebat tributis, quia pro tributis seruiebat aliis tribubus sapientiæ vacans, aliæ namque tribus sapientiæ vacantibus tributa dabant. Hunc sensum indicat D. Hieronymus in quæst. Aiunt, inquit, Hebræi per metaphoram significari, quòd scripturas sanctas die ac nocte meditans Issachar studium suum dederit ad laborandum, & ideò ei omnes tribus seruiunt, quasi magistro dona portantes, &c. 1. Paralip. 12. sic legitur: *De filiis Issachar* (venerunt ad Dauid) *viri eruditi, qui nouerant singula tempora ad præcipiendum quid facere deberet Israel, principes decem; omnis autem reliqua tribus eorum consilium sequebatur.* Quo loco in Glossa ordinaria sic scriptum est: Qui singula tempora ceremoniarum obseruanda docebant, & quid facere deberet Israel præscribebant. &c.

D. Hieron.

1. Paralip. 12.

Quidam

Quidam ad militarem disciplinam hæc referunt. Chaldæus sic vertit, Deut. 33. Lætare Issachar, cùm federis in tabernaculis tuis, ad computanda tempora solemnitatum in Ierusalem, &c. De agricultura potius verba Iacob intelligo, quàm de studio scripturarum, quod sentiunt LXX. interpretes, qui verba illa: *Factus est tributis seruiens.* vertunt: *Factus est vir agricola*, &c. Præterea tributis seruire, non est tributa accipere, sed tributa dare.

CAPVT VI.

De benedictione Gad, & Dan.

1 *Benedictio Mosis, data Gad, & Dan.*

TRibum Gad benedixit Moses in hunc modum: *Benedictus in latitudine Gad, quasi leo requiescit, cepitq; brachium & verticem, & vidit principatum suum, quòd in parte sua doctor esset repositus, qui fuit cum principibus populi, & fecit iustitias Domini, & iudicium suum cum Israel*, &c. Benedictus, inquit, est Gad in latitudine terræ suæ: quasi leo in ea habitauit, & requiescit forciter, & instar leonis, brachium, & verticem prædæ rapientis & vorantis hostes suos capiet, & occidet. Chaldæus sic interpretatur: Sicut leæna habitabit, & occidet principes cum Regibus, &c. Brachium putat appellari principes, verticẽ verò Reges. Possũt intelligi nomine brachij fortes milites, nomine verticis duces, qui sunt capita militum, hoc sensu: capiet Gad milites, & duces. Hebraicè legitur, *baruc*, מרחיב, *marchib*, vertit Chaldæus: Benedictus qui dilatat Gad, videlicet Deus. nostra versio sic potest explicari: Benedictus Gad in terræ latitudine, data sibi à Deo.

2 Sequitur: *Vidit principatum suum, quòd in parte sua doctor esset repositus, qui fuit cum principibus, & fecit iustitias Domini, & iudicium suum cum Israel.* hoc est, vidit Gad, vel videbit sortem suam, in qua principatum habebit, & videbit quod in parte sua, & hæreditate doctor sit absconditus, *saphun*, Hebraicè, *tectus.* Dubium est, *quis hic sit doctor absconditus in sorte Gad?* Respondetur cum recepta opinione, fuisse Mosem, qui in sorte Gad sepultus est. Est sensus, videbit Gad quòd in terra sua sit sepultus Moses populi Israelitici doctor. Hebraicè מחקק, *mechocec*, id est, *doctor*, *legislator*, qualis fuit Moses. Caietanus putat, Gaditas, antequam sortem suam eligerent cis Iordanem, vidisse, id est, considerasse, Mosem sepeliendum in illa regione, ideoque eam elegisse. Verum non viderur probabile, ante mortem Mosis nouisse Gaditas regionem in qua esset sepeliendus, quamuis scirent non esse ingressurum terram repromissionis. Sensus ergo est: videbit Gad quod in parte, & sorte eius doctor, & legislator Israelitici populi sepultus sit. Videbit, inquam, postquam ibi sepultus fuerit, hoc est, in sua sorte sepultum habebit Israelis legislatorem, & doctorem maximum. Chaldæus sic habet: Suscipiet Gad à principio partem suam, quoniam ibi in hæreditate sua Moyses scriba magnus & princeps Israel sepultus est, &c.

Moses sepultus est in sorte Gad.

Chaldæus.

3 Verba quæ sequuntur, *qui fuit cum principibus*, &c. referri possunt ad Mosem, hoc pacto: qui doctor Moses fuit cum principibus populi Israel in deserto, & fecit Iustitias Domini, & iudicium cum Israel; fuit enim Moses iustissimus legis obseruator. Rectius referuntur ad

Sebast. Barradas Itiner. Israelit.

A tribum Gad, hoc modo: Qui Gad fuit cum principibus populi Israel, cùm terram repromissionis bello subegerunt, & fecit iustitias Domini, & iudicium suum cum Israel, quia quod promisit, opere præstitit, simul cum cæteris tribubus Iordanem ingressus est, & simul cum illis aduersus hostes vtiliter decertauit. Numer. 32. sic pollicentur Gaditæ: *Armati & accincti pergemus ad prælium ante filios Israel, donec introducamus eos ad loca sua.* Promissis stetisse ostendit Iosue cap. 22. cùm illos sic alloquitur: *Fecistis omnia quæ præcepit vobis Moyses famulus Domini, mihi quoque in omnibus obedistis, nec reliquistis fratres vestros longo tempore, vsque in præsentem diem custodientes imperium Domini Dei vestri*, &c.

Num. 32.

Gad stetit promissis.

Iosue 22.

B De Gad pauca hæc verba fecit Iacob: *Gad accinctus præliabitur ante eum, & ipse accingetur retrorsum*, &c. Allusio fit ad nomen Gad, significat enim accinctum, & verbum, גדד, *gadad*, significat, accingere. Accinctus autem dicitur is, qui ad prælium paratus est, atque expeditus; discinctus verò is qui cingulum iam soluit post prælium parta victoria, iuxta illud 3. Reg. 20. *Nec glorietur accinctus æquè, vt discinctus*, &c. Ait ergo Iacob: Gad accinctus, hoc est, expeditus, relicta sua sorte, vxoribus, & filiis, ante Iordanem comitabitur reliquas tribus, & præliabitur ante eum, id est, ante populum Israeliticum, iuxta illud Iosue 4. *Filij Ruben, & Gad, & dimidia tribus Manasse armati præcedebant filios Israel, sicut eis præceperat Moyses.* Id illi polliciti fuerant, Numer. 32. *Armati*, aiunt, *& accincti pergemus ad prælium ante filios Israel.* Postquam verò bellis finis est impositus, reuersa est tribus Gad in sortem suam, hoc verò significat Iacob sequentibus verbis: *Ipse accingetur retrorsum.* hoc est, ipse Gad accingetur, vt reuertatur retrorsum in sortem suam, quæ erat retrorsum trans Iordanem. Chaldæi interpretatio hæc est Lyrani, Abulensis, & aliorum. Chaldæus: Castra, inquit, armatorum de domo Gad transibunt Iordanem, ad prælium coram fratribus suis, & cum multa substantia reuertentur in terram suam, &c. De hac reuersione agitur Iosue 22. cùm dimitteret Iosue tribum Ruben, & Gad, & dimidiam tribum Manasse, & benedixisset eis, dixit ad eos: *In multa substantia, atque diuitiis reuertimini ad sedes vestras, cum argento, & auro, ære, ac ferro, & veste multiplici.* Has autem diuitias comparauerant ex bello, & præda hostium. D. Hieron. in quęst. Hebr. ait tribum Gad, cùm est reuersa domum, prælium grande reperisse. Sic illè verba Iacob explicat: Totum, inquit, illud est, quòd Gad ante Ruben, & dimidiã tribum Manasse, ad filios post quatuordecim annos reuertens, prælium aduersus eos gentium vicinarum grande reperetit, & victis hostibus fortiter dimicarit, lege librum Iosue 13. & 1. Paralip. 5. hæc diuus Hieronymus. Mentio fit belli, quod Rubenitæ, Gaditæ, & dimidia tribus Manasse gesserunt contra Agareos 1. Paralip. 5.

Benedictio duæ Gad & Iacob.

3. Reg. 20.

Iosue 4.

Num. 32.

Chaldæus.

D. Hieron.

E *Dan* (ait Moses) *catulus leonis fluet largiter ex Basan*, &c. Catulus leonis dicitur Dan propter fortitudinem: ex tribu hac ortus est fortissimus Samson. LXX. interpretes vertunt: *Dan catulus leonis, & saliabit ex Basan.* hoc est, sicut ex nemoribus terræ Basan saltant leones, & fruadunt reliqua animantia, & homines; sic Dan saltabit instar leonis, & inuadet hostes. Basan regio fuit Regis Og; pascuis, ac nemoribus

Moses benedictio data Dan.

abundans, venit in sortem dimidiæ tribus Manasse, Iosue 22. Chaldæus sic habet: *Dan fortis sicut catulus leonis*, terra eius irrigatur à torrentibus quæ defluunt ex Basan. Nostri interpretis idem videtur esse sensus: *Dan catulus leonis fluet largiter ex Basan*, hoc est, tribus Dan fortis erit sicut catulus leonis: fluet copiosè, & irrigabitur torrentium aquis, ex terra Basan emanantibus. Dan ciuitas fuit extrema Israelitarum versus aquilonem, quemadmodum Bersabee versus austrum. Hinc ortus est ille loquendi modus, *à Dan vsque Bersabee*, id est, à termino aquilonari, vsque ad terminum australem. 1. Reg. 3. *Cognouit vniuersus Israel, à Dan vsque Bersabee, quia fidelis Samuel propheta esset Domini.* 2. Reg. 17. *Congregetur ad te vniuersus Israel, à Dan vsque Bersabee*, &c. Dicta etiam est hæc ciuitas Cæsarea Philippi: fluit iuxta illam Iordanis fluuius, & ab ipsa nomen accipit, vt D. Hieron. docet in lib. de locis Hebraicis: Dan, inquit, terminus est prouinciæ Iudææ contra septentrionem, de quo & Iordanis flumen erumpens à loco Dan sortitus est nomen; Ior quippe fluuium, siue riuum vocant, &c. Appellatur ergo, vt ait Hieron. Iordan, id est, fluuius Dan oppidi. At idem D. Hieron. Matth. 16. alteram nominis rationem reddit: Iordanis, inquit, oritur ad radices Libani, & habet duos fontes, vnum nomine Ior, & alterum, Dan, qui simul mixti Iordanis nomen efficiunt, &c. De Iordane, & ciuitate Dan, siue Cæsarea Philippi egimus in Concordia Euangelica.

Dan ciuitas. — *A Dan vsque Bersabee, id est, à septentrione vsque ad austrum terra promissa.* — 1. Reg. 3. — 2. Reg. 17. — D. Hieron. — *Iordanis vnde dicatur.*

6 Iacob benedixit Dan his verbis Genes. 49. *Dan populum suum iudicabit, sicut & alia tribus in Israel, fiat Dan coluber in via, cerastes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retro. Salutare tuum expectabo Domine*, &c. D. Hieron. in quæst. Hebr. de Samsone hæc dicta esse intellexit, quem Lyranus, Abulensis, & alij sequuntur. Sensus est: Ex tribu Dan, quemadmodum ex aliis tribubus, iudex erit, & gubernator in Israel, videlicet Samson fortissimus. Is enim vt legitur Iud. 15. iudicauit Israel viginti annis; fuit autem Samson similis colubro in via, & cerastæ in semita; κέρας Græcè cornu significat, inde nomen deducitur cerastes, quia serpens hic cornua habet: mordere dicitur vngulas equi, vt equitem excutiat, & terræ allidat. Fuit Samson serpens aduersus Philisthæos, & cerastes, quia ipsis acerbos infixit morsus. Præterea quemadmodum cerastes vngulas equi infra mordet, & ascensorem equi supra deiicit, & occidit: sic Samson Iud. 16. columnas domus in qua erant Philisthæi infra apprehendit, & tectum domus supra deiecit, Philisthæosque neci dedit. Vngulas equi mordet cerastes, & equitem deturbat: sic Samson columnas domus cõcussit, & hostes interemit. Chaldæus putat, Samsonem ideo dici mordere vngulas equi, vt cadat ascensor, quia equos hostium eneruauit, & ascensores deiecit. Videntur hoc dicendi modo insidiæ significari Samsonis aduersus Philisthæos. D. Hieron. prophetiam his verbis interpretatur: Samson iudex fuit de tribu Dan. Hoc ergo dicit Iacob: Nunc videns in spiritu comam nutrire Samson, Nazaræum tuum, cæsis hostibus triumphare, quòd in similitudinem colubri, regulique obsidentis vias, nullum per terram Israel transire permittat, sed etiam si quis temerarius virtute sua quasi equi velocitate confisus eam voluerit prædonis more de-

Iacob. Genes. 49. — *De Samsone explicatur prophetia.* — *D. Hieron.*

A populari, effugere non valebit, &c. Chaldæus quoque de Samsone interpretatur sic: erit vir qui consurget de domo Dan, cuius timor irruet super populos, & percutiet Philisthæos, quasi coluber aspis, insidiabitur iuxta semitam, interficiet robustos in castris Philisthinorum, equites cum peditibus; eneruabit equos, & quadrigas, & deiiciet ascensores eorum retrorsum. Ita Chaldæus. — *Chaldæus.*

Montanus in libro de terræ partitione arbitratur, Iacob hac prædictione prædixisse inuasionem filiorum Dan in vrbem Lais, quam incenderunt, vt scriptum est in lib. Iudicum cap. 18. iterumque exædificarunt, & appellauerunt Dan; fuerunt tunc filij Dan sexcenti tantum viri, similes colubro in via, & cerastæ in semita, aduersus incolas vrbis. Quemadmodum coluber in via, & cerastes in semita, hominem securum, & nihil tale opinantem inuadit: sic filij Dan vrbis incolas inuaserunt, & nihil tale cogitantes. Iud. 18. *Venerunt in Lais ad populum quiescentem, atque securum, & percusserunt eum in ore gladij*, &c. Solinus cap. 30. de ceraste sic scribit: Cerastæ præferunt quadraginta cornicula, quorum ostentatione, velut esca illice, solicitatas aues perimunt. Nam reliqua corporis de industria arenis contegunt, neque vllum indicium sui præbent, nisi ex ea parte inuitatis dolo pastibus necem præpetum aucupentur, &c. Ecce cacodæmonis imago, qui escam offert, se contegit, æternumque, ignem quem sub esca fert. — 7 *Montanus. Vrbs Lais à viris de tribu Dan incendiatur.* — *Iud. 18.* — *Solinus. De cerastes.* — *Diabolus similis cerastæ.*

8 Præter hos sensus exponitur locus hic de Antichristo, quem ex tribu Dan ortum habiturum multi aiunt, vt diximus tomo 3. Concordiæ lib. 9. cap. 5. *Iudicabit Dan populum suum*, (ait Iacob) quia Samson ex tribu Dan iudex fuit, &c. Deinde sensu mystico de Antichristo vaticinatur. *Fiat Dan*, Hebraicè, *erit Dan*, id est, Antichristus ex tribu Dan, *coluber in via, cerastes in semita.* Erit serpens veneno plenus, erit cerastes, & basiliscus aduersus cultores Christi: *mordebit vngulas equi*, id est corporis, quod velut equus est animi, *vt cadat ascensor eius*, id est, animus, retrorsum in perfidiam. Mordebit enim hic cerastes, id est, vulnerabit, & tormentis afficiet corpus vt animum à Christi fide auellat, & in perfidiam præcipiter. D. Gregor. ait, equum superbum, & spumantem significare mundum: ascensorem verò equi significare virum superbum, qui mundi ascensor est, quoniam honoribus, & diuitiis extollitur, vngulas equi, mundi extremam ætatem appellat, in qua Antichristus sæuitiam suam exercebit. Gregor. lib. 31. moral. cap. 18. Equus, inquit, hunc mundum insinuat, qui per elationem suam, in cursu labentium temporum spumat. Et quia Antichristus extrema mundi apprehendere nititur, equi vngulas cerastes iste mordere perhibetur, &c. Duplex est in mundo via; altera lata, altera arcta: Antichristus serpens erit in via lata ambulantibus Christianis, quia à fide Christi eos auellere conabitur; erit cerastes cornutus in semita, id est, in via arcta incedentibus, quia ascensores equi, id est, corporis sui moderatores, viros probos, carnisque concupiscentias frenantes à virtutis fideique celsa arce deturbare conabitur. Mordebit vngulas equi iuxta Gregorium, id est, mundi finem, vt cadat ascensor eius superbus retrorsum. Ascensor equi est, ait Gregor. quisquis extollitur in dignitatibus mundi, &c.

Antichristus coluber in via, cerastes, &c. — *D. Gregor.*

Salutare

Salutare tuum expectabo Domine.

9 De Messia verò Iesu Domino nostro hęc verba intelliguntur. Iuxta sensum vltimum de Antichristo propositum execratur illum Iacob, & verum Messiam mentis oculis intuens ait: ego Antichristum execror ex hac tribu oriundum, Dominum salutare tuum, saluatorem tuum, verum Messiam, tuum Iesum, expecto. D. Gregor. Quia, inquit, Iudæa pro Christo Antichristum expectat, bene Iacob repente in electorum voce conuersus est, dicens: *Salutare tuum expectabo Domine*, id est, non sicut infideles Antichristum expectabo, sed eum qui in redemptionem nostram venturus est, verum credendo fideliter Christum expectabo, &c. Iuxta sensum de Samsone prædictum, Chaldæus sic interpretatur: salutare tuum expecto Domine, dixit pater noster Iacob: non expecto salutare Gedeon filij Ioas, quæ est salus temporalis, neque salutare Samson, quæ est salus transitoria, sed expecto redemptionem Messiæ filij Dauid, qui venturus est ad accersendum sibi filios Israel, cuius redemptionem desiderat anima mea. Hæc ille. Similem in modum de Christo interpretatur D. Hieron. in tradition. Hebraicis, & alij.

D. Gregor. Messiam Iacob expectabat.

CAPVT VII.

De benedictione Nephthali, & Aser.

1 Nephthali sic benedixit Moses: *Nephthali abundantia perfruetur, & plenus erit benedictionibus Domini. Mare, & meridiem possidebit.* Perspicua est benedictio. Illud explicandum, cur dicatur mare possidere, & meridiem? Chaldæus ait, possessionem Nephthali ad mare vsque Galilææ peruenisse. Sic ille vertit: Nephthali, Nephthali implebitur desiderio, & plenus erit benedictionibus à facie Domini: ad occidentale mare Genesar, & ad meridiem possidebit, &c. Et Lyranus: Mare, ait, Galilææ, quantum ad sui partem meridionalem, cecidit in sortem Nephthali, &c. Abulensis Nephthali, inquit, mare, & meridiem possidebit, id est, à parte meridiana habet mare Galilææ, vel aliquid de mari mediterraneo, &c. Probabile etiam est, mare sumi hoc loco pro mari, attigisseque illud sortem Nephthali. Oleaster videtur mare pro oriente interpretari, hoc sensu: Mare, & meridiem possidebit, hoc est, possidebit plagam occidentalem versus mare mediterraneum, quod est occidentale terræ sanctæ, & possidebit plagam meridionalem. Verba Oleastri hæc sunt: Dicit Moyses tribum Nephthali possessuram meridiem, & occidentem, quia pars sortis eius erat ad mare magnum, quod est ad occidentem terræ sanctæ; & pars ad plagam meridianam, &c.

Benedictio dicta Nephthali à Mose. — *Lyranus.* — *Abulens.* — *Oleaster.*

2 Magnam terræ fertilitatem prædicit Moses huic tribui: *Abundantia*, inquit, *perfruetur.* Hebraicè שבע רצון, *sebag rason.* Chaldæus vertit: Implebitur desiderio. Oleaster, Nephthali saturitas voluntatis, hoc est, Nephthali quidquid volet, quidquid desiderabit, in sua sorte habebit, & plenus erit benedictionibus Domini. Aliter: Nephthali saturitas voluntatis; quia bonis suæ sortis, & fructibus saturabitur, & abundabit; ideo noster interpres vertit, abundantia perfruetur.

Oleaster.

3 *Nephthali*, ait Iacob, *cernus emissus dans eloquia pulchritudinis.* Primus sensus huius benedictionis siue prophetiæ Lyrani, Abulensis, & Chartusiani hic est: sicut ceruus velociter currit, ita fructus in terra Nephthali velociter maturescent: propter primitias verò veloces, in tẽplo oblatas, sacerdotes dabunt pulchra eloquia Deo, id est, laudes. Meminit huius sensus D. Hieron. in tradit. Hebr. Potest, inquit, ceruus emissus transferri propter temporaneas fruges, velocitatem terræ vberioris ostendens, &c. Aliter potest hic sensus sic explicari: Nephthali ceruus emissus, & velox ante alios currens ad templum ad efferẽdas primitias fructuum, dans eloquia pulchra gratiarum actionis. Secundus sensus est de prælio Barac, & Debboræ aduersus Sisaram, ducem Iabin Regis Chananæorum, de quo agitur in libr. Iud. cap. 4. & 5. Dicitur Nephthali ceruus emissus in libertatem, hoc est, liberatus ab oppressione regis Iabin. Barac enim dux & milites ex tribu Nephthali, & tribu Zabulon Sisaram vicerunt. Dederunt verò eloquia pulchritudinis, quia canticum cecinerunt, quod extat Iud. cap. 5. Tertius sensus: Nephthali similis erit ceruo emisso, & liberè in amœnis saltibus, atque bosis versanti. Sic enim Nephthalitæ in sorte sua vbere, & feraci liberè degent. Dabunt autem eloquia pulchritudinis, hoc est, erunt humani, affabiles, sermone blandi, vel dabunt eloquia pulchra gratiarum Deo pro data sibi abundanti sorte.

Benedictio data Nephthali à Iacob. — *D. Hieron.*

4 D. Hieron. in quæst. Hebr. ait prophetiam hanc referendam ad doctrinam saluatoris, propterea quòd in tribu Nephthali maximè docuerit, iuxta illud Matth. 4. *Venit & habitauit in Capharnaum, in finibus Zabulon, & Nephthalim, vt adimpleretur illud quod dictũ est per Isaiam prophetam: Terra Zabulon, & terra Nephthalim, via maris trans Iordanem Galilæa gentium, populus qui habitabat in tenebris, vidit lucem magnam.* Hoc quarto sensu appellatur Nephthali velox ceruus emissus, quia velociter dedit pulchra Christi eloquia. Sensus quintus est de Apostolis, qui ex tribu Nephthali & Zabulon originem dicuntur habuisse. Fuerunt enim ceruo emisso, vel misso, vt Hebraicè dicitur, similes, quoniam in totum orbem missi sunt, siue emissi. Dederuntque eloquia pulchritudinis, annuntiantes pulcherrimum Euangelium: Apostolos autem quosdam ex tribu Nephthali, & Zabulon fuisse colligunt interpretes ex verbis illis Psalmi 67. *Principes Zabulon duces eorum, & principes Nephthali.* D. Hieron. Isaiæ 9. Principes, inquit, Zabulon, principes Nephthali, quia in his tribubus fuerunt viculi, de quibus duces nostri Apostoli crediderunt, &c. Et Theodoretus Psal. 67. Petrus, inquit, Andreas, & Iacobus, & Ioannes, & Philippus, ex oppido Bethsaidæ fuerunt: Matthæus, & Iacobus dicti sunt habitare Capharnaum, Simon Zelotes Chananæus dicitur. Omnia autem hæc loca Galilææ sunt. Zabulon autem, & Nephthalim ibi suam habuerunt sortem, &c. eadem scribit Euthymius.

Matth. 4. — *Psalm. 67.* — *D. Hieron.* — *Theodoret.*

5 Moses sic benedixit Aser: *Benedictus in filiis Aser, sit placens fratribus suis, & tingat in oleo pedem suum. Ferrum & æs calceamentum eius. Sicut dies iuuentutis tuæ, ita & senectus tua.* Benedicit illi in filiis, id est, in filiorum copia. Multiplicabatur enim populus Dei, filiorum numero. Addit: *Sit placens fratribus suis* Israelitis, placeat illis, pacificè & amicè cum illis versetur, nihil

Benedictio Aser dicta à Mose.

agat quod illos offendat, omnibus gratus sit. *Tingat in oleo pedem suum*: tanta olei abundantia perfruatur, vt possit in oleo pedes abluere. Significatur hoc loquendi modo magna olei abundantia. *Iob 29.* Iob 29. *Lauabam* (inquit) *pedes meos butyro*, id est butyro abundabam. Abundabat ergo sors Aser oleo. Abundabat præterea metallis,ære, & ferro; quæ abundantia illis verbis indicatur: *Ferrum, & æs calceamentum eius*. Denique viridem, valentemque senectutem precatur Aser Moses, similem robore ipsi iuuentuti. Sicut dies iuuentutis tuæ, ita & senectus tua:

Non est Deus alius, vt Deus rectissimi.

6 *Adiecta benedictionibus.* Post benedictionem Aser, adiicit Moses nonnulla verba, quibus & Deum laudat, & populi sui defensorem prædicat: Non est, inquit, Deus alius, vt Deus rectissimi, Hebraicè ישרון, *Iesurun*. Rectissimus dicitur Israel, cum ethnicis populis comparatus, & quia per legem dirigebatur, velut per rectam regulam. Non erat ille rectissimus re ipsa, sed talis dicitur, qualem eum Moses esse cupiebat, & docebat. Auxiliatorem Israelis Deum fore ait: *Ascensor cæli, auxiliator tuus*. Hebraicè רכב, *rocheb*, id est, *equitans*. Vnde Pagninus vertit: *Equitans cælum in auxilium tui*. *Cælum currus Dei.* Est cælum velut currus Dei, est Deus ascensor cæli velut currus sui admirabilis, metaphorica locutione. Sequitur: *Magnificentia eius discurrunt nubes, habitaculum eius sursum, & subter brachia sempiterna*. Equitat in cælo Deus, magnificaque potentia sua nubes excitat, facitque per aërem discurrere ad irrigandam terram. *Psal. 67.* Psal. 67. *Magnificentia eius, & virtus eius in nubibus*. *Psalm. 103.* Et Psal. 103. *Qui ponis nubem ascensum tuum, qui ambulas super pennas ventorum*. *D. Hieron.* D. Hieronym. vertit: *Qui ponit nubes currum suum*. Habitaculum Dei dicitur esse sursum, cùm tamen vbique sit, quoniam in cælo se angelis hominibusque manifestat. Subter sub cælo dicuntur esse Dei brachia ad ferendum auxilium populo suo, & ad gubernandum ea, quæ sub cælo sunt; cælestia enim gubernat, & terrestria.

Eiiciet à facie tua inimicum, dicétque: Conterere.

7 De fauore agit, & beneuolentia Dei erga populum. Deus, inquit, inimicos tuos conteret, ac disperget, habitabit Israel confidenter, & solus, hoc est, securus vitam aget populus, non admixtus gentibus, vt erat admixtus Ægyptiis. Solus ipse per se populum siue rempublicam faciet verum Deum colentem. Ferax autem erit terra eius. *Oculus Iacob in terra frumenti, & vini, & cæli caligabunt rore.* Videbunt enim filij Iacob terram promissionis frumenti, viniq; feracem. Vt verò sit ferax terra, cæli desuper rore caligabunt, hoc est, aër præ roris abundantia caligine tegetur. *Beatus es tu Israel, quis similis tui popule, qui saluaris in Domino. Scutum auxilij tui, & gladius gloriæ tuæ. Negabunt te inimici tui, & tu eorum colla calcabis.* Beatum populum vocat Moses, propter Dei auxilium. Beatus, inquit, es ô Israel, nullus tibi similis est populus, te Deus suo protegit auxilio, & saluat, scutum tuum Deus est, gladiusque tuus gloriosus. Negabunt te inimici tui. Hebraicè verbum est, כחש, *cachas*, quod significat *mentiri, & negare*. Quamobrem LXX. interpretes, & Chaldæus vertunt: Mentientur tibi inimici tui, mentiuntur autem inimici præ timore, & victores laudant, fidelitatemque & amicitiam mendaciter promittunt, seque inuitos dominis subiiciunt. Alij fœdus ineunt, pacem, & amicitiam simulant donec vires colligant. *Psalm. 65.* Psal. 65. *In multitudine virtutis tuæ, mentientur tibi inimici tui.* Hoc est, propter magnã potentiam tuam subiicientur tibi, Deus, inimici tui, simulantes obedientiam, propter timorem potentiæ. Rogabis, quid negabant inimici Israelitarum? dicitur enim, *negabant te inimici tui*? Respondetur, sensum esse: hostes tui negabunt tibi obedientiam, & fidelitatem; tu verò eos vinces, & eorum colla calcabis. Aliter, inimici tui ficto animo, & mendaci negabunt, se esse inimicos, te verò hostem illorum: Vel: hostes tui detrahent de te: negabunt fortitudinem à Deo tibi datam victorias, &c. tu verò eorum colla calcabis, *Iosue 10.* Iosue 10. iubet Iosue quinque regum calcari colla: *Ait ad principes exercitus, qui secum erant: ite, & ponite pedes super colla regum istorum*: *Ibidem.* Item: *Nolite timere, sic faciet Dominus cunctis hostibus vestris*, &c.

8 *Benedictio Aser data à Iacob.* Paucis verbis Iacob benedixit Aser. *Aser*, inquit, *pinguis panis eius, & præbebit delicias regibus.* Pinguis dicitur panis Aser, quia, vt dictum est, sors eius oleo abundabat. Præterea delicias præbebat regibus, quia oleum prębebat, ex quo vnguenta efficiebantur, quibus vngebantur reges, cùm creabantur, & in conuiuiis. Solebant enim Israelitę oleo siue vnguento ex oleo confecto caput vngere. *Luc. 7.* Vnde illud Domini Lucę 7. *Oleo caput meum non vnxisti: hæc autem vnguento vnxit pedes meos*, &c. *Matth. 26.* Et Magdalena, Matth. 26. *habens alabastrum vnguenti pretiosi effudit super caput Christi recumbentis.* *Eccles. 9.* Ecclesiastæ 9. *Omni tempore sint vestimenta tua candida, & oleum de capite tuo non deficiat.* *Psal. 26.* Psalm. 26. *Impinguasti in oleo caput meum.*

CAPVT VIII.

MORALE.

De benedictionibus Mosis, & Iacob.

In dextera eius ignea lex.

1 *Lex cur dicatur ignea.* DIcitur lex ignea, quia hominem illuminat in hac mundi caligine. *Ad Rom. 3.* Ad Rom. 3. *Per legem cognitio peccati.* *Psalm. 118.* Psalm. 118. *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis.* *Palm. 18.* Psal. 18. *Præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* *Psalm. 118.* Psalm. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis.* *Prouerb. 6.* Prouer. 6. *Mandata lucerna est, & lex lux.* Facem præfert is, qui noctu facit iter: nos iter in cælum noctu facimus; oportet ergo legem præferre, velut facem illuminantem, quæ iter ostendat. *Baruch. 4.* Baruch 4. *Hac est lex, conuertere Iacob, & apprehende eam, ambula per viam ad splendorem eius contra lumen eius.* Ostendit autem lex iter cæli, quia voluntatem Dei indicat, & quid facere, quid fugere debeamus demonstrat. *Psalm. 118.* Psalm. 118. *A mandatis tuis intellexi.* Hoc est, quid agere, quidve fugere debeam, intellexi ex tuis mandatis: illuminat lex hominem, & illuminando prudentem facit, & sapientem. *Lex Dei illuminat mentem, & prudentem facit hominem.* Psal. 118. *Super inimicos meos prudentem me fecisti mandato tuo.* prudentem autem faciunt hominem, & sapientem Dei mandata, quoniam vitia ostendunt, quæ audio habere, *Psalm. 118.* & virtutes, quas toto corde complecti debet. Psalm. 18.

Psal. 18. Psalm. 18. *Testimonium Domini fidele sapientiam præstans paruulis*, &c. *Deuter. 4.* Deuteronomij 4. *Hæc est vestra sapientia, & intellectus coram populis, vt audientes vniuersa præcepta hæc, dicant: En populus sapiens & intelligens*, &c. *Deuter. 29.* Deuteron. 29. *Custodite verba pacti huius, & implete ea, vt intelligatis vniuersa quæ facitis.* Duę res nobis Deum ostendũt, & sapientes nos faciunt, videlicet totius huius mundi fabrica, & lex diuina, de quibus *Psalm. 18.* Psalm. 18. agit vates: *Cæli*, inquit, *enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum.* Enarrant cæli, & mundi fabrica, & ostendunt Deum, & inuisibilia Dei. & Paulus ait ad Roman. 1. *Ad Rom. 1.* Posteà sequitur in psalmo: *Lex Domini immaculata, conuertens animas, testimonium fidele sapientiam præstans paruulis.* Lex enim Christi vnum indicat esse Deum, & personas tres; indicat præterea, quæ cauenda, quæ complectenda sint.

2 *Lex ignea peccata comburit.* Dicitur etiam lex ignea, quia peccata comburit, vt ait Glossa ordinaria; etenim lex peccatis & cupiditatibus aduersatur, vt ignis aduersatur lignis. Ideo D. Augustinus lib. 1. de sermone Domini in monte cap. 22. putat legem Dei dici aduersarium, cùm Christus ait, *Matth. 5.* Matth. 5. *Esto consentiens aduersario tuo cito, dum es in via cum eo, ne fortè tradat te aduersarius iudici*, &c. *D. August.* D. Augustinus: Quid, inquit, sic aduersatur peccare volentibus, quàm præceptum Dei, id est, lex eius, & scriptura diuina? quæ data est nobis ad hanc vitam, vt sit nobiscum in via; cui non oportet contradicere. Ita D. Augustinus. Sensus eius est: ne contradicas aduersario tuo; id est, legi Dei, quæ tuis cupiditatibus & peccatis aduersatur, esto illi consentiens. id est, serua illam, ne si non seruaueris, tradat te iudici Deo, & grauissimas soluas pœnas. Ignis ille, qui rubum inflammabat, Exod. 3. in rubo erat, sed rubi spinas non redigebat in cineres: sic lex ignea Dei est in homine improbo; attamen spinas eius, id est, peccata non comburit. Quod multis Iudæis contigit, & multis contingit Christianis, qui cùm legem à Deo habeant, *D. Gregor.* peccatis sunt inquinati. Audiamus D. Gregor. hom. 7. in Ezechiel. Quid, inquit, flamma ignis designauit, nisi legem, de qua scriptum est: *In dextera eius ignea lex*? & quid rubus, nisi Iudaicum populum peccatorum suorum spinis obsitum? Sed rubus consumi non potuit, quia Iudaicus populus, & ignem quidem legis accepit, & tamen peccatorum suorum spinas non deseruit, neque eius vitia diuini sermonis flamma concremauit. Sic ille. Lege D. Cyrillum libr. 2. de adoratione.

3 *Ignea lex data in igne.* Præterea dicitur lex Mosis ignea, vt vult Lyranus, & Abulensis, quia in igne data est. idem sentit Chaldæus, qui sic interpretatur: Legem scriptam dextera eius dedit nobis de medio ignis, &c. Item: Ignea lex est, quia eos tartareo igne comburit, qui illam non seruant. *Christi lex ignea, quia est charitas.* Denique lex Christi ignea est, quia lex est amoris, & charitatis iuxta illud Domini: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo nisi vt ardeat?* &c. Id docet D. Augustinus lib. de spiritu, & litera cap. 17. in quo ait, legem nouã esse charitatem diffusam per Spiritum sanctum in cordibus nostris. *D. Bernard.* D. Bernard. Epist. 11. ad Carthus. Lex, inquit, Domini immaculata charitas est, &c. Item eadem Epist. Bona lex est charitas, & suauis, quæ leuiter suauiterque portatur, &c. *1. Timoth. 1.* Paul. 1. ad Timoth. 1. *Iustis*, inquit, *non est lex posita*, *D. Bernard.* quæ verba D. Bernard. Epist. citata sic interpretatur: Iustis, inquit, non est lex posita, hoc est, non tanquam inuitis imposita, sed voluntariis eò liberaliter data, quò suauiter inspirata, &c.

4 *Lex in dextera Dei, quia necessarium est auxilium dexteræ eius ad seruandam legem.* Ad hæc, igneam legem ferebat Dominus in dextera sua, quia lex diuina absque auxilio dexteræ Dei potentissimæ seruari non potest, quod indicat lex in dextera. Auxiliũ autem hoc postulat à Deo vates *Psalm. 118.* Psalm. 118. *Gressus*, inquit, *meos dirige secundùm eloquium*, id est, *legem tuam, & non dominetur mei omnis iniustitia*, &c. Gressus hominis in lege dirigit Deus per auxilium suum. *Idem.* Item eodem Psalmo: *Deduc me in semitam mandatorum tuorum.* *Ibidem.* Item: *Inclina cor meum in testimonia tua.* *Psalm. 72.* Psal. 72. *Tenuisti manum dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me*, &c. Deus hominis dexteram sua dextera tenet; inclinat eum, & iuuat, deducitq; in voluntate, id est, in lege sua; tandem verò cum gloria in cælo suscipit. Pręterea in dextera Dei cernitur lex, quia per vias rectas quæ à dextris sunt homines ducit. *Prou. 4.* Prouerb. 4. *Vias quæ à dextris sunt nouit Dominus; peruersæ verò sunt quæ à sinistris sunt*: ipse autem rectos faciet cursus tuos, &c. Videtur quoque lex in dextera Dei, qui inter beatos, qui in iudicio in dextera Christi collocabuntur, hominem collocat, qui eam seruat.

5 *Lex Christi est hæreditas nostra.* Denique hæreditatem populi vocat Moses legem. *Legem*, inquit, *præcepit nobis Moyses, hæreditatem multitudinis Iacob*, &c Hæreditas nostra est lex à Christo nobis data. Vnde vates Psalm. citato: *Hæreditate*, (ait) *acquisiui testimonia tua, quia exultatio cordis mei sunt*, &c. Item eodem Psalmo: *Portio*, inquit, *mea Domine dixi, custodire legem tuam*: hoc est, alij alias habeant hæreditates, & portiones, honores, potentiam, diuitias; meam portionem, & meam hæreditatem dixi esse legem tuam. Hæreditas hæc præclara est, & si bene colatur à nobis, exultatio cordium nostrorum erit. *Mandata tua*, ait Dauid, *exultatio cordis mei sunt*: bene enim suam colebat hæreditatem. Opulentissima est hæc hæreditas, opulentissimumque parit fructum; nimirum æternæ gloriæ hæreditatem in cælesti patria: tàm verò opulenta est, vt idem Dauid omnibus eam thesauris anteponat eodem Psalmo: *Dilexi*, ait, *mandata tua super aurum, & topazion.* Item: *Bonum mihi lex oris tui, super millia auri, & argenti*, &c. Item: *Coagulatum est sicut lac cor eorum; ego verò legem, tuam meditatus sum.* Hoc est, incrassatum est, & pingue factum, sicut lac. Verti etiam potest: sicut adeps cor eorum, diuitiis, & voluptatibus: meæ verò diuitiæ, & voluptates, meditatio est legis tuæ. Hæreditates dedit Deus populo Israelitico, terram promissionis, & legem; multò pretiosior hæreditas fuit lex, quàm terra promissionis. Terra promissionis data est, vt in ea lex seruaretur, iuxta illud Psal. 104. *Dedit illis Regiones gentium, & labores populorum possederunt, vt custodiant iustificationes eius, & legem eius requirant*, &c. *Psalm. 104.*

Qui appropinquant pedibus eius, accipient de doctrina illius.

6 Lex doctrina est, quam Deus suos discipulos docet. Discipulos autem Dei humiles esse oportet, & apud pedes eius humiliter sedere: *Qui apropinquant pedibus eius*, (ait Moses) *accipient de doctrina illius.* Psal. 118. *Declaratio sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat paruulis*, *Psalm. 118.* id est,

Luca 10. id est, humilibus. Luc. 10. *Maria Magdalena secus pedes Domini audiebat verbum illius*, &c. August. sermone 27. de verbis Domini: Sedebat (inquit) Magdalena ad pedes capitis nostri Christi. Quanto humilius sedebat, tanto amplius capiebat. Confluit enim aqua ad humilitatem conuallis, denatat de tumoribus collis. Sic August. Didicit legem Paulus, sed ad pedes Gamalielis sedens humiliter, vt ipse testatur Actor. 22. *Ego*, inquit, *sum nutritus in ista ciuitate secus pedes Gamaliel, eruditus iuxta veritatem paternæ legis*, &c. Appropinquemus ergo Deo, & humiliter accedamus ad pedes eius, & discamus à tanto magistro. D. Greg. lib. 27. Mor. cap. 26. Contemplari, inquit, Dei sapientiam non possunt, qui sibi sapientes videntur: quia tantò ab eius luce longè sunt, quãto apud semetipsos humiles non sunt. Quia in eorum mentibus, dum tumor elationis crescit, aciem contemplationis claudit, & vnde se lucere præcæteris æstimant, inde se lumine veritatis priuant, &c. En habes hæresiarcharum descriptionem: homines sunt superbi, qui ad pedes Dei, & Ecclesiæ, summique eius pastoris humiliter accedere nolunt, veram fidem, veramq; sapientiam Dei non assequuntur; quia humiles esse nolunt: tumor enim elationis in eis crescit, & aciem intellectus ad cernendam veritatem claudit. Psal. 118. *Appropinquauerunt persequentes me iniquitati, à lege autem tua longè facti sunt*, &c. En tibi descriptionem peccatorum: homines sunt qui appropinquant non pedibus Dei ad discendam legem, sed qui à lege Dei longè facti sunt. Iustorum verò descriptio est: homines sunt qui appropinquant pedib. Dei, & Ecclesiæ sanctæ, eiusque pastorum, vt legem Dei, & veram sapientiam ac fidem discant: ab omni autem peccato Dei legi contrario longè facti sunt.

D. August. — Humilitas necessaria est ad discendam legem. — Actor. 22. — D. Gregor. — Superbia claudit aciem cõtemplationis. — Psalm. 118.

A quam manere quietum patitur affectum, à ratione reuocat, aufert consilium, &c.

Secundò, comprimendus est impetus hic, & restringendus freno castitatis. Appellatur castitas cingulum iuxta illud D. Gregor. homil. 13. in Euangelia. lumbos præcingimus, cùm carnis luxuriam per continentiam coarctamus, & cæt. Hoc cingulo constringendum est corpus, ne impetu vitij rapiatur. Festinare facit concupiscentia hominem in libidinis peccatum, homo autem probus festinat ad fugam. Furiosa domina est libido, vt vocat D. Ambros. & tartareas immittit furias; illam ergo fugiamus, vt Paulus præcipit 1. Corinth. 6. *Fugite*, inquit, *fornicationem*. D. Ambros. lib. 1. cap. 5. de Cain, & Abel: Ait Apostolus: fugite fornicationem, vt veloci fuga tanquam furiosæ dominæ declinare sæuitiam, & tetro seruitio exire possimus. Sic Ambros. Theodoret. Non dixit Apostolus: odio habete fornicationem, aut auersamini, sed, *fugite*, sciens acre, & vehemens hoc peccatum, ei enim fugiendo repugnandum est, &c. Et Chrysost. Non dixit Paulus: abstinete à fornicatione, sed, fugite, hoc est, studium ponite, vt à malo liberemini, &c. Est vitium hoc acre, & vehemens: acri ergò, & vehementi studio, & cursu velocissimo opus est fugere. Vide velocissimum Iosephi cursum, furiosam dominam nihil immoratus fugit, relicto in manu eius pallio, Genes. 39. Considera Iob vehemens studium in fugiendo, Iob 31. *Pepigi*, inquit, *fœdus cum oculis meis, vt ne cogitarem de virgine*, &c. Fugit hoc vitium tanto studio & cura, vt fœdus pepigerit cum oculis, ne cernerent virgines, quarum intuitus periculosus est. Ignem fugimus, ignis tartareus est hoc vitium, illud ergo fugiamus maximè. Quod noster interpres dixit: *Non crescas*. vertunt LXX. interpret. *ne ebullias*, quia ebullit & effervescit corpus, instar aquæ ebullientis, inflammatum igne concupiscentiæ. Qui vult ollam non ebullire, atque effervescere, ab igne illam remouet; eundem in modum qui corpus suum vult non ebullire instar aquæ, & effervescere, ab igne concupiscentiæ illud separet. Ab igne concupiscentiæ corpus separandum est, igni autem orci mente admouendum, ignis ignem extinguet. Vnde D. Isidorus lib. 3. de summo bono, cap. 39. Sicut, inquit, clauus clauum expellit; ita sæpè recordatio ardoris gehennæ excludit ardorem luxuriæ.

Castitatis cingulo comprimendus est impetus libidinis. — 1. Corinth. 6. B. Ambrosius. — Theodoret. Fugienda libido velociter. — D. Chrysost. — Iob 31. — D. Isidorus.

Tertiò, obserua supplicium libidinis. *Non crescas*, (ait Iacob) *quia maculasti stratum patris*. Non crescit vir huic vitio deditus, imò decrescit; vires amittit, & honorem: de fæmina verò dicitur Ecclesiastici 9. *Omnis mulier, quæ est fornicaria, quasi stercus in via conculcabitur*, &c. Priuatus est Ruben propter hoc vitium hæreditate patris: sic priuatur libidini manciparus homo hæreditate Dei, id est, cęlesti beatitudine. Chaldæus sic vertit: Secutus es voluntatem tuam sicut aqua effusa, non proficies, neque accipies portionem superexcrescentem, &c. Sequitur huiusmodi homo voluntatem carnis suæ: sicut aqua effusa non proficit. Quemadmodum enim aqua ex vase: sic ille, vt ait suprà Hieron. voluptatis impetu effunditur; & sicut aqua in terram effusa non proficit, sed perit: sic impudicus non crescit, sed perit æternis flammis traditus. Quartò, obserua versionem D. Hieronymi quam suprà proposuimus, quæ huiusmodi est: *Non adicias peccare*. iuxta quam libidini deditus

3 — Ecclesi. 9. — E

CAPVT IX.

De Ruben, & Iuda.

1 Benedictio Ruben. — Obserua primò, maximè fugiendum esse libidinis vitium; hominem enim festinanter impleuit, agitque præcipitem in orcum. Festinatio illius est, sicut aquæ in præceps ruentis, & sicut vndarum festinanter in medio maris nauem demergentium: Ruben hæ vndæ obruerunt. Confert Ieremias cap. 8. Israelitas cum equo impetu in prælium eunte: *Omnes*, inquit, *conuersi sunt ad cursum suum, quasi equus vadens ad prælium*, &c. Ecce hominem libidini mancipatum: cursum suum peragit, quasi equus festinans, ac currens. Ierem. 5. *Equi*, inquit, *amatores, & emissarij facti sunt, vnusquisq; ad vxorem proximi sui hinniebat*, &c. Osea 4. *Sicut vacca lasciuiens declinauit Israel*. LXX. interpretes vertunt: sicut vacca œstro percussa insaniuit Israel. Est autem œstrus muscæ genus, vehementiùs quolibet stimulo boues exagitans. œstro similis est libido. Vt vaccam exagitat œstrus; sic hominem libidinosum exagitat hoc vitium. Audiamus diuum Ambrosium lib. de fuga sæculi, cap. 4. Persequuntur, inquit, nos peccatorum illecebræ: persequitur libido, sed tu fuge illam tamquam furiosam dominam, quæ si comprehenderit, nec die, nec nocte requiescere sinit, sed exagitat, vrit, incendit. Sic Ambros. Item lib. 1. de Cain & Abel, cap. 5. Sæuus (inquit) criminũ stimulus libido est, quæ nun-

Ieremia 8. — Libido hominem exagitat. — Ierem. 5. — Osea 4. — B. Ambrosius. — Idem.

deditus monetur, vt libidinem fugiat, ne peccatum peccato adiiciat, ne sicut aqua fluuij effundatur, quæ perpetuò fluit, donec in mare perueniat. Hoc enim vitium nimis adhærет, fitque homo sicut aqua fluminis fluens, donec in amarissimum mare, hoc est, in orcum ingrediatur Ioëlis 1. *Computruerunt iumenta in stercore suo*. Iumenta sunt libidinosi homines, in stercore autem fœtidissimo luxurię permanentes computrescunt.

Ioëlis 1.

4 Tria cogitationum genera ex D. Bernard. — Tria cogitationum genera, quas fugere debemus, docet B. Bernard. in sermone, cui titulus est de triplici genere cogitationum. Primum est otiosarum; secundum earum quæ ad necessitates naturæ pertinent, de cibo, de potu, de vestimento, & cæteris huiusmodi: has appellat Bernard. limosas, & viscosas, quia, inquit, sæpè sic afficit nos cogitatio carnalis de cibo & potu, siue vestimento, vt vix eradicari queat de cordibus nostris, &c. Has cogitationes viscosas oportet non crescere, sed intra necessitatem cibi, vel potus, vel aliarum rerum necessariarum ita contineri, vt non crescant, & cubile nostræ voluntatis non ascendant, illamque peccato maculent. Quamobrem sanctissimus Pater verba Iacob accommodat illi homini, cui huiusmodi cogitationes se se offerunt: Quid, inquit, dicendum, cùm limosa illa cogitatio mentem subierit? Planè exclamãdum nobis est cum sancto Iacob, atque dicendum: *Ruben, primogenitus meus, non crescas: ascendisti enim cubile patris tui*. Ruben enim, & carnalis, atque sanguinea huiusmodi concupiscentia est; quæ tunc cubile nostrum ascendit, cùm non solum memoriam tangit cogitatione, sed & ipsum voluntatis stratum ingreditur, & polluit praua delectatione. Bene autem primogenitus noster dicitur appetitus ille carnalis, qui ab ipso, nimirum vitæ nostræ initio in nobis pullulat, cùm cætera vitia processu temporis ex malitia mundi huius, variisque occasionibus contrahantur. Oportet ergo reprimere quem extinguere non possumus appetitum, vt quàm citò cubile nostrum ingreditur crescere eum nullatenus patiamur, sed sub nobis sit, quemadmodum dicit scriptura Genes. 4. *Subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius*. Hæc D. Bernard. Tertium cogitationum genus est earum, quæ ad libidinem, & reliqua vitia spectant; hæ libidinis cogitationes maximè immundæ sunt. Quemadmodum fœtidas res ab aspectu nostro longè expellimus: sic huius vitij cogitationes fœtidissimas à nobis longissimè expellamus. Audiamus D. Bernardum: Tertium, inquit, cogitationum genus, immundum nimis, ac fœtidum est; quod nulla ratione debemus admittere, sed à longè præsentire fœtorum, & tota virtute repellere. Item: Oportet, si mundas conseruare volumus animas nostras adhuc longè agentibus cogitationibus huiusmodi, multa cum indignatione occurrere, & exsufflare à nobis, vt nullus eis detur accessus. Sic ille.

Limosa cogitationes. — Genes. 4. — Libidinis cogitationes immundissimas repellendæ sunt. — D. Bernard. — E

MORALE.

De benedictione Iudæ.

5 Confessio peccatorum, confessio laudis. — Verbum Hebræum, יהודה, *iudah*, *confiteri* significat. Est autem duplex confessio, altera laudis, altera peccatorum, quæ Hebraicè dicitur יהודה, *iehudah*; est etiam confessio martyrum, qui Christum in tormentis confitentur. Confessioni peccatorum verba Iacob congruunt; vnde Origenes hom. 17. in Genesim: Iudas, inquit, confessio interpretatur. Qui ergo peccata suà confessus pœnitentiam egerit, collaudatur à fratribus suis, id est, Angelis: gaudium enim est Angelis in cœlo super vno peccatore pœnitentiam agente. Sic Origenes. Angeli & homines quoque illos laudant, qui peccata confitentur. est enim confessio, & pœnitentia valdè laudabilis, magnoque digna præconio. Præterea fortissima est vera confessio; hostes enim fortissimos vincit. *Manus eius in ceruicibus inimicorum*. hoc est, peccatorum, quæ fortissimi hostes sunt. *Catulus leonis Iuda*, id est, confessio; *ad prædam opulentissimam ascendit*. hoc est, ad prædam gratiæ, cælestesque regni. Post adeptam prædam, vt leo fortissimus accumbit verus confitens, & in gratia Dei requiescit, prædam fortissimè vt leo retinens, paratus omnia potius perpeti, quàm peccatum mortiferum committere. *Quis suscitabit eum?* quis inuadet hunc leonem auxilio Dei munitum, & prædam gratiæ fortissimè retinentem, eaque fruentem? quis prædam illi eripiet? Non eripient impij homines, non tartarei cacodæmones. Apoc. 5. *Vicit leo de tribu Iuda*, &c. Vincit cacodæmones homo is, qui est ex tribu confessionis, hoc est, qui sæpè confitetur, & augustissima Eucharistia sæpè pectus munit. *Non auferetur sceptrum de tribus Iuda*, &c. id est, non auferetur regnum cælorum hominibus de tribu confessionis & pœnitẽtiæ veræ. Thesaurus opulentissimus est gratia: thesauri autem sub clauibus custodiuntur; custodiamus ergo hunc thesaurum sub clauibus D. Petri, de quibus Dominus ait Petro: *Tibi dabo claues regni cælorum*, &c. Qui sæpè confitetur, seque clauibus regni cælorum subiicit, regnum cælorum non amittit.

Confessio martyrum. — Origenes. — Confessio peccatorum. — B — C — D — E

6 Confessio martyrum. Matth. 10. — Præterea quadrant verba benedictionis in Iuda, id est, in martyrum confessionem, de qua Matthæi 10. *Omnis* (inquit Christus) *qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo*. Martyrem qui in persecutione Christum confitetur, laudant fratres, id est, Christiani; martyres enim summa laude digni sunt, summoque honore ab Ecclesia afficiuntur. *Manus martyrum in ceruicibus fuerunt inimicorum*; quia tyrannos superarunt, *ascenderunt instar leonem ad prædã*, & rapinam regni cælorum, iuxta illud Domini Matth. 11. *Regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud*, &c. Hanc opulentissimam prædam protomartyri suo Stephano ostendit Dominus, vt ad eam rapiendam illum concitaret. *Ecce* (inquit Actor. 7.) *video cælos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei*. Quiescunt leones, & accunbunt, raptamque prædam deuorant, sic leones ex tribu Iuda, id est, martyres ex tribu confessionis Christi, parta præda summæ gloriæ in cælo requiescunt, eaque in sempiternum fruuntur. Quis suscitabit ex cælesti requie martyrem? quis cælestem gloriam illi eripiet? nemo sanè id efficere poterit, sempiterna enim est præda, sempiterna est parta gloria. De Christo Messia vero hoc vaticinium latè exposuimus tomo 1. Concordiæ libr. 1. cap. 5. & libr. 3. cap. 1. & 2. De confessione laudis egimus eodem tom. 1. libr. 7. capite 13.

Matth. 11. — Actor. 7.

CAPVT

CAPVT X.

MORALE.

De benedictione Leui.

POst tribum Ruben, qui fuit primogenitus, & tribum Iuda, quæ fuit tribus regia; benedixit Moses tribui Leui, quæ fuit tribus sacerdotalis, ex qua ipse Moses ortus est, & Aaron Pontifex, & omnes sacerdotes ac Leuitæ: Iacob verò sequutus est ordinẽ natiuitatis. Primùm benedixit Ruben, quia primus natus est, deinde Simeon, & Leui, postea Iudam, quia post Ruben ex Lia ortus est Simeon, post Simeonem Leui, post Leui Iudas. Moses Simeoni non benedixit, vt iam suprà dictum est: benedixit autem suæ tribui Leui. Deut. 33. *Perfectio*, inquit, *tua, & doctrina tua, viro sancto tuo*, &c. De Aarone Pontifice loquitur: ostenditur ergo quales oporteant esse pontifices, nimirum perfectos, & sanctos, doctrinaque præditos; Hebraicè loquitur: *Vrim, & Thummim, viro sancto tuo*. Significat *Vrim* illuminationes, & doctrinã, quæ illuminat: *Thummim* significat perfectiones, integritates, & veritatem, quæ perfecta & integra est. Appellabantur autem his nominibus lapides pretiosi fulgentes, ac perfecti, quos pontifex ferebat in pectore, de quibus egimus tomo 2. Concordiæ in tractatu de vestibus pontificiis. Itaque ferat Pontifex Christi in pectore, non inanes curas, non mundi cupiditates, non vitiorum sordes; sed ferat Vrim, & Thumim, id est, illuminationes, & perfectiones: pectus habeat illuminatum sapientia, & perfectum charitate, & castitate, cæterisque virtutibus. His gemmis rutilent Pontificis & sacerdotum pectora sintque sanctitate conspicua, vt qui sacerdotem viderint, Deum laudent, quòd sanctos habeat ministros. D. Ambros. lib. 1. officiorum cap. vltimo: Decet, inquit, actuum, operumque nostrorum testem esse publicam existimationem, & attestationem, ne derogetur muneri, vt qui videt ministrum altaris, congruis ornatum virtutibus, autorem prædicet, & Dominum veneretur, qui tales seruulos habeat, &c. Itaque habeant sacerdotes virtutes, & virtutum perfectionem, præsertim Pontifices. Est enim Pontificatus status perfectionis, vt docet D. Thomas 2.2. quæst. 184. Moses in hac benedictione tribus Leui: *His*, inquit *custodierunt eloquium tuum, & pactum tuum seruauerunt, iudicia tua, ô Iacob, & legem tuam, ô Israel*, &c. Malach. 2. *Pactum meum* (ait Dominus) *fuit cum Leui vitæ, & pacis, & dedi ei timorem, & timuit me, & à facie nominis mei pauebat*, &c. Timor Domini maximè conuenit sacerdoti, qui ad altare Dei accedit, à facie nominis Dei, & à facie Dei paueat. De Angelis ait Ecclesia, *maiestatem tuam tremunt potestates*, angeli esse debent sacerdotes, maximè castitate, de quibus verè dicatur; pauent à facie Dei, & tremunt sacerdotes ad faciem Dei, maximè cùm sacrum faciunt.

Deuter. 33.

Pontifices & sacerdotes sint perfecti & virtutibus ornati.

D. Ambros.

D. Thomas.

Malach. 2.

Habeant quoque doctrinam, quia sacerdotium status est doctrinæ sacræ hominibus tradendæ. Quærit Origenes hom. 5. in Leuiticum, quale sit sacerdotis pectus? Respõdet: Tale ego esse puto, quod plenum sit sapientia, plenum scientia, plenum omni diuina intelligentia. Sic ille. Et D. Hieronymus Malachiæ 2. Idcirco, inquit, in sacerdotis pectore rationale est, & in rationali doctrina & veritas ponitur, vt discamus sacerdotem doctum esse debere, & præconem Dominicæ veritatis, &c. *Lex veritatis* (ait Dominus Malachiæ 2.) *fuit in ore Leui, & iniquitas non est inuenta in labiis eius, in pace, & æquitate ambulauit mecum, & multos auertit ab iniquitate; labia enim sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia angelus Domini exercituum est*, &c. D. Gregor. lib. 7. epist. 30. Quid (inquit) est sacerdotale cor, nisi arca testamenti, in qua spiritualis doctrina viget, tabulæ legis iacent? &c. Arca testamenti esse debet sacerdotis pectus, & vtriusque testamenti scientiam continere.

2 Pontifices & sacerdotes sint scientia ornati.

Origenes.

D. Hieron.

Malach. 2.

D. Gregor.

De sacerdotali dignitate D. Ambrosius librum scripsit vnum, cuius libri capite 2. eam omnibus dignitatibus anteponit; vultque à sacerdotibus cognosci, vt illam virtute & sapientia exæquare enitantur. Dignum, inquit, est vt dignitas sacerdotalis priùs cognoscatur à nobis, & sic deinde seruetur à nobis. Honor, & sublimitas Episcopalis nullis poterit comparationibus adæquari. Si Regum fulgori compares, & Principum diademati, longè erit inferius, quàm si plumbi metallum ad auri fulgorem compares. Quippe cùm videas Regum colla, & Principum submitti genibus sacerdotum, & exosculatis eorum dextris, orationibus eorum credunt se communiri, &c. Et cap. 3. Cùm dignitatem Episcopatus Episcoporum oculis demonstramus, & dignè noscamus, quid sumus, & quod sumus professione, actione potius quàm nomine demonstremus, vt nomen congruat actioni, actio respondeat nomini. Ne sit nomen inane, & crimen immane, ne sit honor sublimis, & vita deformis, ne sit deifica professio, & illicita actio, ne habeatur in Ecclesia cathedra sublimior, & conscientia sacerdotis reperiatur humilior. Hæc Ambrosius. Cognoscant ergo dignitatem sacerdotalem laici, vt sacerdotes venerentur, cognoscant ipsi sacerdotes, vt dignitatem operibus sacerdotio dignis tueantur, & tantæ dignitatis inquinamenta omnia, id est, peccata, fugiant. In loco celso sunt, caueant ruinam, quæ ex sublimiori loco grauior est. Audiamus iterum eundẽ sanctissimum Episcopum Ambrosium: Sicut (inquit loco citato) nihil esse diximus Episcopo excellentius: sic nihil est miserabilius, si de sancta vita Episcopus periclitetur, si sacerdos in crimine teneatur. Ruina, quæ de alto est, grauiori casu colliditur. Honor Episcopalis coram hominibus præclarus est, si ruinam sustineat, dolor magnus est, &c. Itaque magna cura sacerdos dignitatem suam, & celsum locum, in quo est, septo tueatur virtutum omnium, ne grauissimam peccati ruinam sustineat. Idem Ambrosius eodem loco: Magna, inquit, sublimitas magnam debet habere cautelam, honor grandis grandiori debet solicitudine circumuallari, &c.

D. Ambros. Magna est dignitas sacerdotalis.

Vita sacerdotis respondeat dignitati sacerdotali.

B. Ambrosius.

B. Ambrosius.

Qui dixit patri suo, & matri suæ: nescio vos.

Zelum laudat Moses in Leuitis; hunc autem ostenderunt, cùm propter vitulum adoratum Mosi se adiunxerunt, & per media pergentes castra adoratores vita priuarunt. Exod. 32. *Stans Moyses in porta castrorũ ait: si quis est Domini iungatur mihi, congregatiq; sunt ad eum omnes filij Leui, quibus ait, hæc dicit Dominus: ponat vir gladium super femur suum, ite & redite de porta vsque ad portam*

Exod. 32.

portam per medium castrorum, & occidat vnusquisque fratrem, & amicum, & proximum suum, &c. Vt Dei iniuriam vlciscerentur Leuitæ, nemini pepercerunt, sed iussu Mosis quoscunque obuios vituli cultores occiderunt. hoc est, quod ait Moses: *Qui dixit patri suo, & matri suæ: nescio vos; & fratribus suis: ignoro vos; & nescierunt filios suos*, &c. Patri, & matri, & fratribus, ac filiis Deum anteposuerunt. Boni Leuitæ, & sacerdotis, ac pastoris est, Deum omnibus rebus anteponere, & zelo Dei feruere, scelera persequi, animas Deo magna cura lucrari. Quemadmodum diabolus inuidia percitus, non quiescit, sed perpetuò mundum idolorum cultu, aliisque sceleribus complere conatur; sic sacerdos zelo Dei inflammatus, non cessat, sed diu, noctuque mundum sceleribus à diabolo completum expurgare, & virtutibus complere nititur. Cantic. 8. *Dura sicut infernus æmulatio*, &c. Græcè, ζηλοτυπία; similis est zelus pastorum ipsi inferno, quemadmodum inferni incolæ cacodæmones, vt animas perdant, totis viribus conantur: ita boni sacerdotes vt animas seruent omnes vires impendunt. Ioan. 2. Christus ementes, & vendentes ex templo eiecit: *Recordati vero sunt discipuli*, (ait Euangel.) quia scriptum est Psal. 68. *zelus domus tuæ comedit me*, &c. Zelo commotus Christus nundinantes ex domo Dei expulit. comedebat enim illum zelus Dei: similem in modum bonus sacerdos ex domo Dei, id est, Ecclesia, scelera omnia expellit, quia comedit illum Dei zelus. 2 Corinth. 11. *Æmulor vos Dei æmulatione*; æmulatione, id est, zelo Dei ardebat Paulus eximius Christi sacerdos, & à Corinthiis peccata expellere contendebat. Comedebat illum hæc æmulatio. *Quis*, inquit, *infirmatur, & ego nõ infirmor? Quis scandalizatur, & ego non vror?* &c. Similis fuit zelo Mosis, & Leuitarum, zelus Eliæ, cùm multos sacerdotes Baal neci dedit 3. Reg. 18. & 19. *Zelo*, inquit, *zelatus sum pro Domino Deo*, &c. Similis zelus fuit zelus Phinees sacerdotis, qui Numer. 25. ducem ex tribu Simeonis, & feminam Madianitem in lupanari interfecit, & Regis Dauidis qui, vt ait Psalm. 10. ciuitatem Dei in matutino facinorosis hominibus expurgabat. *In matutino*, inquit, *interficiebam omnes peccatores terræ, vt disperderem de ciuitate Domini omnes operantes iniquitatem.*

De zelo sacerdotum.

Cantic. 8.

Ioan. 2.

2. Cor. 11.

3. Reg. 18.

Psal. 10.

Habent ij qui à Deo ad religiosam vitam vocantur, vel in ea iam versantur, quid in Leuitis imitentur. Dicant patri, & matri: *nescio vos*, & fratribus suis repugnantibus: *ignoro vos*, &c. Neque amor mundi, neque parentum, aut fratrum à religiosa vita illos reuocet. Genes. 12. ait Deus Abrahamo: *Egredere de terra tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monstrauero tibi.* Egreditur corpore religiosus velut alter Abraham de terra sua, & de cognatione sua, & ex domo patris sui: non est hoc satis: egrediatur etiam animo. ita vt Deum semper, & parentibus, & rebus etiam omnibus anteponat, eósque omnes obliuiscatur, vt Deum in memoria sem per habere possit, iuxta illud Psal. 44. *Obliuiscere populum tuum, & domum patris tui.* Matth. 10. ait Dominus: *Qui amat patrem, aut matrem plusquam me, non est me dignus.* Et Micheæ 7. *Inimici hominis domestici eius* Inimici hominis sunt domestici eius, qui illum à sequendo retrahunt Christo. Audiamus D. Bernard. epist. 111. ex persona monachi cuiusdam ad parentes eius scripta: Si me, inquit, diligitis, quid me à Dei seruitio, cui seruire regnare est, retrahere attentatis? verè nunc cognosco, quia inimici hominis domestici eius, in hoc vos non agnosco parentes, sed hostes, ô parentes crudeles, qui me rursus ad naufragium, vnde tãdem nudus euasi, rursus ad ignem, vnde vix semiustus exiui, rursus ad latrones, à quibus semiuiuus relictus sum, reuocare conantur. Mira abusio; domus ardet, ignis instar à tergo, & fugienti prohibetur egredi, euadenti suadetur regredi. Sic ille. Accedant his D. Bernardi verbis illa grauissima D. Hieron. in epist. 1. ad Heliodorum: Licet, inquit, sparso crine, & scissis vestibus, vbera quibus te nutrierat, mater ostendat, licèt in limine pater iaceat, percalcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum crucis euola. Solum pietatis genus est, in hac re esse crudelem, &c.

Religiosi viri rebus caducis dicant, nescio vos.

Genes. 12.

Psal. 44.

Matth. 10.

Michea 7.

D. Bernard.

D. Hieron.

Ponent thymiama in furore tuo.

Hoc est sacerdotum officium, Dei iram placare. *Ponent*, inquit, *thymiama Domino in furore tuo*, hoc est, cùm populo tuo fueris iratus, oblato thymiamate, iram tuam placabũt. De Noe scribit Ecclesiasticus cap. 44. *In tempore iracundiæ factus est reconciliatio*, &c. vt enim legitur Genes. 8. ex arca egressus obtulit holocausta Domino: *Odoratusq; est Dominus odorem suauitatis, & ait: nequaquam vltrà maledicam terræ propter homines.* In tempore illo summæ iracundiæ Dei, quo vniuersum orbem diluuij aquis submersit, Noe Deum propitium reddidit. Eadem hæc verba Pontificibus tribuit Ecclesia sic canens: *Ecce sacerdos magnus, qui in diebus suis placuit Deo, & inuentus est iustus, & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio.* Sancti enim Pontifices, & sacerdotes in tempore iracũdiæ Deum precibus, sacrificiisque placant. Vnde Ecclesiastici 45. de Pontifice Aarone dicitur: *Ipsum elegit ab omni viuente offerre sacrificium Deo, incẽsum, & bonum odorem, in memoriam placare pro populo suo.* Nu. 16. iratus est Dominus, & egressa est ira eius in populũ: quidnam remedij Moses adhibuit? thymiama, & sacerdotis preces. Numer. 16. *Dixit ad Aaron: tolle thuribulum, & haustio igne de altari mitte incensum desuper, pergens citò ad populum vt roges pro eis; iam enim egressa est ira à Domino, & plaga desæuit*, &c. Sequitur: *Quod cum fecisset Aaron, & cucurrisset ad mediam multitudinem, quam iam vastabat incendium, obtulit thymiama, & stans inter mortuos ac viuentes pro populo deprecatus est, & plaga cessauit.*

Eccli. 44.

Genes. 8.

Sacerdotes Deum sacrificiis placant.

Eccli. 45.

Num. 16.

Ibid.

Simeon, & Leui vasa iniquitatis.

Pater Iacob multo aliter cum Leui egit, quã Moses. Moses Simeonem prætermisit: Iacob post Ruben cum Leui illum coniunxit, erat enim Ruben primus filius Iacob, Simeon secundus filius, tertius Leui. Ambo verò socij fuerunt in cæde Sichimitarum, de qua agitur Gen. 34. Satis constat ex Euangelio sacerdotes, & Scribas Christum cruci suffixisse. Marci 15. *Consilium facientes summi sacerdotes cũ senioribus, & Scribis, & vniuerso concilio tradiderunt Iesum Pilato.* Ex Leui orti sunt sacerdotes, ex Simeone ortos esse Scribas, ait D. Ambrosius in lib. de benedict. Patriarch. his verbis: *De tribu Simeon Scribæ sunt; de tribu Leui principes sacerdotum.* Idem ait Cyrillus, Eucherius, Glos. ordin. Magist. hist. De Christo autem exponuntur

Matth. 15.

verba Iacob à D. Ambrosio, Origene, Isidoro, Eucherio, & aliis. Nam Caiphas summus sacerdos, & alij sacerdotes, & Scribæ vasa, id est, instrumenta fuerunt bellantia aduersus Christum: consilium verò quo illum occidere statuerunt, execratur Iacob, dicens: *In cœtum eorum non veniat anima mea, & in cœtu eorum nõ sit gloria mea.* Ioan. 12. *Collegerunt Pontifices, & Pharisæi concilium, & dicebant: quid facimus?* Hoc cõcilium Iudæorum aduersus Christũ detestatur Iacob & similia: in ea non vult animam suam venire, impiisque assentiri: *Maledictus*, inquit, *furor eorum*, scilicet sacerdotum & Pharisæorũ, *quia pertinax fuit*, nam vsque ad Messiæ necem furere non destiterunt, & post necem etiam, nõ cessauit furor, maledicta indignatio eorũ, quia durissima fuit, neque emollita est tot miraculis, vitaque, & sanctissima eius doctrina, ac discipulorum. *In furore suo occiderunt* Christũ, & euerterunt murum Israel, id est, Messiam, à quo totius populi salus pendebat. Hoc muro euerso, id est, Messia cruci affixo, tartarei hostes, & Romani in populum Iudæorum irruerunt, vt solent milites in ciuitatem irruere postquam murus æquatur solo. Verba sequentia: *Dispergam eos*, &c. dispersionem Iudæorum indicant, per orbem terrarum propter Messiæ necem.

Ioan. 12.

Detestatur Iacob concilium, & cœtum sacerdotum & Scribarũ aduersus Christũ.

CAPVT XI.

MORALE.

De benedictione Beniamin.

1. NON sequitur Moses ordinem natiuitatis. Vltimus filius Iacob fuit Beniamin, Moses autem tertio loco post Leui benedictionem illi impertiuit. Ratio redditur, quia in sorte Beniamin erat templum in quo Leuitæ Deo ministrabant: ideo post Leuitas Beniamin benedicitur. Præterea quia cùm decem tribus à domo Dauid recesserũt, tribus Beniamin secuta est domum Dauid, cum tribu Leuitica. Itaque tres tribus, hoc est, tribus Iuda, & tribus Leui, & tribus Beniamin, Regi Dauidico parebant. Eas vnam post alteram benedixit Iacob. Reliquæ regnum alterum constituerunt. Amantissimus patri Iacob fuit Beniamin, ex dilectissima vxore Rachele natus. Cur hoc nomine Beniamin appellatus sit, scriptum est in Genesi, eius partus mortem attulit Racheli, egrediente autem anima præ dolore, Genes. 35. & imminente iam morte vocauit nomen filij sui Bononi, id est, filius doloris mei. Pater verò appellauit eum Beniamin, id est, filius dextræ, &c. Filius dextræ, idem est, quod filius amantissimus. Amantissimum vocauit pater, mater Rachel filium doloris, quia vitam illi in partu eripuit. Nimio illa filiorum desiderio tenebatur, ideo Genes. 30. dixit viro suo Iacob: *Da mihi liberos, alioquin moriar.* Partus quem maximè optabat mortem Racheli peperit: sic sæpè accidit, vt quod maximè optamus, mortem nobis afferat. Desiderabat Iudas pecuniam, hoc desiderium suspendium, mortemque illi attulit. Cupiebat Absalon regnum, hac cupiditate in acerbã necem ductus est. Optabat Aman vindictam, in crucem vindictæ exercendæ paratam actus est. Desiderio carnis flagrauit populus ex Ægypto ascendens Num. 11. hoc desiderium plaga magna illam affecit. Psal. 77. *Manducauerunt, & saturati sunt nimis, & desiderium eorũ attulit eis, non sunt fraudati desiderio suo. Adhuc esca eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos, & occidit pingues eorum, & electos Israel impediuit.* Extirpandæ sunt cupiditates malæ, quæ mortem pariunt nobis sempiternam.

Genes. 30.

Quod cupimus, nobis sæpè mortem affert.

Psal. 77.

Congruunt verba huius benedictionis viris spiritualibus. Etenim spiritalis vir amantissimus est Domini, eiusque filius dextræ, spretis sæcularibus ac terrenis curis, mente, ac cogitatione in Deo habitat confidenter, velut in domo tutissima, iuxta illud Psalmi 70. *Esto mihi in Deum protectorem, & in domum refugij.* Domus refugij est Deus dilectis suis, & turris, Psalmo 60. *Factus es spes mea, turris fortitudinis à facie inimici.* Psalmo 139. *Habitabunt recti cum vultu tuo*, &c. Habitare dicuntur cum vultu Dei, quia vultum Dei semper pro viribus contemplantur, & in cælo conuersantur, iuxta illud Pauli: *Conuersatio nostra in cælis est.* Sapient. 5. *Cogitatio eorum apud altissimum.* Cogitatio virorum spiritualium apud altissimum Deum est, quia de Deo cogitant, & in Deum iactant curas suas, iuxta illud Psalmi 54. *Iacta super Dominum curam tuam.* D. Catharinæ Senensi dixit olim Christus: *Cogita de me, quod si facies, ego cogitabo de te*, &c. Eximia sanè est hæc retributio, si cogitamus de Deo, ipse cogitat de nobis, & defendit nos; ideo in eo habitant confidenter viri spiritales velut in loco tutissimo. Psal. 90. *Altissimum posuisti refugium tuum, non accedet ad te malum.* Altissimum, id est, Deum, ponit refugium suum vir spiritualis, in eo semper mente, & cogitatione confidenter habitans. Si vis videre quàm confidenter habitet in Deo, & Dei auxilio, lege Psalmum 90. *Qui habitat in adiutorio altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur.* O tutissimam habitationem, adiutorium Dei! Audiamus eum, qui in hac domo habitat confidenter. Sequitur: *Dicet Domino: Suscepior meus es tu, & refugium meum Deus meus, sperabo in eum. Quoniam ipse liberauit me de laqueo venantium, & a verbo aspero. Scuto circumdabit te veritas eius, non timebis a timore nocturno, super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem*, &c. Præterea vir spiritualis, quasi in thalamo tota die in Deo suauiter moratur, orationi deditus, & diuinæ scripturæ sanctorumque librorum verbis animum pascens. Habitat itaque vir spiritalis cum Deo, & secum. Non curat terrena hæc Beniamin filius dexteræ, sed toto pectore conatur, vt in die iudicij cum ouibus à dextris Christi reperiatur; non cum hircis à sinistris habitat: cum Deo habitat, non cum mundo. Habitat secum, non vagatur, D. Benedicto similis, de quo D. Gregorius sic scripsit in eius vita: Solus in superni inspectoris oculis secum habitauit, secum autem habitasse dixerim, quia in sua semper custodia circumspectus, ante oculos conditoris se semper aspiciens, se semper examinans, extra se mentis suæ oculum non diuulgauit. Sic D. Gregor.

2. Viri spirituales sunt filij dextra Dei.

Psal. 70.

Psal. 60.

Psal. 139.

Sapient. 5.

Cogitatio nostra sit apud altissimum.

Psal. 54.

Psal. 90.

Vir spiritalis habitat in adiutorio altissimi.

Ibid.

Ibid.

Vir spiritualis vacat orationi.

Vir spiritalis habitat cum Deo, & habitat secũ, non cum mundo.

D. Gregor.

Rupertus de D. Paulo hanc benedictionem interpretatur, qui ex tribu Beniamin ortus est: De tribu, inquit, Beniamin Paulus de persecutore Domini factus amantissimus Domini habitauit confidenter, ac magis, ac magis cõualescens, & confundens Iudæos, Actor. 9. in eo quasi in thalamo tota die morabitur, id est, in gratia eius omni tempore gloriabitur, & inter duos humeros illius, inter duo testamenta illius

3. Rupertus.

illius requiescet. Sic Rupertus. Ambrosius quoque in lib. de benedict. Patriarch. Paulo hanc tribuit benedictionem; eidem Paulo tribuunt multi, vt suprà diximus, benedictionem Iacob. *Beniamin lupus rapax*, &c. Lupus rapax erat Paulus, quando Ecclesiam persequebatur, ac vastabat, Actor. 9. sed hic lupus rapax à Christo raptus est. Christus (ait D. Ambros.) vt oues seruaret suas, ipsum inimicum venientem ad rapiendas oues rapuit, lupum Paulum, postquam lupum rapacem summus pastor rapuit, in via quà Damascum petebat, ex lupo pastorem fecit, vt Euangelicæ doctrinæ opulentissima spolia gentibus diuideret. *Vespere*, inquit Iacob, *diuidet spolia.* O rem admirabilem! manè prædabatur hic lupus, vespere diuisit spolia. Quis non stuperet lupum rapacem videns manè rapientem oues, ac lacerantem; vespere autem conuersum in pastorem ouibus cibum ministrantem? quis non stuperet videns Paulum lupum rapacem in vrbem Damascum properantem, & cùm iam vrbi propinquaret, in pastorem mutatum, paulò pòst in eadem vrbe verbi diuini spolia diuidentem? Audiamus D. Lucam Actor. 9. *Continuo*, inquit, *in synagogis prædicabat Iesum, quoniam hic est filius Dei; stupebant autem omnes qui audiebant, & dicebant: Nonne hic est qui expugnabat in Ierusalem eos, qui inuocabant nomen istud, & huc ad hoc venit vt vinctos illos duceret ad principes sacerdotum.* Stupebant, inquit, omnes, & meritò stupebant tam admirabilem conuersionem lupi rapacis. Timebat Ananias Actor. 9. lupum rapacem. Cùm enim ad Paulum quærendum à Christo mitteretur, respondit: *Audiui a multis de viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis in Ierusalem, & hic habet potestatem à principibus sacerdotum alligandi omnes qui inuocant nomen tuum.* At Dominus lupum nuntiauit iam non esse timendum, eo quòd in Doctorem gentium esset commutatus, vt spolia doctrinæ Euangelicæ gentibus diuideret: *Vade*, inquit, *quoniam vas electionis est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus, & Regibus, & filiis Israel*, &c. hoc est, vade Anania ad lupum rapacem; iam non inuenies lupum, sed vas admirabile, quod nomen, Euangeliumque meum per totum portabit orbem. Ecclesiastici 43. dicitur *Sol vas*, (id est, instrumentum) admirabile *opus excelsi.* Sol vas est admirabile per totum mundum lucem portans: sic Paulus vas fuit & instrumentum admirabile, per totum orbem Euangelicæ lucis splendorem ferens. D. Chrysost. homilia 8. Sol (inquit) quidam est hominibus Paulus, qui totum prorsus orbem fulgentibus linguæ suæ radiis illuminauit, &c.

D. Paulus lupus rapax.

D. Ambros.

Actor. 9.

Ecclesiast. 43.

Paulus Sol, vas admirabile portans nomen & lucem Dei.

D. Chrysost.

Opus fuit Paulus excelsi Dei: tam admirabile vas Deus operatus est, lupum hunc rapacem ipse Dominus manu sua venatus est. Satis fuisset Apostolum aliquem ad illum mittere, vel angelum aliquem: at regia diuinaque Christi manu digna erat præda, illiusque dexteræ destinata. Itaque non hominem, non angelum misit, qui illum caperet, ipsemet summus Rex ad capiendam tantam prædam ex cælo descendit, lupumque admirabiliter venatus est. Psal. 18. de Sole dicitur: *A summo cælo egressio eius, & occursus eius vsque ad summum eius*, &c. Eundem in modum egressio Pauli à summo cælo fuit: raptus enim est in summum cælum, inde egressus orbem Euangelicæ doctrinæ radiis illumi-

Psalm. 18.

nauit. Denique postquam per tauros, sagittarios, scorpios, id est, per mille persecutiones iter fecit, ad summum cæli peruenit, in quo perpetua fruitur gloria.

Potest etiam hæc benedictio Iacob explicari de incolis Ierusalem, & sacerdotibus, ac Pharisæis, qui in Ierusalem erant, & in vrbe ipsa Christum instar luporum occiderunt. Erant Ierusalem in tribu Beniamin, vt dictum est. Vaticinatur ergo Iacob summum illius scelus, hoc sensu: Ierusalem, quæ in sorte est Beniamin, lupus erit rapax aduersum verum Messiam, clauis, spinis, ac verberibus eum laniabit instar lupi. Manè comedet prædam vt lupus, quia matutino tempore Messiam ad tribunal Pilati, & ad crucem adducet; vespere diuidet spolia, id est, post meridiem vestes illius velut spolia inter milites diuidet; vel, vespere post occisum Messiam lætabuntur sacerdotes, Pharisæi, & Scribæ, quasi victores, qui diuidunt spolia, iuxta illud Isaiæ 9. *Lætabuntur sicut exultant victores capta præda; quando diuidunt spolia*, &c. Et illud Psalm. 118. *Lætabor ego super eloquia tua, sicut qui inuenit spolia multa*, &c.

Congruunt hæc verba Iacob auaris. Auarus enim lupus est rapax, aliena bona rapit, & sibi congregat, *manè*, id est, dum viuit; at paulò pòst, *vespere*, id est, in morte, spolia rapta relinquit, aliisque diuidit. Lupus rapax fuit Alexander, qui à Lucano libro 10. fælix prædo dicitur. Vt vero refert diuus Augustin. libro 4. de ciuitate Dei, cap. 4. pirata quidam ab eo comprehensus, & interrogatus, quid ei videretur, vt mare infestum haberet: respondit: quid tibi vt orbem terrarum? sed quia ego exiguo nauigio facio, latro vocor; quia tu magna classe, Imperator, &c. Rapuit lupus rapax *manè*, sed paulò post *vespere* in morte diuisit spolia. Vis videre diuidentem 1. Machab. 1. *Obiuit regiones gentium, & tyrannorum, & facti sunt illi in tributum; & post hæc decidit in lectum, & cognouit, quia moreretur, & vocauit pueros suos nobiles, & diuisit illis regnum suum.* Nonne vides lupum rapacem, vespere diuidentem spolia rapta manè?

Prædicitur Christi passio.

Psal. 139.

Isaiæ 9.

Psalm. 118.

6 Auarus est lupus rapax.

D. August.

1. Machab. 1.

CAPVT XII.

MORALE.

De benedictione Ioseph.

1. FILIUS accrescens est vir iustus, qui se Dei mancipat obsequio; est enim, vt legitur Psalmo 1. *lignum plantatum secus decursus aquarum* cælestium, quod tali irrigatione perfusum semper crescit in cælum. Prouerb. 4. *Iustorum semita quasi lux splendens procedit, & crescit vsque ad perfectam diem.* Soli similis est vir iustus, non stat, non reuertitur retrorsum, instar Solis, sed procedit, & crescit vsque ad perfectam diem. Perfectam autem diem interpretatur magnus Gregor. lib. 7. epist. 124. diem æternitatis; itaq; in hac vita crescit iustus quousque in cælesti patria gratiæ plenam perfectionem consequatur. Tunc, inquit Gregorius, dies perfectus erit, quando iam quidquam de nocte peccati, in mente nostra non erit. Vos autem vsque ad perfectam diem crescite, vt quousque patria æterna videatur, bonorum hic operum augmenta dilatentur; quatenus tanto pòst in retribu-

Vir iustus in hac vita crescit virtute. Psalm. 1. Prou. 4.

D. Greg.

De profectu in virtutibus.

tione maior sit fructus muneris, quanto nunc studium eteuerit laboris, &c. D. Bernard. Epist. 253. Nunquam, inquit, iustus arbitratur se comprehendisse, nunquam dicit, satis est, sed semper esurit, sititque iustitiam, ita vt si semper viueret, semper, quantum in se est, iustior esse contenderet, semper de bono in melius proficere totis viribus conaretur, &c. Crescit corpus, ex paruoque fit magnum, nec quiescit, quousque ad debitam perueniat quantitatem: ita oportet crescere animam virtute; ex minima fieri magnam, nec cessare vsq; ad mortem. Corpus non potest vsque ad mortem crescere, habet enim certam crescendi metam: at anima nullum habet proficiendi finem, quamdiu in corpore manet, crescere semper potest vsque ad mortem, & virtutibus augeri, in morte autem facto gratiæ & virtutum magno incremento Deum cernet, iuxta illud Psalm. 83. *Beatus vir cuius est auxilium abs te, ascensiones in cordè suo disposuit.* Item: *Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus Deorum in Sion.* Beatus sanè est vir iustus, cui Deus auxilium suum impertitur, quique in corde suo ascensiones in cælestem Ierusalem disposuit. Huiusmodi iusti ibunt de virtute, id est, de fortitudine, in virtutem, id est, fortitudinem; semper crescent robore in hoc itinere, proficient, & roborabuntur gratia donisque spiritalibus, donec videant Deum Deorum in Sion cælesti. Ibunt iusti de virtute in virtutem, & de gradu in gradum, & dum progrediuntur, canent Canticum graduum, hoc est, gratias semper agent pro profectu virtutum. Nam vt ait D. Bernard. in Cantica serm. 1. Cantica graduum appellantur, eò quòd ad singulos profectus nostros iuxta ascensiones, quas quisque in corde suo disposuit, singula sint Cantica depromenda, ad laudem & gloriam promouentis, &c. Gen. 41. ait Ioseph: *Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ.* In terra deliciarum, voluptatum, ac diuitiarum decrescunt homines; in terra vero paupertatis crescunt. Quemadmodum arbor, si ramos præscindas, in sublime crescit, ita homo si voluptates, caducarumque rerum desideria resecet, crescit in cælum.

D.Bernard.

Progredi, & crescere oportet vsque ad mortem.

Palm. 38.

Ibidem.

Gratiarum actio pro progressu in virtute.

D.Bernard.

Genes. 41.

2 Ioseph typus fuit Christi.

Typus Christi fuit Ioseph. Venditus est Ioseph, & in cisternam missus à fratribus: similem in modum venditus est Christus, & missus in sepulchrum, velut in cisternam: ex cisterna exiit Ioseph, & ad principatum Ægypti est euectus; ex sepulchro exiit Christus, & cæli, terræque totius imperium obtinuit. Filius ac crescens fuit noster Ioseph, mirum enim in modum accreuit post crucis tormenta, vt Paulus indicat ad Philippens. 2. *Humiliauit*, inquit, *semetipsum vsque ad mortem, mortem autem crucis, propter quod & Deus exaltauit illum, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen, vt in nomine Iesu omne genu flectatur cælestium, terrestrium, & infernorum*; &c. Matth. 28. ait noster Ioseph: *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in terra.* Filius accrescens fuit noster Ioseph: sequitur, *& decorus aspectu*, pulcherrimus namq; est secundùm diuinam naturam habens infinitam pulchritudinem, quam postquam, vel homines, vel Angeli semel aspiciunt, oculos ab illa auellere nullo modo possunt; tanta vis est immensæ pulchritudinis: secundùm humanam autem naturam, Psalm. 44. *speciosus est præ filiis hominum.*

Ad Philip. 2.

Matth. 28.

Psalm. 44.

Filiæ discurrerunt super murum, hoc est, Ægypti 3
fœminæ super muros discurrebant, vt pulchritudinem sui Ioseph intuerentur: nostri verò Ioseph admirandum decorem totius cæli incolæ, angeli, atque homines mirum in modum cupiunt cernere, iuxta illud 1. Petri. 1. *In quem desiderant angeli prospicere*, &c. In hoc etiam terrarum orbe animæ virtutis amantes nostrum Ioseph videre maximè desiderant. *Filiæ*, inquit Iacob, *discurrerunt super murum, vt videant Ioseph.* Quisnam est celsus murus animarum nostrarum? nónne celsus intellectus? quinam sunt illarum discursus? nónne illi qui intellectu perficiuntur? Per hunc ergo murum variis sanctarum meditationum discursibus discurrunt animæ, vt dilectissimum suum Ioseph, id est, Christum, cernant, eiusque conspecta pulchritudine, rerum omnium caducarum pulchritudinem pro nihilo ducant. Ad discurrendum per hunc murum excitantur animæ, Cantic. 3. illis verbis: *Egredimini, & videte filiæ Sion Regem Salomonem in diademate, quo coronauit illum mater sua*, &c. Quasi dicat, ô filiæ Sion, ô animæ Christianæ, egredimini exluteis corporum domibus, caducis relictis negotiis; in murum intellectus ascendite, & discurrendo videte pulcherrimum Ioseph Christum, eiusque immensam pulchritudinem, sapientiam, omnipotentiam, cæteraque attributa considerate. Mutus est intellectus, quia quemadmodum murus vrbem: sic intellectus sanctis meditationibus animam protegit.

1. Petri 1.

Meditatio, & consideratio.

Cantic. 3.

Exasperauerunt eum & iurgati sunt, inuiderunt- 4
que illi, habentes iacula, &c. sic sacerdotes, Pharisæi, & Scribæ exasperauerunt Christum Messiam suum, habentes inuidiæ iacula; propter inuidiam enim mortis iaculis eum transfixerunt; hæc fera pessima, id est, inuidia, deuoratuit Ioseph, iuxta illud Matth. 27. *Sciebat Pilatus, quod per inuidiam tradidissent eum.* at verò *sedit in forti arcus eius, & dissoluta sunt vinculæ brachiorum, & manuum illius, per manus potentis Iacob, inde pastor egressus est, lapis Israel.* Non potuerunt hostes nostrum Ioseph vincere; sedebat enim in forti diuinitate arcus eius, quo mortem, mundum, tartareosque confixit exercitus. Arcus Christi crux fuit, in humeris Dei sedit, pedes, manusque Dei confixos habuit, ideo hostes omnes superare potuit. Dissoluta sunt omnia vincula Christi: vincula, inquam, quibus eum inuidi ligauerunt; dissoluta sunt vincula mortis ac sepulchri, ex quo omnibus dissolutis vinculis cum gloria resurrexit admirabili. Ascensurus autem in cælum vicarium constituit in terra, quem vocauit Petrum, siue petram, siue lapidem, quod significant verba sequentia; *inde pastor egressus est, lapis, siue petra Israel*, hoc est, ex Christo egressum est & ortum maximum, ac cæleste in terris imperium Petri, & summorum Pontificum; inde egressus est, & ortus pastor summus, & lapis populi Dei, videlicet petra illa, cui dictum est à Domino: *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, &c. Egressus est pastor, qui vniuersam gubernaret Ecclesiam, & lapis, siue petra super quam ædificaretur.

Inuidia iacula in Christũ coniecta.

Matth. 27.

Petrum constituit Christus in terris suum vicarium.

CAPVT

CAPVT XIII.

MORALE.

De benedictione Zabulonis.

1. ZAbuloni similem esse Ecclesiam, existimat D. Ambrosius in lib. de benedict. Patriarch. cap. 5. *Zabulon in littore maris habitabit, & in statione nauium, pertingens vsque ad Sidonem*, &c. Zabulon significat habitaculum, Ecclesia verò habitaculum est Dei in terris, habitaculum quoque est Catholicorum, in littore tuto constitutum, & in statione nauium, in fide Catholica fundatum, ac radicatum. Miseri autem hæretici naufragantur, & in profundum tartarum demerguntur, quia in tuto hoc habitaculo habitare nolunt. D. Ambrosius loco citato: Zabulon, inquit, iuxta mare habitabit vt videat aliorum naufragia, ipse immunis periculi, & spectet alios fluctuantes in freto istius mundi, qui circumferuntur omni vento doctrinæ, ipse fidei radice immobilis perseuerans. Sic ille. Spectat Ecclesia hæreticorum naufragia magno cum luctu, tabulas verò porrigit, & auxilium, vt eos ad littus pertrahat. Ambrosius: Ecclesia circa fluctus habitat, non fluctibus commouetur, magisque ad subueniendum parata, quàm periculo obnoxia, vt si qui tempestatibus acti confugere velint ad portum, præsto sit, tanquam portus salutis, quæ expansis brachiis in gremium tranquillitatis suæ vocet periclitantes, locum fidæ stationis ostendens, &c. Neque solum hæreticis auxilium præbet Ecclesia, sed etiam Ethnicis. *Zabulon in littore maris habitabit pertingens vsque ad Sidonem*, ciuitatem Ethnicorum: sic Ecclesia habitat in littore, & portu veræ fidei, & pertingit vsque ad Sidonios, id est, vsque ad Ethnicos, missis operariis, qui ad Christum illos vocent, & adducant.

D. Ambros. Ecclesiæ typus.

Ecclesia portus est salutis.

2. Præterea Zabulon, quod nomen significat habitaculum, indicat habitacula religiosorum hominum, siue cœnobia, ac collegia. Quædam religiones in mediterraneis locis habitant, ab hominum turbis segregatæ, & contemplationi diuinarum rerum vacantes. Aliæ habitant in littore maris, & in statione nauium; non habitant in mari, id est, mundo, sed propè mare habitant, id est, propè mundum in littore, vt naufragantibus succurrant Christianis, confessiones audiendo, concionando, operaque alia misericordiæ exequendo. Neque verò hîc consistunt, sed pertingunt vsque ad Sidonem, hoc est, vsque ad Ethnicos, in Indiam vtranque exeunt, tam orientalem, quam occidẽtalem, Brasiliam, Iaponiam, Sinarúmque regnum amplissimum. Hic exitus est, in quo Moses lætari iubet Zabulonem: *Lætare*, inquit, *Zabulon in exitu tuo*, hoc est, ô religio, ex qua multi ad conuertendas gentes exeunt, lætare in hoc exitu tuo. *Lætetur etiam Issachar in tabernaculis suis*, hoc est, lætetur etiam religio contemplationi vacãs in tabernaculis, & cubiculis suis, iuxta illud Psalmi 149. *Exultabunt sancti in gloria, lætabuntur in cubilibus suis, exaltationes Dei in gutture eorum.* Exultent contemplationi vacãtes viri religiosi, in gloria contemplationis, in cubilibus suis: exaltationes & laudes Dei in ore eorum semper resonent. *Lætetur etiam Zabulon in exitu suo*; lætentur etiam viri religiosi, illi qui exeunt ad quærendas Christo pretiosas margaritas, hoc est, animas pretioso Christi sanguine redẽptas. Inundationes maris quasi lac sugunt viri religiosi, zelo Dei incensi, maris procellas, ac pericula omnia, propter Christum, animarumque salutem dulcia illis sunt, instar lactis; ipsum mare salsissimum lac est illis dulcissimum, propter animarum lucrum. O beatum exitum qui non ad Indicas gemmas, aromataque conquirenda fit, sed ad animas Christi fide illuminandas! ô beatum exitum, qui ex domo fit in oppida, & pagos, ad docendos rudes populos! Præclarus fuit Regis Iosaphati exitus, ille de quo lib. 2. Paralip. cap. 19. sic scriptum est: *Egressus est Iosaphat ad populum de Bersabee, vsque ad montem Ephraim, & reuocauit eos ad Dominum Deum patrum suorum.* Præclarus quoque fuit exitus Principum, Leuitarum, & Sacerdotum, de quo legitur 1. Paralip. 17. *Iosaphat misit de principibus suis, vt docerent in ciuitatibus Iuda, & cum eis Leuitas, & Sacerdotes. Docebantq; populum in Iuda, habentes librum legis Domini, & circuibant cunctas vrbes Iuda, atque erudiebant populum.* O præclaros exitus, & dignos Regibus, ac principibus! ô præclaros exitus incarnati Dei! Matt. 9. *Circuibat Iesus omnes ciuitates, & castella, docẽs in synagogis eorum, & prædicans Euangelium regni, & curans omnem languorem, & omnem infirmitatem.* D. Chrysost. orat. 5. contra Iudæos: Christus (inquit) obambulans ciuitates, ac vicos, geminos curans morbos, animi, & corporis, nobis præbens exemplum, vt obambulemus, & quæramus eos qui pereunt, &c.

Societas IESV.

Psal. 149.

Exitus religiosorum ad prædicandum Euangelium Ethnicis.

Exitus in oppida, docendi causa.

2. Paralip. 19

1. Paralip. 17

Matth. 9.

D. Chrysost.

3. Sanctissimum Patrem Dominicum, eiusque sacrum ordinem ad hanc rem Deus elegit. Audiamus D. Anton. ep. tit. 23. cap. 4. §. 3. Cùm (inquit) Dominicus esset Romæ, & in Basilica S. Petri, & oraret gloriosos principes, Petrum, & Paulum, ad se quadam imaginaria visione venientes aspexit, quorum Petrus baculum, Paulus librum tradere videbatur, addebantque dicẽtes: Vade, prædica, quoniam à Deo ad hoc ministerium electus es, &c. En tibi prædicatorum insignia; liber est, & baculus; liber vt concionem præparent, baculus vt ciuitates, & pagos circumeant. Addit D. Antoninus: Mox in momẽto temporis videbatur D. Dominico, quòd filios suos per totum mundum dispersos aspiceret, incedentes binos, & binos, & verbum Domini populis prædicantes. Quapropter Tolosam rediens conuocatis fratribus, inuocatóque Spiritu sancto dixit, suum hoc esse propositum, vt fratres omnes, licèt admodũ paucos, per diuersas dispergerer regiones, neque se velle de cætero eos simul habitare, sciens quòd semina dispersa fructificant, congesta putrescunt. Sic D. Anton. Quemadmodum semina dispersa, sic dispersi per oppida, & regiones fideles operarij fructum ferunt; fideles inquam operarij; non enim omnium est hoc munus, sed hominum, qui exemplo, & verbo populum possunt docere. Adiungit D. Anton. §. 4. quendam sancti Aniani Aurelian. decanum, scientia, ac virtute prẹditum Dei inspiratione ad hoc permotum, vt omnibus relictis caducis rebus oppida circuiret, Dei verbũ prædicans. Cùm Romam venisset, Cardinali cuidam, vt ait D. Antonin. suum propositum aperuit, dicens, se admodum affectare huiusmodi vitæ genus attingere, vt relictis omnibus Christum prædicando discurreret in voluntaria paupertate; à Cardinali verò certior factus, D. Dominicum in vr-

D. Anton.

D. Anton.

Mittẽdi operarii fideles in messem multam.

beesse, cum eo collocutus, eiusque sacrum ordinem complexus, optatis suis fecit satis. Vtinam Dominus multis doctis & probis viris huiusmodi inspirationem donet; plures enim reditus ex doctrina populorũ, quàm ex suis præbendis comparabunt. Cap.10. idem Pater sanctissimus sic scribit: In prędicando verbum Dei ad quod ordo à principio deputatus est, Deus super ordinẽ tantum effuderat feruorem, quòd multi eorum, non cum tuta conscientia comedere audebant, vlla die, nisi vni vel pluribus prædicassent. In quibus Spiritus sanctus supplebat ex interiori vnctione, quod eis deerat ex scientia acquisita. Hæc D. Anton. Audiant illi pastores qui comedere audent Christi patrimonium, cùm tamen ouibus verbi Dei pastum non præbeat. Non prætereo tacitus sanctum Vincẽtium Ferrerium, qui totum se huic cælesti negotiationi mancipauit, multásq; prouincias Dei verbum prædicando adiit. De illo legendus est D. Antonin. cap.8. Cùm, inquit, dignitates non modicæ, & honores præsidentiæ à prælatis Ecclesiæ, & mundi principibus offerrentur, eis spretis elegit abiectus esse in domo Dei, & mendicus suum patrem Dominicum imitatus, plurimas Occidentis regiones, & regna, verbum Dei euangelizando peragrauit. & præcipuè in partibus Valentiæ, Aragoniæ, Cataloniæ, Hispaniæ, in regno Castellæ, Northmaniæ, Britaniæ, Subaudiæ, Pedemontij Ripariæ, Genuæ, Delphinatus, Borbonij, & Franciæ, hoc opus sanctissimum quotidie euangelizandi verbum Dei per triginta annos continuauit, &c. Quis non admiretur sanctissimi huius viri ardorem? non differebat ille concionem in dies festos sed quotidie concionabatur, hûcque subiit laborem per annos triginta. Quis nobis dabit multos Vincentios, qui orbem docendo peragrent? Imitemur virum sanctissimum, quicunque ad prædicandum Euangelium vocati sumus.

Exempla.

Exemplum D. Vincentij Ferrerij.

D. Antonin.

4. Ad hoc munus præcellentissimum, post alias sacras religiones, vocata est Societas nostra Iesv. Quàm verò strenuè in eo se gesserint eius filij, gerantque vsque ad hodiernam diem, longum esset percensere, testes sunt Lusitaniæ oppida, testis Brasilia, testis India, testis Sinarũ regnum, testis Iaponia. Pergite, fratres charissimi, pergite, inundationes maris, & terræ labores tanquam lac sugite, vt animas Deo lucremini. Diabolus Iob 1 ait: *Circuiui terram, & perambulaui eam.* Diabolus vt animas in orcum trahat, circuit, ac perambulat terram; vos eandem circuite, & perambulate, vt animas in cælum ducatis. Paulum imitamini, de quo D. Hieron. Amos 5. ait: *Ante Paulum terra deficeret, quàm studium prædicandi Euangelium.* Prius vos deficiat terra quá zelus, & ardor docendi rudes populos. Imitamini Patrem nostrum Franciscvm Xaverivm, de quo idem dici verissimè potest: prius illum terra deficeret, quàm studium prædicandi Euangelium. Hoc ardenti studio inflammatus, Roma in Lusitaniam est profectus, ex Lusitania in Indiam venit, ex India ad Molucas, à Molucis ad Iapones nauigauit, ad Sinas cùm pararet profectionem, in cælestem patriam à Deo vocatus est. O virum omni præconio dignum, qui, vt Christi Euangelium toto orbe promulgaret, inundationes maris, & labores terrarum tanquam lac dulcissimum sugebat. Imitamini, vt alios relinquam, Patrem Criminalem, qui ducenta amplius millia passuum singulis mensibus ingenti labore nudis pedibus obibat, erudiendæ plebis causa. Nullum Deo tale est sacrificium (ait Gregor. homil. 12. in Ezechiel.) quale est zelus animarum, &c. Offerre hoc sacrificium Deo, multas animas zelo vestro, & labore, ex diaboli captiuitate ereptas ad eum afferte. Psal.28. *Afferte Domino filij Dei, afferte Domino filios arietum, afferte Domino gloriam, & honorem, afferte Domino gloriam nomini eius,* &c. Sacrificia agnorum postulat psalmographus afferri in honorẽ gloriamque Dei. Vos alia præstantiora afferte, & offerte sacrificia, videlicet animas, ex cacodæmonis imperio liberatas, in magnum honorẽ, magnámque summi Dei gloriam. Matth.9. (ait Dominus) *Messis quidem multa, operarij autẽ pauci. Rogate ergo Dominum messis, vt mittat operarios in messem suam,* &c. Toto orbe messis est Christi, pauci autem sunt operarij, qui zelo ardeant, potiusque velint animas Christo, quàm sibi pecunias, & honores lucrari. Rogemus ergo quotidie Dominum tantæ messis, vt bonos zeloque ardentes operarios ipse excitet, mittátque in messem suam amplissimam.

Societas IESV vocata ad prædicandum Euangelium.

Iob 1.

D. Hieron.

D. Pauli zelus & fervor.

B. Franciscus Xauerius.

D. Gregor. Zelus animarum sacrificiũ Deo gratissimum.

Psal.28.

Matth.9.

CAPVT XIV.
MORALE.
De benedictione Issachar, Gad, & Dan.

1. ISsachar hominem adumbrat Dei obsequiis mancipatum, atque humilem: asino idcirco adumbratur, quia humile est animal. Equo enim superbia significatur; asino abiecto animali humilitas. Noluit Dominus equo vehi, cùm Ierusalem de morte triumphans est ingressus, sed humili asello. Psalmo 17. *Ascendit super Cherubim & volauit.* Is qui super Cherubinos ascendit, non Cherubinis, sed asello vectus triumphare voluit, quia humiles amat, superbiam odio habet. Fortis dicitur asinus Issachar, siue vt D. Hieron. vertit in quæst. Hebr. dicitur *osseus* asinus; quoniam vir iustus, & humilis fortis est ad tolerãdos labores pro Christo, & omnia portanda onera; osseus est, durus, ac robustus ad perferenda pro Deo mala omnia. Iuuat autem illum nimis cælestis gloriæ cõsideratio, quocirca sequitur: *Vidit requiem quod esset bona, & terram quod optima, & supposuit humerum suum ad portandum, & factus est tributis seruiens.* Videt mentis oculis vir iustus æternã requiem, quod sit bona: videt terram repromissionis cęlestem, quòd sit optima, omnibus diuitiis, gaudiis, & oblectationibus redundans. Vt verò ad illam perueniat, humeros suos supponit ad portandum onera omnia, omniaque tributa soluit, quę Deo clemẽtissimo Regi debet. Glossa interlin. hoc loco: Qui (inquit) ad promissam requiem peruenire desiderat, mandatorum onera libenter portat, &c. Matth.20. aiunt vineæ operarij: *Portauimus pondus diei & æstus,* &c. Cur pondus diei & æstus portauerunt hi operarij? cur supposuerunt humerum ad portandum onus? sanè propter mercedem, videlicet propter denarium æternæ gloriæ. Psal. 118. ait Dauid: *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum, propter retributionem.* Qui retributionem siue remuneratione Dei sempiternam ante oculos ponit, id onus alacriter fert, quod mãdatorum affert obseruatio. Moses ad Hebr. 11. *aspiciebat in*

Issachar hominẽ adumbrat humilẽ, & ad tolerãdos pro cælesti gloria labores fortem.

Psalm.17.

Gloss. interl.

Matth.20.

Præmiũ æternæ gloriæ ad labores tolerandos excitat.

Psalm.118.

Ad Hebr. 11.

in remunerationem, &c. Aspicit quoque noster Issachar, iuxta nomen suum, mercedem, quam à Deo accepturus est: nam nomen Hebræum, Issachar, mercedem sonat. Propter Deum quidem maximè laborat, sed in mercedẽ quoque gloriæ sempiternæ oculos coniicit, iuxta illud D. Augustini Psal.36. Si vis sustinere laborem, attende mercedem, &c. Matth. 20. *Cùm serò factum esset, dicit Dominus vineæ procuratori suo: voca operarios, & redde illis mercedem.* Cùm serò factum fuerit, hoc est, post mortem, mercedem æternæ gloriæ recipiet noster Issachar, in hanc oculos coniicit dum viuit, vt onera omnia fortiter portet.

D. August.

Matth.20.

2. D. Gregor. asino forti gentilitatem ait significari ad Christum conuersam, quæ iugo & oneri leui Euangelij humeros supposuit, propter remunerationem. Lib.1. Moral. c.17. Fortis, inquit, asinus requiem, ac terram optimam videt, cùm gentilitas idcirco se ad robur boni operis erigit, ad æternæ vitæ patriam tendit. Quæ & ad portandum onus humerum supponit, quia conspecta superna requie, præceptis etiam grauibus se subiicit, & quidquid intolerabile pusillanimitas asserit, hoc ei leue, ac facile spes remunerationis ostẽdit. Hæc D. Gregor.

D. Gregor.

Spes remunerationis omnia facilia ostendit.

3. Præterea imago est Issachar religiosi obedientis. Religiosus obediens prælatis, non est superbus equus, pretioso ornatus ephippio, onera difficilia, quæ imponũtur, recusans, honores tantùm, & dignitates complectens. Iumentũ est bonus obediens, ad omnia onera portanda humiliter paratum: iudicium, voluntatemque suam Prælato subiicit, quà ille ducit, simpliciter facit iter, dicitque Deo illud Psalmi 72. *Vt iumentum factus sum apud te, & ego semper tecum, tenuisti dexteram meam, & in voluntate tua deduxisti me, & cum gloria suscepisti me,* &c. Vt iumentum fit obediens apud Dominum, & semper cum eo est, ad obediendum paratus. Deus autem in voluntate sua deducit eum in vita hac: voluntas enim Prælati qua obediens dicitur, voluntas Dei est. Post hanc vitam *cum gloria,* inquit, *suscepisti me.* Psalm.79. *deducis velut ouem Ioseph.* Simplex iumentum est obediens religiosus, & ouis est, vt iumentum est apud Deum, vt ouis simplex deducitur ab illo: quonam deducitur? in cælestem deducitur patriam, vbi maxima cum gloria suscipitur. Iumentum forte est obediens, oritur autem hæc fortitudo ex mortificatione carnis; idcirco dicitur Issachar asinus osseus. Religiosus mortificatione carens, & carnis cupiditatibus, potius quàm Prælato obediens, equus est superbus, & pinguis, religiosus autem mortificatus, osseum est iumentum, carne caret, carnis cupiditates execratur, honorem non quærit, aut delicias in religione, sed laborem, quæcunque imponuntur onera libenter fert. Oculos enim in terra cælesti defixos habet, quæ fluit lacte, & melle. Melle illo cælestis patriæ, dulcedine illa immensa, gaudiis illis omni fine carentibus, ad omnia onera ferenda, etsi difficillima, concitatur.

Issachar vmbra est viri religiosi.

Psalm.72.

Psalm.79.

MORALE.
De benedictione Gad.

4. Quisnam est hic Gad, id est, accinctus, qui fratres suos ad bellum præcedit? *Gad* (inquit Iacob) *accinctus præliabitur ante eum,* id est, ante populum, *ipse accingetur retrorsum.* Prælatus hic est Gad, qui subditos ad prælium aduersus vitia omnia, & tartareos hostes præcedit. Accinctus præcessit Gad, & expeditus absque vxoribus & filiis, domo sua, & quiete relicta: sic Prelatus zelo Dei, atque animarum inflammatus, præcedit subditos expeditus, omnibusq; sæcularibus solutus negotiis, iuxta illud Pauli 2. Timoth.2. *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus,* &c. Præcedit etiam accinctus cingulo castitatis, iuxta illud Luc. 12. *Sint lumbi vestri præcincti,* &c. Singularis enim castitas illis necessaria est, qui à libidine, & aliis vitiis subditos reuocare conantur. Precedit quoque subditos dignitate prælatus, precedit etiam exemplo. Ioan. 10. *Cùm proprias oues emiserit, ante eas vadit, & oues illum sequuntur.* Vadit ante oues pastor bonus, quia exemplo præit: oues verò exemplum boni pastoris sequuntur. Hoc in pastore magnopere requiritur, videlicet vt gregem suum exemplo præcedat, & impinguet. Nam pastoris bonum exemplum ouibus pinguedinem affert, malum verò exemplũ affert maciem. D Bernardus sermon.76. in Cant. Boni, inquit, pastores non cessant impinguare pecus bonis, lætisque exemplis, & suis magis, quàm alienis, &c. Proponit pastor ante ouium oculos exempla sanctorum, quibus eas ad mãdata Dei seruanda excitet; rectè quidem facit, pascua offert pinguia, sed non ita hæc impinguant pascua, sicut ea exempla, quæ pastor in se ipso præbet. Impinguant oues exempla pastorum, pastoribus verò ipsis honorem afferunt, & apud oues reuerentiam. Vt enim, ait Bernardus loco citato, si pastores alienis exemplis non suis impinguare volunt pecus, ignominia est illis, & pecus ita non proficit, &c.

Gad typus boni Prælati.

2. Timoth.2.

Luc.12.

Ioan.10.

Exemplum pastoris.

D. Bernard.

5. Iosue 3. *Sacerdotes qui portabant arcam Domini pergebant ante eum,* id est, ante populum: sic oportet Prælatos, qui arcam Domini, id est, Ecclesiam portant, pergere ante populum non solùm dignitate, sed etiam sanctitate, vt eodem capite dicitur: *Arca præcedebat populum spatio cubitorum duorum millium. Quando,* inquit, *videritis arcam fœderis Domini, & sacerdotes portantes eam, vos quoque consurgite, & sequimini præcedentes, sitq; inter vos, & arcam spatium cubitorum duorum millium, vt procul videre possitis, & nosse per quam viam ingrediamini.* Per spatium duorum millium cubitorum Israelitas præcedebant sacerdotes portantes arcam: sic per longum spatium oportet Prælatos pręcedere subditos. Longum sanè spatium signat Prælatis magnus Gregorius, per quod pręcedant virtute populum. Sic enim scribit secunda parte pastoralis, cap. 1. Tãtum debet actionem populi actio transcendere præsulis, quantum distare solet à grege vita pastoris, &c. Quasi dicat, Oportet sacerdotes portantes arcam Dei præcedere subditos exemplo, per spatium longissimũ multorum cubitorum, vt eorum exempla videant subditi, eosque sequantur. Viam ostendebant populo sacerdotes, ait Iosue Israelitis: *Sequimini præcedentes, sitq; inter vos & arcam spatium cubitorum duûm milliũ, vt procul videre possitis, & nosse per quam viam ingrediamini,* &c. Eundem in modum viam in terram repromissionis cælestem ostendunt præsules præcedendo sanctitate subditos, vt nosse possint, per quam viã debeant ingredi. D. Gregor. in pastor. part.2. cap.3. Sit, inquit, rector, id est, Prælatus, operatione præcipuus, vt vitæ viam subditis viuen-

Iosue 3.

D. Gregor.

Prælatus viã in terrã promissionis subditis indicet.

D. Gregor.

do denunciet, & grex qui pastoris vocem, moresque sequitur, per exempla meliùs, quàm per verba gradiatur, &c. Hinc illud Senecæ lib. 1. epistol. 6. Longum iter est per præcepta, breue & efficax per exempla. &c.

Seneca.

6. Non solùm autem Gad noster, id est, præsul, accinctus & expeditus præliatur, sed vt hanc expeditionem ad prælium consequi possit, accingitur etiam retrorsum, hoc est, quemadmodum Gaditæ reuersi sunt domum suam: sic & ille reuertitur in animum suum, in cor suum, in orationem, in rerum æternarum consideracionem. Duæ sunt accinctiones Prælati; altera ante eum, id est, ante populum, ante subditos, vt pro illis sicut dux in acie stet, tartareosque hostes prosternat: altera accinctio est retrorsum; reuertitur enim accinctus retro, cũ ad rerũ cælestium meditationem se recipit, & ad prelia cum tartareis hostibus se præparat. Non enim benè ante populum preliatur Prælatus, qui retrorsum non accingitur, id est, qui ad æternas res cogitandas non reuertitur domum cordis sui, sed rebus caducis cogitationes impendit. Accingatur retrorsum Prælatus, quia vt in domum suam, id est, in cor suum se recipiat, accinctione, hoc est, prælio opus est. tartarei enim hostes rerum æternarum consideracionem maximè impugnant. Audiamus D. Greg. cap. 7. Sit, inquit, rector internorum, curam in exteriorum occupatione non minuens; exteriorum prouidentiam, in internorum occupatione non relinquens, ne aut exterioribus deditus, ab intimis corruat, aut solis interioribus occupatus, quæ foris debet, proximis non impendat. Hæc ille.

Prælatus mediationi vacet.

D. Gregor.

De benedictione Dan.

7. Dan iudicium significat, vt verò placet Lyrano, imago est iudicis: *Dan iudicabit populum suum, erit coluber in via, cerastes in semita*, &c. Iudex improbus, siue tyrannus serpens est in via, cerastes est in semita, inhumanus est, & crudelis, mordet omnes, innocentes condemnat, nocentes absoluit. Ecclesiastic. 3. *Vidi sub sole in loco iudicij impietatem, & in loco iustitiæ iniquitatem*, &c. Locus iudicij est tribunal iudicis, siue Regis, & locus iustitiæ: at iudices, & Reipublicæ gubernatores impij, locum iudicij efficiunt locum impietatis, & locum iustitiæ in locum mutant iniquitatis. Serpenti dixit Dominus Gen. 3. *Terram comedes*, hic cibus est iudicis impij, qui serpens est in via, terram comedit, terrena cõcupiscit, pecunias extorquet, pro muneribus iustitiam deserit, & iniustas fert sententias. Ecclesiast. 20. *Xenia, & dona excæcant oculos iudicum, & quasi mutus in ore auertit correptiones eorum*. Hoc est, munera iudices excæcant, & iudex quasi mutus sic in ore auertit correptiones flagitiosorum, id est, punitiones debitas flagitiis prætermittit. Libet exemplum iudicis muneribus excæcati proponere ex Dionysio Carthusiano, hoc cap. 20. Ecclesiast. fides sit penes narratores. Narratur, inquit, quod quidam habens causam, appropinquante die proferendæ sententiæ, misit iudici bouem; quo cognito aduersarius misit coniugi iudicis pinguem vaccam. Coniux maritum traxit ad partem suam, ventum est ad iudicium, quo instante, cùm iudex inciperet loqui in fauorem causæ eius, qui miserat vaccam, alter admirãs clamauit: bos loquere: respondit que iudex: bos loqui non potest, quoniam vacca non sinit. Sic ille. Non sinunt accepta munera iudicem iustam ferre sententiam, tamquam frenum os comprimunt.

Iudex improbus serpens est in via.

Eccles. 3.

Genes. 3.

Eccles. 20.

Munera excæcant iudicem.

Dionys. Carthus.

A

B

C

Præterea possunt verba Iacob de bono iudice exponi ac recto. Iudicat ille populũ suum; & serpens est in via, cerastes in semita, &c. Serpens, inquam, est metuendus in via, & cerastes, aduersus latrocinia, aliaque scelera, quibus Rempub. expurgat. Si vis videre iudicem serpentem aduersus latrocinia, lege D. Anton. p. 2. hist. tit. 16. cap. 1. §. 12. Robertus (inquit) dux Northmanorum iustitiã dilexit, fouit, atque in sua terra seruari fecit, adeò vt in magnis, ac publicis viis armillas, & annulos iuberet suspendi, qui viatorum auiditatem riderent, dum non essent qui raperent; tantaque seueritate iniurias vindicauit maiorum in minores commissas, vt tutius, & liberius minores viuerent, quàm maiores. Hæc D. Anton. Mitissimus Dauid erat, sed vt Dei ciuitatem sceleribus expurgaret, erat serpens. Psalm. 100. *In matutino*, inquit, *interficiebam omnes peccatores terræ, vt disperderem de ciuitate Domini omnes operãtes iniquitatem*. Non accipit bonus iudex munera oculos excæcantia, sed respuit, sicut legatus ille, de quo scribit D. Bernardus lib. 4. ad Eugenium: Martinus, inquit, Cardinalis presbyter, functus aliquando legatione in Dacia, tã pauper remeauit, vt penè expensis & equis deficientibus, vix peruenirent Florentiam. Ibi Episcopus loci donauit ei equum, quo Pisas peruectus est, postridie credo secutus Episcopus, (erat enim illi causa cum aduersario, & agendi aderat dies.) cœpit requirere suffragia amicorum: ventum est ad Martinum, fiducia erat maior in illo, qui non posset esse immemor recentis beneficij. Tum Martinus: Decepisti me, (inquit) nesciebam tibi imminere negotium; tolle equum tuum, ecce in stabulo est. & hora eadem resignauit illi. Quid dicis mi Eugenii? nónne alterius sæculi res est, rediisse legatum de terra auri, sine auro, transisse per terram argenti, & argentum nesciuisse, donum insuper, quod poterat esse suspectum, illico reiecisse? Adiungit sanctissimus Pater Episcopi Gaufridi Carnotensis exemplum, qui legationem in partibus Aquitaniæ administrauit: Erã (inquit Bernardus) cum illo in terra illa, cùm à quodam presbytero præsentatus illi est piscis, quem vulgò vocant sturgionem: percunctatus legatus, quanti venierit: non accipio (inquit) nisi receperis pretium. & resignauit solidos quinque, inuito, & verecundo. Item, cùm essemus in quodam oppido, domina illius oppidi obtulit ei pro deuotione cum manutergio duas, vel tres paropsides pulchras, ligneas tamen, quas aliquandiu intuens homo scrupulosæ conscientiæ, laudauit eas, sed non acquieuit accipere. Quando argenteas recepisset, qui ligneas refutauit, &c. Adde his Samuelem quem populus sic alloquitur 1. Reg. 12. *Non es calumniatus nos, neque oppressisti, neque tulisti de manu alicuius quippiam*, &c. Adde Paul. Actor. 20. *Argentum* (inquit) *& aurum, aut vestem nullius concupiui, sicut ipsi scitis*, &c. Probus iudex neminem calumniatur, neminem opprimit, non accipit de manu alicuius quippiam, argentum, & aurum, aut vestem nullius concupiscit.

8. Bonus iudex qualis sit.

D. Anton.

Psalm. 100.

Probus iudex munera non accipit excæcantia. D. Bernard.

D

E

1. Reg. 12.

Actor. 20.

Vt

Vt cadat ascensor retrorsum.

9 Duplex est casus, in faciem, & retrorsum.

Duplex est casus: alter in faciem, alterum retrorsum. Qui cadit retrorsum, non videt locum, in quem cadit; qui cadit in faciem, casu locum cernit; illi cadunt retrorsum, qui non vident peccatum, in quod cadunt, æternaque supplicia peccato debita, & pœnitentiam non agunt: illi verò cadunt in faciem, qui peccatum cernunt, moxque dolore affecti per pœnitentiam surgunt. D. Gregor. loco iam indicato: In faciem, inquit, cadere est, in hac vita suas vnumquemque culpas agnoscere, easque pœnitendo deflere: retrò verò, quò non videtur, cadere, est ex hac vita repentè discedere, & ad quæ supplicia ducatur ignorare, &c. Qui cadit, videat diligenter ac consideret, vbi cadat; peccatum suum agnoscat, statimque resurgat. Psal. 50. ait Dauid: *Iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper*. Quasi diceret, vt ait D. Aug. non posui post dorsum meum, quod feci, peccatum meum ante me est, non post me, &c. Item: Ideo pero vt ignoscas peccatum meum, quia ego agnosco, &c. Si vis Deum tibi ignoscere peccata tua, cognosce, quàm celso ex loco cecideris, & in quàm horrendum baratrhum cecideris, vigilanter considera. Qui mortifero peccato se contaminat, ex cœli arce celsissima cadit in profundissimum tartari laeum. Ante casum enim cælesti gloria dignus erat; post casum verò dignus est, qui in tartareos rogos præcipitetur. Apoc. 2. *Habeo aduersum te quod charitatem tuam primam reliquisti: memor esto itaque vnde exciderit, & age pœnitentiam, & prima opera fac*. Memor sit, qui cecidit, loci celsissimi, vnde cecidit: *Memor*, inquit, *esto vnde*, id est, ex quibus honoribus, ex quibus diuitiis, ac deliciis, in quæ opprobria, in quam inopiam, in quos dolores incideris, in te reuertere, sicut ille prodigus filius Luc. 15. age pœnitentiam, & prima bona opera fac, quæ ante casum facieb as. Luc 15. in se reuersus prodigus, dixit: *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus: ego autem hic fame pereo*. Memor fuit vnde exciderat, videlicet ex domo patris sui, cibis abundante, inciderat in diram famem: hac memoria stimulatus, egit pœnitentiam, & dixit: *Surgam, & ibo ad patrem meum*, &c. Memor sit peccator domus Dei Patris sui, ex qua excidit, memor sit infinitæ illius saturitatis, quæ in domo tam opulenti Regis est, infiniti illius gaudij, infinitarumque diuitiarum, ac deliciarum; in mentem reuocet infinitam bonorum omnium famem, quam in orco damnati patiuntur, & dicat: surgam ex hoc casu mortifero, & ibo ad Patrem meum, qui vt Pater misericors, prodigum filium reuertentem domum paterno amore excipiet.

D. Gregor.

Qui cadit, videat vbi cadat, vt resurgat.

Psalm. 50.

D. August.

Apocalyps. 2.

Memor sit peccator vnde exciderit, & in quem locum inciderit.

Luca 15.

A

B

C

D

10 B. Ambrosius. Corpus equus est, animus eques.

Præterea significat equus corpus nostrũ, ascẽsor autem animam, quæ corpus, quasi eques regit. D. Ambros. lib. de benedict. Patriarch. Nos (inquit) cùm bene in via currimus, caueamus, necubi serpens lateat in semita, & subruat vestigium equi, hoc est, corporis nostri, & deiiciat subitò equitem dormientem, &c. Diabolus serpens est in via, cerastes in semita: hic serpens mordet vngulas equi nostri, id est, corporis, cùm nos tentat, & ad casum impellit; tunc autem cadit ascensor, siue eques, id est. animus retrorsum, cùm venenum morsu effusum ad consensum animi peruenit. Iacob. 1. *Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus, & illectus: deinde concupiscentia cùm conceperit, parit peccatũ; peccatum verò cùm consummatum fuerit, generat moriẽ*, &c. Veluti serpens nos mordet corporis concupiscentia, tentat nos, venenum suum in nos fundit, quòd si anima venenũ per consensum receperit, parit peccatum & mortem sempiternam. Caueamus ergo, vt Ambrosius monet, necubi serpens lateat in via, & cerastes in semita, & equum nostrum, id est, corpus mordeat, deiiciatque animum ascensorem retrorsum. Ascensor siue eques animus equum suum, id est, corpus frenet, & rationis habenis regat; obtemperet verò corpus animo, quemadmodum obtemperat equus equiti.

Iacob. 1.

CAPVT XV.

MORALE.

De benedictione Nephthali, & Aser.

1 Nephthali adumbrat concionantes & docentes populos.

NEphthali (ait Iacob) *cerrus emissus, & dans eloquia pulchritudinis*. Congruunt verba hæc morali sensu eis, qui excursiones per oppida faciunt concionantes, & Christi Euangelium nuntiantes; eis quoque qui in vtramque Indiam, orientalem & occidentalem, in Iaponiam, Sinas, Brasiliam, aliasque huiusmodi regiones mittuntur, ad docendos populos Euangelij ignaros. Ceruus emissus est ille, qui in has mittitur regiones; quoniam cerui cum serpentibus pugnant, vt Plinius docet libr. 8. cap. 32. Vestigant, inquit, cauernas, nariumque spiritu extrahunt renitentes, &c. Noster verò ceruus emissus cum tartareis serpentibus, id est, dæmonibus, certat, eosque ex cordibus hominum Dei spiritu depellit. Velox ceruus est, qui maria peruauigat, terrasque peragrat, *dat eloquia pulchritudinis*, hoc est, pulcherrima. Quia nihil pulchrius est, quàm euangelica eloquia, quę salutem, æternamque vitam hominibus afferunt. Isaiæ 52. *Quàm pulchri*, inquit, *super montes pedes annuntiantis, & prædicantis pacem, annuntiantis bonum, prædicantis salutem*, &c. Si pulchri sunt pedes horum ceruorum, id est, concionatorum; quàm pulchra erunt ora, quæ pacem Dei cum hominibus annuntiant, quæ animæ corporumque salutem æternam, quæ omne bonum prædicant! ô felices ceruos, quos Deus mittit!

Cerui cum serpentibus pugnant. Plinius.

Isai. 52.

2 Mites ceruos, non leones crudeles mittit Deus.

Non mittit leones crudeles, sed ceruos mittit Deus mites, atque imbecilles; humiles enim ac mites oportet esse gentium doctores, & fortitudinem ad munus tantum perficiendum à Deo expectare, iuxta illud Psalmi 17. *Deus qui præcinxit me virtute, qui perfecit pedes meos tanquam ceruorum, & super excelsa statuens me, qui docet manus meas ad prælium, & posuisti vt arcum æneum brachia mea*, &c. Suos prædicatores fortitudine præcingit, vt gentibus ad mortem vsque Euangelium prædicent; eorum pedes perficit veluti pedes ceruorum, vt maria, terrasque ad quærendas cœlestes gemmas percurrant; his pedibus omnia mundana per contemptum subiicit, super omnia illos statuens; docet suos concionatores ad prælium cùm tartareis hostibus, & ponit vt arcum æneum brachia eorum, hoc est, magna fortitudine illos donat. Psal. 67. *Dominus dabit verbum euangelizantibus virtute multa*, id est, fortitudine & vi multa diuini Spiritus. Luc. 22. *Ego dabo vobis os*,

Mites ceruos, non leones crudeles mittit Deus.

Psalm. 17.

Fortitudo prædicatorum.

Psal. 67.

Luc. 22.

&

& sapientiam, cui non poterunt resistere omnes adversarij vestri. Actor. 6. *Disputabant Iudæi cum Stephano, & non poterant resistere sapientiæ & spiritui, qui loquebatur.*

3 *Veritas est pulchritudo sermonum, mendacium fœditas verborum.* Eloquia pulchritudinis sunt verba Dei, quia verissima sunt. Veritas est pulchritudo, cuius hominum intellectus amator est. Hac pulchritudine fulgent diuina verba; hominum eloquia sæpè hac pulchritudine veritatis carent, mendaciique fœditate contaminantur: at eloquia Dei, veritatis decorem semper habent. Psal. 11. *Psalm. 11.* *Diminutæ sunt veritates à filiis hominum, vana locuti sunt vnusquisq; ad proximum suum, labia dolosa in corde, & corde locuti sunt.* Huiusmodi sunt dolosorum hominum verba. At de eloquiis Dei subiicit Dauid: *Eloquia Domini, eloquia casta, argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum*, &c. Casta sunt eloquia Dei, hoc est, pura, nulla falsitate inquinata. Similia sunt argento igne examinato, sæpeque ab omni scoria expurgato, & à terræ fœcibus separato. Quemadmodum huiusmodi argento nulla adhæret scoria; sic eloquiis Dei nulla inest falsitas; inest autem fulgens pulchritudo, summæ veritatis. Pulchritudinem etiam addit eloquiis Dei concionator, qui exemplo, & magno animi ardore, & zelo concionatur. Nam vt ait D. Gregor. 2. part. past. cap. 3. illa vox libentius auditorum corda penetrat, quàm dicentis vita commendat, &c. *Dei verba plena sunt veritate. Ibidem.* *D. Gregor.*

4 *Ardens concionatorum sit eloquentia.* Neque verò reiicienda est sana ac prudens eloquentia, concionem non eneruans, sed roborans, & auditores promouens. Quemadmodum enim folia arbori, ita non inanis & affectata, sed ardens eloquentia pulchritudinem concioni affert. Sed de fructu curandum nobis est, de foliis non nimium. Verba appellat D. Gregor. folia in præfatione moral. cap. 5. Quæso, inquit, vt huius operis dicta percurrens, in his verborum folia non requiras. Item: Quoties in foliis malè lætæ segetis culmi proficiunt; minori plenitudine spicarum grana turgescunt, &c. Philo in lib. de Abrahamo, sermonem similem ait esse vmbræ; corporibus rerum naturas. Corporum ratio potius habenda est, quàm vmbrarum; vt corpora sequuntur vmbræ: sic res sequuntur verba. Absurdum est, ait Philo, vmbram pluris, quàm corpus facere, aut rebus præferre imagines. Certè vmbræ imaginiqúe sermo est similis, corporibus autem, & exemplaribus ipsæ rerum naturæ, de quibus disseritur. Sic ille. Et in lib. de vita contemplatiua rectè docet, volubilem, ac celerem verborum elocutionem, res, quarum potissima ratio habenda est, auditorum animis non imprimere. Expeditam, inquit, & vna serie continuam elocutionem auditorum mens non valens assequi, à tergo relinquitur, nec satis audita percipit, &c. *D. Gregor. Verba folia sunt.* *Verba sunt vmbra, corpus rerum naturæ. Philo.*

Aser. 10. Denique Act. 10. sic legimus: *Loquente Petro verba hæc cecidit Spiritus sanctus super omnes, qui audiebant verbum.* Vtinam tales sint Ecclesiæ concionatores, vt illis loquentibus, super auditores Spiritus sanctus cadat.

De benedictione Aser.

5 Moses ita benedixit Aser: *Benedictus in filiis Aser: sit placens fratrib. suis, & tingat in oleo pedem suum, ferrum & as calceamentum eius. Sicut dies iuuentutis tuæ, ita & senectus tua.* Iacob autem sic: *Aser pinguis panis eius, & præbebit delicias Regibus.* Nomen Aser fœlicitatem significat. Cùm natus

A est Aser, dixit Lia Genes. 30. *Hoc pro beatitudine meæ, beatam quippe me dicet mulieres, propterea vocauit eum Aser.* Adumbrat hic filius Iacob virum religiosum, cœnobiticam vitam cum aliis agentem; congruit illi nomen Aser, id est, felicitatis, fœlicissimus enim is est, quem ex mundi tenebris Deus in religiosam vitam vocat; dicitur à Mose benedictus in filiis Aser: at noster Aser, id est, vir religiosus, benedictus est in ἀτεκνίᾳ, id est, in carentia filiorum, & castitate, de qua Sap. 4. legitur, *ô quam pulchra est casta generatio*, Græcè, ἀτεκνία, id est, filiorum carentia, *cum charitate.* Pulchritudinem eximiam habet castitas, & claritatem, ac fulgorem, placet Deo maximè, & coram hominibus fulget. D. Ambros. in lib. de Ioseph: In moribus, ait, Ioseph, & in eius actibus lucet pudicitia, & quidam splendet castimoniæ comes nitor gratiæ, &c. Seneca ad Albinam: Vnicum, inquit, tibi ornamentum: pulcherrima, & nulli ætati obnoxia forma, decus maximum, visa est pudicitia, &c. Hoc gratiæ nitore, hoc decore castitatis, hoc ornamento maximè ornatur vir religiosus, & benedictus est Aser in ἀτεκνίᾳ. In lege veteri, quia populus Israeliticus Dei cultor filiorum procreatione multiplicabatur, benedictus erat Aser in filiis, Psalm. 127. *Vxor tua sicut vitis abundans, in lateribus domus tuæ*, &c. cum vite abundante, & plena botris confertur vxor abundans filiis: in lege verò noua, Cant. 2. *Tempus putationis adueniit.* Amputatur vitis hæc per castitatem perpetuam, & exscinditur, vt Dominus docuit, Matt. 19. *Sunt, inquit, eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum cælorum.* Fœlix est putatio vitis, quæ non botros, sed regnum fert cælorum, *Genes. 30.* *Aser est typus viri religiosi.* *Sapient. 4.* *Castitatis pulchritudo.* *D. Ambros.* *Seneca.* *Psalm. 127.* *Cant. 2.* *In lege noua tempus est putationis.* *Matth. 19.*

Sequitur: *Aser sit placens fratribus suis.* Debet noster Aser placere fratribus suis, cum eis versari debet summa cum pace, & charitate, ita vt omnibus prosit, nulli noceat, iuxta illud Pauli ad Roman. 15. *Vnusquisque proximo suo placeat in bonum ad ædificationem.* Græcè οἰκοδομὴν. est enim religiosorum congregatio, ædificium, siue domus Dei, cuius exædificationi operam dare oportet omnes religiosos, maximè exemplo fratribus suis placentes, eosque ædificantes. Bonum exemplum ædificatio appellatur, & meritò quidem. Nam ij qui bono exemplo elucent, religionem suam ædificant: qui verò malum exemplum fratribus suis præbent, religionem destruunt. Ædificij spiritualis perpendiculum, & amussim vocat D. Greg. Nazianz. exemplum, in Epist. ad Gregor. Nyssen. apud Basil. Epist. 95. Ambo, inquit, id est, tu & Basilius, reliquis omnibus exemplum facti estis Philosophiæ, & quasi perpendiculum quoddam spiritale, & amussis, tam modestiæ in prosperis, quàm constantiæ in aduersis, &c. Iacob. 2. *Quis sapiens, & disciplinatus inter vos? ostendat ex bona conuersatione operationem suam in mansuetudine sapientiæ.* Ostendat noster Aser fratribus suis hoc exempli perpendiculum, hanc amussim, vt rectum, & ad perpendiculum construant ædificium. Tertullian. de Pallio, cap. 6. Etsi, inquit, eloquium quiescat, ipse habitus sonat; sic denique auditur Philosophus, dum videtur, de occursu meo vitia suffundo, &c. Hoc boni est religiosi, non solùm eloquio, sed ipsa modestia, & exemplo sonare. Est enim exempli, ac virtutis magnus sonitus. Exemplum præstans vir, quamuis taceat, auditur, cùm videtur, eius conspectus ad virtutem est adhortatio, cuius occursus vitiorum sectato- *Ad Rom. 15.* *Exemplum bonum religionis domum ædificat: malum destruit.* *Exemplum est amussis, & perpendiculum.* *Iacob. 2.* *Tertullian.* *Exemplum sonat.*

Psalm. 118. ctatores pudore suffundit, virtute autem præditos exhilarat, iuxta illud Psalm. 118. *Qui timent te, videbunt me, & lætabuntur*, &c. Religiosorum alæ, quibus in cælum volant, virtutes sunt, his alis sese vicissim exemplo percutiunt, & ad volatũ excitant. Ezechiel. 3. *Audiuit*, inquit, *vocem alarum animalium percutientium altera ad alteram*, &c. D. Gregor. lib. 24. moral. cap. 11. Animalia (inquit) volantia alis suis vicissim se feriunt: quia sanctorum mentes in eo quòd superna appetunt, cõsideratis inuicem alternis virtutibus, excitantur. Ala enim sua me percutit, qui exemplo sanctitatis propriæ me ad melius accendit. *Ezech. 3.* *D. Gregor.*

7 Addit Moses benedictioni Aser: *Tingat Aser in oleo pedem suum*: oleum blandum est, nitidum lucis fomentum; indicat blandã, nitidam, virtutumque omnium fomentum deuotionem, quam summopere religiosi optare, & quærere debent, ne lampades ipsorum extinguantur, & cum fatuis virginibus Matth. 22. clament: *Date nobis de oleo vestro, quia lampades nostræ extinguuntur.* Quemadmodum paulatim deficiente oleo, extinguitur lucerna; ita paulatim deficiente deuotione extinguitur vigor, & ardor mentis, qui ad peragendas religionis functiones necessarius est. Quamobrem D. Bonauentura in lib. de sex alis, cap. 6. Deuotione (inquit) fulcitur omnis religio, &c. Item: In omni religione vbi deuotionis feruor tepuerit; etiam aliarum virtutum machina incipit deficere, & propinquare ruinæ. Sic Bonauent. Qui deuotionis oleum habent, omnes religionis labores facilè tolerant, omnia laboriosæ vitæ exercitia facile exequuntur: illis qui deuotione carent, labores, sanctaque exercitia amara videntur. Audiamus D. Bernard. serm. 3. de ascensione: Quidam, inquit, ad omnia vitæ huius exercitia, non solum ambulant, sed etiam currunt, imò volant, vt eis & vigiliæ breues, & cibi dulces, & panni suaues, labores non solùm tolerabiles, sed appetibiles videantur, &c. videlicet deuotionis oleum omnes hos cibos condiebat, ideò dulces illis videbantur: contra aliis hoc suaui oleo carentibus, iidem cibi amari erant. Quamobrem addit D. Bernardus: Alij (inquit) non sic, sed, corde arido, & affectione recalcitrante, vix trahuntur ad hæc, &c. Itẽ: Sunt multi inter nos, qui de vno pane edunt nobiscum, cantant nobiscum, laborant miseri & miserabiles, vtpote socij tribulationis, sed consolationis non ita, &c. Tingat ergo Aser noster in oleo pedem suum, suaui deuotionis oleo condiat labores carnis amaros, vt spiritui dulces fiant. Pedes animi affectus sunt, teste August. Ps. 94. Pedes, inquit, nostri in hoc itinere affectus nostri sunt, &c. Hi maximè condiendi sunt deuotionis oleo, & eodem abluendi, iuxta illud Iob 29. *Lauabam pedes meos butyro.* Egregiè abluuntur pedes animæ, id est, affectus, butyro deuotionis suauissimo, & à sordibus peccatorum emundantur. Præterea hi pedes deuotione veluti ferreis calceis ad iter cæli peragendũ muniuntur. Vnde sequitur: *Ferrum, & as calceamentum eius*, id est, Aser. Quemadmodum pedes ferro, vel ære calceati omnia in itinere obstantia conterunt, atque comminuunt: sic affectus deuotione veluti calceati, omnia quæ cæleste iter impediunt, conculcant, & in puluerem redigunt. Quemadmodum sors Aser ferro, & ære abundabat: ita illius anima, qui deuotione *Matth. 22.* *D. Bonauent.* *Deuotio maximè necessaria est religiosis.* *Oleum deuotionis dulces reddit labores.* *D. Bernard.* *D. August. Pedes animi sunt affectus oleo tingendi, & ferreis calceis muniendi.* *Iob 29.*

A excellit, fortitudine aduersus tartareos serpẽtes abundat, Psalm. 90. *Super aspidem & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonẽ & draconem*, &c. Equidem calceatos esse oportet ferro, & ære pedes eorum, qui super aspides, & basiliscos ambulant, leonésque & dracones conculcant. *Psalm. 90.*

Sequitur: *Sicut dies iuuentutis tuæ, ita & senectus tua*, &c. Hic est deuotionis effectus: hominem religiosum, ad religionis exercitia exequenda, & labores tolerandos semper iuuenem efficit. In paradiso terrestri arbor erat vitæ, quæ hominem in iuuentute corporis semper conseruabat in paradiso: religionis arbor est deuotionis, quæ religiosum in iuuentute animæ semper retinet, ita vt sẽper strenuus, expeditusque sit ad officia religionis obeunda. Psal. 91. *Senectus mea in misericordia vberi*: ex Hebreo, & Græco verti potest, *in oleo vberi*; sicque vertit D. Hieron. Ecce tibi senecturem viri religiosi, rebus diuinis omnino mancipati, non solùm iuuentus, sed etiam senectus eius, in oleo est vberi, id est, in vberi deuotione. Item eodem Psalmo: *Plantati in domo Domini in atriis domus Dei nostri florebunt, adhuc multiplicabuntur in senectute vberi & bene patientes erunt, vt annuntiẽt.* Religiosi in domo Dei sunt plantati, veluti arbores cẽlestem ferentes fructum. ipsa enim domus Dei hortus est Dei amœnissimus. Adhuc multiplicantur virtutibus, & operibus bonis, ac fructibus hæ arbores, etiam in senecture, & bene patientes sunt, vt annuntient Domini laudes ore atque opere. D. Hieron. sic vertit: Transplantati in domo Domini in atriis Dei nostri germinabunt. Adhuc fructificabunt, in senectute pingues, & frondentes erunt, annuntiantes quia rectus Dominus, &c. Transplantantur religiosi ex mundo in domũ Domini, id est, in religionem, in ea germinant, & fructificant, etiam in senectute, vsque ad mortem pingues spiritus & deuotionis pinguedine, iuxta illud Psalmi 62. *Sicut adipe, & pinguedine repleatur anima mea.* *Psalm. 91.* 8. *Vir deuotus vsque ad mortem vigorem seruat animi.* *Psalm. 92.* *Psalm 62.*

Denique vt Iacob ait: *Aser pinguis panis eius, & præbebit delicias Regibus*, &c. Pinguis est religiosi panis, id est, cibus spiritalis, permixtus est, & aspersus oleo deuotionis, & præbet delicias Regibus, iis videlicet, qui seipsos bene regunt, carnemque spiritui obedire cogunt: hi enim verè Reges sunt, D. Gregor. teste, lib. 11. moraliũ, cap. 9. Qui, inquit, membrorum suorum motus bene regere sciunt, nõ immeritò Reges vocantur, &c. & Beda Prouerb. 16. Reges (inquit) dicit Salomon sanctos, qui vitiis principaliter imperare, & virtutibus animæ quasi obsequentium comitum cuneis stipari consueuerunt, &c. Huiusmodi Regibus præbet delicias Christi panis pinguis, id est, augustissima Eucharistia, deuotione exundans; ideoq; in sacro officio canit Ecclesia; pinguis est panis Christi, & præbebit delicias Regibus. Qui Reges sunt, sacramenti augustissimi percipiunt delicias. Etenim conuiuium hoc Regum est, à summo Rege Christo Regibus præparatum. Qui Ægyptiacepis, vt rustici, delectantur, conuiuij regij dulcitudinem parum percipiunt, cùm tamẽ totius dulcitudinis fontẽ suscipiant. Dulcedinis fontem Eucharistiam augustissimam appellat D. Thomas opusculo 57. Suauitatem (ait) huius sacramenti nullus dignè exprimere sufficit: per quod spiritalis dulcedo in suo fonte gustatur, &c. *Aser pinguis panis eius, & præbebit delicias Regibus.* *D. Gregor. Reges spiritales qui dicantur.* *Beda.* *D. Thoma.*

Non

Non est Deus alius, vt Deus rectissimi.

10. *Benedictio populi Christiani.*

Post benedictionem Aser & tribuum Israel, addidit Moses benedictionem populi Christiani, in hunc sensum sublimiorem: *Non est*, inquit, *alius Deus, vt Deus rectissimi* populi Christiani, qui rectissimam habet à Deo legẽ, rectissimã fidem, rectissimasque virtutes. Deus ascẽsor est cæli, veluti currus, ipse est auxiliator populi sui. Magnificentia eius nubes, id est, legis nouæ promulgatores, sicut nubes per vrbem discurrunt, terrásque cælesti irrigant pluuia. Habitaculum eius sursum in cælo est, & subter sunt brachia eius sempiterna, quibus Christianos suos complectitur, diuinoq; tuetur auxilio. Habitabit Israel Dei, id est, populus Christianus, sub fortissimis Dei brachiis, & auxilio confidenter, & solus, id est, à populis infidelibus separatus. *Oculi eius in terra* erit frumenti, & vini; hoc est, oculi populi Dei in Ecclesia quę terra est pomissionis, videbunt panem cælestem, & vinum admirabile augustissimæ Eucharistiæ. Cæli verò super hunc populum Dei caligabunt rore; hoc est, cælestium donorum rorem effundent, Ecclesiamque feracem reddent virtutum, operumque bonorum. Beatus es tu Israel Dei, beatus es ò populi Christiane: quis similis tui qui saluaris in Domino, qui Dominum habes, cuius nomen est Iesus, id est, saluator, cuius sanguine à captiuitate hostiũ tuorum redemptus es? Hic saluator, hic Iesus, & Deus tuus, in quo saluaris, scutum est auxilij aduersus stygios hostes, est gladius gloriæ tuæ, hoc est, gloriosus gladius tuus orci disperdens castra.

CAPVT XVI.

MORALE.

De *vxoribus, & filiis Iacob*, ex Richardo de S. Victore.

1. LIbet hoc loco lectori optimo proponere, ea quæ Richardus de S. Victore vir egregius, de vxoribus, & filiis Iacob nobis scripta reliquit, ad exornandos mores aptissima, in libro de præparatione ad contemplationem, qui dicitur Beniamin minor. Aduertendum autem est, Iacob ex Dei dispẽsatione multas habuisse vxores, vt populus Dei qui ex eo originẽ duxit, multiplicaretur. Habuit vxorem Liam, & Rachelem. Præterea habuit vxorem Zelpham ancillam Liæ, & Balam, ancillam Rachelis. Lia peperit illi filios sex, Ruben, Simeon, Leui, Iudam, Issachar & Zabulon. Præterea filiam vnam Dinam. Rachel peperit Ioseph, & Beniamin. Ex Zelpha ancilla Liæ nati sunt Gad, & Aser; ex Bala ancilla Rachelis orti sunt Dan, & Nephthali.

Vxores Iacob.

2. Moraliter Richardus duabus vxoribus Iacob ait significari duas hominis partes, rationem, & affectionem. Rachel rationem significat illustratam lumine cælestis sapiẽtiæ: Lia significat affectionem ad normam virtutis compositam. Spiritui, inquit ille, rationali gemina quædam vis data est à Deo; vna est ratio, altera est affectio; ratio qua discernamus, affectio qua diligamus hæ sunt spiritus rationalis geminę vxores. ex quibus oritur generosa proles. Ex ratione oriũtur consilia recta; ex affectione desideria sancta: ex illa spiritales sensus, ex ista ordinati affectus, &c. Nomen Lia, vt ait Richardus, significat laboriosam, quia non sine labore magno affectio animi mortificatur. Rachel ex illius sententia significat videntem principium, vel ouem. Nam ratio illustrata sapientia diuina principium rerum omnium Deum cum simplicitate, vt ouis, contemplatur. Lia, id est, affectio, ancillam Zelpham habet, id est, sensualitatem, siue carnis concupiscentiam. Zelphæ nomen, iuxta Richardum, significat os inhians, quia concupiscentia ad voluptates semper inhiat. Vinum, inquit, quod Zelpha sitit, gaudium est voluptatis, de quo quanto plus bibit, tanto amplius sitit. Nam ad satiandum sensualitatis appetitum totus mundus non sufficit, &c. Rachel, id est, ratio, ancillam habet Balam, quod nomen significat inueteratam. Est autem ancilla rationis imaginatio, quę rationi seruit. Discurrit, inquit Richardus, imaginatio, ancilla inter dominam, & seruum, inter rationem, & sensum, & quidquid extrinsecus haurit per sensum carnis, intus repræsentat ad obsequium rationis. Semper imaginatio rationi assistit, neque ad momentum quidem ab eius famulatu se subtrahit, &c. Nomen huius ancillæ est Bala, id est, inueterata. Est enim anus valdè garrula, cuius importunam garrulitatem nemo potest omnino compescere. Richardus: Balæ, inquit, loquacitatem, neque ipsa domina Rachel, id est, ratio, compescere potest. hinc est, quod sæpe dum psallimus, vel oramus, phantasias cogitationum, vel quasliber imagines rerum ab oculis cordium amouere volumus, neque valemus. Quoniam ergo huiusmodi perstrepentium cogitationum tumultus, quotidie etiam inuiti patimur, qualis, vel quanta sit Balę garrulitas, quotidiano experimento docemur, &c.

Zelpha indicat concupiscentiam. Richardus.

Concupiscentia non satiatur.

Bala significat imaginationem. Richardus.

Richardus. Imaginatio est anus valde garrula, numquam tacet.

Habuit Lia septem filios, hi septem ordinatos affectionis affectus significant, siue septem virtutes, videlicet, timorem, dolorem, spem, amorem, gaudium, odium, pudorem. Isti affectus omnes (ait Richardus) possunt esse modò ordinati, modò inordinati: sed cùm fuerint ordinati, tunc tantum inter filios Iacob deputandi, &c. Primus filius Iacob fuit Ruben. Primus affectionis ordinatus affectus, est ordinatus timor; timori autem nomen Ruben congruit: significat enim nomen visionis filium, timor verò est filius visionis, quia à visione oritur, cùm enim homo improbus iustitiam Dei, & potentiam, eiúsque supplicia æterna mente videt, & considerat, timor oritur, & horror, filius huius visionis. Richardus: Quodammodo, inquit, cæcus est & minimè videt, qui peccare non timet, qui futura mala non præuidet, qui non erubescit prauitatem suam, qui non expauescit potestatem diuinam. Sed si incipiat ista videre, incipiet pariter & timere; & quanto perfectiùs cognouerit, tanto vehementiùs timebit. Vides quàm iustè Ruben vocetur, id est, visionis filius, qui ex tali visione generatur, &c. De Ruben ait Iacob, *tu fortitudo mea*. Quomodo autẽ timor sit hominis fortitudo, ostendit Richardus his verbis: Quis in prælio victor extitit, vbi caro aduersus spiritum concupiscit? Quis tam numerosum exercitum cõcupiscentiarum suarum debellauit, si sine timore pugnauit? Rectè primogenitus dicitur, quia à timore Domini omne bellum inchoatur: rectè fortitudo appellatur, quia per timorem Domini cor contra concupiscentias suas roboratur, &c.

Rachel adiũbras rationẽ, Lia affectionem. Richardus.

Septem filii Liæ septem significant virtutes. Richardus.

Ruben filius visionis significat timorem.

Timor oritur ex cõsideratione.

Richardus. Cæcus est, qui peccare non metuit.

Timor est hominis fortitudo. Richardus.

Secundus

4. *Timorem sequitur dolor, & contritio. Richardus.*

Secundus filius Iacob fuit Simeon, quod nomen exauditionem significat. Secundus affectus ordinatus, est ordinatus dolor propter peccata susceptus, Nam timorem sequitur dolor. Richardus: Magnum, inquit, timorem, necesse est vt sequatur dolor, quanto enim quis vehementius metuit pœnam, quam meruit; tanto acerbius plangit culpam quam fecit, &c. Appellatur autem hic dolor, Simeon, id est, exauditio; quoniam qui timore præcedente humiliatur, & verum dolorem, ac contritionem habet cum vera confessione, à Deo exauditur, eiusque gratiam recipit. Richardus: Oratio quæ ex corde humiliato per timorem, & contrito per dolorem profertur, citiùs exauditur. Per Ruben, id est, timorem, cor humiliatur; per Simeonem, id est, dolorem, conteritur, & in fletu compungitur, sed beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Sic ille.

Richardus.

5. *Leui significat spem.*

Tertius filius Iacob fuit Leui, quod nomen significat copulatum, & spem indicat. Nam post natum Ruben, id est, timorem, & Simeon, id est, dolorem, & exauditionem, oritur spes veniæ, & cum illis copulatur. Richardus: Quæ (inquit) consolatio potest esse pœnitentibus verè, & lugentibus amarè, nisi vna spes veniæ? hic est tertius filius Iacob, qui idcirco Leui, hoc est, additus, vel additio vocatur, quia duobus illis prioribus superadditur, &c.

Richardus.

6. *Post spem veniæ oritur amor. Richardus.*

Quartus filius fuit Iudas, quod nomen significat laudantem, & confitentem. Indicat verò amorem, quia quod amamus, id approbamus, & laudamus. Post Leui tertium filium, id est post spem veniæ, oritur Iudas, id est, amor quidam familiaris inter Deum, & animam. Richardus: Quemadmodum post timorem suborsus est dolor, sic post spem natam, & per quotidiana incrementa proficientem nascitur amor. Hic est quartus filius Iacob, & Iudas nominatur, id est, laudans, & confitens: quia quisque quod approbat, hoc amat, & quid est approbare, nisi laudare? illa est vera laudatio, illa pura confessio, quæ ex casta dilectione surgit, quæ ex laudis admiratione procedit, &c. Eodem loco addit, Iudam, id est, confitentem, vtramque confessionem exhibere. Est enim duplex confessio; altera laudis Dei, altera peccatorum nostrorum. Iudas verò, id est, confitens, & Deum laudat iugiter, & peccata sua confitetur. Richardus: Rectè, inquit, sic filius Iudas, id est, confitens, vocatur; quia verus amor semper confitetur, &c.

Duplex confessio.

Richardus.

7. *Anima desiderium Dei. Richardus.*

Post natum Iudam, id est, amorem, Rachel, id est, ratio, liberos habere valde cupit, & ait Iacob: *Da mihi liberos, alioquin moriar*, &c. Etenim postquam anima amat Deum, cognoscere illum valde desiderat. Richardus: Nato (inquit) Iuda, id est, bonorum inuisibilium desiderio exurgente, atque feruente, incipit Rachel amore prolis æstuare, quia incipit velle cognoscere. Vbi amor, ibi oculus. libenter aspicimus quem multum diligimus. Quanto plus crescit Iudas, id est, affectus diligendi, tanto amplius in Rachel feruet studium cognoscendi, &c. Suscipit ergo Rachel ex Bala, id est, ratio ex imaginatione cooperante, duos filios, Dan, & Nephthali. Ad Dan (inquit Richardus) specialiter pertinet consideratio futurorum malorum: ad Nephthali autem speculatio futurorum bonorum, &c. Considerat igitur Dan tartarea tormenta, peccatis debita: Nephthali verò meditatur æterna gaudia iustis præparata. Nomen Dan significat iudicium. etenim horridum Dei iudicium meditatur, & impiorum cruciatus. Dicitur etiam iudicium, quia peccata quæ in animo exoriuntur iudicat, & damnat. Richardus: Ad Dan, inquit, pertinet exurgens malum, statim cùm per cogitationem pulsat, in iudicium adducere, diligenter discutere, deprehensum damnare, & tentationes ex tormentorum recordatione extinguere, &c. Ad Nephthali autem spectat, (ait idem Richardus) per considerationem præmiorum inflammare desideria bona. Mirabiliter enim animum nostrum ad eorum desiderium accendit, quoties æternorum bonorum imaginem ante mentis oculos adducit, &c. Et cap. 27. Quis vnquam affectioni cordis posset persuadere, mundi huius prospera contemnere, & eius aduersa non formidare: nisi Dan, & Nephthali suggerentibus futuræ vitæ tormenta, vel præmia æterna, non solùm frequenter, imò penè indefinenter cogeretur aspicere? Nunc autem per assiduam considerationem futurorum malorum facilè ei persuadetur contemptus præsentium bonorum, & per iugem contemplationem ęternæ fælicitatis inflammatur ad voluntariam tolerantiam pressuræ temporalis. Sic ille. Ait autem nomen Nephthali significare comparationem, qua vtitur quando præsentia cum futuris comparat: Inspecta, inquit, Solis claritate considerat, quanta futura erit lux illa spiritualis, si tanta tamque mirabilis est lux ista corporalis? quanta erit lux illa, quæ erit nobis communis cum angelis, si tanta est ista, quam habemus communem cum bestiis? qualis erit lux futura beatorum, si talis est præsens lux ista miserorum? Item multiplicitatem bonorum inuisibilium coniicit ex multitudine bonorum visibilium. Quot putamus ea esse? sed quis possit ea dinumerare? Quot sunt oblectamenta oculorum, quot oblectamẽta aurium, cæterorumque sensuum? quot sunt colores, quot odores, quot sapores? Si ergo tot sunt deliciæ corporum, quot erunt deliciæ spirituum? si tanta possidemus in tempore, quanta sunt quæ expectamus in æternitate? Hæc Richardus.

Richardus. Consideratio futurorũ, malorum, & futurorum bonorum.

Dã & Nephthali quid significent.

Richardus.

Richardus. Consideratio æternorũ bonorũ, & malorũ animum inflammat. Richardus.

De bonis futuris gloriæ æternæ.

Richardus.

8. *Quid significent Gad, & Aser.*

Post natos Dan, & Nephthali ex Bala ancilla Rachelis, nati sunt Gad & Aser ex Zelpha ancilla Liæ. Significat autem prior in rebus prosperis temperantiam, posterior in rebus aduersis patientiam. Gad, inquit Richardus, & Aser duo sunt filij Zephæ; rigor videlicet abstinentiæ, & vigor patientiæ. Gad prior nascitur, Aser posterior, quia prius est, vt temperantes simus ad bona propria, postea etiam vt fortes simus ad toleranda mala aliena. Et cap. 26. Per Gad, inquit, non solam illam quæ in cibo, & potu est abstinentiam intelligere debemus. Imò per Gad, & Aser intelligimus, omnis superfluæ delectationis, aut cuiuslibet corporalis afflictionis abstinentiam, vel patientiam, &c. Ostendit item hanc abstinentiam delectationum, & patientiam afflictionum, fælicitatem parere, ideoque nomen Gad fælicitatem significare, & nomen Aser beatitudinem. Rectè, inquit ille, rigor abstinentiæ Gad, id est, fælicitas dicitur, qui vbique calcat sæculi blandimenta, quæ detestatur; & iustè rigor patientiæ Aser hoc est, beatus nominatur. *Beatus* (inquit scriptura Ecclesiast. 31.) *qui post aurum*

Richardus.

Richardus.

Eccli. 31.

Iacob 1.
Gad calcat mundi gloriam.
Aser patitur mundi pressuram.

non abijt, nec sperauit in pecuniæ thesauris. Et Iacobi 1. *Beatus vir qui sufferet tentationem*; isti sunt Gad, & Aser, quorum prior calcat mundanam gloriam; alter propter Deum libenter patitur mundi pressuram. Ita Richardus.

9
Deuotio gaudium internum.

Præter hos ex Lia ortus est Issachar, quod nomen mercedem significat. Hoc autem filio, ait Richardus, significari dulcedinem, & gaudium internum. Cap. 36. Illa, inquit, dulcedo, quæ intus sentitur, est filius Liæ, qui ei quinto loco nascitur, id est, Issachar, &c. Datur autem hoc gaudium mundi gaudia, & dulcedines conculcantibus, & afflictiones propter Deum patientibus. ideo post Gad oritur, & post Aser. Richardus cap. 36. Rectè, inquit, post natiuitatem Gad, & Aser, Lia talem filium genuit, quia nisi per abstinentiam, & patientiam mens humana ad verum gaudium non pertingit. Qui adhuc infimis delectatur, interna iucunditate indignus est; & qui vano timore perturbatur, spiritali dulcedine non potest frui. Per Gad extirpatur falsa delectatio; per Aser vana perturbatio, &c. Significat verò nomen Issachar mercedem. Quid enim aliud (ait Richardus) tot tantisque laboribus quærimus, quid aliud, quàm verum gaudium expectamus? Huius mercedis toties quasdam primitias, & velut arrham quandam accipimus, quoties ad illud Domini gaudium internum intramus, & ex parte aliqua gustamus, &c. Cap. 36. docet, internæ huius dulcedinis perceptionem, gustum, & ebrietatem appellari, iuxta illud Psalmi 33. *Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus.* Et illud 1. Petri 2. *Si tamen gustastis, quoniam dulcis est Dominus.* Et illud Psalm. 64. *Visitasti terram, & inebriasti eam.* Gustus dicitur, quia cum dulcedine æternæ gloriæ comparata, parua est; ebrietas verò, quia omnem mundanam dulcedinem superat. Richardus: Praua, inquit, est dulcedo ad comparationem futuræ plenitudinis, magna autem in comparatione cuiuslibet mundanæ iucunditatis. Præsens enim spiritualium virorum delectatio, futuræ vitæ gaudiis comparata, quantumlibet excrescés, parua inuenitur. In cuius tamen comparatione, omnis exteriorum delectationum suauitas est nulla. O dulcedo miranda! dulcedo tam magna! dulcedo tam parua! Quomodo non magna, quæ omnem mundanam dulcedinem excedis? Quomodo non parua, quę de plenitudine gloriæ vix stillam modicam decerpis? Modicum quidem de tanto fælicitatis pelago mentibus instillas; mentem tamen, quã infundis, inebrias. Meritò tantillum de tanto gustus dicitur; meritò quę mentem à seipsa alienat, ebrietas nominatur. Sic Richardus.

Richardus.
Per abstinentiam & patientiam ad verum gaudium peruenitur.
Richardus.
Deuotio gustus dicitur, & ebrietas sancta.
Psal. 33.
1. Petr. 2.
Psal. 64.
Dulcedo deuotionis superat dulcedines mundi.
Richardus.

10
Zabulon quid significet.

Post Issachar ortus est ex Lia Zabulon, quod nomen, vt interpretatur Richardus, significat habitaculum fortitudinis. Significat præterea hic filius Iacob, (vt ille docet) odium vitiorum, & zelum ordinatum aduersùs hominum peccata, iuxta illud Psalm. 4. *Irascimini, & nolite peccare.* Quid est enim, ait Richardus, irascendo non peccare, & non peccando irasci, nisi homines vtiliter, non ad oculum amando, eorum vitiis indignari. Hunc Zabulonem habere se filium propheta significabat, cùm Psal. 138. dixit: *Perfecto odio oderam illos*, &c. Item: Rectè, inquit, post Issachar, qui merces interpretatur, Zabulon, id est, habitaculum fortitudinis nascitur, quia post degustatam æternæ retributionis dulcedinem, animus contra tentationum argumenta mirabiliter roboratur, sua subitò pericula paruipendens, Domini iniurias fortiter vlciscitur, &c. Quantum donũ sit zelus animarũ docet cap. 44. Nescio, inquit, si potest homo aliquid à Deo in hac vita maius accipere; ignoro, an possit hac gratia interim maiorem aliquam Deus homini conferre, quàm vt eius ministerio peruersi homines in melius mutentur vt de filiis diaboli filij Dei efficiantur. An fortè euiquam maius videtur esse, mortuos suscitare? ergòne maius erit suscitare carnem iterum morituram, quàm animam in æternum victuram? &c.

Psal. 138.
Zelus animarum donũ Dei magnũ. Richardus.

11
Dina quid significet.

Post Zabulon orta est ex Lia filia Dina, quæ, vt Richardo placet, verecundiam significat. Oritur post Zabulonem, id est, post odium peccatorum, quia ex peccatis oritur verecundia. Richardus cap. 45. Solum peccatum erubescere, est ordinatam verecundiam habere. Discere priùs peccatum odisse, & tunc illud incipies veraciter erubescere, &c. At pudore suffundunturmulti homines, propter alia, quæ pudore digna non sunt, & peccata non curant. Richardus cap. 46. Qualis, inquit, putas pudor est erubescere paupertatem, erubescere humilitatem? illud non pudet erubescere, ad quod docendum non puduit cælestem magistrum de cælo descendere. *Discite à me*, inquit, *quia mitis sum & humilis corde.* At isti magis abominantes, quàm sectantes humilitatem, multo amplius erubescunt, habere sordidam vestem, quàm sordidam mentem. Quàm multi hodie sunt, quos magis puderet in oratione fecisse barbarismum, contra regulam Prisciani, quàm protulisse mendacium in suo sermone, contra regulam Christi? &c. Pulchritudinem verecundiæ ostendit cap. 49. Est, inquit, Dina, id est, verecundia, admirandæ pulchritudinis, & formæ singularis; & quæ intuentium oculos facilè trahat, & admirantium animos citò sua dilectione alliciat. Quis enim ignorat, quomodo modestia verecundiæ homines omnibus & commendabiles reddat, & amabiles efficiat? vnde namque est, quòd verecundos homines ferè semper cæteris charius amplectimur, nisi quòd in eis, dum verecundiæ modestiam, modestiæque gratiam miramur, Dinæ quodammodo pulchritudine allicimur. Ita Richardus. Ex Rachele, id est, ratione, Iacob filium genuit Ioseph post alios, quem Richardus ait significare discretionem. Talis (inquit) proles de tali matre, Ioseph de Rachele oritur, discretio de ratione, &c. Post Ioseph nascitur Beniamin in mentis excessu, id est, gratia contemplationis; de quibus legendus est Richardus, legendus quoque Philo in libro de Ioseph.

Richardus. Peccatũ verecundiam affert, non paupertas, &c.
Richardus.
Non pudet nos peccati, sed aliarum rerum.
Pulchritudo verecundiæ. Richardus.
Modestia, & verecundia homines allicit.
Richardus.

CAPVT

CAPVT XVII.

De morte Mosis.

DEVTERONOMII CAP. XXXII.

1 Locutúsque est Dominus ad Moysen in eadem die, dicens: Ascende in montem istum Abarim, id est, transituum, in montem Nebo, qui est in Terra Moab contra Iericho: & vide Terram Chanaan, quam ego tradam filiis Israël obtinendam, & morere in monte. Quem conscendens iungeris populis tuis, sicut mortuus est Aaron frater tuus in monte Hor, & appositus populis suis: quia præuaricati estis contra me, in medio filiorum Israël, ad aquas contradictionis in Cades deserti Sin: & non sanctificastis me inter filios Israël. Econtrà videbis terram, & non ingredieris in eam, quam ego dabo filiis Israël.

DEVTERONOMII CAP. XXXIV.

2 Ascendit ergo Moyses de campestribus Moab super montem Nebo, in verticem Phasga, contra Iericho: ostenditque ei Dominus omnem Terram Galaad, vsque Dan, & vniuersum Nephthali, terramque Ephraim, & Manasse, & omnem terram Iuda, vsque ad mare nouissimum, & australem partem, & latitudinem campi Iericho, ciuitatis palmarum, vsque Segor. Dixitque Dominus ad eum: Hæc est terra, pro qua iuraui Abraham, Isaac, & Iacob, dicens: Semini tuo dabo eam. Vidisti eam oculis tuis, & non transibis ad illam. Mortuusque est ibi Moyses seruus Domini, in terra Moab, iubente Domino: & sepeliuit eum in valle Terræ Moab contra Phogor: & non cognouit homo sepulchrum eius vsque in præsentem diem. Moyses centum & viginti annor erat, quando mortuus est: non caligauit oculus eius, nec dentes illius moti sunt. Fleuerunt que eum filij Israël in campestribus Moab, triginta diebus: & completi sunt dies planctus lugentium Moysen. Iosue verò filius Nun repletus est Spiritu sapientiæ, quia Moyses posuit super eum manus suas. Et obedierunt ei filij Israël, feceruntque sicut præcepit Dominus Moysi. Et non surrexit vltrà propheta in Israel, sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem, in omnibus signis, atque portentis, quæ misit per eum, vt faceret in Terra Ægypti Pharaoni, & omnibus seruis eius, vniuersæque terræ illius, & cunctam manum robustam, magnaque mirabilia, quæ fecit Moyses coram vniuerso Israël.

Ascende in montem istum Abarim.

3
Abarim mõs ex quo Moses terram repromissionis vidit.

Deuter. 32. & Num. 27. iussit Dominus Mosem in montem Abarim ascendere, & in montem Nebo, vt terram repromissionis, quã Chananæi possidebant, inde cerneret. Deuter. 34. postquam tribubus duodecim benedixit, in montem ascendit, Dei præcepto obtemperauit. Abarim nomen est multitudinis, à verbo, אבר, *abar*, id est, *transire*. Significat nomen *transitum*, vnde Deuteron. 32. dicitur: *Ascende in montem istum Abarim*, id est, transituum. Mons erat è regione ciuitatis Iericho. *Ascende* (ait Dominus) *in montem istum Abarim.* Vt Lyranus ait, Nebo appellabatur mons paruus, super ipsum montem magnum Abarim se attollens; Phasga verò superior parui montis pars. Et Adricomius in descriptione tribus Ruben, Numer. 2. Montis, inquit, Abarim altior, & sublimior pars dicitur Nebo: vertex autem Phasga, &c. Erat Moses in castris, in campestri terra Moabitarum, prope Iordanem. Explanicie ascendit in montem Abarim, & Nebo, & in Phasga, quæ erat montis totius suprema pars. Sunt ergo tria nomina eiusdem montis: ideo noster interpres, & LXX. retinuerunt nomen Phasga, neque verterunt, in collem, vt nonnulli voluerunt vertere.

Deut. 32.
Adricomius.

Sebast. Barradas Itiner. Israelit.

Ostendit ei Dominus omnem terram Galaad.

4
Quomodo viderit Moses ex monte terram promissionis.

Ex vertice montis Abarim, qui Phasga dicebatur, ostendit Dominus Mosi terram repromissionis. Quomodo ostenderit, dubium est. Potuit enim illam tenui quadam visione ostẽdere, neque admodum distincta, ita vt non vrbes, & oppida distinctè, sed terræ longitudinem, & latitudinem, campos, montes, hortos, similiaque alia videret. Potuit quoque Mosi repræsentare species creatas rerum omnium, & terræ totius, vt vrbes, oppida, incolas, agros, hortos, vineas, oliueta, terræ fertilitatem, aliaque omnia cerneret. Illud primum satis erat Mosi, ex vita discedenti: hoc secundum arbitratur Abulensis. Deuter. 32. quæst. 6. verba illa cap. 34. *Ostendit terram vsque Dan.* ita exponit: Vidit Moses non viribus naturalibus, sed Deus ostendit ei, creando aliquid supernaturale, sicut erat creare species venientes ad oculos Mosis, de omnibus rebus, &c. Itẽm quæst. 6. Oportebat, inquit, quòd Deus eleuaret supernaturaliter, vel confortando virtutem visiuam Mosis, vt posset immutari à speciebus pauci vigoris: vel quòd conferret maiorem virtutem speciebus. Vel quod verius est, scilicet, quòd Deus repræsentauerit Mosi species omnium locorũ illius terræ, vt haberet perfectam, & distin-

Abulensis. Deut. 34.

ctam cognitionem de eis, & nihil notabile maneret, quod non cognosceret. Sic ille. Et cap. 34. quæst. 1. Fuit, inquit, potentia vitiua Mosis supernaturaliter eleuata, vt videret distinctè totam terram promissionis, sicut B. Benedictus vidit totum mundum, &c. Lege, si placet, quæ diximus tomo 2. Concord. ad illa verba: *Ostendit ei omnia regna mundi.* Dionysius Carthusianus sic respondet: Non videtur probabile, quòd à monte illo potuerit Moses tantam terræ latitudinem corporaliter intueri, nisi fortè miraculosè, sed forsitan ostendit Deus illi totam in spiritu, vel præcipuas partes eius, vel sicut tentator legitur monstrasse Christo in monte omnia regna terrarum. Sic ille. Quòd ait, in spiritu solùm ostendisse Deum terram Mosi, non B placet. Non enim frustra in montem excelsum ductus est Moses ad cernendam terram; frustra autem ductus esset, si in spiritu tantùm illam vidisset. in spiritu enim videre potuerat in planicie. Responderi tamen potest, Mosem vidisse terram oculis corporeis, eo modo, quo illis videri poterat, ideoque in montem ductum. Præterea vidisse in spiritu id, quod corporis oculi capere non potuerant. Ostendit ergo Dominus Mosi terram Galaad, vsque ad Dan, quæ vrbs fuit terminus aquilonaris terræ promissionis; ostendit sortem tribus Nephthalim futuram, sortem tribus Ephraim, & tribus Manasse, & tribus Iuda, & aliarum quoque, vsque ad mare nouissimum; ostendit etiam australem partẽ, latum campum ciuitatis Iericho, vsque ad Segor, quæ est in parte australi terrę promissionis, iuxta mare mortuum, de qua Loth Genes. 19. ait: *Est ciuitas hæc iuxta, ad quam possum fugere, parua, & saluabor in ea.* Appellatur Iericho ciuitas palmarum, quia multas ferebat palmas.

Abulensis. *Dionysius Carthusian.* *Genes. 19.*

5 Quæritur verò, *quódnam mare appelletur* hoc loco *nouissimum?* Abulensis, & Oleaster existimant, vocari mare mediterraneum, quod occidentale est terrę promissionis, hoc sensu: Ostendit ei omnem sortem tribus Iuda, vsque ad mare mediterraneum occidentale, &c. Lyranus, & Carthusianus putant, mare nouissimum dici hoc loco mare mortuum, estque sensus: Ostendit ei omnem terram tribus Iuda, vsque ad mare mortuum. Probatur hæc interpretatio, quia cœpit Dominus ostendere Mosi terram à Galaad vsque Dan, qui fuit terminus aquilonaris terræ; ergo probabile est, mare nouissimum significare mare mortuum, quod est pars australis. At verò, quia mare mediterraneum multo nobilius, & maius erat, mare nouissimum hîc mediterraneum appellari sentiamus. Dicitur autem nouissimum, & extremum, quia versùs occidentem terram promissionis claudebat, Moses verò ex parte orientali terram cernebat.

Quodnã dicentur hic mare nouissimum?

Vidisti eam oculis tuis, & non transibis ad illam.

6 Vidit Moses terram repromissionis, sed non est illam ingressus. Obiiciet quispiam, *Mosem ingressum esse terram repromissionis*; ingressus enim est sortes tribus Ruben, & tribus Gad, & dimidiæ tribus Manasse, quæ erant ante Iordanem, vt suprà vidimus. Fuisse autem partes has terræ repromissionis, probatur; quia tribubus Israël distributæ sunt. Respondetur, terram repromissionis sumi posse latè, vt com-

Terrã repromissionis su-

A prehendat totam terram promissam Israelitis *mitur latè & pressè.* vsque ad Euphratem, Genes. 15. Exod. 23. terram Galaad, & cæteras; si latè sic sumatur, ingressus est Moses terram repromissionis, & sortes Ruben, Gad, & dimidiæ tribus Manasse: sed pressiùs sumitur terra repromissionis pro terra Chanaan, quæ est cis Iordanem; hanc vidit Moses, sed in eam non introiuit, propter delictum commissum ad aquas contradictionis, de quo iam suprà diximus. D. Augustin. quæst. 53. in lib. Numer. ait, mortes Aaronis, & Mosis fuisse signa futurorum, non supplicia indignationis Dei, &c. Sed loquitur de supplicio æterno; sic enim scribit: Cùm Mosi & Aaroni dicitur, vt apponantur ad populum suum, manifestum est, non esse illos in ira Dei, quæ separat à pace sanctæ societatis æternæ. Vnde manifestatur, mortes eorum signa fuisse futurorum, non supplicia indignationis Dei, &c. Psalm. 98. apertè ait, id quod dixit Dominus Mosi: *Non intrabis terram promissionis*, figuram fuisse, non pœnam: Illud, (inquit) quod dictum est Mosi, figura erat. non pœna: seni mors, quæ pœna? non intrare in illam terram, quæ pœna, quò intrauerunt indigni? Sic ille. Sed dicendum est, non fuisse maximam pœnam, fuisse tamen pœnam peccati mortem Mosis & Aaronis, ne introirent in terram repromissionis, quod ostendit Dominus his verbis Num. 27. *Ascende* C *montem istum Abarim, & contemplare inde terrã, quam daturus sum filijs Israel, cumque videris eam, ibis & tu ad populum tuum, sicut uit frater tuus Aaron, quia offendisti me in deserto Sin, in contradictione multitudinis.* Dicitur autem mors Mosis fuisse pœna peccati, quia diutius viuere poterat, sed ne introiret in terram promissam, mortuus est. Vnde Rupertus: Adhuc, inquit, poterat Moses vitę huic esse idoneus, nisi vindicta properante dixisset Dominus: *Ascende in montem, & morere*, &c.

Moses non introiuit in terrã repromissionis propter delictum. *D. August.* *Psal. 98.* *D. August.* *Num. 27.* *Rupert.*

Hæc est terra, pro qua iurauí Abraham, Isaac, & Iacob.

D Promisit Dominus Abraham terram Chananæorum, quæ est cis Iordanem, Genes. 13. *Leua,* inquit, *oculos tuos, & vide à loco in quo nunc es, ad aquilonem, & meridiem, ad orientem, & occidentẽ, omnem terrã, quam cõspicis, tibi dabo, & semini tuo.* Posteà iussit terram promissam perambulare: *Surge,* inquit, *& perambula terram in longitudine, & in latitudine sua, quia tibi daturus sum eam*, &c. Psal. 104. *Memor fuit testamẽti sui verbi quod mãdauit in mille generationes, quod disposuit ad Abraham, & iuramenti sui ad Isaac. Et statuit illud Iacob in præceptum, & Israel in testamentum æternũ, dicens: tibi dabo terrã Chanaan funiculũ hæreditatis vestræ*, &c. Quęres, *an Deus promiserit eidem Abrahamo reliquas regiones vsque ad Euphratem fluuiũ?* Respõdetur, reliquas etiã promisisse; extat promissio Genes. 15. *In illo die pepigit Dominus fœdus* E *cum Abraham, dicens: Semini tuo dabo terrã hanc à fluuio Ægypti vsque ad fluuium magnum Euphratem.* An autem illam possederint Israelitę, suprà discussimus. Lege epist. D. Hieron. ad Dardanũ.

7 *Promisit Deus Abraha terram repromissionis.* *Genes. 13.* *Psalm. 104.* *Genes. 15.*

Mortuusque est Moyses in terra Moab, iubente Domino.

Mosem non esse mortuum multi existimarunt. Asserunt plerique, (ait Rupertus) quòd Moses nõ verè mortuus est, sed Dominus eum absconderit, &c. Catharinus Genes. 2. & 3. ait, transla-

8 *Rupert.* *Moses mortuus est in monte.*

translatum in paradisum terrestrem, sed aduersatur hæc sententia verbis his Deuteron. 34. *Mortuus est Moyses in terra Moab, iubẽte Domino.* Et Iosue 1. ait Dominus: *Moyses seruus meus mortuus est.* Clarissimis verbis mors eius asseritur, non est opus longiori refutatione. Lege Rupertum, Deuter. 34. Ambros. in contraria est opinione lib. 1. de Cain. & Abel, cap. 2. & D. Hilarius, canone 20. in Matth. vt alios omittam. Abulens. Deut. 34. quæst. 1. putat, non esse mortuum in vertice montis Phasga, sed postquam terram promissionis vidit, inde descendisse in vallem terræ Moabitarum, ibique ex vita discessisse in ipsa valle; sed in monte mortuum esse, verba scripturæ indicant, Deut. 33. *Mortuus,* inquit, *est ibi Moyses in terra Moab.* Dixerat, Mosem ascendisse in montem, & vidisse terram repromissionis. Addidit: *Mortuus est ibi Moyses*, id est, mortuus est in monte, in quem ascendit, & ex quo terram vidit. Et Deuter. 32. ait Dominus Mosi: *Ascende in montem istum Abarim, & morere in monte, quem conscendens iungeris populis tuis.*

Deut. 34. *Iosue 1.* *Deut. 33.* *Deut. 32.*

9 Iubente Domino mortuus est. Hebraicè, על פי יהוה, *al pi Iehouah*, id est, *ad os Domini, super os*, vel, *iuxta os, & præceptum Domini.* Mortuus verò est nullo præcedente morbo, aut dolore, sed morte placidissima. Comitatus enim illum est Dominus, qui terram repromissionis ostenderat, omniaque mortis mala ab illo propulit. Centum & viginti agebat annos, in hac verò ætate vegeto erat corpore, neque oculus eius caligine fuerat obductus, neque dentes moti. Chaldæus vertit: *Non caliguauit oculus eius, neque mutatus est splendor gloria vultus eius.* Hebræi verò: neque fugerat, vel, defecerat, vtor eius, id est, color viuidus vultus, seu humidum radicale. Animam in locum adduxerunt angeli subterraneum, in quo antiqui Patres erant; corpus autem non in monte, sed in valle terræ Moab est sepultum. Deuter. 34. *Sepeliuit eum in valle Moab contra Phogor.* Corpus Mosis angelus ex monte in vallem deduxit terræ Moabitarum, idque in valle sepeliuit, contra Phogor, id est, è regione templi, in quo idolum nomine Phogor colebatur, quod quia Israelitæ venerati sunt, graues dederunt pœnas, Numer. 25. templum autem idoli nominatum est, quia notissimum erat omnibus, vt sciretur, Mosem non esse in alium locum delatum, sed in illa regione sepultum in qua obierat.

Mors Mosis fuit placidissima. *Chaldæus.* *Moses sepultus est in valle. Deut. 34.*

10 Quæritur, *an Mosem mori viderint aliqui ex Israelitis?* Caietanus respondet his verbis: Viderunt Mosem mori in monte, & mortuum Eleazar summus sacerdos, Iosue, & alij principes populi, cum quibus ascendit in montem, &c. Arbitratur ille, Mosem comitatos esse Iosue, Eleazarum, & reliquos principes populi, eique morienti astitisse. Addit, post mortem corpus Mosis ex monte multis videntibus vectum esse in vallem, in qua sepultus est. Mosem in montem ascendisse coram omnibus Israelitis, concedam. Sic enim Aaron moriturus in montem Hor ascendit. Numer. 20. *Ascenderunt Moses, & Aaron in montem Hor coram omni multitudine.* Mortuũ verò, & sepultum existimo, nemine cernente. Nam si Iosue, & alij principes morienti astiterunt; dicendum erit, hos principes adfuisse, cùm Deus ei terram repromissionis ostẽdit, quod non videtur verum. Fauet Philo in fine vitæ Mosis: Iam (inquit)

An Mosem mori viderint aliqui ex Israelitis? Caietan. *Num. 20.* *Philo.*

Sebast. Barradas Itiner. Israelit.

A assumendus Moses, tunc quoque afflatus diuinitus, viuens adhuc prophetauit de seipso, tanquam mortuo; ante obitum narrans se mortuum, sepultumque nemine inspectante. Videlicet manibus non mortalium, sed virtutum immortalium, ne maiorum quidem monumẽtis, &c. Quod tamen ait, Mosem narrasse ante obitum se mortuum, sepultumque, non probo; quod etiam putauit Iosephus. Nam illa pars capitis extremi Deuteron. in qua de morte, & sepultura Mosis agitur, à Iosue, vel alio Scriptore sacro postea scripta est, non à Mose. Probatur illis verbis eiusdem capitis: *Non cognouit homo sepulchrum eius vsque in præsentem diem.* Quę verba hominis sunt, qui post mortem Mosis vi- B xit per tempus aliquod, in quo sepulchrum eius cognosci non potuit. De morte Mosis Iosephus sic scribit lib. 4. antiquit. in fine: Postrema, inquit, verba Mose loquente, & mortem suam aperiẽte, vniuersa multitudo in lachrymas erupit, vt & mulieres plangentes dolorem ob mortem ipsius futuram conceptum declararent. Ipse Moses, viso affectu populi, à lachrymis temperare non valuit. Dum verò eò proficiscitur, vbi dispariturus erat, omnes cum fletu sequebantur. manu autem mota, iis qui lõgiùs aberant, significauit, vt consisterent. Senatus solus eum deduxit, & Pontifex Eleazarus, & Iosue. Vt verò in monte Abarim constitit, senatum dimisit; cumque post mutuos complexus Eleazaro, & Iosue vltimum vale diceret, inter loquendum repentina nube circumdatus in vallem quandam est ablatus. In sacris autem voluminibus scripsit se mortuum. Hæc Iosephus. Putare Iosephus videtur, Eleazarum, & Iosue comitatos Mosem, interim dum in monte fuit; vnde sequitur, Eleazarum, & Iosue tunc astitisse, cùm Deus terram repromissionis illi ostendit, quod minus probabile videtur; ait etiam viuum in vallem esse ablatum. At in monte mortuus est, & postea in valle sepultus.

Iosephus de morte Mosis.

CAPVT XVIII.

De sepulchro Mosis, & prophetia.

CAietano placet, cernentibus multis ductum corpus Mosis in vallem; nubem verò operuisse vallis aliquod spatium, vt nemo posset videre, in quo loco Moses sepeliretur; sed dicendum, nemine spectante ductum esse corpus ex monte in vallem ab angelo, ibique sepultum nemine aspiciente. Itaque ignotus fuit locus sepulchri Mosis, vsque ad diem, quo Iosue hæc scripsit; similiterque ignotus fuit postea, vsque ad hanc diem. Abulensis Deuteron. 34. quæst. 2. ait, sepulchrum Mosis reuelatum fuisse Ieremiæ. Probatur ex lib. 2. Machab. cap. 1. *Erat* E *in ipsa scriptura, quomodo tabernaculum, & arcam iussit propheta diuino responso ad se facto comitari secum, vsque quo exijt in montem, in quo Moyses ascendit, & vidit Dei hæreditatem. Et veniens ibi Ieremias inuenit locum spelunca, & tabernaculũ, & arcam, & altare incensi intulit illuc, & ostium obstruxit. Et accesserunt quidam simul qui sequebantur, vt notarent sibi locum, & non potuerunt inuenire.* Speluncam, quam inuenit Ieremias, putat Abulensis fuisse sepulchrum Mosis. Verumtamen nomen speluncæ videtur significare aliquam magnam speluncam, quam Ieremias inuenit in monte, capacem arcæ, altaris, & tabernaculi,

Sepulchrum Mosis nemo nouit. *2. Machab. 2.* *Abulensis opinio.*

Deut. 34.

Grecè dicitur οἶκ☉ ἀντρώδης, id est, *domus antra habens.* Præterea Moses est sepultus in valle, Deut. 34. *Sepeliuit eum in valle terræ Moab.* Spelunca autem, quam Ieremias inuenit, erat in monte Abarim, ex quo Moses vidit terram repromissionis, vt ex verbis citatis colligitur.

2 *Cur Deus sepulchrũ Mosis occultarit.*

Dubium est, *cur Deus sepulchrum Mosis sic occultarit?* Communis est sententia Lyrani, Abulensis, Caietani, & aliorum, propterea occultatum esse sepulchrum, ne Israelitæ propensi in cultum idolorum, Mosem colerent, vt Deum. Aiunt etiam, diabolum voluisse sepulchrum, & corpus Mosis Israelitis ostẽdere, obstitisse verò D. Michaelem, hancque esse altercationem illam, de qua Iudas Apostolus in epistola sua ait: *Cùm Michael Archangelus cum diabolo disputans altercaretur de Moysi corpore, non est ausus iudicium inferre blasphemiæ, sed dixit: imperet tibi Deus.* Volebat nimirum diabolus corpus Mosis Israelitis ostendere, vt illud colerent diuinis honoribus; Archangelus verò id fieri non est passus, cùm verò cum cacodæmone ea de re altercaretur, non est ausus illi maledicere. Addi potest, Deum noluisse Mosem introire in terram promissam viuum, aut mortuum, Ne igitur Israelitæ illius corpus ex sepulchro tollerent, & in terram repromissionis adducerent, sepulchrum eius abscondit Dominus.

Moses non est ingressus in terram repromissionis, quia lex Mosis non erat ingressura Ecclesiam Christi, vt seruaretur. D. August.

At verò præcipua causa, cur Deus noluerit Mosem ingredi terram promissam, hæc est, quia volebat nobis indicare, Mosis legem non ingressuram Ecclesiam Dei, neque in ea seruandam, sed ante Iordanem, id est, ante baptismum, veluti mortuam sepeliendam. August. Psal. 98. Moysen, inquit, voluit Deus gestare figuram eorum, qui sub lege erant, quia per Moysen data est lex: & ostendit eos, qui sub lege esse vellent, & sub gratia esse nollent, non intraturos in terram promissionis. Ergo illud, quod dictum est Mosi, videlicet, *non transibis in terram promissionis*, figura erat, non pœna: seni mors, quæ pœna? non intrare in illam terram quæ pœna, quò intrauerunt indigni? &c. An fuerit pœna, suprà discussimus. Itaque mortuus est Aaron, mortuusque est Moses, id est, mortuum est sacerdotium, & mortua lex: non introduxerunt populum in terram promissionis; quia neque sacerdotium Iudaicum, neque lex vetus populum Dei in veram terram promissionis introducunt, sed sacerdotium, & lex Christi.

D. August.

August. in Numer. quæst. 53. Huius, inquit, rei mysterium datur intelligi, quia neque sacerdotium, quod priùs institutum est, cuius personam gerebat Aaron, neque ipsa lex, cuius personam gerebat Moyses, introducunt populum Dei in terram hæreditatis æternæ, &c. Occultauit autem Deus sepulchrum Mosis, vt Iudæorum cęcitatem significaret, qui sepulchrum Mosis, id est, legis, non cernunt. *Mortuus est Moses iubente Domino*, mortua est lex Mosis iubente eodem Domino: *& non cognouit homo sepulchrum eius*; quia non cognoscunt Iudæi sepulchrum legis veteris, hoc est, legis veteris abrogationem.

Non surrexit vltrà Propheta in Israel, sicut Moyses.

3 *An Moses fuerit maximus prophetarum? Deut. 34.*

Quæritur, *an Moses fuerit omnium Prophetarum in Israel*, id est, in veteri testamento, *præstantissimus?* Respondetur, præstantissimum fuisse, si prophetiæ donum simul, & miracula consideremus; idque probant verba Deuter. 34. *Non surrexit vltrà Propheta in Israel sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem in omnibus signis, atque portentis, quæ misit per eum, vt faceret in terra Ægypti Pharaoni, & omnibus seruis eius, vniuersæque terræ illius, & cunctam manum robustam, magnaque mirabilia quæ fecit Moyses coram vniuerso Israel.*

D. Thom.

D. Thomas 2.2. quęst. 174. artic. 4. Mosem ait simpliciter fuisse maiorem reliquis Prophetis veteris testamenti. Primò, quantum ad visionem intellectualem, quia diuinam essentiam vidit. Secundò, quantum ad imaginariam visionem, quam quasi ad nutum habebat, non solùm audiens verba, sed etiam vidẽs loquentem etiam in specie Dei, non solùm in dormiendo, sed etiam in vigilando. Tertiò, quia loquebatur toti populo ex persona Dei, quasi de nouo legem proponens. Quartò, quantum ad operationem miraculorum, sed non vidisse Mosem diuinam essentiam suprà diximus. Pręcellentia autem prophetiæ spectatur propriè in lumine prophetico, non in miraculis, & aliis. Præcellentior enim ille Propheta est, qui maius lumen prophetícum habet, quo plura, & præcellentiora futura videt, & clarius. Quis autem Propheta lumen maius habuerit, pluraque, & præstantiora de Christo, & futuris viderit, valde dubium est.

Ioan. 5.

Multa enim vidit Moses de Christo, iuxta illud Ioan. 5. *Si crederetis Mosi, crederetis forsitan & mihi. De me enim ille scripsit.*

D. Hieron.

Multa vidit Dauid, multa Isaias, de quo D. Hieron. in epist. ad Paulinum: Isaias, inquit, non prophetiam mihi videtur texere, sed Euangelium, &c. Et in præfatione Isaiæ: Hoc, inquit, adiiciendum est, quòd non tam Propheta dicendus sit Isaias, quàm Euangelista. Ita enim vniuersa Christi, Ecclesiæque mysteria ad liquidum persecutus est, vt non putes eum de futuro vaticinari, sed de præteritis historiam texere, &c. Multa viderunt Hieremias, & alij Prophetæ, sed quisnam illorum maius, & clarius lumen habuerit, Deus nouit.

4 *D. Greg.*

Audiamus D. Gregorium, homil. 16. in Ezechielem: Hoc, inquit, nobis sciendum est, quòd per incrementa temporum creuit scientia spiritualium Patrum. Plus namque Moyses, quàm Abraham; plus Prophetæ, quàm Moyses; plus Apostoli, quàm Prophetæ in Dei scientia eruditi sunt, &c. Eodem loco ait, Dauidem maiorem Dei habuisse scientiam, quàm Mosem.

Psal. 118.

Psalmista, inquit, Psal. 118. dicit: *Super omnes docentes me intellexi, quia testimonia tua meditatio mea est.* Et iterũ: *Super senes intellexi.* Qui ergo super omnes docẽtes se, ac super seniores intellexisse testatur, manifestat, quia diuinam scientiam plus quàm Moyses acceperat. Item: Quanto mundus ad extremitatem ducitur, tanto nobis æternæ scientiæ aditus largiùs aperitur. Hæc D. Gregor. Quæ omnia Adrianus I. summus Pontifex repetit in scripto ad Carolum Magnum, de imaginibus, cap. 19. D. Thomas 2.2. artic. citato ait, Dauidem plenius, quàm Mosem cognouisse, & expressisse mysteria Incarnationis Christi. Lyranus in præfatione Psalmorum putat, Dauidem fuisse excellentiorem Prophetam Mose, & ait, Mosem non habuisse toties; neque ita communiter tales illustrationes, quales habuit Dauid.

Exod. 33.

Refellit hoc Paulus Burgensis, addit. 2. in Psal. quia, vt dicitur Exod. 33. *Loquebatur Deus cum Mose facie ad faciem, sicut homo solet loqui cum amico suo*, &c. Quamobrem non videtur probabile, habuisse pauciores illu-

strationes, quàm habuerit Dauid. Abulensis Num. 12. quæst. 28. existimat, Mosem fuisse Prophetam Dauide præstãtiorem, ex modo cognitionis; quia Dei essentiam vidit: Dauidem verò, & Isaiam fuisse Mose præcellentiores, quantum ad mysteria reuelata: at verò Dei visio per essentiam à multis Mosi non tribuitur. Quamuis autem tribuatur, ad id non pertinet, in quo consistit prophetia. Non enim Propheta dicitur aliquis, quòd Deum videat, sed quòd videat futura.

5 *Duobus modis Deus prophetis aperit res futuras.*

Itaque si pressè de prophetia loquamur, Mosem ego non anteponam Dauidi, aut Isaiæ, aut Ieremiæ. Præterea duobus modis Deus Prophetis res futuras, & occultas aperit. Nam vel sensibilium rerum imaginibus, in sensu interno depictis, Prophetis rem indicat; sic multa D. Ioanni in Apocalypsi indicauit, Ieremiæ, & aliis; vel absque vlla huiusmodi in sensu imaginum impressione, intellectui cognitionem præbet per species intelligibiles. Hic secundus modus præstantior habetur primo, vt D. Thomas docet quæst. cit. art. 2.

D Thomas.

Propheta, inquit, per quam aliqua supernaturalis veritas conspicitur, secundùm intellectualem veritatem est dignior, quàm illa, in qua veritas supernaturalis manifestatur per similitudinem corporalium rerum, secundùm imaginariam visionem, &c. hoc secundo modo Moses prophetiam accepit & Dauid, vt opinatur D. Thomas, art. 4. ad primum.

D. Thomas.

Dicendum, (inquit) quòd prophetia Dauid ex propinquo attingit visionem Moysi, quãtum ad visionem intellectualem, quia vterque accepit reuelationem intelligibilis, & supernaturalis veritatis, absque imaginaria visione, &c.

Lyranus. Num. 12.

In hanc sententiam Lyranus illud Num. 12. *Ore* (inquit Dominus) *ad os loquor ei; & palam, non per ænigmata, & figuras Dominum videt*, &c. de Mose sic explanat: Per hoc quòd dicitur *palam*, intelligitur gradus prophetiæ, in quo non requiritur aliqua visio imaginaria; per hoc quòd dicitur, *ore enim ad os loquor ei*, intelligitur quædam specialitas, & dignitas in isto gradu prophetiæ. Quia quanto frequentius, & familiarius Deus reuelat alicui supernaturalem veritatem, tantò ille gradus est dignior, & iste erat in Moyse. Sic Lyranus. Sensus erit: *Palam* loquor Moysi, id est, absque impressione imaginum in sensu interno loquor ei; non per figuras, & ænigmata impressa in phantasia, sed *palam* veluti *ore ad os* per intellectualem visionem ad eius intellectum loquor, absque visione imaginaria. verba hæc suprà aliter explicauimus.

2. Reg. 23.

De Dauide exponit D. Thomas art. 2. illud 2. Reg. 23. *Mihi locutus est fortis Israel.* & posteà subdit: *Sicut lux auroræ oriente sole manè absque nubibus rutilat.* Quasi dicat Dauid: Mihi Deus locutus est, prophetia autem fuit per visionem intellectualem; sicut lux auroræ oriente sole manè rutilat absque nubibus: sic lux meæ prophetiæ splendet absque nubibus visionis imaginariæ. Verba Dauidis aliter explicauimus tomo I. Concord. lib. 5. cap. 4. Probari potest, prophetiæ modum, qui per imaginariam visionẽm fit, esse præstantiorem illo, qui fit per intellectualem visionem; quia Ioannes Euangelista præstantior Propheta fuit Mose, & Dauide, prophetiam verò admirabilem per imagines, & figuras atque ænigmata accepit, vt constat ex Apocalypsi. Respondetur, & Ioannem non solùm habuisse visiones imaginarias, verùm etiam intellectuales, quæ indicabat, quid imaginariæ significarent: prȩstantior verò est visio imaginaria, simul cum visione intellectuali, quàm visio sola intellectualis, vt docet D. August. lib. 12. de Genesi ad literam:

D. August.

Minus, inquit, est Propheta, qui rerum, quæ significantur, sola ipsa signa in spiritu videt, per rerum corporalium imagines: & magis est Propheta, qui solò earum intellectu est prȩditus: sed maximè Propheta est, qui vtroque præcellit, &c. Sic August. Præcelluit Ioannes in vtroque, multasque, & admirandas visiones à Deo accepit; ideo Propheta fuit præcellentissimus.

CAPVT XIX.

MORALE.

De morte Mosis.

Non transibis ad illam.

1 Moses, & Aaron terram repromissionis non introierunt; antequam Iordanem transirent, mortui sunt.

Num. 33.

Aaron obiit in monte Hor, Num. 33. *Ascendit Aaron sacerdos in mõtem Hor, iubente Domino, & ibi mortuus est.*

Deut. 34.

Moses è vita excessit in monte Abarim. Deuteron. 34. *Mortuus est ibi Moyses seruus Domini in terra Moab, iubente Domino.* Typus fuit Moses legis promulgator ipsius legis Mosaicæ: Aaron sacerdos vmbra fuit sacerdotij, & sacrificiorum.

In terrã promissionis, id est, Ecclesiã, neque Moses, id est, lex vetus introiuit, vt seruaretur, neque sacerdotiũ Aaronicum.

Neque Moses in terrã promissam intrauit, neque Aaron; quia in Ecclesiam neque lex vetus ingressa est, neque sacerdotiũ. Sicut solis splendore exorto vmbræ disparent, ita legis nouæ à Christo latæ fulgore radiante, vmbræ legis à Mose promulgatę defecerunt.

Coloss. 2. Hebr. 10. D. Ambros. Origenes.

Vt enim ait Apostolus ad Coloss. 2. *Lex vetus vmbra erat futurorũ, corpus autẽ Christi.* Quia lex erat vmbra Christi. & ad Hebr. 10. *Vmbram*, inquit, *habens lex futurorum bonorum*, &c. D. Ambros. serm. 12. Necesse, inquit, erat, vt deficeret lex, Euangelio coruscante, &c. Origen. hom. 17. in Iosue: Cùm, inquit, in aduentu saluatoris ex cælis descendens Veritas, de terra orta est, & iustitia de cælo prospexit, vmbræ, & exemplaria ceciderunt, prȩsente Veritate typus, & vmbra cessauit, &c. Mortuus est Moses, mortua quoque est lex eius; mortuus est Aaron, mortuum quoque est sacerdotium eius.

Psal. 109.

Psal. 109. *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, Tu es sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* Veluti pœnituit Deum sacerdotij Aaronici, & legis; quia illam abrogauit, & sepeliuit: sacerdotij verò & legis Christi nunquam pœnitebit. Pœnitere autem dicitur Deus metaphoricè.

D. August.

August. lib. 15. de Ciuit. Dei, cap. 25. Non sicut hominem, inquit, ita Deum cuiusquam facti sui pœnitet, cuius est de omnibus omnino rebus tam fixa sententia, quàm certa præscientia. Vnde tropica locutione pœnituisse Deum legimus. Sic ille. De abrogatione siue morte legis fusè dictum est tomo I. Concord. lib. 2. cap. 20. & 21. Mortuam autem esse legem, mortuaque sacrificia, & mortuum esse Mosem, satis indicat templi Ierosolymitani euersio, & Israelitarum ex vrbe Ierusalem exterminatio, & per orbem dispersio.

Origen.

Vnde Origen. hom. 2. in Iosue: Si consideres (inquit) Ierusalem subuersam, altare destitutum, nusquam sacrificia, nusquam sacerdotes, nusquam ministeria Leuitarum, cùm hæc om-

nia videa cessare, dicito: quia Moses defunctus est, &c.

2 *Israelitæ cognoscere nolũt Mosem, id. est, legem esse sepultam.* 2. Cor. 3.

Mortuus quidem est Moses, & sepeliuit eum Deus, sed non cognoscunt Israelitæ sepulchrum eius, nolunt credere mortuam, & sepultam esse legem. 2. Corinth. 3. *Cùm legitur Moyses, velamen positum est super cor eorum*, ait Paulus. Velatum habent cor, velatum intellectum, cùm Mosem legunt, & legem viuere adhuc arbitrantur. Viuit quidem Moses, sed viuit spiritu, hoc est, sensu spiritali, mystico, & morali. Mortua est lex sensu literali, quia abrogata sunt eius præcepta; sed viuit sensu spiritali, quia sensus spiritales habet, & mysticos, ac morales, omnibus vtilissimos. Homil. 1. in Iosue Origenes sic scribit: In libello, inquit, quodam, licet in canone non habeatur, mysterij huius figura describitur. Refertur enim quia duo Moyses videbantur, vnus viuus in spiritu, alius mortuus in corpore; in quo hoc est mirum, quod adumbrabatur; quia, si intuearis literam legis inanẽ, & vacuam ab iis, quæ memorauimus, ipse est Moyses mortuus in corpore; si verò potest remouere legis velamen, & intelligere, quia lex spiritalis est, iste est Moyses, qui viuit in spiritu. Ita Origen. Si in libello illo apocrypho scriptum erat, visos esse duos Moses, alterum mortuum, alterum viuum, fabula est, fortè parabolicè loquitur ille Author.

Lex sensus habet spiritales.

Origenes.

Non transibis in illam.

3 *Moses non potuit populum in exemplum promissum introducere, potuit Christus.*

Non transiuit Moses in terram repromissionis. Indicatur hac re, sub lege Mosis neminem introire potuisse in terram promissionis cælestem. Non enim Moses potuit cælum aperire. Aperuit Christus effuso sanguine, vnde illud D. Hieronymi, epistol. 129. ad Dardanum: Sanguis Christi clauis paradisi est, &c. Antequam hac claue cæli portæ reserarentur, omnes qui Mosis legem obseruabant, in limbum, vt vocant, Patrum descendebant, si in gratia ex vita migrabant, nihilque igne expiandum purgante habebant. Terram viuentium (ait D. Hieron. epistola citata) ante aduentum Domini nec Abraham, nec Isaac, nec Iacob, nec Prophetę, & alij iusti viri consequi potuerunt, &c. Lege, quæ diximus lib. 1. Concord. cap. 5. Non potuit Moses terram promissionis ingredi; ad limbum Patrum descendit, sed postquam claue Christi apertum est cælum, simul cum eo, in die Ascensionis, in terrã promissionis cælestem ingressus est. Præterea hanc (vt ita dicam) pœnitentiã, qua Deus Mosem nunc affecit, compensauit, cùm eum in eãdem terram promissam introduxit, & in montem Thabor adduxit, seque illi transfigurãtũ ostendit. Seruauit Mosi hunc ingressum in terram promissam Deus, in illud tempus, quo in ea versabatur, & stupenda faciebat miracula. Itaque terram ingressus est Moses, & optatissimum sibi Messiam vidit, & allocutus est; posteà verò in die, qua Christus in cælum ascendit, simul cum eo, veræ terræ repromissionis, id est, cæli æternam possessionem accepit.

Clauis cæli sãguis Christi.

D. Hieron.

D. Hieron.

Deus Mosem in terrã promissam introduxit, cùm eum adduxit in montem Thabor.

Non transibis in illam.

4 *Deus etiam amicorũ peccata punit.* Psal. 98.

Etiam Amicos suos, Mosem & Aaronem punuit Deus; qua de re legendus est D. Augustinus Psal. 98. ad illa verba: *Tu propitius fuisti eis vlciscens in omnes adinuentiones eorum.* Videntur oculis imperitorum aliqua opera nihil habere, quod correctione opus habeat: at verò artifex non nulla in eis videt, quæ emendet. Augustinus: Pleraque faciunt artifices, & ostendunt imperitis, & cùm iam iudicauerint imperiti esse perfecta, expoliunt illa artifices, qui nouerunt adhuc, quid illis desit, vt mirentur homines tantam expolitionem rebus accidisse, quas iam perfectas pronunciauerant. Fit hoc & in ædificiis, & in picturis, & in vestibus, & propè in omni genere artium. Primò iudicant illud iam quasi perfectum esse, vt oculi eorum ampliùs nihil desiderent, sed aliud iudicat oculus imperitus, aliud iudicat artificis regula: sic illis sanctis nouerat Deus, quid deesset. Hæc Augustinus. Et D. Gregorius epist. 58. Augustino Episcopo Anglorum: Si Mosem (inquit) agnoscimus, post signa pro culpa mortuum, quem nouimus Deo præcipuè electum; quanto nos debemus motu contremiscere, qui nedum adhuc nouimus, si electi sumus, &c.

D. August.

D. Gregor.

Mortuus est Moyses seruus Domini.

5 *Deut. 32.* *Deut. 34.*

Deuteron. 32. præcepit Dominus Mosi: *Ascende in montem istum Abarim*, (id est, transituum) *& morere in monte*, &c. Deuter. verò 34. *Mortuus esse dicitur Moyses seruus Domini.* Mons, vt Augustinus ait, magnam significat iustitiam, lib. 1. de serm. Domini in monte, cap. 6. Magnam, inquit, iustitiam significat ipse mons; in quo disputat Dominus, &c. In monte igitur mortuus est Moses, id est, in magna, & insigni iustitia. Erat enim insigniter iustus, ideò in monte moritur, qui eius insignem iustitiam indicat. De illo sic loquitur Augustinus lib. 22. contra Faustum, cap. 69. Moyses humilis in recusando tam magnum ministerium, subditus in suscipiendo, fidelis in seruando, strenuus in exequendo, in regendo populo vigilans, in corrigendo vehemens, in amando ardens, in sustinendo patiens, &c. Egregium habent exemplũ Prelati. Humiles esse debent in suscipiendo ministerio, fideles in seruãdo, strenui in exequendo, in regendo populo vigilantes, in corrigendo vehementes, in amando ardentes, in sustinendo patientes. Dicitur mons Abarim, hoc est, transituum, siue transeuntium, quia iustitia mons est, in quem omnes oportet ascendere, qui transire volunt ex hac vita, & ad æternam peruenire. Qui ex monte iustitiæ non transit, sed ex valle profunda peccati mortiferi, non ad æternam vitam, sed ad æterna transit tormenta. Apoc. 13. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*, &c. Illi autem moriuntur in Domino, qui in monte iustitiæ moriuntur.

Deut. 32.

Deut. 34.

D. August.

Moses magnũ fuit præditus virtute.

D. August.

Prælati quales esse debeant.

Apoc. 13.

6 *Moses vegeto corpore senex mortuus est. Laberius in Macrobio.*

Mortuus est Moses in Domino, & iubente Domino, cùm centum viginti esset annorum, senex, sed vegeto animo, ac corpore. Apud Macrobium lib. 2. Saturnal. cap. 7. aiebat Laberius senex:

Vt hedera serpens vires arboreas necat;
Ita me vetustas amplexu annorum necat.
Sepulchri similis, nil nisi nomen retineo, &c.

De Mose id dici non potest, quem suo complexu centum viginti anni non necauerunt. Illud ei congruit, quod de Paulo Concordiensi admodũ sene, scripsit D. Hieronymus epistol. 21. Oculi puro lumine vigent, pedes imprimunt certa vestigia, auditus penetrabilis, dentes candidi, vox sonora, corpus solidum, & succi plenum; non contractam rugis faciem ætata frons exasperat, &c. Iob 29. *Sicut palma multiplicabo*

D. Hieron.

Iob 29.

plicabo dies, &c. Ita Moses multiplicauit dies, & annos, sicut palma. Est enim palma valde longæua arbor, fronde semper virens; sic Moses multos vixit annos, semper virens, Deuter. 34. *Non caligauit oculus eius, nec dentes illius moti sunt*, &c. vt suprà diximus. Chaldæus vertit: *Non caligauit oculus eius, neque mutatus est splendor gloriæ vultus eius.* Hebræi sic: *Non fugerat, vel defecerat vires eius*, &c.

Deut. 34.

7 *Mors Mosis somnus fuit, & quies.* Ioan. 11.

Fuit mors Mosis somnus, talis enim est mors iustorum: in vita vigilant ac laborant, in morte dormiunt. Ioan. 11. *Lazarus amicus noster dormit*, &c. Amicus Christi cùm moritur, dormit; in die iudicij à somno excitabitur corpus dormiens ab amico Christo. Ioan. 11. *Vadam* (inquit) *vt suscitem eum*, &c. Ambros. de bono mortis, cap. 8. Somnum, inquit, scriptura nuncupat mortem, &c. Est etiam mors iustorum quies; nunc multos subeunt labores, post mortem quiescunt. Ambros. eodem capite: Iustis, inquit, mors quietis est portus, &c. Apocal. 13. *Amodo iam dicit spiritus, vt requiescant à laboribus suis, opera enim illorum sequuntur illos*, &c. Labor, & bona opera causa sunt quietis, sequuntur bona opera bene operantes: diuitiæ, voluptates, honores hîc manent; opera bona, vel mala comitantur. Videamus diligenter, quósnam comites nobis adiungamus; si bona opera adiunxerimus, in cælestem patriam nos ducent, Deique conspectum: si peccata, in tartareas ducent flammas. Propter honores peccant homines, propter voluptates, & diuitias; hæc omnia, quibus in vita delectabantur, in morte eos deserunt, peccata propter quæ torquentur, eos comitantur, vt dixit August. lib. quinquaginta homiliarum, homil. 42. cap. 8. Homines, inquit, id propter quod peccant, hîc dimittunt, & ipsa peccata secum portant. Peccas propter pecuniam, hîc dimittenda est; peccas propter mulierem, hîc dimittenda est. Quidquid est propter quod peccas, hîc dimittis, & ipsum peccatum tecum portas. Sic August. Vidistine aliquando diuitem opibus affluentem, & morti propinquum currus multos, & iumenta congregare, vt opes suas secum transferret, quibus in sæculo altero frueretur? insanus esset, qui hoc faceret. Cur ita? quia, vt est in Psalmo 48. *Dues cùm interierit non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria eius*, &c. Non sumet opulentus omnia quæ possidet, hoc est, nihil sumet, nihil in alterum sæculum asportare secum poterit; diuitias omnes hîc relinquet, neque descendet, & comitabitur eum gloria eius, hoc est, honores, ac dignitates. D. Ambrosius in lib. de bono mortis, cap. 8. mortem impiorum, naufragium appellat: Mors, inquit, nocentibus naufragium putatur, &c. Quemadmodum in naufragio omnia amittuntur, quæ naufragus magno labore comparauerat: sic in morte omnia relinquuntur, quæ homo moriens multo sudore collegerat.

Ioan. 11.

D. Ambros.

D. Ambros.

Apoc. 13.

Opera bona sequũtur nos in morte, & peccata: non voluptates.

Voluptates deserunt homines, peccata comitantur.

D. August.

Psal. 48.

Dines omnes diuitias hîc relinquet.

D. Ambros.

Mors impiorum est naufragium.

8 *Iob 5.*

Iob 5. *Ingredieris in abundantia sepulchrum, sicut infertur aceruus tritici in tempore suo*, &c. Impius veluti naufragus, omnibus suis opibus, & honoribus spoliatus, sepulchrum ingreditur: at iustus in abundantia bonorum operum, ac virtutum, in tumulum ducitur; sicut aceruus egregij tritici, in tempore suo iam maturi, post toleratos ardentes æstus ac pluuias: sic Moses in tempore suo bene maturus ætate & virtutibus sepulchrum ingressus est. Triticum non infertur in horreum, nisi prius à paleis separetur: sic iustus non infertur in cælum, nisi prius à peccatorum paleis expurgetur. Si quas peccatorum paleas fert, in igne purgante comburuntur. Verisimile est, Mosem triticum fuisse omni palea exutum, atque adeò purgantem ignem non esse expertum; purgatorij vice terram promissionis ingredi prohibitus est à Deo. O fœlicem illam cõscientiam, quæ nullam in se peccati labem in morte cernit! cernit autem bona opera multa, vereque dicere potest tunc Deo cum Ezechia morti iam propinquo: *Obsecro Domine, memento, quæso, quomodo ambulauerim coram te in veritate, & in corde perfecto, & quod placitum est, coram te fecerim*, &c. O terque quaterque beatum, qui dum viuit, ambulat coram Deo in veritate; qui corde perfecto ei seruit; qui quod placitum est Deo, facere semper curat, in abundantia hic sepulchrum ingredietur, & veluti triticum paleis expurgatum in horreo cæli collocabitur. D. Hieron. Isaiæ 38. Ezechias, inquit, iturus ad Dominum narrat opera sua; quomodo ambulauerit coram eo in veritate, & in corde perfecto. felix conscientia, quæ afflictionis tempore bonorum operum recordatur! Sic ille. Multa ergo bona opera, dum vita suppetit, congregemus, vt in morte nos sequantur, & mortem nobis placidam, & quietam parent, qualis fuit mors Lazari illius pauperis, Luc. 16. *Factum est, vt moreretur mẽdicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ.* Vidésne placidam, quietamque Lazari mortem? portatum audis in limbum ab Angelis: quid de Mose dicendum? equidem cùm mortuus est, portatus est ab Angelis in sinum patris sui charissimi Abrahæ. At audi, quid de diuite helluone sequatur apud Lucam: *Mortuus est diues, & sepultus est in inferno*, &c. O diuitem infœlicissimum! mendicus Lazarus in sinum Abrahæ ab Angelis ducitur: opulentus diues in sinum tartari à dæmonibus fertur.

Iob 5.

Purgatorio igne non est expurgatus Moses.

D. Hieron.

Luca 16.

9 *Exemplum mortis placidæ.*

Accipe exemplum aliud mortis placidæ, vt narrat D. Gregor. homilia 15. in Euangelia: Seruulus nomine paralyticus quidam fuit à primæua ætate, ita vt neque in lecto sedere, neque in latus aliud se vertere, neque manum ori posset admouere, ad sumendum cibum. Rebus pauper erat, (ait D. Gregor.) sed meritis diues; quidquid ex eleemosynis accipiebat, pauperibus erogabat. Studebat in doloribus gratias agere, hymnis Deo, & laudibus diebus, ac noctibus vacare. Vitam sanctam secuta est sancta & placida mors. Cùm enim in extremo esset spiritu, cælestes audiuit Angelorum laudes. Postquam autem ex vita abiit, tanta (inquit Gregorius) illic fragrantia odoris aspersa est, vt omnes illi qui aderant, inæstimabili suauitate replerentur. Non possum sanctissimi Patris admonitionem tacere, quam nobis hoc loco reliquit: Fratres, inquit, attendite, quod excusationis argumentum in districto illo iudicio habituri sumus nos, qui à bono opere torpentes, & res, & manus accipimus, si præcepta dominica egenus, & sine manibus potuit implere? Non contra nos Dominus tunc Apostolos ostendat, non martyres exhibeat, quid tunc dicturi sumus, cùm Seruulum videtimus, cui longus languor brachia tenuit, sed tamen hęc à bono opere non ligauit? Sic D. Gregorius. Addo & aliud exemplum mortis placidæ ex D. Antonin. 3. p. titulo 19. cap. 12. §. 5. eo loco sic scribit:

Exemplum mortis placidæ.

D. Greg.

Seruuli mors.

D. Greg.

D. Anton.

Aliud exemplum. scribit: Cùm vidua quædam, quæ diu in viduitate Domino seruierat, & filias suas in sancto proposito virginitatis sponso cælesti integras custodierat; in extremis laboraret: vidit Beata Maria de Oegnies Deiparam Virginem viduę assistentem, quæ quasi quodam flabello eam euentilando, feruorem caloris, quo torquebatur, misericorditer temperabat, &c. Fœlix illa mors, & placida est, cui Virgo adest Deipara cum flabello; infœlix mors est, & horrenda, cui adest iudex cum æterno flagello.

10 *Exemplum mortis horrendæ.* Huius etiam horrendæ mortis improborum aliquod proponamus exemplum. Terribile est illud, quod narrat D. Gregor. homilia 12. in Euangelia: Quidam, inquit, vir nobilis nomine Chrysaurius, corporis languore percussus *D. Greg. Chrysaurius.* est: eadem hora qua erat ex corpore exiturus, apertis oculis, vidit tetros, & nigerrimos spiritus coram se assistere, & vehementer imminere, vt ad inferni claustra ipsum raperent. Cœpit tremere, pallere, sudare, & magnis vocibus inducias petere. Iacebat in sinistro latere, eorum aspectum ferre non poterat: vertebatur ad parietem, ibi aderant; cœpit magnis vocibus clamare, dicens: inducias vel vsque manè, inducias vel vsque manè; sed in ipsis suis vocibus, de habitaculo suæ carnis euulsus est. Sic D. Gregor. Addit: Pro nobis ille ista vidit, non pro se, vt eius visio nobis proficiat, quos diuina patientia adhuc expectat; solicitè ista cogitemus, ne nobis in vacuum tempora pereant, & tunc quæramus ad bene agendum viuere, cùm iam compellimur de corpore exire, &c. Matth. 24. ait Dominus: *Orate, ne fiat fuga vestra hyeme, vel sabbato.* Qui peccata sua fugere vult, ne fugam differat in mortem; nam *Matth. 24.* *Mors hyemis.* mors hyems est, in qua itinera plena pluuiis sunt, & frigore. Sabbatum est, in quo per legem antiquam longum iter non fiebat. D. Gregor. eodem loco, his Christi verbis nos ad *Non est differenda pœnitentia.* pœnitentiam non differendam concitat. Mementote, inquit, quid veritas dicat: *Orate, ne fiat fuga vestra hyeme, vel sabbato*; per legis quippe mandatum ambulare longius in sabbato non licebat; hyems quoque ad ambulandum impedimento est. Ait ergò Dominus: orate ne fiat fuga vestra hyeme, vel sabbato; ac si dicat: videte, ne tunc quæratis peccata vestra fugere, quando iam non licet ambulare, &c. *Beda.* Adiicio exemplum alterum ex Beda lib. 5. Hist. Anglorum, cap. 14. Ægrotabat miles quidam, suæ salutis oblitus. Suasit illi Rex, vt peccata confessione expiaret. Tandem infœlix homo frustrà se admoneri exclamauit, quòd tartareis *Horrendum militis exemplum.* hostibus traditus esset: In hoc, inquit, cubiculum duo iuuenes ingressi sunt; libellumque mihi legendum obtulerunt, in quo pueritiæ meæ bona opera paucissima scripta extabant. Adfuerunt quoque teterrimi dæmones, ex illis verò vnus librum ostendit, in quo vitæ meæ scelera omnia perlegi. Post hæc duo illi iuuenes dæmonibus imperarunt, vt animam meam reciperent, & abierunt. Narrauit hæc miles, protinusque ad orcum raptus est. Libri sunt, vt videmus, in quibus tam bona opera nostra, quàm peccata scribuntur, nauemus diligenter operam, ne in hora mortis librum conscientiæ peccatis refertum, bonis autem operibus vacuum legamus. Opera nos sequuntur; de bonis igitur operibus congregandis solicitissimus. Qui placidam vult habere mortem, sicut Moses, opera bona congreget, peccata velis, remisque fugiat.

Iungeris populis tuis.

Iunctus est Moses populis suis post mortem; 32 Sic de Iacob legimus Genesis 49. *Appositus est ad populum suum.* & de Abraham Genes. 2. *Congregatus est ad populum suum.* De Aarone Numer. 20. *Pergat Aaron ad populos suos*, &c. Sunt post hanc vitam alij populi, quibus iunguntur homines. Væ impiis: iunguntur enim populis damnatorum, qui in tartaro habitant: beati verò mortui, qui in Domino moriuntur, quoniam iunguntur populis beatorum, qui in cælesti patria, æterna gloria perfruuntur. Moses cùm mortuus est, iunctus est populis sanctorum qui in limbo erant; postea iunctus est populis, qui sunt in cælo. Apocal. 21. *Ecce tabernaculum Dei cum hominibus, & habitabit cum eis, & ipsi populus eius erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus*, &c. Ecce Regem cælestem, ecce cælestem populum, cum Rege suo in cælesti Ierusalem habitantem. Ad hunc Regem, ad hanc ciuitatem, ad hunc populum transeunt, qui in monte iustitiæ moriuntur. *Festinemus ergo* (ait Apostolus ad Hebr. 4.) *ingredi in illam requiem*, &c. Festinemus ingredi in illam patriam, in illum populum, in quo multos habemus amicos, multos consanguineos, qui nos auidè expectant. Audiamus D. Cyprianum in fine libri de mortalitate: Quis non peregrè cõstitutus, properaret in patriam regredi? patriam nostram paradisum computamus, parentes habere patriarchas iam cœpimus: quid non properamus, & currimus, vt patriam nostram videre, vt parentes salutare possimus. Magnus nos illic charorum numerus expectat, parentum, fratrum, filiorum frequens nos, & copiosa turba desiderat, iam de sua immortalitate secura, & adhuc de nostra salute solicita. Ad horum conspectum, & complexum venire, quanta, & illis, & nobis in commune lætitia est? Qualis illic cælestium regnorum voluptas, quàm summa, & æterna fœlicitas, &c. Ita D. Cyprianus.

Genes. 49. Genes. 2. Num. 20. *Post hanc vitã populi sunt beatorũ, quibus iũguntur probi viri, & populi damnatorũ, quibus iungũtur improbi.* *Apoc. 21.* *Hebr. 4.* *Properemus in cælum.* *D. Cyprian.*

CAPVT XX.

MORALE.

De introitu in terram repromissionis.

MOrtuo Mosi 1 successit Iosue, quem LXX. interpretes Iesum appellant. Lege, si placet, quæ de nomine Iehosuag diximus tomo 1. Concordiæ lib. 9. cap. 3. Hic populum Israeliticum in terram repromissionis introduxit, longęque peregrinationi fidem dedit. Habes typum egregium Christi; mortuus est Moses, hoc est, mortua est lex vetus, quæ homines in terram repromissam introducere non valuit, fluentem lacte, & melle; hoc est, quæ homines introducere non potuit in cælestem patriam, fluentem lacte, & melle omnium gaudiorum.

Successit Mosi, id est, veteri legi, verus Iosue, verus Iesus Christus Opt. Max. hic Iesus populum suum in terram fluentem lacte, & melle gloriæ sempiternæ introducit. Quod Moses facere non potuit, ille fecit. Ioan. 1. *Lex per Moysem data est, gratia, & veritas per Iesum Christum facta est.* Moses dare potuit legem veterem,

2 *Verus Iosue populũ suum duxit ad gloriam.* *Ioan. 1.*

terem, à Deo acceptam; at noster summus Iosue Christus facere potuit gratiam, & veritatem. Potentia enim Mosis solùm humana fuit, potentia verò nostri Iosue Christi fuit diuina; dare legem à Deo acceptam potest homo, facere gratiam & veritatem non potest homo. Deus gratiam fecit & veritatem Euangelicam, Deus inquam factus est homo. Moses legem dedit, legisque typos, & vmbras: noster Iosue typorum veritatem fecit, noster sol vmbrarum caliginem illuminauit, hominesque in cælestem repromissionis terram intromisit. *D. Chrysost.* Chrysostomus homil. 27. in epist. ad Hebræos: Iosue, inquit, populum introduxit in promissionem; sicut Iesus in cælum. Non lex, sicut nec Moses, sed mansit extra; non potest lex introducere, sed gratia, &c.

3 *Iordanis typus baptismi.* Ingressus est Israeliticus populus in terram repromissionis per fluuium Iordanem: ingreditur populus Christianus in Ecclesiam, & in cælum per baptismum, cuius typus fuit Iordanis. Euenit autem baptizatis, vt quidam in cælum mente, & operibus, rectè viuendo eleuentur: alij verò in falsum, amarumque mundi, & peccati mare dilabantur. Id quod significatum ait Origenes aquis Iordanis, quarum pars superior eleuata est in cælum, instar montis; altera inferior in mare mortuum defluxit. *Iosue 3.* Iosue 3. *Steterunt aquæ descendentes in loco vno, & ad instar montis intumescentes apparebant procul ab vrbe, quæ vocatur Adom, vsque ad locum Sarthan; quæ autem inferiores erãt, in mare solitudinis* (quod nunc vocatur mortuum) *descenderunt, vsquequò omnino deficerent*, &c. *Origenes.* Origen. hom. 4. in Iosue: Videtur, inquit, mihi in his verbis baptizatorum varietas designari, vt hi qui baptisma consequuntur, cùm se rursum ad negotia sæculi, & illecebras libidinis tradunt, cum auaritiæ poculum bibunt, ea aquarum parte firmentur, quæ in mare profluit, atque in salsis fluctibus diffluit. Pars verò illa, quæ cum stabilitate permanet, & dulcedinem suam seruat, designat eos, qui acceptum Dei munus indeclinabiliter tenent. Sic ille. Aliter, aquæ superiores Iordanis, potentias significant baptizati superiores, D intellectum, ac voluntatem, & memoriam: hæ instar montis in cælum attollendæ sunt. Aquæ verò inferiores, quæ in mare mortuum defluxerunt, defecerũtque omninò, inferiores adumbrant carnis concupiscentias, quas oportet in mortem siue mortificationem defluere, & omninò quantum fieri potest perire. Audiamus Apostolum ad Colos. 3. *Ad Colos. 3.* *Quæ*, inquit, *sursum sunt quærite, quæ sursum sunt sapite, nõ quæ super terram*; quasi dicat, eleuentur superiores aquæ in cælum. Subiicit: *Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam, & auaritiam.* quasi dicat, inferiores aquæ diffluant in mare mortuum, & pereant.

4 Anno quadragesimo ab exitu ex Ægypto, vndecimo mense, prima die mensis, vt legitur *Deut. 1.* Deuteron. 1. locutus est Moses ad filios Israel, & legem explanare cœpit: postea ex vita discessit. Mense autem primo anni sequentis quadragesimi primi iam populus Iordanem pertransierat, & mense primo Pascha celebrauerat, vt *Iosue 5.* narratur in lib. Iosue cap. 5. *Fecerunt*, inquit, *Phase quarta decima die mẽsis ad vesperum in campestribus Iericho.* Pascha autem agebatur decima quarta die mensis primi, qui Martio nostro, & A Aprili respondet. Sequitur in libro Iosue: *Et comederunt de frugibus terræ die altero, azymos panes, & polentam eiusdem anni; defecitque manna, postquam comederunt de frugibus terræ.* *Ibidem.* *Cur & quando defecit manna.* Defecit manna, quia necessarium iam non erat: sic postquam omnes in terram repromissionis cælestem peruenerimus, deficiet manna, hoc est, non erunt sacramenta, quia non erunt necessaria; siquidem comedemus de frugibus beatæ patriæ nostræ dulcissimis, & videbimus Deum nostrum sicuti est. Rupertus: Pascimur *Rupert.* (inquit) mente legendo, vel audiendo verbum Dei, pascimur & manducando panem vitæ, & bibendo calicem salutis æternæ. At vbi venerimus in illam terram viuentium, neque verbo B doctrinæ indigebimus, neque in istis speciebus panis & vini, sed in propria substantia, videndo panem Angelorum, manducabimus. Igitur postquam comederunt de fructibus terræ, defecit manna, quia videlicet, postquam venerit quod perfectum est, euacuabitur, quod ex parte est. Sic ille. Defecit etiam manna Israelitarum, postquam ingressi sunt Christiani in Ecclesiam; quia Iudaica lex & cibi defecerunt: comeduntque Christiani de frugibus terræ repromissionis, id est Ecclesiæ suauissimis. Origen. homil. 6. in Iosue ait, Hebræos tres habuisse ciborum species. Primùm habuerunt farinam conspersam, cùm exierunt ex Ægypto, Exod. 12. *Tulit populus conspersam farinam, ante-* *Exod. 12.* C *quam fermentaretur, & ligans in pallis posuit super humeros suos.* postea habuerunt manna; tandem fructus terræ repromissionis: sic nos habemus triplicem cibum: primùm, sæcularem eruditionem, similem farinæ conspersæ Hebræorum, præterea manna diuini verbi, & legis; tandem fructus terræ repromissionis cælestis. Tres, in- *Origenes.* quit ille, species ciborum describuntur, vnum quo vescimur exeuntes è terra Ægypti: sed hoc ad paruum tẽpus sufficit. post hoc manna succedit; tertium verò iam de terra sancta capimus fructum. Primus cibus est quem de Ægypto exeuntes nobiscum portauimus, parua hæc eruditio sæcularis, aut etiam siquis fortè attigit liberalium literarũ cognitionem, quæ exiguum aliquid iuuare nos potest. In eremo verò positi, id est, in hoc, in quo nunc sumus vitæ statu, manna vescimur, per hoc quòd diuinæ legis instructionibus erudimur. Qui verò meruerit terram repromissionis intrare, id est, ea quæ à Saluatore promissa sunt consequi, ille edit fructus ex regione palmarum; verè enim fructum palmæ inuenit, qui deuicto hoste ad promissa peruenit. Hæc Origenes.

Defecit manna, postquam Israelitæ ingressi 5 sunt terram repromissionis, defecit etiam columna nubis, quæ viam ostendebat, defecit, inquam, quia non erat opus. Viam enim ostendere, necessarium non erat iis, qui in finem E viæ iam peruenerant. Similem in modum co- *Fides quando deficiet.* lumna nostra, id est, fides, quæ intellectum nostrum, velut columna, fulcit, & illuminat, viamque in terram repromissam, id est, cælum indicat, cùm in finem viæ peruenimus, deficit. Non enim est opus fide in cælo, vbi Dei apertissima est visio, quæ fidei succedit.

Post transitum Iordanis vrbs Iericho solo æ- 6 quatur, & anathema fit. Typus mundi Ieri- *Iericho typus est mundi.* cho est, & mundi vitiorum; post baptismum ergo Iericho, id est, mundus, cum vitiis, quibus scatet, solo æquandus est, & anathemate damnan-

damnandus à baptizato Christiano. Ita verò solo æquandus est, vt nunquam ædificetur; quamobrem Iosue cap. 6. maledictionem illi imprecatur, qui Iericho solo æquatam exædificarit. *Maledictus*, inquit, *vir coram Domino qui suscitauerit, & ædificauerit ciuitatem Iericho*, &c. Simili modo maledictus est baptizatus, qui postquam mundi vitia per baptismum diruit, & euertit, eadem rursus ædificat, rursusque se eis tradit. Iosue 6. ait Iosue: *Sit ciuitas hæc anathema, & omnia quæ in ea sunt Domino. Vos cauete, ne de iis quæ præcepta sunt, quidpiam contingatis*, &c. LXX. interpretes vertunt: Vos obseruate valde ab anathemate, &c. In quæ verba sic scribit Origenes: Dicit Iosue: *Custodite vos ab anathemate*, ne fortè concupiscatis, & tollatis ab anathemate: tale est quod indicatur his verbis: videte ne quid in vobis fæculare habeatis, ne fæculares mores, ne vitia, ne tergiuersationem de fæculo vobiscum ad Ecclesiam deferatis, sed anathema sit vobis omnis conuersatio fæcularis. Nolite diuinis mundana miscere, hoc est, quod Ioan. ait: *Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt*. & Paulus similiter: *Nolite*, inquit, *conformari huic mundo*. Qui enim hæc faciunt, accipiunt de anathemate. Sic Origenes. De anathemate suprà diximus.

Iosue 6. *Iosue 6.* *Origen.*

7 Ceciderunt autem muri Iericho modo admirando, videlicet clangentibus tubis, & vociferante populo. Iosue 6. *Omni populo vociferante, & clangentibus tubis, postquam in aures multitudinis vox, sonitusque increpuit, muri illico corruerunt*, &c. Eundem in modum muri idololatriæ ceciderunt, tubis clangentibus Apostolorum, toto orbe. Etenim, vt ait vates Psalmo 18. *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*. Origenes hom. 7. Iericho, inquit, formam præsentis sæculi obtinet, cuius robur, & munimenta sacerdotalibus tubis videbimus esse destructa; firmitas namque & munimenta, quibus velut muris mundus nitebatur, idolorũ cultus erat, diuinationum fallacia, arte dæmonum ministrata, augurum, atque auspicum, magorumque commenta. Sic ille.

Iosue 6. *Apostoli idololatriæ destruxere.* *Psal. 18.* *Origen.*

8 Aduerte autem in possessionem terræ promissæ peruenisse Israelitas, non per otium, & ignauiam, sed per bella, hostiumque acies, quæ res adumbrat, in possessionem cęlestis regni nobis promissi, otiosos & ignauos non posse peruenire; per tela enim, & per ignes tantum bonum comparatur. *Non coronabitur*, (ait Apostolus) *nisi qui legitimè certauerit*, hoc est, non perueniet ad possessionem terræ promissæ, nisi qui aduersus hostes tartareos bellum gesserit: hostes verò vicerunt Israelitæ, non propria fortitudine, sed Dei auxilio adiuti. Sic nos non proprio robore fulti, sed Dei præsidio adiuti tartareos hostes superamus. Psal. 43. *Manus tua gentes disperdidit, & plantasti eos, afflixisti populos, & expulisti eos. Nec enim in gladio suo possederunt terram, & brachium eorum non saluauit eos, sed dextera tua, & brachium tuum, & illuminatio vultus tui, quoniam complacuisti in eis.* Hæc de Israelitis terram repromissionis ingredientibus ait vates. De se verò subiicit: *Non enim in arcu meo sperabo, & gladius meus non saluabit me*, &c. Nemo enim in arcu suo speret, aut in gladio suo, sed in Deo. Dei fulti præsidio ne simus ignaui, sed alacriter geramus bellum, vt terræ promissionis possessionem triumpho de hostibus reportato capiamus.

Otiosi, & ignaui ad gloriam non perueniunt. *Psalm. 43.* *Ibidem.*

A Israelitæ hostes suos omnes superare noluerunt, sed multos in terra sibi à Deo promissa viuere passi sunt, eorumque idola coluerunt. Psal. 105. *Non disperdiderunt gentes quas dixit dominus illis, & commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & seruierunt sculptilibus eorum*, &c. Lege cap. 1. 2. & 3. libri Iudicum. Noluit autem Dominus delere omnes gentes terræ repromissæ, vt Israelitas erudirent, & bellis exercerent. Iud. 3. *Hæ sunt gentes quas Dominus deriliquit, vt erudiret in eis Israelem, & omnes qui non nouerant bella Chananæorum, vt postea discerent filij eorum certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi.* Similem in modum permittit Deus viros probos tentari; neque hostes eorum ab eis remouet, vt eos erudiat, & humiliet, & discant certare cum hostibus, & habere consuetudinem præliandi. D. Gregorius lib. 4. moral. cap. 25. Scriptum, inquit, est Iud. 3. *Hæ sunt gentes, quas Dominus deriliquit, vt erudiret in eis Israelem.* Israel, inquit, reseruatis gentibus eruditur; quando in quibusdam minimis vitiis elatio virtutis nostræ comprimitur, vt in paruis sibi resistentibus discat, quòd ex se maiora non subigit, &c. Et lib. 3. dialog. cap. 14. Philisthæos, inquit, atque Chananæos Dominus diutius reseruauit, vt, sicut scriptum est, experiretur in eis Israel; quia nonnumquam eis etiam quibus magna dona tribuit, parua quædam reprehensibilia relinquit, vt semper habeant contra quod bellum gerant, & deuictis magnis hostibus mentem non erigant, quando eos adhuc aduersarij minimis defatigant, &c.

9 *Psalm. 105.* *Voluit Deus Israelitas exercere cum hostibus dimicando.* *Iudicum 3.* *Cur Deus suos tentari permittat.* *D. Greg.* *Iudicum 3.* *Iusti semper habent in quo exercentur.*

B

C

Psal. 105. *Commixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & seruierunt sculptilibus eorũ*, &c. Obserua, quàm sit fugienda prauorum hominum consuetudo & familiaritas. Non disperdunt Israelitæ gentes, commixti sunt inter eas, ab illisque opera praua, & idololatriam didicerunt. Quemadmodum qui se pici commiscuerit, ab ea contaminabitur: sic qui improbis se adiunxerit, flagitiis inquinabitur. Ecclesiastic. 13. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea, & qui communicauerit superbo, induet superbiam.* Cõmiscuerunt se gentibus veluti pici Israelitæ, quàm sint inquinati docet idem Psalmus 105. In tantam enim inquinationem mentis, ac cœcitatem peruenerunt, vt filios suos dæmonibus in sacrificium offerrent. *Immolauerunt* (ait vates) *filios suos, & filias suas dæmonio, & effuderunt sanguinem innocentẽ, sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum, quas sacrificauerunt sculptilibus Chanaan.* Quænam maior amentia esse potuit? Discamus impiorum fugere consortia, demusque vigilanter operam internecioni hostium nostrorum, id est, vitiorum; occidamus omnia, ne vnum quidem remaneat, iuxta illud Dauidis Psal. 17. *Persequar inimicos meos, & comprehendã illos, & non conuertar, donec deficiant.* Persequamur inimicos, hoc est, vitia omnia. Nemo ex bello conuertatur, gladiumque ex manu deponat, donec hostes omnes, quos persequitur, deficiant, quantum fieri potest.

10 *Psal. 105.* *Fugiẽda familiaritas prauorum.* *Ecclesi. 13.* *Psal. 105.* *Psalm. 17.*

D

E

Insurgent in nos hostes; Iebusæus, hoc est, concupiscentia, habitabit nobiscum, iuxta illud Iosue 15. *Iebusæum habitatorem Ierusalem non potuerunt filij Iuda delere, habitauitque Iebusæus cũ filijs Iuda in Ierusalem, vsque in præsentem diem.* At nos Iebusæum, hoc est, concupiscentiam, hostem internum, nobiscum habitantem crescere

11 *Iosue 15.* *Concupiscentia resecanda est.*

scere ne patiamur: vbi primùm cupiditatum capita apparuerint, mox succidantur. Audiamus D. Bernardum serm. 68. in Cant. Velis (inquit) nolis, intra fines tuos habitat Iebusæus, subingari potest, sed non exterminari. Medium vitiorum virtus tenet; sedula eget putatione, & circuncisione, alioqui verendum est, ne circumquaque à lambentibus, vel potius à rodentibus vitiis paulatim elangueat; aut si supercreuerint, suffocetur. Vnum in tanto discrimine consilium est, obseruare diligenter, & mox, vt renascentium capita apparebunt, prompta seueritate succidere. Non potest virtus cum vitiis pariter crescere, ergo vt virtus vigeat, vitia crescere non sinantur. Domus operam putationi, puteturque cupiditas, vt virtus roboretur. Hæc D. Bernardus.

D. Bernard.

12 Denique, terra repromissionis victoribus Israelitis à Iosue diuisa est, Psal. 77. *Induxit eos* (scilicet Deus) *in montem sanctificationis suæ, montem quem acquisiuit dextera eius, & eiecit à facie eorum gentes, & sorte diuisit eis terram in funiculo distributionis.* Sic cælestis terra repromissionis victoribus diuiditur in funiculo distributionis, sunt autem funiculi distributionis, merita victorum. Olim funiculis hæreditates, velut mensura, diuidebantur: in cælo hæreditates victorum hominum meritis, virtutibus, & operibus, velut funiculo diuiduntur; tanta est hæreditas in cælo, quanta fuere merita in terra, per gratiam Dei homini collata. Quàm lætus tunc victor tartari canet illud Psal. 15. *Funes ceciderunt mihi in præclaris; etenim hæreditas mea præclara est mihi*, &c. In præclaris cæli gaudiis, æternisque cadunt proborum hominum funes, siue funiculi, id est, merita, operaq; eorũ per Christi merita eleuata. Etenim hæreditas illorum præclarissima est illis. Quid enim præclarius esse potest, quàm cælesti gloria frui, ac sempiterna? 1. Petri 1. *Regenerauit nos in spem viuam, per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem, conseruatam in cælis, in vobis qui in virtute Dei custodimini.* Hæreditatem cælestem appellat D. Petrus incorruptibilem, & incontaminatã, Græcè ἀμίαντον, & immarcescibilem, ἀμάραντον, conseruatam in cælis, nobis qui per Dei potentiam in terris custodimur, vt eam consequi possimus. Terræ hæreditates corruptibiles sunt omnes auri, argenti, cæterarumq; rerum corruptibilium: contaminant sæpe peccatis eas possidentes, vt flosculi citò marcescunt, & euanescunt. Hæreditas cæli nunquam corrumpitur, sempiterna enim est: non marcescit, non contaminat; imò instar angelorum, homines purissimos reddit conseruata nobis est in cælis. Reliquum est, vt pro ea adipiscenda totis viribus cum hostibus decertemus; hîc labor est, hîc bellum, posteà requies. Requiem vocat Deus illam, quam post bella populo Israelitico dedit in terra repromissionis. Psal. 34. *Quadraginta annis proximus fui generationi huic, & dixi, semper hæerrant corde: ipsi vero non cognouerunt vias meas, quibus iuraui in ira mea, si introibunt in requiem meam.* Hoc est, non introibunt in requiẽ meam, quam ego dabo populo meo in terra repromissionis. Requies illa, vmbra erat requiei, quam Ecclesia vita defunctis precatur, sic orans: *Requiem æternam dona eis, Domine.* Quemadmodum illa post certamina, victosq; hostes donata est; sic & hæc æterna, ac cælestis post pugnas, victoriasque donatur. *Vidit Issachar*, Genes. 4. *requiem, quod esset bona, & terram, quod optima, & supposuit humerum suum ad portandum*, &c. In repromissionis terram cælestem mentis oculos sæpè coniiciamus, videbimus quòd sit bona, atque optima; supponemusque humeros omnibus laboribus, totoque pectore aduersus tartarum decertabimus. Pro requie illa omnes labores tolerandi sunt; pro pace illa æterna, omnia certamina subeunda. Richardũ lege in libro, qui dicitur Beniamin minor, cap. 39. Requies, inquit, ibi est, & requies bona; pax ibi est plena, pax quieta, quies pacifica. In illa terra labor non est, sed ad illam sine labore peruenire non potest; propter ipsam laboratur, sed in ipsa non laboratur, &c. Per laboriosas deserti mansiones, in mansiones quietas terræ repromissionis peruenerunt Israelitæ. Vtinam nos quoque per mansiones plenas laboribus vitæ huius, in cælestis patriæ mansiones illas quietissimas peruenamus, de quibus ait Dominus Ioan. 14. *In domo patris mei mãsiones multa sunt.* Huius vitæ mansiones transitiones potius sunt, quàm mansiones, quia transeunt. Cælestis patriæ mansiones permanent: ideoq; verè mansiones sunt; in quibus vtinam in sempiternum maneamus!

Psalm. 77. *Merita sunt mensura gloriæ.* *Psalm. 15.* *1. Petri 1.* *Pro cælestis patria decertandum.* *Psal. 34.* *Richardus.* *Gloria cælestis bona.* *Genes. 4.* *Ioan. 14.* *Mansiones vitæ transitiones sunt.*

A

B

C

D

F I N I S.

Laus Deo, & beatæ Virgini Mariæ.

SVMMA PRIVILEGII

ALBERTVS ET ISABELLA CLARA EVGENIA Archiduces Auſtriæ, Duces Burgundiæ, Brab. &c. Sereniſſimi Belgarum Principes, diplomate ſuo ſanxerunt, ne quis librum cui titulus *Sebaſtiani Barradas Vlyßiponenſis è Societate Ieſu Doctoris Theologi & in Eborenſi Academia olim Sacrarum litterarum Profeſſoris Itinerarium filiorum Iſrael ex Egypto in terram repromißionis, &c.* præter Gulielmi à Tongris & conſortium voluntatem vllo modo imprimat, aut alibi terrarum impreſſum in has Inferioris Germaniæ ditiones importet venalémue habeat. Qui ſecus faxit confiſcatione librorum & aliâ graui pœnâ mulctabitur, vt latius patet in litteris datis Bruxellæ 23. Octobris 1620.

Signat

I. Cools.

INDEX

INDEX LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ, QVÆ IN HOC OPERE EXPLICANTVR.

EX VETERI TESTAMENTO.

Geneſis.

Cap. 1. v. 2. ET tenebrę erant ſuper faciem abyſſi, dixitque Deus: fiat lux. lib. 9. cap. 18. num. 7.
9. Congregentur aquæ, quæ ſub cælo ſunt. lib. 5. cap. 12. num. 3.
11. Germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen. lib. 5. cap. 12. num. 3.
3. 24. Et flammeum gladium, atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ. lib. 5. cap 12. num. 4.
4. 4. Et reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. lib. 5. cap. 2. num. 1. & lib. 6. cap. 1. num. 6.
5. Ad Cain autem & ad munera eius non reſpexit. lib. 6. cap. 9. num. 6.
7. Sub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. lib. 10. cap. 9. num. 4.
10. Vox ſanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra. lib. 6. cap. 7. num. 13.
8. 21. Odoratuſque eſt Dominus odorem ſuauitatis. lib. 10. cap. 10. num. 6.
9. 14. Non erunt vltra aquæ diluuij ad delendum vniuerſam carnem. lib. 9. c. 17. num. 2.
11. 8. Diuiſit eos Dominus ex illo loco in vniuerſas terras. lib. 9. cap. 14. nu. 11.
12. 1. Dixit Dominus ad Abram: Egredere de terra tua. lib. 10. cap. 10. num. 5.
3. Benedicam benedicentibus tibi, & maledicam, &c. lib. 9. cap. 8. num. 2.
10. Deſcenditque Abram in Ægyptum. lib. 3. cap. 5. num. 3.
13. 1. Aſcendit ergo Abram de Ægypto. lib. 3. cap. 5. num. 3.
14. Leua oculos tuos in directum, & vide à loco, in quo nunc es, &c. lib. 1. cap. 2. num. 2. & lib. 10. cap. 17. num. 7.
17. Surge ergo, & perambula terram. lib. 7. cap. 4. num. 4.
14. 22. Leuo manum meam ad Dominũ Deum excelſum. lib. 7. cap. 9. num. 15.
15. 10. Diuiſit ea per medium. lib. 6. cap. 3. num. 10.
13. Scito præno ſcens, quòd peregrinum futurum ſit ſemen tuum. lib. 1. cap. 6. num. 7.
17. Lampas ignis tranſiens inter diuiſiones illas. lib. 3. cap. 11. num. 1.
18. Pepigit Dominus fœdus cum Abram. lib. 1. cap. 2. num. 2.
16. 17. Noli reſpicere poſt tergum. lib. 7. cap. 4. num. 4.
20. Eſt ciuitas hæc iuxta, &c. lib. 5. cap. 16. num. 12.
21. 10. Eiice ancillam, & filium eius. lib. 4. cap. 15. num. 2.
22. 17. Multiplicabo ſemen tuum, ſicut ſtellas cæli. lib. 1. cap. 5. num. 8. & lib. 7. cap. 11. num. 7.
25. 8. Congregatuſque eſt ad populum tuum. lib. 8. cap. 10. num. 3.
25. Qui primus egreſſus eſt, rufus erat. lib. 2. cap. 9. num. 7.
27. Factus eſt Eſau vir gnarus venandi. lib. 8. cap. 2. num. 7.
30. Da mihi de coctione hac rufa. lib. 8. cap. 9. num. 7.
34. Paruipendens, quòd primogenita vendidiſſet. lib. 7. cap. 11. num. 2.
26. 2. Ne deſcendas in Ægyptum, &c. lib. 3. cap. 5. num. 3.
3. Tibi enim, & ſemini tuo dabo vniuerſas regiones has. lib. 1. cap. 2. num. 2.
28. 13. Terram, in qua dormis, tibi dabo. lib. 1. cap. 2. num. 2.
30. 1. Da mihi liberos, alioquin moriar. lib. 10. cap. 11. num. 1. & lib. 10. cap. 16. num. 7.
24. Vocauit nomen eius Ioſeph. lib. 10. cap. 4. num. 8.
32. 30. Vidi Dominum facie ad faciem, lib. 4. cap. 9. num. 7.
35. 22. Abiit Ruben, & dormiuit cum Balã. lib. 10 cap. 2. num. 5.
29. Appoſitus eſt populo ſuo ſenex, & plenus dierum. lib. 8 cap. 10. num. 3. & lib. 10. cap. 3. num. 1.
39. 9. Quomodo ergo poſſum hoc malum facere, & peccare. lib. 9. cap. 17. num. 5.
41. 33. Nunc ergo prouideat Rex virum ſapientem, &c. lib. 9. cap. 11. num. 4.
52. Creſcere me fecit Deus in terra paupertatis meæ. lib. 10. cap. 12. num. 1.
45. 18. Ego dabo vobis omnia bona Ægypti, vt comedatis medullam terræ. lib. 1. cap. 5. n. 5.
46. 27. Filij autem Ioſeph, qui nati ſunt ei in terra

terra Ægypti. lib.1.cap.4.num.2.
34.Respondebitis, viri pastores sumus.lib.1. cap.4.num.5.
47. 6. Terra Ægypti in conspectu tuo est, &c. lib.3. cap.3 num.2.
11. Ioseph verò patri, & fratribus suis dedit possessionem, &c. lib.1.cap.4.num.4.& lib.3.cap.3. num.2.
48.22.Do tibi partem vnam extra fratres tuos, &c. lib.3.cap.5. num.4.
49. 1. Congregamini, &c. *Totum caput explicatur* lib.10.
29. Congregor ad populum meum. lib.8. cap.10.num.3.
32. Appositus est ad populum suum. lib. 10. cap.19.num.11.
50. 13.Portantes eum in terram Chanaan, &c. lib.3.cap.5. num. 2.
23. Ascendere vos faciet de terra ista, &c. lib. 2. cap.5.num.3.
24. Cùm adiurasset Ioseph eos, &c. lib.3. cap.5.num.4.

Exodus.

1. 8. Surrexit interea Rex nouus, *vsque ad versic.* 14. lib.1.cap.6. & 7.
11. Ædificauerunt vrbes tabernaculorum Pharaoni. lib.3.cap.3.num.2.
2. 1. Egressus est post hæc, &c. *vsque ad versic.*11. lib.1. cap.10.11.& 12.
11. In diebus illis postquam creuerat Moyses, &c.*vsque ad versic.*23. lib.1. cap.13. & 14.
23. Post multum verò temporis, &c. *vsque ad finem.* lib.1.cap.15.
3. *Totum caput.* lib.1. cap.15.& 16.
21. Non exibitis vacui, &c. lib.3. cap. 2. num.1.
22. Postulabit mulier à vicina sua, &c. lib.3. cap.1.num.6.
4. *Totum caput.* lib. 1.cap.17. & 18.
10. Non sum eloquens ab heri, & nudiustertius. lib. 1.cap. 13. num. 3.
5. *Totum caput.* lib.2.cap.1.& 2.
6. *Totum caput.* lib.2.cap.3.
7. 1. Dixitque Dominus ad Moysem, &c. *vsque ad versic.* 14. lib.2.cap.4.& 5.
7. Erat Moyses octoginta annorum. lib.1. cap.13.num.7.
14. Ingrauatum est cor Pharaonis, *vsque ad finem.* lib.2 cap.6.& 7.
8. *Totum caput.* lib.2. cap.8.9.10. & 11.
26. Abominationes Ægyptiorum immolabimus, &c. lib.1.cap.4.num.6.
9. *Totum caput.* lib.2. cap.12.13.14. & 15.
10. *Totum caput.* lib.2. cap.16.17.18. & 19.
11. *Totum caput.* lib.2.cap.20.21.& *pars cap.*12. *Exodi à versic.*29.
12.1. Dixit quoque Dominus ad Moysem, &c. *vsque ad versic.*30. lib.2.cap.22.23. & 24.
30. Surrexitq; Pharao nocte, *vsque ad finem.* lib.3.cap.1.2. & 3. *vsque ad num.*6.
13.17. Igitur cùm emisisset eos Pharao, &c. lib.3 cap.5.& 6.
20. Profectique sunt de Socoth, &c. lib.3. cap.7.& 8.
22. Nunquam defuit columna nubis. lib.4. cap.12. num. 9.
14. 1. Locutus est autem Dominus, *& reliqua.* lib.3.cap.9.10.11.& 12.
24. Fugiamus Israelem, Dominus enim pugnat, &c. lib.9.cap.15.num.7.
15. 1. Tunc cecinit Moyses, *& reliqua vsque ad versic.*20. lib.3.cap.13.14.& 15.
22. Tulit autem Moyses Israel de Ægypto, *& reliqua.* lib.3.cap.16.& 17.
16. *Totum caput.* lib.3.cap.18. & 19.
17. 1. Igitur profecta omnis multitudo, *vsque ad versic.* 8. lib.3.cap.20.
8. Venit autem Amalec, &c. *vsque ad finem.* lib.3. cap.21.& 22.
18. *Totum caput.* lib.3.cap.23.& 24.
5. Venit Iethro cognatus Moysi. lib.7. cap.5.num.4.
19. 1. Mense tertio egressionis, *vsque ad versic.*16. lib.4.cap.1.& 2.
19.4. Vos ipsi vidistis, quæ fecerim Ægyptiis. lib.9. cap.14. num.21.
16. Iamque aduenerat tertius dies, &c. *vsque ad finem.* lib.4. cap.2.& 3.
20. 1. Locutusq; est Dominus, *vsque ad versic.*18. lib.4.cap.4.& 5.
23. Non facietis Deos argenteos. lib.9. cap. 7.num.7.
22. 20. Qui immolat Diis, occidetur. lib.6. cap.1.num.4.
28. Diis non detrahes, & principibus. lib. 4. cap.21. num. 7.
23. 5. Si videris asinum odientis te iacere, &c. lib.9. cap.13. num.4.
31. Ponam terminos tuos à mari rubro, &c. lib.1.cap.2. num.6.
24. 3. Venit ergo Moyses, & narrauit plebi omnia, &c. *vsque ad versic.*9. lib. 4.cap. 7.& 8.
9. Ascenderuntque Moyses & Aaron, &c. *vsque ad versic.*12. lib.4. cap. 9. & lib.10. cap.1.num.4.
12. Dixit autem Dominus ad Moysem, *vsque ad finem.* lib.4. cap.10.
25. 2. Loquere filiis Israël, &c. lib.4.cap.10. num.7. & lib.5. cap.1.
8. Facientque mihi sanctuarium, &c. *& reliqua.* lib.5. cap. 9.& 10.
40. Inspice, & fac secundum exemplar. lib.5.cap.12. num.5. & cap.8.
26. 1. Tabernaculum verò ita facies, &c. *vsque ad versic.*15. lib.5.cap.5.
15. Facies & tabulas stantes, &c. *vsque ad versic.*31. lib.5.cap. 4.
31. Facies & velum de hyacintho, &c. *vsque ad finem.* lib.5.cap.6.
27. 9. Facies & atrium tabernaculi, &c. *vsque ad versic.*20. lib.5.cap.7.
28. 30. Pones in rationali iudicij doctrinam & veritatem. lib.9.cap.10.num.9.
34. Ita vt tintinnabulum sit aureum, &c. lib 7. cap. 2. num.6.
29. 1. Sed & facies, &c. *vsque ad versic.*35. lib.5. cap.15.& 16.
30. 12. Quando tuleris summam, &c. *vsque ad versic.*17. lib.5.cap.8.
18. Facies & labrum æneum cum basi sua. lib.5.cap.7.num.4.
25. Facies vnctionis oleum, &c. lib.5. cap.13. num.3.
31. 18. Deditque Dominus Moysi duas tabulas, &c. lib. 4.cap.10. num.8. & cap.11.& 26.
32. 1. Videns autem populus, &c. *& reliqua.* lib.4.cap.12.13.14.15.16.17.18. & 19.
12. Ne quæso dicant Ægyptij, callidè eduxit eos. lib.9.cap.15.num.5.
26. Si quis est Domini, iungatur mihi. lib.10.cap.10.num.4.

27.Ite,

27.Ite, & redite de porta vsque ad portam. lib.10.cap.3. num.6.
29. Consecrastis manus vestras Domino. lib.9. cap. 9. num.4.
33.1. Locutusq; est Dominus ad Moysem, &c. *& reliqua.* lib.4. cap.10.21.22.23. & 24.
11. Loquebatur Dominus cum Moyse facie ad faciem. lib.10.cap. 18.num.4.
20. Non poteris videre faciem meam. lib.4. cap.9. num. 5.
34. 1. Ac deinceps præcide ait tibi duas tabulas, &c. *& reliqua.* lib.4 cap.25. & 26.
35. *Totum caput.* lib 5. cap.1.
30. Ecce vocauit Dominus ex nomine Beseleel, &c. lib.5. cap.3.
36. 1. Fecit ergo Beseleel, &c. ibid.
36. 6. Iussit Moyses præconis voce cantare. lib 5.cap.1.num.6.
14. Fecit & saga vndecim de pilis camelorum. lib.5 cap.9. num.12.
20. Fecit & tabulas tabernaculi. lib 5. cap.4.5.& 6.
38. 25. Oblatum est autem ab his, qui transierunt. &c. lib.5. cap.8.
40. *Totum caput.* lib.5. cap. 13. & 14.

Leuiticus.

1. *Totum caput.* lib.6. cap 2.& 3.
2. *Totum caput.* lib.6.cap.4. & 5.
3. *Totum caput.* lib.6 cap.6.& 7.
10. Adipem & caudam totam cum renibus. lib.4.cap.8. num.1. & lib.6. cap.9. num.12.
4. *Totum caput.* lib.6.cap.8.& 9.
5. 11. Quòd si non quiuerit manus eius duos, &c. lib 6. cap. 4. num.2.
6. *Aliqua explicantur.* lib.6. cap. 6.8.& 9.
12. Ignis autem in altari semper ardebit. lib. 5. cap. 18. num. 2. & 4. & lib. 2. cap. 23. num.3.
7. *Aliqua explicantur.* lib.6.cap.6.
34. Pectusculum eleuationis, & armum separationis. lib.6.cap.7.num.8.
8. 6. Statimque obtulit Aaron, & filios eius. lib.5 cap.15. num.3.
33. De ostio tabernaculi non exibitis. lib.5. cap.15.num.5. & cap.16. num.10.
9. 1. Facto autem octauo die, &c. *& aliqua.* lib.5. cap.17.
10. 1. Arreptisq; Nadab, & Abiu, &c. *& reliqua.* lib.5.cap.17.& 18.
17. Cur non comedistis hostiam? lib.6. cap.8.num.4.
17. *Aliqua explicantur.* lib.6.cap.6.
11. Anima carnis in sanguine est. lib.6. cap.7. num.11.
23. 15 Numerabitis ab altero die sabbati. lib.4. cap.2. num. 3.

Numeri.

1. 1. Locutusque est Dominus ad Moysem. lib.6. cap.10. num.3.
3. Numerabitis eos per turmas, tu & Aaron. lib.5. cap.8. num.3.
2. 1. Locutusque est Dominus ad Moysem & Aaron, &c. *& reliqua.* lib.6 cap.10.
6. 19. Armum coctum arietis, &c. lib. 6. cap.7.num.5.
7. 1. Factum est autem, &c. *vsque ad versic.*88. lib.6.cap.10.
8. 7. Aspergantur aqua lustrationis. lib. 5. cap.19.num.7.
24. Hæc est lex Leuitarum, &c. lib.5. cap.19.num.4.
9. 1. Locutusque est Dominus, &c. *vsque ad versic.* 15. lib.6.cap.6.
15. A vespere autem super tentorium erat, &c. lib.3. cap.5.num.7.
16. Operiebat illud per noctem, &c. lib.3. cap 5. num.7.
17. Cumque ablata fuisset nubes, &c. lib.3. cap.5. num.8.
20. Ad imperium Domini erigebant tentoria. lib.3. cap.6.num.8.
10. 1. Locutusque est Dominus, &c. *vsque ad versic.*13. lib 6.cap. 11.& 12.
9. Si exieritis ad bellum de terra vestra. lib.9.cap.6.num.3.
31. Noli nos relinquere, &c. lib.5. cap.23. num.10.
11. 1. Interea ortum est, &c. *vsque ad versic.* 34. lib.7.cap.1.2.3.& 4.
8. Circuibatque populus, & colligens illud. lib.3.cap 18 num.11.
35. Egressi autem de sepulchris concupiscentiæ. lib.7.cap 5.
12. *Totum caput.* lib.7.cap.5.
8. Ore ad os loquor ei, &c. lib. 10.cap. 18. num. 5.
13. *Totum caput.* lib.7.cap.7.& 8.
4. Quorum ista sunt nomina. lib.3. cap.22. num.4.
28 Reuera fluit lacte & melle. lib. 1.cap.2. num. 3.& lib 9.cap.14.nu.24.
33. Deuorat habitatores suos. lib.9. cap. 18. num.9.
14. *Totum caput.* lib 7.cap.9.10. 11. & 12.
4. Dixeruntque alter ad alterum. lib.3. cap 5.num.2.
13. Vt audiant Ægyptij, &c. lib.9.cap.15. num.5.
14. Et nubes tua protegat illos. lib.3.cap.6 num.8.
25. Cras mouete castra. lib.8.cap.1.
32. Vestra cadauera iacebunt in solitudine. lib.8.cap.16. num.2.
15. 32. Factum est autè cùm essent filij Israël. lib.8.cap.1.num.5.
16.1. Ecce autem Core, &c. *vsque ad versic.* 45. lib.8.cap.2.3.& 4.
6. Tollat vnusquisque thuribula sua. lib.10. cap.10.num.6.
17. *Totum caput.* lib.8.cap.6.
8. Turgentibus gemmis eruperant flores. lib.5.cap.12. num.3.
20. 1. Veneruntque filij Israël &c. *vsque ad versic.* 14. lib 8.cap.7.& 8.
14. Misit interea nuntios Moyses, &c. *vsque ad finem.* lib.8.cap.9.10.& 11.
21. *Totum caput.* lib.8.cap.12.13.14.15. & 16.
22. *Totum caput.* lib.9.cap.1.& 2.
23. Cernens asina angelum stantem in via. lib.6.cap.9.num.8.
23. *Totum caput.* lib.9. cap.2.& 3.
24. *Totum caput.* lib.9.cap.4.& 5.
25. *Totum caput.* lib.9.cap.5.
26. 1. Postquam noxiorum sanguis, &c. lib.9. cap.5.num.6.
2. Numera te omnem summam filiorum Israël, &c. lib.9.cap.10.num.1.
10. Aperiens terra os suum deuorauit Core, &c. lib.8.cap.2.num.10.
58. Caath genuit Amram. lib.1.cap.10.n.2.

63. Hic

63. Hic est numerus filiorum Israel. lib.9. cap.10. num.3.
27. *Totum caput.* lib.5.cap.17.& lib.9.cap.10. & 11.
31. *Totum caput.* lib.9.cap.6.
32. 1. Filij autem Ruben, & Gad, &c. *vsque ad versic.*28. lib. 9. cap.12.
32. Armati pergemus coram Domino. lib.10.cap.6.num.3.
33. *Totum caput.* lib.7.cap.6.& lib.8.cap.1. num.1.& 4.
34. Ascenditque Aaron sacerdos,&c. lib.9. cap.8. num.3.
51. Intrantes terram Chanaan,&c. lib.9. cap.8. num.3.

Deuteronomium.

1. 1. *Totum caput.* lib.7. cap.7.9.10.11.& 12.
13. Date ex vobis viros sapientes. lib. 3. cap.24.num.7.
17. Nulla distantia personarum,&c. lib.4. cap. 17. num.2
31. Portauit te Dominus, &c.lib.9.cap.14. num.21.
2. 1. Profectique inde, &c. *vsque ad versic.* 8. lib.8. cap.9.
9. Non pugnes contra Moabitas. lib. 8. cap.17.num.4.& lib.9 cap.6.num.2.
19. Accedens in vicina filiorum Aaron. lib.9.cap.6.num.4.
24. Surgite, & transite torrentem Arnon. lib.8.cap.17. num. 2. & 4.
3. *Totum caput.* lib.8.cap.17. num.2.
12. Terramque possedimus, &c. lib.9.cap. 12.num.2.
25. Transibo & videbo terram hanc. lib.9. cap.10.num.4.
29. Mansimus in valle contra fanum Phogor. lib.9. cap.5. num.3.
4. 6. Hæc est enim vestra sapientia, & intellectus. lib.4.cap. 8. num.1.
12. Vocem verborum eius audistis. lib.4. cap.9. num.4.
20. Vos eduxit Dominus de fornace. lib.1. cap.6.num.8.
24. Dominus Deus tuus ignis consumens est. lib.4. cap 5.num.2.
26. Testes inuoco hodie cælum & terram. lib.9 cap.14. num.4.
5. 4. Facie ad faciem locutus est nobis. lib.4. cap. 3 num.8.
25. Cur ergo morientur, &c. lib.4.cap.5. num.4.
7. 6. Te elegit Dominus Deus tuus,&c.lib.9. cap. 14. num. 19.
7. Non quia cunctas gentes numero vincebatis. lib.9.cap.19.num.18.
8. 2. Recordaberis itineris. lib.3. cap.6. num.2.
3. Afflixit te penuria, &c. lib.3.cap.18. num.1.
5. Sicut erudit filium suum homo, &c. lib.3.cap.6.num.2.& lib.9.cap.14 num.20.
7. Dominus Deus introducet te in terram. lib.1.cap 2. num.3. & lib. 9.cap.14.num.24.
11. Obserua, & caue ne quando, &c. lib.9. cap.18.num.2.
15. Ductor tuus fuit in solitudine. lib.9. cap.14.num.2 & cap.17. num.10.
9. 5. Neque enim propter iustitias tuas, &c. lib.9.cap.14 num.19.
14. Dimitte me vt conteram eum. lib.4. cap.14. num. 3.
18. Procidi ante Dominum, sicut priùs. lib.2.cap.5. num.3.
21. Vitulum arripiens igne combussi. lib.4. cap.14.num.7.
10. 1. Dola tibi duas tabulas, &c. lib. 4.cap.25.
4. Scripsitque in tabulis verba decem, &c. lib.4 cap.4. num.3.
6. Mosera vbi Aaron mortuus, &c. lib.8. cap.10.num.5.
11. 9. Sub iuramento pollicitus est. lib.1.cap.2. num.2.
10. Terra enim ad quam ingrederis, &c. lib.1.cap.1.num. 3. & lib.3.cap.13. num.7. & lib.9.cap.14.num.23.
24. A deserto, & à Libano. lib.1. cap.2. num.6.
26. En propono in conspectu vestro, &c. lib.9.cap.5. num.3.
12. 7. Comeditis ibi in conspectu Domini. lib. 5.cap.17. num.7.
13. 15. Statim percuties habitatores terræ. lib.8.cap.12.num.5.
16. Quicquid supellectilis fuerit,&c. lib.9. cap.14. num.1.
14. 1. Non vos incidetis, nec facietis caluitiũ. lib.5.cap.17.num.7.
16. 1. In isto mense eduxit te Dominus. lib.3. cap.3.num.7.
3. Septem diebus comedes absq; fermento. lib.3 cap.3.num.3.
6. Immolabis Phase vespere. lib.3. cap.3. num 7.
11. Epulaberis coram Domino Deo tuo. lib.5 cap. 7.num.7.
21. Non plantabis lucum, &c. lib.4.cap.13. num.12.
17. 18. Postquam sederit in solio regni. lib. 9. cap.14 num.1.
18. *Totum caput.* lib.4.cap.6.
19. 8. Cùm autem dilatauerit Dominus. lib.1. cap.2. num 8.
20. 8. Quis est homo formidolosus. lib.9. cap.13.num.1.
16. De his autem ciuitatibus, &c. lib. 1. cap.2.num.8.
21. 12. Radet cæsariẽ, & circumcidet vngues. lib.3.cap 2.num.4.
15. Si habuerit vir vxores duas. lib.10. cap.2.num.4.
23. 4. Conduxerunt contra te Balaam. lib.9. cap 2. num.8.
5. Noluit Dominus audire Balaam. lib. 9. cap.2.num.7.
Vertitq; maledictionẽ in benedictionem. lib. 9.cap.7.num.2.
24. 9. Mementote quę fecerit Dominus Deus vester. lib.8.cap.14.num.8.
25. 4. Non ligabis os bouis terentis in area. lib.5.cap.3.num.8.
29. 5. Adduxit vos quadraginta annis,&c. lib. 3. cap.19.num.15. & lib.9.cap.14.num.20.
32. 1. *Totum caput.* lib.9.cap.14.
10. Inuenit eum in terra deserta, &c. lib.3. cap.6.num.2.
Circunduxit eum,& docuit. lib.3.cap.6. num.2.
11. Sicut aquila prouocans ad volandum. lib.3. cap.6.num.2. & lib.4.cap.4.num. 1. & cap. 3. num.2.

17. Noli

17. Noui, recentesque venerunt. lib.1.cap.5. num.7.
40. Leuabo ad cælum manum meam. lib.7. cap.9.num.15.
33. *Totum caput.* lib.10. *per totum.*
2. Index terra eius ignea lex. lib.1.cap.16. num.4.& lib.4.cap.4 num.6.& cap.5.num.5. & lib 9. cap.18.num.4.
34. 1. Ascenditque Moyses. lib.10 cap.17.
9. Iosue filius Nun repletus est Spiritu sancto. lib.9. cap.10.num.7.

Iosue.

1. 4. A deserto & Libano vsque ad fluuium magnum. lib. 1. cap.2. num.6.
3. 4. Sitque inter vos & arcam Domini spatium. lib.6.cap.11.num.5.
14. Qui portabant arcam fœderis. lib.10. cap.11.num.5.
4. 12. Filij quoque Ruben,& Gad,&c. lib. 9. cap.12.num.6.& lib.10 cap.6 num.4.
5. 10. Fecerunt Phase quarta decima die, &c. lib.3. cap.19. num.15.
13. Cùm autem esset Iosue in agro. lib.1. cap.15. num.5.
6. 17. Sitque ciuitas hæc anathema. lib.8.cap. 12.num.5.
18. Vos autem cauete, ne de his quæ præcepta sunt, &c. lib.8. cap.12.num.2.
20. Igitur omni populo vociferante. lib.10. cap.20. num.7.
26. Maledictus vir, qui suscitauerit Iericho. lib.10 cap.20. num.6.
8. 2. Facies vrbi Hai,& regi eius, &c. lib.8. cap.12. num.5.
10. 30. Percusseruntque vrbem in ore gladij. lib.9 cap.15.num.4.
13. 3. A fluuio turbido, qui irrigat Ægyptum. lib.1.cap.1. num.4.
15. 63. Iebusæum autem habitatorem Ierusalem,&c. lib.10 cap 20. num.11.
19. 1. Et egressa est sors secunda filiorum Amon. lib.10. cap. 3. num 9.
24. 12. Misi ante vos crabrones,&c. lib.8.cap. 17.num.10.
14. Auferte Deos quibus seruierunt patres vestri,&c. lib.1.cap.6 num.5.
32. Ossa quoque Ioseph, quæ tulerant. lib.3. cap.5. num.4.

Iudices.

1. 8. Oppugnantes autem filij Iuda Ierusalem. lib 10 cap.4 num.2.
16. Filij autem Cinæi cognati Moysi, &c. lib.3 cap. 23 num 8.
21. Iebusæum habitatorem Ierusalem, &c. lib.10 cap.5.num.2.
2. 7. Seruieruntque Domino cunctis diebus suis. lib.9.cap.17.num.4.
5. 64. Domine cùm exires de Seir, &c. lib.4. cap.4.num.7. & lib.10. cap. 1. num.4.
7. 6. Fuit numerus eorum, qui manu ad os proiiciente,&c. lib.1.cap.3.num.3.
16. Dedit tubas in manibus eorum,&c. lib.9.cap.18.num.8.
14. 6. Irruit Spiritus Domini in Samson.lib.7. cap.12. num.2.
17. 5. Impleuitque vnius filiorum suorum manum.&c lib.5. cap.15. num.6.
18. 27. Venerunt in Lais ad populum quiescentem. lib.10.cap.6.num.7.

Ruth.

3. 9. Expande pallium tuum super famulam tuam. lib.4.cap.13. num.12.

Regum I.

1. 24. Adduxit secum in vitulis tribus. lib. 6. cap.7.num.2.
2. 12. Porro filij Heli, filij Belial, &c.lib.1.cap. 7. num.2.& lib.5.cap.18. num. 5.
13. Veniebat puer sacerdotis,&c. lib.5.cap. 7.num.7.
3. 20. Cognouit vniuersus Israel, &c. lib. 1. cap.2.num.8. & lib.10 cap.6.num.5.
8. 7. Non enim te abiecerunt, sed me. lib.10. cap.1.num.8.
9. 24. Leuauit autem cocus armum, &c. lib.6. cap.7. num.3. & lib.7 cap.2.num.1.
10. 23. Stetitque in medio populi, &c. lib.6. cap.7.num.3.& lib.7. cap. 2. num.1.
12. 4. Non es calumniatus nos, &c. lib. 10.cap. 14.num.8.
14. 15. Sed & omnis populus stationis eorum, &c. lib.6.cap. 7.num.6.
26. Ingressus est itaque populus saltum, &c. lib 9.cap.14.num.24.
15. 3. Percute Amalec & demolire, &c. lib 2. cap 2. num.8.& lib.3 cap.22.num.18.
18. 6. Et egressæ sunt mulieres, &c. lib.3.cap. 13.num.1.
16. Omnis autem Israel, & Iuda diligebat Dauid. lib.9.cap.11.num 5.
21. 1. Veniet Dauid in Nobe, &c.lib. 1.cap.14. num 2.
24. 6. Percussit cor suum Dauid,&c. lib. 4.cap. 21.num.7.
26. 5. Cumque vidisset locum in quo dormiebat,&c. lib.2 cap.2. num.4.
8. Conclusit Dominus inimicum tuum. lib.9.cap.15.num.6.
28. 7. Est mulier Pythonem habens.lib.4.cap. 12. num.5.

Regum II.

7. 6. Ambulabam in tabernaculo, &c. lib.4. cap.20.num.2.
14. 20. Tu autem Domine mi Rex, &c. lib.9. cap. 11. num.4.
16. 9. Quare maledicit canis hic mortuus, &c. lib.9. cap 8.num 2.
17. 11. Congregetur ad te vniuersus Israel. lib. 1 cap.2. num.8.
20. 21. Tradite illum solum,& recedemus. lib. 7.cap 4.num.2.
23. 3. Dixit Deus Israel mihi, &c.lib.10.cap.18. num.5.

Regum III.

2. 2. Viuit Dominus, &c. qui fecit mihi domum, sicut locutus est. lib. 1.cap 8. num.6.
3. 9. Dabis seruo tuo cor docile,&c. lib.9.cap. 11.num.3.
12. Ecce feci tibi secundùm sermones tuos. ibidem.
4. 21. Salomon erat in ditione sua habens,&c. lib.1.cap.2.num.7.
30. Præcedebat sapientia Salomonis, &c. lib.1.cap. 1. num.9.
8. 10. Nebula impleuit domum Domini.lib.5. cap.13.num.4.
10. 24. Vniuersa terra desiderabat vultum Salomo-

Iomonis. lib.4.cap.23.num.4.
11. 3. Auertterunt mulieres cor eius. lib. 9. cap.9.num.2.
31. Ecce ego scindam regnum, &c. lib.9. cap 17.num.4.
12.28. Fecit duos vitulos aureos. lib. 4.cap.15. num.6.
21.27. Cùm audisset Achab sermones istos. lib.4.cap.15.num.6. & lib.6.cap.9.num.6.

Regum IV.

2. 12. Pater mi, currus Israël, & auriga eius. lib.7.cap.2. num. 2.
5. 26. Accepisti argentum, & accepisti vestes, &c. lib.1.cap 16.num.1.
17.8. Et ambulauerunt iuxta ritum gentium. lib.4.cap. 15. num.6.
18. Iratusque est Dominus, &c. lib.9. cap.15. num.12.
18. 4. Confregit serpentem æneum, &c. lib.8. cap.14.num.4.
25. 6. Apprehensum regem duxerunt, &c. lib.1.cap.2.num 6.

Paralipomenon I.

5. 1. Ipse Ruben fuit primogenitus. lib.10. cap.2.num.4.
2. Iudas qui erat fortissimus inter fratres. lib.10. cap 3.num.3.
9. 3. Commorati sunt in Ierusalem de filijs. lib.10 cap.4.num.2.
12. 23. De filijs quoque Issachar venerunt ad Dauid lib.10.cap 5.num.4.
28. 11. Dedit Dauid Salomoni descriptionem, &c. lib.5.cap.8.num.10.

Paralipomenon II.

1. 10. Da mihi patientiam, & intelligentiam. lib.9.cap.10. num.5.
2. 5. Domus quã ædificare cupio, magna est, &c. lib.5. cap 9.num.2.
7. 15. Oculi quoque mei erunt aperti, &c. lib 5.cap.9.num.2.
17. 7. Misit de principibus suis Benhail, & Obdiam. lib.10.cap 13.num.2.
19. 6. Videte, quid faciatis, non enim hominis exercetis iudicium, &c. lib.3. cap. 24. num.6.
7. Sit timor Domini vobiscum, &c. lib.3. cap.24. num.7.
26. 16. Eleuatum est cor eius, &c. lib.8.cap.4. num.7.
8. Restiterunt Regi, atque dixerunt. lib.8. cap.4.num.7.

Esdræ II.

9. 19. In columna nubis ductor fuisti, &c. lib.2.cap.5.num.9.
11. 4. Et in Ierusalem habitauerunt de filiis Iuda. lib.10.cap.4. num.2.

Esdræ IV. Apocryphus.

1. 1. Hoc sæculum fecit altissimus. lib.7. cap.11.num.7.

Tobias.

1. 15. Pergebat ad omnes qui erant in captiuitate. lib.1. cap. 14.num.3.
6. 2. Et exiuit, vt lauaret pedes suos, & ecce piscis. lib. 2.cap.2.num.11.

Iudith.

1. 12. Iurauit per thronum, & regnum suum, &c. lib.9.cap.15.num.10.

Esther.

1. 16. Non solum regem læsit regina, &c. lib.2. cap.15 num.3.
17. Egredietur sermo reginę ad omnes mulieres, &c. lib.9.cap.13.num.7.
11. 10. Fons paruus creuit in fluuium, &c. lib.9. cap.8. num.7.
14. 15. Nosti quia oderim gloriam, &c. lib.1. cap.5. num.6.

Iob.

1. 7. Circuiui terram, & perambulaui eam. lib.9.cap.16.num.9. & lib.10. cap 13.num.4.
5. 26. Ingredieris in abundantia sepulchrum. lib.10.cap.19. num.8.
7. 1. Militia est vita hominis super terram. lib.6.cap.12.num.1.
9. 13. Deus cuius iræ nemo resistere potest. lib. 4.cap.19. num.3.
10. 21. Ad terram tenebrosam, & opertam, &c. lib.9. cap.18.num. 9.
11. 12. Vir vanus in superbiam erigitur. lib. 8. cap.14. num.1.
13. 28. Qui quasi putredo consumendus sum. lib.3.cap.4 num.1.
14. 17. Signasti quasi in sacculo delicta mea. lib.9.cap. 19.num.1.
16. 21. Ad Deum stillat oculus meus. lib.4. cap.21.num.4.
20. 5. Gaudium hypocritæ adinstar puncti. lib.3.cap.4.num.1.
6. Si ascenderit vsque ad cælum superbia eius. lib 8 cap.14.num.4.
26. 5. Ecce gigantes gemunt sub aquis. lib.7. cap.2. num.1.
29. 6. Lauabam pedes meos butyro. lib.10. cap.7.num.5. & cap.15.num.7.
18. Sicut palma multiplicabo dies. lib.10. cap.19. num.6.
24. Lux vultus mei, non cadebat in terram. lib 7.cap.12.num.3.
31. 1. Pepigi fœdus cum oculis meis. lib.10. cap.9.num.2.
35. 6. Si peccaueris, quid ei nocebis? lib.9. cap.17. num.3.
38. 37. Concentum cæli quis dormire faciet? lib.7. cap.4. num.1.
40. 15 Omnes bestiæ agri ludent ibi. lib.5. cap.2. num.4.
41. 12. Halitus eius prunas ardere facit. lib.8. cap.15. num.1.
15. Cor eius indurabitur tanquam lapis. lib.2.cap.5. num.7.
21. Sternet sibi aurum quasi lutum. lib.2 cap. 2.num.9.
25. Ipse est rex super vniuersos filios superbiæ. lib.1.cap.3.num.4.

Psalmi.

2. 4. Qui habitat in cælis, irridebit eos. lib.9. cap.15.num.11.
8. Postula à me, & dabo tibi, &c. lib.9. cap.17.num.9.
9. Reges eos in virga ferrea. lib.9.cap.4. num.8. & lib.8. n.8. & 9. & lib.2.cap 5.nu.10.
10. Erudimini, qui iudicatis terram. lib.2. cap.2. num.3.
11. Seruite Domino in timore. lib. 3.cap.4. num.4.
4. 5. Irascimini, & nolite peccare. lib.10. cap.16. num.10.
8. A fructu frumenti, vini & olei, &c. lib.2. cap.2. num.8.
5. 5. Manè astabo tibi, & videbo, &c. lib. 4. cap.11. num.4.
6. 7. Lauabo per singulas noctes lectũ meum. lib.4.cap.21. num.4.
7. 13. Arcum suum tetendit, & parauit, &c. lib.10.cap.3.num.8.
8. 3. Ex ore infantium, & lactentium, &c. lib.3. cap.15.num.5.
10. 3. Quoniam laudatur peccator, &c. lib.9. cap.5.num.3.
11. 9. In circuitu impij ambulant. lib.1.cap. 3. num.1.
14. 1. Domine, quis habitabit in tabernaculo? &c. lib.5.cap.16. num.5.
4. Ad nihilum deductum est. lib.9.cap.8. num.2.
15. 4. Multiplicatæ sunt infirmitates. lib.5. cap.2.num.4.
6. Funes ceciderunt mihi in præclaris. lib.9. cap. 14.num.19. & cap. 17. num. 9. & cap. 20.num.12.
17. 7. In tribulatione meà inuocaui Dominũ. lib.9.cap.17. num.11.
10. Inclinauit cælos, & descendit. lib.4. cap.10.num. 6.
11. Et ascendit super Cherubin, &c. lib.10. cap.14.num.1.
33. Deus, qui præcinxit me virtute. lib.10. cap.15.num.2.
38. Persequar inimicos meos. lib.10. cap.20.num.10.
45. In auditu auris obediuit mihi. lib. 4. cap.13.num.8.
18. 1. Cæli enarrant gloriam Dei, &c. lib.2. cap.28.num.3. & lib.10.cap.8.num.1.
5. In omnem terram exiuit sonus eorum. lib.4.cap.3.num.12. & lib.8.cap.15. num.4.
9. Præceptum Domini lucidum, &c. lib. 4. cap.5.num.5.
21. 23. Tauri pingues obsederunt me, &c. lib.9.cap.14.num.24.
22. 1. Dominus regit me, &c. lib.1. cap.5. num.7. & lib. 8. cap.6 num.7.
25. 6. Lauabo inter innocentes manus meas. lib.5. cap.7.num.7.
26. 4. Vnam petii à Domino, hanc requiram, &c. lib.4. cap.23.num.5.
5. Abscondit me in tabernaculo suo. lib. 5. cap.12.num.4.
6. Circuiui, & immolaui in tabernaculo tuo, &c. lib.5.cap.7.num.7.
8. Exquisiuit te facies mea. lib.4. cap.23. num.5.
27. 7. Refloruit caro mea. lib.9.cap.22.num.10.
28. 1. Afferte Domino filios arietum. lib.10. cap.13. num.4.
30. 9. Nec conclusisti me in manibus inimici. lib.9.cap.15. num.6.
32. 4. Quia rectum est verbum Domini. lib. 9. cap.14.num.7.
33. 6. Accedite ad Deum, & illuminamini. lib.4.cap.26. num.4.
9. Gustate, & videte, quoniam suauis est Dominus. lib.9.cap.16.num.9.
35. 4. Noluit intelligere, vt bene ageret, &c. lib.9.cap.18.num.7.
9. Inebriabuntur ab vbertate domus tuæ. lib.1.cap.3.num.6. & lib.4. cap.9. num.8.
36. 35. Vidi impium superexaltatum. lib.9. cap.19.num.7.
38. 7. Thesaurizat, & ignorat, cui congregat. lib.8.cap.11.num.11.
39. 7. Sacrificium, & oblationem noluisti. lib.4.cap.13. num.8. & lib.6.cap. 3. num.2.
41. 1. Quemadmodum desiderat ceruus. lib.4. cap.23. num.5.
43. 3. Manus tua gentes disperdidit. lib. 10. cap.20.num.8.
44. 1. Eructauit cor meum verbum bonum. lib.9.cap.16.num.6.
4. Accingere gladio tuo super fæmur, &c. lib.3.cap.15. num.5.
7. Virga directionis, virga regni tui. lib.9. cap.8.num.8.
8. Vnxit te Deus, Deus tuus, &c. lib.5. cap.14. num.3.
9. Myrrha, & gutta, & casea, &c. lib.5. cap.13. num.3.
11. Obliuiscere populum tuum, &c. lib.4. cap.15. num.5.
14. Omnis gloria eius filiæ Regis, &c. lib.5. cap 11.num.4.
15. Adducentur Regi virgines post eam. lib.3.cap.4.num.3.
45. 1. Deus noster refugium, & virtus. lib.8.cap.2. num.10.
48. 12. Relinquit alienis diuitias suas. lib. 8. cap.2.num.10.
13. Homo cùm in honore esset. lib.2.cap.5. num.5.
10. Quoniam cùm interierit, non sumet omnia. lib.10.cap.19.num.7.
21. Homo cùm in honore esset, &c. lib.9. cap.7.num.8. & lib.9.cap.18.num.6.
49. 13. Numquid manducabo carnes, &c. lib.6. cap.1.num.6.
22. Intelligite hæc qui obliuiscimini. lib. 9. cap.18.num.9.
50. 5. Quoniam iniquitatem meam, &c. lib.10. cap.14.num.9.
6. Tibi soli peccaui, &c. lib.9. cap.17. num.3.
9. Asperges me, Domine, hyssopo, &c. lib.4. cap. 8. num.3. & lib 6.cap.7.num.12.
11. Auerte faciem tuam à peccatis meis. lib.4.cap.2.num.1.
16. Libera me de sanguinibus, &c. lib. 6. cap.7. num.16.
19. Cor contritum, & humiliatũ Deus non despicies, &c. lib.5.cap.14.num.4.
57. 9. Supercecidit ignis, &c. lib.4.cap. 17. num.1.
10. Priusquam intelligerent spinæ, &c. lib.4.cap.17.num. 3.
11. Lætabitur iustus, cùm viderit vindictam. lib.4.cap.17.num.1.
59. 10. In Idumæam extendam calceamentum meum. lib.9. cap.4.num.9.
64. 10. Visitasti terram, & inebriasti. lib.10. cap.16.num.9.
65. 3. In multitudine virtutis tuæ, &c. lib.10. cap.7.num.7.
12. Transiuimus per ignem & aquam. lib.6. cap.7.num.2.

15. Holo-

15. Holocausta medullata offeram tibi. lib. 6.cap.7.num.10.
10. Pluuiam voluntariam segregabis, &c. lib.9 cap.16.num.4.
13. Et speciei domus diuidere spolia. lib.3. cap.2. num. 2.
14. Si dormiatis inter medios cleros. lib. 4. cap.17.num.2.
17. Mons coagulatus, mons pinguis. lib.8. cap.17.num.8. & lib.9.cap.17.num.12.
67. 18. Currus Dei decem millibus. lib.4. cap.4.num.5.& 6.
68. 20. Zelus domus tuæ comedit me. lib. 4 cap.15.num.13.& lib.10. cap.10. num.4.
11. Operui in ieiunio animam meam. lib.5. cap.9.num.12.
31. Laudabo nomen Dei cum cantico, &c. lib.6.cap.7.num.2.
70. 22. Confitebor tibi in vasis Psalmi. lib.10. cap.3.num.8.
71. 1. Deus iudicium tuum Regi da, &c. lib.2. cap.5.num.6.
5. Descendit sicut pluuia in vellus. lib.9. cap.16.num.5.
12. Liberabit pauperem à potente. lib.3. cap.13. num.2.
72. 7. Prodiit quasi ex adipe iniquitas, &c. lib. 9.cap.18.num.3.
23. Vt iumentum factus sum, &c. lib.10.cap. 14.num.3.
24. Tenuisti manum dexteram meam. lib. 10. cap.8.num.6. & multa alia loca eiusdem Psalmi.
25. Quid enim mihi est in cælo? &c. lib. 4. cap.22.num.6.
73. 13. Tu confirmasti virtute mare. lib. 3. cap.12.num.9.
15. Tu dirupisti fontes & torrentes. lib.9. cap.16.num.4.
Tu siccasti fluuios Ethan. lib.3.cap.8. num.3.
74. 4. Ego confirmaui columnas, &c. lib.3. cap.7.num.1.
5. Dixi iniquis, nolite iniquè agere. lib.9. cap.15.num.1.
75. 6. Dormierunt somnum suum, &c. lib.8. cap.11.num.10.
76. 4. Renuit consolari anima mea. lib.5. cap. 12.num.2.& lib.6.cap.7. num.10.
17. Viderunt te aquæ Deus. lib.3.cap.9. num.5.
19. Vox tonitrui tui in rota. lib.3.cap.4. num.2.
20. In mari via tua. lib.5.cap.12.num.6.
77. 5. Quanta mandauit patribus nostris. lib.9. cap.14.num.7.
12. Coram patribus eorum fecit mirabilia. lib. 2.cap.6.num.2.
15. Interrupit petram in eremo. lib. 3. cap.20 num.5.
19. Malè locuti sunt de Deo. lib.3. cap. 20. num.5. & 6.
23. Et mandauit nubibus desuper. lib. 3. cap.19. num.4.
29. Manducauerunt, & saturati sunt. lib.10. cap.11.num.1.
44. Conuertit in sanguinem flumina. lib.2. cap.6.num.2.
45. Misit in eos cynomiam. lib.2. cap.10. num.2.
49. Misit in eos iram indignationis suæ. lib. 2.cap.20. num.11.
51. Percussit omne primogenitum. lib.2. cap.20. num.5.
53. Induxit eos in monte sanctificationis. lib.10.cap.20.num.12.
54. Sorte diuisit eis terram. lib.9. cap.14. num. 19.
69. Et ædificauit sicut vnicornium, &c. lib. 5.cap.9.num.3.
72. Pauit eos in innocentia, &c. lib.9.cap.11. num.3.
79. 2. Qui deducis velut ouem Ioseph. lib.10. cap.14.num.3.
80. 6. Linguam quam non nouerat, &c. lib.1. cap.1.num.9.
7. Manus eius in cophino, &c. lib.1. cap.2. num.4.
81. 1. Deus stetit in synagoga Deorum. lib.2. cap.4.num.2.& lib.3.cap.24.num.6.
5. Nescierunt, neque intellexerunt. lib.1. cap.7. num.1.
6. Ego dixi: Dij estis. lib.4.cap.17.num.2.& lib.9.cap.8. num.5.
82. 17. Imple facies eorum ignominia. lib.2. cap.2.num.2.
83. 3. Cor meum, & caro mea, &c. lib.6.cap.7. num.10.
6. Beatus vir cuius est auxilium, &c. lib.10. cap.12.num.1.
8. Ibunt de virtute in virtutem. lib.3.cap.8. num.3. & lib.4. cap.26.num.7. & lib.5.cap.2. num.4.
88. 47. Vsquequò Domine auertis, &c. lib.4. cap.21.num.1.
89. 5. Quæ pro nihilo habentur, &c. lib.9. cap.17.num.11.& cap.19.num.7.
90. 1. Qui habitat in adiutorio altissimi. lib.10. cap.4.num.1.& cap.11. *per totum*, num.1.
13. Super aspidem, & basiliscum, &c. lib.2. cap.13.num.6.& lib.10.cap.15.num.7.
15. Cum ipso sum in tribulatione. lib.3. cap.6.num.2.
91. 11. Senectus mea in misericordia vberi. lib. 10.cap.8. & multa.
93. 1. Deus vltionum Dominus. lib.9.cap.19. num.2.
94. 7. Nos populus pascuæ eius. lib.10. cap.1. num.6.
95. 6. Confessio & pulchritudo, &c. lib. 5. cap.11. num.4.
12. Gaudebunt campi, & omnia quæ, &c. lib.10.cap.4.num. 14.
98. 4. Honor Regis iudicium diligit. lib.4.cap. 17.num.2.
5. Adorate scabellum pedum eius. lib.5.cap. 10.num.2.
7. In columna nubis loquebatur, &c. lib.3. cap.6.num.6.
100. 8. In matutino interficiebam omnes, &c. lib.4.cap.17.num.3.
102. 4. Qui redimit de interitu vitam tuam. lib. 4.cap.23.num.6.
103. 3. Qui ponis nubem ascensum tuum. lib. 10.cap.7.num.6.
15. Vt exhilaret faciem tuam in oleo. lib.5. cap.16. num.6.
20. Posuisti tenebras. lib.8.cap.4.num.2.& lib.9.cap.18.num.7.
104. 30. Edidit terra eorum ranas. lib.2. cap.8. num.2.
37. Et eduxit eos cum argento & auro. lib.3.cap.2.num.1. & cap.3. num. 3.
38. Lætata est Ægyptus in profectione, &c. lib.3. cap.3.num.3.
39. Expandit nubem in protectionem. lib. 3. cap.5.num.7. & 9.
43. Et eduxit populum suum in exultatione. lib.3. cap. 3. num. 3. & cap. 4. num. 3. & lib.9. cap. 14. num. 22.
105. 9. Deduxit eos in abyssis. lib. 3. cap.11. num.1.
13. Citò fecerunt, obliti sunt. lib.4.cap.8. num.1.
23. Si non Moyses electus eius, &c. lib. 4. cap.19.num.1.& lib. 8.cap 5.num.2.
28. Et initiati sunt Beelphegor. lib.9.cap.5. num.3.
30. Multiplicata est in eis ruina. lib. 9. cap.5.num.5.
31. Reputatum est ei in iustitiam. lib. 9. cap.5.num.7.
32. Vexatus est Moyses propter eos. lib.8. cap.7.num.8.
35. Et commisti sunt inter gentes. lib. 10. cap.20. num.10.
37. Et immolauerunt filios suos. lib. 4. cap. 13.num. 7.
108. 18. Dilexit maledictionem, &c. lib.9. cap.7.num.3.
109. 2. Virgam virtutis tuæ, &c. lib.9.cap.4. num. 8. cap.8. num.8.
4. Iurauit Dominus, & non pœnitebit, &c. lib.6.cap.3. num.4.& cap.7.num.6.& lib.10. cap.19. num.1.
6. Iudicabit in nationibus. lib.9. cap.8. num.9.
110. 10. Intellectus bonus omnibus, &c. lib.9. cap.18. num 7. & 9.
111. 1. Beatus vir, qui timet Dominum lib. 3. cap. 8. num. 1.
8. Confirmatum est cor eius. lib.3. cap.8. num.1.
113. 1. In exitu Israel de Ægypto. lib 1. cap.1. num.6. & cap. 3. num.5. & lib.3. cap.3 nu.3. & cap. 4.num. 3.
4. Montes exultauerunt, &c. lib.3.cap.4. num.3. & lib. 4.cap 3. num. 9.
114. 5. Misericors Dominus, &c. lib.4.cap.26. num. 3.
117. 19. Aperite mihi portas iustitiæ. lib.5. cap.16. num. 3.
118. 98. Super inimicos meos prudentem me fecisti. lib.10. cap.8. num.1.
100. Super omnes docentes me intellexi. lib.10. cap.18.num.4.
102. A iudiciis tuis non declinaui. lib.4. cap. 11. num.2.
105. Lucerna pedibus meis verbum tuum. lib.4 cap.5.num.5. & lib.10. cap.1. num.5.
111. Hæreditate acquisiui testimonia tua. lib.10.cap.1. num.8.
112. Inclinaui cor meum ad faciendas, &c. lib.10 cap.14. num.1.
128. Ideo dilexi mandata tua super aurum. lib.5.cap.10. num.3.
133. Gressus meos dirige, &c. lib.10.cap.8. num.4.
150. Appropinquauerunt persequentes me, &c. lib.10.cap.8. num. 6.
120. 8. Dominus custodiat introitũ tuum, &c. lib.9.cap. 10. num. 5.
123. 4. Torrentem pertransiuit anima nostra. lib.8. cap. 16. num. 5.
125. 1. In conuertendo Dominus captiuitatem, &c. lib. 3. cap. 4. num. 3.
128. 3. Vxor tua sicut vitis abundans, &c. lib.10 cap.15. num.5.
131. 3. Si introiero in tabernaculum, &c. lib.5. cap. 14. num. 2.
132. 2. Sicut vnguentum quod descendit, &c. lib.5. cap. 11. num. 3.
134. 7. Educens nubes ab extremo terræ. lib.9. cap.16, num.3.
135. 13. Qui diuisit mare rubrum. lib.3.cap.11. num.1.
136. 1. Super flumina Babylonis, &c. lib.1. cap. 3. num. 6.
9. Beatus qui tenebit, & allidet, &c. lib. 6. cap. 7. num. 16.
139. 14. Habitabunt recti, &c. lib.4. cap. 23. num.5. & lib.10. cap.11. num. 2.
140. 2. Dirigatur oratio mea, &c. lib.5. cap.11. num. 1.
142. 6. Anima mea sicut terra sine aqua, &c. lib.9.cap.16. num. 5.
144. 13. Fidelis Dominus in omnibus verbis suis. lib. 9. cap. 14. num. 7.
145. 4. Exibit spiritus eius, & reuertetur. lib.8. cap 11. num. 5.
146. 1. Deo nostro sit iucunda, decoraque laudatio. lib.9.cap.7. num. 11.
147. 18. Flabit spiritus eius, & fluent aquæ. lib.4 cap.21.num.4.
149. 5. Exultabunt sancti in gloria, &c. lib. 10. cap.13.num. 2.

Prouerbia.

1. 25. Despexistis omne consilium meum. lib. 9. cap.15.num.11.
32. Prosperitas stultorum perdet eos. lib.2. cap. 2. num.2. & lib. 9. cap.18. num.1.
4. 18. Iustorum semitæ quasi lux splendens, &c. lib.10. cap.12. num.1.
6. 6. Vade ad formicam, ô piger. lib.6. cap 5. num. 12.
9. Vsquequò piger dormis? lib. 1. cap. 18. num. 5.
8. 15. Per me Reges regnant. lib.8.cap.3. num.1.
14. 13. Risus dolore miscebitur, &c. lib. 3. cap.4.num.2.
16. 18. Contritionem præcedit superbia. lib.8. cap.4.num. 4.
18. 19. Frater, qui adiuuatur à fratre, &c. lib.1. cap. 18. num. 8.
19. 24. Abscondit piger manum suam. lib.1. cap. 18.num.5.& lib.6.cap.16. num. 2.
21. 30. Non est sapientia, non est prudentia contra Dominum. lib.1. cap.7. num.4.
22. 28. Ne transgrediaris terminos antiquos. lib. 4. cap. 3. num. 8.
23. 34. Eris sicut dormiens in medio mari. lib. 2.cap. 5. num. 9.
24. 13. Comede fili mi mel. lib. 6. cap.5. num. 12.
25. 27. Qui scrutator est maiestatis, opprimetur à gloria. lib.1.cap.16.num.8.
28. 13. Qui abscondit scelera sua, non dirigetur. lib.6. cap.9.num.7.
30. 8. Diuitias ne dederis mihi. lib.2. cap.2. num.2.
15. Sanguisugæ duæ sunt filiæ. lib.1.cap.5. num.2.

16. Ignis numquam dicit, sufficit. lib.9. cap.18. num.5.
27. Regem locusta non habet. lib.2.cap.17. num.7.
31. 11. Et spoliis non indigebit. lib.8. cap. 11. num. 13.

Ecclesiastes.

1. 4. Generatio præterit, generatio aduenit, &c. lib. 8.cap. 11.num.12.
3. 16. Vidi sub sole in loco iudicij, &c. lib.10. cap.14. num.7.
4. 9. Melius est duos esse simul. lib.9. cap. 13. num. 4.
17. Custodi pedem tuum, &c. lib.4.c.3.n.7.
5. 13. Diuitiæ conseruatæ in malum, &c.lib.8. cap.11. num.11.
14. Sicut egressus est nudus, &c.lib.8.cap.11. num.10.
8. 11. Non profertur citò contra malos sententia. lib. 2.cap.5. num.8.
10. 15. Labor stultorum affliget eos. lib.1.c.3. num.7.
16. Væ tibi terra, cuius Rex puer est. lib. 1. cap.7. num. 1.
11. 8. Si annis multis vixerit homo. lib. 9. cap. 18. num. 9.

Cantica Canticorum.

1. 3. Oleum effusum nomen tuum. lib. 5. cap. 14. num.3.
4. Trahe me, post te curremus, &c. lib. 4. cap.3.num.2.
7. Indica mihi, quem diligit anima mea. lib.3. cap. 8. num. 4.
2. 10. Surge propera, amica mea, &c. lib.5. cap.14. num.2.
12. Vox turturis audita est, &c. lib. 9. cap.16.num. 1.
3. 3. Inuenerunt me vigiles, &c. lib.8.cap. 6. num. 8.
11. Egredimini filiæ Sion. lib.10.cap.12. num. 3.
4. 1. Quàm pulchra es amica mea. lib. 8. cap 8. num. 7.
12. Hortus conclusus, hortus conclusus, &c. lib.5.cap. 12. num. 4.
5. 2. Ego dormio, & cor meum vigilat. lib. 1. cap. 14.num.5. & lib.4. cap. 11. num. 4.
10. Dilectus meus candidus & rubicundus. lib. 1.cap. 12. num.7.
6. 4. Auerte oculos tuos à me, &c. lib. 1. cap.16. num.8.
Quæ est ista quæ progreditur, &c. lib. 6. cap.12. num. 3.
10. Descendi in hortum meum, vt viderem. lib.8.cap.8.num.6.
7. 1. Quid videbis in Sunamite? &c. lib. 6. cap.12.num. 3.

Sapientia.

1. 13. Deus mortem non fecit, &c. lib. 1. cap.18.num. 10.
4. 1. Quàm pulchra est casta generatio, &c. lib.10. cap. 15. num.5.
8. Senectus venerabilis est. lib.7.cap. 2. num.4.
5. 3. Pœnitentiam agentes præ angustia, &c. lib. 6. cap. 9. num. 8.
16. Cogitatio eorum apud altissimum. lib. 10.cap. 11. num. 2.
6. 1. Audite Reges, intelligite iudices. lib.8. cap.3. num.1.
4. Interrogabit opera vestra. lib.8.cap.3. num. 1.
8. 9. Proposui hanc adducere mihi. lib.7. cap.3.num.10.
10. 13. Venditum iustum non deliquit. lib. 10.cap.4.num. 10.
17. Reddidit iustis mercedem laborum. lib.3.cap. 1.num.5.
Fuit illis in velamento, &c. lib.3.cap.5. num. 9.
18. Transtulit illos per mare rubrum. lib. 3. cap.9.num.6.
20. Decantauerunt Domine nomen tuum. lib. cap. 15. num.3.
11. 7. Pro fonte quidem sempiterni fluminis. lib.2. cap.6. num.2.
8. Cùm mitterentur in traductione. lib.2. cap.7. num. 1.
12. 3. Illos antiquos habitatores, &c. lib. 1. cap.7. num. 1.
12. 3. Illos antiquos habitatores, &c. lib. 1. cap. 2. num. 4.
16. Virtus tua iustitiæ initiũ est.lib.2.c.10.n.2
13. 1. Vani autem sunt homines omnes. lib.9. cap.14. num. 9.
14. 11. Creaturæ Dei in odium factæ, &c. lib. 9.cap. 18.num.6.
16. 2. Dedisti concupiscentiam delectamenti. lib. 7. cap. 9. num. 10.
5. Morsibus peruersorum colubrum, &c. lib.8.cap.15. num. 3.
11. Neque herba, neque malagma sanauit eos. lib.8. cap. 15. num. 3.
16. Negantes enim te nosse impij, &c. lib.2. cap.10. num. 2.
20. Panem de cælo præstitisti eis. lib. 5. cap.12. num.2.
21. Substantiam tuam dulcedinem, &c. lib. 3. cap.19. num.4.
17. 5. Nec syderum limpidæ flammæ. lib.2. cap. 18. num. 2.
18. 3. Ignis ardentem columnam, &c. lib. 3. cap.5. num. 7.
Solem sine læsura boni hospitij, &c. lib.3. cap.5. num.9.
5. Cùm cogitarent iustorum occidere infantes, &c. lib.1.cap.8.num.9.
14. Cùm quietum silentium tenerent omnia, &c. lib.2. cap. 20. num. 4.
21. Properans homo sine querela. lib. 4. cap.19. num. 1. & lib 8. cap. 5. num. 1.
22. Vicit autem turbas, &c. lib. 8. cap. 5. num. 1.
24. In veste enim poderis quam habebat. lib.8.cap.5. num. 11.
19. 3. Adhuc inter manus habentes, &c. lib. 3. cap.12. num.6.
7. Nubes castra eorum adumbrabat. lib. 3. cap.5. num. 9.
Ex aqua quæ antea erat terra arida, &c. lib.3.cap.10. num.4.

Ecclesiasticus.

2. 1. Fili accedens ad seruitutem Dei. lib. 2. cap.2.num. 10. & lib. 3. cap. 6. num. 1.
3. 27. Cor durum habebit mala in nouissimo. lib. 3. cap. 9. num. 5.
5. 8. Non tardes conuerti ad Dominum. lib. 9. cap.19. num. 8.
9. Subito venit ira illius. lib. 3. cap. 12. nu. 7.
12. Esto firmus in via. lib.4.cap.8. num.1.
7. 6. Noli quærere fieri iudex.lib.3.cap.24.n.6. & lib.8.cap.3. num.9.
40. In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua. lib.3.cap.12.num.7. lib. 4. cap.5. num.4. lib.9. cap.18. n.8.
9. 8. Auerte faciem tuam à muliere compta. lib.5.cap.16. num.5.
20. 31. Xenia & dona excæcant oculos, &c. lib.10.cap.14.num.7.
21. 2. Quasi à facie colubri fuge peccata. lib.8. cap.11.num.2. & lib 9. cap. 17. num. 10.
24. 20. Quasi myrrha electa dedi suauitatem. lib.5.cap.13.num 5.
28. 12. Secundùm ligna syluæ, &c. lib. 4. cap. 1. num.1.
35. 19. A maxilla enim ascendunt vsque in cælum. lib.4.cap 2. num.4.
38. 4. Altissimus creauit de terra medicinam. lib.3.cap.10.num.3.
40. 1. Iugum graue super filios Adam. lib. 8. cap.11.num.9.
41. 1. O mors, quàm amara est memoria tua. lib.8.c.11.n.6.
43. 2. Sol & vas admirabile est, &c.lib.10.c.11. num. 3.
45. 18. Compleuit Moyses manus eius, &c. lib. 5.c.15. num.6.
46. 1. Fortis in bello Iesus Naue, &c. lib. 7.c. 7. num. 5.
47. 2. Quasi adeps separatus à carne, &c. lib.6. cap.7. n.10.
27. Dereliquit post se de semine suo, &c. lib.8.cap.11. num.4.
49. 17. Ioseph qui natus est homo princeps, &c. lib.10. cap.4. n.11.

Isaias.

1. 2. Audite cæli, & auribus percipe terra, &c. lib.9. c. 14. n. 4. & 9.
3. Cognouit bos possessorem suum. lib. 9. cap.18 num.6. & lib.9.cap.14. num 9.
10. Audite verbum Domini principes, &c. lib 9 cap.15 num.8.
11. Holocausta arietum, &c. nolui, &c lib.5. cap 9. num 4. & lib.6. cap. 1. num 9.
16. Lauamini, & mundi estote.lib.5.c.11.n.3.
5. 3. Expectauit vt faceret vuas, &c. lib.8. c.15. num.8.
7. Vinea Domini exercituum domus Israel, &c.lib.8 c.15.num. 8.
8. 18. A Domino exercituum qui habitat, &c. lib.10. cap.4. num.2.
10. 5. Væ Assur virga furoris mei lib.8.c.15.n.15.
11. 4. Percutiet terram virga oris sui lib.4.cap.5. num.3.
12. 3. Haurietis aquas de fontibus Saluatoris. lib. 6.cap.7. num. 14.
13. 5. Dominus & vasa furoris sui. lib.10.cap.3. num.8.
14. 25. Vt conteram Assyrium in terra mea. lib.8 cap.15. num.15.
22. 12. Vocabit Dominus Deus exercituũ, &c. lib.5.cap.3. num. 3.
26. 9. Anima mea desiderauit te, &c. lib.4.c.11. num. 4.
28. 19. Vexatio dabit intellectũ.lib.1.cap.7.n.6.
20. Coangustatum est stratum, &c. lib.8.c.11. num. 12.
33. 15. Quis poterit habitare cum igne, &c. lib.9.cap. 18. num.9.
20. Tabernaculum quod nequaquam, &c. lib.5. cap.7. num.4.
34. 6. Victima enim Domini in Bosra. lib.9. cap.9.num. 4.
36. 6. Ecce confidit super baculum arundineũ. lib.8. cap. 6. num. 7.
40. 12. Quis mensus est pugillo aquas. lib.5.c.9. num.1.
31. Qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, &c. lib.5.cap.2. num.4.
43. 2. Cùm trãsieris per aquas, tecum ero. lib.1. cap. 16.num.3.
48. 10. Ecce excoxi te, sed non quasi, &c. lib.1. cap.6. num.8.
50. 11. Ecce vos omnes accendentes ignem. lib.9.cap. 18. num. 5.
52. 4. In Ægyptum descendit populus. lib.1. cap.6. num. 3.
6. Ego ipse qui loquebar, &c. lib.5.c.14.n.1.
7. Quàm pulchri super montes pedes. lib.10. cap. 15 num. 1.
12. Mundamini, qui fertis vasa, &c. lib.5.c.16. num.1 & lib.7.cap.2. num.4.
53. 6. Posuit Dominus in eo iniquitates, &c. lib.6.cap. 3.num.3.
54. 2. Dilata locum tentorij tui, &c. lib.5.cap.7. num. 4.
55. 1. Omnes sitiẽtes venite ad aquas, &c. lib.8. cap.8. num. 1.
58. 1. Clama, ne cesses, quasi tuba, &c. lib.6. cap.12. num.5.
61. 1. Spiritus Domini super me, &c. lib. 5. cap. 14. num. 3.
10. Quasi sponsum decoratum corona, &c. lib. 4.cap.20. num.4.
63. 1. Quis est iste qui venit de Edom? lib.5. cap 9.num 8.
17. Quare errare nos fecisti, &c. lib.2. cap.5. num.7.

Ieremias.

1. 11. Virgam vigilantem ego video. lib.1. cap.18.num.1. & lib.4.cap.3.num.4.& lib.8. cap.6.num.8.
1. Ab aquilone pandetur, &c. lib.3. c.8.n.4.
18. Dedi te in ciuitatem munitam, &c. lib.6. cap.7.num 4.
2. 18. Quid tibi vis in via Ægypti? lib.1.cap.1. num.4.
30. Frustra percussi filios vestros.lib.8.cap.6. num.2.
3. 14. Assumam vos vnum de ciuitate. lib. 7. cap.11.num.5.
5. 13. Percussisti eos, & non doluerunt. lib.8. cap.6. num.2.
8. Equi amatores, & emissarij.lib.10.cap.9. num.1.
7. 4. Nolite confidere in verbis mendacij.lib.6. cap. 1. num.6.
7. 16. Tu ergo noli orare pro populo hoc, &c. lib.4.cap.19.num.2.
22. Non sum locutus cum patribus vestris. lib.6.cap.1.num.8.
8. 4. Nunquid qui cadet, non resurget? &c. lib.6.cap.9.num.9.
5. Quare auersus est populus iste? lib.6.c.9. num. 8.
6. Omnes conuersi sunt. &c.lib.6.cap.9.n.8. & lib. 10. cap. 9. num.1.
9. 21. Ascendit mors per fenestras. lib.8.cap.11. num.9.

23. Hæc dicit Dominus : non glorietur sapiens. lib.2.cap.2.num.3.
11. 15. Numquid carnes sanctæ, &c. lib.5. cap. 16. num.5.
13.23. Si mutare potest Æthiops pellem suam, &c. lib.2 cap.5.num.9.
17. 4. Ignem succendisti in furore meo. lib.9. cap 18.num.5.
18. 3. Descendi in domum figuli, &c. lib.2.c.5. num. 10.
7. Repente loquar aduersùs gentem. lib.6. cap. 9. num. 11.
27. 18. Si prophetæ sunt, & occurrant Domino, &c. lib.4.cap.19.num.3.
31. 3. In charitate perpetua dilexi te, &c. lib.4. cap. 23.num.8.
27. Ecce dies veniunt, &c. lib.4.cap.15.n.1.
41. 5. Venerunt viri, &c. rasi barba, &c. lib.5. cap. 17.num 7.
48. 10. Maledictus, & qui prohibet gladiũ suum à sanguine. lib. 4. cap. 17. num.4.
51. 9. Curauimus Babylonem, & non est sanata, &c. lib. 2.cap.5.num.10.

Threni.

1. 6. Facti sunt principes eius velut arietes, &c. lib.1.cap.18.num 1. & lib.6.cap.7. num.10.
2. 1. Non est recordatus scabelli pedũ suorum, &c lib.5.cap.12. num. 2.
3. 33. Non enim humiliauit ex corde, &c.lib.1. cap.18. num. 10.

Baruch.

4. 1. Hic est liber mandatorum Dei, &c. lib.10. cap 8. num.1.
28. Sicut fuit sensus vester, &c. lib.5.cap.2. num.4.

Ezechiel.

1. 14. Animalia ibant, & reuertebantur. lib.4. cap. 5. num 3.
3. 5. Non enim ad populum profundi sermonis, lib.1.cap.17.num 8.
7. Domus Israel, &c. attrita fronte. lib. 2. cap.5. num.9.
13. Audiui vocem alarum, &c.lib.10.cap.15. num.6.
6. 13. Scietis, quia ego Dominus, cùm fuerint interfecti vestri. lib.2. cap.2 num.2.
7. 18. Et in omni facie confusio. lib.5.cap.17. num.7.
13. 5. Non ascendistis ex aduerso lib.2. cap.12. num.5 & lib.4 cap.19.num.1. & lib.8.c.5.n.2.
10. ipse ædificabat parietem, &c. lib.1.cap.6. num.9.
14. 21. Si quatuor iudicia mea pessima, &c. lib.9. cap 18.num.4.
16. 3. Pater tuus Amorrhæus, &c. lib.9.cap.15. num.8.
24. Ædificasti tibi lupanar, &c. lib.9. cap.17. num 4.
49. Hæc fuit iniquitas Sodomæ.lib.9.cap.18. num. 1.
20. 6. Terram quam prouideram eis, &c. lib.1. cap.2.num.3.
46. Stilla ad Aphricum, &c. lib.9.cap.14.n.5.
21. 2. Stilla ad sanctuaria, &c. lib.9. cap.14. n.5.
22. 22. Scietis quia ego Dominus, &c. lib.2.c.2. num.2.
30. Et quæsiui de eis virum, &c. lib.8.cap.5. num.2.
23. 3. Fornicatæ sunt in Ægypto, &c. lib.1. c.6. num.5.
29. 8. Ecce ego adducam super te gladium, &c. lib.2.cap.2.num.2.
18. Rex Babylonis seruire faciet, &c. lib. 1. cap.9.num.4.
32. 2. Leoni gentium assimilatus es, &c. lib. 3. cap.12.num.9.
35. 4. Vrbes tuas demoliar, &c. lib.2.cap.2.n.2.
40. 40. Duæ mensæ, &c. lib.6.cap 8 num.4.
43. 10. Ostende domui Israel. &c. lib 5.c.12.n.6.
46. 24. Hæc est domus culinarum.lib.5.c.7.n.7.

Daniel.

2. 4. Regnum quartum erit velut ferrum lib.9. cap.8.num.8.
3. 5. Adorate statuam auream, &c. lib.2.c.5.n.3.
4. 11. Clamauit fortiter, &c. lib.2.cap.2.num.2.
29 Fœnum quasi bos comedes, &c.lib.8.c.3. num.1.
6. 10. Tribus temporibus in die, &c. lib. 6. cap.22.num.8.
9. 11. Stillauit super nos maledictio. lib. 9. cap.14.num 5.
Et vnguatur sanctus sanctorum. lib.5.c.14. num.3.

Oseas.

2. 6. Sepiam viam tuam spinis. lib.1. cap.1. n 5.
14. Ducam eam in solitudinem. lib.1 cap.16. num.2.
19. Et sponsabo te mihi, &c. lib.4.ca.13.n.12.
4. 8. Peccata populi comedent.lib.6.cap.8.n.4.
16. Sicut vacca lasciuiens, &c.lib.2.cap.2.n.7. & lib.10.cap 9. num.1.
5. 11. Ephraim, &c. cœpit abire post sordes, &c. lib.9 cap.14.num.8.
6. 1. In tribulatione sua manè consurgent. lib.1. cap.7. num.5.
12. 7. Chanaan, in manu eius statera. lib. 5. cap. 14. num.5.
13. 9. Perditio tua Israel. lib.4. cap.23. num.8.
14. Ero mors tua, ô mors. lib.8. cap.15. nu.4.
14. 3. Reddemus vitulos labiorum, &c. lib. 6. cap.7.num.2.

Ioel.

1. 17. Computruerunt iumenta in stercore suo. lib. 10. cap. 9. num.3.
2. 13. Scindite corda vestra, & non, &c. lib.6. cap.9.num.10.
25 Reddam vobis annos, quos comedit bruchus. lib.2.cap.17.num.1.

Amos.

3. 2. Tantùm modò vos cognoui, &c. lib. 5. cap.18.num.6.
6. 1. Ingredientes pompaticè, &c.lib.4.cap.7.n.7.
14. Suscitabo super vos domus Israel. lib.7. cap.7. num.7.
15. Conterent vos ab introitu Emath. lib.1. cap.2. num.6.
8. 1. Et ecce vnicus pomorum, &c. lib.9. cap. 7. num. 6.
10 Inducam super omne caput vestrum saccum. lib.5. cap. 17. num.7.

Ionas.

3. 5. Ninuitæ prædicauerũt ieiunium, &c.lib.6. cap. 9.num. 10.
6. Et surrexit de solio suo, &c. lib.4.c.10.n.5.

Michæas.

7. 6. Inimici hominis domestici eius. lib. 10. cap. 10. num.5.
19. Proiiciet in profundũ maris omnia peccata nostra. lib.3.c.12.n.10.

Nahum.

1. 2. Vlciscens Dominus in hostes suos, &c. lib.9.cap.19.n.2.

Habacuc.

2. 6. Væ ei, qui multiplicat non sua. lib.1. c.16. num.1.
3. 2. Deus ab austro veniet, &c. lib.3. cap.8.n.4.
15. Viam fecisti in mari equis tuis. lib.3. cap.10.num.4.

Sophonias.

1. 5. Qui adorant super tecta militiam cæli. lib.5.cap.11.n.5.

Zacharias.

3. 1. Ostendit mihi Iesum, &c. lib.9.cap.17.n.1.
5. 6. Hæc est oculus eorum, &c. lib.9.cap.7.n.7.
13. 1. In illa die erat fons patens, &c. lib.8.cap.8. num.3. & lib.9.cap.17.num.2.

Malachias.

1. 11. Ab ortu Solis vsque ad occasum, &c.lib.6. cap.5 num.11.
2. 4. Pactum meum fuit cum Leui. lib.10.c. 10. num.1.& 2.
3. 3. Purgabit filios Leui. lib.6. cap.5.num.11.

Machabæorum I.

2. 24. Vidit Mathatias, & doluit, &c. lib.9.c.9. num.4.
54. Phinees zelando zelum, &c.lib.9.c.5. n.7.
4. 37. Ascenderunt in montem Sion.lib.10.c.4. num.2.

Machabæorum II.

1. 3. Det vobis cor omnibus vt colatis, &c.lib.3. cap.8.num.5.
3. 25. Apparuit ipsi Heliodoro, &c. lib.9.cap.7. num. 6.
6. 14. Non enim sicut in aliis nationibus, &c. lib.5.cap.18.num.6.
7. 30. Non obedio præcepto regis, &c.lib.1.c.9. num.3.
15. 26. Iudas verò, & qui cum eo erant, &c.lib.3. cap.4.num.5.

EX NOVO TESTAMENTO.

Matthæus.

Cap. 3. vers. 8. FAcite fructum dignum pœnitentia. lib.6. cap.9. num. 10.
4. 4. Scriptum est non in solo pane, &c. lib.3. cap.4.num.5.
10. Dominum Deum tuum adorabis. lib.3. cap.4. num.5.
11. Ecce angeli accesserunt & ministrabant. lib.3.cap.17.num.4.
13. Habitauit in Capharnaum, &c. lib. 10. cap.7.num.4.
5. 11. Beati estis, cùm maledixerint vobis.lib.9. cap.7.num.2.
17. Sic luceat lux vestra coram hominibus, &c.lib.4.c.26.num.5.
25. Esto consentiens aduersario tuo. lib. 10. cap.8. num.2.
6. 1. Ne iustitiam vestram faciatis, &c. lib. 4. cap. 26. num.5.
6. Intra in cubiculum tuum, &c. lib.5. cap.12. num.4.
20. Thesaurizate vobis thesauros, &c. lib.9. cap.19.num. 1.
25. Ne soliciti sitis animæ vestræ. lib.1.c.16. num.2.
26. Respicite volatilia cæli. lib.3. cap.19. num.15.
7. 14. Quàm angusta porta. lib.7.cap.11.num.6.
19. Omnis arbor quæ non facit, &c. lib.9. cap. 18.num.4.
9. 35. Circuibat Iesus omnes ciuitates. lib.10. cap. 13. num. 2.
37. Messis quidem multa, operarij autẽ pauci, &c. lib.10.cap. 13. num.4.
10. 16. Ecce ego mitto vos sicut oues, &c.lib.7. cap.8. num.8.
32. Omnis qui confitebitur, &c. lib.10.cap.9. num.6.
42. Quicumque potum dederit, &c. lib.1. cap.7.num.3.
12. 28. Si ego in spiritu Dei eiicio, &c. lib. 2. cap.9 num.4.
13. 30. Tempore messis dicã messoribus. lib.9. cap. 18. num. 4.
16. 18. Tu es Petrus, & super hanc petram.lib.3. cap.6. num.6.
19. Tibi dabo claues regni cælorum. lib.8. cap.3. num.1.
17. 4. Bonum est nos hîc esse. lib.7.cap.8.num.5.
5. Hic est filius meus dilectus. lib.4. c 6.n.5.
18. 6. Expedit ei, vt suspendatur, &c.lib.1. cap.3. num.1.
19. 12. Sunt Eunuchi qui seipsos, &c. lib.10. cap.15. num.5.
27. Ecce nos reliquimus omnia. lib.3. cap.4. num.1.
20. 8. Dixit Dominus vineæ procuratori, &c. lib.10. c.14.num. 1.
12. Portauimus pondus diei, &c. lib. 10. cap.14. num.1.
23. 4. Alligant enim onera grauia, &c. lib.9. cap.16. num.2.
13. Væ vobis Scribæ, & Pharis. lib.7.c.8.n.10.
32. Implete mensuram patrum vestrorum. lib. 1. cap. 18. num. 1.
34. Ecce ego mitto ad vos prophetas, &c. lib.9. cap.20. num.3.
24. 20. Orate autem vt non fiat fuga, &c. lib.10. cap.19. num. 10.
25. 8. Date nobis de oleo vestro. lib.5. cap.16. num.7. & lib.10.cap.15.num.7.
34. Venite benedicti Patris mei. lib.1.c.3. n.6.& lib.9.cap.7.n.2. & cap.14.num.8.
42. Discedite à me maledicti. lib. 3.c.15. n.2.
26. 28. Hic est sanguis meus, &c.lib.4.cap.8.n.2.
28. 18. Data est mihi omnis potestas, &c.lib.10. cap.12. n.2.
20. Ecce ego vobiscũ sum, &c.lib.1.c.16.n.9.

Marcus.

9. 45. Si scandalizauerit te manus, &c. lib.9. cap.18.num.5.
12. 41. Sedens contra gazophylacium, &c. lib.5. cap.2. num.1.
42. Vidua pauper misit duo minuta. lib.5. cap.2.n.1.

Lucas.

2. 34. Ecce positus est hic in ruinam. lib.8. c.8. num.4.
6. 13. Erat pernoctans in oratione Dei. lib. 9. cap.11. num 6.
7. 39. Hic si esset propheta, sciret vtique, &c. lib.6.cap.9.num.4.
9. 29. Et facta est, dum oraret, species, &c. lib.4.cap.26.num.6.
62. Nemo mittens manum ad aratrum, &c. lib.4.cap.8.n.1.
10. 1. Binos misit illos ante faciem suam. lib.1. cap.18. n.8.
39. Quæ etiam sedens secus pedes, &c.lib.10. cap.1.num.6. & cap 8. num.6.
11. 21. Cùm fortis armatus custodit atriũ suũ, &c..lib.2.cap.2.num.4. & lib.3.cap.2.num.2.
12.4. Ne terreamini ab his, qui, &c. lib.1. c.9. num.3.
35. Sint lumbi vestri præcincti. lib.5.cap.10. num.7. & lib.10.cap.14.num.4.
47. Ille autem seruus qui cognouit, &c. lib.5. cap.18.num.6.
49. Ignem veni mittere in terram. lib.5.c.18. num.2.
14.26. Si quis venit ad me, & non odit, &c. lib. 4.cap.17.num.1.
28. Quis ex vobis volens turrim ædificare. lib.5.cap.16.num.12.
15.17. Quanti mercenarij in domo, &c. lib. 10. cap.14.num.9.
16. 22. Factum est autem vt moreretur, &c. lib 10.cap.19 num.8.
18.19. Nemo bonus nisi solus Deus.lib.1.cap.15. num.8.
22. 19. Hoc facite in meam commemorationẽ. lib.3.cap 6.n.2.
61. Et cõuersus Dominus, &c. lib 4.c.21.n.4.
24. 32. Nónne cor nostrum ardens, &c. lib.5. cap.10.num.6.

Ioannes.

1.10 In mundo erat, & mundus per ipsum, &c. lib.1.cap 3. num.4.
14. Et Verbum caro factum est.lib.5.cap.14. num.4.
17. Lex per Moysen data est. lib.10. c.20.n.2.
2.19. Soluite templum hoc, &c. lib 5.c.14.n.1.
3.14. Sicut Moyses exaltauit, &c. lib.8. cap.15. num.3.
4.5. Venit ergo in ciuitatem Samariæ.lib.3.c.4. num.4.
14. Fiet in eo fons aquæ salientis, &c. lib.4. cap. 21. num.4.
22. Salus ex Iudæis est. lib.9. cap.11. num.2.
34. Meus cibus est vt faciam volũtatem, &c. lib.7.cap 8.num.9.
6.35. Ego sum panis vitæ, &c. lib.6.c.4.num.3.
7.4. Manifesta te ipsum mundo. lib.5.c.12.n 4.
10.4. Et cùm proprias oues emiserit, &c. lib.10. cap.14 num.4.
11.11. Lazarus amicus noster dormit. lib.10. cap.19. num.7.
41. Venient Romani, & tollent locum, &c. lib.7.cap.8.num.9.
12.24. Nisi granum frumenti, &c. lib.1.c.5.n.9.
31 Nunc iudicium est mundi. lib.9.c.20.n.1.
14.30. Venit princeps huius mundi, &c. lib.1. cap.3. n.4..
15.1. Ego sum vitis vera, &c. lib.10.cap.3. nu.4.
19.10. Nescis quia potestatem habeo, &c.lib.8. cap.3.num.1.
21. 6. Mittite in dexteram nauigij rete. lib.6. cap.7. num.6.

Actus Apostolorum.

1.25. De quo præuaricatus est Iudas. lib.8.c.10. num.4.
4.18. Vocantes eos denunciauerunt, &c. lib.2. cap.2. num 6.
6.10. Et non poterant resistere sapientiæ, &c. lib.10.cap.15.num.2.
7.22. Eruditus est Moyses omni sapientia lib.1. c.5.n 4.
23 Cùm autem implerentur ei quadraginta, &c lib. 1. cap. 13. num.4.
29. Fugit autem Moyses, & factus est, &c. lib.1. cap 13. num.7.
41. Et vitulum fecerunt, &c. lib.7.cap.20.n.6.
51. Dura ceruice & incircumcisis cordibus, &c. lib. 2.cap.5.num.8.
56. Ecce video cælos apertos.&c. lib.10.c.9. num.6.
8.40. Ibat autem per viam suam gaudens, &c. lib 3.cap.4. num.3.
9.1. Saulus autem adhuc spirans, &c. lib 10.c.4. num.4.
5. Durum est tibi contra stimulum, &c.lib.9. cap.8. n 3.
20. Continuò ingressus est Synagogas, &c. lib.10 cap.11.num.3.
17.28. In ipso enim viuimus, mouemur, &c. lib 9.cap.17.n.6.
20.24. Nec facio animam meam pretiosiorem quàm me. lib...cap.2.num.6.
33 Argentum & aurum aut vestem, &c. lib 5 cap.3.n.8.
22.3. Nutritus secus pedes Gamaliel. lib.10.c.1. num.6. & cap 8. num.6.
28.22. Notum est nobis, quia vbique ei contradicitur. lib.8.cap.8.num.4.

Epistolæ B. Pauli Apostoli.

Ad Romanos.

1.14. Græcis ac barbaris, sapientibus, &c.lib.9. cap.16. num.9.
21. Euanuerunt in cogitationibus suis. lib.9. cap. 14. num.9.
2.4. Ignoras quoniam benignitas Dei, &c. lib. 2.cap.4. num.4.
14. Gentes quæ legem non habent, &c.lib.4. cap.5. num.1.
21. Qui ergo alium doces, te ipsum non doces, &c lib.9.cap.16.num.2.
3.22. Omnes peccauerunt, & egent, &c. lib.6. cap.9.num.5.
25. Quem proposuit Deus, &c. lib.6. cap.9. num.4. & cap.3. num.5.
6.6. Vetus homo noster simul crucifixus est, &c. lib.6.c.9.n.4.
12. Non ergo regnet peccatum, &c. lib. 3. cap.17.num.2. & lib.4.c.17.num.4.
19. Sicut exhibuistis membra vestra, &c. lib. 5.cap.2. num.2.
7.23. Video aliam legem in membris meis, &c. lib.10.cap.4.num.1.
8.3. De peccato damnauit peccatũ. lib.6. c.9.n.1.
14. Quicunque spiritu Dei aguntur. lib.3. c.12.n.11.
30 Quos & prædestinauit, hos & vocauit, &c.lib.9.c.17.n.7.
9.3. Optabam ego ipse anathema esse, &c. lib.4. cap.18. num.4.
12.1. Vt exhibeatis corpora vestra.lib.6.c.3.n.5.
13.1. Omnis anima potestatibus sublimioribus, &c. lib. 8. cap.3. num. 1. & 2.
15.2. Vnusquisque proximo suo placeat.lib.10. cap.15.num. 6.
5. Deus autem patientiæ & solatij, &c.lib.5. cap 9. num. 13.
8. Dico Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis. lib.9.cap. 15. num. 16.

Ad Corinthios I.

1. 23. Prædicamus Christum crucifixum, &c. lib. 8. cap. 8. num. 4. & cap. 15. num.4.
3. 10 Vt sapiens architectus, &c. lib.5.c.3.n.8.
5.8. Non in fermento malitiæ, &c.lib.6.c 5.n.8.
6.18. Fugite fornicationem.lib.10.cap.9.num.2.
7.29. Tempus breue est, reliquum est vt qui habent vxores, sint tanquam non habentes, &c. lib.9 cap. 19.num.7.
8. 4. Scimus quia nihil est idolum, &c. lib.2. cap.5.num. 2.
9. 24. Nescitis, quòd ij qui in stadio currunt, &c. lib. 4.cap.23.num.1. & lib.5.cap. 3. n.8. & lib.6.cap.9. num. 12.
10. 1. Omnes sub nube fuerunt, &c. lib. 3. cap. 12.num.11.
4. Bibebant de spiritali consequente eos petra. lib. 3.cap 22.num.2. & lib.8.cap.8.num.3. & lib. 9.cap.17. num.13.
6. Hæc autem in figura facta sunt, &c. lib.1. cap.1. num. 1.
13. Fidelis autem Deus qui non patitur, &c. lib.2.cap.2. num. 11.
11. 26. Quotiescumque manducabitis, &c.lib.3. cap.6.num.3.
31. Quòd si nosmetipsos iudicaremus. lib.8. cap.8. num 2.
32. Dum iudicamur autem, &c.lib.5.c.18.n.6.
13. 12. Videmus nunc per speculum, &c. lib.4. cap. 3. num.10. & cap.23. num.3.
14. 11. Si nescio virtutem vocis, &c.lib.1.cap.1. num.9.

Ad Corinthios II.

1.3. Pater misericordiarum, &c. lib 4.c.26.n.3.
5. Sicut abundant passiones Christi, &c. lib. 3.cap. 7. num.4.
2. 15. Christi bonus odor sumus. lib. 2. cap. 1. num. 10. & lib 5. cap.14. num. 4.
3. 1. Nunquid egenus commendatitiis epistolis, &c. lib 4.cap 26.num.1.
15. Velamen positũ est super cor eorum, &c. lib. 4. cap. 26. num.6.
4. 3. Quòd si opertum est Euangelium. lib. 4. cap. 26. num.7.
5. Non enim nosmetispos prædicamus.lib.9. cap.16. num. 9.
8. In omnibus tribulationibus, &c. lib. 3. cap. 12. num. 2.
5. 21. Eum qui non nouerat peccatum. lib. 6. cap.9. num. 1.
8. 3. Et supra virtutem voluntarij fuerunt, &c. lib.5. cap.2. num.1.
9. 7. Hilarem datorem diligit Deus. lib.5.cap. 2. num. 1.
10. 8. De potestate nostra quam dedit Dominus, &c. lib.2. cap.5. num. 3.
11. 2. Æmulor vos Dei æmulatione.lib.10.cap. 10. num.4.

Ad Galatas.

1. 10. Si adhuc hominibus placerem, &c. lib.1. cap.5.num.6.
2. 18. Si quæ destruxi, iterum hæc ædifico. lib. 8.cap. 13. num. 2.
3. 19. Lex propter transgressiones posita est. lib. 4. cap. 6. num. 2.
24. Lex pædagogus noster fuit.lib.4.c.3.n.11.
4. 24. Hæc sunt duo testamenta. lib.4.c.15.n.2.
25. Sinai mons in Arabia qui coniunctus est ei, quæ nunc est Hierusalem. lib.4.c.1 nu.3.
5. 24. Qui autem sunt Christi, carnem suam, &c. lib 7. cap 4. num.10.
6. 14. Mihi mundus crucifixus est, &c. lib.4. cap. 24. num.6.

Ad Ephesios.

4. 11. Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, &c. lib 5.cap.3. num. 6. & 7.
29. Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat. &c. lib. 3.cap.8. num. 4.
5. 8. Eratis enim aliquando tenebræ. lib. 6. cap. 12. num. 4.
19. Implemini Spiritu sancto. lib.2.c.23.n.3.
6. 11. Induite vos armaturam Dei, &c.lib.3.c.4. num. 4. & lib 9 cap.18 num.8.
12. Non est nobis colluctatio, &c. lib. 3.c. 4. num. 5.
13. Accipite armaturam Dei. lib.3. cap.4.n.4.
14. State ergo succincti lumbos vestros.lib.3 cap.4.num. 4.
16. In omnibus sumentes scutum fidei.lib.9. cap. 18. num.8.
18. Per omnem orationẽ & obsecrationem. lib.3.cap.4. num.5.

Ad Philippenses.

2. 12. Cum metu & tremore salutem vestram, &c.lib.3.cap. 4. num. 3. & lib.7. c.12.num.4.
3. 13. Quæ quidem retrò sunt obliuiscens, &c. lib.7.cap.4. num.4.
20. Nostra autem conuersatio, &c.lib.4.c.26. num. 4.
4. 4. Gaudete in Domino semper. lib.3. cap.4. num. 3.

Ad Colossenses.

2. 15. Exspolians principatus, &c.lib.3.c.15.n.1.
17. Quæ sunt vmbra futurorum. lib.8.cap.12. num.6.

Ad Timotheum I.

1. 9. Iusto non est lex posita.lib.10.cap.8.num.3.
2.8. Volo viros orare in omni loco. lib.5.c.9.n.2
3.1. Si quis Episcopatum desiderat, &c. lib.5. cap.16.num. 3.
6. 16. Lucem habitat inaccessibilem, &c.lib.4. cap. 10.num.6. & lib.5.cap.9. num. 1.

Ad Timotheum II.

2. 17. Sermo eorum vt cancer serpit. lib.3 c.13. num. 6.
3. 8. Quemadmodum autem Iannes & Mambres, &c lib.2. cap.7.num. 2.
4.7. Bonum certamen certaui, &c.lib. 4 cap.8. num.1. & lib.6.cap.9.num.12.

Ad Titum.

3. 1. Admone illos Principibus & potestatibus, &c. lib.8. cap.3.num.2.

Ad Hebræos.

3. 13. Adhortamini vosmetipsos, &c. lib. 2. cap. 5. num. 10. & lib. 7. cap. 11. num. 4.
4. 15. Festinemus ingredi in illam requiem, &c. lib. 7. cap. 11. num. 3.
16. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum, &c. lib. 4. cap. 11. num. 3.
5. 4. Nec quisquam sumit sibi honorem, &c. lib. 5. cap. 16. num. 3. & lib. 8. cap. 3. num. 2.
5. Christus non semetipsum clarificauit. lib. 5. cap. 16. num. 3.
6. 7. Terra enim sæpe venientem, &c. lib. 9. cap. 16. num. 5.
8. 13. Nouum veterauit prius. lib. 4. cap. 15. n. 1.
9. 3. Post velamentum autem secundum. lib. 5. cap. 6. num. 4.
11. Christus autem assistens Pontifex, &c. lib. 6. cap. 9. num. 3.
13. Si enim sanguinis hircorum & taurorum. lib. 6. cap. 5. num. 15.
14. Sanguis Christi emundabit cõscientiam nostram. lib. 1. cap. 16. num. 8.
15. Noui testamenti mediator est. lib. 6. cap. 9. num. 4. & lib. 4. cap. 8. num. 2.
19. Lecto enim omni testamento, &c. lib. 10. cap. 6. num. 5.
22. Omnia penè in sanguine secundùm legem mundantur. lib. 6 cap. 7. num. 11.
10. 1. Vmbram enim habẽs lex futurorum, &c. lib. 6. cap. 12. num. 6.
4. Impossibile enim est sanguine taurorum, &c. lib. 4. cap. 8. num. 2. & lib. 6. cap. 3. num. 2.
12. Hic autem vna pro peccato, &c. lib. 6. cap. 3. num. 3.
11. 6. Credere oportet accedentem ad Deum. lib. 1. cap. 9. num. 5.
23. Fide Moyses natus occultatus est, &c. lib. 1. cap. 10. num. 2.
24. Fide Moyses grandis factus, &c. lib. 1. cap 9. num. 5.
31. Qui per fidem vicerunt regna. lib. 8. cap. 17. num. 10. 11.
12. 1. Per patientiam curramus, &c. lib. 5. cap. 12. num. 5. & lib. 8. cap. 15. num. 7.
4. Nondum vsque ad sanguinem restitistis. lib. 4. cap. 13. num. 1.
18. Non enim accessistis ad tractabilẽ montem. lib. 4. cap. 3. num. 9.
21. Terribile erat quod videbatur. lib. 4. cap 5. num. 3. & cap. 6. num. 5.
13. 11. Quorum animalium infertur sanguis, &c. lib. 6. cap. 8. num. 5. & cap. 9. num. 2.
12. Propter quod & Iesus, &c. lib. 4. c. 21. n. 6.
15. Per ipsum offeramus hostiã. lib. 6. c. 7. n. 2.
17. Beneficentiæ & communionis nolite obliuisci. lib. 6. cap. 7. num. 1.

Epistola Iacobi.

1. 10. Diues, &c. sicut flos fœni transibit. lib. 9. cap. 18. num. 2.
14. Vnusquisque tentatur à concupiscentia sua. lib. 10. cap. 14. num. 10.
15. Concupiscentia cum conceperit, &c. lib. 1. cap. 2. num. 5.
27. Religio munda & immaculata hæc est. lib. 1. cap. 14. num. 3.
3. 13. Quis sapiens & disciplinatus, &c. lib. 10. cap. 15. num. 5.

Epistola D. Petri I.

1. 3. Regenerauit nos in spem viuam, &c. lib. 10. cap. 20. num. 12.
12. In quem desiderant angeli prospicere. lib. 4. cap. 23. num. 5.
15. Secundùm eum qui vocauit eos. lib. 5. cap. 18. num. 7.
17. Et si patrem inuocatis eum, &c. lib. 3. cap. 4. num. 4.
18. Scientes quod non corruptibilibus, &c. lib. 6. cap. 3. num. 3.
2. 13. Subiecti igitur estote, &c. lib. 8. cap. 3. n. 2.
21. Christus passus est pro nobis, &c. lib. 5. cap. 12. num. 5.
4. 18. Nolite peregrinari in feruore, &c. lib. 3. cap. 17. num. 1.
5. 8. Aduersarius vester diabolus, &c. lib. 3. c. 22. num. 4.

Epistola D. Petri II.

1. 10. Satagite, vt per bona opera, &c. lib. 9. cap. 17. num. 7.
2. 13. Iustum autem arbitror quamdiu sum, &c. lib 5. cap. 14. num. 4.
15. Errauerunt secuti viam Balaam. lib. 9. cap. 7. num. 5.
16. Correptionem habuit suæ vesaniæ. lib. 9. cap. 1. num. 7. & cap. 7. num. 9.

Epistola Ioannis I.

2. 15. Nolite diligere mundum. lib. 1. cap 3. n. 5.
16. Omne quod est in mundo, cõcupiscentia carnis, &c. lib. 1. cap. 3. n. 5. & lib. 8. cap. 13. n. 1.
20. Vnctionem habetis à Deo. lib. 5. c. 14. n. 4.

Apocalypsis.

1. 5. Dilexit nos & lauit nos, &c. lib. 6. c. 7. n. 15.
2. 4. Charitatem primam reliquisti. lib. 10. c. 14. num. 9.
14. Habes illic tenentes doctrinam Balaam, &c. lib. 9. cap. 5. num. 2.
Balaam docebat Balaac, &c. lib. 9. c. 8. n. 10.
3. 11. Tene quod habes. lib. 9 cap. 11. num. 1.
4. 3. Iris erat in circuitu sedis. lib. 4. cap. 26. n. 3.
5. 5. Vicit Leo de tribu Iuda, &c. lib. 10. c. 9. n. 5.
7. 9. Vidit turbam magnam, &c. lib. 7. cap 11. num. 7. & lib. 8. cap. 8. num. 4.
9. 2. Ascendit fumus putei. lib. 2. cap. 17. num. 3.
12. 4. Cauda eius trahebat tertiam partem, &c. lib. 7. cap. 11. num. 8.
15. 7. Et vnum de quatuor animalibus, &c. lib. 2. cap. 15. num. 3.
16. 15. Beatus qui vigilat & custodit, &c. lib. 9. cap. 17. num. 2.
17. 15. Aquæ & populi sunt, &c. lib. 3. cap. 17. n. 3.
20. 12. Libri aperti sunt, &c. lib. 14. c. 19. num. 5.
21. 3. Ecce tabernaculum Dei cum hominibus. lib. 3. cap. 15. num. 6. & lib. 5. cap. 9. num. 2.
14. Et murus ciuitatis habens fundamenta duodecim, &c. lib. 1. cap. 16. num. 11.
22. 11. Qui sordidus est, sordescat adhuc, &c. lib. 9. cap. 17. num. 1.
16. Ego sum, &c. stella splendida. lib. 9. cap. 4. num. 7.

FINIS.

INDEX LOCORVM MORALIVM IN HOC OPERE SPARSIM CONTENTORVM, AD VSVM CONCIONVM.

A

Aaronis virgæ quæ figura? lib. 8. cap. 6. num. 10.
Aaronis sacerdotis obitus quæ adumbratio. lib. 8. cap. 11. num. 1.
Ablutio cordis. lib. 6. cap. 3. num. 7.
Abominationes seruorum mundi quæ. lib. 2. cap. 11. num. 6. *quomodo tollantur.* ibid.
Adulatio. lib. 2. cap. 16. num. 3.
Affectuum immunditia. lib. 6. cap. 3. num. 7.
Agnus paschalis. lib. 2. cap. 23. per totum.
Agni Dei immolatio. ibid. num. vlt.
Agnus paschalis, vt vmbra erat Christi. lib. 2. cap. 24. per totum.
Agni paschalis sanguis. ibid. num. 2.
Altare thymiamatis in veteri testamento quid signarit. lib. 5. cap. 10. num. 5.
Ambitio. lib. 8. cap. 3. num. 3.
Ambitio honorum. lib. 6. cap. 7. num. 4.
Amicitia, & familiaritas Dei cum doctoribus verbi sui. lib. 4. cap. 3. num. 5.
Amor Dei erga redemptionem hominum. lib. 1. cap. 16. num. 6.
Amor Christi. ibid. num. 5.
Angelus custos. lib. 4. cap. 3. num. 2.
Animæ desiderium. lib. 10. cap. 16. num. 7.
Antichristus. lib. 10. cap. 6. num. 8.
Apostoli, eorumq; spoliatio mystica. lib. 3. cap. 2. num. 1.
Apostolorum præfiguratio in testamento veteri. lib. 3. cap. 17. num. 5.
Arca in veteri testamento quid in nouo. lib. 3. cap. 10. num. 4.
Artifices tabernaculi adumbrantes Apostolos Ecclesiæ. lib. 4 cap. 3. num. 6.
Auaritia, & libido. lib. 1. cap. 5. num. 2. & lib. 9. cap 7. num. 5. 6. & 7.
Auditores verbi diuini. lib. 9. cap. 16. num. 5.
Auxilium Dei. lib. 2 cap. 5. num. 10. lib. 3. cap. 12. num. 1. lib. 9. cap. 15. num. 6. & lib. 9. cap. 16. num. 5.

B

Baptismus. lib. 3 cap. 12. num. 11. & lib. 3. cap. 22. num. 5.
Baptismi typus. lib. 10. cap. 20. num. 10.
Beatitudo æterna. lib. 7. cap. 8. num. 2.
Benedictio quibus detur. lib. 9. cap. 7. num. 3.
Benedictio Iudæ, & Leui, & eius figura. lib. 10. cap. 3. per totum.
Benedictio Beniamin, & Ioseph, & eius adumbratio. lib. 10. cap. 4. per totum.
Benedictio Zabulonis, & Issachar, & eius typus. lib. 10. cap. 5. per totum.
Benedictio Gad, & Dan, & eius præfiguratio. lib. 10. cap. 6. per totum.
Benedictio Nephthali, & Aser, cum sua figura. lib. 10. cap. 7. per totum.
Benedictio Iudæ, & eius imago. lib. 10. cap. 9. num. 5. & 6.
Benedictio Beniamin, & eius comparatio in nouo testamento. lib. 10. cap. 11. per totum.
Benedictio Zabulonis, & eius assimulatio. lib. 10. cap. 13. per totum.
Benedictio Leui, & eius typus. lib. 10. cap. 10. per totum.
Benedictio Ioseph, & eius figura. lib. 10. cap. 12. per totum.
Benedictio Issachar, Gad, & Dan, nec non de eorum figura. lib. 10. cap. 14. per totum.
Benedictio Nephthali, & Aser, & eorum collatio in nouo testamento. lib. 10. cap. 15. per totum.
Beneficia Dei. lib. 3. cap. 17. num. 6. lib. 3. cap. 19. num. 14. lib. 4. cap. 3. num. 1. lib. 6. cap. 5. num. 9. & lib. 9. cap. 17. num. 5.
Botri figura. lib. 7. cap. 8. num. 11.

C

CAnticum Mosis. lib. 3. cap. 14. per totum, & lib. 9. cap. 15. per totum.
Carnis dolores quid efficiant. lib. 9. cap. 7. num. 9.
Carnis imperfectio. lib. 1. cap. 5. num 3.
Carnis mortificatio. lib. 4. cap. 17. num. 4. & lib. 4. cap. 24. num. 6.
Ceremoniarum causa literalis. lib 2. cap. 2. num. 2.
Ceremoniæ legis veteris diuiduntur. lib. 2. cap. 23. num. 1.
Ceremoniæ legis veteris nouæ typum gesserunt. ibidem.
Charitas. lib. 3. cap. 5. num. 5. lib. 5. cap. 18. num. 2. & 3. lib. 6. cap. 7. num. 6. & lib. 7 cap. 2. num. 7.
Charitas quoad actionum concordiam. lib. 6. cap. 3. num. 10.
Conatus Dei in fidei fundamentum. lib. 2. cap. 21. num. 3.
Conciones Ecclesiæ. lib. 9. cap. 16. num. 1.
Concionum qualitas. ibid.
Concionatores. ibid. & lib. 9. cap. 7. num. 11.
Concionatorum eloquentia. lib. 10. cap. 7. num. 4.
Concordia in rebus agendis. lib. 1. cap. 18. num. 8.
Concupiscentia. lib. 9. cap. 18. num. 13. lib. 10. cap. 16. num. 2. & lib. 10. cap. 20. num. 11.
Confessio. lib. 5. cap. 11. num. 4. & lib. 10. cap. 9. num. 5.
Confessio peccatorum in veteri testamento præfigurata. lib. 6. cap. 9. num. 7.
Conscientia. lib. 4. cap. 19. num. 5. & lib. 8. cap. 8. num. 2.
Conscientiæ perscrutatio. lib. 1. cap. 18. num. 4.
Conscientiæ puritas ad Eucharistiam requisita. lib. 6. cap. 3. num. 11.
Conscientia mala. lib. 2. cap. 21. num. 2.
Contritio cordis. lib. 6. cap. 9. num 6.
Cordis durites fugienda. lib. 7 cap. 11. num. 4.
Cordis durities quid efficiat. lib. 2. cap. 5. num. 9.
Crux Christi. lib. 3. cap. 15. num. 3. & lib. 3. cap. 15. num. 7.
Cupiditas. lib. 4. cap. 13. num. 7.
Cupiditas mortificanda. lib. 5. cap. 3. num. 5. & 6.

D

DÆmonum terror. lib. 3. cap. 15. num. 7.
Deiparæ virginitas adumbrata in rubo incombusto. lib. 1. cap. 16. num. 5.
Detractio. lib. 7. cap. 5. num. 11. & seqq.
Detractionis pœna. ibid. & lib. 9. cap. 8. num. 2.
Deuotio. lib. 6. cap. 5. num. 1. lib. 6. cap. 7. num. 10. lib. 7. cap. 4. num. 7. lib. 10. cap. 15. num. 7. & lib. 10. cap. 16. num. 9.
Diaboli insidiæ. lib. 1. cap. 9. num. 1.
Diaboli conatus in probos. lib. 2. cap. 2. num. 10.
Diaboli durities sub imagine Pharaonis indurati. lib. 2. cap. 5. num. 7.
Diaboli inuidia. lib. 2. cap. 2. num. 4.
Diaboli tentatio. lib. 2. cap. 2. num. 5.
Diaboli bellum contra homines perpetuum. lib. 3. cap. 22. num. 18.
Dilatio supplicij diuini. lib. 9. cap. 15. num. 5.
Diluuium mundi, & eius figuratio. lib. 9. cap. 17. num. 2.
Diuitiarum mala, & inquinamenta. lib. 1. cap. 16. num. 1.
Diuitiarum qualitas. lib. 2. cap. 2. num. 7.

E

ECclesia. lib. 4 cap. 3. num. 3. & lib. 6. cap. 12. num. 3. & 4. & lib. 9. cap. 17. num. 12.
Ecclesiæ per orbem extensio. lib. 1. cap. 5. num. 5.
Ecclesiæ persecutio. lib. 1. cap. 16. num. 3.
Ecclesiæ hierarchia. lib. 5. cap. 16. num. 2.
Ecclesiæ unitas. lib. 7. cap. 2. num. 6.
Ecclesiæ tabernacula, & pulchritudo. lib. 9. cap. 8. num. 7.
Ecclesiæ typus. lib 10. cap. 13. num. 1.
Electio, & reprobatio hominum. lib. 9. cap. 17. num. 7.
Eleemosyna. lib. 3. cap. 22. num. 8.
Eleemosyna quomodo tribuatur. lib. 1. cap. 14. num. 5.
Eloquia Dei. lib. 3. cap. 4. num. 2.
Essentia Dei. lib. 1. cap. 16. num. 10.
Euangelij prædicatio. lib. 19 cap. 13. num. 2.
Eucharistia. lib. 3. cap. 19. num. 10. & 14. & lib. 5. cap. 10 num. 2.
Eucharistia quomodo sumenda. lib. 1. cap. 16. num. 8.

F

FErmentum. lib. 2. cap. 23. num. 7.
Fides. lib. 2. cap. 21. num. 2. & lib. 10. cap. 20. num. 5.
Fœdus noui testamenti. lib. 4. cap. 8. num. 2.
Fortitudo. lib. 3. cap. 8. num. 3. & lib. 8. cap. 15. num. 7.
Fragilitas humana. lib. 2. cap. 11. num. 1.

G

GAudium spirituale. lib. 3. cap. 4. num. 3.
Gehennæ memoria. lib. 3. cap. 14. num. 7.
Gloriæ cælestis dulcedo. lib. 1. cap. 3. num. 7.
Gloriæ cælestis perpetuitas. lib. 10. cap. 10. num. 4.
Gloria inanis hominum. lib. 1. cap. 12. num. 1.
Gratiarum actio. lib. 2. cap. 23. num. 3. lib. 3. cap. 19. num. 7. & lib. 6. cap. 7. num. 2.
Gratiarum actio post mensam agni. lib. 2. cap. 23. num. 10.
Gubernatio Reipubl. & eius requisita. lib. 7. cap. 2. num. 4.
Gula, seu ingluuies. lib. 6. cap. 3. num. 3.

H

HÆreses. lib. 2. cap. 16. num. 4.
Hæresis extinguenda. lib. 4. cap. 17. num. 3.
Hæreticorum comparatio cum Ægyptijs lib. 2. cap. 7. num. 2.
Hæretici similes ranis Ægypti. lib. 2. cap. 8. num. 6.
Hæreticorum tenebræ. lib. 2. cap. 19. num. 1. & seqq.
Honores propter Christum despiciendi. lib. 1. cap. 14. num. 2.
Honores non ambiendi. lib. 1. cap. 18. num. 6.
Honoris, & potentiæ malus euentus. lib. 2. cap. 2. num. 2.
Hostia Christi innocentissima. lib. 6. cap. 9. num. 3.
Hostia pacifica, adeps, & sanguis in veteri testamento, quid designent in nouo. lib. 6. cap. 7. per totum.
Humilitas. lib. 1. cap. 5. num. 6. lib. 8. cap. 3. num. 5. 7. & 8. & lib. 9. cap. 8. num. vlt.
Humilitas Christi. lib. 1. cap. 16. num. 4.

I

IDololatria. lib. 4. cap. 13. num. 4. 9. 11. & 12.
Idololatriæ pœna. lib. 9. cap. 15. num. 12.
Ignauia, & eius effectus. lib. 10. cap. 20. num 8.
Ignis tartareus. lib. 4. cap. 5. num. 4. & lib. 9. cap. 18. num. 3. & seq.
Ignorantia Dei quam mala. lib. 1. cap. 7. num. 2.
Imitatio Christi quid requirat. lib. 2. cap. 23. num. 4.
Improborum opera. lib 2. cap. 2. num. 9.
Improborum, & proborum differentia. lib. 2. cap. 19. num. 4.
Improborum vanitas. lib. 2. cap. 5. num. 1.
Improborum consortium fugiendum. lib. 1. cap. 5. num. 1. lib. 5. cap. 5. num. 8. lib. 9. cap. 8. num. 3. & lib. 10. cap. 20. num. 10.
Incomprehensibilitas Dei. lib. 4. cap. 3. num. 10.
Induratio Dei qualis. lib. 2. cap. 5. num. 7.
Infernus. lib. 1. cap. 5. num. 5.
Ingratitudo, & eius comparatio. lib. 9. cap. 18. num. 4.
Ingressus in terram repromissionis. lib. 7. cap. 11. num. 5. & seqq.
Ingressus in cælestem patriam. lib. 10. cap. 20. per totum.
Intellectus humanus, & eius caligo. lib. 9. cap. 18. num. 7.
Intentio bona. lib. 6. cap. 7. num. 6.
Intercessio pro populo. lib. 4. cap. 19. num. 2.
Inuidia. lib. 7. cap. 2. num 7. & lib. 10. cap. 4. num. 9.
Ioseph Christi typus. lib. 10. cap. 12. num. 2.
Iudicis integritas. lib. 4. cap. 17. num. 2.
Iudicis terrent qualitates. lib. 10. cap. 14. num. 8.
Iustitia Dei. lib. 4. cap. 26. num. 3.

L

LEx naturalis. lib. 4. cap. 5. num. 1.
Lex vetus, & noua. lib. 4. cap. 3. num. 12.
Lex Dei, & Christi. lib. 4. cap. 5. num. 5. & lib. 10. cap. 8. num. 1. & seq.
Lex vetus vmbra nouæ. lib. 6. cap. 12. num. 6.
Legis promulgatio. lib. 4 cap. 5. num. 1.
Legis veteris abrogatio. lib. 4. cap. 15. num. 1. & 2.
Liber vitæ. lib. 4. cap. 19. num. 5.
Libido. lib. 9. cap. 9. num. 1. & 2. & lib. 10. cap. 9. num. 1. & seqq.

M

MAledictiones impiorum. lib. 9. cap. 7. num 2.
Mandata Dei. lib. 4 cap. 8. num. 1. & 2.
Manus impositio in veteri testamento quid. lib. 6. cap. 3. num. 6.
Manna typus Eucharistiæ. lib. 3. cap. 19. num. 3.
Martyrum confessio. lib. 10. cap. 9. num. 6.
Meditatio. lib. 10. cap. 12. num. 2.
Mellis oblationum in testamento veteri quis typus. lib. 6. cap. 5. num. 11. & 12.
Mendatium. lib. 9. cap. 8. num. 5. & lib. 10. cap. 15. num. 3.
Messias. lib. 10. cap. 3. num. 2. & seqq. & lib. 10. cap. 15. num. 3.
Minæ Dei hominum correctio. lib. 1. cap. 18. num. 10.
Misericordia. lib. 4. cap. 17. num. 5. & lib. 4. cap. 26. num. 3.
Missio prædicatorum verbi Dei. lib. 10. cap. 15. num. 3.
Mosis non ingressi in terram repromissionis typus. lib. 10. cap. 18. num. 2. & cap. 19. num. 11.
Mors, & vita hominum. lib. 8. cap. 11. per totum.
Mors iustorum, & impiorum. lib. 10. cap. 19. num. 7.
Mortis placidæ exempla. ibid. num. 9.
Mortis horrendæ exempla. ibid. num. 10.
Mortificatio. lib. 5. cap. 12. num. 3.
Mundus, & eius inquietudo sub imagine Ægypti. lib. 1. cap. 3. num. 1 & lib. 9. cap. 17. num. 9.
Mundi immunda opera. ibid. num. 4.
Mundi timor quomodo vincendus. lib. 1. cap. 9. num. 3.
Mundi desertio gloriosa. ibid. num. 5.
Mundi molestia Ægypti muscis designatur. lib. 2. cap. 11. num. 4.

N

NEcessitas auxilij diuini. lib. 7. cap. 12. num. 3.
Nomina Dei. lib. 4. cap. 26. num. 2.
Nouissimorum consideratio. lib. 9. cap. 18. num. 8. & seq.
Nuptiarum legitimarum figura. lib. 6 cap. 5. num. 11.

O

OBedientia in prosperis, & aduersis quæ, & qualis. lib. 1. cap. 18. num. 7.
Obedientia. lib. 4. cap. 3. num. 4. lib. 4. cap. 13. num. 8. & lib. 6. cap. 3. num. 11.
Obedientia subditorum. lib. 8. cap. 3. num. 2.
Oblationes, & earum typus. lib. 6. cap. 5. per totum.
Odium, & eius effectus. lib. 2. cap. 19. num. 5.
Operum nostrorum examen. lib. 6. cap. 3. num. 7.

Hæretici

Opera

Opera bona. lib.6. cap. 7. num. 1. & lib. 9. cap. 9. num. vlt.
Operum bonorum renumeratio. lib. 1. cap. 9. num. 4. & 5.
Orantis habitus. lib. 3. cap. 22. num. 12.
Oratio. lib. 3. cap. 22. num. 12. lib. 4. cap. 26. num. 4. & lib. 8. cap. 5. num. 1.
Oratio, & mortificatio duo altaria. lib. 5. cap. 11. num. 1.
Orationis efficacia. lib. 2. cap. 5. num. 3.
Orationis clamor. lib. 3. cap. 12. num. 4.
Orationis tempus. lib. 6. cap. 12. num. 8.

P

PAnum azymorum significatio. lib. 2. cap. 23. num. 8.
Parsimonia. lib. 3. cap. 19. num. 5.
Passio Christi. lib. 10. cap. 11. num. 4.
Patientia. lib. 8. cap. 15. num. 1. & lib. 9. cap. 19. num. 3.
Patriæ cælestis desiderium. lib. 7. cap. 11. num. 2.
Peccatum quale, tale supplicium. lib. 2. cap. 11. num. 1.
Peccatorum contritio. lib. 4. cap. 19. num. 3.
Peccatum fermento comparatum. lib. 6. cap. 5. num. 8.
Peccatum. lib. 9. cap. 18. num. 1.
Pœnæ diuinæ attentio. lib. 2. cap. 15. num 3.
Pœnæ diuinæ qualitas. ibid.
Pœnarum genera populi Israelitici. lib. 9. cap. 15. num. 4.
Pœnitentia. lib. 4. cap. 26. num. 1. lib. 5. cap. 14. num. 5. lib. 6. cap. 9. num. 8. & seqq. lib. 9. cap. 19. num. 1.
Pœnitentiæ veræ qualis effectus. lib. 2. cap. 16. num. 7.
Pœnitentiæ distinctio, habitus, lachrymæ. lib. 4. cap. 21. num. 3. 4. & 5.
Pontificum potestas à Deo. lib. 8. cap. 3. num. 1.
Prædestinatio, & eius signa. lib. 9. cap. 17. num. 7.
Prælatorum, & concionatorum munus. lib. 2. cap. 2. num. 6. & lib. 2. cap. 5. num. 3.
Prælatorum humilitas. lib. 2. cap. 5. num. 4.
Prælatorum debita vigilantia lib. 4. cap. 12. num. 1.
Prælatorum onera. lib. 7. cap. 2. num. 1.
Prælatorum qualitas. lib. 10. cap. 18. num. 5.
Præsentia Dei. lib. 1. cap. 16. num. 9.
Prastigiæ dæmonum quid iustis nocere queant. lib. 9. cap. 7. num. 1.
Preces tempore belli. lib. 3. cap. 22. num. 9.
Primatus D. Petri. ibid. num. 3.
Principum gratitudo erga merita subditorum. lib. 1. cap. 7. num. 3.
Principum dignitas. lib. 1. cap. 14. num. 1. & lib. 2. cap. 5. num. 2.
Principum munus. lib. 1. cap. 14. num. 4. & lib. 2. cap. 5. num. 3.
Principum requisita. lib. 9. cap. 11. num. 3.
Proborum societas. lib. 1. cap. 18. num. 8.
Promissiones Dei factæ Abrahamo. lib. 1. cap. 5. num. 8.
Prosperitas, & aduersitas hominum. lib. 9. cap. 18. num. 1.
Prouidentia Dei. lib. 3. cap. 19. num. 15.
Proximi studium. lib. 1. cap. 14. num. 3.
Psalmi, & eorum vsus in Ecclesia. lib. 9. cap. 7. num. 11.
Punitionis diuinæ qualitas. lib. 2. cap. 11. num. 1.
Punit Deus mundi potentes rebus minutalis. lib. 2. cap. 16. num. 1. & 2.
Pulchritudo Christi præfigurata in Mose. lib. 1. cap. 12. num. 2. 3. & 4.
Pusillanimitas. lib. 7. cap. 8. num. 7.

R

REgnum cæleste sub imagine terræ repromissionis. lib. 1. cap. 3. num. 6.
Regnum cæleste quomodo acquirendum. lib. 1. cap. 3. num. 7.
Religio. lib. 4. cap. 13. num. 9.
Religionis mirabilitas. lib. 2. cap. 11. num. 7.
Religionis bonum exemplum. lib. 10. cap. 15. num. 6.
Religiosorum ordo. lib. 3. cap. 22. num. 1.
Religiosorum humilitas, & obedientia. lib. 6. cap. 3. num. 8.
Religiosorum paupertas. lib. 7. cap. 4. num. 4. & 6.
Religiosorum vota. lib. 5. cap. 12. num. 1. & seq. & lib. 8. cap. 3. num. 1.
Religiosorum typus. lib. 10. cap. 13. num. 2. & cap. 14. num. 3. & cap. 15. num. 5.
Rerum caducarum inconstantia. lib. 1. cap. 16. num. 11.
Reuerentia erga Deum. lib. 4. cap. 3. num. 1. & cap. 11. num. 3.

S

SAbbati cultus. lib. 3. cap. 19. num. 8.
Sacerdotij Christi æternitas. lib. 8. cap. 11. num. 2.
Sacerdotum consecratio. lib. 5. cap. 16. per totum.
Sacerdotum vnctio. ibid. num. 6.
Sacerdotum castitas. ibid. num. 4. 5. & 6.
Sacerdotum perfectio. ibid. num. 9.
Sacerdotum sapientia, & fortitudo. lib. 6. cap. 7. num. 3.
Sacerdotum dignitas. lib. 6. cap. 9. num. 13.
Sacerdotum virtus. lib. 10. cap. 10. num. 1. & seqq.
Sacra scriptura. lib. 3. cap. 12. num. 5.
Sacramentum baptismi, & pœnitentiæ. lib. 5. cap. 11. num. 2.
Sacramentorum cessatio. lib. 10. cap. 20. num. 4.
Sacrificia prima veteris, & noui testamenti. lib. 5. cap. 18. num. 1.
Sacrificiorum adumbratio. lib. 5. cap. 18. num. 1. & lib. 6. cap. 3. per totum.
Sacrificium Christi in cruce. ibid. num. 2. & 3.
Sacrificij Christi duratio. ibid.
Sacrificium pro peccato. lib. 6. cap. 9. per totum.
Salis typus in oblationibus veteris testamenti. lib. 6. cap. 3. num. 13. & 14.
Sanctorum exempla. lib. 2. cap. 23. num. 6. & lib. 4. cap. 19. num. 1. & lib. 10. cap. 14. num. 4.
Sanctorum intercessio. lib. 4. cap. 5. num. 5.
Sanctorum labores. lib. 10. cap. 14. num. 4.
Sancta sanctorum in testamento nouo quid. lib. 5. cap. 10. num. 1.
Sanguis Christi. lib. 2. cap. 23. num. 4. lib. 4. cap. 8. num. 2. & 3. & lib. 9. cap. 17. num. 12.
Sanguinis Christi effectus. lib. 3. cap. 12. num. 10.
Sanguinis Christi pretium infinitum. lib. 6. cap. 7. num. 12. & seq.
Sanguinis Christi quæ adumbratio in veteri testamento. lib. 6. cap. 7. num. 11. & 12.
Sapientia mundi qualis. lib. 1. cap. 7. num. 4.
Sceptrum Christi potentissimum. lib. 9. c. 8. num. 8.
Sensus humani diuinam naturam attingere nequeunt. lib. 4. cap. 3. num. 10.
Serpentis in deserto exaltati figura. lib. 8. cap. 15. per totum.
Seruorum Dei, & mundi discrimen. lib. 2. cap. 11. num. 8.
Spes. lib. 10. cap. 18. num. 6.
Superbia. lib. 6 cap. 3. num. 11. lib. 6. cap. 5. num. 7. lib. 8 cap. 3. num. 4. lib. 8. cap. 4. num. 2. 4. 5. & 6. & lib. 10. cap. 8. num. vlt.
Superbiæ comparatio cum vesicis turgentibus Ægypti. lib. 2. cap. 15. num. 2.
Superfluitas fugienda. lib. 2. cap. 15. num. 9. & lib. 3. cap. 22. num. 17.
Supplicia Dei. lib. 1. cap. 18. num. 1.
Suppliciorum Dei memoria. lib. 8. cap. 4. num. 8.
Synagoga Iudæorum ingrata. lib. 1. cap. 12. num. 5. & 6.
Synagoga thalamus lasus. lib. 4. cap. 13. num. 12.

T

TAbernaculi mensa quid designet. lib. 5. cap. 10. num. 6.
Tabernaculi candelabra quid. lib. 5. cap. 10. num. 7.
Temperantia ciborum. lib. 6. cap. 3. num. 9.
Templorum reuerentia. lib. 1. cap. 16. num. 7.
Templum Dei. lib. 5. cap. 9. per totum.
Tempus Christi, ex cantico Mosis. lib. 9. cap. 19. per totum.
Tentationis instantia opposita orationi. lib. 3. cap. 17. num. 1.
Tentatio duplex. lib. 3. cap. 17. num. 2.
Testamenti veteris vmbra. lib. 9. cap. 8. num. 6.
Theologia. lib. 4. cap. 3. num. 8.
Timor Dei. lib. 4. cap. 5. num. 3. & lib. 10. cap. 16. num. 3. & 4.
Torrentes Arnon, & puteus, & eorum præfiguratio. lib 8. cap. 16. num. 5. & seqq.
Transitus Christi. lib. 4. cap. 24. num. 1.
Tribulationes, & pœnæ hominum. lib. 1. cap. 7. num. 5. & 6.
Triumphus Christi. lib. 3. cap. 15. num. 1. & num. 5.

V

VErecundia. lib. 10. cap. 16. num. 11.
Veritas. lib. 9. cap. 8. num. 5. & lib. 10. cap. 15. num. 3.
Vexationis effectus. lib. 2. cap. 8. num. 6. & cap. 16. num. 5.
Victoria mundi, carnis, & diaboli. lib. 8. cap. 17. num. 11.
Vindicta Dei. lib. 8. cap. 8. num. 1.
Virga Mosis designat virgam Ecclesiæ, quæ dracones hæreticorum deuorat. lib. 2. cap. 7. num. 2.
Vir spiritualis. lib. 10. cap. 10. num. 2.
Veritatum progressus. lib. 3. cap. 8. num. 2. & lib. 10. cap 12. num. 1.
Visio Dei. lib. 4. cap. 23. num 1.
Vita cœnobitica. lib. 6. cap. 3. num. 10.
Vitæ nostræ instabilitas. lib. 10. cap. 2. num. 12.
Vituli contritio. lib 4. cap. 15. num. 5. & 6.
Vltio Dei. lib. 9. cap. 15. num. 10. & 11. & lib. 9. cap. 19. num. 2.
Vnctio Christi. lib. 5. cap. 14 num. 3.
Vocatio Dei. lib. 4 cap. 24. num. 1.
Voluptas. lib. 8 cap. 9. num. 6.

Z

ZElus Mosis. lib. 4 cap. 15. num. 3.
Zelus boni Pontificis. ibid.
Zelus orationis. ibid.
Zelus Dei. lib. 9. cap. 9. num. 4.
Zelus sacerdotum. lib. 10. cap. 10. num. 4.
Zelus animarum. lib. 10. cap. 13. num. 4. & lib. 10. cap. 16. num. 10.

FINIS.

INDEX

INDEX
RERVM NOTABILIVM
HVIVS OPERIS.

A

Aaron.

AARON occurrit fratri suo, veniunt ad populum, signa facit Moses. lib.1.cap.17.num.16.
Aaron virgam leuauit & percussit Nilum. lib.12.cap.6.num.2.
Aaron & Hur loco Mosis in castris manent. lib.4.cap.10.num.3.
Aaron inaures aureas petiuit ab Hebræis. lib.4. cap.12.num.8.
Aaron cur petiuit inaures aureas? lib.4.cap.12. num.9.
Aaron cur potius vitulum fecerit quàm aliud idolum. lib.4.cap.12.num.10.
Aaron timore perculsus fecit altare vitulo. lib.4. cap.12.num.15.
Aaron peccauit; peccauit etiam Petrus, sed in gratiam Dei mox redierunt, & Pontifices creati sunt. lib.4.cap.13.num.2.
Aaron excusatio. lib.4. cap. 16. num.2.
Aaron vnctus est Pontifex, & filij. lib.5. cap. 15. num.3.
Aaron tribus vnctionibus est consecratus, minores sacerdotes duabus. lib.5.cap. 15. num. 4.
Aaron vocatus à Deo ad sacerdotium. lib.5. cap.16. num.3.
Aaron filij duo occisi sunt à Deo. lib.5.cap.17. num.5.
Aaron & filij prohibentur deflere mortem occisorum. lib.5.cap.17.num.7.
Aaron duo filij cur vita priuati sint. lib.5.cap.17. num.8.
Aaron cur non punierit Deus. lib.7.cap.5.num.8.
Aaron & Moses se prosternunt ante Deum. lib.7. cap.9.num.4
Aaronis & Mosis ætas. lib.7.cap.10.num.3.
Aaron vestibus sacris indutus Deum precatus incendium extinxit. lib.8.cap.2.num.13.
Aaron sacerdos placat Dominum orans pro populo. lib.8.cap.5.num.1.
Aaron vestibus pontificiis indutus pro populo thymiama obtulit. lib.8. cap. 5.num.3.
Aaronis sacerdotium Deus confirmat miraculo virgæ florentis. lib.8.cap.6.num.2.
Aaronis virga adumbrat Christum. lib.8.cap.6. num.10.
Aaronis virga adumbrat virginem Deiparam. Ibid.
In Aaron & Mosem Dominus sententiam fert. lib.8. cap.7.num.7.
Aaron & Moses cur terram promissionis non intrarint? ibidem.
Aaron mortuus est in mõte Hor in deserto Mosera. lib.8.cap.10.num.5.
Aaronis filius summus sacerdos constitutus. lib.8. cap.10.num.6.
Aaron quo anno mortuus. Ibid.
Aaronis mors placida. lib.8.cap.11.num.6.
Aaron filio Eleazaro opes suas reliquit. lib.8.cap.11. num. 13.

Abarim.

Abarim mons ex quo Moses terram repromissionis vidit. lib.10.cap.17.num.3.

Abiron.

Abiron, & Dathan Moses vocat, superbeque respondent. lib.8.cap.2.num.4.
Abironis, & Dathani nuntio accepto quid dixerit Moses? lib.8.cap.3.num.5.
Abiron & Dathan terræ hiatu absorpti sunt. lib.8. cap.2.num.9.
Abiron, & Dathan an cum corporbus in infernum peruenerint? ibid.
Abiron & Dathan superba responsio. lib.8.cap.4. num.1.

Abominatio.

Abominationes Ægyptiorum quænam appellentur. lib.2.cap.10.num.5.
Abominationes seruorum mundi quenam sint. lib.2. cap.11.num.6.

Abraham.

Ab Abraham habuerunt originem Madianitæ. lib.9. cap.1. num.4.
Abrahæ Deus promisit terram promissionis. lib.10. cap.17.num.7.

Abrogare.

Abrogata sunt sacrificia veteris testamenti, permanet vnicum Christi sacrificium pro omnibus. lib.6. cap.3.num.4.

Absentia.

Absentia Pastoris perniciem affert ouibus. lib.4. cap.13.num.1.

Abstinentia.

Per abstinentiam, & patientiam ad verum gaudium peruenitur. lib.10.cap.16. num.9.

Academia.

Prima Academia orbis in Ægypto. lib.1.cap.1. num.9.

Achab.

Achab pœnitentia. lib.6. cap.9. num.6.

Actio gratiarum.

Actionis gratiarum ignis semper ardeat in cordis altari. lib.2.cap.23.num.3.
Actio gratiarum. lib.3.cap.18.num.6.
Actio gratiarum post mensam agni. lib.2.cap.24. num.10.
In Actionem gratiarum ædificauit Moses altare Domino. lib.3.cap.21.num.5.

Adeps.

An Adipe aliquorũ animalium vesci liceret Israelitis. lib.6.cap.6.n.4.

Adoratio.

Adoratio vituli mira insipientia. lib.4.cap.13.num.9.

Aduersitas.

Aduersitatibus non frangi magni animi est. lib.3. cap.12.num.2.
Aduersitas prodest hominibus. lib.9.cap.18.num.1.
Aduersitas cum prosperitate confertur. lib.9.cap.18. num.2.

Ædifico.

Ædificare domum alicui quid significet? lib.1.cap.8. num.6.

Ægrotus.

Ægrotus nullus Hebræus erat in Ægypto. lib.3. cap.3.num.3.

Ægyptius.

Ægyptij singulis annis metiuntur incrementa Nili. lib.1.cap.1.num.4.
Ab Ægyptiis colitur Apis bos. lib.1.cap.1.num.9.
Ægyptij cur detestentur pastoresi? lib.1.cap.4. num.6.
Ægyptiorum abominationes quæ dicantur? lib.2. cap 10.num.5.& cap.11.num.6.
Ægyptiorum cadauera mare in littus expulit. lib.3. cap.9.num.6.
Ægyptios mortuos Israelitæ spoliarunt. ibid.
Ægyptios terra quomodo deuorauerit. lib.3.cap.14. num.5.
Ægyptij multi Hebræos comitabantur. lib.7.cap.1. num.4.
Ægyptij & Hebræi cibos Ægypti desiderant. ibid.
Ægyptus occisus à Mose dicitur fuisse præfectus operum. lib.1.cap.13.num.6.

Ægyptus.

Ægyptus dicitur Misraim, & terra Cham. lib.1.cap.1. num.3.
Ægyptus sic dicta à Rege Ægypto. ibid.
Ægyptus olim Aëria dicebatur. ibid.
Ægyptus est ferax frumenti. ibid.
Ægyptus est terra campestris. ibid.
Ægyptus pluuiis caret. ibid.
Ægyptus ignorat hyemem. ibid.
Ægypti pluuia est Nilus. ibid.
Ægypti fertilitas pẽdet ex magna Nili inundatione. lib.1.cap.1.n.4.
Ægyptus est imago mundi. lib.1.cap.3.num.1.
Ægyptus Hebraicè Misraim significat tribulantem. ibid.
Ægypti Rex nouus quis dicatur. lib.1.cap.6.num.3.
Ægypti seruitus dicitur fornax ferrea. lib.1.cap.6. num.8.
Ægypti aqua conuertitur in sanguinem. lib.2.cap.6. num.2.
Ægyptus an fontes habeat? lib.2.cap.6.num.3.
Ægyptus ranis molestissimis completur. lib.2.cap.8. num.2.
In Ægypti terram misit Dominus grandinem, fulgura, ignem, & tonitrua. lib.2.cap.14.num.7.
Ægyptus, id est, mundus perfectè relinquendus est. lib.2.cap.19.num.6.
In Ægypto, & terra Chanaan quot annis manserint Israelitæ? lib.3.cap.1.num.7.
Ægyptum spoliarunt Apostoli. lib.3.cap.2.num.2.
Ex Ægypto cum lætitia eximus, & cum pauore. lib.3. cap.4.num.4.
Nos ex Ægypto fugientes hostes potentissimi persequuntur. ibid.
Arma militum ex AEgypto exeuntium spiritualia sunt. ibid.
Qui Ægyptum relinquunt non sunt obiiciendi validis hostibus. lib.3.cap.6.num.1.
AEgyptum relinquentibus fortitudo necessaria est. lib.3.cap.8.num.3.
AEgypti cibos desiderant Aegyptij, & Hebræi. lib.7. cap.1.n.4.
AEgypti cibos appetunt improbi, manna verò fastidiunt. lib.7.cap.4.num.3.

Ætas.

AEtas Mosis, & Aaronis. lib.7.c.10.num.3.

Æternitas, Æternum.

AEternitatis semina, sunt bona opera. lib.9.cap.19. nu.9.
AEternorum bonorum, & malorũ consideratio inflammat animum. lib.10.cap.16.num.7.
In AEternum, & vltra quid significet? lib.3.cap.14. num.8.

Æthiopissa.

AEthiopissa vxor Mosis quænam fuerit. lib.7.cap.5. num.4.

Affectus.

Affectuum munditia. lib.6.cap.3.num.7.
Affectibus, pedibus scilicet animæ, per cælum incedendum est. ibid.
Affectus pedes animi tingendi sunt oleo; & ferreis calceis muniendi. lib.10.cap.15.nu.7.

Afflictio.

Affligit nos Deus, sed amat. lib.1.cap.7.num.5.
Afflictionibus illustrantur probi viri. lib.1.cap.16. num.3.

Agag.

Rex Agag victus à Saule. lib.9.cap.4.num.4.

Agar.

Agar, id est lex vetus expulsa est ab Ecclesia. lib.4. cap.15.num.2.

Agnus.

Agnus decima die mensis Nisan domum adductus est, & 14.immolatus. lib.2.cap.22.num.6.
Agnus immaculatus masculus vnius anni. lib.2. cap.22.num.8.
Agnus anniculus perfectus offerebatur. ibid.
Agnus masculus cur dicatur. ibid.num.8.
An in Paschate hœdum, an agnum licuerit immolare. lib.2.cap.22.num.9.
Agni, & hœdi duas fuisse immolationes quidam volunt. ibidem n.10.
Agni immolatio fuit vna tantùm. ibidem.
Agni immolatio ad patrem-familias pertinebat. ibid. num.10.
Agni immolationis tempus. ibidem num.11.
An agnus fuerit immolatus priori vespera diei 14. an in posteriori? ibidem num.12.
Agnus assabatur, ibidem num.13.
Agnum comedentium habitus. num.16.
An agnum ederint Hebræi stantes. ibidem.
Agni sanguis signum erat in domibus, ne primogenita occiderentur. ibidem num.18.
Agnus Paschalis dicitur Pascha. lib.2.cap,22. num.19.
Agnus cum lactucis amaris comedebatur. ibidem num.21.

Agni carnes efferre è domo non licebat. lib.2.c.22. num.28.
Agni ossa frangere non licebat. ibidem num.29.
Agnus paschalis fuit typus Eucharistiæ. lib.2. c.23. num.2.
Agni paschalis conuiuis literalis ratio. ibid.
Agnus paschalis fuit Christi vmbra. lib.2. cap.24. num.1.
Agni sanguine domus aspersio. lib.2.cap.24.num.3.
Agnus cælestis quomodo manducandus sit, docent cæremoniæ paschalis agni. lib.2. cap.24. num.5.
Agnus crudus, vel aqua coctus. ibid.
Agnus totus manducatur, quia Deus, & homo est Christus. ibidem n.7.
Agnus cælestis magna auiditate manducandus. ibid.
Agnus cum panibus azymis, & bona conscientia manducandus. lib.2.cap.24.num.8.
Agnus festinanter editur. ibidem num.10.
Ad Agnum Dei comedendum opus est circuncisione peccatorum. ibidem num.11.
Agnus Dei comeditur in vna domo, id est, in vna Ecclesia. ibid.
Agnus Dei immolatur in commemorationem passionis. lib.2. cap.24. num.11.
Agnum Dei adumbrarunt antiqua sacrificia. lib.6. cap.3.n.1.
Solus Agnus Dei immolatus peccata mundi potuit tollere. ibidem num.2.

Alæ.

Alæ frangendæ, id est, elatio. lib.6. cap.3.num.11.

Alexander.

An Alexandro mare Pamphilicum apertum fuerit? lib.3.cap. 9. num.4.

Altare.

Altare extruitur. lib.4.cap.7.num.3.
Altare holocaustorum erat in atrio tabernaculi. lib. 5.cap.7. n.3.
Altare thymiamatis quid significet. lib.5. cap. 10. nu.5.
In Altari seruatus est ignis sacer à Deo missus. lib.5. c.17.num.4.
In Altari semper ardeat Dei amor, id est, in corde. lib.5.cap.18.nu.2.
Altare sacrificiorum erat sub dio. lib 6.c.2.n.9.
Altaris ministris vxorem ducere fas non est. lib.6. cap.5 num.11.
Altare sacrificia conseruabat. lib.6.cap.5.num.14.

Amalec.

Amalec fuit nepos Esau. lib.3.cap.21.n.2.
Amalec victus est pugnante Iosue, & orante Mose. ibidem n. 3.
Amalec primus pugnauit cum Israelitis. ibid.n.4.
Amalec Deus deperdidit. ibidem num.4.
Amalec libidinem significat. lib.3.cap.22.num.6.
Contra Amalec, id est, contra libidinem congregandus est exercitus, vt vincatur. lib.3.cap.22.n.7.
Contra Amalec qui milites congregandi sint. ibid. num.7.
Amalec omnino delendus est. ibid. num. 18.
Amalec populum tartareum significat. ibid.n.18.

Amelecitæ.

Dei iuramentum contra Amalecitas. lib.3.cap.21. num.6.
De Amalecitis vaticinatur Balaam. lib.9. c.4. n.10.

Amaritudo.

Amaritudo dulcis est præmittenda pœnitentiæ. lib.2. cap.24.n.8.

Ambitio.

Ambitio honorum. lib.6.cap.7.num.4.
Ambitio. lib.8.cap.3.num.3.
Ambitio non satiatur honoribus. lib.8.cap.3.num.8.

Ambrosius.

D.Ambrosij labor. lib.6.cap.7.num.4.
D.Ambrosij fortitudo resistit Imperatori. ibid.n.4.

Amenophis.

Amenophis Rex nouus Ægypti. lib.1. cap. 6. nu.3.
Amenophis cur Rex nouus dicatur? ibid. n.4.

Amicitia.

Amicitia improborum fugienda. lib.1.cap.5.num.1.
Amicitia improborum procella est. ibid.
Amicitia moribus similes amicos reddit. ibid.
Amicitia Dei, Doctori auctoritatem conciliat. lib.4. cap.3.n.5.

Amicus.

Amici improbi fugiendi sunt. lib.8.cap.4.num.3.
Amicos etiam punit Deus. lib.8.cap.8. num.1.
Amicorum etiam peccata Deus punit. lib.10.cap.19. num. 4.

Ammonitæ.

Cum Ammonitis Hebræos Deus pugnare prohibuit. lib.8.cap.17.num.4.

Amor.

Amor Christi. lib.2.cap.24.num.5.
Amor est ignis nouus noui testamenti. lib.5.cap.18. num.1.
Amor Dei in altari, id est, in corde semper ardeat. ibid. num. 2.
Vbi Amor, ibi oculus. lib.10.cap.16.num.7.

Amorrhæi.

Amorrhæos oppressit Dominus in torrentibus Arnon. lib.8. cap.16.num.3.
Amorrhæorum Rex Sehon. lib.8.cap.17. num.4.
Amorrhæi vicerunt Moabitas. lib.8. cap.17.num.7.

Amygdalus.

Amygdalus arbor prima floret. lib.8. cap.6.num.6.

Anathema.

Anathema quonam sensu esse voluerit Paulus. lib.4. cap.18.num.4.
Quid significet Anathema, & anathematizare. lib.8. cap.12.n.4.
Anathema tribus modis fieri poterat. lib.8. cap.12. num.5.
Anathema est religioso vita sæcularis. lib.8. cap.13. num.2.

Angelus.

An Angelus fuerit is qui Mosi apparuit in rubo? lib.1.cap.15.num.5.
Angelus quomodo apparuerit ad interficiendum Mosem? lib.1.cap.27.num.14.
Angeli mali qui dicantur? lib.2.cap.12.num.2.
Per Angelos immissæ sunt plagæ. lib.2. c.20.n.10.
An per bonos Angelos plagæ immissæ fuerint? lib.2. cap.20. n. 11.
Angelus ex nube contra Pharaonem pugnat. lib.3. cap.9.n.5.
Angeli custodes sunt alæ aquilarum. lib.4.c.3.n.2.
Per Angelum Deus decalogum magna voce protulit. lib.4. cap.4. num.3.
An per Angelos lex vetus promulgata sit? lib. 4. cap.4.n.4.
Angeli voce lata sunt decem præcepta. lib.4.cap.4. num.5.
Angelis multis comitatus venit in montem Deus in D.Michaele. lib.4. cap.4.num.6.
In Angelo Deus apparuit in humana figura. lib.4. cap.9.n.4.
Angeli faciem Dei desiderant, quia sine fastidio eam vident. lib.4.cap.23.num.5.

Angelus

Angelus cum Balaam locutus est. lib.9.cap.1.num.5.
Angelus stat ante asinam districto gladio. ibidem num.7.
Angeli concionatores sunt auditores. lib.9.cap.16. num.7.

Anima.

Anima cùm dormit mundo, tunc Deo vigilat. lib.1. cap.14.num.5.
Anima mortua est in corpore viuo peccatoris. lib.2. cap.15.num.8.
Anima in tenebris peccati est inanis, & vacua gratia Dei. lib.2.cap.19.nu.2.
Animæ sunt opima spolia. lib.3.cap.2.num.2.
Animarum zelus indicatur simila frixa. lib.6.cap.5. num.6.
Anima quæ caret deuotione, macilenta fit. lib.6. cap.7.num.10.
Animæ nostræ vita est sanguis Christi. ibid. num.11.
Animæ desiderium. lib.10.cap.16.num.7.
Animarum zelus est gratissimum sacrificium Deo. lib.10.cap.13.num.4.

Animal.

Animalia omnia an sacrificarentur Deo. lib.6.cap.1. num. 11.
Animal masculum, & immaculatum offerebatur in holocaustum. lib.6.cap.2.num.3.
Animalia mansueta iussit Deus sibi offerri. lib.6. cap.3.num.8.

Animus.

Animo voluenda sunt Dei beneficia, vt legem eius seruemus. lib.4.cap.3.num.1.
Animus eques est, corpus equus. lib.10.c.14.num.10.
Animi pedes affectus sunt, oleo tingendi, & ferreis calceis muniendi. lib.10.cap.15.nu.7.
Animum inflammat consideratio æternorum bonorum, & malorum. ibid.num.7.

Annus.

Duplex Annus Hebræorum, sacer, & prophanus. lib.2.c.22.num.5.
Quot Annis Israelitæ in terra Chanaan, & Ægypto manserint. lib.3.cap.1.num.7.
40. Annis comederunt manna Israelitæ. lib.3. cap. 18.num.17.
40. Annis vagi in deserto fuerunt Israelitæ, & 40. diebus explorata est terra. lib.7.cap.10.nu.2.
Anno 40. peruenerunt Israelitæ in Cades. lib.8. cap. 7.num.2.

Antichristus.

Antichristus coluber in via, cerastes, &c. lib.10. cap.6.num.8.

D. Antonius.

D.Antonij Lusitani eximij concionatoris lingua nõ est in sepulchro consumpta. lib. 9.cap. 16.nu.8.

Apes.

Apes operaria est mellis, sic vir bonus. lib.6.cap.5. num.12.

Apis.

Apis bos cultus ab Ægyptiis. lib.1.cap.1.num.4.

Apostoli.

Apostoli Ægyptum spoliauerunt. lib.3.cap.2.num.2.
Apostoli sunt columnæ. lib.3.cap.6.num.9.
Apostoli significantur 12. fontibus & 70. discipuli 70. palmis. lib.3.cap.17.num.5.
Apostolorum visio in monte Thabor confertur cum visione Mosis, & aliorum in monte Sinai. lib.4. cap.9.num.8.
Apostolos, & alios artifices Deus vocauit ad constituendum Ecclesiæ tabernaculum. lib.5.cap.3. num.6.

Apostoli idololatriam destruxere. lib.10. cap. 20. num.7.

Aqua.

Aqua in sanguinem conuersa quid indicet. lib.1.cap. 18.num.5.
Aqua Ægypti conuertitur in sanguinem. lib.2.cap.6. num.2.
An aqua in terra Gessen conuersa sit in sanguinem. ibid.num. 3.
Aqua maris rubri veluti murus sublata est. lib. 3. cap. 9.num 4.
Aquæ maris rubri vmbra fuere aquarum baptismi. lib.3.cap.12.num.11.
Aquæ amaræ ligno dulces fiunt. lib. 3.cap.16.num.2.
An Aquæ vi naturali ligni dulces factæ sint? lib. 3. cap.16.num.3.
Aqua bis ex petra effluxit. lib.3.cap.20.num.5.
An Aqua data sit post manna. ibid.num.6.
Aqua expiationis fiebat ex cineribus vaccæ rufæ. lib.6.cap.8.num.10.
Aqua expiationis indicat Christi merita. lib.6.cap.9. num.15.
Propter Aquam seditio. lib.8.cap.7.num.4.
Aqua bis ex petra fluxit. ibid.num.5.
Aqua ex petra mirabiliter educitur. ibid.num.6.
An Aquæ penuriam habuerint Israelitæ? lib.8.cap.7. num.12.
Apud Aquas inuenit Moses vitam, & mortem. lib.8. cap.8.num.1.
Aqua Christi suauissima Iudæis facta est aqua contradictionis, & gentibus. lib.8.cap.8.num.4.

Aquila.

De Aquila Plinius. lib.1.cap.18.num.6.
Vt Aquila nos prouocat Deus ad deferendum mundum. lib.3.cap.6.num.2.
Super Aquilarum alas portauit Deus Israelitas in deserto. lib.9.cap.14.nu.21.
An Aquila portet pullos suos super alas? ibid.nu.22.
Quasi Aquila Christus prouocat ad volandum. lib.9. cap.17.num. 11.
Aquilarum alæ, vide *Auxilia Dei.*

Arabes.

Arabes etiam nobiles pascunt greges. lib.1.cap.13. num.9.
An in Arabicum littus transierint Israelitæ? lib. 3. cap.11.num.2.

Arad, Aradij.

Arad Rex vicit Hebræos. lib.8.cap.12.num.2.
Aradij qui dicantur. ibid.num.2.

Arbores setim.

De Arboribus setim. lib.5.cap.1.num.5.

Arca.

Arca, propitiatorium, candelabrum, altare thymiamatis, mensa. lib.5.cap.6.num 4.
Arca Christum adumbrat. lib.5.cap.10.num.4.
Arca Domini præcessit Israelitas. lib.6.ca.11. num.4.
An Arca toto itinere præcesserit populum. lib.6. cap.11.num.5.

Arena.

Arena Christianos flagitiosos adumbrat. lib.1.cap.5. num.9.

Arma, Armatus.

Arma militum exeuntium ex Ægypto spiritualia. lib.3.cap.4.num.5.
Arma spiritualia ex Paulo. ibid.num.5.
Armatos oportet nos ascendere ex Ægypto, id est, ex mundo. lib.3.cap.4.num.5.
Arma aduersus gigantes sumenda. lib.7.cap.8. nu.8.

Armus.

Armus separationis erat sacerdotis. lib.6.cap.7. num.8.

Arnon.

Arnon torrens,& ciuitas. lib.8. cap.16. num.2.
In torrentibus Arnon oppressit Dominus Amorrhæos. lib 8.cap.16.num.3.
Miraculum factum in torrentibus Arnon.ibid.nu.3.

Aromata.

Aromata ex quibus componebatur oleum. lib. 5. cap.13.num.3.

Artifex.

Artifices tabernaculi Deus sapientia donauit. lib.5. cap.3.num.3.
Artifices tabernaculi plures fuerunt. lib. 5. cap. 3. num.4.
Artifices fuerunt fideles. ibid. num. 5.
Artifices Deus vocauit Apostolos, & alios ad constituendum Ecclesiæ tabernaculum. ibid.num. 6.
Artifices tabernaculi,id est, Ecclesiæ impleuit Deus sapientia. eodem num.6.
Artifex præcipuus,& tabernaculi princeps D.Petrus. eodem num.6.
Artifices tabernaculi diuino amore & deuotione ducantur. lib.5.cap.3.num.8.
Artifices sint fideles,nihil suffurentur. ibid.num.9.

Aser.

Aser benedictio à Mose dicta. lib.10.cap.7.num.5.
Aser benedictio data à Iacob. ibid.num.8.
Aser typus viri religiosi. lib.10.cap.15.num.5.
Aser quid significet? lib.10.cap.16.num.8.
Aser mundi pressuram patitur. eodem num.8.

Asina Balaam.

Asina Balaam loquitur. lib.9.cap.1.num.7.
Asina an sit mortua postquã locuta est? ibid.nu.12.
Asina Balaam Brutum vitæ propositum significat. lib.9.cap.7.num.8.

Asperſio.

Aspersio domus sanguine agni. lib.2.cap.24.num.3.
Aspersio sanguinis in fœdere. lib 4.cap.7.num.5.

Assyrij.

Assyrios & Babylonios Deus puniuit. lib.9.cap.15. num.14.
Assyriorum supplicium. ibid.num.15.

Atrium.

Atrij longitudo 100.cubitorum, latitudo 50. lib. 5. cap.7.num.3.
Atrium circundabant cortinæ appensæ ex columnis. ibid.
In Atrio erat labrum æneum. ibid.num.5.
Atrium tabernaculi an aliis præter Leuitas ingredi liceret? lib.5.cap.7.num.7.

Auaritia.

Auaritia & libido sunt duæ sangui sugæ. lib. 1. cap.5. num.2.
Auaritia,& Venus ex Republica pellatur. lib.3. cap.24.num.7.
Auaritia Balaam. lib.9.cap.7.num.5.
Auaritia similis est vncino. ibid.num.6.
Auaritia similis oculo. ibid. num.7.

Auarus.

Auarus & adulter locustis comparantur. lib. 2. cap. 17.num.3.
Auarorum diuitiæ computrescunt. lib. 3. cap.19. num.11.
Auarus est lupus rapax. lib.10.cap.11.num.6.

Aucupium.

Aucupium concupiscentiæ sequuntur sepulchra concupiscentiæ. lib.7.cap.4.nu.9.

Auditor.

Auditorum est auidè concionem expectare. lib.9. cap.16.num.5.
Auditores irrigati pluuia concionis ferant fructum. eodem num.5.
Auditor concionatoris est Deus, sunt angeli, & homines. ibid.num.7.

Aues.

Auibus volantibus similes sunt viri spirituales. lib. 6. cap.3.num.10.

Auguria.

Auguria captauit Balaam. lib.9.cap.2 num.5.
Augusti Cæsaris εὐδαιμονία. lib.8.cap.11.nu.7.

Aurum.

Aurum,id est,probi aliquando in lutum conuertitur. lib.2.cap.2.num.9.

Auctoritas.

Auctoritatem Doctoris conciliat Dei amicitia, & familiaritas. lib.4.cap.3.num.5.

Auxilium.

Auxilia sufficientia Deus omnibus præbet. lib.2. cap.1.num.4.& cap.5 num.10.
Nisi auxilium diuinum fulgeat in tenebris peccati, non mouentur peccatores de loco suo. lib.2.cap. 19.num.4.
Auxilium Dei pro hominibus perpetuum est. lib. 3. cap.22.num.18.
Auxilia Dei sunt alæ aquilarum. lib.4.cap.3.num.2.
Auxilio suo nos Deus præuenit. lib.4.cap.23.num.8.
Auxilium Dei frequenter postulandum.lib.6.cap.12. num.8.
Auxilium Dei summoperè est necessarium. lib. 7. cap.12.num.3.
Auxilio Dei terram promissam possederunt Israelitæ, eodem auxilio nos cæleste promissionis regnum comparamus. lib.7.cap.12.nu.3.
Auxilio Dei ne propter peccata priuemur cauendum est. lib.7.cap.12.num.4.
Auxilium Dei in bello. lib.9.cap.15.num.6.&.7.
Auxilium Dei necessarium. lib.9.cap.17.num.11.

Azymus.

Azymi panes cum agno comedebantur.lib.2.cap.22. num.21.
Azymis vescebantur Hebræi per dies septem. ibid. num.22.
7.Azymorum dies dicebantur Pascha.ibid.num.23.
Azymorum primus, & postremus dies festi erant. eodem num.23.
Azymis cur Hebræis Deus vesci iusserit. lib. 2. cap.22.num.24.
Azymus panis dicitur panis afflictionis. eodem num.24.
Cur Azymis panibus, & bona conscientia manducandus agnus. lib.2.cap.24.num.8.

B

Babylon,Babylonius.

BAbylon euersa. lib.9.cap.15.num.15.
Babylonis onus,& subuersio. eodem num. 15.
Babylonios,& Assyrios puniuit Deus. lib.9. cap.15. num.14.

Bala.

Bala significat imaginationem. lib. 10. cap. 16. num.2.

Balaam.

Balaam vocauit Balac Rex vt malediceret Hebræis. lib.9.cap.1.num.2.
Balaam magus. ibid.num.3.
Balaam venit ex Mesopotamia. eodem num.3.
Cùm indutam negauit esse matrem suam, & agnouit eam vili amictam indumenta. lib.1.cap.5.n.6.

Beneficium.

Beneficia etiam malis Deus confert propter bonos. lib. 1.cap.6.num.5.
Beneficium agni, id est, Christi pro nobis immolati semper in memoria habendum est.lib. 2.c.23. num. 4.
Beneficia Dei in memoriam reuocanda sunt. lib. 3. cap.17.num.6.& cap. 18.num. 16. & cap.19.num. 14.& lib.9.cap.14.num.10.
Pro Beneficiis Deo sunt agendæ gratiæ. lib.3.cap.22. num.17.
Beneficia Dei animo voluenda vt legem eius seruemus. lib.4.cap.3.num.1.
Beneficium Dei est supplicium sumere. lib.5.cap.18. num.6.
Beneficia Dei perpetuæ memoriæ sunt mandanda. iib.6.cap.5.num.9.
Pro Beneficio hostia pacifica offerebatur. lib.6.c.6. num.2.
Post Beneficium adeptum agendæ gratiæ. lib.6.c.7 num.2.
Beneficia iis danda qui onera eorum portant. lib.6. cap.10.num.7.
Beneficia Dei collata in Israelitas.lib.9.c.14.num.9.
Pro Beneficiis quibus afficimur non reddamus Deo peccata. ibid.num.10.
Beneficium electionis Israel. ibid num.11.
Beneficiorum Dei memoria pugnandum est contra tentationes. lib.9.cap 17.num.5.
Beneficia Dei mare magnum. ibid. num.6.
Beneficiis vincendæ iniuriæ. lib.9.cap. 19.num.4.

Beniamin.

In Beniamin sorte fuit templum, & Ierusalem.lib. 10.cap.4.num.2.
Beniamin Benedictio à Mose data. ibid.num. 3.
Beniamin cur dicatur lupus rapax. ibid.num.3.

Benignitas.

Benignitatem cum seueritate coniungat sacerdos. lib.6.cap.7.num.5.

Bibliotheca.

Bibliotheca Christi. lib.6.cap.7.nu.7.

Bona.

Bona caduca putant homines esse perpetua. lib.4. cap.23.num.7.
Bona caduca omnia breui tempore apparent. ibid.
Bona omnia Deo habemus. ibid.num.8.
Bona caduca & temporalia pomis similia sunt.lib.9. cap.7.num.6.
Bona temporalia Deus dat vt eius seruemus mandata. lib.9.cap.14.num.23.
Bona opera signum sunt prædestinationis. lib.9. cap.17.num.7.
Bona,& mala huius vitæ breuia sunt.lib. 9. cap. 18. num.12.
Bona opera semina sunt æternitatis.lib.9.c.19.nu.9.
Bonis operibus retinetur volans tempus ibid.nu. 9.
Bonorum,& malorum æternorum consideratio animum inflammat. lib.10.cap.16.nu.7.
De Bonis futuris æternæ gloriæ. eodem nu.7.
Bona opera sequuntur nos in morte,& peccata, non voluptates. lib.10.cap.19.num.7.

Boni.

Propter Bonos Deus etiam malis beneficia confert. lib.1.cap.6.num.5.

Byssus.

Byssus quid significet,& hyacinthus. lib.5.cap.9. num.11.

Cum Balaam locutus est angelus. ibid.num.5.
Balaam profectus est ad Balaac. ibid.num.6.
Balaam peruersa via. eodem num. 6.
Balaam præceptum propositum est vt nihil aliud loqueretur, quàm illud quod Deus poneret in ore eius. lib.9.cap.1.num.8.
Balaam an fuerit verus Propheta? ibid.num.9.
Balaam an fuerit Eliu. ibid.num.10.
Balaam cùm asinam loquentem audiuit cur non fuit territus? ibid.num.11.
An Balaam videret totum populum ex monte Baal. lib.9.cap.2.num.2.
Balaam sacrificium. ibid.num.4.
Balaam captauit auguria. ibid.num.5.
Balaam maledictionem Deus in benedictionem conuertit. ibid.num.6.
An Balaam concurrerit ad benedicendum? eodem num.6.
Balaam benedictio. ibid.num. 7.& cap.3.num. 4.& cap.4.num.1.& 2.
Balaam constans est in proposito parendi Deo.lib.9. cap.4.num.5.
Balaam vaticinatur de Christo venturo. ibid.num.6.
Balaam vaticinium de stella magorum. lib.9.cap.4. num.7.
Balaam quale consilium dederit Regi Balac? lib.9. cap.5.num.2.
Balaam occisus est. lib.9.cap.6.num.5.
An Balaam intellexerit vaticinia quæ protulit?lib.9. cap.8.num.1.

Balac.

Balac Rex vocauit Balaam vt malediceret Hebræis. lib.9.cap.1.num.2.

Baptismus.

Per Baptismum & pœnitentiam omnia peccata Christi sanguine submerguntur. lib. 3.cap. 12.num.10.
Baptismi vmbra fuere aquæ maris rubri. ibid. nu.11.
Post Baptismum multa restant Christianis certamina.lib.3.cap.22.n.5.
Baptizatus præparet se ad bellum. lib.3.cap.22.n.6.
Baptismi & pœnitentiæ lauacrum. lib.5.cap.11. num.2.
Baptismi typus Iordanis.lib. 10.cap.20.num.3.

Basan.

Rex Basan Og regno spoliatus. lib.8.cap.17.n.9.
Terra Basan pinguis erat abundans pascuis. lib.9. cap.14.num.24.

Beelphegor.

Idolum Beelphegor. lib.9.cap.5.num.3.

Bellum.

Belli tempore precibus,& gladijs decertandum.lib.3. cap.22.num.8.
Bellum diaboli contra homines perpetuum est,perpetuum quoque auxilium Dei pro hominibus. lib.3.cap.22.num.18.
Liber Bellorum Domini periit, liber verò pacis, id est,Euangelium nunquam peribit. lib.7.cap.16. num.3.
In Bello Dei auxilium. lib.9.cap.15.num.6.& 7.

Benedictio.

In benedictionem conuertit Deus maledictionem Balaam. lib.9.cap.2.num.6.
Benedictio Balaam. lib.9.cap.2.num.6.& cap.3. num.4.& cap.4.num.1.& 2.
Benedictio Dei datur seruantibus mandata. lib. 9. cap.7.num.3.
Benedictio populi Christiani.lib.10.cap.15.num.10.

Benedictus.

Benedictus XI. Papa matrem bombicinis vestibus

C

Cacodæmon.

CAcodæmones, gigantes, & monstra. lib.7.cap.8. num.8.

Cadas.

Cadas quid significet. lib.7.cap.3.num.3.

Cades.

Ex Cadesbarne missi sunt exploratores. lib.7.cap.6. num.1.
An in Cadesbarne bis Israelitæ venerint? ibidem num.3.
In mansione Cadesbarne manserunt Israelitæ longo tempore. ibid.num.5.
Cadesbarne dicitur Cades. eodem num.5.
Mittuntur exploratores ex Cadesbarne. lib.7.cap.7. num.3.
Ex Cadesbarne quónam tempore Israelitæ mouerint castra. lib.8.cap.1.num.2.
In Cadesbarne mansione an Israelitæ 38.annis manserint? ibid.num.3.
In Cades peruenerunt Israelitæ anno 40. lib.8. cap. 7.num.2.

Cadauer.

Cadauera Ægyptiorum mare in littus expulit. lib.3. cap.9.num.6.

Caducus.

Caducæ res spernendæ quæ non sunt, & diligendus Deus qui est. lib.1.cap.16.num.10.
Caducæ res fundamento carent. ibid.num.11.
Caduca bona homines perpetua esse putant. lib.4. cap.23.num.7.
Caduca bona omnia breui tempore apparent. eodem num.7.
Caducas, & vanas esse res nouissima indicant. lib.9. cap.18.num.10.
Caduca qui diligit, somnum videt. eodem num.10.
Caduca omnia sunt flos fœni. lib.9.cap.19.num.7.
Caduca omnia euanescunt breui tempore. eodem num.7.

Cælestis.

Cælestis patriæ tria flumina. lib.1.cap.3.num.6.
Cælestis dulcedo deficit, si terrenis frugibus oblectemur. lib.3.cap.19.num.15.
Cælestis gloria conuiuio adumbrata. lib.4.cap.9. num.8.
In cælesti patria completur hominis desiderium & quiescit. lib.4.cap.23.num.6.
Cælestis patria exploranda est. lib.7.c.8.num.1. & 5.
Cælestis patria est maximè desiderabilis. lib.7.cap.11. num.2.
A Cælesti patria corde aberrant homines. lib.7. cap.11.num.3.
Ad Cælestis patriæ requiem festinandum est. eodem num.3.
Cæleste regnum Dei auxilio comparamus. lib.7. cap.12.num.3.
Pro cælesti patria pugnandum est. lib.8.cap.17. num.11.& lib.10.cap.20.num.12.
Cælestis gloriæ bona. lib.10.cap.20.num.12.

Cælum.

Cælum impiorum est Nilus mundi. lib.1.c.3.num.4.
In Cælum multæ viæ sunt in mari. lib.3.cap.12. num.12.
Ex Cælo pendet noster victus, in cælum leuemus oculos. lib.3.cap.19.num.6.
In Cælo Cherubini sunt propitiatorium, & arca Dei. lib.5.cap.10.num.1.
In Cælum promissum iter facientibus superanda sunt omnia quæ obstant. lib.10.cap.8.num.6.
Cælum currus Dei. lib.10.cap.7.num.6.
Cæli clauis sanguis Christi. lib.10.cap.19.num.3.
In Cælum promissum non potuit Moses introducere populum, potuit Christus. eodem num.3.
In Cælum properemus. lib.10.cap.19.num.11.

Caietanus.

Caietani opinio de submersione infantium. lib.1. cap.8.num.9.

Calceus.

Calceos exuit Moses, & caput texit reuerentiæ causa. lib.1.cap.15.num.5.

Calceamenta.

Calceamenta Israelitarum non sunt attrita in deserto. lib.9 cap.14.num.20.

Caleb.

Caleb populi tumultum conatur compescere, obsistunt alij. lib.7.cap.7.num.12.
Caleb, & Iosue voluit populus lapidare. lib.7. cap.9. num.5.
Caleb, & Iosue exploratores terram repromissionis ingressi sunt. lib.7.cap.9.num.12.

Caligo.

Caligo palpabilis plaga Ægypti. lib.2.cap.18.num.2.
In Caligine cur Dominus ad Mosem venerit. lib.4. cap.3.num.5.
In Caligine nubis loquitur Dominus in hac vita. lib.4.cap.3.num.10.
In Caligine loquitur Deus cum Mose. lib.4.cap.10. num.6.
Caligo Deum indicat inuisibilem esse, & incomprehensibilem. eodem num.8.
In Caligine cum Deo ille loquitur, qui caducarum rerum oblitus soli attendit Deo. lib.4.cap.11.n.4.
Per Caliginem videtur Deus in Ecclesia, id est, per fidem non euidentem. ibid.num.5.
Caligo intellectus. lib.9.cap.18.num.7.

Candelabrum.

Candelabrum. lib.5.cap.6.num.4.

Canticum.

Cantici Mosis præcellentiæ. lib.3.cap.13.num.2.
Canticum quonam modo tot viri, & fæminæ didicerint, & cecinerint. ibid. num. 3.
An Canticum Mosis sit carmen? ibid.num.4.
An Canticum Mosis fuerit primum? lib.3. cap. 13. num.6.
Canticum victoriæ. lib.8.cap.17.num.7.

Cantus.

Cantu victorias fęminæ celebrabant. lib.3.cap.14. num.1.

Captiuitas.

In Captiuitate Assyriorum & Babyloniorum puniuit Deus idololatriam Israelitarum. lib.9.cap.15. num.12.
Captiuitas extrema per Romanos. eodem num.12.

Carectum.

Carectum quid sit. lib.1.cap.10.num.4.

Caritas.

Caritas aliarum virtutum perfectio est. lib.3.cap.4. num.5.
Caritas Mosis erga oues. lib.4.cap.19.num.4.
Caritas ignis Dei. lib.5.cap.18.num.2.
Caritatis ignis sit in corde perpetuus. ibid.num.4.
Caritas, & concordia seruanda. lib.6.cap.3.num.10.
Caritas purificat intentionem, & fortis est. lib.6. cap.7.num.6.
Charitas, & vnitas militum requiritur. lib.6.cap.12. num.2.
Caritate plenum Mosis pectus. lib.7.cap.1.num.11.
Caritas non æmulatur. lib.7.cap.2.num.7.

Caro, Carnalis.

Carnes agni ex domo offerre non licebat. lib.2. cap.22.num.28.
Carnalis sapientia innocentes opprimit. lib.1.cap.7. num.3.
Carnalia desideria per sanguinem prohibentur. lib. 6.cap.7.num.16.
Caro mortificanda est. lib.4.cap.17.nu.4.
De Carnis mortificatione. lib.4. cap.24.nu.6.
Carni imponendæ sunt manus. lib.6.cap.3.num.6.
Carnes hostiæ pacificæ in templo comedebantur, & coquebantur. lib.6.cap.6.num.3.
Carnes sacrificiorum pro peccato sacerdotalis iuris erant. lib.8.cap.8.num.8.
Carnis, mundi, & diaboli regna vincere oportet. lib.8.cap.17.num.12.
Caro doloribus affecta hominem à via peruersa reuocat. lib.9.cap.7.num.9.
Carnis illecebræ fugiendæ. lib.9.cap.9.num.2.

Castitas.

De Castitate. lib.5.cap.16.num.5.
Castitas & puritas magna requiritur in ministris sacerdotum. lib.5.cap.19.num.3.
Castitatis pulchritudo. lib.10.cap.15.num.5.

Castra.

Castra & milites Dei fuerunt parua animalcula. lib. 2.cap.17.num.1.
Extra Castra comburebantur sacrificia, Christus extra castra passus est. lib.6.cap.9.num.2.
De Castrorum metatione. lib.6.cap.10.num.10.
Castra Ecclesiæ mirabilia sunt. lib.6.cap.12.num.4.
Castra Israelitarum. lib.9.cap.4.num.3.
Castra metabantur Israelitæ in circuitu tabernaculi lib. 9. cap. 14. num. 20. & suprà lib.6. cap. 10. num.10.

Cedrus.

Cedrus, coccus, & hyssopus in flammam vaccæ immissæ quid significent. lib.6. ca.9.num.15.

Ceraste.

De Ceraste. lib.10.cap.6.num.7.
Cerasti similis diabolus? eodem num.7.

Ceruus.

Ceruí cum serpentibus pugnant. lib.10.cap.15. num.1.
Ceruos mites non leones crudeles mittit Deus. ibid. num.2.

Christiani.

Christianis dedit Deus medullam terræ, hoc est, regiones quæ medulla terræ sunt, & medullæ cæli. lib.1.cap.5.num.5.
Christianorum status, est status puritatis, & sinceritatis. lib.2.cap.23.num.7.
Christiana sapientia similis est fructui, externa similis est foliis. lib.3.cap.2.num.4.
Christianos plantauit Deus in loco sublimi. lib.3. cap.15.num.8.
Christianis post baptismum multa restant certamina. lib.3.cap.22.num.5.
Christiani improbi etiam habent velum. lib.4.ca.26. num.8.
Christianus est tabernaculum Dei quod per pœnitentiam erigitur. lib.5.cap.14.num.2.
Christiani sunt vncti. lib.5.cap.14.num.4.
Christiano myrrha, seu mortificatio curæ sit. eodem num.4.
Christianus populus est populus appropinquans Deo. lib.5.cap.18.num.6.
Christianorum vexilla, sunt 4. Euangelia. lib. 6. cap.10.num.12.
Christianus populus sequitur vexillum Christi, & summi Pontificis. eodem num.12.
An multi Christiani terram sibi promissam ingrediantur? lib.7.cap.11.num.6.
Pauci Christiani, & multi terram promissam ingrediuntur. ibid.num.7.
Christianus populus ingreditur terram cælestem promissam. lib.9.cap.11.num.1.
Christiani populi benedictio. lib.10.cap.15.num.10.

Christus.

De Christo vaticinatur Balaam. lib.9.cap.4.num.6.

Christi vmbræ.

Christi vmbra fuit agnus paschalis. lib.2.cap.24. num.1.
Christi typus & vmbra fuit petra. lib.3.cap.22.num. 2.& lib.8.cap.8.num.5.
Christi corpus tabernaculo significatur. lib.5.cap.14. num.1.
Christus pane adumbratus est. lib.6.cap.5.num.3.
Christum adumbrarunt sacrificia pro peccato. lib.6. cap.9.num.2.
Christi vmbra fuit vacca rufa. lib.6.cap.9.num.14.
Christum botrus adumbrat. lib.7. cap.8.num.11.

Christi incarnatio.

Christi incarnatio indicatur. lib.4.cap.6.num.3.

Christi diuinitas.

Christus Deus, & saluator. lib.3.cap.15.num.4.

Christi conceptio.

Christus in ipso instanti conceptionis vnctus est, & gloria diuinitatis repletus. lib.5.cap.14.num.6.

Christi natiuitas.

Quia Christus ex Iudæis erat nasciturus, data est illis lex vetus. lib.4.cap.5.num.2.

Christi sanguis.

Christi sanguis quomodo ponatur in ostio domus. lib.2.cap.24.num.4.
Christi sanguine omnia submerguntur peccata, per baptismum, & pœnitentiam. lib.3.cap.12.num.10.
Christi sanguis conscientiam emundat. lib.4.cap.8. num.3.
Christi sanguis adumbratur sacrificiorum sanguine. lib.6.cap.7.num.11.
In Christi sanguine posita est vita animæ nostrę. ibid. num.11.
Christi sanguine expiantur peccata. ibidem nu.12.
Christi sanguis est infiniti pretij. lib.6.cap.7. num.12.
Christi sanguinis hyssopo aspergi petit Dauid Psal. 50. lib.6.cap.7.num.13.
Christi sanguis semper in altari pro nobis clamat melius quàm Abel. eod.num.13.
Christus fontes sanguinis sui in Ecclesia reliquit. lib.6.cap.7.num.14.
Christus est propitiatorium per sanguinem. ibid. num.15.
Christi sanguinis diluuium. lib.9.cap.17.num.2.
Christi sanguis fons. ibid.num.2.
Christi sanguis clauis cęli. lib.10.cap.16.num.3.

Christi passio.

Christus agnus occisus ab origine mundi in vmbris, & figuris. lib.6.cap.3.num.1.
Christi passio prædicitur. lib.10.cap.11.num.5.
Christi passio semper in memoria habenda est. lib.3. cap.6.num.3.
Christum cum amaritudine supplicij, quo affecti sunt, Iudæi occiderunt. lib.2.cap.24.num.3.

Christus immolatus.

Christi pro nobis immolati beneficium semper in memoria habendum est. lib.2.cap.23.num.4.

Christus vt agnus Paschalis immolatus est in mense Nisan in plenilunio. lib. 2.cap.24.num.2.
Christus agnus 14.luna est immolatus incruentè, & die sequenti cruentè. ibid.num.2.
Christus in cruce, velut agnus immolatus fuit holocaustum. lib.6.cap.3.num.3.

Christus hostia.

Christus hostia fuit pacifica. lib.6.cap.7.num.2.
Christus hostiam se obtulit pro peccato. lib.6.cap.9. num.1.
Christus fuit hostia innocentissima. ibid.num.3.
Christus fuit hostia pro peccato,& pro gratia, & pro gloria. lib.6.cap.9.num.5.

Christus Propheta.

Christus propheta quomodo similis Mosi. lib.4. cap.6.num.3.
Christus summus Propheta audiendus est. ibid. num.5.

Christus sacerdos.

Christus summus sacerdos non obtulit pro se hostiam pro peccato. lib.6.cap.9.num.3.
Christi sacerdotium secundùm Melchisedech est æternum. lib.8.cap.11.num.2.

Christi sacrificium.

Christi sacrificium vsque ad iudicium permanebit. lib.6.cap.3.num.4.
Christi sacrificium pro peccato abstulit omnia peccata. lib.6.cap.9.num. 4.
Christi sacrificium omnium temporum peccata sufficienter deleuit. ibid.num.4.

Christus Rex.

Christus Rex omnia suorum merita magno afficit honore,& gloria. lib.1.cap.7.num.3.
Christus noster agnus decima die mensis venit in Ierusalem ramis honoratus. lib.2. cap.24.num.2.
Christus triumphum egit gloriosum. lib. 3. cap.15. num.1.
Christus maximè glorificabitur in die iudicij.eodem num.1.
Christus quasi vir pugnator diabolum vicit. lib. 3. cap.15.num.5.
Christi victoriam canit Moses. eod.num.5.
Christo nullus similis fuit, qui homines posset redimere victo Pharaone,id est,dæmone.lib.3.cap. 15. num.6.
Christus vicit dæmones, homines velut prædam, & spolia accepit. lib.9.cap.8.num.10.
Christus Rex regum impios disperdet.ibid.num.10.

Christi ascensio.

Christi transitus è terra in cælum & Euangelij prædicatio. lib.4.cap.24.num.1.

Christi fortitudo.

Christus nostra est fortitudo. lib. 3.cap.15.num.2.
Christi fortitudo in infirmitate perficitur. ibidem num.2.

Christi potentia.

Christus ex Iacob ortus toto terrarum orbi dominatur. lib.9.cap.4.num.9.
Christus potuit populum in cælum promissum introducere,Moses non potuit. lib.10.cap.19.num.3.

Christi sceptrum.

Christi sceptri potentia. lib.9.cap.4.num.8.
Christi sceptrum potentissimum. lib.9.cap.8.num.8.

Christus dux.

Christus est columna. lib.3.cap.6.num.9.
Christus duxit populum Christianum in Dei penetralia. lib.4.cap.3.num.11.

Christi vexillum.

Christi, & summi Pontificis vexillum sequitur populus Christianus. lib.6.cap.10.num.12.

Christus stella.

Christus stella. lib.9.cap.4.num.6.

Christus serpens.

Christus serpens potentissimus.lib.8.cap.15.num.4.

Christus exemplar.

Christus est exemplar nostrum,inspiciamus,& faciamus. lib.5.cap.12.num.5.
Christus aspiciendus est vt vincatur tædium itineris. lib.8.cap.15.num.7.

Christus Aquila.

Christus quasi Aquila prouocat ad volandum. lib.9. cap.17.num.11.

Christi pulchritudo.

Christi triplex pulchritudo. lib.1.cap.12.num.6.
Christi pulchritudo corda rapit. ibid.num.7.
Christi pulchritudo semper intuenda. ibid.

Christi dentes.

Christi dentes sunt doctores. lib.10.cap.3.num.4.

Christi desiderium.

Christi desiderium. lib.1.cap.17.num.11.
Christi desiderio affligebatur Moses vehementer. lib.1.cap.17.num.12.

Christus cibus.

Christus qui Deus, & homo est,totus manducatur. lib.2.cap.24.num.7.
Christum eundem accipimus in Eucharistia sub magna, & sub parua quantitate specierum. lib.3. cap.19.num.10.

Christi mel.

Christi mel sunt bona opera,& sermones.lib.6.cap.5. num.12.
De Christo mel sugimus. lib.9.cap.17.num.13.

Christi aqua.

Christi aqua suauissima, Iudæis facta est aqua contradictionis,& gentibus. lib.8.cap.8.num.4.

Christus sol.

Christum solem fugiunt Hebræi, legis vmbram tenent. lib.4.cap.5.num.2.
Christum repudiauit inops synagoga,Regis filia suscepit Ecclesia. lib.1.cap.12.num.8.

Christi lex.

Christi lex sequenda est. lib.3.cap.6.num.7.
Christi lex ignea. lib. 4.cap.5.num.5.
Christi lex lux est, prudentes facit homines. eodem num.5.
Christi lex ignea quia est caritas.lib.10.cap.8.num.3.
Christi lex est hæreditas nostra. ibid.num.5.

Christi vnctio.

Christi vnctio superauit omnes vnctiones. lib.5.cap. 14.num.3.

Christi bibliotheca.

Christi bibliotheca. lib.6.cap.7.num.7.

Alia de Christo.

Christus est fons gratiæ. lib.8.cap.8.num.3.
Christus Seraph,id est.ignitus in cruce. lib.8. cap.15. num.5.
Christus attulit terræ vernum tempus. lib.5. cap.14. num.1.
Christo agendæ gratiæ. lib.3.cap.15.num.3.
Christi laudem celebrant Hebræi. eod.num.3.
Christus in iudicio blandus iustis, terribilis impiis apparebit. lib.3.cap.6.num.9.

Cibus.

An Cibum sumpserint in monte Moses, & Iosue? lib.4.cap.10.num.5.
Cibum non sumpsit Moses 40.diebus. lib.4.cap.10. num.5.

An Cibum

An Cibum in monte sumpserit Iosue? lib.4.cap.10. num.9.
In cibis seruanda temperantia. lib.6.cap.3.num.9.

Cinæi.

Cinei à Iethro oriundi. lib.3.cap.23.num.8.
De Cinæis agit Balaam. lib.9.cap.4.num.11.

Cinis.

Feria 4.Cinerum Ecclesia vitulum in puluerem redigit. lib.4.cap.15.n.7.
In Cineres redigendum corpus peccati. lib.6.cap.9. num.4.

Circuncisio.

Circuncisio typus fuit baptismi.lib.2.cap.23.num.1.
Circuncisione peccatorum opus est ad comedendum agnum Dei. lib.2.cap.24.num.11.

Cisterna.

Cisternæ dissipatæ sunt idola. lib.9.cap.17.num.4.

Clementia.

Clementiæ suæ non obliuiscitur Deus, cùm punit. lib.2.cap.24.num.6.

Coccus.

Coccus,cedrus, & hyssopus in flammam vaccæ immissæ quid significent. lib.5.cap.9.num.15.

Cogitatio.

Habemus gregem pascendum,id est, cogitationes, & cupiditates. lib. 1. cap. 16.num.2.
Ducendus grex, id est, cogitationes ad interiora,& ad Deum. eod.num.2.
Cogitationes paleis significantur.lib.2.cap.2.num.8.
Tria cogitationum genera ex D.Bernardo. lib.10. cap.9.num.4.
Cogitationes limosæ. lib.10.cap.9.nu.4.
Cogitatio nostra sit apud altissimum. lib.10.cap.11. num.2.

Collectæ.

Dies collectæ cur dicebantur? lib.2.cap.23.num.2.

Colloquium.

Colloquium Dei cum Mose quot diebus durauerit ex rubo. lib.1.cap.17.num.6.
Colloquium cum Mose distulit Dominus 6. diebus. lib 4. cap.10 num.5.
Ex Colloquio cũ Deo oratione,& meditatione oritur fulgor mentis, & corporis. lib.4. cap.26. nu.4.

Columba.

Columbarum pulli cur offerebantur. lib.6.cap .2. num.11.
Columba & turtur gemitum pro cantu habent.lib.6 cap. 3.num 10.
Columba significat vitam cænobiticam. eodem num.10.

Columna.

An columnæ duæ fuerint,altera ignis,altera nubis? lib. 3. cap. 5.num.6.
An columnæ ignis verus fuerit? lib.3.cap.5.num.7.
An columna apparuerit in Ramesse prima mansione? eod.num.7.
De columnæ motu,& motore. lib.3.cap.5.num.8.
Columnam sequebantur Hebræi in itinere. eod. num.8.
An columna ignis viam ostenderit. lib. 1. cap.5. num.9.
An columna nubis Solis ardorem repulerit à castris Hæbræorum. eod.num 9.
Per Columnam nubis Deus Israelitis imperabat. lib. 3. cap.22.num.1.
Columna nunquam defuit Israelitis in deserto. lib. 4.cap. 12.num.7.
Cùm Columnam ducem Hebræi haberent,cur Deos duces postulauerint. eod.num.7.
Columna nubis vbinam in itinere resideret. lib.6. cap.11.num.6.
Columna nubis constitit in deserto Pharan. lib.7. cap.1.num.3.
An Columna mota fuerit cum de transitu agebatur. lib.8.cap.9.num.6.

Concedo.

Conceduntur res paruæ faciliùs,quàm magnæ. lib.2. cap.1.num.8.

Concilium.

Concilium Sanedrim. lib.7.cap.1.num.2.

Concio.

Conciones necessariæ sunt in Ecclesia.lib 9.cap.16. num.1.
Concio pluuia est cælestis. eodem n.1.
Concio sit vtilis, & lacrymas moueat, sit vox turturis. lib 9.cap.16.num.1.
Concio pluuia voluntaria. ibid.num.4.

Concionator.

Concionatores mittuntur, vt populum educant ex Ægypto,nullis cedant difficultatibus. lib.2.cap.2. num.6.
Concionatores tubis significantur. lib.6.cap.12. num.5.
Concionator verba Dei habeat in ore,& corde.lib.9. cap.7.num.1.
Concionator exemplo doceat. lib.9.cap.16.num.2.
Vt concionator audeat effundere multa, prius sunt infundenda. ibid.nu.3.
Concionator ne sit inanis gloriæ amans,sed zelo animarum preditus. eod nu.3.
Concionatores varia peragrent loca. lib 9. cap.16. num.4.
Concionator oret Deum ante concionem. ibidem num.6.
Concionatoris auditor est Deus,sunt Angeli, & homines. lib.9.cap.16.nu 7.
Concionatori vana gloria insidiatur. eodem n.7.
Concionatoris linguæ calamus scribę. lib.9.cap.16. num.8.
Concionator ardens totam cupit terram pluuia verbi Dei irrigare. lib.9 cap.16.n.9.
Concionatorum eloquentia sit ardens.lib.10.cap.15. num.4.
Concionantes adumbrat Nephthali,& docentes populos. lib.10.cap.15.num.1.

Concordia.

Concordia in rebus aduersis seruanda est. lib.1.cap. 18.num.8.

Concupiscentia.

Ex Concupiscentia ascendit fumus qui obscurat intellectum. lib.2.cap.19.num.1.
Concupiscentia est fermentũ massam corrumpens. lib.2.cap.3.num.7.
Concupiscentia membrorum lex repugnat legi mẽtis. lib.4.cap.5.num.1.
Concupiscentiæ zizania superseminauit diabolus. eod.num.1.
Concupiscentiæ aucupium sepulchra sequuntur concupiscentiæ. lib.7.cap.4.num.9.
Concupiscentiæ sepulchrum est tartarus. ibidem num.10.
Concupiscentia sepelienda est in hac vita ne nos sepeliat in tartaro. eod num.10.
Concupiscentia mentem inebriat. lib.9.cap.18. num.13.
Concupiscentiam indicat Zelpha. lib.10. cap.16. num 1.
Concupiscentia non satiatur. ibid num.2.

Concupi-

Concupiscentia resecanda est. lib.10.cap.20.num.11.

Confessarius.

Confessarius verè pœnitentibus non pro crastinat veniam. lib.2.cap.17.num.7.

Confessio.

Confessio decorem animæ affert. lib.5.cap.11. num.4.
Confessio peccatorum adumbrata. lib.6. cap.9. num.7.
In Confessione aperienda sunt vulnera peccatorum, si sanari cupis. eod.num.7.
Confessio peccatorum. lib.10.cap.9.num.5.
Confessio laudis. eod.num.5.
Confessio martyrum. eod.num.5.& 6.
Duplex confessio. lib.10.cap.16.num.6.

Consanguinei.

Consanguinei pauperes non sunt despiciendi à diuitibus. lib.1.cap.5.num.6.
Consanguineis anteponendus Deus. lib.4.cap.17. num.1.
Consanguineis, aut filiis Moses principatum non postulauit. lib.9.cap.11.num.2.

Conscientia.

Inseritur manus in sinum, cùm Conscientia perscrutatur. lib.1.cap.18.num.4.
Quid sit in Conscientia manus mittere. lib.1.cap.18. num.4.
Conscientiæ examen. eod.num.4.
Conscientia mala est scopulus in quem allisa fides naufragium facit. lib.2.cap.21.num.2.
Conscientiam emundat sanguis Christi. lib.4.cap.8. num.3.
Conscientiæ libri in iudicio sunt aperiendi. lib. 4. cap.19.num.5.
Conscientiæ puritas ad Eucharistiam. lib.6.cap. 3. num.10.
Conscientia bona lectus est quietis. lib. 8. cap. 8. num.2.

Consecratio.

Consecratio sacerdotum typus fuit sacramenti Ordinis. lib.2.cap.23.num.2.
Consecratio sacerdotum publicè facta est. lib.5. cap.15.num.3.

Consideratio.

Consideratione Deus inuisibilis fit quodammodo visibilis. lib.3.cap.24.num.3.
Consideratio & meditatio. lib.10.cap.12.num.3.
Consideranda est via qua gradimur. lib.3.cap.12. num.8.
Consideratio æternorum bonorum, & malorum animum inflammant. lib.10.cap.16.num.7.

Consilium.

Consilio Iethro paruit humilis Moses. lib.3.cap.24. num.5.
Consilium bonum datum ab inferiore contemni non debet. eod.num.5.
Consilia bona quæ in libris Ethnicorum extant non sunt spernenda. lib.3.cap.24.num.5.

Consolatio.

Consolatio sequitur tentationem. lib.3.ca.17.nu.4.

Contritio.

Contritio & dolor timorem sequitur. lib.10.cap.16. num.4.
Contritum cor Deus non despicit. lib.6.cap.9. num.6.
Cor dolore scindendum pro peccato. ibid.num.10.

Conuiuium.

Conuiuij agni Paschalis literalis ratio. lib.2.cap.23. num.2.
Conuiuium splendidissimum est Dei visio. lib.4.cap. 9.num.7.
Conuiuio adumbratur cælestis gloria. ibid.num.8.
Conuiuium adumbrat Eucharistiam. eod.num.8.

Cor.

Cor durum multa mala affert. lib.2.cap.5.nu.9.
Cor impiorum Dominus plagis percutit. lib.2. cap. 14.num.2.
Cor impiorum terroribus emollitur. ibid.num.9.
Cor stabile ventus hæresis non rapit. lib.2.cap.21. num.2.
In Cordis altari semper ardeat ignis gratiarum. lib. 2.cap.23.num.9.
Cor abluendum, & corpus, & anima, vt ad Deum accedamus. lib.4.cap.3.nu.6.
In Cordis nostri tabulis legem nouam Deus scribit. lib.4.cap.11.num.2.
In Cordis tabulis scribit Spiritus sanctus. lib.4.cap. 26.num.1.
Ex Corde dantis accipitur quod offertur. lib.5.cap.2. num.1.
Cordis ablutio. lib.6.cap.3.num.7.
Cordis pœnitentia pro peccato offerenda est. lib.6. cap.9.num.6.
Cor contritum Deus non despicit. eod.num. 6.
Cordis obduratio fugienda. lib.7.cap.11.num.4.
Cor obdurat diabolus. eod.num.4.
Corde, & ore Psalmi canendi sunt. lib.9. cap.7. num.11.

Corallia.

Corallia in Mari rubro. lib.3.cap.10.nu.2.

Core.

Core & alij seditionem mouent aduersùs Mosem, & Aaron. lib.8.cap.2.num.2.
Core an sit absorptus terræ hiatu. ibid.num.10.
De filiis Core miraculum. eod.num.10.

Corpus.

Corpus peccati destruendum est, & in cineres redigendum. lib.6.cap.9.num.4.
Corpus equus est, animus eques. lib. 10. cap.14. num.10.

Correptio.

Correptioni laus permiscenda est. lib. 3. cap.23. num.10.
Corripit Deus vt emendet. lib.8.cap.6.num.9.

Cortinæ.

De Cortinis tabernaculi. lib.5.cap.5.num.3.
An in Cortinis facti fuerint Cherubim? eod.num.3.

Crabrones.

Crabrones misit Deus in hostes Hebræorum, & Reges multos vicerunt Deo maximè auxiliante. lib. 8.cap.17.num.10.

Crux.

Crux est in fronte, sanguis in ostio. lib.2. cap.24. num.3.
Crucem Christi timent dæmones. lib. 3. cap. 15. num.7.
Crux literam legis dulcem reddidit. lib.3.cap.17. num.3.
Crux in Mose pugnauit contra Amalec. lib.3.cap.22. num.14.
Crux Christi est medicina peccati. lib.8.cap.15. num.3.
Crux Christi signum salutis. ibid.num.4.

Coturnices.

Coturnices Deus Hebræis bis misit. lib. 3. cap. 18. num.3.& lib.7.cap.3.num.10.
Coturnicum admirabilis copia. lib.7. cap.3.nu.8.
Coturnicibus missis ostendit Deus potentiam suam, & iusti

& iustitiam. ibid. num.4.
De Coturnicibus Plinius. lib.7. cap.3.num.10.

Culpa.

Culpam cùm Deus remittit, non semper remittit omnem pœnam. lib.7.cap.12.n.5.

Cupiditas.

Habemus gregem pascendum, id est, cupiditates. lib.1. cap.16.num. 2.
Cupiditates effrænatæ equi sunt, eos subneruant iusti, id est, mortificant. lib.3. cap.15. num.1.
Cupiditas omnia vincit si fræno caret. lib.4.cap.13. num.7.
Cupiditates effrænatæ mortificandæ sunt. lib.6. cap.3. num.5.

D

Dæmon.

Dæmon quomodo sit mundi rector, & princeps. lib.1.cap.3.num.4.
Dæmonum terror. lib.3.cap.15.n.7.
Dæmones timent cruçem Christi. lib.3. cap. 16. num. 2.
Dæmonis opera an vitulus fuerit fabricatus? lib. 4. cap.12. num. 14.
Dæmonis opera an vitulus ex igne sit egressus? lib.4. cap.16.num.2.
Dæmonis ignea tela. lib.8.cap.15.num.1.
Dæmon suis præstigiis nocere non potest iustis. lib.9. cap.7.num.1.
Dæmon cupit iustis nocere. eodem num.1.
Dæmon frænatur. eodem num. 1.
Dæmoniaca tentatio quæ sit, & quæ humana. lib.3. cap.17.n. 2.

Dan.

Dan erat quartum vexillum. lib.6.cap.11.num.3.
Dan benedictio dicta à Mose. lib.10.cap.6.num.5.
Dan ciuitas. eodem n. 5.
A Dan vsque Bersabee, id est, septentrione vsque ad Austrum terræ promissæ. ibid.
Dan benedictio data à Iacob. lib.10. cap.6.num.6.
Vrbs Lais à viris de tribu Dan incenditur. ibidem num. 7.
Dan & Nephthali quid significent. lib.10.c.16.n.7.

Dathan.

Dathan, vide verbo *Abiron*.

Dauid.

Dauid solus venit ad sacerdotem Abimelech, sic Moses solus venit ad Hebræos inuisendos. lib.1. cap.14.num.2.
Dauid Psalm. 50. petit aspergi hyssopo sanguinis Christi. lib.6. cap.7. num.13.

Deipara.

Deiparam Virginem adumbrat virga Aaron. lib.8. cap.6. num.10.

Delitiæ.

Deliciæ mundi amanti Deo sunt instar sanguinis. lib.1.cap.18.num.5.

Desertum.

Per Desertum Deus Hebræos duxit, & docuit. lib.3. cap.6. n.2. & lib.9. ap.14. num.20.
Per Desertum cur Deus Hebræos duxerit? lib.3. cap.5.num.2.
Desertum Sur Etham dicebatur. lib.3.c.16.n.2.
Desertum & Mons Sinai dicitur Arabis. lib 4.c.1. num. 3.
An in Deserto mortui sint omnes Israelitæ. lib.7. cap.9. num.15.
An in deserto plusquam 40. annis Israelitæ versati sint. lib.7.cap.10.n.3.
In deserto an idola coluerint Israelitæ? lib.7.cap.10. num.6.
Per desertum plenũ serpentibus tartareis ignitis iter facimus. lib.8.cap.15.n.1.
In deserto vestimenta Israelitarum non sunt attrita, nec calceamenta. lib.9.cap.14..n.20.
In deserto dedit Deus populo necessaria. ibid.
In deserto Pharan constitit columna nubis. lib.7. cap.1.n.3.

Desiderium.

Desiderium terræ promissionis. lib.1.cap.6.n.12.
Desiderium Dei clamor est. lib.3. cap.12. n.4.
De desiderio videndi faciem Dei. lib.4. cap.23. num.5.
Desiderium hominis in cælesti Patria completur, ac quiescit. ibid. num.6.
Desideria carnalia per sanguinem prohibẽtur. lib.6. cap.7.num.16.
Desiderium animę. lib.10.cap.16.num.7.

Detractio.

Detractionis contra Mosem quænam causa fuerit. lib.7.cap.5.num.6.
De detractione. ibid. num.11.
Detractio cum mansuetudine ferenda est. ibid.n.12.

Detractores.

Detractores laudem pariunt mansuetis. lib. 7. cap.5.num.12.
In detractores & maledicos. lib.9.cap.8.num.2.

Deuotio.

Deuotionis dulcedo. lib.5.cap.12.num.2.
Deuotio adumbratur oleo. lib.6.c.5.num.1.
Deuotionis medulla, & adipe plena sacrificia Deus amat. lib.6. cap.7.n.10.
Anima quæ deuotione caret, macilenta fit. eodem num.10.
Deuotio quærenda. lib.7. cap.4. num. 7.
Deuotio maximè necessaria est religiosis. lib. 10. cap. 15.num.7.
Deuotionis oleum dulces reddit labores. eod. n.7.
Deuotionis oleo spiritalis panis fit pinguis. lib. 10. cap.15.num.9.
Deuotio gaudium internum. lib.10.cap.16.num.9.
Deuotio gustus dicitur, & ebrietas sancta. eodem num.9.
Deuotionis dulcedo superat dulcedines mundi. lib. 10. cap.16.n.9.

Deuotus.

Deuotus vir est adeps separatus à carne. lib.6.cap.7. num.10.
Deuotus vir res terrenas fastidit. eod. num. 10.
Deuotus vir vsque ad mortem seruat vigorem animi. lib.10.cap.15.num.8.

Deuteronomium.

Deuteronomium vnde dicatur. lib.9.cap.14.num.1.
De Deuteronomio. eod. num. 1.

Deus.

Deus est ipsum ens independens, & à quo omnia entia procedunt. lib.1. cap.15.num.8.
Deus est, cæteræ res caducæ non sunt. lib.1.cap.16. num.10.

Dei nomen.

De nomine Dei, ens, vel, ego sum qui sum. lib.1.cap. 15.num.7.
De nominibus Dei, Rabbi, Moses. lib.1.cap.15. num.10.
Nomen Dei aliquandò nuncupatiuè sumitur, aliquandò essentialiter. lib.2.cap.5. num.2.
Dei epitheta recitantur magna voce. lib.4. cap.25. num. 5.

Dei

Dei epitheta in monte Sinai prolata. ibid.num.6.
Dei epitheta an Moses proclamauerit? ibid.num.7.
Dei 11.nomina,& quid indicent. lib.4.cap.26.nu.2.

Deus incomprehensibilis.

Deus incomprehensibilis est. lib.4.cap.3.num.10.
Diuinam naturam nõ possunt sensus attingere.ibid. num.10.
In Dei cognitione oculis imponendum pallium.lib. 4.cap.3.num.10.
Deus neque templis, neque cælo comprehenditur. lib.5.cap.9.num.1.

Dei digitus.

Dei digitus dicitur Spiritus sanctus. lib.2.cap.9.n.4.
Dei digiti fuere plagæ Ægypti. lib.2.cap.11.num.3.
Dei digito scriptæ sunt primæ tabulæ. lib.4.cap.23. num.9.
An secundæ tabulæ Dei digito scriptæ sint. eodem num.9.

Dei facies.

Dei faciem desiderant Angeli,quia sine fastidio eum vident. lib. 4.cap.23.num.5.
De desiderio videndi faciem Dei. eodem n 5.
Faciem Dei requirere nostrum hoc sit negotium. ibid.num.5.

Dei misericordia.

Deus pater misericordiarum. lib.4.cap.26.num.3.
Deus misericors,& iustus. lib.9.ca.19.num.2.
Deus coactus homines punit. lib.1.cap.18.num.10.
Deus de loco suo, id est, clementia,dicitur egredi, cùm punit. lib.7.cap.4.num.9.
Deus ex malis quæ permittit bona elicit. lib.2. cap.15.num.5.
Deus minatur vt terreat, & à peccatis reuocet homines. lib.2.cap.21.nu.1.
Dei beneficium est supplicium sumere. lib.5.cap.18. num.6.
Deus plagam inferendam prædixit. lib 2.cap.15.n.3.
Deus cum attentione punit, & cum tranquillitate. lib.2.cap.15.num.3.

Dei iustitia.

Iustus Deus peccatum non dimittit impunitum. lib.2.cap.21.num.1.
Deus Mosi punire iussit cultores vituli. lib.4.cap.17. num.1.
Deus peccatores delet de libro vitæ. lib.4.cap.18. num.5.
Deus sanctificatur, cùm punit. lib 5.cap.18.num.5.
Dei iustitia consideranda in homine puniendo.lib.8. cap.1.nu.6.
Deus ad puniendum vigilat. lib.8.cap.6.num.6.
Deus etiam amicos punit. lib.8.cap.8.num.1.& lib. 10.cap.19.n.4.
Diuinæ iustitiæ gladius semper nobis impendens considerandus est. lib.9.cap.7.num.10.
Dei est vltio. lib.9.cap.15.num.10.
Deus Babylonios,& Assyrios puniuit. lib.9.cap.15. num.14.
Deus gladium iustitiæ suæ exacuit, vt percutiat impios. eodem nu.14.
Deus est iustus, & misericors. lib.9.cap.19.n.2.

Dei prouidentia.

Dei prouidentia. lib.3.cap.19.num.15.

Dei præsentia.

Dei præsentia semper cogitanda. lib.3.cap.24.nu.3.
Dei conspectum fugiunt impij. ibid.num.4.
Deus multis Angelis comitatus venit in montem in D.Michaele. lib.4.cap.4.num.6.
Deus non apparuit subitò in Sinai, sed ex Seir, & Pharan visus est venire. ibid.num.6.
Cur Deus corporali figura noluit apparere in monte Sinai? lib.4 cap.4.n.7.
Deum loquentem audire non poterant Hebræi.ibid. num.8.
Deus ostendit se Mosi, Aaroni, & aliis. lib.4. cap.9. num.2.
Deus in figura humana apparuit in Angelo. lib.4. cap.9.num.4.
Deum viderunt Moses, & cæteri,non sunt mortui ibid.num.7.
Deus in corpore fulgentissimo apparuit Mosi. lib.4. cap.25.num.5.
Deus est cum iis quos mittit. lib.1.cap.16.num.9.

Dei timor.

Deus minatur vt terreat,& à peccatis reuocet homines. lib.2.cap.21.num.1.
Deus vult timeri. lib.4.cap.4.n.9.
Deus terrorem Hebræis incussit,ne peccarent. lib.4. cap.5.num.3.
Dei timor vincit omnes timores. eod.num.3.
Placuit Deo timor populi. lib.4.cap.7.num.2.

Dei ira.

Deus iratus est populo propter idololatriam, vult eum omnino abolere. lib.4.cap.14.n.3.
Irę Dei quomodo resistendum. lib.4.cap.19.num.3.
Deus dulcis propter peccata fit nobis amarus. lib.7. cap.5.num.9.

Dei maiestas.

Deus venit in montem Sinai summa cum maiestate. lib.4.cap.2.num 4.
Summa cum maiestate Dominus in monte apparet. lib.4.cap.3.num.9.
Erectum tabernaculum Deus nube operuit, quæ illius maiestatem indicabat. lib.5.cap.13.num.4.

Deus adiutor in tentationibus.

Deus in tentationibus adiutor noster est. lib.2. cap.2.num.11.
Deus adiutor est in opportunitatibus. lib.3.cap.12. num.1.
Deus in tribulatione viam aperit. ibid.num.3.
Deus aduersus Pharaonem pugnauit pro Israelitis. lib.3.cap.14.num.4.
Deus tentatis Hebræis dedit manna. lib.3.ca.19.n.1.
Deus sequentes se non deserit. lib.3.cap.19. num.15.
Perfectum fuit opus Dei liberatio Israelitarum ex Ægypto. lib.9.cap.14.num.7.
Deus populo necessaria dedit in deserto.lib.9.ca.14. num.20.
Deus in itinere nobis opem fert. lib.8.cap.16.num.5.

Dei beneuolentia in suos.

Dei in suos beneuolentia. lib.2.cap.14.num.8.
Deus ex malis quæ permittit bona elicit.lib.2.ca.15. num.5.
Deus sanctificatur in seruis suis,id est,in iustis. lib.5. cap.18.num.7.
Quomodo dicatur Deus sanctificari in populo.lib.8. cap.7.num.9.
Perfectum fuit opus Dei liberatio Israelitarum ex Ægypto. lib.9.cap.14.num.7.
Dei vinea fuere Israelitæ. lib.9.cap.15.num.8.

Deus fortitudo nostra.

Deus fortitudo nostra. lib.3.cap.14.num.3.

Deus materia laudis nostræ.

Deus materia laudis nostræ. lib.3.cap.14.nu.3.
Ad Dei laudes celebrandas manè surgendum. lib.3. cap.19.num.7.

Dei beneficia cogitanda.

Dei beneficia in memoriam reuocanda sunt. lib.3.c. 13.num.6.& cap.19.num.14.& lib.4.cap.3.num.1.
Dei beneficia mare magnum.lib. 9.cap.17.num.6.

Deus parua remunerat.

Deus paruas etiam oblationes remunerat. lib.5. cap.2.num.2.
Deus recipit munuscula parua. lib.6.cap.5.num.1.

Deus loquitur cum seruis suis.

Deus ex rubo cum Mose loquitur.lib.1.c.15.num.6.
Deus Mosem vocat in cacumen montis, & cum eo loquitur. lib.4.cap.2.num.5.
An Dominus locutus fuerit sonantibus tonitruis. lib.4.cap.4.num. 2.

Deo summa reuerentia debita.

Ad Deum cum reuerentia accedendum est. lib. 4. cap. 3.num.7.
Cum Deo loquendum cum summa reuerentia.lib.4. cap.11.num.3.
Deus cum magna reuerentia colendus est peculiari cultu,& peculiari domo. lib.5.cap.9.num.3.
Deus eximiam domum postulat in qua habitet.ibid. num.5.

Deo placere.

Deo placere, & hominibus displicere. lib.1.cap.5. num. 6.

Deum ignorare.

Deum ignorare malorum causa est. lib.2.cap.7. num. 2.

Dei sermo.

Dei sermo pluuia est, & ros. lib.9.cap.14.num.5.

Dei mandata.

Deus magni facit mandata sua. lib.4.cap.11.num.1.
Dei mandata constanter sunt seruanda vsque ad mortem. eodem num.1.

Deus non est causa peccati,illa recondit.

Deus non est causa peccati. lib.2.cap.15.num.5.
Deus recondit peccata. lib.9.cap.15.num.9.

Dei iuramentum.

Dei iuramentum contra Amalecitas. lib.3.cap.21. num.6.

Ex Deo omnia bona.

Ex Deo habemus omnia bona. lib.4.cap.23.num.8.

Deus quomodo induret cor.

Deus non immittit duriciem in cor, sed priuatiuè dicitur inpurare. lib.2.cap.5.num.7.

Deus omnia ordine disposuit.

Deus omnia in mensura disponit,& munere, & pondere. lib.2.cap.15.num.3.

Dei auxilium.

Dei auxilium. Vide verbo, *Auxilium.*

Dei potentia.

Deus potentiam suam ostendit impios puniendo. lib.2.cap.11.num.2.& cap.15.num.5.

Dij.

Cur populus Deos sibi fieri postulauerit? lib.4. cap.12.num.3.
An petierint Hebræi fieri multos Deos, an vnum. ibid.num.5.
Idolorum cultores habent Deos qui fiunt. lib.4. cap.13.num.3.

Diabolus.

Diabolus quod masculum est in homine extinguere cupit. lib.1.cap.9.num.1.
Diabolus masculos, id est, fortes timet. ibidem num.2.
Diabolus non vult solicitari homines ad deserendum lutum,& sordes. lib.2.cap.2.num.4.
Diabolus grauiùs tentat eos qui Ægyptum volunt relinquere. lib.2.ca.2.num.5.
Diabolus tentationibus ad se trahere conatur eos qui mundo & peccato nuntium remittunt. lib.2. cap.2.num.10.
Diaboli tentationibus resistendum. ibid.num.11.
Diabolus est induratus vt lapis. lib.2.cap.5.num.7.
Diabolus vult nos discedere ab Ægypto. lib.2. cap.11.num.5.
Diabolus fidei fundamentum vult exinanire. lib. 2. cap.21.num.3.
Diabolus eos qui mundum deserunt vehementiùs persequitur. lib.3.cap.6.num.1.
Equi Diaboli. lib.3.cap.15.num.1.
Quidam Diaboli equi sunt,alij Dei. ibid.
Diabolus non reuocat in memoriam mundi labores, sed gaudia. lib. 3.cap. 19.num.1.
Diaboli bellum contra homines perpetuum. lib.3. cap.22.num.18.
Diabolus superseminauit zizania concupiscentiæ. lib.4.cap.5.num.1.
Diabolus velamine tegit oculos hæreticorum, & Ethnicorum. lib.4.cap.26.num.8.
Contra Diabolum non solùm viri, sed etiam fœminæ pugnant. lib.5.cap.11.num.6.
Diaboli ignis. lib.5.cap.18.num.2.
Diabolus obdurat cor. lib. 7.cap.11.num.4.
Diabolus bellum infert iustis. lib.8.cap.17.num.12.
Diaboli, mundi, & carnis regna oportet vincere. eodem num.12.
Diabolus similis ceraste. lib.10.cap.6.num.7.
Vide verbo *Dæmon.*

Diluuium.

Duplici Diluuio Deus mundum mundauit. lib.9. cap.17.num.2.
Diluuium Noë,& diluuium sanguinis Christi. ibid. num.2.

Dina.

Dina quid significet. lib.10.cap.16.num.11.

Discipulus.

70. Discipuli significantur 70. palmis. lib.3.cap.17. num.5.

Distributio.

Distributio æqualis inter sacerdotes. lib.6.cap.4. num.3.

Diuitiæ.

Diuitiæ sunt lutum. lib.1.cap.16.num.1.
Diuitiarum cupiditas hominem inquinat. ibidem num.1.
Diuitiæ similes sunt paleis. lib.2.cap.2.num.7.
Ad colligendas paleas, id est, diuitias homines per orbem disperguntur. eodem num.7.
Computrescunt Diuitiæ quæ ab auaris possidentur. lib.3.cap.19.num.11.
Mundi Diuitiæ, & honores caro emuntur pretio. lib. 7. cap.4.num.5.
Diuitiæ moderatè amandæ, non adorandæ sunt. lib.9.cap.7.num.7.
Diuitiæ retardant in itinere homines. lib.9.cap.13. num.5.

Diuites.

A Diuitibus non sunt despiciendi pauperes consanguinei. lib.1.cap.5.num.6.
Diuites sunt similes somniantibus lib.8.cap.11. num. 10.
Diuites non portant secum diuitias, cùm moriuntur. eodem num.10.
Diues omnes diuitias hic relinquit. lib.10.cap.19. num. 4.

Doctor.

Doctoris auctoritatem conciliat Dei amicitia, & familiaritas. lib.4.cap. 3.num.5.

Doctores sunt Ecclesiæ exploratores. lib.7.cap.8. num.10.
Doctores sunt dentes Christi. Lib.10.cap.3.num.4.
Nephthali adumbrat docentes populos. lib.10. cap.15.num.1.
Viri docti spolia Ægypti, & opes ad construendum Ecclesiæ tabernaculum offerunt. lib.5.c.2.num.5.

Doctrina.

Doctrinæ vnitas. lib.7.cap.2.num.6.

Dolor.

Caro Doloribus affecta hominem à via peruersa reuocat. lib.9.cap.7.num.9.
Dolor & contritio timorem sequitur. lib.10.cap.16. num.4.

D.Dominicus.

D.Dominicus. lib.10.cap.6.num.7.

Domus.

Domus interior siue Sancta sanctorum. lib.5.cap.6. num.3.
Domus exterior siue sancta. ibid.
Deus domum eximiam postulat in qua habitet.lib.5. cap.9.num.5.

Draco.

Draco dracones deuorauit. lib.2.cap.4.num.6.

Dulcedo cælestis.

Dulcedo cælestis deficit si terrenis frugibus delectemur. lib.3 cap.19.num.15.
Dulcedinem diuinam significat mel. lib.6. cap.5. num.12.
Dulcedo deuotionis superat dulcedines mundi. lib. 10.cap.16.num.9.

Durities.

Durities cordis fugienda. lib.2.cap.5.num.10.
Duri cordis mala. ibid.

Dynasta.

De Dynastis Ægypti. lib.1.cap.1.num.7.

E

Ecclesia.

ECclesiam adumbrant Sancta sanctorum. lib.5. cap.10.num.2.
Ecclesiæ typus. lib.10.cap.13.num.1.
Ecclesia Mosem in aqua baptismi suscepit, id est, eius libros. lib.1.cap.12.num.9.
Ecclesia persecutionum igne inflammatur, nõ comburitur, sed illustratur. lib.1.cap.16.num.3.
Ecclesiæ virga deuorat dracones hæreticorum. lib.2. cap.7.num.2.
Ex Ecclesiæ Catholicæ domo nemo egrediatur ad sectandas hæreses. lib.2.cap.21.num.4.
In vna Ecclesia agnus Dei comeditur. lib. 2.cap.24. num.11.
Ecclesiæ seruit sapientia gentilium. lib.3.c.2.num.4.
Ecclesia populus est Dei peculiaris,& eximius. lib.4. cap.3.num. 3.
In monte Ecclesiæ videtur Deus per caliginem,id est, per fidem ineuidentem. lib.4.cap.11.num.5.
In Ecclesia manent libri veteris testamenti, canonicique sunt, eamque multiplici sensu illustrant. lib.4.cap.15.num.2.
Ecclesia feria quarta cinerum vitulum in puluerem redigit. lib.4.cap.15.num.7.
In Ecclesia Christi Deus videtur per fidem velut foramen petræ. lib.4.cap.24.num.3.
Deus ad Ecclesiæ tabernaculum constituendum vocauit artifices Apostolos. lib. 5.cap.3.num.6.
Ecclesiæ artifices Deus implet sapientia. ibid.
In Ecclesia multa sunt Dei templa. lib. 5.ca.9.num.2.
Ecclesiæ vnitas. ibid. num. 13.
Ecclesiæ hierarchia est admirabilis. lib.5.cap.16. num.2.
Ecclesiæ opem ferunt boni Principes. lib.6.cap.10. num.7.
Ecclesiam circumdent, & protegant viri Ecclesiastici, similiter totus populus Christianus. lib.6. cap.10.num.11.
Ecclesia per desertum tendit terribilis hostibus, vt castrorum acies ordinata. lib.6.cap.12.num.3.
Ecclesia castris similis, & choris laudantium. eodem num.3.
Ecclesiæ castra sunt mirabilia. lib.6.cap.12. num. 4.
Ecclesia est regnum immobile. ibid.num.7.
Vnitas spiritus in Ecclesia. lib. 7.cap.2.num.6.
Ecclesiæ exploratores sunt doctores, & sacerdotes. lib.7.cap.8.num.10.
In Ecclesiam non ingressi sunt multi ex Iudæis. lib. 7. cap.11.num. 5.
In Ecclesiam ingressum non est sacerdotium legis veteris. lib 8.cap. 11.num.1.
Ecclesiæ tabernacula sunt pulcherrima. lib.9.cap.8. num.7.
Ecclesiæ pulchritudo. ibid.num.7.
Ecclesia est hortus Dei irriguus. eodem num. 7.
Ecclesiæ delectatio toto orbe. eodem num. 7.
Ecclesia terra est excelsa & fortis. lib.9. cap.17. num.12.
Ecclesia portus est salutis. lib. 10.cap.13.num.1.
Ecclesiam Deus sanguine acquisiuit. lib.6.cap.7. num.15.

Ecclesiastici.

De viris Ecclesiasticis. lib.6.cap.10.num.9.
Ecclesiastici viri Ecclesiam circumdent, & protegant. ibid.num.11.
Ecclesiasticis viris fugienda est superbia, & humilitas amplectenda. lib.8. cap.4.num.5.

Elati, Elatio.

Elati quomodo sint monendi. lib.3.cap.23.num.10.
Elatio fugienda. lib.6.cap.3.num.11.

Eldad.

Cur Eldad & Medad non iuerint ad tabernaculum? lib.7.cap.1.num.9.
Cur Iosue noluerit prophetare Eldad, & Medad. ibid. num. 10.

Electi.

Electorum numerus soli Deo cognitus est. lib.7. cap.11.num.8.
Beneficium electionis Israël. lib.9.cap.14.num. 11.
Deus Elegit Israelitas non suis meritis. lib.9.cap.11. num.19.
Ab æterno Deus Elegit filios Adam, ac reprobauit. lib.9.cap.17.num.7.
Deus repudiauit Israelitas, & elegit gentes. ibidem num. 9.

Eleemosyna.

Eleemosyna tribuitur corpori,& etiam animo. lib. 1. cap.14.num.3.

Emath.

Duplex est Emath. lib.7.cap.7. num. 7.

Enac.

Cur gigantes dicantur filij Enac. lib.7.cap-7.num.8.

Ephraim.

Ephraim erat tertium vexillum,lib.6.cap.11.num.3.
Tribus Ephraim fortis, & inuicta ex Ioseph orta. lib.10.cap.4. num.11.

Epitheta.

Epitheta. vide verbo, *Dei epitheta.*

Equus, Eques.

Corpus Equus est,animus eques.lib.10.c.14.nu. 10.

Equi.

Equi diaboli. Vide verbo *Diabolus.*

Essentia diuina.

An essentia diuina appelletur hic omne bonum? lib. 4.cap.22.num. 8.

Esau.

Ab Esau dicitur Idumæa Edom,& mons Seir. lib.8. cap.9.num.7.

Etham.

Etham tertia mansio. lib.3.cap.7.num.2.
Etham dicebatur Sur. lib.3.cap.16.num.2.

Ethnici.

Ethnicorum oculos velamine tegit diabolus. lib.4. cap.26.num.8.

Euangelium.

Euangelij prædicatio. lib.4.cap.24.num.1.
Euangelia quatuor sunt quatuor vexilla Christianorum. lib.6.cap.10.num.12.
Euangelium nunquam peribit. lib.8.cap.16.num.3.

Eucharistia.

Sanctissimæ Eucharistiæ typus fuit manna. lib.3. cap.19 num.2.
Eucharistiæ typus fuit paschalis agnus. lib.2.cap.23. num. 2.
Eucharistia conuiuio adumbratur. lib.4.cap.9.nu.8.
Eucharistia summa cum reuerentia suscipienda. lib. 1.cap.16.num.8.
Quod nõ capimus tam admirabilis sacramenti,amoris igne comburendum est, & Dei omnipotentiæ tribuendum. lib.2.cap.24.num.6.
Peregrini sumus, viaticum est augustissima Eucharistia. ibid.num.9.
Sanctissima Eucharistia est gloria Domini. lib.3. cap.19.num.3.
Eucharistia panis est ex cælo. lib.3.cap.19.num.4.
Eucharistia à Deo conficitur,panis est in abundantia vsque ad finem mundi, Dei dulcedinem erga nos demonstrans. eodem num.4.
In Eucharistia eumdem Christum suscipimus sub magna, & sub parua specierum quantitate. lib.3. cap.19.num.10.
Eucharistiæ sacrificiũ est memoriale passionis Christi. lib.3.cap.19.num.14.
Puritas conscientiæ ad Eucharistiam. lib,6.cap.3. num. 12.

Εὐθανασία.

Εὐθανασία Augusti Cæsaris. lib.8.cap.11.num.7.

Examen.

Examen conscientiæ. lib.1.cap.18.num.4.
Examen operum. lib.6.cap.3.num.7.

Excusatio.

Excusatio Aaron. lib.4.cap.16.num.2.

Exemplum.

Exemplum maiorum. lib.2.cap.1.num.9.
De Exemplo principum,& prælatorum. lib.2.cap.5. num. 4.
Exempla sanctorum. lib. 2.cap.23.num.6.& lib.3. cap.6.
Exempla impiorum à malo deterrent prudentes. lib.3.cap.22.num.4.
Breue iter per Exemplum Dei. lib.5.cap.12.num.6.
Bonum Exemplum est odor suauis.lib.5.c.14.num.4.
Exempla sanctorum incendunt corda. lib.5.cap.18. num. 3.
Exemplum malum corda subuertit. lib.9.ca.13.nu.1.
Exemplum bonum præbendum. ibid.num.2.
Exemplo doceat concionator. lib.9.cap.16.num.2.
Vox Exempli potentior. ibid.num.2.
Exempla varia. lib.10.cap.13.num.3.
Exemplum S.Vincentij Ferreira. ibid.num.3.
Exemplum pastoris. lib.10.cap.14.num.4.
Exemplum bonum religionis domum ædificat, malum destruit. lib.10.cap.15.num.6.
Exemplum est amussis, & perpendiculum. ibidem num. 6.
Exemplum sonat. ibid.num.6.

Exercitus.

Exercitus Pharaonis obruitur aquis maris rubri. lib. 3.cap.9.num.5.

Exitus.

Exitus religiosorum ad prædicandum Euangelium Ethnicis. lib.10.cap.13.num.2.
Exitus in oppida docendi causa. eodem num. 2.

Expiatio.

Aqua Expiationis merito Christi indicata. lib.6. cap.9.num.15.

Exteriora.

Ab Exterioribus ad interiora conuerti oportet.lib.1. cap.14.num.5.

Exterminator.

Exterminator *Sapient.*18.quisnam fuerit. lib.8.cap.5. num.4.

F

Fabula.

FAbula Hebræorum de idolo abscondito. lib.3. cap.8.num.4.
Fabulæ aliæ Hebræorum. lib.4.cap.4.num.6.
Fabula Hebræorum de Og. lib.8.cap.17.num.9.
Fabula alia Hebræorum. lib.9.cap.1.num.12.

Facies.

Facie ad faciem quid sit. lib.4.cap.20.num.9.
Faciem Dei sibi ostendi petit Moses.lib.4.ca.22.n 4.
De desiderio videndi Faciem Dei. lib 4.c.23.num.5.
Faciem tegebat Moses velamine. lib.4.c.25.num.13.
Cur Faciem suam fulgidam esse ignorauit Moses. ibid.num.13.
In Facie Mosis quamdiu permanserit fulgor? lib.4. cap.25.num.14.

Fædus.

Fædus percutitur. lib.4.cap.7.num.5.
Aspersio sanguinis in Fædere quid significet. eodem num.5.
Volumen Fæderis. lib.4.cap.7.num.7.
Fædus noui testamenti confirmatum est sanguine Dei,& hominis. lib.4.cap.8.num.2.

Fæminæ.

Fæminæ victorias cantu celebrabant.lib.3.ca.14.n.1.
Fæminæ specula Deo offerunt. lib.5.cap.11.num.4.
Fæminæ etiam pugnant contra diabolum. lib. 5. cap.11.num.6.

Fames.

Fames ducit homines in Ægyptum. lib.1.c.5.num.2.

Familiaritas.

Familiaritas improborum fugienda est. lib.6.cap.5. num.8.& lib.9.c.8.num.3.& lib.10.c.20.num.10.

Felicitas.

Felicitatem fugit qui fugit laborem. lib.8. cap. 6. num.11.

Fermentum.

Fermentum sumitur in bonam, & malam partem. lib.3.cap.20.num.2.
Fermentum, & mel non offerebatur Domino in sacrificiis. lib.6.cap.4.num.5.
Fermentati panes Deo offerebantur. eodem num.5.
Fermento simile est peccatum. lib.2.cap.23.num.7. & lib.6.cap.5.num.8.
Fermentare massam non potuerunt propter celeritatem. lib.3.cap.1.num.3.

Fertilitas.
Fertilitas terræ promissæ. lib.9.cap.14.num.24.
Festi.
Festi erant primus dies, & postremus azymorum. lib.2.cap.22.num.23.
Festinatio.
Festinanter peccata relinquenda,& mundus. lib.2.cap.23.num.5.
Festinanter editur agnus. lib.2.cap.24.num.10.
Festinandum est ad pœnitentiam. lib.5.c.14.num.2.
Festinandum est ad requiem cælestis patriæ. lib.7.cap.11.num.3.
Fides.
Fides est primogenita virtus. lib.2.cap.21.num.2.
Fides allisa ad scopulum malæ conscientiæ naufragium facit. lib.2.cap.21.num.1.
Fidei fundamentum diabolus vult exinanire. lib.2.cap.21.num.3.
Fides est columna Ecclesiæ. lib.3.cap.6.num.6.
Ex Fide aduersus hostes pugnandum. lib.3.cap.12.num.7.
Fidei termini non sunt transeundi. lib.4.c.3.num.8.
Fidei scutum est memoria nouissimorum. lib.9.cap.18.num.8.
Fides quando deficiet. lib.10.cap.20.num.5.
Filia.
Filia Pharaonis Mosem liberat. lib.1.cap.11.num.1.
An Filia Pharaonis grauidam se finxerit.ibid.num.2.
Filij.
De Filiis Leui,Mose,& Aarone. lib.2.cap.3.num.2.
Filiis eorum qui ex Ægypto egressi sunt terram promissam Deus tradidit. lib.7.cap.10.num.1.
Fimbriæ.
De Fimbriis Israelitarum. lib.8.cap.1.num.7.
Fiscella.
Fiscella quid sit. lib.1.cap.10.num.4.
Flores.
An Flores germinauerit mare rubrum apertum. lib.3.cap.10.num.4.
Flumen,Fluuius
Fluminum inuectu nouæ terræ nascuntur, sic nata dicitur pars Ægypti. lib.1.cap.1.num.5.
Fluuius aquæ exiit ex petra. lib.3.cap.20.num.5.
Folia.
Foliis similis est sapientia quæ est extra Ecclesiam, Christiana fructui. lib.3.cap.2.num.7.
Fontes.
Fontibus 12.significantur 12.Apostoli. lib.3.cap.17.num.5.
Fontes sanguinis sui reliquit Christus in Ecclesia. lib.6.c.7.num.12.
Fortitudo.
Fortitudo necessaria est relinquentibus Ægyptum. lib.3.cap.8.num.3.
Fortitudo nostra Deus. lib.3.cap.14.num.3.
Fortitudo Christi in infirmitate perficitur. lib.3.cap.15.num.2.
Fortitudo D.Ambrosij restitit Imperatori. lib.6.cap.7.num.4.
Spiritus Domini est spiritus Fortitudinis. lib.7.cap.12.num.1.
Fortitudo est serpens æreus. lib.8.cap.15.num.6.
D. Franciscus.
D.Franciscus Domino suum sudorem vendidit magno pretio. lib.1.cap.3.num.7.
D.Francisci monetæ aureæ. lib.5.cap.12.num.2.
D.Franciscus quantum fecerit sacerdotes. lib.5.cap.16.num.7.
D.Franciscus. lib.9.cap.16.num.4.
B. Franciscus Xauerius.
B.Franciscus Xauerius. lib.10.cap.13.num.4.
Fratres.
Iuuandi sunt fratres,non deserendi. lib.9.c.13.nu.4.
Fructus.
Fructui similis est Christiana sapientia. lib.3.cap.2.num.4.
Fructus producendi digni sapientia. lib.6.cap.9.num.10.
Fructus terræ afferunt exploratores. lib.7.cap.7.num.10.
Fuga.
Fuga sæculi gloriosa est. lib.1.cap.1.num.5.
Funes,Funiculus.
Funes mensuræ hæreditatis, & agrorum. lib.9.cap.14.num.19.
Funiculus quid significet. ibid.
Fures.
Fures grandine percutiuntur. lib.2.cap.15.num.8.

G

Gad.
GAd quid significet. lib.10.cap.16.num.8.
Gad typus est boni prælati. lib.10.ca.14.num.4.
Gad calcat mundi gloriam. lib.10.cap.16.num.8.
In terra Gad sepultus est Moses. lib.10.cap.6.num.2.
Gad stetit promissis. ibid.num.3.
Gad benedictio data à Iacob. lib.10.cap.6.num.4.
Gaudium.
Verum Gaudium ex Deo est. lib.3.cap.4.num.3.
Gaudium mundum deserentis. eodem num.3.
Gaudia mundi diabolus reuocat in memoriam, non laborem. lib.3.cap.19.num.1.
Gaudium internum. lib.10.cap.16.num.9.
Gaufridus.
Gaufridus. lib.10.cap.14.num.8.
Gehenna.
Gehennæ memoria. lib.3.cap.12.num.7.
Gemitus.
Gemitus cantus est turturis & columbæ. lib.6.cap.3.num.10.
Gemma.
Gemma splendidissima est humilitas. lib.8.cap.4.num.5.
Genealogia.
Genealogia Mosis,& Aaronis. lib.2.cap.3.num.14.
Gentes.
Gentilium sapientia Ecclesiæ seruit. lib.3.cap.2.num.4.
Vocatio Gentium repudiatis Israelitis. lib.9.cap.15.num.3.
Gentes in 72. linguas, & populos diuisæ dicuntur. lib.9.cap.14.num.12.
Gentes cum Israelitis gratulentur. lib.9.cap.15.num.16.
Gentes elegit Deus, & repudiauit Israelitas. lib.9.cap.17.num.9.& cap.20.num.2.
Gigantes.
Gigantes cur filij Enac dicantur. lib.7.cap.7.num.8.
Gigantes locustæ vincunt. lib.7.cap.8.num.8.
Aduersus Gigantes sumenda arma. eodem num.8.
Gladius.
Gladius iustitiæ diuinæ semper nobis impendens, & districtus considerandus est. lib.9.cap.7.num.10.
Gladius habet os,& deuorat. lib.9.cap.15.num.14.
Gladium iustitiæ suæ Deus exacuit vt percutiat impios. eodem num.14.
Gloria.
Gloria cælestis conuiuio adumbratur. lib.4.cap.9.num.8.
Gloria Domini cur nubes dicatur.lib.4.ca.10.num.4.
Gloriam Dei sibi ostendi petit Moses. lib.4.cap.22.num.7.
Gloriam suam quomodo Deus Mosi ostenderit. lib.4.cap.22.num.13.
Glorię status non est in hac vita.lib.4.cap.23.num.7.
Gloria cælestis exploranda est.lib.7.c.8.num.1.& 5.
Gloria merces & præmium est prædestinati. lib.9.cap.17.num.8.
Gloriæ æternæ præmium excitat ad tolerandos labores. lib.10.cap.14.num.1.
De gloriæ æternæ futuris bonis. lib.10.c.16.num.7.
Gloriæ cælestis bona. lib.10.cap.20.num.12.
Gloriæ mensura merita sunt. ibid.
Gloria Domini apparet,& seditiosos punit. lib.8.cap.2.num.6.
Gloria inanis.
Gloria inanis concionatori insidiatur. lib.9.cap.16.num.7.Vide verbo *Inanis.*
Gloria mundi.
Gad calcat mundi gloriam. lib.10.cap.16.num.8.
Grando.
Grando an in Ægypto fuerit. lib.2.cap.14.num.5.
Grando igni mixta erat. ibid.num.7.
Grandine percutiuntur fures. lib.2.cap.15.num.8.
Gratia.
Gratiæ agendæ sunt Deo semper. lib.2.ca.23.num.3.
Ignis actionis Gratiarum semper ardeat in altari cordis. eodem num.3.
Gratiarum actio post agni mensam. lib.2.cap.24.num.10.
Gratiæ agendæ Christo Domino.lib.3.ca.15.num.3.
Gratiarum actio. lib.3.cap.18.num.6.
Gratiæ Deo agendæ pro cibo,& aliis beneficiis.lib.3.cap.19.num.7.& cap.22.num.17.
In Gratiarum actionem ædificauit Moses altare post victoriam. lib.3.cap.21.num.5.
Gratiæ agendæ post adeptum beneficium.lib.6.cap.7.num.2.
Gratia Dei vera nobilitas. lib.3.cap.8.num.4.
Viam ad Dei Gratiam aperit timor.lib.4.c.5.num.3.
Gratiis mortificatio addenda est.lib.3.cap.15.num.3.
Gratia sal est. lib.6.cap.5.num.13.
Gratiæ incrementum meretur homo post acceptam primam gratiam. lib.4.cap.23.num.9.
Gubernator.
Gubernatoris onus. lib.7.cap.1.num.5.
Ad Gubernandum populum 70. senes ætate eliguntur. lib.7.cap.1.num.6.
Gubernator Reipubl. senex mente & prudentia sit. lib.7.cap.2.num.4.
Gubernatores sint mundi, ne inquinent Rempubl. ibid.num.4.
Gubernatores ligna sint exsiccata, non viridia. lib.7.cap.2.num.4.
Gula.
Gula fugienda. lib.6.cap.3.num.11.

H

Habitus.
HAbitus comedentium agnum. lib.2.cap.22.num.16.
Habitus peregrini Christiani iter agentis in terram promissam. lib.2.cap.23.num.6.
Habitus peregrinorum sumendus.lib.2.c.24.num.9.
Non est Habitus permanens spiritus prophetiæ. lib.7.cap.1.num.7.
Habitus pœnitentiæ. lib.4.cap.21.num.3.& 5.
Hædus.
An Hædum non agnum in paschate licuerit immolare. lib.2.cap.22.num.9.
Hædi & agni immolationes duas fuisse volunt quidam,sed fuit vna tantum. ibid.num.10.
Hæreditas.
Hæreditatis Dei mons dicitur promissionis terra. lib.3.cap.14.num.7.
Hæresis.
Hæresis fumus tartareus est, & obscurans solem. lib.2.cap.17.num.4.
Ad Hæreses sectandas nemo egrediatur ex domo Ecclesiæ Catholicæ. lib.2.cap.21.num.4.
Hæreses mox extinguendæ. lib.4.cap.17.num.3.
Hæresibus occurrendum est summa cum diligentia. lib.9.cap.13.num.6.
Hæretici.
Hæretici similes sunt Magis Ægypti. lib.2.cap.7.num.2.
Hæreticorum dracones deuorat virga Ecclesiæ. eod.num.2.
Hæretici similes sunt ranis Ægypti.lib.2.c.8.num.6.
Hæretici deficient. lib.2.cap.11.num.2.
Hæretici locustis comparantur. lib.2.cap.17.num.4.
Hæreticorum tenebræ sunt palpabiles. lib.2.cap.19.num.1.
Hæreticorum oculos velamine tegit diabolus. lib.4.cap.26.num.8.
Hæretici dissipant vnitatem spiritus. lib.7.cap.2.num.6.
Hæretici similes sunt Core,Dathan,& Abiron. lib.8.cap.3.num.6.
Hæreticos indicant onagri. lib.8.cap.4.num.1.
Hæreticis Petrus est petra contradictionis. lib.8.cap.8.num.4.
Hebesan.
Hebesan vrbs Regia. lib.8.cap.17.num.6.
Hebræi.
Hebræi pauci cum Iacob in Ægyptum ingressi, sed mirabiliter à Deo sunt multiplicati.lib.1.ca.4.n.3.
An Hebræi soli habitarent in terra Gessen. lib.1.cap.4.num.5.
Hebræi pastores erant in Ægypto. eodem num.5.
An Hebræi soli habitarent in terra Ægypti. eodem num.5.
Hebræi quot annis in Ægypto habitauerint. lib.1.cap.14.num.7.
Hebræi in Ægypto mirum in modum creuerunt. eodem num.7.
Hebræi quot annis vixerunt in Ægypto absque oppressione. lib.1.cap.6.num.2.
Hebræos cur Deus passus sit opprimi ab Ægyptiis. lib.1.cap.6.num.5.
Hebræi an idola adorauerint in Ægypto. ibid.
Hebręi an statim post mortem Ioseph redacti fuerint in seruitutem? ibid.num.6.
Hebræorum seruitus quot annis durauerit. lib.1.cap.6.num.7.
Hebræos cur afflixerint Ægyptij. ibid.num.12.
Hebræis negantur paleæ,&c. & prefecti flagellantur. lib.2.cap.1.num.10.
Hebræi de Mose,& Aarone conqueruntur. ibidem num.10.
In Hebræorum domibus non erant tenebræ, sed lux. lib.2.cap.18.num.8.
Hebræi an stantes agnum ederint? lib.2.cap.22.num.16.
Hebræi per dies 7.azymis vescebantur. lib.2.cap.22.num.22.

Hebræos cur Deus iusserit azymis vesci.lib.2.cap.22. num.24.
Nullus Hebræus ægrotus erat in Ægypto. lib.3. cap.3.num.3.
Hebræi omnes eadem die exierunt. ibid. num.4.
Hebræi in itinere columnam sequebantur. lib. 3. cap.5.num.8.
Hebræos Deus eduxit,& docuit per desertum. lib.3. cap.6.num.2.
An Hebræis in mare plures viæ apertæ sint? lib.3. cap.11.num.1.
Hebræi celebrant Christi laudem. lib.3.cap.15. num.3.
Hebræi à Mose petunt territi,vt loquatur ipse, non Deus. lib.4.cap.4.num.8.
Hebræis data est lex vetus, quia ex illis Christus nasciturus erat. lib.4.cap.5.num.2.
Hebræi suam obedientiam sæpè professi sunt. lib.4. cap.8.num.1.
An Hebræi omnes vitulum coluerint. lib.4.cap.12. num.16.
Hebræorum multiplicatio. lib.6.cap.10.num.9.
Hebræi cibos Ægypti desiderant.lib.7.cap.1.num.5.
Hebræos prohibuit Deus pugnare cum Moabitis,& Ammonitis. lib.8.cap.17.num.4.
In Hebræorum potestatem redactum est regnum Sehon. lib.8.cap.17.num.5.
In Hebræorũ hostes Deus crabrones misit, & Reges multos vicerunt. lib.8.cap.17.num.10.
Hebræi vincunt Madianitas. lib.9.cap.6.num.3.
Hebræorum ingratitudo. lib.9.cap.17.num.4.
Hebræos Deus exercere voluit cum hostibus dimicando. lib.10.cap.20.num.9.

Hebron.

Hebron ciuitas fuit antiquissima, & Tanis lib.7. cap.7.num.9.

Hircus.

De duobus Hircis quorum vnus immolabatur, alter in desertum mittebatur. lib.6.cap.8.num.11.
De Hirco emissario. lib.6.cap.9.num.6.

Holocaustum.

Holocaustorum altare erat in atrio tabernaculi.lib.5. cap.7.num.4.
Holocaustum cur sic appelletur. lib.6.cap.2.num.2.
Holocaustum erat sacrificium ascendens. ibidem num.2.
In Holocaustum masculum animal offerebatur, & immaculatum. lib.6.cap.2.num.3.
In Holocaustum offerebatur vitulus. ibid.num.6.
De Holocausto pecorum. lib.6.cap.2.num.10.
De Holocausto volucrum. ibid.num.11.

Homines.

Homines terrenos deuorat terra.lib.3.cap.14.num.5.
Homines feliciter conteruntur à Deo, cùm illorum nequitia conteritur vt vas figuli. lib.9.cap.8. num.9.
Homines seruantur, cùm peccata pereunt. eodem num.9.
Omnes Homines Deus in peccato inuenit. lib.9. ca.17.num.10.
Homines mundo seruiunt magno conatu,Deo multi seruiunt oscitanter. lib.5.cap.2.num.4.

Honores.

Honores non sunt ambiendi. lib.1.cap.18.num.6.
Honor,& potentia absorbent intellectum. lib.2. cap.2.num.2.
Honorem magnum Mosi populus deferebat. lib.4. cap.20.num.8.
Honor magnus superioribus deferendus.lib.4.ca.21. num.7.
Honorum ambitio. lib.6.cap.7.num.4.
Honores non sunt affectandi. lib.7.cap.2.num.2.
Honores mundi, & diuitiæ caro emuntur pretio. lib.7.cap.4.num.5.
Accepto Honore vnusquisque humiliter contentus sit. lib.8.cap.3.num.9.
Cum Honore, & potentia humilitas copulanda est. lib.8.cap.4.num.6.
Honores sunt idola hominum improborum. lib.4. cap.13.num.6.

Hor.

Hor mons, in quo mortuus est Aaron. lib.8.cap.10. num.2.

Horeb.

Horeb dicitur mons Sinai. lib.3.cap.20.num.7.

Hostia.

Hostia pacifica offerebatur pro beneficio vel impetrato,vel impetrando. lib.6.cap.6.num.2.
Ex hostia pacifica pars Deo dabatur, pars sacerdoti, pars offerentibus. eodem num.2.
Hostiæ pacificæ carnes in templo comedebantur, & coquebantur. lib.6.cap.6.num.3.
Qui hostia pacifica vescebantur mundos esse oportebat. eodem num.3.
Hostiæ pacificæ pectus, & armus dabatur sacerdoti. lib.6.cap.7.num.3.
Hostia pro peccato dicitur peccatum. lib.6. cap.8. num.4.
Hostia pro peccato offerenda nunc est cordis pœnitentia,addenda oris confessio,& satisfactio. lib.6. cap.9.num.6.

Hostis.

Hostis terretur, si fortiter resistimus. lib.2.cap.2. num.11.
Hostes potentissimi nos ex Ægypto fugientes persequuntur. lib.3.cap.4.num.5.
Cum Hostibus dimicando Deus exercere voluit Israelitas. lib.10.cap.20.num.9.

Humiles.

Humiles hominum mundanorum iudicia contemnunt. lib.1.cap.5.num.6.
Humilis Moses paruit consilio Iethro. lib.3.cap.24. num.5.
Humilis Moses ad Deum confugit.lib.8.ca.2.num.3.
Humilem hominem adumbrat Issachar, & ad tolerandos pro cælesti gloria labores fortem. lib.10. cap.14.num.1.

Humilitas.

Humilitas. lib.7.cap.1.num.9.
Humilitas Ioseph. lib.1.cap.5.num.6.
Humilitas Mosis. lib.1.cap.17.num.11. & lib.8. cap.3.num.7
Humilitas Prælati. lib.2.cap.5.num.5.
Humilitas, & obedientia necessaria est religiosis. lib.6.cap.3.num.8.
Humilitas Principum. lib.8.cap.3.num.7.
Humilitas à viris Ecclesiasticis amplectenda. lib.8. cap.4.num.5.
Humilitas est ascensus ad superiora. lib.8.c.3.num.5.
Humilitas splendidissima est gemma.lib.8.cap.4.n.5.
Humilitas cum honore,& potentia copulanda.lib.8. cap.4.num.6.
Humilitas necessaria est ad discendam legem. lib.10. cap.8.num.6.
Humiliter contentus sit vnusquisq; honore accepto. lib.8 cap.3.num.9.

Hur.

Hur non fuit filius Mariæ sororis Mosis.lib.3.cap.21. num.3.
Hur dicitur fuisse maritus Mariæ sororis Mosis.eod. num.3.
Hur,& Aaron loco Mosis in castris manent. lib.4. cap.10.num.3.

Hyacinthus.

Hyacinthus quid significet. lib.5.cap.9.num.11.

Hyssopus.

Hyssopus quid sit. lib.2.cap.22.num.20.

I

Iacob.

IAcob vxores. lib.10.cap.16.num.1.

Iamsuph.

De Iamsuph nomine Hebræo. lib.3.cap.10.num.1.

Idololatria.

Idololatria magnum scelus. lib.4.cap.13.num.11.
Propter Idololatriam Deus populo iratus est, vult eum omnino abolere. lib.4.cap.14.num.3.
Idololatriam populi futuram Deus Mosi, & Iosue prædicit. lib.9.cap.14.num.3.
Idololatriam Israelitarum puniuit Deus in captiuitate Assyriorum, & Babyloniorum. lib.9.cap.19. num.12.
Idololatriam destruxere Apostoli. lib.10.c.20.nu.7.

Idolum.

Idolorum cultores faciunt Deos,habent enim Deos qui fiunt. lib.4 cap.13.num.3.
Idola colunt insipientes,&Deos faciunt.ibid.num.4.
Idola sunt muscipula,scandalum, & laqueus Ethnicorum. lib.4.cap.13.num.4.
Idola hominum improborum sunt voluptates,vitia, & honores. lib.4.cap.13.num.6.
Idola sordes sunt, & ignorantia hominum. lib. 4. cap.13.num.9.& lib.9.cap.14.num.8.
Idolorum cultores, ludis, & comessationibus indulgebant sub arboribus. ibid.num.12.
Idolum Beelphegor. lib.9.cap.5.num.3.
Idolorum cultores sunt multi. lib.9 cap.14.num 9.
Idola coluerunt Hebræi ingrati brutis animantibus insipientiores. eodem num.9.
Idola nihil sunt,Deus vnus est, qui homines & seruare potest,& disperdere. lib.9.cap.15.num.13.
Idola cisternæ sunt dissipatæ. lib.9.cap.17.num.4.

Idumæa.

Idumæa est montosa. lib.8.cap.9.num.6.
Idumæa ab Esau dicitur Edom, & mons Seir. ibid. num.7.
Idumæa non longè distabat à terra promissionis. lib.8.cap.9.num.7.
Idumæa gentilitatem significat. lib.9.cap.4.num.9.
Idumæorum Rex noluit transitum per Idumæam præbere Israelitis. lib.8.cap.9.num.2.

Iehoua.

Iehoua nomen an notum fuerit Pharaoni. lib. 2. cap.1.num.5.
Iehoua nomen an Deus Patribus indicauerit? lib.2. cap.3.num.5.
Iehoua nomen notum fuit Patribus.lib.2.c.3.num.6.
Iehoua nomen non fuit indicatum Patribus secundùm significationem. lib.2.cap.3.num.7.
Iehoua significat immutabilitatem Dei. ibid.num.8.
In nomine Iehoua fecit Moses miracula.lib.2.cap.3. num.9.

Ieiunium.

Ieiunij vis. lib.4.cap.14.num.4.
An Ieiunauerit Moses tres quadragesimas? lib.4. cap.18.num.7.

Ieremias.

Ieremiæ verba explicantur. lib.6.cap.1.num.8.

Iericho.

Iericho typus est mundi. lib.10.cap.20.num.6.

Ieroboam.

Ieroboam Rege duo vituli excitati sunt, non defuit supplicium lib.4.cap.15.num.6.

IESVS.

IESVS in Iosue pugnauit aduersus Amalec. lib.3. cap.22.num.14.

Iethro.

Iethro venit ad Mosem cum vxore, & filiis Mosis. lib.3.cap.23.num.2.
Iethro Moses excepit magno cum honore. ibidem num.3.
Cùm Iethro venit, erant castra Hebræorum iuxta montem Sinai. lib.3.cap.23.num.4.
Iethro sacerdos an per se ipsum obtulerit sacrificium. ibid.num.5.
De conuiuio Iethro coram Domino exhibito. lib.4. cap.23.num.6.
Iethro consilium dedit Mosi, Moses illud accepit. ibid.num.7.
Iethro ad Madianitas reuertitur.lib.3.cap.23.num.8.
Iethro quibus nominibus in scriptura appelletur. ibid.num.8.
Cinæi à Iethro oriundi. lib.3 cap.23.num.8.

Ignaui.

Ignaui,& ociosi ad gloriam non perueniunt. lib.10. cap.20.num.8.

Ignis.

Ignis columnæ an fuerit verus? lib.3.cap.5.num.7.
Ignis terrorem,nubes significat blandimentum.lib.3. .cap.6.num.9.
Igne tartareo ex fide aduersus hostes pugnandum. lib.3.cap.12.num.7.
Ignis à Deo missus in altari seruatus est. lib.5.cap.17. num.4.
Ignis alienus dicitur ignis profanus, non missus à Deo. ibid.num.5.
Ignis nouus noui testamenti amor.lib.5.c.18.num.1.
Igne auaritiæ incensus est Iudas. eodem num.1.
Ignis Dei charitas. lib.5.cap.18.num.2.
Ignis diaboli. ibid.num.2.
Ignis Dei nutritur meditatione. lib.5.cap.18.num.3.
Ignis charitatis sit in corde perpetuus. ibid. num.4.
Igne à Deo comburuntur 250. seditiosi. lib.8.cap.2. num.12.
Ignis tartareus. lib.9.cap.18.num.3.
Ignis tartarei lignum sunt peccata. lib.9.cap.18. num.5.
Ignis tartareus æternus est, & extinguendus pœnitentia,dum viuimus. eodem num.5.
Igne purgatorio non est expurgatus Moses. lib.10. cap.19.num.8.
Ignis inferni perpetua habenda memoria.lib.4.cap.5. num.4.

Illecebræ.

Illecebræ carnis fugiendæ. lib.9.cap.9.num.2.

Illuminatio.

Illuminatio vultus Dei quid significet. lib.7.cap.12. num.3.

Imaginatio.

Imaginatio est anus valdè garrula, non tacet. lib.10. cap.16.num.2.

Imago.

Imagines cur Deus olim vetuerit.lib.4.ca.9.num.4.

Immolatio.

Immolationes duas quidam fuisse volunt agni, & hœdi. lib.2.cap.22.num.10.
Vna tantùm fuit Immolatio agni. ibid.num.10.

Immolatio agni ad patrem familias pertinebat. lib.2. cap.22.num.10.
Immolationis agni tempus. ibid.num.11.
An in Paschate Immolare licuerit hædum, non agnum? lib.2.cap.22.num.9.
An Immolare licuerit vitulum? ibid.num.9.

Imperium.

Iuxta Imperium Domini omnia agenda sunt. lib.6. cap.12.num.4.

Impij, Improbi.

Impiorum cælum est Nilus mundi. lib.1.cap.3. num.4.
Impios puniendo ostendit Deus potentiam suam. lib.2.cap.11.num.2.& cap.15.num.5.
Impiorum abominationes Deo iusti sacrificant. ibid. num.6.
Impiorum cor terroribus emollitur. lib.2.cap.14. num.9.
Impij à vento vanitatis velut locustæ eleuati à vento occidentali mortis expelluntur. lib.2.cap.17. num.3.
Impiorum tenebræ. lib.2.cap.19.num.1.
Impiorum tenebræ palpabiles sunt. ibid.num.2.
Inter impios, & iustos in eisdem domibus viuentes mira differentia. lib.2.cap.19.num.3.
Impiorum tenebræ catena sunt, & longa nox. ibid. num.4.
Impij Christus in iudicio terribilis apparebit. lib.3. cap.6.num.9.
Impij Reges similes sunt leonibus. lib.3.cap.12. num.9.
Impij descendunt in profundum barathrum, quasi plumbum. eod.num.9.
Impiorum exempla à malo deterrent prudentes. lib.3.cap.22.num.4.
Impij fugiunt Dei conspectum. lib.3.cap.24.num.4.
Duo sunt populi; alter impiorum, alter sanctorum. lib.8.cap.10.num.4.
Impij post mortem abeunt ad populum Impiorum, probi ad populum iustorum. lib.8.cap.11.num.3.
Impiorum maledictiones conuertit Deus in benedictiones iustorum. lib.9.cap.7.num.2.
Impiorum familiaritas fugienda. lib.9.cap.8.num.3.
Impiorum supplicium est veluti sacrificium victimarum. lib.9.cap.9.num.4.
Impiorum mors est naufragium. lib.10. cap.19. num.7.
Improba vita est gradus ad hæresim Lutheranam. lib.2.cap.21.num.3.
Improborum hominum idola sunt voluptates, vitia, & honores. lib.4.cap.13.num.6.
Improborum familiaritas fugienda est. lib.6.cap.5. num.8.
Improbi manna fastidiunt, cibos Ægypti appetunt. lib.7.cap.4.num.3.
An Improbi fruerentur omnibus saporibus manna? lib.3.cap.18.num.12.

Inanis gloria.

Inanis gloria fugienda. lib.1.cap.12.num.1.
Inanis gloria, & superbia inebriant hominem. eod. num.1.
Inanis gloria bonis operibus insidiatur. eodem num.1.
Inanis gloria insidiatur concionatori. lib.9.cap.16. num.7.

Inaures.

Inaures aureas petit Aaron ab Hebræis. lib.4.cap.12. num.8.
Cur Inaures aureas petiuit Aaron? ibid.num.9.
Inaures significant obedientiam. lib.4.cap.13.num.8.

Inæqualitas.

Inæqualitas est mater contentionis. lib.9.cap.13. num.3.

In æternum.

In æternum, & vltra quid significet. lib.3.cap.14. num.8.

Incarnatio.

Incarnatio Verbi indicatur. lib.4.cap.6.num.3.
Per Incarnationem venit Deus in populum Iudæorum, & propter peccata disperdidit eum. lib.4. cap.12.num.2.

Incendium.

Incendio Israelitæ puniuntur. lib.8.cap.2.num.13.

Indignatio.

Indignatio est odium peccati. lib.10.cap.16.num.10.

Induratio.

De Induratione hominum. lib.2.cap.4.num.3.

Infantes.

Præcepit Rex vt infantes in flumine demergerentur. lib.1.cap.8.num.8.
Infantum occisio in flumine quando cœperit. ibid. num.10.
Nilus in quo Infantes occisi sunt, in sanguinem conuersus est. lib.2.cap.7.num.1.

Infernum.

Inferni ignis perpetua habenda memoria. lib.9.ca.4. num.4.
Vide verbo *Ignis*.

Infirmitas.

In infirmitate perficitur fortitudo Christi. lib.3. cap.15.num.2.

Ingratitudo.

Ingratitudo pessimum vitium. lib.9.cap.17.num.4.
Ingratitudo Hebræorum. eod.num.4.
Ingratitudo Regis Ieroboam. eod.num.4.
Ingratitudo synagogæ. ibid.num.4.

Ingrati.

Ingrati Hebræi idola coluerunt brutis animantibus insipientiores. lib.9.cap.14.num.9.

Iniuriæ.

In Iniuriis seruanda patientia. lib.9.cap.19.num.3.
Iniuriæ vincendæ beneficiis. ibid.num.4.

Innocentia.

Innocentia offerentis significatur in positione manuum super victimam. lib.6.cap.3.num.6.

Insipientes.

Insipientes idola colunt, & Deos faciunt. lib.4.cap. 13.num.4.

Intellectus.

Intellectus rerum spiritualium magnum est Dei donum. lib.9.cap.18.num.7.
Caligo Intellectus. eod.num.7.
Intellectus mittendus explorator tartari. lib.9.ca.18. num.9.

Intentio.

Intentio bene dirigenda ad imitationem Christi agni. lib.2.cap.24.num.4.
Intentio recta. lib.6.cap.7.num.6.
Intentionem purificat charitas. eod.num.6.

Inuidia.

Inuidiæ vis. lib.1.cap.6.num.12.
Inuidia. lib.7.cap.2.num.7.
Inuidiæ iacula. lib.10.cap.4.num.4.
Inuidiæ iacula in Christum coniecta. lib.10.cap.12. num.4.

Ioannes Castrius.

Ioannes Castrius Prorex Lusitanus totum percurrit mare rubrum. lib.3.cap.10.num.4.

Iob.

Librum Iob dicitur scripsisse Moses, vt consolaretur afflictos Hebræos. lib.3.cap.13.num.4.
Liber Iob carmine scriptus, & cantica Scripturæ. eod.num.4.

Iochabed.

Iochabed mater Mosis an fuerit patruelis Amram. lib.1.cap.10.num.2.

Iordanis.

Iordanis vnde dicatur. lib.10.cap.6.num.5.
Iordanis typus baptismi. lib.10.cap.20.num.6.

Ioseph.

Ioseph ossa exportauerunt Israelitæ. lib.3.cap.5. num.4.
Ioseph vbinam sepultus sit. eod.num.4.
Ioseph benedictio data à Mose. lib.10.cap.4.num.5.
Ioseph cur dicatur Nazaræus? ibid.num.6.
Tribus Ioseph fortitudo. lib.10.cap.4.num.7.
Ioseph benedictio data à Iacob. ibid.num.8.
Ioseph filius accrescens, & fructificans. lib.10.cap.4. num.8.
Ioseph pulchritudo. eod.num.8.
Ioseph persecuti sunt fratres. lib.10.cap.4.num.9.
Ioseph Deus liberauit. ibid.num.10.
Ioseph Ægypti gubernator, fratrum columna. eod. num.10.
Ex Ioseph orta tribus Ephraim fortis, & inuicta. lib.10.cap.4.num.10.
Ioseph typus fuit Christi. lib.10.cap.12.num.2.

Iosue.

In Iosue pugnauit Iesus aduersus Amalec. lib.8. cap.22.num.14.
An Iosue impositum fuerit hoc nomen, cùm explorator factus est? ibid.num.15.
An Iosue, & Moses cibum sumpserint in monte? lib.4.cap.10.num.5.& 9.
Iosue recedente Mose custodiebat tabernaculum. lib.4.cap.10.num.10.
Iosue nomen à salute dicitur. lib.7.cap.7.num.5.
Populus Iosue, & Caleb lapidare voluit. lib.7.cap.9. num.5.
Iosue, & Caleb exploratores terram repromissionis ingressi sunt. lib.7.cap.9.num.12.
Iosue an fuerit dux electus aduersus Madianitas. lib.9.cap.6.num.3.
Iosue Deus Mosi successorem dat. lib.9.cap.10. num.6.
Iosue erat vir spiritus. ibid.num.7.
Iosue princeps constituitur. eod.num.7.
Pro Iosue consulebat Deum summus sacerdos. lib.9. cap.10.num.9.
Verus Iosue populum suum duxit ad gloriam. lib.10. cap.20.num.2.

Ira Dei.

Ira Dei vigilat. lib.1.cap.18.num.1.
Deus iratus est populo propter idololatriam. lib.4. cap.14.num.4.
Iræ Dei obsistunt sanctorum preces. lib.4.cap.19. num.3.
Iræ Dei quomodo resistendum. eod.num.3.
Ira Dei est ignis aduersus peccata. lib.4.cap.21. num.1.

Isaias.

Isaias cur à Iudæis occisus. lib.4.cap.22.num.12.

Israel, Israelitæ.

Israel Deus per desertum duxit, docuit, & custodiuit. lib.9.cap.14.num.19.
Israelitæ in terra Gessen in Ægypti introitu habitarunt. lib.1.cap.4.num.4.
Israelitas an Deus à plagis liberauerit. lib.2.cap.10. num.3.
Israelitis facultatem abeundi dat Pharao. lib.2. cap.20.num.7.
Israelitæ ex Ægypto exire coguntur. lib.3.cap.1. num.3.
Israelitæ quot annis in terra Chanaan & Ægypto manserint. ibid.num.7.
Israelitæ omnes confluxerunt in Ramesses. lib.3.cap. 3.num.2.
Israelitæ exierunt decima quinta die mensis Nisan. lib.3.cap.3.num.7.
Israelitæ an exierint die ac noctu? eod.num.7.
Israelitæ ascenderunt armati ex Ægypto. lib.3.cap.5. num.3.
Israelitas Pharao per mare insequitur. lib.3.cap.9. num.4.
Israelitæ spoliarunt Ægyptios mortuos. ibid.num.6.
Israelitæ an transierint littus Arabicum? lib.3.cap.11. num.2.
Israelitæ 40. annis comederunt manna. lib.3.cap.18. num.17.
Israelitæ sponte offerunt Deo aurum, &c. ad faciendum tabernaculum. lib.5.cap.1.num.5.
Israelitis an liceret vesci adipe aliquorum animalium? lib.6.cap.6.num.4.
Israelitis non licebat vesci sanguine. ibid.num.5.
Israelitarum vomitus. lib.7.cap.3.num.4.
Israelitæ auditis exploratoribus quid egerint. lib.7. cap.9.num.3.
Israelitæ reuerti volunt in Ægyptum. eod.num.3.
Israelitæ 10. vicibus Deum tentauerunt. lib.7.cap.9. num.11.
Israelitæ an omnes mortui sint in deserto? ibidem num.15.
Israelitæ 40. annis vagi fuerunt in deserto. lib.7. cap.10.num.2.
Israelitæ an in deserto coluerint idola? ibid.num.2.
Israelitæ incendio puniuntur. lib.8.cap.2.num.13.
Israelitæ an habuerint aquæ penuriam? lib.8.cap.7. num.12.
Israelitarum multitudo, & fortitudo. lib.9.cap.4. num.3.
Israelitarum liberatio fuit perfectum opus Dei. lib.9. cap.14.num.7.
Israelitarum calceamenta non sunt attrita in deserto. lib.9.cap.14.num.20.
Israelitæ incrassati aduersus Deum recalcitrarunt. lib.9.cap.15.num.1.
Israelitarum supplicium. lib.9. cap.15.num.2.&c. & 12.
Israelitæ Dei vinea fuere. ibid.num.8.
Israelitas Deus repudiauit. lib.9.cap.15.num.3.& cap.17.num.9.& cap.20.num.2.
Israelitæ Messiam occiderunt. lib.9.cap.20.num.1.
Israelitæ nolunt cognoscere Mosem, id est, legem esse sepultam. lib.10.cap.19.num.2.
Israelitas Deus exercere voluit cum hostibus dimicando. lib.10.cap.20.num.9.

Issachar.

Issachar tribus dicitur præ cæteris studio scripturarum dedita. lib.10.cap.5.num.4.
Benedictio Mosis data Issachari, & Zabuloni. lib.10. cap.5.num.1.
Issachar hominem adumbrat humilem, & fortem ad labores, &c. lib.10.cap.14.num.1.
Issachar vmbra est viri religiosi. ibid.num.3.

Iter.

Itineris difficultates vincendæ sunt; & Christus aspicien-

aspiciendus. lib.8.cap.15.num.6.& 7.

Iudas Patriarcha.

An Iuda tribus prima sit ingressa mare rubrum? lib.3.cap.11.num.5.
Iudæ erat vexillum primum. lib.6.cap.11.num.3.
Benedictio data à Mose tribui Iudæ. lib.10.cap.3. num.1.
Iudæ benedictio data à Iacob. ibid.num.3.
Iudas confertur cum leone. lib.10.cap.3.num.3.
Iudæ sceptrum vsque ad Messiam. ibid.num.4.
Vbertas terræ Iudæ. lib.10.cap.3.num.4.

Iudas Iscariot.

Iudas igne auaritiæ incensus periit. lib.5.cap.18. num. 1.

Iudæi.

Iudæi Christum cur occiderunt? lib.2.cap.24.num.3.
Iudæi sanguinem agni percutientem petierunt, non libertatem. eod.num.3.
Iudei tenent legis vmbram, fugiunt Christum solem. lib.4.cap.5.num.2.
In Iudæorum populum Deus per incarnationem venit. lib.4.cap.21.num.2.
De Iudæorum velamine, & cæcitate. lib.4.cap.26. num.6.
Iudæorum conuersio in fine mundi. lib.6.cap.10. num.8.& lib.7.cap.5.num.10.
Ex Iudæis non sunt multi ingressi Ecclesiam. lib.7. cap.11 num.5.
Iudæorum regnum exossauit Nabuchodonosor. lib. 9.cap.15.num.14.
Vide verbo *Hebræi*, & verbo *Israel*.

Iudex.

Iudex Rempublicam expurgat sceleribus. lib.1. cap.14.num.4.
Super Iudicum virgas Deus inuigilat, & eorum opera expendit. lib.1.cap.18.num.3.
Iudices, & Prælati sunt Dij nuncupatiuè. lib.2.cap.5. num.2.
De bono Iudice. ibid.num.6.
Iudices constituit Moses in populo. lib.3.cap.23. num.7.
Quales debeant constitui Iudices. lib.3.cap.24. num.4.
Iudicis potentia. ibid.num.6.
Iudex iudicium Dei exercet. lib.3.cap.22.num.7.
Timor Dei in Iudices, & diligentia. eod.num.7.
Iudicis veritas. lib.3.cap.24.num.7.
Iudicis odium in auaritiam. eod.num.7.
Iudicis probitas, & probata conuersatio. lib.3.cap.24. num.7.
Iudicis, & Regis honor est rectum iudicium. lib.7. cap.17.num.2.
Iudex non sit acceptator personarum. eod.num.2.
Iudex improbus serpens est in via. lib.10.cap.14. num.7.
Iudicem excæcant munera. eod.num.7.
Iudex bonus qualis est. lib.10.cap.14.num.8.
Iudex probus non accipit munera. ibid. num.8.

Iudicium.

In Iudicio Christus blandus iustis, terribilis impiis apparebit. lib.3.cap.6.num.9.
In die Iudicij aperietur liber vitæ. lib 4.cap.19. num.5.
In Iudicio aperiendi sunt libri conscientiæ. eodem num. 5.
Iudicium, & supplicium. lib.9.cap.15.num.11.
In die Iudicij Christus maximè glorificabitur. lib.3. cap.15.num.1.

Iuge sacrificium.

Iuge sacrificium quid fuerit? lib.6.cap.2.num.12.

Iugum.

Iugum frangit dura ceruix. lib.4.cap.21.num.1.

Iuramentum.

Iuramentum Dei contra Amalecitas. lib.3.cap.21. num.6.
Iurantis est manus in cælum leuare. lib.2.cap.3.num. 13.& lib.9.cap.15.num.14.

Iustitia Dei.

Duo Dei nomina Iustitiam indicant. lib.4.cap.26. num.2.
Iustitia Dei semper meditanda. ibid.num.3.
Iustitia Dei consideranda in puniendo hoc homine. lib.8.cap.1.num.6.
Iustitiæ Dei memoriale laminæ thuribulorum. lib.8. cap.2.num.12.
Iustitiæ diuinæ gladius semper considerandus est. lib.9.cap.7.num.10.
Iustitiæ suæ gladium Deus exacuit, vt percutiat impios. lib.9.cap.15.num.14.

Iustus.

Iustus vir non audit clamores voluptatis, & sanguisugæ. lib.1.cap.5.num.2.
Iusti viri sunt memoriale Dei. lib.1.cap.16.num.11.
Iusti Deo sacrificant abominationes impiorum. lib.2. cap.11.num.6.
Inter iustos & impios in iisdem domibus differentia. lib.2.cap.19.num.3.
Iustos erudit Dominus, & probat tanquam nouitios. lib.3.cap.6.num.2.
Iustis Christus blandus in iudicio apparebit. lib.3. cap.6.num.9.
Iusti cupiditates effrænatas mortificant. lib.3.cap.15. num.1.
Iusti feruido corde Deo seruiunt. lib.5.cap.1.num.4.
In Iustis glorificatur Deus. lib.5.cap.18.num.7.
Iustis bellum infert Diabolus. lib.8.cap.17.num.12.
Iustorum mortem expetunt improbi, non vitam. lib.9.cap.8.num.4.
Iustus in hac vita crescit virtute. lib.10.cap.12.num.1.
Iusti semper habent in quo exerceantur. lib.10.cap. 20.num.9.

Iuuenes.

Iuuenes moriuntur natura repugnante. lib.8.cap.11. num.8.

L

Labor.

Labores sanctorum oblationibus adumbrantur. lib.6.cap.5.num.5.
Laborem qui fugit, felicitatem fugit. lib.8.cap.6. num.11.

Labrum.

Labrum æneum erat in atrio. lib 5.cap.7.num.5.
Labrum factum est ex speculis mulierum. eodem num.5.

Lacrymæ.

Lacrymæ pœnitentiæ. lib.4.cap.21.num.4.

Lactuca.

Cum Lactucis amaris comedebatur agnus. lib.2. cap.22.num.21.

Lætitia.

Lætitia post conuersionem. lib.3.cap.4.num.3.& num.4.

Lais.

Lais incenditur à viris de tribu Dan. lib.10.c.6.n.7.

Lateres.

Lateres quos Hebræi conficiebant quales fuerint. lib.1.cap.6.num.9.
Lateres lutei in saphirinos conuersi. lib.4.cap.9. num.5.

Lauacrum.

Lauacrum baptismi, & pœnitentiæ. lib.5.cap.11. num.2.

Laus.

Ad laudes Dei Moses inuitat. lib.3.cap.14.num.2.
Laudem Christi celebrant Hebræi. lib.3.cap.15. num.3.
Ad laudes Dei celebrandas manè surgendum. lib.3. cap.19.num.7.
Laus permiscenda est correctioni. lib.3.cap.23. num.10.

Leui.

Leui benedictio data à Iacob. lib.10.cap.3.num.5.
Leui & Simeonis tribus quomodo disperiæ fuerint. lib.10.cap.3.num.9.
Leui significat spem. lib.10.cap.16.num.5.

Leuitæ.

Leuitæ occidunt vituli cultores. lib.4.cap.16. num.5.
An aliqui ex Leuitis vitulum adorauerint? eodem num.5.
Leuitarum factum laudat Moses. lib.4.cap.16. num.10.
An Leuitæ electi fuerint ad ministrandum in tabernaculo, quòd occiderint cultores vituli. eodem num.10.
An præter Leuitas aliis liceret ingredi atrium tabernaculi? lib.5.cap.7.num.7.
Leuitæ cur militare dicantur? lib.5.cap.11 num.5.
Leuitæ erant ministri templi. lib.5.cap.19.num.9.
Leuitarum consecratio. ibid. num. 3.
Leuitæ quoto anno inceperint ministrare, & desinere. lib 5.cap.19.num.4.
Leuitæ non sunt numerati cum reliquis. lib.6.cap.10. num.9.
Leuitis datum est sacerdotium Vrim, & Thumim. lib.10.cap.3.num.5.
Leuitarum zelus. ibid.num.6.
Leuitæ à custodia legis laudantur. lib.10.cap.3. num.6.

Lex.

Lex naturalis à natura promulgatur. lib.4.cap.5. num.1.
Lex naturalis scripta reuocat homines ad cor. eod. num.1.
Lex membrorum concupiscentia repugnat legi mentis. lib.4.cap.5.num.1.
Legis vmbram tenent Iudæi, solem Christum fugiunt. ibid.num.2.
Legis literam Crux dulcem reddidit. lib.3.cap.17. num.3.
Lex lata est die 50. ab exitu ex Ægypto in die Pentecostes. lib.4.cap 2.num.3.
Lex vetus lata est in itinere, id est, obiter. lib.4.cap.3. num.12.
An Lex vetus sit promulgata per Angelos? lib.4. cap.4.num.4.
Leges tradidit Deus Mosi. lib.4.cap.7.num.2.
Legis veteris cæremoniæ diuiduntur in sacraficia, sacra, sacramenta, & obseruationes. lib.3.cap.23. num.1.
Lex cur dicatur ignea. lib.4.cap.5.num.5.& lib.10. cap.8.num.1.
Lex ignea non combussit spinas peccatorum. lib.1. cap.16. num.4.
Legis veteris abrogationem significat fractio primarum tabularum. lib.4.cap.15.num.1.
Agar, id est, Lex vetus expulsa est ab Ecclesia. ibid. num.2.
Sub lege vetere vnum erat templum, & multæ synagogæ. lib.5.cap.9.num.4.
Legis veteris sacerdotium non est ingressum Ecclesiam. lib.8.cap.11.num.1.
Lex Dei illuminat montem, & prudentem facit hominem. lib.10.cap 8.num.1.
Lex comburit vitia vt ignis. lib.4.cap.5.num.5.
Lex ignea peccatum consumit. lib.10.cap.8.num.2.
Lex ignea data in igne. ibid.num.3.
Lex vetus erat vmbra nouæ. lib.6.cap.12.num.6.
Lex vetus Hebræis data quia ex illis Christus erat nasciturus. lib.4.cap.5.num.2.
Lex Christi lux est, prudentes facit homines. lib. 4. cap.5.num.5.
Deus legem nouam in cordis nostri tabulis scribit. lib.4.cap.11.num.2.
Lex Christi ignea, quia est charitas. lib.10.ca.8.num. 3.& lib.4.cap.5.num.5.
Lex Christi hæreditas nostra. lib.10.cap.8.num.5.
Lex in dextera Dei, quia necessarium est auxilium dexteræ eius ad seruandam legem. lib.10.cap.8. num.4.
Ad legem discendam necessaria est humilitas. ibid. num.6.
Lex Christi lux est. lib.4.cap.5.num.5.

Lia.

Lia significat affectionem. lib.10.cap.16.num.2.
Liæ 7. filij septem virtutes significant. ibid.num.3.

Libamenta.

Libamenta cum sacrificiis offerebantur. lib.6.cap.8. num.9.

Liber.

De quonam Libro deleri petierit Moses. lib.4.ca.18. num.3.
De Libro vitæ Deus peccatores delet. ibid.num.5.
Liber vitæ quid sit? lib.4.cap.19.num.5.
De Libro vitæ quomodo deleatur homo. eodem num.5.
Libri conscientiæ aperiendi sunt in iudicio. eodem num.5.
Liber bellorum Domini periit, liber pacis Domini, id est, Euangelium numquam peribit. lib.8. cap.16.num.3.

Liberatio.

Liberatio Israelitarum ex Ægypto fuit perfectum opus Dei. lib.9.cap.14.num.7.

Libertas.

Libertatis amantes indicant omagri. lib.8.cap.4. num.1.

Libido.

Libido pestis est brutorum hominum. lib.2.cap.15. num.1.
Libido homines conuertit in iumenta. ibid.num.1.
Contra Libidinem congregandus est exercitus. lib.3. cap.22.num.7.
Contra Libidinem qui milites sint congregandi. eod. num.7.
Libido vicit Hebræos. lib.9.cap.9.num.1.
Libido est similis Scillæ, & Charybdi. ibid.num.2.
Libidinis illecebræ sunt cantus Sirenarum. lib.9. cap.9.num.2.
Libido hominem exagitat. lib.10.cap.9.num.1.
Libidinis impetus castitatis cingulo comprimendus est. ibid.num.2.
Libido velociter fugienda est. lib.10.cap.9.num.2.
Libidinis cogitationes immundissimæ repellendæ sunt. ibid.num.4.

Lignum.

Ligno dulces fiunt amaræ aquæ. lib.3.ca.16.num.2.

Lateres

An Ligni

An ligni vi naturali dulces factæ sint aquæ? eodem num.3.
Lignum aquas dulces faciens vmbra passionis. lib.3. cap.17. num. 3.

Lingua.

Lingua nobilium, id est, sanctorum. lib.3.cap.8.nu.4.
Lingua equus effrænatus. lib.7.cap.5.num.11.
Lingua effrænata vehiculum est diaboli. eod.nu.11.
Lingua probi viri equus est Christi. lib.7.cap.5. num.11.
In 72. Linguas, & populos diuisæ sunt gentes. lib.9. cap.14.nu. 12.

Locustæ.

Locustæ complent terram Ægypti. lib.2.cap.16.n.4.
Locustæ à vento sunt adductæ, & à vento expulsæ. ibid.num.5.
Locustæ auaros significant, & adulatores. lib.2.cap. 17.num.3.
Locustæ hæreticos adumbrant. ibid. num.2.
Locustæ vincunt gigantes. lib.7.cap.8.num.8.

Lucerna.

An Lucernarum lux Ægyptiis profuerit? lib.2. cap. 18.num. 4.
An Lucernarum beneficio se loco mouerint Ægyptij. eodem num. 4.

Luctus.

Luctus signa. lib.5.cap.17.num.7.

Lusitanus.

Lusitanus Prorex totum percurrit mare rubrum. lib. 3.cap.10.num.4.

Lutherana hæresis.

Ad Lutheranam hæresim gradus est vita improba. lib.3.cap.21.num.3.

Lux.

Lux est lex Christi. lib. 4. cap.5.num.5.
Lux Spiritus sancti. lib.5.cap.10.num.7.
Lux in homine est intelligentia rerum spiritualium. lib.9.cap.18.num. 7.

M

Madian, Madianitæ.

In terra MAdian vitam egit Moses 40. annis. lib.1.cap.13.num.2.
Madianitæ qui sint. lib.1.cap.13.num.7.
Madianitæ ab Abraham habuerunt originem. lib.9. cap.1.num.4.
Madianitas Hebræi vincunt. lib.9.cap.6. num.3.

Magi.

Magi aquam conuertunt in sanguinem. lib.2.cap.6. num.3.
Magi vndenam aquam habuerint. eod.num.3.
Magi an aquam conuerterint in sanguinem verum? lib.2.cap.6. num. 4.
Cur Deus permisit Magos illa signa facere. lib.2.cap. 7.num.3.
Magi ranas fecerunt. lib.2.cap.8.num.2.
Magi confessi sunt Dei potentiam. lib.2.cap.9. num.4.
Magi cur defecerint in tertio signo. eod. num.4.
Magos sciniphes facere Deus non permisit. lib.2. cap.11.num.2.
Magi coacti Dei potentiam cognouerunt. eod.nu.2.
Magi victi sunt à Mose, & humiliati. lib.2.cap.13. num. 3.

Magi Reges.

De Magorum stella vaticinium. lib.9.cap.4.num.7.

Magistratus.

Magistratus potentiam habent à Deo. lib.9.cap.19. num.5.

Maledictio, Maledicus.

Maledictiones patienter tolerandæ. lib.9.cap.8.nu.2.
In Maledicos, & detractores. eod.num.2.

Malum.

Malorum principiis obstandum. lib. 4.ca.17.num.3.
Mala huius vitæ breuia sunt. lib.9.cap.18.num.12.

Mandata.

Decem Mandata in tabulis sculpta erant. lib.4.ca.10. num.10.
Mandata quæ ad Deum spectant, erant in prima tabula, quæ verò ad proximum in secunda. eodem num.10.
Mandata sua Deus magni facit. lib. 4.cap.11.num.1.
Mandata Dei vsque ad mortem constanter sunt obseruanda. eod.num.1.
Mandata corpore, & animo seruanda sunt. lib.4.cap. 11.num. 2.
Primum Mandatum primæ tabulę fregerunt Hebręi, cùm adhuc scriberetur à Deo. lib. 4.cap.14.num.2.
Mandata Dei thesaurus. lib.5.cap.10.num.4.
Mandata Dei sunt specula. lib. 5.cap. 11. num.3.
Mandata seruantibus datur Dei benedictio. lib.9. cap.7.num.3.

Mane.

Mane surgendum ad celebrandas Dei laudes. lib.3. cap.13.num.7.

Manna.

Manna cibum Deus Hebræis misit. lib.3.cap.18.n.5.
An Manna fuerit duplici rore tectum? eod.num.5.
An Manna exoriente sole liquefieret? lib.3. cap.18. num. 6.
An Manna sole per miraculum liquefieret? eodem num.6.
Manna nomen vnde sit ortum. lib.3.cap.18.num.7.
Manna colligebatur certa mensura Gomor. ibidem num.8.
Manna non relinquebatur in diem alterum. lib. 3. cap.18.num. 9.
Manna ex cælo sabbato non fluebat. ibid.num.10.
Manna quale fuerit. lib. 3.cap.18.num.11.
Manna habuit multos sapores. lib.3.cap.18.num.12.
Manna an vicem potus suppleuerit. ibid.num.13.
Manna vnde descenderet, & quomodo fieret. lib.3. cap.18.num.14.
Monna cur panis Angelorum, vel fortium dicatur. eod.num.14.
Manna dicitur conseruasse corpora. lib.3.cap.18. num.15.
An Manna primùm descenderit die dominica? eod. num.15.
Manna 40.annis comederunt Israelitæ. lib. 3.cap.18. num. 17.
Manna dedit Deus tentatis Hebręis. lib.3.cap.19.n.1.
Manna typus S. Eucharistiæ. lib.3.cap.19.num.2.
Manna significat verbum Dei. lib.4.cap.19.num.12.
Manna dulcem animæ refectionem adumbrat. ibid. num.13.
Manna, id est, cælestis dulcedo, deficit, si terrenis frugibus delectemur. lib.3.cap.19.num.15.
An post Manna data sit aqua. lib.3.cap.20.num.6.
Manna cur & quando deficit. lib.10.cap.20.num.4.

Mansio.

Prima Mansio dicitur Ramesses. lib.3.cap.3.num.3.
Secunda Mansio Socoth. lib.3.cap.7.num.1.
Tertia Mansio Etham. ibid.num.2.
Quarta Mansio Phihahirot. lib.3.cap.7.num.3.
Quinta Mansio Marah. lib.3.cap.16.num.2.
Sexta Mansio Elim. ibid.num.4.
Septima Mansio super mare rubrum. lib.3.ca.16.n.5.
Octaua Mansio in deserto Sin. lib.3.cap.20.num.2.
Nona Mansio in Daphca. ibid.num.2.
Decima Mansio Alus. lib.3.cap.20.num.2.
Vndecima Mansio Raphidim. ibid.num.3.
In Mansione montis Sinai mansit populus per annum vnum. lib.6.cap.11.num.2.
Mansionum ordo. lib. 7.cap.6.num.1.
In Mansione Cadesbarne manserunt Israelitæ longo tempore. ibid.num.5.
An in Mansione Cadesbarne Israelitæ manserint 38. annis? lib.8.cap 1.num.3.
Mansio Remmonphares. lib.8.cap.14.
Mansiones multas cursim Moses commemorat. eod. num.4.
Mansiones multæ hìc à Mose prætermittuntur. lib.8 cap.16.num.2.

Mansuetudo, Mansuetus.

Cum Mansuetudine detractio ferenda est. lib.7. cap.5.num.12.
Mansuetis laudem pariunt detractores. eod.num.12.

Manus.

Manus leuamus, cùm leuamus opera. lib.3.cap.22. num.8.
Manus Mosis is leuat qui eius scripta ad sensus spiritales eleuat. ibid.num.9.
An Manibus extensis in modum Crucis Moses orauerit? lib.3.cap.22.num.10.
Manuum nostrarum, id est, operum fulcra. ibidem num.13.

Mare.

Mare rubrum an in sanguinem sit conuersum? lib.2. cap.6.num.2.
Maris rubri aqua veluti murus sublata est. lib.3. cap.9.num.4.
Per Mare apertum Pharao insequitur Israelitas. eod. num.4.
Maris rubri aquis obruitur exercitus Pharaonis. lib.3 cap.9.num.5.
Maris rubri aquis obruitur Pharao Cenchres. ibid. num.6.
Mare rubrum cur ita dicatur? lib.3.cap.10.num.2.
An Mare rubrum apertum germinauerit flores? ibid. num.4.
An in Mari plures viæ apertæ sint Hebræis? lib.3. cap.11.num.1.
In Mari rubro relicta vestigia transitus. ibid.num.6.
Maris rubri aquæ aquatum baptismi fuere vmbra. lib.3.cap.12.num.11.
In Mari mundi huius multi transeunt sicco pede, alij demerguntur. ibid.num.12.
In Mari multæ sunt in cælum viæ. lib.3.cap.12. num.12.
An Mare Pamphilicum Alexandro apertum fuerit. lib.3.cap.9.num.4.

Maria.

Maria soror Mosis fuit prophetissa, & magno in pretio habita. lib.7.cap.5.num.3.
Maria soror Mosis an virum habuerit? ibid.num.3.
De Maria Deus supplicium sumit. lib.7.cap.5.num.8
Pro Maria lepra percussa orat Moses. ibid.num.9.
Maria extra castra habitauit. ibid.num.9.

Martinus.

Martinus Cardinalis. lib.10.cap.14.num.8.

Martyres.

Martyres sunt Dei sacrificia. lib.6.cap.3.num.4.

Medad.

Medad, & Eldad cur non iuerint ad tabernaculum? lib.7.cap.1.num.9.
Cur Iosue noluerit prophetare Eldad, & Medad? ibid.num.10.

Meditatio, Meditantes.

Meditatione nutritur Dei ignis. lib.5.cap.18.num.3.
Meditatio nouissimorum vtilissima. lib.9.cap.18. num.8.
Meditatio, & consideratio. lib.10.cap.12.num.3.
Meditantibus in flamma amoris, & inter spinas dolorum apparet Deus. lib.1.cap.16.num.6.

Mel.

Mel, & fermentum non offerebatur Domino in sacrificiis. lib.6.cap.4.num.5.
Mellis primitiæ, & munera offerebantur Deo. eod. num.5.
Mel fugiendum est, id est, voluptas. lib.6.cap.4. num.10.
Mel dicitur significare nuptias legitimas, sed ab altari repellitur, quia altaris ministris vxorem ducere fas non est. lib.6.cap.5.num.11.
Mel significat diuinam dulcedinem. ibid.num.12.
Mel reperitur in diuinis scripturis. lib.6.cap.5. num.12.
Mel Christi sunt bona opera, & sermones. eodem num.12.
Mellis operaria est apis, sic vir bonus. eod.num.12.

Memoria.

Memoria beneficiorum Dei. lib.3.cap.17.num.6. & cap.18.num.16. & cap.19. num.14. & lib. 6. cap.5. num.9. & lib.9.cap.14.num.10.
Memoria beneficiorum Dei pugnandum est contra tentationes. lib.9.cap.17.num.5.
Memoria mundi extinguenda est. lib.7.cap.4.num.4
In Memoriam reuocat diabolus mundi gaudia, non labores. lib.3.cap.19.num.1.
Memoria nouissimorum scutum fidei. lib.9.cap.18. num.8.
Mmemoria gehennæ. lib.3.cap.12.num.7.
Memoria ignis inferni perpetuò habenda. lib.4. cap.5.num.4.

Memoriale.

Memoriale fecit Deus libertatis donatæ Israelitis. lib.2.cap.23.num.2.
Memoriale passionis Christi est sacrificium Eucharistiæ. lib.3.cap.19.num.14.
Memoriale iustitiæ Dei laminæ thuribulorum. lib.8. cap.2.num.12.

Mendacium.

Mendacium est vitium diabolicum. dib.9.cap.8. num.5.
Mendacium est fœditas verborum. lib.10.cap.15. num.3.

Mensa.

Mensa. lib 5.cap.6.num.4.
Mensa quid significet. lib.5.cap.10.num.6.
Mensa sacræ Eucharistiæ. eod.num.6.

Merces.

Merces cum Christo est. lib.1.cap.9.num.5.

Meridies.

A Meridie cœperunt explorare terram. lib.7.cap.7. num.7.

Merita.

Non suis Meritis elegit Deus Israelitas. lib.9.cap.14. num.19.
Merita sunt mensura gloriæ. lib.10.cap.20.num.12.

Messias.

Messias promittitur Hebræis, cùm lex fertur abroganda à Messia. lib.4.cap.6.num.2.
Messiam an populus in monte Sinai mitti postulauerit. ibid.num.4.
De Messia. lib.7.cap.9.num.8. & lib.10.cap.3.num.2. & num.4.

Messiam occiderunt Israelitæ. lib.9.cap.20.num.1.
Supplicium Iudæorum propter cædem Messię. ibid. num.3.
Messias desiderabilis. lib.10.cap.4.num.13.
Messiam Iacob expectabat. lib.10.cap.6.num.9.

Messis.

In Messem multam fideles operarij mittendi sunt. lib.10.cap.13.num.3.

Metatio castrorum.

De Metatione castrorum. lib.6.cap.10.num.10.

D. Michaël.

D.Michael legem promulgauit. lib.4.cap.4.num.5.
In D.Michaele venit Deus in montem multis angelis comitatus. ibid.num.6.

Milites, Militia.

Milites sumus in hoc itinere ad cœlum promissum lib.6.cap.12.num.1.
Militis vita. ibid.num.1.
Milites non sunt delicati. ibid.num.1.
Militum caritas, &vnitas requiritur. ibid.num.2.
Militis horrendũ exemplum.lib.10.cap.19.num.10.
Militia est vita nostra. lib.3.cap.17.num.1.
Militare Deo qui dicantur. lib.5.cap.11.num.5.

Mincha.

DeMincha oblatione ex farina. lib.6.cap.4.num.3.

Ministri.

Ministri noui testamenti sine vllo velo Dei gloriam speculantur. lib.4.cap.26.num.7.
Ministris altaris vxorem ducere fas non est. lib.6. cap.5.num.11.

Miraculum.

Miraculum de filiis Core. lib.8.cap.2.num.10.
Miraculum factum in torrentibus Arnon. lib.8. cap.16.num.3.

Myrrha.

Myrrhæ arbor. lib.5.cap.13.num.3.
Myrrha,seu mortificatio curæ sit Christiano. lib.5. cap.14.num.4.
Myrrha indicat pœnitentiam. ibid.num.5.

Misericordia.

Misericordia cum seueritate sociande est. lib.4. cap.17.num.5.
De Misericordia Dei. lib.4.cap.26.num.2.& 3.

Missio.

Mittendi operarij fideles in messem multam. lib.10. cap.13.num.3.
Vide etiam verbo *Exitus.*

Moabitæ.

Cum Moabitis Hebræis Deus pugnare prohibuit. lib.7.cap.17.num.4.
Moabitarum Rex Balac vocauit Balaam, vt maledicceret Hebræis. lib.9.cap.1.num.2.
Moabitæ à Loth habuerunt originem. ibid.num.4.

Modestia.

Modestia, & verecundia homines allicit. lib.10. cap.16.num.11.

Moles.

Moles Ægypti qui homines agitant. lib.1.cap.3. num.1.

Mons Sinai.

IuxtaMontẽSinai mansit populus spatiovnius anni. lib.4.cap.1.num.1 & lib.6.cap.11.num.2.
A rubis dicitur desertum Sinai,& mons. ibidem num.3.
Qui Montem Sinai tangebant morte mulctabantur. lib.4.cap.1.num.5.
In Montem Sinai Deus venit magna cum maiestate. lib.4.cap.2.num.4.
Mons Sinni ardebat,&fumabat,& tremebat,propter maiestatemDei. eodem num.4.
In Montis cacumen DeusMosem vocat, & cum eo loquitur. lib.4.cap.2.num.5.
In Monte Dominus apparet summa cum maiestate, & summo cum terrore. lib.4.cap.3.num.9.
In Montem Deus venit inD.Michaele multis angelis comitatus. lib.4.cap.4.num.6.
In Monte Sinai an populus Messiam postulauerit? lib.4.cap.6.num.4.

Mores.

Minatur Deus vt Mores corrigamus lib. 1.cap.18. num.10.
Qui pristinos Mores mutat sacrificat in deserto.lib.2. cap.11.num.5.

Mors.

Mortem & vitam inuenit Moses apud aquas. lib.8. cap.8.num.1.
Quid sit pergere ad populum suum in Morte. lib.8. cap.10.num.3.
Post Mortem impij ad populum abeunt impiorum, probi ad populum iustorum.lib.8. cap.11.num.3.
In Morte colliguntur homines. ibid.num.5.
Mors est amara. lib.8.cap.11.num.6.
Mors Aaronis placida. ibid.num.6.
Mors bona in quo sita sit. lib.8.cap.11.num.7.
Mors omnes spoliat. ibid.num.9.
Mors omnes excutit. lib.8.cap.11.num.10.
Mors omnes nudat, eorum vestibus alij induuntur. ibid.num.11.
Morientibus succedunt alij. lib.8.cap.11.num.12.
Mortuorum sepulchra sunt viuorum specula. lib.9. cap 18.num.10.
Mors Mosis fuit placidissima. lib.10.cap.17.num.9.
De Morte Mosis Iosephus. ibid.num.10.
Mors Mosis somnus fuit & quies. lib.10.cap.19. num.7.
In Morte sequuntur nos bona opera,& peccata,non voluptates. eodem num.7.
Mors impiorum est naufragium.lib.10.c.19.num.7.
Mortis placidę exempla. lib.10.cap.19.num.9.
Mortis horrendæ exempla. ibid num.10.
Mors,& hyems. lib.10.cap.19.num.10.

Mortificatio.

Mortificatio addenda gratiis quæDeo aguntur.lib.3. cap.15.num.3.
Mortificanda est caro.lib.4.cap.17.num.4.& cap.24. num.6.
Mortificatio,& oratio duo altaria. lib.5.c.11.num.1.
Mortificatio.lib.5.cap.12.num.3.& lib.6.cap.5.n.14.
Qui se Mortificant sunt Dei sacrificia. lib.6.cap.3. num.5.

Moses.

Moses infans quomodo 3. mensibus latere potuit. lib.1.cap.8.num.8.
Cur Mosis mater infantem abscondere ausa fuerit? lib.1.cap.10.num.3.
Moses pulcher erat. lib.1.cap.10.num.3.& cap.12. num.5.
Moses puerulus diadema Regis conculcat. lib.1. cap.11.num.2.
Moses successor Regis Ægypti. ibid.num.3.
Mosisvita in 3.annorum quadragesimas distribuitur. lib.1.cap.13.num.2.
Moses literis operam dedit in aula. ibid.num.3.
Moses dux Æthiopas vicit. lib.1.cap.13.num.3.
Moses post quadraginta annos inuisit Hebræos.ibid. num.4.
Moses in Ægypto reuelationem habuit.lib.1.cap.13. num.5.
Mosis amor vitę solitariæ. eodem num.5.& cap.17. num.11.
Mosi an Ægyptium occidere licuerit, & cur illum occiderit? lib.1.cap.13.num.6.
De Mosis fuga ad Madianitas. ibid.num.7.
Duo Mosis filij Gerson, & Eleazar geniti in terra Madian. lib.1.cap.13.num.8.
An Mosis socer fuerit Princeps Madian.ibid.num.9.
Moses boni Principis & Prælati imago.lib.1.cap.14. num.1.
Moses solus venit ad Hebræos inuisendos. ibid. num.2.
Moses despexit Ægypti opes, & honores propter Christum. lib.1.cap.14.num.2.
Moses Pastor contemplationi vacabat in terra Madian. ibid.num 5.
Mosis beneficentia in filias sacerdotis Madian.lib.1. cap.14.n.6.
Moses cur ad interiora deserti gregem duxerit?lib.1. cap.15. num.3.
Mosi apparet angelus in rubo ardenti. ibid.num.5.
Moses ab omni cupiditate alienus. lib.1.cap.16. num.1.
Moses filium vocauit Peregrinum. eodem.num.1.
Moses renuit ire ad Pharaonem, & liberare populum. lib 1.cap.17.num.3.
Mosi dat Deus potestatem miracula faciendi coram populo,vt illi fidem habeat. ibid.num 4.
Moses an fuerit eloquens? lib.1.cap.17.num.5.
Mosis linguæ impedimentum vnde ortum sit. ibid. num.6.
Moses ex comparatione Dei visus est sibi infacundus. lib.1.cap.17.num.6.
Moses an habuerit aliquod naturale linguæ impedimentum. ibid.num.7.
Moses ait se tardam,&impeditã habere linguam ad verba Ægyptiaca proferenda.lib.1.cap.17.num.8.
Moses alium mitti postulat ad liberandum populum ibid.num.10.
Moses cur onus recusauerit. lib.1.cap.17.num.11.
Moses in Ægyptum proficiscitur cum vxore,&filiis. ibid.num.13.
Moses Dei mandatum Pharaoni nunciat de dimittendo populo. lib.2.cap.1.num.3.
Moses cur petierit viam trium dierum? ibid.num.8.
Moses quomodo Deus Pharaonis constitutus sit. lib.2.cap 4 num.2.
Moses prædicit plagam antequam illam inferat.lib.2 cap.6.num.2.
Mose orante victus est Amalec. lib.3.cap.21.num.3.
An Moses orauerit extensis manibus in modum crucis? lib.3.cap.22.num.10.
Moses quomodo se gesserit cum Iethro. Vide verbo *Iethro.*
MosemDeus vocat in cacumen, & cum eo loquitur. lib.4.cap.2.num.5.
Mosesduxit populum in occursumDomini,Christus in penetralia. lib.4.cap.3.num.11.
Per Mosem dedit populo præcepta cæremonialia, & iudicialia. lib.4.cap.4.num.3.
Moses, & reliqui quomodo Deum viderint. lib.4. cap.9.num.4.
Moses & cæteri Deum viderunt, tamen non sunt mortui. ibid.num.7.
Cum Mose 6.diebus Dominus colloquium distulit. lib.4.cap.10.num.5.
Moses 40.diebus non sumpsit cibum.eodem num.5.
Quid Mosi Deus præceperit illis 40.diebus. lib.4. cap.10 num.7.
Mosi dat Dominus duas tabulas lapideas. ibidem num.8.
Moses orat pro populo.lib.4.cap.14.num.4.&lib.7. cap.9.num.6.
Moses descendit ex monte portans duas tabulas. lib.4.cap.14.num.5.
Moses zelo Dei permotus tabulas fregit. eodem num.5.
Mosis zelus magnus. ibid. num.6. & cap.15.num.3.
Moses vitulum aureum redegit in puluerem, & potum dedit Hebręis. lib.4.cap.14.num.6.
Moses quorsum potandum dederit Hebræis vituli puluerem? lib.4.cap.14.num.8.
Moses quomodo populum nudatum viderit. lib.4. cap.16.num.3.
Moses ad Deum reuertitur,vt pro populo oret.lib.4 cap 18.num.2.
Moses de quónam libro deleri se petierit. ibid. num.3.
Mosis charitas erga oues. lib.4.cap.19.num.4.& lib.7.cap.1.num.11.
Mosi magnum honorem deferebat populus. lib.4. cap.20.num.8.
Mosi quónam modo ostenderit Dominus gloriam suam. lib.4.cap.22.num.13.
Moses vidit posteriora Dei,id est,Christi humanitatem in monte Thabor. lib.4 cap 24.num.2.
Mosi Deus apparuit in corpore fulgentissimo. lib.4. cap.25.num.5.
Mosis faciei fulgor vnde ortus sit. ibid.num.12.
Mosis facies cur dicatur cornuta? lib.4.cap.25. num.12.
Moses cur faciem suam fulgidam esse ignorauerit? ibid.num.13.
In Mosis facie quandiu permanserit fulgor. lib.4. cap 25.num.14.
Mosem Deus laudat. lib.7.cap.5.num.8.
Moses orat pro Maria percussa lepra. ibid.num.9.
Moses mitissimus. lib.7.cap.5.num.12.
Moses & Aaron se prosternunt ante Deum. lib.7. cap.9.num.4.
Moses humilis ad Deum confugit. lib.8. cap.2. num.3.
Mosis humilitas. lib.8.cap.2.num.7.
In Mosem & Aaron Dominus sententiam fert. lib.8. cap.7.num.7.
Moses cur in terram promissionis non intrarit? eod. num.7.
Moses dubitauit de voluntate Dei. lib.8.cap.7. num.9.
Moses apud aquas inuenit vitam, & mortem. lib.8. cap.8.num.1.
Mosi Deus culpam remisit,non verò pœnam. lib.9. cap.10.num.4.
Moses orat vt transire sibi liceat in terram promissionis. lib.9 cap.10.num.5.
Moses moriturus petit à Deo successorem. eodem num.5.
Moses non postulauit principatum filiis suis,aut cõsanguineis. lib.9.cap.11.num.2.
Moses quomodo cælum & terram inuocet. lib.9. cap.14.num.4.
Moses increpat Israelitas. ibid.num.8.
Moses quomodo viderit ex monte terram promissionis. lib.10.cap.17.num.4.
Moses non introiuit in terram promissionis propter delictum. ibid.num.6.
Moses mortuus est in monte. lib.10.cap.17.num.7.
Mosis mors fuit placidissima. ibid.num.9.
Moses sepultus est in valle. lib.10.cap.17.num.9.
An Mosem mori viderint aliqui ex Israelitis? lib.10. cap.17.num.10.
De Mosis morte Iosephus. eod.num.10.

Mosis sepulchrum nemo nouit. lib.10.cap.18.num.1
Moses non est ingressus terram promissam, quia lex Mosis non erat ingressura Ecclesiam Christi vt seruaretur. ibid.num.2.
An Moses fuerit maximus prophetarum. lib.10. cap.18.num.3.
Moses non potuit populum in cælum promissum introducere, potuit Christus. lib.10.cap.9.num.3.
Mosem in terram promissam Deus introduxit, cùm eum adduxit in montem Thabor. eodem num.3.
Moses magna fuit præditus virtute. lib.10.cap.19. num.5.
Moses vegeto corpore senex mortuus est. ibidem num.6.
Mosis mors somnus fuit, & quies. lib.10.cap.19. num.7.
Moses non est expurgatus purgatorio igne. ibidem num.8.

Munditia.

Munditia affectuum. lib.6.cap.3.num.7.

Mundus.

Mundus suos tribulat, & affligit. lib.1.cap.3.num.1.
Mundi Nilus est plenus crocodilis, illius aqua attentione magna sumenda, non flexo poplite. ibidem num.3.
Mundus ad terrena demergit. eodem num.3.
Mundus operibus lutosis homines occupat. ibidem num.4.
Ex Mundo descendendum est. lib.1.cap.3.num.5.
Mundus animo relinquendus. eodem n.5.
Mundus habet multum bituminis. lib.1.cap.5.n.1.
Mundi mancipia non saturantur. ibid.n.2.
Mundi inquietudinem, & molestiam indicant muscæ mundi. lib.2.cap.11.num.4.
Mundus perfectè relinquendus est. lib.2.cap.19.n.6.
Mundus festinanter relinquendus, & peccata. lib.2. cap.23.num.5.
Mundus est Ramesses, id est, tonitruum gaudij. lib.3. cap.4.num.2.
Qui Mundo valefaciunt exultant. ibid.num.3.
Mundum deserentis gaudium. lib.3.cap.4.num.3.
Ex Mundo oportet nos armatos ascendere. lib.3. cap.4.num.5.
Qui mundum relinquunt, non sunt obiiciendi validis hostibus. lib.3.cap.6.num.1.
Mundum relinquentibus tranquillitas ostenditur. eodem num.1.
Eos qui Mundum deserunt, vehemētiùs persequitur diabolus. eodem num.1.
Ad Mundum deserendum nos prouocat Deus vt aquila. ibid.num.2.
Mundi gaudia, non laborē diabolus reuocat in memoriam. lib.3.cap.19.num.1.
Mundi memoria extinguenda est. lib.7.cap.4.nu.4.
Mundus est solitudo plena serpentibus. lib.9.cap.17. num.10.

Munera, Munuscula.

Munera excæcant iudicem. lib.10.cap.14.num.7.
Munuscula parua recipit Deus. lib.6.c.5.num.1.

Murmuratio.

Murmuratio in tribulatione cauenda. lib.3.cap.12. num.3.
Murmuratio Hebræorum. lib.3.cap.18.num.2.& lib.8.cap.14.n.2.
Murmuratio populi. lib.3.cap.20.num.4.
Murmurat populus propter laborem itineris. lib.7. cap.1.num.3.
Murmuratores igni puniuntur. eodem n.3.
Mmurmuratores ingressu terræ promisse Deus priuauit. lib.7.cap.9.num.9.
In Murmuratores lata à Deo sententia. ibid.n.10.
Murmuratores in deserto moriuntur. lib.7.cap.9. num.13.
Murmurant Israelitæ, quia Deus seditiosos occidit. lib.8.cap.2.num.13.
Murmuratio, & punitio Israelitarū. lib.8.cap.5.n.1.
Murmuratio Hebræorū punitur ignitis serpentibus. lib.8.cap.14.num.3.
Murmuratores quo tempore extincti. lib.8.cap.16. num.2.
Murmuratoribus extinctis nouus populus numeratur ante ingressum terræ promissæ. lib.9.cap.10. num.3.

Muscæ.

Muscis Ægyptus completur. lib.2.cap.10.num.2.
Muscæ erant diuersi generis. eod.num.2.
Muscæ Ægypti mundi inquietudinem, & molestiam indicant. lib.2.cap.11.num.4.

N

Nabuchodonosor.

NAbuchodonosor exossauit regnum Iudæorum. lib.9.cap.15.num.15.

Naufragium.

Naufragium duplex est, alterum circa mores, alterum circa fidem. lib.2.cap.21.num.2.
Naufragium est mors impiorum. lib.10.cap.19.n.7.

Nephthali.

Nephthali benedictio data à Mose. lib.10.cap.7.n.1.
Nephthali benedictio data à Iacob. lib.10.cap.7.n.3.

Nilus.

Nilus est pluuia terrestris Ægypti. lib.1.cap.1.num.3
Nilus stagnat, & terram Ægypti aquis operit. eodem num.3.
Nilus non exedit agros, sed oblimat. lib.1.cap.1.n.4.
Nilus, id est, mundus, est plenus crocodilis. lib.1. cap.3.num.3.
Nilus mundi, est impiorum cælum. ibid.num.4.
Nilus an sit totus conuersus in sanguinem? lib.2. cap.6.num.2.

Nisan.

Nisan mensis principiū anni constituitur in quo ex Ægypto egressi sunt Israelitæ. lib.2.cap.22.num.4.
Prima luna mensis Nisan propinquior æquinoctio verno. eodem n.4.
Decima die mensis Nisan agnus domum adductus est, 14.die immolatus. lib.2.pac.22.num.6.
Dei 15.mensis Nisan exierunt Israelitæ ex Ægypto. lib.3.cap.3.num.7.
Dei 8.mensis Nisan obtulit Aaron primum sacrificium. lib.5.cap.17.num.3.
Mense Nisan oblatum est primum nouumq; sacrificium veteris, & noui testamenti. lib.5.cap.18.n.1.

Nobilitas.

Nobilitas vera gratia Dei. lib.3.cap.8.num.4.
Nobilia ora Deum laudant. eodem num.4.

Nomen.

Nomina Dei. Vide verbo *Dei nomina.*

Nouatores.

Nouatores noui audiendi non sunt. lib.9.cap.14. num.10.

Nouissima.

Nouissimorum memoria vtilissima. lib.9.cap.18.n.8.
Nouissimorum memoria scutum fidei. eodem n.8.
Nouissima indicant res caducas esse vanas. lib.9. cap.18.num.10.
Nouissima prouidenda sunt. ibid.num.11.& 12.

Nubes.

Nubes significat blandimentum. lib.3.cap.6.num.9.
Nubes cur dicatur gloria Domini? lib.4.cap.10. num.4.
Nube tabernaculum Deus operuit, quæ illius maiestatem indicabat. lib.5.cap.13.num.4.
Nubes apparebat super tabernaculum. lib.6.cap.11. num.4.
Nubis columna vbi resideret in itinere. ibidem num.6.

Numerus, Numeratio.

Numerus eorum qui Ægyptum ingressi sunt. lib.1. cap.4.num.2.
An prima populi Numeratio fuerit illa cuius fit mētio Numeror. cap.1. lib.5.cap.8.num.5.
Numerati an aurum obtulerint tabernaculo. ibidem num.7.
Numeratio populi fuit vna. ibid.num.9.
De Numeratione populi in monte Sinai. lib.6. cap.10.num.9.

Nuptiæ.

Nuptias legitimas mel significat. lib.6.cap.5.num.11.

O

Obduratio.

OBduratio cordis fugienda. lib.7.cap.11.num.4.

Obedientia.

Obedientia quomodo in prosperis, & aduersis sit exhibenda. lib.1.cap.18.num.7.
Obedientia est colūna cœnobij. lib.3. cap.6.num.8.
Obedientia Rechabitarum. lib.3.cap.24.num.2.
Obedientia Deo maximè præstanda est. eodem num.2.
Obedientia populi Israel. lib.4.cap.1. num.4.
Obedientis vox. lib.4.cap.3.num.4.
Obedientia & timor populi Deo placuit. lib.4.cap.7. num.2.
Obedientiam suam Hebræi sæpè professi sunt. lib.4. cap.8.num.1.
Placuit Deo Hebræorum paratus animus ad Obediendum legi. eodem num.1.
In Obedientia non perseuerarunt Hebræi. eodem num.1.
Obedientiam significant inaures. lib.4.c.13.num.8.
De Obedientia. eodem num.8.
Obedientia sacerdotis. lib.5 cap.16.num.9.
Obedientiam præcipuè Deus in sacrificiis postulabat. lib.6.cap.1.num.9.
Obedientia, & humilitas necessaria est religiosis. lib.6.cap.3.num.8.& 11.
Obedientiam potestatibus debent subditi. lib.8. cap.3.num.2.

Oblatio.

De Oblatione primogenitorum. lib.3.cap.3.num.6.
Israelitæ sponte offerunt Deo aurum, & cætera ad faciendum tabernaculum. lib.5.cap.1.num.1.
Prompta Israelitarum mens ad Offerendum. ibidem num.6.
Magis considerat Dominus ex quanto offertur, quā quantum offertur. lib.5.cap.2.num.1.
Ex dantis mente & corde accipitur quod offertur. eodem num.1.
Oblationes etiam paruas Deus remunerat. lib.5. cap.2.num.2.
Oblationes Israelitarum quid significent. ibidem num.6.
De mincha Oblatione ex farina. lib.6.cap.4.num.3.
Oblatio ex panibus, laganis, & ex placentis. ibidem num.4.
Oblatio ex spicis virentibus. lib.6.cap.4.num.6.
Offerentium paupertati prouidit Dominus. lib.6. cap.5.num.2.

Obliuio.

Obliuio beneficiorum Dei est opprobrium hominum. lib.2.cap.23.num.3.
Obliuio plagarum Dei. lib.3.cap.12.num.6.
Obliuiscimur tormentorum, & supplicij, ideo peccatum non cauemus. ibid.num.7.
Obliuiscimur citò viam salutis. lib.4.cap.13.num.10.

Obstetrices.

An Obstetrices fuerint Hebræi? lib.1.cap.8.num.3.
An Obstetrices dixerint mendacium? ibid.num.5.
Obstetricum remuneratio quenam fuerit. lib.1. cap.8.num.6.
Aiunt Hebræi duas Obstetrices fuisse Iochabed, & Mariam. eodem num.6.

Occasio.

Occasiones peccati abolendæ. lib.4.cap.15.num.5.

Odium.

De Odio, & eius effectibus. lib.2.cap.19.num.5.
Odiū peccati est indignatio. lib.10.cap.16.num.10.

Odor.

Odor orationis suauis est Deo. lib.3.cap.22.num.12.
Odor sacrificiorum quomodo possit ab hominibus tolerari. ibid.num.9.

Og.

Og Rex Basan. lib.8.cap.17.num.4.
Og regno spoliatus. ibid.num.9.
Og fuit de stirpe gigantum. lib.8.cap.17.num.9.
Fabula Hebræorum de Og. eodem num.9.

Oleum.

De Oleo quo tabernaculum vnctum est, & sacerdotes. lib.5.cap.13.num.3.
Aromata ex quibus Oleum componebatur. eod.n.3.
Oleum siue vnguentum vnctionis prohibitum. lib.5. cap.13.num.3.
Olei virtus quadrat in sacerdotes. lib.5.c.16.num.7.
Oleo deuotio adumbratur. lib.6.cap.5.num.1.

Onagri.

Onagri libertatis amantes indicant, & hæreticos. lib.8.cap.4.num.1.

Opera.

Opera mortua dicuntur peccata mortalia. lib.1. cap.16.num.8.
Leuamus manus, cùm leuamus Opera. lib.3.cap.22. num.8.
Operum nostrorum fulcra. ibid.num.13.
Opera bona, & sermones sunt mel Christi. lib.6. cap.5.num.12.
Opera bona dilatant viam postulationi. lib.6.cap.7. num.1.
Opera bona sunt signum prædestinationis. lib.9 cap.17.num.7.
Operibus bonis tempus volans retinetur. lib.9. cap.19.num.9.
Opera bona, & peccata sequuntur nos in morte. lib.10.cap.19.num.7.
Bona Opera semina sunt æternitatis. lib.9.cap.16.n.9

Operarius.

Operarij fideles mittendi sunt in messem multam. lib.10.cap.13.num.3.

Operimenta tabernaculi.

Operimenta tabernaculi quid significent. lib.5. cap.9.num.12.

Opes.

Opes suas Aaron reliquit filio Eleazaro. lib.8.cap.11. num.13.
Vide verbo *Diuitiæ.*

Oratio.

Oratio fortior est verbo & exemplo. lib.2.c.5.num.3.

Oratio feruens clamat. lib.3.cap.13.num.4.
Oratio fundamentum diurnorum operum. lib.3. cap.19.num.7.
Orante Mose victus est Amalec.lib.3.cap.21.num.3.
Oratione pugnandum belli tempore. lib.3.cap.22. num.8.
Orabant Iudæi extensis manibus. ibid.num.11.
Oratio attenta esse debet, & intenta, non remissa. lib.3.cap.22.num.12.
Orantis corporis compositio. ibid.num.12.
Orationis odor suauis est Deo. lib.3.cap.22.num.12.
Orationis vis. lib.4.cap.14.num.3.
Oratio zelum suppeditat. lib.4.cap.15.num.3.
Oratio pastoris est scutum ouium lib.4.c.19.num.1.
Orationes sanctorum iræ Dei obsistunt.lib.4.cap.19. num.3.
Ex Oratione, & meditatione oritur fulgor mentis, & corporis. lib.4.cap.26.num.4.
Orationes breues iacula spiritualia sunt.eod.num.4.
Orationis locus est templum. lib.5.cap.9.num.2.
Oratio Salomonis. eodem num.2.
Oratio, & mortificatio duo altaria. lib.5.cap.11. num.1.
Orandi tempora, matutinum, vespertinum, meridianum. lib.6.cap.12.num.8.
Oratio scutum est, & arma. lib.8.cap.5.num.1.

Ornatus.

Ornatum suum deposuit populus, & luxit. lib.4. cap.20.num.3.
An Ornatus dicantur coronæ? ibid.num.4.
Ornatum deposuerunt Israelitæ propter pœnitentiam. lib.4.cap.20.num.5.

Ortygometra.

Ortygometra quid sit. lib.7.cap.3.num.10.

Ossa.

Ossa agni frangere non licebat. lib.2.cap.22.num.29.
Ossa Ioseph asportauerunt Israelitæ.lib.3.c.5.num.4.
Cur Ossa Ioseph tamdiu in Ægypto remanserunt. eodem num.4.

Otiosi.

Otiosi, & ignaui ad gloriam non perueniunt. lib.10. cap.20.num.8.

Ozias.

Ozias Rex lepra percussus, quia voluit thymiama offerre. lib.8.cap.4.num.7.

P

Pœna.

Poena hominem reducit ad Deum. lib.1.cap.18. num.10.
Pœna peccato similis. lib.2.cap.11.num.1.
Pœnarum genera recenset Dominus quæ de Israelitis sumere potest. lib.9.cap.15.num.4.

Pœnitens.

Pœnitentem verum Deus statim à culpa absoluit. lib.2.cap.17.num.7.
Pœnitens verus maiori conatu seruit Deo, quàm mundo seruierat. lib.5.cap.2.num.3.

Pœnitentia.

Ad Pœnitentiam Deus homines supplicio ducit. lib.2.cap.11.num.1.
Pœnitentiæ dulcis amaritudo præmittenda est. lib.2. cap.24.num.8.
Pœnitentia delenda sunt peccata. lib.3.cap.22. num.16.
Propter Pœnitentiam deposuerunt Israelitæ ornatum. lib.4.cap.20.num.5.
Pœnitentia est interior, & exterior. lib.4. cap.21. num.3.
Pœnitentia ambit cælestes dignitates.eodem num.3.
Pœnitentiæ habitus. lib.4.cap.21.num.3.
Pœnitentiæ lachrymæ. eodem num.3.
Pœnitentia reparat fractas mandatorum Dei tabulas. lib.4.cap.26.num.1.
Pœnitentiæ & baptismi lauacrum. lib.5.c.11.num.2.
Ad Pœnitentiam festinandum est. lib.5.c.14.num.2.
Pœnitentiam indicat myrrha ibid.num.5.
Pœnitentiam agens pectusculum, & armum offert sacerdoti. lib.6.cap.7.num.9.
Pœnitentia cordis est sacrificium legis naturæ, veteris, & nouæ. lib.6.cap.9.num.6.
Pœnitentia est solius hominis sacrificium. ibidem num.8.
Ad Pœnitentiam vulneratus peccati telo mox confugiat. lib.6.cap.9.num.9.
Pœnitentia nostra Dei pœnitentiam parit. ibidem num.11.
Post Pœnitentiam perseuerantia.lib.6.cap.9.num.12.
Pœnitentia extinguendus est ignis tartareus dumviuimus. lib.9.cap.18.num.5.
Pœnitentia peccata recondita in thesauris Dei aufert & delet. lib.9.cap.19.num.1.
Pœnitentia non est differenda.lib.10.cap.19.num.10.

Palatium.

Palatium summi Regis est templum. lib.5.cap.9.n.3.

Palatum.

Palatum rusticum rusticos cibos appetit.lib.7.cap.4. num.8.

Paleæ.

Paleis significantur cogitationes. lib.2.cap.2.num.8.
Paleæ significant occasiones peccati. eod.num.8.

Palmæ.

70.Palmis significantur 70.discipuli. lib.3.cap.17. num.5.

Panes.

Panes azymi cum agno comedebantur. lib.2.cap.22. num.21.
Panis azymus dicitur panis afflictionis.ibid.num.24.
Panis ex cælo est Eucharistia. lib.3.cap.19.num.4.
Panis Dei est verbum Dei. lib.5.cap.10.num.6.
Panes fermentati offerebantur Deo. lib.6.cap.4.n.5.
Pane adumbratus est Christus. lib.6.cap.5.num.3.
Panis spiritualis fit pinguis oleo deuotionis. lib.10. cap.15.num.9.

Parasceue.

Parasceue est vita hæc, id est, præparatio hesterni sabbati. lib.3.cap.19.num.8.

Parsimonia.

Parsimonia docetur. lib.3.cap.19.num.5.
Parsimonia sanitatem restituit, & conseruat. ibid.

Passio Christi.

In Passionis cõmemorationem immolabatur agnus. lib.2.cap.24.num.11.
Passio Christi semper in memoria habenda est. lib.3. cap.6.num.3.
Passionis vmbra lignum aquas dulces faciens. lib.3. cap.17.num.3.
Passionis Christi memoriale est Eucharistiæ sacramentum. lib.3.cap.19.num.14.
Passionem Christi adumbrant sacrificia lib.6.cap.1. num.2.
Passio Christi prædicitur. lib.10.cap.11.num.5.

Pastor, Pastoralis.

Pastoralis ars à D. Augustino commendatur. lib.1. cap.5.num.7.
Pastoralis ars est præludium magistratus. eodem num.7.
Pastores appellabantur Deus, & Reges. eod.num.7.

Pastor

Pastor bonus oues tuetur, & pro eis orat. lib.4. cap.19.num.1.
Pastor bonus est murus ouium. ibid.
Pastoris oratio est scutum ouium. ibid.
Pastor oues in sinu portet. lib.7.cap.2.num.3.
Boni Pastoris effigies. lib.8.cap.6.num.7.
Boni Pastoris virga florida, & fructifera. ibid.
Pastor populi à Deo orationibus petendus est. lib.9. cap.11.num.2.
Pastoris exemplum. lib.10.cap.14.num.4.

Patientia.

Patientia necessaria. lib.8.cap.15.num.7.
Patientia seruanda in iniuriis. lib.9.cap.19.num.3
Per Patientiam, & abstinentiam ad verum gaudium peruenitur. lib.10.cap.16.nu.9.

Patres.

Patrum est docere filios. lib.9.cap.14.num.10.
Patres antiqui interrogandi sunt, non audiendique noui nouatores. eodem nu.10.

Patria.

In Patria cælesti completur hominis desiderium, ac quiescit. lib.4.cap.23.num.6.
Patria cælestis maximè desiderabilis est lib.7.cap.11 num.2.
Pro Patria cælesti pugnandum est.lib.8.cap.17.n.11

Paulus.

Paulus quo sensu optarit esse anathema.lib.4.cap.18 num.14.
D. Pauli exemplum. lib.5.cap.3.num.8.
D. Paulus lupus rapax. lib.10.cap.11.num.3.
D. Paulus sol, & vas admirabile portans nomen, & lucem Dei. ibid.
D. Pauli zelus, & feruor. lib.10.cap.13.n.4.

Pauperes.

Pauperes & consanguinei non sunt despiciendi à diuitibus. lib.1.cap.5.num.6.

Paupertas.

Paupertas non affert verecundiam. lib.10.c.16.n.11.

Pascha.

Pascha nomen est Hebræum. lib 2.cap.22.num.9.
Pascha quémnam transitum significet. ibid.num.17.
Pascha dicebantur 7.dies azymorum. ibid.num.23.
De Paschate celebrato in monte Sinai. lib.6.cap.10. num.8.

Pharao.

Pharaones Reges Ægypti. lib.1.cap.1.num.8.
Pharao XI.Rex Ægypti fluctibus demersus est.ibid.
Pharao nõn vult populum dimittere.lib.2.cap.1.n 3.
Quis fuerit Pharao, qui non agnoscebat Iehoua. ibid.num.6.
Pharao Cenchres mari rubro obrutus est.ibid.num.7 & lib 3.cap.9 num.5.
Pharao cur Mosem non vocauit in prima plaga.lib.2. cap 6.num.7.
Pharaonem vexat plaga ranarum, populũ se dimissurum ait. lib.2.cap.8.num.3.
Pharao cur non petiit abigi continuò ranas.ibidem num 4.
Pharao indurat cor suum post ablatam plagam. ibid. num.5.& cap.9.num 5.& cap.10.num.6.& cap.16. num.3.& cap.18.num.9.
Pharao dat facultatem sacrificandi in Ægypto.lib.2. cap.10.num.4.
Pharao quomodo in tenebris Mosem vocare posset. lib.2.cap.18.num.7.
Pharao dat Israelitis facultatem abeundi. lib.2. cap.20.n.7.
Pharaonem Deus velut leonem venatus est, & velut cetum expiscatus. lib.3 cap.12.num.9.

Peccator.

Peccatores Pharaoni, id est, dæmoni seruiunt in sordidis, & luti operibus. lib.2.cap.2.num.4.
Peccatores Dei patientia obdurantur. lib.2.cap.4. num.3.
Peccatores admonentur, & flagellantur.lib.2.cap.15. num.4.
In cor Peccatoris sagittas mittit Deus, cùm eum punit. ibid.num.7.
In viuo corpore Peccatoris mortua est anima. nu 8.
Deus Peccatores delet de libro vitæ. lib.4.cap.18. num.5.
Peccator Deo nocere non potest, sibi maximè nocet. lib.9.cap.17.num.3.
Peccatores sunt stulti, & insipientes lib.9.cap.18.n 5
Peccator, quem Deus hîc non punit, infelix est lib.9 cap.19.num.2.
Peccatoris impunitas perditionis indicium est.eod. num.2.
Peccator memor sit vnde exciderit, & in quem locum inciderit. lib.10.cap.14.num.9.

Peccatum.

Peccati causa Deus non est. lib.2.cap.15.num.5.
In peccati tenebris anima est inanis, & vacua gratia Dei. lib.2.cap.19.num.2.
Peccata festinanter relinquenda, & mundus. lib.2. cap.23.num.5.
Peccatorum circumcisione opus est ad comedendum agnum Dei. lib.2.cap.24.num.11.
Peccata quomodo spoliantur. lib.3.cap.12.num.10.
Peccata omnia confitenda. ibid.
Peccata Deus scribit, delenda sunt pœnitentia. lib.3. cap.22.num.16.
Peccato resistendum vsque ad sanguinem & mortem. lib.4.cap.13.num.1.
Peccati occasiones abolendæ. lib.4.cap.15.num 5.
Peccatum est simile fermento. lib.6.cap 5.num.8.
Peccata expiantur sanguine Christi. lib.6.cap.7. num.12.
De sacrificiis oblatis pro Peccato commisso per ignorantiam. lib.6.cap.8.n.5.
De aliis sacrificiis pro Peccato. ibid.
Peccata omnium temporũ sufficienter deleuit Christi sacrificium. lib.6.cap.9.num.4.
Peccata nostra pluuia nos priuant. lib.7.cap.4.nu.1.
Cum peccato Deus bellum gerit. ibid.num.2.
Propter Peccata Deus dulcis, nobis amarus fit. ibid. num.9.
Peccatum significatur à serpente. lib.8.cap.15. num.2.
Peccati medicina Christi crux. ibid num.3.
Peccata cùm pereunt, seruantur homines.lib.9.ca.8. num.9.
Peccatum hominem sordibus inquinat. lib 9.cap.17. num.1.
Peccata sunt sordidissimæ vestes. eodem.
Peccata lignum sunt ignis tartarei. lib.9.cap.18. num.5.
Peccatum dulce apparet, sed amarissimum est. ibid. num.13.
Peccati odium est indignatio.lib.10.cap 16.num.10.
Peccatum verecundiam affert. ibid.num.11.
Peccati nos non pudet, sed aliarum rerum. num.11.
Peccata comitantur homines, voluptates deserunt. lib.10.cap.19.num.7.
Cæcus est qui Peccare non metuit. lib.10.cap.16. num.3.

Peculiaris.

Peculiaris populus Dei Israel, & regnũ sacerdotale. lib.4.cap.1.num.3.

Pectus

Pectus.
Pectus eleuationis, pectus sacerdotis est. lib.6.cap.7. num.8.
Pecunia.
De Pecuniæ summa soluta tabernaculo. lib.1.cap.8. num.6.
Pedes animi.
Pedes animi sunt affectus. lib.10.cap.15.num.7.
Pentecostes.
Pentecostes festum celebratur propter legem datam. lib.4.cap.2.num.3.
Quomodo 50. dies Pentecostes numerentur. eodem num.3.
Perditio.
Perditionis indicium est impunitas peccatoris. lib.9. cap.19 num.2.
Peregrinus.
Peregrinis ædificauit Deus ciuitatem sempiternam. lib.1.cap.16 num.11.
Peregrinum esse in hoc mundo magna virtus est. eodem num.11.
Peregrini Christiani habitus in terram promissam iter agentis. lib.2.cap.2[illegible] num.6.
Peregrini sumus, viaticum est augustissima Eucharistia. lib.2.cap.24.num.9.
Peregrinorum habitus sumendus est. eodem num.9.
Perseuerantia.
Perseuerantiam requirit Deus in obedientia. lib.4. cap.8.num.1.
Perseuerantia in via Dei seruanda est. eodem num.1.
Perseuerantia post pœnitentiam. lib.6.cap.9.num.12
De Perseuerantia. ibid.num.12.
Pestis.
Peste animalia occidebantur in agris. lib.2.cap.12. num.2.
Quánam Peste Deus Ægyptum percusserit. lib.2. cap.14.num.3.
An populus Peste punitus sit? lib.6.cap.5.num.6.
Petra.
Ex Petra fluuius aquæ exiit. lib.2.cap.20.num.5.
Ex petra bis fluxit aqua in hoc itinere. ibid.
Petra fuit Christi typus. lib.3.cap.22.num.2.
De Petræ foramine per quod Moses Deum vidit. lib.4.cap.22.num.14.
Ex Petra mirabiliter aqua educitur. lib.8.cap.7.n.6.
Petrus.
Petrus petra est, quæ doctrinæ aquam mundo effundit ex petra Christo. lib.3.cap.22.num.3.
D. Petrus præcipuus artifex, & Princeps Ecclesiæ. lib.5.cap.3.num.6.
Petrum constituit Deus Pontificem totius Ecclesiæ. lib.8.cap.3.num.6.
Petrus est petra contradictionis hæreticis. lib.8. cap.8.num 4.
Petrum constituit Christus in terris suum Vicarium. lib.10.cap.12.num.4.
Pharan.
Ex Pharan, & Seir visus est Deus venire, cùm apparuit in monte Sinai. lib.4.cap 4.num.6.
In deserto Pharan constitit columna nubis. lib.7. cap.1.num.3.
Philisthijm.
Terra Philisthiim vicina Ægypto. lib.3.cap.5.num.2.
Phinees.
Phinees zelum Deus remunerat. lib.9.cap.5.num.7.
Plaga.
Plaga sanguinis quot diebus durauerit. lib.2.cap.6. num.6.
Plagæ Ægypti digiti Dei fuere. lib.2.cap.11.num.3.
Plagis percutit Dominus cor impiorũ. lib.2. cap.14. num.2.
Plagam inferendam Deus prędixit. lib.2.cap.15. num.3.
Plaga festinare facit ad Deum, & sanctos reuocare. lib.2.cap.17.num 6.
10. Plagam quando Moses Pharaoni denunciauerit. lib.2.cap.20.num.3.
Plaustra.
Plaustra obtulerunt Principes tribuum. lib.6.cap.10 num.6.
De Plaustris. ibid.
Plinius.
Plinius de Coturnicibus. lib.7.cap.3.num.10.
Pluuia.
Pluuia nospriuant peccata nostra. lib.7.cap.4.num.1
Potentia Dei.
Vide Dei Potentiam verbo *Deus.*
Pontifex.
Boni Pontificis zelus. lib.4.cap.15.num.3.
Pontifex sit factor pontis in cęlum. lib.5.cap.16. num.11.
Pontificum potestas à Deo. lib.8 cap.3.num.1.
Verba Pontificis sequebatur Princeps. lib.9.cap.10. num.10.
Pontifices sint perfecti, & virtutibus ornati. lib.10. cap.10.num.1.
Pontifices, & sacerdotes scientia sint ornati. ibidem num.2.
Populus.
Populum in terra promissionis plantauit Deus. lib.3. cap.14.num.7.
Quomodo Moses Populum nudatum viderit. lib.4. cap.16.num.3.
Populus luxit, & ornatum suum deposuit. lib.4. cap.20.num.3.
Populus cùm numerabatur, pecuniam soluebat sumpribus tabernaculi. lib.5.cap.8.num.3.
De sacrificio Populi. lib.6.cap.8.num.6.
Populus murmurat propter laborem itineris. lib.7. cap.1.num.3.
Sanctificet se Populus, cùm pluuiã, vel aliquid aliud à Deo petit. lib.7.cap 4.num.1.
Populi peccatum Deus demisit, sed non omnino. lib.7.cap.9.num.8.
Duo sunt Populi, alter sanctorum, alter impiorum. lib.8.cap.8.num.4.
Populum tędere cœpit itineris. lib.8.cap.14.num.2.
Populo Deus necessaria dedit in deserto. lib.9.cap.14. num.20.
Postulatio.
Postulationi viam dilatant bona opera. lib.6.cap.7. num.1.
Præcepta.
Præcepta cæremonialia, & iudicialia per Mosem Deus populo dedit. lib.4.cap.4.num.3.
Quæ Pręcepta in prima tabula, quę in secunda scripta sint. eodem num.3.
10. Præcepta angeli voce lata sunt. ibid.num.5.
Prædestinatio.
Prędestinationis signum sunt bona opera. lib.9. cap.17.num.7.
Prædestinati merces, & prępmium est gloria. ibid.n.8.
Prælatio, Prælatus.
Pręlatio est onus. lib.6.cap.7.num.4.
Prælati, & iudices sunt dij nuncupatiuè. lib.2.cap.5. num.2.
Prælatorum officium quódnam sit. ibid.num.3.
Prælati gubernent oratione, verbo, & exemplo. eod. num.3.
Prælati humilitas. lib.2.cap.5.num.5.
Prælati sint Dei per imitationem Dei. ibid.num.6.
Prælati castitate fulgeant. lib.2.cap.23.num.6.
Prælatus bonus oues defendit. lib.3 cap.12 num.7.
Prælati similes Cherubinis. lib.5.cap.12.num.1.
Prælatorum onus magnum est. lib.7.cap.2.num.1.
Prælati rationem reddunt de ouibus & de peccatis ouium eorum culpa commissis. lib.9.cap.9.n.3.
Prælati boni typus est Gad. lib.10.cap.14.num.4.
Pręlatus viam in terram promissionis subditis indicat. ibid.num.5.
Prælatus meditationi vacet. ibid.num.6.
Prælati quales esse debeant. lib.10.cap.19.num.5.
Prædicator.
Prædicatorum fortitudo, lib.10.cap.15.num.2.
Vide verbo *Concionator.*
Preces.
Precibus, & gladiis certandum tempore belli. lib.3. cap.22.num.8.
Preces sanctorum iræ Dei obsistunt. lib.4 cap.19. num.3.
Precibus sanctorum frangitur Dei sententia. eodem num.3.
Primitiæ.
Primitiæ mellis offerebantur Deo. lib 6.cap.4.n.5.
Primogenitus.
Primogenitos Ægypti media nocte Deus percussit. lib.2.cap.20.n.4.
Primogeniti Ægyptiorum somniis horribilibus sunt perturbati. eod.num.4.
Primogeniti nomen quid significet. ibid.num.5.
Primogeniti sunt primitiæ laboris. eod.num.5.
An fuerit aliquis primogenitus propriè, in omnibus domibus Hebræorum. lib.2.cap.20. n.6.
De primogenitorum oblatione. lib.3.cap.3.num.6.
Primogeniti sacerdotes ante legem. lib.4.cap.7. num.4.
Primogenitus fortitudo Patris. lib.10.cap.2.num.3.
Primogeniti erat regnum & sacerdotium. ibidem num.4.
Primogenito duæ partes hæreditatis dabantur. eod. num.4.
Principatus.
Principatus Ægypti antiquissimus est. lib.1.cap.1. num.7.
Principatum non postulauit Moses filiis aut consanguineis. lib.9.cap.11.num.2.
Princeps.
De Principis sacrificio. lib.6.cap.8.num.7.
Principes tribuum plaustra obtulerunt. lib.6.cap.10. num.6.
Principes boni Ecclesiæ opem ferunt. ibid.num.7.
Principum humilitas. lib.8.cap.3.num.7.
Principes populi iubentur suspendi. lib 9.cap.5. num.4.
Princeps est Pastor populi. lib.9.cap.11.nu 2.
Princeps indiget spiritu Dei ad gubernandum. ibid. num.3.
Principis sapientia. eod.num.3.
In Principis operibus lucet prudentia. eod.num.3.
Principium.
Principiis malorum obstandum. lib.4.cap.17.num.3.
Probus.
Probi viri fugiunt impiorum consortium. lib.1.ca.5. num.1.
Probi viri afflictionibus illustrantur. lib.1.cap .16. num.3.
Probi viri qui efficiuntur improbi, in lutum conuerti dicuntur. lib.2.cap.2.n.9.
Probi viri lingua equus est Christi. lib.7.cap.5.n.11.
Probi post mortem ad populum abeunt iustorum. lib.8.cap.11.n 3.
Propheta.
Prophetæ apes sunt, eorum opera sunt fauus. lib.6. cap 5.num.12.
Prophetis duobus modis Deus aperuit res futuras. lib.10.cap.18.num.5.
Prophetia.
Prophetię spiritus non est habitus permanens. lib.7. cap.1.n 7.
Propositum.
Propositum nunquam peccandi mortaliter. lib.3. cap.8.num.1.
Prorex.
Prorex Lusitanus totum percurrit mare rubrum. lib.3.cap.10.n.4.
Prosperitas.
Ad eum qui fruitur prosperitate, omnes confluunt. lib.3 c.24.num.1.
Prosperitas hominibus nocet. lib.9.cap.18.num.1.
Prosperitas breui tempore euanescit. ibid.num.2.
Prosperitas cum aduersitate confertur. eodem num.2.
Præmium.
Præmium in cœlo, hìc stadium. lib.4.cap.23.num.1.
Præmium æternę gloriæ ad labores tolerandos excitat. lib.10.cap.14.num.1.
Promissionem implere.
Promissionem de multiplicando semine Abrahæ. Deus impleuit. lib.1.cap.5.num.8.
Propitiatorium.
Propitiatorium. lib.5.cap.6.num.4.
Prudens, Prudentia.
Prudentes à malo deterrentur impiorum exemplis. lib.3.cap.21.num.4.
Prudentiam sal significat. lib.6.cap.5.num.14.
Psalmi.
Psalmi canendi sunt ore, & corde. lib.9.cap.7.nu.11.
Pulices.
Pulices, & cimices admonent nos fragilitatis nostræ. lib.2.c.11.num.1.
Purgatorium.
Purgatorio igne non est expurgatus Moses. lib.10. cap.19.num.8.
Purificatio.
Purificationes typus fuere sacramenti Pœnitentiæ. lib.2.cap.23.n.1.
Pusillanimitas.
Pusillanimitas fugienda. lib.7.cap.8.n.7.
Puteus.
Puteus significat sacram scripturam. lib.8.cap.16. num.8.
Puteus factus à principibus. ibid.num.6.
Puteus non ligonibus, sed baculis confectus. ibidem num.7.

V

Rachel.
Rachel significat rationem. lib.10.cap.16.num.2.
Ramesses.
Ramesses & regio fuit, & vrbs. lib 1.cap.6.num.9.
Ramesses prima mansio dicitur. lib.3.cap 3.num.3.
Ramesses quid significet? lib.3.cap.4.num.1. & 2.
Ranæ.
Ranæ rubetæ, & calamitæ. lib.2.cap.8.num.2.

Rechabitæ.

Rechabitæ qui dicantur. lib.3.cap.23.num.9.
Rechabitarum obedientia. lib.3.cap.24.num.2.

Religio.

Religiones Deus mirabiles facit. lib.2.cap.11.n.7.
Religiones viæ sunt in cælum. lib.3.cap.12.n.12.
Religio vera est gloria hominum, & honor. lib.4. cap.31.num.9.

Religiosi.

Religiosi ex Ægypto exeunt, & Ægypti opibus vacui, sed opibus Christi onusti. lib.3.cap.2.num.3.
Religiosorum superior columna est, quam sequi debent. lib.3.cap.22.num.1.
Religiosorum congregatio est Dei tabernaculum. lib.6.lib.5.cap.12.num.1.
Religiosi subditi Prælatis. ibid.num.2.
De tribus Religiosorum votis. ibid.
Religiosorum duplex est collectio. ibid.num.4
Religiosis necessaria est humilitas, & obedientia. lib.6.cap.3.num.8.
Religiosus ne post terga respiciat. lib.7.cap.4. num.4.
Religiosus mundum omninò obliuiscatur. ibid.n.6.
Religioso sæcularis vita anathema sit. lib.8.cap.13. num.2.
Religioso rebus caducis dicant: nescio vos. lib.10. cap.10.num.5.
Religiosorum exitus ad prædicandum Euangelium Ethnicis. lib.10.cap.13.num.2.
Religiosis deuotio maximè necessaria est. lib.10. cap.15.num.7.
Typus viri Religiosi. lib.10.cap.13.num.2.& cap.14. num.3.&cap.15.num.5.

Reliquiæ.

Reliquiæ sanctorum venerandæ sunt.lib.3.cap.6.n.5

Remuneratio.

Remunerationis memoria hominem excitat ad bona opera. lib.1.cap.9.num.5.
Remunerationis spes omnia facilia reddit. lib.10. cap.14.num.2.

Reuerentia.

Reuerentia magna debetur templis. lib.1.cap.16. num.7.
Cum summa Reuerentia cum Deo loquendum.lib.4. cap.11.num.3.

Rex.

Rex & gubernator Reipub. qui nescit Dominum. Rempubl.euertit. lib.1.cap.7.num.1.
Rex nouus Ægypti, & Herodes infantes occiderunt. ibid.n.2.
Regum gloria est Deum scire. lib.2.cap.2.num.3.
Reges impij similes sunt leonibus. lib.3.cap.12.n.9.
Regi armus necessarius. lib.6.cap.7.num.3.
De Rege & populo terræ promissionis. lib.7.cap.8. num.4.
Regum potestas est à Deo. lib.8.cap.3.num.1.&lib.9 cap.19.num.5.
Reges spirituales qui dicantur.lib.10.cap.15.num.9.

Rhinoceros.

De Rhinocerote. lib.9.cap.3.num.4.

Robertus.

Robertus Dux. lib.10.cap.14.n.8.

Romani.

Romani receperunt mercedem bonorum operum. lib.1.cap.9.num.4.
De Romanis vaticinatur Balaam. lib.9.cap.4. num.12.

Ruben.

Ruben erat secundũ vexillum. lib.6.cap.11.num.3.
Ruben benedictio à Mose data.lib.10.cap.2.num.3.
Ruben benedictio data à Iacob. eodem n.3.
Ruben dolorisprincipium. eodem n.3.
Ruben propter libidinem priuatus est primogenitura. eodem num.5.
Ruben cur dicatur effusus sicut aqua. eodem num.5.
Ruben benedictio. lib.10.cap.9.num.1.
Ruben filius visionis significat timorem.lib.10.c.16. num.3.

Rubus.

Rubus humanitatem Christi, spinæ rubi humanitatis dolores indicant. lib.1.cap.16.num.4.
Rubus incombustus Deiparæ virginitatem adumbrat. ibidem num.5.

S

Sabbatum.

SAbbato manna non fluebat è cælo. lib.3.cap.18. num.10.
Sabbatum significat cæli requiem. lib.3.cap.19.n.8.
In Sabbato ligna colligens pœna mortis afficitur. lib.8.cap.1.num.5.

Sacerdos.

Penes Sacerdotes maximè erat Ægyptiorum sapientia. lib.1.cap.1.num.9.
Sacerdotes Ægypti literarum studiosissimi. ibid.
Sacerdotis gratitudo. lib.1.cap.14.num.6.
Sacerdotes Dominus sanctificari iubet. lib.4.cap.2. num.6.
Sacerdotes ante legem primogeniti. lib.4.cap.7.n.4.
Sacerdotes, & pastores sapientes esse oportet. lib.5. cap.3.num.7.
Sacerdotes curent ornatum templi. lib.5.cap.9. num.6.
Sacerdotum cõsecratio publicè facta est.lib.5.ca.15. num.3.
Sacerdotes minores duabus vnctionibus consecrati sunt, Aaron tribus. ibid.num.4.
Sacerdotes 7.diebus in tabernaculo manserunt.ibid. num.6.
Sacerdotum manus implere quid sit. ibidem n.6.
Sacerdotum manus implebantur carnibus sacrificiorum. eodem num.6.
Sacerdotum dignitas magna. lib.5.cap.16.num.1.& lib.10.cap.10.num.3.
Sacerdos ambitiosus non sit. ibidem n.3.
Sacerdotes puram conscientiam habere oportet.ibid. num.4.
Sacerdoti castitas maximè necessaria est.ibid.num.5. & lib.5.cap.19.num.3.
Sacerdotum vnctio. ibid num.6.
In Sacerdotes quadrant virtutes olei. num.7.
Sacerdotes quanti fecerit D.Franciscus. ibid.
Sacerdos quærat animarum lucra. num.8.
Sacerdotis obedientia. lib.5.cap.16.num.9.
Sacerdotis robur aduersùs vitia. ibid.
Sacerdos sit perfectus opere, & sermone. ibid.
Sacerdos cum seueritate permisceat mansuetudinem. ibid.num.10.& lib.6.cap.7.num.5.
Sacerdotes sunt basis Ecclesiæ. ibid.
Sacerdotes non prætereant vulneratos. ibidem num.11.
Inter Sacerdotes æqualis distributio. lib.6.cap.4. num.3.
Sacerdotes mundissimos esse oportet. lib.6.cap.5. num.11.
Sacerdoti dabatur pectus, & armus hostiæ pacificæ. lib.6.c.7.num.3.
Sacerdoti necessaria est sapientia & fortitudo. ibid. & lib.10.cap.10.n.2.
Sacerdotis humeri sint angelici. ibid.
Sacerdotem plenum sapientia decet humile pectusculum. ibid.num.7.
Sacerdotis pectus eleuationis pectus est.ibid.num.8.
Sacerdotis armus separationis erat. ibid.
De summi Sacerdotis sacrificio. lib.6.cap.8.num.5.
Sacerdotes sunt murus populi. lib.8.cap.5.num.2.
Sacerdotis vita. ibid.num.9.
Sacerdos monti similisesse debet.lib.8.cap.11.num.4
Sacerdotes placabant Deum scarificiis &thymiamate. lib.10.cap.3.num.6.
Sacerdotes sint perfecti, & virtutibus ornati. lib10. cap.10.num.1.
Sacerdotis vita respondeat sacerdotali dignitati. ibid. num.3.
De Sacerdotum zelo. ibid.num.4.
Sacerdotes Deum placant sacrificiis. ibid.num.6.
Sacerdotum cœtum & Scribarum concilium aduersùs Christum detestatur Iacob. ibid.num.7.

Sacerdotium.

Ad Sacerdotium à Deo vocatus est Aaron. lib.5. cap.16.num.3.
Sacerdotium turris est excelsa, considerent qui sacerdotes esse volunt, an possint eam ædificare, & tueri. ibid num.12.
Sacerdotium legis veteris mortuum est, & non est ingressum Ecclesiam. lib.8.cap.11.num.1.
Sacerdotium Christi secundum ordinem Melchisedech est æternum. ibid.num.2.
Deus sacerdotes punit, si rectè officio non fungantur. lib.5.cap.17.num.9.

Sacrificium.

Sacrificium oportet omni macula carere. lib.2.c.22. num.8.
Sacrificia Deo offeruntur. lib.4.cap.7.num.4.
Sacrificium legis nouę multa habet templa & altaria. lib.5.cap.9.num.4.
Primum Sacrificium obtulit Aaron 8.die mensis Nisan. lib.5.cap.17.num.3.
In primum Sacrificium Aaronis emissus est ignis à Deo. ibid.num.4.
Primum, & nouũ sacrificium vetteris, & noui testamenti oblatum est mense Nisan.lib.5.cap.18.n.1.
Sacrificia adumbrabant passionem Christi, & spirituales Christianorũ hostias. lib.6.cap.1. num.2.
Sacrificium soli Deo offertur. ibid.num.3.
Sacrificia non offeruntur sanctis. ibid.num.3.
Cur Sacrificium soli Deo possit offerri. ibid.num.4.
Per Sacrificia homo protestatur Deum esse principium rerum omnium & finem. ibid.
Sacrificiorum leges an latæ sunt iubente Deo? lib.6. cap.1.n.5.
Sacrificia Deus instituit, vt populum à Sacrificiis idolorum auocaret. ibid.n.7.
In Sacrificiis Deus præcipuè obedientiam postulabat. ibid.num.9.
Sacrificiorum fuere tria genera. ibid.num.10.
Sacrificij ordo, & ritus. lib.6.cap.2.num.6.& 11.
Sacrificiorum odor quomodò fuerit gratus Deo. ibid.num.8.
Sacrificiorum altare erat sub dio, pluuiali tempore quid ageretur? ibid.num.9.
Sacrificium iuge quid fuerit? ibid.num.12.
Sacrificia antiqua Dei agnum adumbrabant. lib.6. cap.2.num.1.
Sacrificia veteris testamenti abrogata sunt, permanet Christi sacrificium. ibid.num.4.
Sacrificium Christi vsque ad iudicium. ibid.
Sacrificia Dei sunt martyres. num.5.
Sacrificia Dei sunt qui se mortificant. ibid.num.5.
Sacrificiorum examen. lib.6.cap.3.num.12.
In Sacrificiis offerebatur sal. lib.6.cap.4.num.5.
Sacrificia eorum qui sacris studiis vacant.lib.6.ca.5. num.4.
Sacrificiorum sanguine adumbratur Christi sanguis. lib.6.cap.7.num.11.
De Sacrificiis oblatis pro peccato commisso per ignorantiam. lib.6.cap.8.num.5.
De Sacrificio summi sacerdotis. ibid.
De Sacrificio populi. ibid.num.6.
De Sacrificio Principis. ibid.num.7.
De Sacrificio hominis priuati. ibid.num.8.
Carnes Sacrificiorum pro peccato sacerdotalis iuris erant. ibid.
De Sacrificio pro peccato, id est, de vacca rufa.ibid. num.10.
Cum Sacrificiis offerebantur libamenta. ibidem. num.10.
Sacrificia pro peccato Christum adumbrarunt. lib.6.cap.9.num.2.
Sacrificia extra castra comburebãtur, Christus extra castra passus est. ibid.
Sacrificia pro peccato non auferebant peccatum; Christi sacrificium illud abstulit. ibid.num.8.

Sadai.

Sadai quid significet. lib.2.cap.3.num.4.

Sæculum.

Sæculum relinquentibus tranquillitas ostenditur. lib.3.cap.6.num.1.
Sæcularis vita religioso anathema est. lib.8.cap.13. num.2.

Saga.

Saga. lib.5.cap.5.num.4.

Sal.

Sal in sacrificiis offerebatur. lib.6.cap.4.num.5.
Sal est gratia. lib.6.cap.5.num.13
Sal corpora conseruat. ibid.
Sal significat prudentiam. ibid.num.14.

Salomon.

Salomonis oratio. lib.5.cap.9.num.2.

Salus.

Salutis viam citò obliuiscimur. lib.4.cap.13. num.10.
Salutis signum Christi crux. lib.8.cap.15.num.4.

Samson.

De Samson explicatur prophetia Dan. lib.10.cap.6. num.6.

Sancta Sanctorum.

Sancta sanctorum, siue domus interior. lib.5.cap.6. num.7.
Sancta sanctorum erant vmbræ cæli. lib.5.cap.9. num.7.
Sancta sanctorum adumbrabant cælum Empyreũ. lib.5.cap.10.num.1.
Sancta sanctorum Ecclesiam adumbrabant. ibid. num.2.

Sancti.

Sanctorum exempla ante oculos ferenda sunt. lib.3. cap.6.num.4.
Sanctorum reliquiæ venerandæ sunt. ibid.n.5.
Sancti muri sunt Reipublicæ. lib.4.cap.19.num.1.
Sanctorum preces obsistunt iræ Dei. ibid.n.3.
Sanctorum precibus frangitur Dei sententia. ibid.
Sanctorum exempla corda incendunt. lib.5.cap.18. num.1.
Sanctis sacrificia non offeruntur. lib.6.cap.1. num.3.
Sanctorum labores his oblationibus adumbrantur. lib.6.cap.5.num.5.

Sanctuarium.
Sanctuarium terra promissionis dicitur.lib.3.cap.14 num.7.
Sanedrim.
Sanedrim concilium. lib.7.cap.1.num.12.
Sanguis.
Sanguisagni erat signum in domibus,ne primogenita occiderentur. lib.2.cap.22.num.18.
Sanguis in ostio, crux in fronte.lib.2.cap.24.num.3.
Sanguinis aspersio in fœdere. lib.4.cap.7.num.5.
Sanguine Dei & hominis confirmatum est fœdus noui testamenti. lib.4.cap.8.num.2.
Sanguine vesci non licebat Israelitis. lib.6.cap.6. num.5.
Sanguis Christi,vide verbo *Christus.*
Sapientia.
De Sapientia Ægyptiorum. lib.1.cap.1.num.9.
Sapientia Ægypti maximè penes sacerdotes erat. ibid.
Sapientia gentilium Ecclesiæ seruit. lib.3.cap.2.n.4.
Sapientia Christiana similis fructui, externa similis est foliis. ibid.
Sapientia Deus donauit artifices tabernaculi. lib.5. cap.3.num.3.
Sapientes esse oportet sacerdotes, & pastores. ibid. num.7.
Sceptrum.
Sceptrum Iudæ vsque ad Messiam.lib.10.cap.3.nu.4.
Sceptrum Christi, vide verbo *Christus.*
Sciniphes.
Sciniphes quinam dicantur. lib.2.cap.9.num.2.
Sciniphes Deus non permisit imagos facere. lib.2. cap.11.num.2.
Scribæ.
Scribæ,& Pharisæi exploratores Israelitarum fuere. lib.7.cap.8.num.9.
Scriptura.
Scriptura sacra nubes est ex qua pugnant Catholici aduersus Ægyptios. lib.3.cap.12.num.5.
In Scripturis diuinis mel reperitur. lib.6.cap.5. num.12.
Securitas.
Securitas negligentiam parit. lib.3.cap.4.nu.4.
Seditio.
Seditio propter aquam. lib.8.cap.7.num.4.
Sehon.
Sehon Rex Amorrhæorum. lib.8.cap.17.num.4.
Sehon regnum redactum est ad potestatem Hebræorum. ibid.num.5.
Senectus, Senex, Senior.
Senectus est duplex. lib.7.cap.2.num.4.
An Seniores simul cum Mose, & Aarone ad Pharaonem iuerint? lib.2.cap.1.num.4.
Senes 70.eliguntur ad populum gubernandum.lib.7 cap.1.num.6.
Senioribus quomodo Deus dederit de spiritu Mosis. ibid.num.7.
70.Seniores prophetarunt. ibid.num.8.
An 70.Seniores fuerint in terra promissionis.ibidem num.12.
Sensus.
Sensus non possunt diuinam naturam attingere. lib.4.cap.3.num.10.
Separatus.
Separatis à populo se Deus ostendit. lib.4.cap.9. num.6.
Sepulchra.
Sepulchra mortuorum sunt specula viuorum.lib.9. cap.18.num.10.
Sermones.
Sermones boni sunt mel Christi.lib.6.cap.5.num.12.
Sermo Dei pluuia est,& ros. lib.9.cap.14.num.5.
Serpens.
Aduersus serpentes ignitos remedium datur. lib.8. cap.14.num.4.
Serpens exaltatur in deserto. ibid.
Serpens peccatum significat. lib.8.cap.15.num.2.
Serpens voluptas est. ibid.num.6.
Serpentibus plenus est mundus. lib.9.cap.17. num.10.
Seruus.
Inter seruos Dei, & seruos mundi magnum est discrimen. lib.2.cap.11.num.8.
Seueritas.
Cum seueritate misericordia socianda est. lib.4. cap.17.num.5.
Siclum.
Sicli dimidium tabernaculo soluebatur. lib.5.cap.8. num.4.
Silentium.
Silentium in templo seruandum. lib.1.cap.16. num.7.
Simeon.
Simeon non benedixit Moses. lib.10.cap.3.num.7.
Simeoni data à Iacob benedictio. ibid.
Simeonis consilium,& cædem Sichimitarum testatur Iacob sibi non placuisse. ibid.num.8.
Simila.
Simila erat optima farina. lib.6.cap.4.num.3.
Simila pro peccato offerebatur sine thure & oleo. ibid.
Simila frixa indicatur animarum zelus. lib.6.cap.5. num.6.
Sin, Sinai.
Sin significat rubum. lib.3.cap.18.num.2.
Sinai significat rubum. lib.1.cap.15.num.4.
Societas.
Societas proborum. lib.1.c.18.num.8.
Societas malorum cur Israelitis à Deo vetaretur. lib.3.cap.3.num.5.
Societas Iesu.
Societas Iesu. lib.9. cap.16.num.4.&lib.10.cap.13. num.2.&.4.
Spectra.
Propter Spectra horrida,tenebræ horribiles Ægypti fuerunt. lib.2.cap.18.num.5.
Specula.
Specula sunt Dei mandata. lib.5.cap.11.num.3.
Specula Deo fœminæ offerunt. ibid.num.4.
Specula viuorum sunt sepulchra mortuorum. lib.9. cap.18.num.10.
Spinæ.
Spinæ albæ arbores. lib.5.cap.1.num.5.
Spinę rubi indicant dolores humanitatis Christi. lib.1.cap.16.num.4.
Spiritus, Spirituales.
Spiritu aliqui incipiunt,carne consumantur. lib.1. cap.5.num.3.
Spiritus vnitas in Ecclesia. lib.7.cap.2.num.6.
Spiritus vnitatem dissipant hæretici. ibid.
Spirituales viri similes sunt auibus volantibus. lib.6. cap.3.num.10.
Vir Spiritualis habitat in adiutorio altissimi. lib.10. cap.11.num.2.
Vir Spiritualis vacat orationi. ibd.
Vir Spiritualis habitat cum Deo, & secum, & non cum

cum mundo. ibid.
Viri Spirituales sunt filij dexteræ Dei. ibid.
Spiritus Sanctus.
Spiritus Sanctus dicitur Dei digitus. lib.2.cap.9.n.4.
Spiritus Sanctus est in vtroque testamento. lib.4. cap.15.nu.2.
Spiritus Sanctus scribit in tabulis cordis. lib.4.cap. 26.num.1.
Spiritus Sancti lux. lib.5.cap.10.num.7.
Spiritus Domini est Spiritus fortitudinis. lib.7.cap. 12.num.1.
Spolia.
Spolia opima sunt animæ. lib.3.cap.2.num.2.
Spolia egregia sunt dicta Sanctorum Patrum. ibid. num.5.
Stadium.
Hic Stadium,in cœlo præmium.lib.4.cap.23.num.1.
Subditi.
Subditi debent obedientiam potestatibus. lib.8.c.3. num.2.
Superbia, Superbi.
Superbia fugienda,& frangenda.lib.6.cap.3.num.11.
Superbia est fermentum tumefaciens corda. lib.6. cap.5.n.7.
Superbia est descensus in inferiora. lib.8.cap.3.n.2.
Superbia homines excæcat. lib.8.cap.4.n.2.
Superbia demergitur,& humiliatur. ibid.num.4.
Superbia claudit aciem contemplationis. lib.10.c.8. num.6.
Superbi homines ceruicem pulici subiectam habent. lib.2.cap.17.num.1.
Superbi quomodo sint monendi. lib.3.cap.23.n.10.
Superior.
Superiorem tanquam Deum audire debemus. lib.3. cap.22.num.1.
Superioribus magnus honor deferendus. lib.4.c.21. num.7.
Superfluitas.
Superfluitas fugienda. lib.3.cap.19.n.5.
Supplicium.
Supplicium indicat Deus improbis se esse Dominũ. lib.2.cap.2.num.2.
Supplicio Deus homines ad pœnitentiam ducit. lib.2.cap.11.num.1.
Supplicij obliuiscimur,ideo peccatum non cauemus lib.3.cap.12.num.7.
Supplicium sumere Dei beneficium est. lib.5.cap.18. num.6.
Suppliciorum multa genera habet Deus.lib.9.c.18. num.4.
Supplicium Iudęorum propter cædem Messiæ.lib.9. cap.20.nu.3.
Synagoga.
Synagoga in ipso thalami nuptialis limine adulterium commisit. lib.4.cap.13.num.12.
Extra Synagogam Deus regnum suum collocauit. lib.4.cap.21.num.6.
Synagoga fuit mobilis. lib.6.cap.12.num.7.
Synagogæ typus. lib.7.cap.5.num.10.
Synagogæ ingratitudo. lib.9.cap.17.num.4.
Syria
Syria dicitur Aran. lib.9.cap.2.num.7.

T

Tabernaculum.
Tabernaculum domus doctrinę.lib.4.cap.20.n.7
Tabernaculum quale fuerit.lib.5.ca.4.n.3. &4.
Tabernaculi exemplar Deus Mosi ostendit. lib.5. cap.8.num.10.
Tabernaculum vniuersitatis naturam repręsentabat. lib.5.cap.9.num.7.
Tabernaculum Ecclesiam,& Christianos adumbrat. ibid.num.11.
Tabernaculum quando erectum fuerit.lib.5.cap.14. num.1.
Tabernaculum significat Christi corpus. ibid.
Tabernaculorum erectione resurrectio significatur. ibid.
Tabulæ.
Duas Tabulas lapideas Deus Mosi dat. lib.4.cap.10. num 8.
In tabulis sculpta erant decem mandata. ibidem num.10.
Cur dicantur tabulæ testimonij. ibid.
In prima Tabula erant mandata,quæ ad Deum spectant,in secunda quæ ad proximum. ibid.
Duæ Tabulæ ex quo lapide factæ sint. ibid.
Fractio primarum tabularũ significat abrogationem legis veteris. lib.4.cap.15.num.1.
An secundæ tabulæ digito Dei scriptæ sint?lib.4.cap. 25.num.9.
In secundis tabulis quid scriptũ fuerit. ibid.num.11.
Tabulæ tabernaculi laminis aureis erant opertæ, & vectes. lib.5.cap.4.num.5.
Tabulæ 8. in occidentali parte tabernaculi. ibid. num.6.
Temperantia.
Temperantia seruanda in cibis. lib.6.cap.3.num.9.
Templum.
Templa Ægyptiorũ euersa sunt. lib.2.cap.20.num.9.
Multa sunt Dei templa in Ecclesia. lib.5.cap.9.n.2.
Templum locus est orationis. ibid.
In Templis aperti sunt Dei oculi, & aures vt orantes audiant. ibid.
Templum Dei est palatium summi Regis. ibidem num.3.
Templum Salomonis fuit in sorte Beniamin.lib.10. cap.4.num.3.
Tempus.
Tempus maximę festinat, sed summo cum silentio. lib.9.cap.19.num.6.7.&8.
Breui Tempore caduca omnia euanescunt. ibid. num.7.
Tempus volans bonis operibus retinetur. ididem num.9.
Tenebræ.
Tenebræ Ægypti quomodo factæ fuerint. lib.2. cap.11.num.2.& cur palpabiles? ibid.num.2.
Tenebræ fuerunt Ægyptiis instar carceris. ibidem num.4.
Cur horribiles fuerint? ibid.num.5.
Tenebræ quid significauerint. lib.2.cap.19.num.1.
Tenebræ hæreticorum,& impiorum. ibid.num.1. 2.& 4.
Tentatio.
In Tentationibus Deus adiutor noster est. lib.2.c.2. num.11.
Tentationibus Diaboli resistendum. ibid.
Per Tentationes petimus repromissionis terram. lib.3.cap.6.num.2.
Tentatio non cessat, nec cesset oratio. lib.3.cap.17. num.1.
Tentatio quæ sit humana,quæ dæmoniaca.ibid.n.2.
Tentationem sequitur consolatio. ibid.num.4.
Tentatis Hebræis Deus dedit manna. lib.3.cap.19. num.1.
Contra Tentationes quomodo pugnandum. lib.9. cap.17.n.5.
Tentari cur Deus suos permittat.lib.10.cap.20. n.9.

Terra,

INDEX RERVM NOTABILIVM.

Terra, Terra promissa.

Terra terrenos homines deuorat. lib.3.cap.14.n.5.
Terra appellatur mater. lib.8.cap.11.num.9.
Terra promissa typus fuit cœli. lib.1.cap.2 num.2.
Terra promissa fertilissima. ibid.num.3.
Terra promissa dicitur sancta, & Deo charissima, & sacramentum Dei, & cur? ibidem num.4.
Terræ promissæ situs est in medio orbis. ibid.num.5.
Eius termini qui sint. num.6.
Fueritne tota tradita Hebræis. num.7.
Eius longitudo, & latitudo. num.8.
Terra promissionis est regnum cæleste. lib.1.cap.3. num.6.
Ad illam peruenitur per laborem. num.7.
Dicitur mons hæreditatis Dei, habitaculum, & sanctuarium. lib.3.cap.14.num.7.
De Terra promissa cælesti vide multa, lib.7.cap.8.10 & 11.
Alia de Terra promissa terrestri vide lib.9.cap.14. num.23.& 24.

Terror.

Terror auocat à peccatis. lib.4.cap.5.num.3.

Testamentum.

Duo Testamenta adumbrata vxoribus Abrahę. lib.4 cap.15.num.2.
Testamenti veteris libri manent in Ecclesia. ibidem num.2.
In vtroque testamento est Spiritus sanctus. ibid.
Testamenti noui ministri sine velo, Dei gloriam speculantur. lib.4.cap.26.num.7.
Testamentum vetus fuit mons vmbrosus. lib.9.ca.8. num.6.

Theologia.

Theologia mons est difficilis. lib.4. cap.3.num.8.

Timor.

Timor mundi timore Dei repellitur, & vincitur. lib.1.cap.9.num.3.&cap.17.num.13.
Timor est necessarius. lib.3.cap.4.num.4.
Timor etiam aperit adgratiam Dei. lib.4.cap.5.nu.3.
Timor gignit fortitudinem aduersus peccata. ibid.
Timor prima proles virtutum. ibid.num.4.
Timor populi Deo placuit. lib.4.cap.7.num.2.
Timor oritur ex consideratione. lib.10.cap.16.nu.3.
Timor est fortitudo hominis. ibid.num.3.
Timorem sequitur dolor & contritio. num.4.

Tonitruum.

An Tonitruis sonantibus Dominus locutus fuerit? lib.4.cap.4.num.2.

Tribulatio.

Tribulatio hominem reuocat ad Deum. lib.1.cap.7. num.5.
Tribulatio hominem erudit ibid.nu.6.
In Tribulatione ipsa multiplicati sunt Christiani. ibid.
In Tribulatione cauenda est murmuratio. lib.3.cap. 12.num.3.
In Tribulatione Deus viam aperit. ibid.

Turtur.

Turtures cur offerebantur? lib 6.cap.2.nu.11.
Turtur & columba gemitum pro cantu habent. lib.6. cap.3.num.10.
Turtur significat vitam solitariam. ibid.

V

Vacca.

De Vaccæ rufæ sacrificio. lib.6.cap.8.num.10.
Ex cineribus Vaccæ rufæ fiebat aqua expiationis. ibid.
Vacca rufa. lib.6.cap.9.num.14.

Velamen.

De Velamine hæreticorum, Ethnicorum, & improborum Christianorum. lib.4.cap.26.num.8.

Verecundia.

Verecundiæ pulchritudo. lib.10.cap.16.num.11.
Verecundia & modestia homines allicit. ibid.

Veritas.

Veritas sit principium & fons verborum. lib.9.cap.8 num.5.
Veritas est pulchritudo sermonum. lib.10.cap.15.n.3
Veritate plena sunt verba Dei. ibid.

Vesica.

Vesicis & vlceribus percutiuntur Ægyptij. lib.2. cap.13.num.2.
An Vesicæ, & vlcera inuaserint Pharaonem. ibidem num.4.
Vesicę turgentes superbiam significant. lib.2.cap.15. num.2.

Vexatio.

Vexatio dat intellectum. lib.2.cap.8.num.7.
Ablata Vexatione induratur cor ingratum. ibid.
Vexatio dat intellectum seruis Pharaonis. lib.2.cap. 17.num.5.

Vexilla

Vexilla habebat exercitus Israelitarum. lib.6.cap.10. num.10.
Quatuor vexilla præcipua. ibid.
Vexilla Christianorum sunt 4. Euangelia. ibid.nu.12.
Vexillum Crhisti, & summi Pontificis sequitur populus Christianus. ibid.
Vexillum primum erat Iudæ, secundum Ruben, tertium Ephraim, quartum Dan. lib.6.cap.11.num.3.

Via.

Viam trium dierum cur Moses petierit? lib.2.cap.8. num.8.
Via trium dierum moraliter quæ sit. lib.2.cap.2.n.1.
Viam trium dierum conatur diabolus impedire. ibid.
Via Ægypti vsque ad Palæstinam trium dierum est. lib 3.cap.5.num.2.
An Viæ plures in mari apertæ sint Hebræis. lib.3. cap 11.num.1.
Via qua gradimur consideranda est. lib.3.cap.12 n.8.
Vię multæ in cęlum sunt in mari. ibid.num.12.

Viaticum.

Viaticum peregrinorum est augustissima Eucharistia. lib.2.cap.24.num.9.

Victoria.

Victorias cantu fœminę celebrabant. lib.2.cap.14. num.1.
Victoriam Christi canit Moses. lib.3 cap.15.num.5.
Post Victoriam ædificauit Moses altare in actionem gratiarum. lib.3.cap.21.num.5

Victus.

Victus noster ex cœlo pendet. lib.3.cap.19.num.6

D. Vincentius.

D. Vincentius Ferreira. lib.10.cap.13.num.3.

Virga.

Virgæ in colubrum conuersę significatio. lib.1.cap. 17.num.4.
Virga Dei in draconem conuertitur, cùm grauiter punit. lib.1.cap.18.num.1.
Virga Dei crucem adumbrat. ibid.num.2.
Virga impij iudicis vertitur in draconem. ibid.nu.3.
Virgam conuertit Moses in colubrum. lib.2.cap.4. num.5.
Idem magi faciunt. eod.num.5.
An in 12. Virgis inscripta fuerint nomina 12. tribuum? lib.8.cap.6.num.3.
Quot fuerint Virgę positæ in tabernaculo? ibid.n.4.

Ex

Ex quanam arbore fuerint. num.5.
Virga boni pastoris florida, ac fructifera. num.7.
Virga pastoris sit vigilans. num.8.

Virtus.

Virtutibus ornati homines comparantur stellis. lib.1. cap.5.num.9.
In Virtute semper vlterius progrediendum. lib.3. cap.8.num.2.
Virtus similis est amygdalo. lib.8.cap.6.num.11.
Virtutis probatio necessaria est. lib.9.cap.7.num.4.
Virtutes vestes sunt mundissimæ. lib.9.cap.17. num.1.
De profectu in Virtutibus. lib.10.cap.12.num.1.

Visio.

Putabant antiqui Dei Visionem mortem afferre. lib.4.cap.22.num.12.
An Visio qua Moses Deum vidit fuerit corporalis? ibid.num.14
Vide verbo *Deus.*

Visitatio.

Visitationis dies quisnam dicatur? lib.4.cap.18. num.6.

Vita.

Vitam flagitiosam, sæpè sequitur perfidia. lib.2. cap.21.num.2.
Vita improba gradus est ad hæresim Lutheranam. ibid.num.3.
Vita nostra militia est. lib.3.cap.17.num.1.
In Vita hac non est status gloriæ. lib.4.cap.23.num.7.
Vita est similis tragœdiæ. lib.8.cap.11.num.7.
Vita est diuersorium. ibid.num.12.
Vita breuis, est punctum. lib.9.cap.19.num.6.& 7.

Vitulus.

Cur Aaron potius Vitulum fecerit, quàm aliud idolum? lib.4.cap.12.num.10.
An Vitulus sit factus integer, an solum caput? ibid. num.11.
Vitulus aureus quomodo viam ostendere potuerit. ibid.num.12.
Vitulus an habuerit actiones vitales. ibid.num.13.
An Vitulus opera dæmonis fuerit fabricatus? ibid. num.14.
Vitulo fecit Aaron altare timore populi. num.15.
An omnes Hebræi Vitulum coluerint? num.16.
Vituli adoratio insipientia mira. lib.4.cap.13.num.9
Vitulum Moses redegit in puluerem, & potum dedit Hebræis. lib.4.cap.14.num.6.
Quomodo illum redegit in puluerem. ibid.
Quorsum Vituli puluerem potandum dedit. ibid. num.8.
An Vitulus dæmonis opera ex igne sit egressus? lib.4 cap.16.num.2.
Duo Vituli à Ieroboam Rege excitati sunt, non defuit supplicium. lib.4.cap.15.num.6.
Vitulus offerebatur in holocaustum. lib.6.cap.2. num.6.

Vnctio, Vnctus.

Vnctionis vnguentum prohibitum. lib.5.cap.13. num.3.
Vnctus significat Regem. lib.5.cap.14.num.3.
Vnctio sacerdotum. lib.5.cap.16.num.6.
Vide verbo *Aaron*, &c.

Vitio.

Vltio est Dei. lib.9.cap.15.num.10.
Vltio expectanda non est. lib.9.cap.19.num.3.
Deus vltus est peccata mundi mirabili vltione. lib.9. cap.20.num.1.

Volucres.

De Volucrum holocausto. lib.6.cap.2.num.11.
Volucres non diuidebantur in partes. ibid.

Voluntas.

Malis hominum Voluntatibus Deus benè vtitur. lib.2.cap.14.num.4.
Voluntas prompta, & deuota Deum oblectat. lib.5. cap.2.num.1.
Voluntatem qua offertur magis considerat Dominus, quàm id quod offertur. ibid.
Ex Voluntate dantis accipitur quod offertur. ibid.

Voluptas.

Voluptas est serpens. lib.8.cap.15.num.6.
Voluptates nos non sequuntur in morte. lib.10. cap.19.num.7.
Voluptates deserunt homines. ibid.

Vrbs.

Quas Vrbes Hebræi ædificauerint in Ægypto. lib.1. cap.6.num.9.

Vxor.

Vxor Mosis reuersa est ad patrem suum cum duobus filiis. lib.1.cap.17.num.14.
Vxorem ducere fas non est ministris altaris. lib.6. cap.5.num.11.
Vxores Iacob. lib.10.cap.16.num.1.

Vota.

Votum Hæbræorum. lib.8.cap.12.num.4.
De Votis religiosorum. lib.5.cap.12.num.2.& lib.8. cap.13.num.1.

Z

Zabulon.

Zabulon quid significet. lib.10.cap.16.num.10.
Zabulon typus religiosorum. lib.10.cap.13. num 2.
Benedictio Mosis data Zabuloni. lib.10.cap.5.num.1.
Benedictio Iacob. data Zabuloni. ibid.num.2.
Zabulonis sors erat in littore maris. ibid.

Zambri.

Zambri interficitur à Phinea. lib.9.cap.5.num.6.

Zelus.

Zelus boni Pontificis. lib.3.cap.15.num.3.
Zelus animarum indicatur simila frixa. lib.6.cap.5. num.6.
Zelum Phinees Deus remunerat. lib.9.cap.5.num.7.
Zelus animarum sacrificium Deo gratissimum. lib.10. cap.13.num.4.
Zelus animarum magnum Dei donum. lib.10. cap.16.num.10.

Zizania.

Zizania concupiscenti superseminauit diabolus. lib.4.cap.5.num.1.

FINIS.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA